This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com



The University of Chicago
Libraries

Digitized by Google

Digitized by Google

Dir.
1710.

Digitized by Google

TROISIÈME ET DERNIÈRE

ENCYCLOPÉDIE THÉOLOGIQUE,

OU TROISIÈME ET DERNIÈRE

SÉRIE DE DICTIONNAIRES SUR TOUTES LES PARTIES DE LA SCIENCE RELIGIEUSE,

OFFRANT EN FRANÇAIS, ET PAR ORDRE ALPHABÉTIQUE,

LA PLUS CLAIRE, LA PLUS FACILE, LA PLUS COMMODE, LA PLUS VARIÉE ET LA PLUS COMPLÈTE DES THÉOLOGIES.

CES DICTIONNAIRES SONT CEUX :

DE PHILOSOPHIE CATHOLIQUE, — D'ANTIPHILOSOPHISME, — DU PARALLÈLE DES DOCTRINES RELIGIEUSES ET PHILOSOPHIQUES AVEC LA FOI CATHOLIQUE, — DU PROTESTANTISME, — DES OBJECTIONS POPULAIRES CONTRE LE CATHOLICISME, — DE CRITIQUE CHRÉTIENNE, — DE SCHOLASTIQUE, — DE PHILOLOGIE DU MOYEN AGE, — DE PHYSIOLOGIE, — DE TRADITION PATRISTIQUE ET CONCILIAIRE, — DE LA CHAIRE CHRÉTIENNE, — D'HISTOIRE ECCLÉSIASTIQUE, — DES MISSIONS CATHOLIQUES, — DES ANTIQUITÉS CHRÉTIENNES ET DÉCOUVERTES MODERNES, — DES BIENFAITS DU CHRISTIANISME, — D'ESTHÉTIQUE CHRÉTIENNE, — DE DISCIPLINE ECCLÉSIASTIQUE, — D'ÉRUDITION ECCLÉSIASTIQUE, — DES PAPES ET CARDINAUX CÉLÈBRES, — DE BIBLIOGRAPHIE CATHOLIQUE, — DES MUSÉES RELIGIEUX ET PROFANES, — DES ABBAYES ET MONASTÈRES CÉLÈBRES, — DE CISELURE, GRAVURE ET ORNEMENTATION CHRÉTIENNE, — DE LÉGENDES CHRÉTIENNES, — DE CANTIQUES CHRÉTIENS, — D'ÉCONOMIE CHRÉTIENNE ET CHARITABLE, — DES SCIENCES POLITIQUES ET SOCIALES, — DE LÉGISLATION COMPARÉE, — DE LA SAGESSE POPULAIRE, — DES ERREURS ET SUPERSTITIONS POPULAIRES, — DES LIVRES APOCRYPHES, — DE LEÇONS DE LITTÉRATURE CHRÉTIENNE EN PROSE ET EN VERS, — DE MYTHOLOGIE UNIVERSELLE, — DE TECHNOLOGIE UNIVERSELLE, — DES CONTROVERSES ET AUTRES, — DES ORIGINES DU CHRISTIANISME, — ET DES SCIENCES PHYSIQUES ET NATURELLES DANS L'ANTIQUITÉ.

PUBLIÉE

PAR M. L'ABBÉ MIGNE,

ÉDITEUR DE LA BIBLIOTHÈQUE UNIVERSELLE DU CLERGÉ,

OU

DES COURS COMPLETS SUR CHAQUE BRANCHE DE LA SCIENCE ECCLÉSIASTIQUE.

PRIX : 6 FR. LE VOL. POUR LE SOUSCRIPTEUR A LA COLLECTION ENTIÈRE, 7 FR. ET MÊME 8 FR., POUR LE SOUSCRIPTEUR A TEL OU TEL DICTIONNAIRE PARTICULIER.

60 VOLUMES, PRIX : 360 FRANCS.

TOME TREIZIÈME.

DICTIONNAIRE DE LA TRADITION PONTIFICALE, PATRISTIQUE ET CONCILIAIRE.

TOME SECOND.

2 VOLUMES, PRIX : 12 FRANCS.

S'IMPRIME ET SE VEND CHEZ J.-P. MIGNE, EDITEUR,
AUX ATELIERS CATHOLIQUES, RUE D'AMBOISE, AU PETIT-MONTROUGE,
BARRIÈRE D'ENFER DE PARIS.

1855

Digitized by Google

THE
UNIVERSITY
OF
CHICAGO LIBRARIES

Digitized by Google

DICTIONNAIRE

DE

LA TRADITION

PONTIFICALE, PATRISTIQUE ET CONCILIAIRE,

OU

REPERTOIRE GENERAL ET PARTICULIER,

PAR ORDRE ALPHABÉTIQUE,

DES POINTS DU DOGME, DE LA MORALE ET DE LA DISCIPLINE,

PRÉSENTANT AINSI

LES PRINCIPALES AUTORITÉS DE LA TRADITION CATHOLIQUE

DANS DES SÉRIES DE TEXTES

TIRÉS DES SAINTS PÈRES, DES CONCILES, DES CONSTITUTIONS, DES LETTRES ET DES JUGEMENTS DES SOUVERAINS PONTIFES,

Classés suivant l'ordre logique et chronologique,

AFIN DE PRÉSENTER LE DÉVELOPPEMENT DE LA TRADITION, SUIVANT LA SUCCESSION DES TEMPS.

OUVRAGE UTILE

AUX THÉOLOGIENS, AUX PRÉDICATEURS, AUX CONTROVERSISTES, AUX CATÉCHISTES, QUI ONT BESOIN DE PUISER AUX SOURCES LES PREUVES DE L'ENSEIGNEMENT CATHOLIQUE;

PAR LES ABBÉS **J.-C. POUSSIN** ET **J.-C. GANIER**,

Prêtres du diocèse de Reims, Membres titulaires de l'Académie Impériale de cette ville.

PUBLIÉ PAR M. L'ABBÉ MIGNE,

ÉDITEUR DE LA BIBLIOTHÈQUE UNIVERSELLE DU CLERGÉ,

OU

DES COURS COMPLETS SUR CHAQUE BRANCHE DE LA SCIENCE ECCLÉSIASTIQUE.

TOME SECOND.

2 VOL. PRIX : 14 FRANCS.

S'IMPRIME ET SE VEND CHEZ M. J.-P. MIGNE, ÉDITEUR,
AUX ATELIERS CATHOLIQUES, RUE D'AMBOISE, AU PETIT-MONTROUGE,
BARRIÈRE D'ENFER DE PARIS

1855

Digitized by Google

BR 95
.M6?
[v.115]

Imprimerie de L.MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google

721125

DICTIONNAIRE
DE LA TRADITION
PATRISTIQUE ET CONCILIAIRE.

—

I

IDOLOLATRIA

Vid. verb. INCREDULITAS.

IGNORANTIA

[Ex SS. Patribus.]

S. CLEMENS., *Recogn.* lib. II, tom. I, pag. 516. — Ignorantia est dæmon pessimus, quam qui potuerit effugere, salutis accipit palmam.

Idem, lib. V *Recogn.*, tom. I. — Plurimi putant se reos futuros non esse, si in ignorantia fuerint; nec reddituros esse rationem pro his quæ non audierint; et ideo a verbo declinare eos suadet auditum. Sed accipite contra hæc. Ipsa per semetipsam ignorantia validissimum venenum est quod sufficiat animam, nulla extrinsecus quæsita adjectione, perimere. Et ideo nemo est qui ignorans, per hoc quod ignorat, evadat; sed certum est quod intereat. Naturaliter enim peccatorum vis interimit peccatorem. Sed quoniam judicium rationabile erit, tam ignorantiæ quam uniuscujusque peccati causa et origo requiretur. Is ergo qui scire noluit, quo modo possit venire ad vitam; sed maluit ignorare; ne per hoc reus fieri videretur; ex hoc ipso jam, quasi qui scierit et habuerit scientiam, judicatur. Agnovit enim quid esset, quod nolebat audire, et nihil ei conferet ad excusationem, serpentis artificio quæsita calliditas; cum eo enim erit ei ratio, quem non latet cor. Ut autem scias quia ignorantia per semetipsam generat interitum, anima cum discesserit a corpore, si talis exeat quæ ignoret eum a quo creata est, et a quo in hoc mundo omnia quæ usibus suis erant necessaria consecuta est; tanquam ingrata et infidelis, a regni ejus luce projicitur.

Idem, *Admonit. ad gentes.* — Extrema ignorantiæ sunt impietas et superstitio.

PHILO. JUD., *Lib. de temulentia.* — Quis est morbus corporis cum quo conferenda sit ignorantia? aut cum cujus sensus privatione conferri potest? Certe qui oculis auribusque multati sunt, nihil vel videre vel audire valent; diei lucisque, propter quæ sola (si verum fatendum est) vitam expetimus, nescii; et in perpetuis tenebris sempiternaque nocte habitant, surdi ad parva magnaque omnia; quos merito vita communis impotentes solet nominare. Nam etiamsi reliquæ corporis vires universæ incolumes sint et absolutissimæ, tamen supplantatæ ab orbitate oculorum auriumque, magno casu corruunt, ut non amplius possint resurgere. Id enim quod hominem fulcit, verbo quidem pedes sunt, revera autem auditus visusque: quos donec habet integros, erectus incedit, privatus vero his, proclinatur et e medio tollitur. Iidem omnino ignorantiæ sunt effectus in anima, lædentis ejus visum auditumque, nec lucem, nec sermonem in eam intrare sinentis: hunc ne quid doceat, illam ne res indicet; atque ita offusis irrationalibus tenebris profundissimis, ex formosissima animæ specie surdum saxum redditur.

S. HILAR., *in psal.* CXXX, 2: *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam.* — Excelsus animo est et corde submissus. — Tenendus ergo humilitatis et altitudinis modus; ut corde humiles, sensu vero et anima simus excelsi.

ORIGEN., *Selecta in Levit.* IV, 27: *Si autem anima una peccaverit non sponte.* — Non sponte fit quod quispiam agit malum. Observandum ignorantiam involuntariam, peccatum vocari a Scriptura (1). Imo aliorum quorumdam meminit Paulus dicens: *Umbram enim habuit lex futurorum.* (*Hebr.* X, 1.)

(1) Ignorantia involuntaria dicitur peccatum, cum, v. g., agitur de peccato originali, secus non; si enim vere fuerit involuntaria, tum in actu tum in causa, nunquam dici potest esse peccatum.

Digitized by Google

S. Basil., *Hexameron*, homil. 7, tom. I, pag. 67. — Nemo ignorantiam prætexat. Insita est nobis naturalis ratio quæ bona nobis vindicanda esse, noxia vero fugienda submonet.

Idem, *De judic. Dei.* — Si de delictis iis, quæ ex ignorantia committuntur, judicium habetur adeo durum, et pro eorum expiatione necessarium est sacrificium, quod et accepimus solitum fuisse Job pro filiis suis offerre : quid obsecro de illis dicendum, qui scientes peccant, aut de iis qui peccantes istos silentio transmittunt, non coarguentes?

S. Chrysost., hom. 39 *in Joannem*, tom. VIII, pag. 233. — Neque putemus sat nobis ad excusationem esse ignorantiam et simplicitatem. Neque enim simplices tantum jussit esse, sed etiam prudentes. Utamur ergo simplicitate, sed cum prudentia, tam in doctrina quam in operibus, et nobis ipsis jus dicamus, ut non tunc cum hoc mundo damnemur.

Idem, conc. 3 *de Lazaro*, tom. I. — Magna adversus peccatum munitio est Scripturarum lectio; magnum præcipitium, profundum barathrum, Scripturarum ignoratio; magna salutis perditio, nihil scire ex divinis legibus : ea res et hæreses peperit, ea vitam corruptam invexit, hoc sursum deorsum miscuit omnia. Nam fieri non potest, non potest, inquam, fieri, ut quis sine fructu discedat, qui assidua attentaque lectione fruatur.

S. Ambros., *De interpel. Job.* — Non excusantur quod nesciunt, cum scire nolunt quod debuerint cognoscere.

S. Aug., lib. I *contra Cels.*, resp. 105. — *Ignorantias meas ne memineris* (*Psal.* XXIV, 7); quod genus delictorum si non imputaret Deus justus, non ea sibi dimitti posceret homo fidelis.

Idem. — Pessimæ matris ignorantiæ, pessimæ itidem duæ filiæ sunt, scilicet falsitas et dubietas : illa miserior, ista miserabilior; illa perniciosior, ista molestior.

Idem. — Melius est nescire quam errare; melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia.

S. Greg., *Moral.* lib. XVII. — Tolerabilius est Deo quempiam cum ignorantia in humilitate jacere, quam cum elatione alta sapere.

Idem, *ibid.* — Cum nostram ignorantiam cognoscimus, levius aliena onera toleramus. Nunquam Deus mentem deserit, qui in peccatis se veraciter cognoscit.

Idem, *ibid.* — A luce veritatis in tantas ignorantiæ tenebras corruimus, ut nos ipsos ignoremus.

S. Bernard., *Epist.* — Multa scienda nesciuntur, aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut inquirendi verecundia. Et quidem hujusmodi ignorantia non habet excusationem.

Idem, *super Cantic.* — Utraque cognitio, Dei scilicet et tui, tibi est necessaria ad salutem; quia sicut ex notitia tua venit in te timor Dei, atque ex Dei notitia itidem amor : sic e contra, de ignorantia tui superbia, ac de Dei ignorantia venit desperatio.

Idem, *ibid.*, serm. 27.— Ignorantia sui initium omnis peccati; ignorantia Dei, consummatio omnis peccati.

IMAGINES SACRÆ

[Ex SS. Patribus.]

S. Augustinus, l. I *De consens. evangelist.*, c. 10, *de iis loquens, qui se Christi libros ad Petrum et Paulum scriptos legisse, et in eis magicam artem descriptam invenisse mentiuntur.* — Cum vellent, inquit, tale aliquid fingere Christum scripsisse ad discipulos suos, cogitaverunt ad quos potissimum scribere potuisse facile crederetur, tanquam ad illos, qui ei familiarius adhæsissent, quibus illud quasi secretum digne committeretur, et occurrit eis Petrus et Paulus. Credo quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderunt, quia merita Petri et Pauli etiam propter eumdem passionis diem, celebrius et solemniter Roma commendat.

S. Damasus, papa, *Lib. pontificalis, Vita Sylvestri.* — Hujus temporibus fecit Constantinus Augustus basilicas istas, quas et ornavit : Basilicam Constantinianam, ubi posuit dona ista : Fastigium argenteum, habens in fronte Salvatorem sedentem in sella quinque pedum, pensantem libras centum viginti (1). Et duodecim apostolos, habentes singuli quinos pedes, pensantes libras nonaginta, cum coronis ex argento purissimo. Item a tergo respicientem in absida Salvatorem, sedentem in throno in pedibus quinque ex argento purissimo, pensantem libras centum quadraginta. Et angelos quatuor ex argento in quinis pedibus, qui pensant singuli libras centum quinque cum gemmis Alabandenis. Et infra : Annexum ex stipa Ammianti in labro fontis agnum ex auro purissimo, fundentem aquam, pensantem libras triginta. Ad dexteram agni, Salvatorem ex argento purissimo, in pedibus quinque, pensantem libras centum septuaginta. In læva agni, beatum Joannem Baptistam ex argento, in pedibus quinque, tenentem titulum scriptum, qui hoc habet : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I, 29), pensantem libras centum. Ibidem : Super corpus beati Petri, super os, quo conclusit illud, fecit crucem auream purissimam, pensantem libras centum quinquaginta. Sed et crucem auream super locum beati Pauli apostoli posuit, pensantem libras centum quinquaginta.

(1) Alias 310.

Vide verb. Cultus (*sanctis debitus*).

[Ex conciliis.]

Ex synodo Antiochena sub S. Petro, an. 57. *Canon citatus in conc. Nicæno* II, *a Greg.*

Digitized by Google

episcopo, act. 1. — 8. Ne decipiantur salvati ob idola, sed pingant ex opposito divinam humanamque impermistam effigiem Dei veri ac Salvatoris nostri Jesu Christi ipsiusque servorum contra idola et Judæos, neque errent in idolis, neque similes fiant Judæis.

Ex concil. Lugdun. gener. XIV, *sub Greg. X, an.* 1274. — 17. Detestabilem abusum horrendæ indevotionis illorum qui crucis, B. Virginis aliorumve sanctorum imagines seu statuas irreverenti ausu tractantes eas in aggravationem cessationis a divinis prosternunt in terram, urticis spinisque supponunt penitus reprobamus.

Ex conc. Senon. sub Clemente VII, an. 1528, *de fide.* — 40. In posterum præcedente episcopi aut commissi ejus judicio, et visitatione, imagines in ecclesiis collocentur.

Ex conc. Mogunt. sub Paulo III, an. 1549. — 41. Imaginum usum velut pro erudienda plebe, et omnium animis excitandis, utilem in ecclesiis nostris retineri serio mandamus, etc. Procaces imagines et nimio artis lenocinio ad mundanæ potius vanitatis speciem, quam ad pietatis commonitionem effigiatas, in templis proponi omnino vetamus.

Ex conc. Trident. gener. XVIII, *sub Pio IV, an.* 1562, *sess.* 25. — Nemini liceat ullo in loco, vel ecclesia etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit.

Ex conc. Mediol. I, *sub Pio IV, an.* 1565, *part.* I. — 7. Illud in primis caveant episcopi, ne quid pingatur aut sculpatur, quod veritati Scripturarum, traditionum, aut ecclesiasticarum historiarum adversetur; etc. Historiæ quoque quibus neque Ecclesia, neque probati scriptores auctoritatem nullam dederunt, sed sola vulgi vana opinione commendantur, effigi prohibeantur.

Ex conc. Mediol. IV, *sub Gregorio XIII, an.* 1576, *part.* I. — 2. Effigies jumentorum, canum, aliorumve brutorum animalium in ecclesia ne fiant, cum aliquid inhonestum aut profanum in eo apparere nefas sit, etc. Si vero historiæ sacræ expressio ex S. matris Ecclesiæ consuetudine, aliter quandoque fieri postulat, hoc sane non vetatur. Cruces et S. imagines solemniter statisque precibus ex ecclesiarum ritu benedicantur, etc. Si quæ sacræ tabulæ, imaginesve pictæ nimia vetustate, carie, situ, aut sordibus pene deletæ, indecenti aspectu sunt, eas episcopus pia religiosaque pictura renovari jubeat, aut si id non potest, omnino deleri.

Ex conc. Avenion., sub Clemente VIII, an. 1594. — 26. Imagines nihil turpe, nihil profanum, nihil indecorum quod veri summoveat, aut intuentium oculos offendat, repræsentent, multo magis cavendum est, ne quidquam falsum vel apocryphum super stitiosumve ob oculos ponatur. Nullæ imagines in ecclesiis piisve locis, sine episcopi aut illius vicarii generalis concessu palam exponi permittantur. Imagines neque humi, neque sordido aut caliginoso loco, neque sub fenestris unde pluviæ stillare possint, affigantur, etc. Si quæ imagines vel statuæ ab impiis hominibus violatæ, dejectæ, profanatæ, ac demum mutilatæ in hac provincia fuerint, eas episcopi curabunt quamprimum statui pristino restitui. — 27. Ne signum crucis in solo sculptum, depictumve inveniatur, imo ubi nunc sit; omnino deleatur, ne pedibus obambulantium proteratur.

Ex conc. Narbon., sub Paulo V, an. 1609. — 7. Imagines in ecclesiis, prout semper probavit Ecclesia asserventur, quibus honorem et reverentiam impertiendam docent Patres SS., quas tamen in ecclesia obscenis figuris depictas, figmenta poetarum repræsentantes, aut alias indecentes non admittent episcopi, de novo non ponantur, aut depingantur pro ecclesiis et piis locis imagines sine episcopi aut vicarii generalis consensu, qui videant diligenter, ne quid apocryphum aut superstitiosum approbent; mutilas et truncatas imagines, aut quæ ad pietatis vel Dei cultum non conducunt ab ecclesiis extrahere procurent episcopi. *Vid.* CULTUS (*sanctarum imaginum*).

IMITATIO CHRISTI

[Ex SS. Patribus.]

ORIGENES, l. V, *in c.* VI, 5, *Epist. ad Rom.* — Velut plantam alicujus arboris ostendit mortem Christi, qui nos complantatos vult esse, ut ex succo radicis ejus, radix quoque nostra suscipiens, producat ramos justitiæ et fructus afferat vitæ.

S. BASILIUS, *Const. Mon.*, c. 2. — Omnis actio, charissime, omnis item sermo Salvatoris nostri Jesu Christi, excolendæ pietatis virtutisque obeundæ regula est. Propter hoc enim humanam naturam suscepit, ut in se, velut in tabula quadam, veram nobis pietatem ac virtutem depingat; eamque omnibus nobis, maribus simul ac feminis, ante oculos statutam, unicuique pro viribus imitandam, ceu archetypum proponeret.

Idem, *ibid.*, c. 2. — Neque enim alia de causa ille corpus nostrum gerit, nisi ut, quoad fieri possit, nos ad imitanda vitæ ipsius studia conformemus.

S. GREGORIUS Nyssenus, *Ep. ad Harmon.* — Si quis igitur nomen quidem Christi sumat; quæ vero una cum hoc nomine considerantur vita non exprimat neque repræsentat, is nomen ementitur.

S. AMBROSIUS, *in psal.* CXVIII, serm. 1. — Quis est immaculatus? non utique qui in quacunque via ambulat, sed qui in Christo ambulat.

S. CHRYSOSTOMUS, hom. 28 *in Epist. ad Hebr.* — Etiamsi nullum esset præmium, ipsum solum exemplum idoneum esset ad persuadendam omnium tolerantiam.

S. AUGUST., *De vera relig.*, c. 16. — Populi

Digitized by Google

ignominiosissimum mortis genus crucem putabant; Christus crucifixus est... Hæc est disciplina naturalis Christianis minus intelligentibus plenæ fidei digna, intelligentibus autem omni errore purgata.

S. Aug., *De vera religi.*, c.16.—Tota itaque vita ejus in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit.

Idem, l. VII *De Trinit.*, c. 3.—Quia homo ad beatitudinem sequi non debebat nisi Deum, et sentire non poterat Deum; sequendo Deum hominem factum, sequeretur simul et quem sentire poterat et quem sequi debebat.

Idem, *ibid.* — Amemus ergo eum et inhæreamus illi.

S. Bernardus, serm. 21 *in Cant.* 1, 4. — *Trahe me post te;* quia dicit *post te*, mihi videtur sponsa, ut conversationis ejus valeat vestigia sequi, ut possit æmulari virtutem, et normam tenere vitæ et morum queat apprehendere disciplinam.

Idem, serm. 1 *De Nat.* —Obsecro proinde, plurimumque rogo, fratres, non patiamini sine causa (tam pretiosum exemplar vobis exhibitum esse), sed conformamini illi et reformamini spiritu mentis vestræ.

Idem, serm. 43 *in Cant.* — Hæc mea sublimior interius philosophia, scire Jesum et hunc crucifixum.

Idem, serm. 4 hebd. Pasch. — Facit ergo mihi fortitudo, facit similitudo; sed si accesserit etiam imitatio, ut sequar vestigia ejus; alioquin etiam a me exquiretur sanguis justus.

S. Bonaventura, p. 1 *Stimul. amor.*, c. 4. — Hæc est summa et perfecta religio, et religiosa perfectio. Hæc est regula, et exemplar perfectionis omnis vitæ et virtutis, scilicet Christum imitari in passione et morte. Sit ergo regula nostra vivendi passio Salvatoris, et tanto amplius in hoc consolemur, quanto amplius Christo conformamur; et tanto amplius desolemur, quanto ab hoc exemplari et regula amplius elongamur.

Vid. verb. Christus (*exemplar*)

IMMODESTIA VESTIUM

[Ex SS. Patribus.]

Tertullianus, *De cultu mulierum*, c. 2. — Non de integra conscientia venit studium placendi hominibus per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis scimus.

Idem, *ibid.* — Totam in iis (nempe ornamentis) circumferunt mulieritatem.

Idem, *ibid*, c. 5. — Quod nascitur ejus Dei est, ergo quid fingitur diaboli negotium est.

Idem, *ibid.*, c. 11. — Propter mutuum videre ac videri, omnes pompæ in publicum proferuntur, aut ut luxuria negotietur, aut gloria insciescat.

Idem, *ibid.*, c. 13. — Projiciamus ornamenta terrena, si cœlestia optamus.

Idem, *ibid.* — Pudicitiæ Christianæ satis non est, esse castum, verum et videri; tanta enim debet esse plenitudo ejus, ut emanet ab animo ad habitum.

Idem, *ibid.* — Vestite vos serico probitatis, purpura pudicitiæ, taliter pigmentati Deum habebitis amatorem.

Idem, *De pallio*, c. 4. — Grande pallii beneficium est, sub cujus recogitatu improbi mores vel erubescunt.

Idem, *ibid.* —Tegendo homini necessitas præcessit, dehinc ornando ambitio successit.

Idem, *De habitu mulierum.* — Vestium cultus aut ambitionem aut prostitutionem sapit.

Idem, lib. *De spectaculis*, c. 23 et *De cult. mul.*, c. 2. — Nullum magis scandalum occurrit quam ille ipse virorum ac mulierum accuratior cultus.

S. Cyprianus, *De habitu virginum.* — Fugiant castæ virgines et mulieres pudicæ incestarum cultus, habitus impudicarum.

Idem, *ibid.* — Quid ex talibus exspectandum, qui comas aut vestes supervacuas curant, nisi ut lascivus ille ornatus feminas prætereuntes invitet.

Idem. — Quis non id exsecretur et fugiat, quod aliis fuerit exitio? Quis id appetat et sumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit et telo?

Idem. — Arguit te cultus impudicus quod mente casta non sis.

Idem, *De bono pudicitiæ.* — Sollicitudo de pulchritudine, malæ mentis indicium, et deformitatis animæ signum est.

Idem, *ibid.* — Non est pudica, quæ affectat animum alterius movere, etiam salva corporis castitate.

Idem, *De habitu virginum.* — Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio est ita divini operis, prævaricatio veritatis.

S. Gregor. Nazianzenus, *Paræneși, ad Olymp.* — Eximiæ et splendidæ vestes iis demum conveniunt, quibus nullus vitæ splendor, nullum virtutis decus suppeteret.

Idem. — Hæc artificia (nempe mulierum ornamenta) non pudicitiæ sunt, sed lasciviæ ac libidinis.

S. Athanas., *De virginitate.* — Quæ amictu pretioso venustant corpora sua, ut placeant hominibus, Deo placere non possunt.

Idem, lib. III *De virginibus.* — Non illa ornamenta sed crimina sunt, lenocinia formæ, non præcepta virtutis.

S. Ambros., lib. I *De virginibus.* — Neglecta decoris cura plus placet, et hoc ipsum quod nos non ornamus, ornatus est.

Idem, *ibid.* — Mulier ornata est domus omnium dæmonum infernalium.

Idem, *ibid.* — Incentiva vitiorum.

Idem, *Epist. ad Rusticum monachum.* — Sordidæ vestes candidæ mentis indicia sunt, vilis tunica contemptum sæculi probat, ita

Digitized by Google

dantaxat ne animus tumeat, et habitus sermoque dissentiant.

S. Hieron., epist. *ad Furiam.* — Ignis juvenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicia, vestes pretiosæ.

Idem, *Adversus Helvid.* — Ad speculum pingitur, et in contumeliam artificis conatur pulchrior esse quam nata.

Idem, *epist. ad Salvin., De servanda viduitate.* — Tenera res est in feminis fama pudicitiæ.

Idem, *epist. ad Nepotianum.* — Ornatus et sordes pari modo fugienda sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. (Dictum sanctæ Paulæ).

Idem, *ibid.* — Si vir vel mulier se ornaverit, et vultus hominum ad se provocaverit, etsi nullum inde sequatur damnum, judicium tamen patietur, quia venenum attulit si fuisset qui biberet.

Idem, epist. 27, *ad Eustochium.* — Munditia corporis atque vestitus animæ est immunditia.

Idem, *epist. ad Lætam.* — Spernat bombicum telas, vestimenta paret quibus pellatur frigus, non quibus vestita corpora nudentur.

S. Chrysost., homil. 19, *in II ad Corinthios.* — Quæ rerum sæcularium curam habet, neque virgo, neque mulier honesta est.

Idem, homil. 18, *in eamdem Epistolam.* — Difficile est, fortasse etiam impossibile, corpore in hunc modum ornato, simul ornari animam.

Idem, serm. *Quod regulares feminæ viris cohabitent.* — In alienis animabus luditis, et ex alienis animabus voluptatem propriam constituistis.

Idem, homil. 18, *in Genesim.* — Eo insaniæ homines pervenire, ut aurum vestibus intexant, in primis autem mulieres huic mollitiei deditæ sunt.

Idem, *ibid.* — Audiant opulenti, et qui luxuriant in vermium operibus, et vestiuntur sericis, discant quomodo humanam naturam misericors Dominus docuerit.

Idem, *ibid.* — Non cogitas quod pro magno supplicio, propter transgressionem, tegmen est excogitatum.

Idem, homil. 41, *in Genesim.* — A corporis cultu innumera fiunt mala, arrogantia quæ intus nascitur, despectus proximi, fastus spiritus, animæ corruptio, voluptatum illicitarum comes.

Idem, *in cap.* II *I ad Timotheum.* — Accessisti ad templum ut Deum pro peccatis tuis depreceris, ut cum gemitu et lacrymis veniam petas; quid te ipsam ornare improbo et intempestivo studio contendis?

Idem, homil. 21, *ad popul. Antioch.* Vis ornare faciem? Non margaritis orna, sed modestia et honestate.

Idem, *ibid.* — Quam excusationem habebis quando te Dominus accusabit de margaritis istis, et pauperes fame perditos in medium aget?

Idem, *ibid.* — Modestiæ ornatus omnem improbam suspicionem expellit, omni autem vinculo firmius conjugium conciliat.

Idem, hom. 50 *in Matthæum.* — Et si parva hæc peccata videantur, ac ideo negligentur, majorum tamen delictorum causas nobis præbent.

S. Augustinus, epist. 73.—Verus ornatus Christianorum mores boni sunt.

Idem, serm. 247, *De tempore.* — Plerumque ubi corpus sic nitet, squalet animus.

Idem, epist. 109.— Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus.

S. Greg., homil. 40 *in Evangel.* Nemo vestimenta pretiosa nisi ad inanem gloriam quærit, ut honorabilior cæteris videatur.

Idem, hom. ultima *in Evangelium.* — Quod pro sola inani gloria vestimentum pretiosum quæritur, res ipsa testatur, unde nemo velit pretiosis vestibus indui, ubi ab aliis non possit videri.

S. Bernardus, lib. III *De considerat.* — Vestium curiositas deformitatis mentium ac morum indicium est.

Idem, in *Apolog. ad Guillelmum abbatem.*— Mollia indumenta animi indicant mollitiem, non enim tanto studio curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens virtutibus exculta.

Idem, *ibid.* —Exterior superfluitas interioris vanitatis indicium est.

Idem, epist. 113, *ad Sophiam virginem.*— Serica et purpura, et tincturarum fucus decorum habent, sed non præbent.

IMPIETAS

Vid. verb. Atheismus.

IMPŒNITENTIA

[Ex SS. Patribus.]

S. August., quæst. 24. —Et vidit Pharao quoniam facta est refrigeratio, et ingravatum est cor ejus, et non exaudivit eos, sicut dixerat Dominus. (*Exod.* IX, 7.) Hic apparet non illas tantum fuisse causas obdurationis cordis Pharaonis, quod incantatores ejus similia faciebant, verum etiam ipsam Dei patientiam, qua parcebat. Patientia Dei secundum corda hominum, quibusdam utilis ad pœnitendum, quibusdam inutilis ad resistendum Deo, et in malo perseverandum: non tamen per se ipsam inutilis est, sed secundum cor malum, sicut jam diximus. Hoc et Apostolus dicit: *Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?*

Digitized by Google

Secundum autem duritiam cordis tui et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus. (*Rom.* II, 4.) Nam et alibi cum diceret : *Christi bonus odor sumus in omni loco* (*II Cor.* II, 15), etiam illud adjunxit : *Et in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt.* (*Ibid.*) Non dixit Christi bonum se odorem esse iis qui salvi fiunt, malum autem iis qui pereunt, sed tantum bonum odorem se dixit. Illi vero tales sunt, ut et bono odore pereant secundum sui cordis, ut sæpe dictum est, qualitatem, quæ mundanda est bona voluntate in Dei gratia, ut incipiant ei prodesse judicia Dei, quæ malis cordibus nocent.

Idem, serm. 88 *De tempore.* — Primo hoc fideliter et firmiter credat dilectio vestra, quia nunquam prius Deus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur ; cum enim et semel et secundo et tertio unusquisque gravia peccata commiserit, exspectat tamen illum Deus, sicut per prophetam dicit : *Ut convertatur et vivat.* (*Ezech.* XXXIII, 11.) Cum vero in peccatis suis cœperit permanere, de multitudine peccatorum nascitur desperatio, ex desperatione obduratio generatur. Dum homines negligentes in primis despiciunt peccata sua, quia parva sunt, crescentibus minutis peccatis adduntur etiam crimina, et cumulum faciunt et demergunt. Quod cum factum fuerit, impletur hoc, quod scriptum est : *Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit.* (*Prov.* XVIII, 3.) De talibus Apostolus dicit : *Ignoras quod patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam cordis tui et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ.* (*Rom.* II, 4.) Et de tali obduratione etiam alibi legimus : *Equus indomitus evadit durus, et filius remissus evadit præceps.* (*Eccli.* XXX, 8.) Et iterum de corrigendo filio Scriptura loquitur. Unde ait : *Tunde latera filii tui, dum infans est, ne induret et non consentiat tibi.* (*Ibid.*) Ista enim testimonia Scripturarum ideo charitati vestræ insinuare volui, ut intelligatis quia et obduratio non Dei potentia compellente perficitur, sed Dei remissione vel indulgentia generatur, ac sic Pharaonem non divina potentia, sed divina patientia credenda est obdurasse. Denique quoties eum Dei plaga percussit, afflictus pœnituit. At ubi ei remissio divina indulgentiam dedit, iterum se in superbiam elatus erexit. Hoc ergo definitissime credite, fratres, et hoc intelligite, quia quoties Dominus dixit : *Ego indurabo cor Pharaonis* (*Exod.* IV, 21; VII, 5), non aliud intelligi voluit, nisi : Ego, inquit, suspendo plagas meas et flagella, unde eum per indulgentiam meam contra me obdurari permitto. Sed forte aliquis dicat : Quare illum Deus parcendo indurari fecerit, et quare flagella removerit? Hoc loco securus ego respondeo : Ideo Deus toties flagella removit, quia Pharao pro ingenti cumulo peccatorum suorum, non tanquam filius ad emendationem meruit corripi, sed tanquam hostis permissus est indurari. Tantæ enim illius iniquitates præcesserunt, et Deum toties sacrilegio ausu contempserunt, ut in illo impleretur quod de talibus Spiritus sanctus dixit : *In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* (*Psal.* LXXII, 5-7.) Ecce qualiter obduratur, qui ad correctionem castigari a Domino non meretur. De illis autem, quos indurari Dei misericordia non permittit, scriptum est : *Flagellat Deus omnem filium quem recipit.* (*Hebr.* XII, 16.) Et iterum. *Ego quos amo, arguo et castigo.* (*Apoc.* III, 19.) Et iterum : *Quem enim diligit Dominus, corripit.* (*Prov.* III, 12.) De hac obdurationе etiam propheta, ex persona populi ad Dominum clamat, dicens : *Indurasti cor nostrum, ne timeremus te.* (*Isa.* LXIII, 17.) Quod utique non est aliud, nisi : Deseruisti cor nostrum, ne converteremur ad te. Quam rem multis præcedentibus sacrilegiis in populo Judæorum impletam esse cognovimus. Nemo ergo cum paganis aut Manichæis Dei justitiam reprehendere aut culpare præsumat, sed certissime credat, quod Pharaonem non Dei violentia, sed propria iniquitas et indomabilis superbia contra Dei præcepta toties fecerit obdurari.

Idem, in *Enchiridio ad Laurentium*, c. 83. — Qui in Ecclesia remitti peccata non credens, contemnit tantam divini muneris largitatem, et in hac obstinatione mentis diem claudit extremum, reus est illo irremissibili peccato in Spiritum sanctum, in quo Christus peccata dimittit.

Idem, *in psal.* LVIII. — Ergo *non misereris omnium qui operantur iniquitatem.* — Hoc duobus modis intelligi potest, sive quia omnino nulla peccata impunita relinquit Deus, sive quod est quædam iniquitas, quam qui operantur, omnino eorum Deus non miseretur. Secundum istos duos modos breviter, quantum temporis sufficit, aliquid loquamur charitati vestræ. Iniquitas omnis, parva magnave sit, puniatur necesse est, aut ab ipso homine pœnitente, aut a Deo judicante. Nam et quem pœnitet, punit se ipsum. Ergo, fratres, puniamus nostra peccata, si quærimus misericordiam Dei. Non potest Deus misereri omnium operantium iniquitatem, quasi blandiens peccatis, aut non eradicans peccata. Prorsus aut punis, aut punit. Vis non puniat? puni tu. Nam et illud fecisti, quod impunitum esse non possit, sed a te puniatur potius, ut facias, quod in illo psalmo scriptum est : *Præveniamus faciem ejus in confessione.* (*Psal.* XCIV, 2.) Quid est : *Præveniamus faciem ejus in confessione?* Antequam ipse attendat, ut puniat, tu præveni confitendo, et puni. Non ille inveniat quod puniat ; quia, cum tu punis iniquitatem, facis æquitatem. Et ideo tui miserebitur Deus, quia jam te operantem æquitatem invenit Deus. Quid est, operantem æquitatem? Quia hoc in te odisti, quod et odit ille, ut incipias placere Deo, dum hoc in te punis, quod displicet Deo. Nam non potest impunitum relinqui peccatum, quia verum est : *Non misereris omnium qui operantur ini-*

Digitized by Google

quitatem. Sed videamus jam alium modum, quo hæc sententia possit intelligi. Est quædam iniquitas, quam qui operatur, non potest fieri, ut misereatur ei Deus. Quæritis forte quænam illa sit? Ipsa est defensio peccatorum. Quando quisque defendit peccata sua, magnam iniquitatem operatur. Hoc defendit quod Deus odit. Et videte quam perverse, quam inique: si quid boni fecerit, sibi vult imputari; si quid mali, Deo. Nam hoc modo defendunt homines peccata sua ex Dei persona, quod pejus est. Quid est hoc? Nemo est qui audeat dicere: Bonum est adulterium, bonum est homicidium, bona fraus, bonum perjurium, nullus prorsus hominum. Nam qui illa etiam faciunt, clamant, mala hæc esse, quando patiuntur. Omnino ergo non invenies animam tam perversam, tam extorrem a societate generis humani, et participatione communis sanguinis ex Adam, cui videatur bonum esse adulterium, sicut dixi, fraus, rapina, perjurium. Sed quomodo ea defendunt? Si Deus noluisset, non id fecissem. Quid vis faciam fato meo?

S. Gregorius, hom. 11 *super Ezechielem*: — Districta sunt omnipotentis Dei judicia. Et qui peccatorem diu exspectat, ut redeat, non redeunti atque contemnenti ponit adhuc, ubi gravius impingat. Peccatum quippe, quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est, aut causa peccati, simul et pœna peccati. Omne enim, quod prius committitur, peccatum est. Sed si citius pœnitendo non tergitur, justo judicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, ut, qui flendo et corrigendo noluit mundare, quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare. Peccatum ergo, quod pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatum simul est et causa peccati; quia ex illo oritur, unde adhuc peccatoris animus altius obligetur. Peccatum vero, quod ex peccato sequitur, peccatum simul est et pœna peccati, quia ex crescente cæcitate, ex retributione prioris culpæ generatur, ut quasi jam quædam sint in peccatore supplicia ipsa incrementa vitiorum. Fit vero nonnunquam, ut unum idemque peccatum sit, et pœna peccati, simul et causa peccati. Et paulo post: Hoc autem nobis cum tremore considerandum est, quomodo justus et omnipotens Deus cum præcedentibus peccatis irascitur, permittit ut cæcata mens etiam in aliis labatur. Unde Moyses ait: *Nondum completa sunt peccata Amorrhæorum*. (*Gen.* xv, 16.) David quoque ait: *Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum, ut non intrent in justitia tua*. (*Psal.* lxviii, 28.) Propheta etiam alius dicit: *Maledictum et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit*. (*Ose.* iv, 2.) Sanguis enim sanguinem tangit, quando peccato peccatum additur, ut ante Dei oculos adjunctis iniquitatibus anima cruentetur. Paulus apostolus ait: *Ut impleant peccata sua semper*. (*I Thess.* ii, 16.) Joanni quoque per angelum dicitur: *Qui nocet, noceat adhuc, et qui in sordibus est, sordescat adhuc*. (*Apoc.* xxii, 11.) Unde nunc etiam Dominus dicit: *Si conversus justus a justitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo*. (*Ezech.* iii, 20.) Ac si aperte dicat: Quia videre pœnitendo noluit, ubi jam impingit, justo cum judicio deserens, ponam ei, ut et alibi impingat. Quod tamen Domini ponere, est nequaquam ad peccandum premere, sed nolle a peccato liberare, sicut de Pharaone dicitur: *Ego indurabo cor ejus*. (*Exod.* iv, 21; vii, 3.) Non enim cor peccantis Dominus obdurat, sed obdurare dicitur, cum ab obduratione non liberat. Misericors enim Deus tempus nobis ad pœnitentiam relaxat, sed cum ejus gratiæ patientiam nos ad augmentum vertimus culpæ, hoc ipsum tempus, quod ad parcendum pie disposuit, districtius ad feriendum vertit, ut quia reverti quis etiam spatio temporis accepto noluerit, per hoc mala sua ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit, si converti voluisset. Unde scriptum est: *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum duritiam autem tuam et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei*. (*Rom.* ii, 4.) De benignitate ergo omnipotentis Dei iram sibi in die iræ reprobus thesaurizat, quia dum ad pœnitentiam tempus accipitur, et ad peccandum exhibetur, ipsum remedium gratiæ vertit in augmentum culpæ. Unde et omnipotens Deus, qui collata remedia conspicit ad culpæ augmentum trahi, ipsam benignitatem, quam contulit, in judicii districtionem vertit, ut inde post amplius feriat, unde modo amplius exspectat. Et quia homo deserere malum non vult, ut vivat, auget unde moriatur.

S. Bernardus, lib. i *De consideratione ad Eugenium pontificem maximum*. — Solum est cor durum, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit. Quid me interrogas? Interroga Pharaonem. Nemo duri cordis salutem unquam adeptus est, nisi quem forte miserans Deus, abstulit ab eo, juxta prophetam, *cor lapideum*, et dedit *cor carneum*. (*Ezech.* xxxvi, 26.) Quid ergo cor durum? Ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præteritorum obliviscens, præsentium negligens, futura non providens. Ipsum est, cui præteritorum, præter solas injurias, nihil omnino non præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla, nisi forte ad ulciscendum prospectio seu præparatio est. Et ut in brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur.

Idem, in serm. *De conversione ad clericos*, c. 4. — At forte aliquem moveat illud de psalmo: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*. (*Psal.* x, 6.) Ego autem dico: odit et

Digitized by Google

carnem. Annon odit, cui gehennæ cumulos mercatur in dies, et cui *secundum duritiam suam et cor impœnitens thesaurizat iram in die iræ?* (*Rom.* II, 5.) Cæterum hoc odium carnis quam animæ, non in affectu, se ffectu potius invenitur. Sic nimirum et phreneticus carnem suam, cum sibi ipsi manus inferre laborat, rationis deliberatione sopita. An vero gravior ulla phrenesis judicatur, quam impœnitentia cordis, et peccandi obstinata voluntas? Siquidem manus nefarias injicit sibi ipsi, nec carnem, sed mentem lacerat et corrodit.

Vid. verb. DESPERATIO.

IMPRECATIO

Vid. verb. JURAMENTUM.

IMPUDICITIA

Vid. verb. LUXURIA.

INCANTATIONES DIVINATIO, SORTES, SORTILEGIUM; MAGIA.

[Ex SS. Patribus.]

Constit. Apost., lib. VII, c. 7. t. I. — Ne sis augur, quia id ducit ad idololatriam : *Augurium* enim, inquit Samuel, *peccatum est* (*I Reg.* XV, 23), et, *Non erit auguratio in Jacobeis, neque divinatio in Israelitis.* (*Num.* XXIII, 23.) Non eris incantator, aut filium tuum lustrans. Non ominaberis, neque auguraberis ; neque auspicaberis ; neque disces pravas disciplinas : hæc enim omnia etiam lex prohibuit. Ne sis cupitor malorum ; deduceris enim in peccatorum nimietatem.

TERTULL., *De anima.* — Quid ergo dicemus magiam ? quod omnes pene, fallaciam.

Idem. *De idololatria.* — Cum ad hæc artificiorum genera cohortemur, quæ idolum quidem, et quæ idolo competunt, non attingant, sint autem et hominibus communia sæpe quæ et idolis, hoc quoque cavere debemus, ne quid, scientibus nobis, ab aliquibus de manibus nostris in rem idolorum postuletur. Quod si concesserimus, et non remediis jam usitatis egerimus, non puto nos a contagio idololatriæ vacare, quorum manus non ignorantium in officio vel in honore et usu dæmoniorum deprehenduntur. Animadvertimus inter artes, etiam professiones quasdam obnoxias idololatriæ. De astrologis ne loquendum quidem est.

ORIGEN., hom., 13 et 14. *in Num.*, t. II. — Magicam esse artem designat etiam Scriptura, sed uti ea prohibet. Nam et dæmones Scriptura esse designat, sed coli eos et exorari vetat. Recte ergo etiam magica uti prohibet, quia magorum ministri angeli sunt refugæ, et spiritus maligni, et dæmonia immunda. Nullus enim sanctorum spirituum obtemperat mago. Non potest invocare magus Michaelem, non potest invocare Raphaelem, neque Gabrielem : multo magis magus invocare non potest omnipotentem Deum, nec Filium ejus Dominum nostrum Jesum Christum. — Sed illud est quod dico : qui jam potestatem accepit invocandi Christum, non potest iterum dæmones invocare ; et qui sancti Spiritus particeps factus est, ad immundos ultra spiritus accedere non debet. Si enim invocaverit immundos spiritus, sanctus ab eo Spiritus refugit. Magi sunt qui invocant Beelzebub. Denique sciebat hoc populus ille, et ideo mentientes contra Dominum meum Jesum, et falsa dicentes, aiebant : *Hic in Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* (*Luc.* VI, 15.) Salvator autem sciens quia verum est quidem quod princeps quidem dæmoniorum Beelzebub sit, in hoc eos non arguit mendacii, sed respondit eis : *Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt?* (*Ibid.* 19.) Unde constat esse quosdam dæmones malos, qui invocati a magis, adsunt eis ad malum, non ad bonum. Parati enim sunt ad malefaciendum, bene autem facere nesciunt.

Idem, ibid. — Ars magica nescit benedicere, quia nec dæmones sciunt benefacere.

S. GREGOR., Naz., orat. 4 tom. I. — Astronomia nonne Babyloniorum inventum est ? Nonne magia Persarum ? Porro divinatio ea quæ in somnis sita est, a quibus aliis quam a Telmessibus orta est ? Augurandi item disciplina a quibus aliis quam a Phrygibus, qui primi avium volatum ac motum curiosius observarunt ? Ac, ne sim longior, unde singula habes ? nonne unum ab unoquoque ? quibus omnibus in unum coactis, unum superstitionis mysterium conflatum et constitutum est.

S. CHRYSOST., *Exposit. in psal.* IX, t. V. — *Exsultabo in salutari tuo.* (*Psal.* IX, 15.) Hoc est mihi corona, hoc diadema, propter te tropæum erigere, propter te salutem adipisci. Ita etiam nos quoque quæramus non omnino servari, non omnino a malis liberari, sed secundum Deum. Hoc autem dico propter eos qui in morbis utuntur incantationibus, et alias exquirunt præstigias ad suam levandam ægritudinem. Hoc enim non est servari, sed perire. Maxima enim salus est, per Deum esse servatum.

Idem, *in I Thess.* III, hom. 3, t. XI. — Furte privavit pecuniis ; tu cur te ipsum privas salute ? Quare dolens propter mala quæ

Digitized by Google

passus es ab aliis, ipse te in plura mala injicis? Ille te fortasse conjecit in paupertatem: tu te autem maxime lædis in præcipuis. Ille te tuis externis privavit facultatibus, et quæ, vel te invito, sunt postea resilituræ : tu autem divitias æternas tibi ipsi adimis. Te diabolus molestia affecit, ablatis pecuniis? Ipsum tu quoque molestia affice gratias agens, ne ei lætitiam afferas; si eas ad divinatores, lætitia afficis. Si Deo agas gratias, lethalem plagam ei infligis. Vide autem quid fiat; neque ipsas invenies, si iveris ad divinatores; non potest enim esse ut illi sciant; quod si etiam casu dixerint, et animam præterea perdis, et a fratribus tuis irrideberis, et eas rursus male perdes. Dæmon enim sciens te non æquo animo ferre damnum, sed pro his etiam Deum tuum negare, rursus dat pecunias, ut habeat occasionem te decipiendi, et efficiendi ut deficias. Quod si etiam dicant divinatores, ne miremini. Dæmon est incorporeus, omnes obit orbis partes. Ipse armat latrones. Non enim hæc fiunt absque dæmone. Si ergo eos armat, et scit ubi sunt repositæ, non ignorat suos ministros : non est autem hoc mirum. Si te viderit damnum ægre ferentem, et alterum afferet. Si te viderit irridentem et despicientem, ab hac via recedet. Sicut enim nos molestia afficimus inimicos; sin autem viderimus eos non dolere, deinceps desistimus, ut qui non possimus mordere; ita etiam diabolus.

S. Hieron. *in Jon.* I, t. III. — *Et dixit vir ad collegam suum : Venite et mittamus sortes, et sciamus quare hoc malum sit nobis : et miserunt sortes, et cecidit sors super Jonam.* (*Jon.* I, 7.) Et LXX : *Et dixit unusquisque ad proximum suum : Venite mittamus sortes, et cognoscamus cujus gratia malitia hæc est super nos : et miserunt sortes et cecidit sors super Jonam.* Noverant naturam maris; et tanto tempore navigantes, sciebant tempestatem ventorumque rationes : et utique si solitos, et quos aliquando experti fuerant, fluctus vidissent consurgere, nunquam sorte auctorem naufragii quærerent, et per rem incertam certum cuperent evitare discrimen. Nec statim debemus sub hoc exemplo sortibus credere : vel illud de Actibus apostolorum huic testimonio copulare, ubi sorte in apostolatum Matthias eligitur; cum privilegia singulorum possint legem facere communem. Sicut enim in condemnationem Balaam asina loquitur; et Pharao et Nabuchodonosor in judicium sui somniis futura cognoscunt; et tamen Deum non intelligunt revelantem; Caiphas quoque prophetat ignorans, quod expediret unum perire pro cunctis : ita et hic fugitivus sorte deprehenditur, non viribus sortium, et maxime sortibus ethnicorum, sed voluntate ejus qui sortes regebat incertas.

S. August., *in Epist. ad Simplic.* — Non est absurdum credere aliqua dispensatione permissum fuisse, ut non dominante arte magica, sed dispensatione occulta quæ Pythonissam et Samuelem latebat, se ostenderet spiritus justi aspectibus regis, divina sententia percussus; vel non vere spiritus Samuelis a requie sua excitatus est, sed aliquod phantasma, et illusio imaginaria, diaboli machinationibus facta, quam Scriptura Samuelem appellat, sicut solent imagines rerum suarum nominibus appellari.

Idem, quæst. ult., *Admoneant.* — Admoneant fideles sacerdotes populos suos, ut noverint magicas artes incantationesque, quibuslibet infirmitatibus hominum, nihil remedii posse conferre, non animalibus languentibus, claudicantibusve, vel etiam moribundis quidquam mederi; sed hæc sunt laqueus et insidiæ antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur, et si quis hoc exercuerit, clericus degradetur, laicus anathematizetur.

B. Theod., *Quæst. in Exod.*, t. I. — Reperiuntur etiam nunc impii quidam qui dicere audent divinum Mosem admiranda illa fecisse arte magica. Quare Deus concessit incantatoribus, ut quædam facerent quæ Moses faciebat? ut patefieret discrimen. Etenim mutarunt illi etiam virgas in serpentes, sed virga Mosis illorum virgas devoravit. Mutarunt etiam aquam in sanguinem, sed aquam in pristinam naturam reducere non potuerunt. Ranas quoque produxerunt, non tamen ab illis potuerunt liberare domos Ægyptiorum. Concessit itaque incantatoribus, ut hæc facere possent, ut Ægyptios castigarent; non tamen ut ultionem sedarent. Nam quoniam dum a Deo puniretur Ægyptiorum rex, non fuit contentus plagis a Deo illatis, sed præcepit incantatoribus ultionem augere : etiam per eos Deus illum affligebat. Quasi diceret : Quia plecti te delectat, et servorum meorum opera te castigabo, et per tuos te plectam. Cum autem illum vehementius indurari videret, hariolorum illorum facultatem cohibuit; ut qui majora animalia, nempe ranas, antea produxerant, sciniphem minutulum educere non possent, sed plagam illam esse digitum Dei confiterentur. Verum illorum corpora pustulis etiam afflixit ut discerent ipsi, et fatuus eorum rex, quod non tantum plagas a Deo immissas auferre non possent, sed etiam ipsi cum reliquis plecterentur. Impudentissimum igitur est dicere Mosem magice miranda illa perpetrasse, cum clamarent magi signa virtutis esse divinæ. Si enim erat imaginarium quod per Mosem gerebatur, illos quoque similiter effingere oportebat, et artificii vitium convincere. Nunc vero diserte confitentur hoc esse digitum Dei.

S. Greg. Mag., epist. 65, *ad Adrianum notar.*, t. II. — Pervenit ad nos quod quosdam incantatores atque sortilegos fueris insecutus. Et omnino nobis sollicitudinem zelumque tuum gratum fuisse cognoscas : sed moleste tulimus quod te dubitare ne ab eis nobis contra experientiam tuam subripi potuisset didicimus, cum certus esse ac scire debueris, hoc tibi apud nos ad commendationem magis proficere, non ad

Digitized by Google

culpam ascribi. Et ideo studii tui sit sollicite quærere, et quoscunque hujusmodi inimicos Christi inveneris, ita districta ultione corrigere, ut et nos de experientia tua melius debeamus habere judicium, et Deo nostro te, quod maxime studendum est, valeas commendare.

S. Greg., epist. 65, *ad Januarium Caralitanum episc*, tom. II. — Contra idolorum cultores vel aruspices atque sortilegos, fraternitatem vestram vehementius pastorali hortamur invigilare custodia, atque publice in populo contra hujus rei viros sermonem facere, eosque a tanti labe sacrilegii, et divini intentatione judicii, et præsentis vitæ periculo, adhortatione suasoria revocare. Quos tamen si emendare se a talibus atque corrigere nolle repereris, ferventi comorehendere zelo te volumus: et si quidem servi sunt, verberibus cruciatibusque, quibus ad emendationem pervenire valeant, castigare. Si vero sunt liberi, inclusione digna districtaque sunt in pœnitentiam dirigendi; ut qui salubria et a mortis periculo revocantia audire verba contemnunt, cruciatus saltem eos corporis ad desideratam mentis valeat reducere sanitatem.

Idem, quæst. 5. *Si quis.* — Si quis ariolos, aruspices vel incantatores observaverit, aut phylacteriis usus fuerit, anathema sit.

Isidor., *De etymologiis.* — Sortilegium est quoddam genus culturæ idolorum ex dæmonum consultationibus, futura prædicendo.

INCARNATIO

Vid. verb. Christi incarnatio.

INCREDULITAS

Vid. verb. Atheismus.

INDOLES

[Ex SS. Patribus.]

S. Basilius, hom. 3. — Attende tibi ipsi, in examen te ipsum advoca, quis ipse sis, tuam ipsius naturam fac, ut noveris.

Idem, hom. 5, *Hexam.* — Nemo in vitio constitutus homo de seipso desperare velit.

S. Chrysos., *Hom. in Matthæum.* — Sæpe perniciosum est quod agitur et malum esse non creditur.

S. Augustin., sermo 5 *De verb. apost.* — Quidquid est peccatorum in dictis, et in factis, et in cogitationibus ex illa (mala indoles) oritur.

Idem, *Lib. de spiritu et anima.* — Animæ affectus omnium sunt vitiorum et virtutum quasi quædam principia, et communis materia.

Idem, *ibid.* — Cum nulla scientia melior sit illa qua homo cognoscit seipsum, discutiamus cogitationes, locutiones, atque opera nostra.

Idem, hom. 40 et 50. — Non est unde concipiat concupiscentia nisi de te.

Idem. — Sat est nobis non consentire malis, quæ sentimus in nobis.

Idem. — Corrumpit quod in natura bonum est (mala indoles).

Idem, *ibid.* Timore saltem frenetur, si amore non ducitur.

Idem.— Quandiu vivimus finiri non potest; quotidie tamen minui potest, et vinci.

S. Gregor., *in Job* xxxviii. — Non una eadem cunctis exhortatio convenit, quia nec cunctos par animorum qualitas astringit.

S. Bernardus, serm. 36 *in Cantic.* — Volo animam primo omnium scire seipsam, quod id postulat ratio utilitatis et ordinis.

S. Cyrillus, *in Joan.* l. vi, cap. 16. — Dæmon illuc nos maxime impellit, quo nos inclinari perspicit, infirmitatem nostram ad arma nequitiæ suæ convertit, et ingenti nostri morbo adversus nos utitur.

Thomas a Kempis. — Passione interdum movemur et zelum putamus.

INDULGENTIÆ

[Ex SS. Patribus.]

S. Cyp., l. iii, epist. 14. — Qui libellum supplicantium a martyribus acceperunt, adjuvari ad Dominum in dilectis suis possunt.

Idem, serm. *de lapsis.* — Potest in acceptum referri quidquid pro talibus (pœnitentibus) petierint martyres, et fecerint sacerdotes.

Idem. — Deus indignas pœnitentiæ satisfactiones despicit.

S. Ambros., *Comment. in I ad Tim.* — Quid tam gratum, tamque jucundum, quam peccatoribus prædicare indulgentiam?

Digitized by Google

S. Ambrosius. — Facilior venia incentivum præbet delinquendi.

Tertull., *Apolog.*, c. 29. — Coimus in cœtum et congregationem, ut ad Deum, quasi manu facta, precationibus, misericordiam ambiamus orantes : hæc Deo grata vis est.

S. August., *in psal.* LVIII — Omnis iniquitas parva magnave sit, puniatur necesse est, aut ab homine pœnitente, aut a Deo vindicante.

Idem, tract. 124 *in Joan.* — Temporaliter hominem detinet pœna, quem jam ad damnationem æternam non detinet culpa.

Idem, *in psal.* LXX. — Confitenti ignoscis (Deus) sed seipsum punienti; ita servatur misericordia et veritas : misericordia, quia homo liberatur, veritas quia peccatum punitur.

S. Clemens VIII, bulla *Jubilæi.* — Hunc annum vere sanctum, primus in mundo annuntiavit ipse vitæ et salutis nostræ auctor Jesus Christus Filius Dei.

Vid. etiam verb. Purgatorium.

[Ex Conciliis.]

Concil. Trident., sess. 21, *decret. de indulgentiis.* — Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta synodus indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem et sacrorum conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet et præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.

Clemens XI, in Extra. de pœnitentiis et remissionibus. — Quem quidem thesaurum, Christus per B. Petrum ejusque successores, commisit fidelibus salubriter dispensandum.

Decreta Martini V, et concilii Constantiensis. Articuli 45 *Joannis Wikleff damnati a concilio Constantiensi et Martino V per bullam* Inter cunctas, etc.— Fatuum est credere indulgentiis papæ et episcoporum.

Articuli 39, *de quibus errorum Wikleff et Huspecti, ex mandato papæ Martini V in bulla* Inter cunctas, *interrogandi sunt.* — Item, utrum credat, quod papa omnibus Christianis vere contritis et confessis ex causa pia et justa possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum, maxime pia loca visitantibus et ipsis manus suas porrigentibus adjutrices.

Ibid. — Item, utrum credat, quod singuli episcopi suis subditis secundum limitationem sacrorum canonum, hujusmodi indulgentias concedere possint.

Magistri Petri Oxoniensis propositiones 9 *a Sixto IV damnatæ a.* 1479. — Papa non potest indulgere alicui viro pœnam purgatorii,

Errores 41 *Martini Lutheri damnati a Leone V per bullam* Exsurge Domine, 16 *Maii* 1520. — Indulgentiæ sunt piæ fraudes fidelium, et remissiones bonorum operum; et sunt de numero eorum, quæ expediunt. — Seducuntur credentes indulgentias esse salutares et ad fructus spiritus utiles. Sex generibus hominum indulgentiæ nec sunt necessariæ, nec utiles : videlicet mortuis seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt sed non publica, his qui meliora operantur.

Ibid. — In sacramento pœnitentiæ ac remissione culpæ non plus facit Papa aut episcopus, quam infimus sacerdos : imo, ubi non est sacerdos, æque tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier aut puer esset.

Ibid. — Indulgentiæ necessariæ sunt solum publicis criminibus et proprie conceduntur duris solummodo et impatientibus.

Ibid. — Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam.

Ibid. — Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et sanctorum.

Professio fidei Tridentinæ a Pio IV per constitutionem Injunctum nobis, 18 *Nov.* 1564, *ex decret. Tridentino, sess.* 24, *cap.* 12, *de ref. et sess.* 25, *cap.* 2, *de ref.* præscripta. — Constanter teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Professio fidei Græcis præscripta a Gregorio XIII per constitutionem 51 Sanctissimus Dominus noster. — Insuper profiteor ac recipio alia omnia, quæ ex decretis sacræ œcumenicæ generalis synodi Tridentinæ, sacrosancta Romana et apostolica Ecclesia, etiam ultra contenta in supradictis fidei symbolis, profitenda ac recipienda proposuit atque præscripsit, ut sequitur : Apostolicas (et cætera omnia ut in fidei professione Tridentina.)

Propositiones 85 *synodi Pistoriensis damnatæ a Pio VI.* — In eo demum, quod impudentissime, invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata, etc.; temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in summos pontifices atque in praxim totæ Ecclesiæ frequentatam contumeliosa.

Ibid. — Propositio asserens indulgentiam secundum suam præcisam notionem aliud non esse, quam remissionem partis ejus pœnitentiæ, quæ per canones statuta erat peccanti; quasi indulgentia, præter nudam remissionem pœnæ canonicæ, non etiam valeat ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam, falsa, temeraria, Christi

Digitized by Google

meritis injuriosa, dudum in art. 19, Lutheri damnata.

Ibid. — Item in eo quod subditur, scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et sanctorum, et claræ notioni absolutionis a pœna canonica, substituisse confusam et falsam applicationis meritorum; quasi thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et sanctorum; falsa, temeraria, Christi et sanctorum meritis injuriosa, dudum in art. 17 Lutheri damnata.

Ibid. — Item, in eo quod super addidit, luctuosius adhuc esse quod chimerica isthæc applicatio transferri volita sit in defunctos; falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices et in praxim et sensum universalis Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 22 Lutheri.

Propositiones 79 *Michaelis Baii damnatæ sunt a S. Pii V bulla*: Ex omnibus afflictionibus, *etc.*, 1 *Octob.* 1567, *etc.* — Per passiones sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a pœnis pro peccatis debitis liberemur.

Propositiones 68 *Michaelis de Molinos damnatæ ab Innocentio XI, constitutione* Cœlestis Pastor, *etc.*, 20 *Nov.* 1687. — Non convenit indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita; quia melius est divinæ justitiæ satisfacere, quam divinam misericordiam quærere; quoniam illud ex puro Dei amore procedit, et istud ab amore nostri interessato: nec est Deo grata nec meritoria, quia est velle crucem fugere.

INFAMIA

Vid. verb. Injuria.

INFERNUS

[Ex SS. Patribus]

S. Justin., apolog. 2. — Ne quis forte idem dicat, quod ii qui existimantur philosophi, strepitus inanes esse ac terricula, quæ de improborum in igne æterno cruciatibus dicimus, ac nostram eo spectare sententiam, ut virtutem homines metu conducti colant, non propter ipsius pulchritudinem, nec quia illis placet; paucis respondebo, nisi ita se res habeat, vel Deum non esse, vel si sit, nullam hominum curam gerere, nec quidquam esse virtutem et vitium, ac inique a legum latoribus puniri, qui præclara instituta transgrediuntur. Sed quia iniqui non sunt, eorumque pareus eadem quæ ipse facit, facere per Verbum præcipit; iniqui sunt qui eis non obsequuntur. Si quis autem varias hominum leges objiciat, et apud alios quidem præclara quædam et quædam turpia censeri dicat; sed quæ apud istos turpia, apud alios præclara, et quæ præclara turpia existimari; is audiat quid ea quoque de re dicamus. Cum leges ab improbis angelis accommodate ad eorum nequitiam institutas sciamus, quibus similes eorum homines delectantur: tum vero recta ratio adveniens, non omnes opiniones, nec decreta omnia præclara esse demonstrat, sed quædam mala, quædam bona. Quare ejusmodi hominibus eadem dicam et similia, et uberius, si opus erit, disseram.

Origen., *De princip.*, l. II, t. I. — Invenimus in Isaia propheta designari uniuscujusque proprium esse ignem quo punitur; ait enim: *Ambulate in lumine ignis vestri, et in flamma quam accendistis* (*Isa.* L, II.) Per quos sermones hoc videtur indicari, quod unusquisque peccatorum flammam sibi ipse proprii ignis accendat, et non in aliquem ignem qui antea jam fuerit accensus ab alio, vel ante ipsum substiterit, demergatur. Cujus ignis materia atque esca nostra sunt peccata, quæ ab apostolo Paulo *ligna* et *fenum* et *stipula* nominantur. (*I Cor* III, 12.) Et arbitror quod sicut in corpore escæ abundantia et qualitas et quantitas cibi contraria febres generant, et febres diversi modi vel temporis secundum eam mensuram qua intemperies collecta materiam suggesserit ad fomitem febrium: quæ materiæ qualitas ex diversa intemperie congregata, causa vel acerbioris morbi, vel prolixioris existit. Ita anima cum multitudinem malorum operum, et abundantiam in se congregaverit peccatorum, competenti tempore omnis illa malorum congregatio effervescit ad supplicium, atque inflammatur ad pœnas; cum mens ipsa, vel conscientia per divinam virtutem omnia in memoriam recipiens quorum in semetipsa signa quædam et formas, cum peccaret, expresserat, et singulorum quæ vel fœde ac turpiter gesserat, vel etiam impie commiserat, historiam quamdam scelerum suorum ante oculos suos videbit expositam: tunc et ipsa conscientia propriis stimulis agitatur, atque compungitur, et sui ipsa efficitur accusatrix et testis. Quod ita sensisse puto etiam Paulum apostolum, cum dicit: *Inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die qua judicabit Deus occulta hominum, secundum Evangelium meum per Jesum Christum.* (*Rom.* II, 15, 16.) Ex quo intelligitur quod circa ipsam animæ substantiam tormenta quædam ex ipsis peccatorum noxiis affectibus generantur.

Deum vel sero quærite, quia jam pridem per prophetam Deus præmonens hortatur

Digitized by Google

et dicit: *Quærite Deum, et vivet anima vestra.* (*Amos* III.) Deum vel sero cognoscite, quia Christus adveniens hoc admonet et docet dicens: *Hæc est autem vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* (*Isa.* LVI, 24.) Credite illi qui omnino non fallit, credite illi qui hæc omnia futura prædixit. Credite illi qui credentibus præmium vitæ æternæ dabit. Credite illi qui incredulis æterna supplicia gehennæ ardoribus irrogabit. Quæ tunc erit fidei gloria, quæ pœna perfidiæ, cum judicii dies venerit; quæ lætitia credentium, quæ mœstitia perfidorum, noluisse isthic prius credere, et ut credant jam redire non posse? Cremabit addictos ardens semper gehenna, et vivacibus flammis vorax pœna; nec erit unde habere tormenta vel requiem possint aliquando per fidem. Servabuntur cum corporibus suis animæ infinitis cruciatibus ad dolorem.

D. CYP., *Lib. de idolor. vanit.* — Spectabitur illic a nobis semper qui hic nos spectavit ad tempus, et in persecutionibus factis oculorum crudelium brevis fructus perpetua visione pensabitur, secundum Scripturæ sanctæ fidem dicentis: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur; et erunt ad visionem universæ carni.* (*Marc.* IX.) Et iterum: *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt et qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes inter se, pœnitentiam agentes et præ angustia spiritus gementes. Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum et in similitudinem improperii. Nos insensati viam illorum æstimabamus insaniam et finem illorum sine honore. Quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est? Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol non ortus est nobis. Lassati sumus in iniquitatis vias et perditionis, ambulavimus solitudines difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia, aut quid divitiarum jactatio contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra.* (*Sap.* V.) Erit tunc sine fructu pœnitentiæ dolor pœnæ, inanis ploratio, et inefficax deprecatio. In æternam pœnam sero credent qui in vitam æternam credere noluerunt. Securitati igitur et vitæ, dum licet, providete. Offerimus vobis animi et consilii nostri salutare munus. Et quia odisse non licet nobis, et sic Deo plus placemus dum nullam pro injuria vicem reddimus, hortamur dum facultas adest, dum adhuc aliquid de sæculo superest, Deo satisfacere, et ad veræ religionis candidam lucem de profundo tenebrosæ superstitionis emergere.

Idem, *ibid.* Sæviens locus cui gehenna nomen est, magno plangentium murmure, et gemitu, et eructantibus flammis perhorrendam spissæ caliginis noctem, sæva semper incendia camini fumantis exspirat. Globus ignium arctatus obstruitur, et in varios pœnæ exitus relaxatur. Tunc sæviendi plurima genera, tunc in se, ipse convolvit quidquid ardoris emissi edax flamma cruciarit, hos quibus recusata vox Domini et imperia fuere contempta, disparibus coercet exitiis; proque merito salutis exacte vires suas suggerit, dum pars sceleris discrimen imponit. Et alios quidem moles intolerabilis curvat, alios per abruptum clivosi tramitis collem vis sæva præcipitat, et catenarum stridentium nexum grave pondus inclinat. Sunt et quos agens strictim rota et indefessa vertigo, et quos tenaci inter se densitate constrictos adhærens corpori corpus includat, ut et absumat incendium, et gravet ferrum, et excruciet turba multorum.

TERTULL. *Lib. de pœnitentia.* — Pœnæ prius magnitudinem imaginare ut de remedii adoptione non dubites.

S. ATHAN., *Exposit. in Psal.*, t. I. — *Intelligite hæc qui obliviscimini Deum.* (*Psal.* XLIX, 22.) Intelligite me non ideo tandiu tolerare quod de facinoribus vestris gaudeam, sed ut dem pœnitentiæ locum. Alioquin abripit nos iniquus sive iniquitas, nemine liberante. Eripio enim eos qui intelligunt et a malis desistunt, atque dicunt: *Injuste egimus, iniquitatem fecimus, impie egimus.* (*II Paral.* VI, 27.) Nam qui adhuc in malis versatur, confiteri non potest, *Nequando rapiat et non sit qui eripiat.* Nequando, inquit, auferat mors animam, pœnitentiam agite: Nemo enim est qui eripiat eos qui propter peccata in inferno conclusi sunt. Abripitur enim anima, utpote omnino a Deo lapsa.

S. HILAR., *Tract. in psal.* LIV. — *Veniat mors super eos, et descendant in infernum viventes, quoniam nequitia in hospitiis eorum, in medio eorum.* (*Psal.* LIV, 16.) Ita super eos morte ventura, ut ad pœnæ sensum viventes descendant in infernum, cum *in hospitiis eorum* et *in medio eorum*, id est totos ipsos intra extraque nequitiæ opera circumdent.

S. GREG. NYS., orat. V *De beatitudinibus.* —Quis existinguet flammam, quis avertet vermem nunquam morientem.

S. EPHRÆM., *Vita S. Juliani.* — Non conceditur illuc (in infernum) abeuntibus ut a tormentis liberentur. Non permittitur illic ob peccata conclusis ut ex vinculis illis indissolubilibus dimittantur. Ibi enim ignis est inexstinguibilis, et vermis nunquam moriens. —Non habent finem dolores, ac mala istorum intoleranda. Non est post mortem ibi ulla liberatio, neque consilii alicujus excogitatio, neque remedium, vel artificium evadendi acerbissima ea tormentorum genera.

Idem, parænes. 47. — Descende in te ipsum, frater charissime, et ne contemnas justum atque infallibilem judicem, neque inexstinguibilem unquam flammam. Quod si parvipendas, vel hinc experire an ignis asperitatem et tormentum sustinere possis: lucernam accende, et extremitatem saltem digiti impone; et si ferre queas dolores, fortasse poteris teipsum etiam ibi juvare. Sin autem totum corpus extra ignem sit, et exigui hujus membri dolores perferre nequeas: quid, obsecro, faciemus, quando totum corpus cum anima in gehennam ignis projicietur?

Digitized by Google

S. Ephræm *in Matth.* xxiv, 40 : *Duo erunt in agro.* — Ne suspiceris ex lignis inexstinguibilem illum supplicii ignem fore; succensoresve illius, lictores aliquos, ut plerique imperiti vulgo arbitrantur. Ad Sodomam respice, et caminum absque lignis cerne. Cogita quomodo uxor Lot versa sit in statuam salis; et comminationes ignis admirare, — quandoquidem neque Lot, cum suis filiabus, ignis conflagrationem sensit, neque ignis minas uxor effugit.

S. Basil., *Comment in Isa.* v, t. I. — *Et dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum, ut non cesset.* (*Isa.* v, 14.) Nobis ut poneret ob oculos ingentem pereuntium multitudinem, infernum affirmavit os suum dilatare. Quemadmodum fieri solet in animalibus, quæ præ ingenti fame et inedia escam avide rapiunt, atque escæ inhiantia os dilatant : ita, inquit, et infernus os suum reddere dictus est amplius atque capacius. Fortasse autem nobis hic sermo indicat communem quemdam locum qui sit in intimis terræ visceribus collocatus, sitque obscurus ab omni parte et tenebrosus, sedem esse inferni; docetque forte, foramen quoddam ad terræ concava pertingere, per quod animabus ad gravissimam pœnam damnatis patet descensus. Quod foramen, ut valeat suscipere universos, ob eorum qui intereunt multitudinem, amplius ait esse factum ac latius. Neque enim animal quoddam est infernus, neque potestas quædam mortuis præfecta, juxta fabulosum ethnicorum commentum. Hi igitur propterea quod non cognoverint Dominum, in captivitatem redacti, et fame ac siti spiritualis alimenti marcescentes, cum inclytis, et magnis, et divitibus, et pestilentibus descendunt in infernum.

Sunt autem tria quæ peccatoribus intentantur, captivitas, mors, descensus in infernum. Captivitas quidem, ipse est a pristina vita lapsus, per dolum fraudemque inimici, qui nos de paradisi beatitudine deturbavit : mors vero abalienatio est a præcepto vitam largiente : descensus denique ad infernum, est a Deo separatio, quæ ob plurimam peccatorum congeriem et affectionem summo bono adversantem contingit. Nam ut justus una cum Christo jam consurrexit, atque una cum ipso sedit in cœlestibus; ita injustus jam captivus et mortuus esse, atque in infernum descendisse dicitur ob lethalia peccata. Porro varios ordines eorum qui ad inferos descendunt recensuit Scriptura. Primum enumerat inclytos; hi autem sunt, qui quadam existimatione sibi comparata, vitæ testimonium exteriori habitudini conveniens neutiquam habent : deinde numerantur magni qui, in potestate quadam et in principatu constituti, vulgo præstant : tum divites qui ingentem divitiarum copiam injuste acquisierunt, aut qui inexplebili opum majorum desiderio tenentur : postremum ejus pestilentes qui, instar mortiferi cujusdam morbi per vices serpentis, eos qui ad se accedunt corrumpentes aut ob pravam doctrinam, aut ob quemdam fomitem, et incitabulum peccati, jure ac merito nominantur pestilentes. Hi sunt qui descendunt in infernum.

Idem, *Regul. brev. tractatæ*, t. II. — Q. Si *alius multis vapulabit, alius* vero *paucis* (*Luc.* xii, 47), quomodo dicunt quidam nullum esse pœnarum finem?

R. Quæ ambigue et obscure videntur dicta fuisse in quibusdam divinæ Scripturæ locis, ea ex confessis ac manifestis aliorum locorum sententiis explanantur. Cum igitur Dominus pronuntiet aliquando hos in supplicium æternum ituros, aliquando vero mittat quosdam in ignem æternum paratum diabolo et angelis ejus; et alibi gehennæ ignis mentione facta, subjiciat illud : *Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur* (*Marc.* ix 45); olimque etiam de quibusdam prædixerit per prophetam (*Isa.* lxvi, 24), vermem eorum non moriturum, neque ignem eorum exstinctum iri : hæc igitur et horum similia cum in multis divinæ Scripturæ locis habeantur, hoc quoque unum est ex artificiis diaboli, ut plerique homines velut obliti tot et talium Domini verborum ac sententiarum, quo majore cum audacia peccent, supplicii sibi finem præscribant. Etenim si æterni supplicii futurus est aliquando finis, finem utique habitura est etiam vita æterna. Quod si non possumus illud de vita æterna intelligere, qua ratione supplicio æterno ascribitur finis? Nam æqualiter pro utroque habetur *æterni* adjectio. *Ibunt* enim, inquit, *hi in supplicium æternum : justi autem in vitam æternam.* (*Matth.* xxv, 46.)

Idem, *Regul. brev. tractatæ*, t. III, — Itaque cum hæc ita sint in confesso, sciendum est, neque illud, *vapulabit multis*, neque illud *vapulabit paucis*, significare finem, sed diversitatem supplicii. Si enim Deus justus judex est, non nobis solum, sed malis etiam, reddens unicuique juxta opera sua, potest alius esse dignus igne inexstinguibili qui aut mollius aut acrius adurat : alius verme nunquam morituro, qui etiam aut mitius aut acerbius excruciet pro cujusque merito : alius gehenna, quæ varia ac penitus diversa supplicia habeat : alius exterioribus tenebris, ubi hic quidem in fletu solum, ille vero in dentium etiam stridore ob dolorum vehementiam existat. Quin et exteriores illæ tenebræ alias etiam prorsus esse interiores indicant. Et illud quod dictum est in proverbiis : *In profundum inferni*, (*Prov.* ix, 18.) declarat quosdam esse in inferno quidem, sed non in profundo inferni, qui leviorem pœnam perferant. Nunc autem hoc etiam in corporis morbis ostendere licet. Nam febricitanti alteri accedunt symptomata, et aliæ quædam molestæ affectiones : alter vero febricitat tantummodo, et hic non simili modo quo alter. Et alius non febri quidem, sed quodam membri alicujus dolore discruciatur : et hic rursus alio plus aut minus. Hæ autem voces *multis* et *paucis*, prolatæ sunt quoque a Domino ex consueto usu, velut etiam alia quædam ejusmodi. Neque enim ignoramus hujusmodi loquendi genus sæpe de iis etiam qui uno aliquo morbo afflictan-

Digitized by Google

tur, usurpari : veluti cum de aliquo homine duntaxat febricitante, aut ab oculis dolente mirabundi dicimus : hic quot et quanta sustinuit mala, aut quot et quantos pertulit cruciatus ! Quamobrem illud, *multis* et *paucis vapulare*, iterum dico, nequaquam porrigi, aut compleri ac finiri tempus, sed supplicium diversum esse significat.

Idem, epist. 46, t. III. — *Judiciique locum constituit, et libri aperti sunt* (*Dan.* VII, 10), bona, mala, manifesta, occulta, actiones, verba, cogitationes, omnia acervatim, ut ab omnibus et angelis et hominibus exaudiri possint, clare et aperte revelantes. Ad hæc quomodo affectos necesse est esse eos qui male vixerint ? Ubi itaque anima illa abscondetur, quæ in oculis tot spectatorum subito visa fuerit dedecoris plena ? Quali vero corpore infinita illa et intolerabilia perferet supplicia ? Ubi ignis inexstinctus, et vermis indesinenter puniens, et imum inferi tenebricosum et horrendum, et ululatus amari, et ejulatus ingens, et ploratus, et stridor dentium, et ubi mala finem non habent. Ab his post mortem liberari non datur, neque est industria ulla, neque ars effugiendi amara supplicia.

S. Gregor., Naz., orat. 40, t. I.—Est ignis scelerum vindex ; sive Sodomiticus ille, quem *sulphure* et | rocella permistum, Deus in peccatores omnes fundit ; sive ille, qui *diabolo ejusque angelis paratus est* (*Matth.* XXV, 14), sive etiam ille, *qui ante faciem Domini procedit, et in circuitu inimicos ejus inflammat* (*Psal.* XCVI, 3,) sive denique ille omnibus his formidabilior, qui cum *insomni illo verme* (*Marc.* IX, 43) conjunctus est, nec unquam exstinguitur, verum in sceleratorum hominum pœnam perennis est et sempiternus.

S. Chrysost, *Ad Theodorum lapsum*, II, t. I. — Rogo et obsecro, omni depulsa satanica cogitatione ab anima tua, ad salutem redeas. Si namque confestim ad illud te fastigium conscendere juberem, id jure moleste ferres, utpote rem difficillimam ; cum autem id tantum nunc postulem, ut præsentibus malis nihil adjicias, sed surgens ad iter contrarium te convertas, quid cunctaris ? Cum refugis et ad posteriora te retrahis ? Annon vidisti quosdam qui in deliciis et in ebrietatibus, et in reliquo hujus vitæ ludibrio mortui sunt ? Ubi nunc sunt qui tumidi superbia cum multis sequacibus per forum incedebant ? Qui sericis induti vestibus et unguentum olentes, parasitosque alentes, scenæ semper affixi erant ? Ubi nunc ostensio illa et pompa ? Abiit cœnarum sumptus, musicorum turba, assentantium clientela, risus immodicus, animi remissio, vita mollis, otiosa, luxu deperdita. Quo nunc evolarunt omnia ? Quid factum est de corpore quod pridem tanto famulitio, tanta munditia abundabat ?

Perge nunc ad sepulcrum, contemplare pulverem, cineres, vermes, loci deformitatem intuere, et amare suspira. Atque utinam ad cineres damnum sisteret ! Jam autem a sepulcro et a vermibus, cogitatum transfer ad immortalem illum vermem, ad ignem inexstinguibilem, ad fremitum dentium, ad tenebras exteriores, ad afflictionem et angustiam, ad parabolam Lazari et divitis, qui tot pecuniis instructus, purpuraque indutus, ne stillam quidem aquæ postea in potestate habuit, in tanta calamitate constitutus. Hujus enim vitæ conditio somniis nihilo melior est. Quemadmodum enim qui metalla effodiunt, aut aliam quamdam pœnam luunt hac graviorem, si quando sub duris illis laboribus et acerbissima vita dormitantes per somnium se viderint in deliciis et rerum affluentia ; experrecti postea, nullam somniis gratiam habent ; sic et dives ille, cum in præsenti vita, quasi in somnio, divitiis abundasset, posteaquam hinc emigraverat, duro supplicio plectebatur.

Hæc cogita, et ignem illum conferens cum eo quo nunc detineris, cupiditatum incendio, tandem a fornace illa te expedi. Nam qui hanc hic probe restinxit, nec illam aliam experietur : si quis vero hanc non superaverit, vehementius hinc profectus in illa tunc cruciabitur. Quanto tempore vis tibi præsentis vitæ usuram extendi ? Equidem non puto tibi plus quinquaginta annis vitæ superesse, ut ad extremam senectutem venias ; imo ne hoc quidem certum nobis est : nam qui ne usque ad vesperam de vita securi sumus, quomodo tot fore vitæ annos affirmare possumus ? Neque id tantum latet ; sed etiam futura rerum mutatio. Persæpe enim licet vita in longum tempus producatur, non pari gradu procedunt voluptates : sed statim atque adfuerunt, dilabuntur. Verum per me licet, pone si vis te tot annos victurum esse, nec ullam fore in rebus tuis mutationem : quid hoc est ad infinita sæcula, quid hoc ad acerbos illos et intolerabiles cruciatus ? Hic enim tam bona, quam mala finem habent, et quidem celerrimum ; ille vero utraque immortalibus sæculis æquantur, nec dici potest quantum differant a præsentibus.

Etenim cum ignem audis, cave putes esse huic igni similem : hic enim quidquid corripit, devorat et absumit ; ille vero quos semel apprehendit, perpetuo comburit, nec unquam desistit ; ideoque inexstinguibilis dicitur. Si quidem etiam peccatores oportet induere immortalitatem, non ad honorem, sed ut perpetuum sit illius supplicii viaticum. Id vero quam sit horrendum, nullo unquam potest sermone declarari ; sed a minimarum rerum experimento, tenuem magnarum possumus conjecturam capere. Si quando fueris in balneo nimium effervescente, tunc de gehenna ignis cogita ; et si quando acriori febre arseris, ad flammam illam mentem traducito ; et tunc poteris probe distinguere. Nam si balneum et febris nos adeo cruciant et conturbant, cum in fluvium ignis illum inciderimus, fluentem ante horrendum illud tribunal, quo animo futuri sumus ? sine dentibus stridebimus, oppressi laboribus et intolerandis cruciatibus, et nemo suppetias feret ; sed ingemiscemus graviter, flamma nobis vehementius

Digitized by Google

instante. Neminem videbimus præter cruciatuum consortes et immanem solitudinem.

Quis enarraverit terrores a tenebris illis injectos animis nostris? Quemadmodum enim ignis ille non consumit, ita neque lucet, alioquin non essent tenebræ. Perturbationem itaque nobis immissam, tremorem, resolutionem, stuporem, solum tempus declarare potest. Multa quippe illic variaque tormenta, cruciatuumque ingens procella undique immittitur in animam. Quod si quis dixerit: Quomodo tantam vim cruciatuum ferre possit anima, et infinitis sæculis in supplicio perdurare? Is cogitet ea quæ in hac vita contingunt, quomodo scilicet multi diuturnum gravemque morbum toleraverint. Si autem mortem obierint, id accidit, non quod anima consumpta sit, sed quod corpus defecerit; si non cessisset illud, nunquam anima cruciari desiisset. Quare postquam corpus hoc incorruptibile et indissolubile acceperit, nihil impediet quominus pœna in æternum protrahatur. Hic autem non potest utrumque simul contingere, vehementia nempe supplicii et diuturnitas: sed alterum cum altero pugnat, eo quod corporis natura corruptioni obnoxia earum concursum non ferat: immortalitate autem succedente, solvetur hæc pugna, et magna cum violentia in æternam nos utraque mala tenebunt. Ne itaque, ac si cruciatuum vehementia animam nostram consumi oporteat, eo modo nunc affecti simus: neque enim corpus tunc consumi poterit ut in præsenti; sed cum anima æternum in suppliciis manebit, nec finis ullus erit. Quantas igitur delicias et quantum temperis illis suppliciis vis comparari? Vis-ne centum annos, aut duplo amplius? Quid hoc erit, si comparetur cum sæculis infinitis? Quod enim est somnium unius diei ad totam vitam collatum, idipsum est rerum præsentium usura, futurorum statui comparata. Non aliquis est, qui suave somnium optet, ea conditione ut per totam vitam crucietur? Ecquis ita stultus est, ut ad talem retributionem accedat?

Nihildum dicam contra delicias, nec quanta illic resideat amaritudo nunc aperiam. Neque enim jam tempus est hæc enarrandi, sed cum primum eas effugere potueris. Nunc etenim quia morbo illo detineris, nugari tibi videamur, si voluptatem amaram dicamus: cum autem per Dei gratiam ab ægritudine liberatus fueris, tunc ejus miseriam probe cognosces. Quare iis in aliam opportunitatem transmissis, hoc nunc dicemus. Ponamus delicias esse vere delicias, et voluptatem vere voluptatem, nihilque habere ingratum vel vituperio dignum: quid de supplicio destinato dicemus? Quid vero tunc faciemus, qui in præsenti vita his quasi in umbra et imagine potiti sumus; re autem ipsa illic æternum supplicium luemus: idque cum brevissimo tempore prædictos cruciatus effugere, et reposita bona adipisci licuisset? Hoc est enim opus clementiæ divinæ, quod nobis certamina non in longum tempus protrahantur; sed cum brevi et in ictu oculi, (momentanea enim est præsens vita illi comparata,) decertaverimus, infinitis in sæculis coronemur. Idque tunc damnatorum animas excruciabit, quando cogitabunt, se cum possent per paucos illos dies omnia emendare, negligentia usos, immortalibus sese malis tradidisse. Quod ne patiamur, surgamus donec tempus acceptabile, donec dies salutis adest, donec vis magna est pœnitentiæ. Neque enim prædicta solum mala nos seguiter agentes excipient, imo et alia illis multo graviora. Ea enim quæ in gehenna parantur, iis longe sunt acerbiora. A tantis autem excidisse bonis tantum infert doloris, afflictionis, angustiæ, ut etiamsi nullum aliud esset supplicium peccatoribus destinatum, illud solum posset graviorem aliis gehennæ cruciatibus inferre pœnam animæque perturbationem.

S. Chrysost., hom. 25 *in Matth.* 1. — Quam facile nequitia subruitur! — nec simpliciter ruit, sed *facta est ruina ejus magna.* Neque enim exiguarum rerum periculum est; sed de animæ discrimine, de immortalibus suppliciis sustinendis, de cœlestis regni æternorumque bonorum amissione agitur. Quin etiam ante ista tam grandia, in præsenti quoque sæculo nimis ærumnosæ vitæ; atque omnibus miseriori malitiæ sectator addictus est; cum timoribus assiduis, pavoribus, sollicitudinibus, anxiis laboribus, vitam agendo.

Idem, hom. 77 *in Matth.* — Quod nihil mali male viventes patiuntur, hoc ipsum argumentum est quod post exitum e vita omnino punientur.

Idem, hom. 59 *in Joan.* — Futura supplicia et tremendum judicii diem animo volutans et frequenter agitans, et cupiditatem omnem et sæcularium omnium amorem dubio procul abjicies, et voluptatem, et omni portu tranquilliori animo frueris. Judicium cum tantopere ab hominibus providendum, curandum, formidandum sit, longe magis a Deo intelliges.

Idem, *in psal.* XLIX. — In hac quidem vita mors adveniens solvit calamitates, et amici consolantes, et finis qui exspectatur; sæpe etiam diuturnitas temporis mollit perturbationem animi, æque ac habere ærumnarum socios. In inferis autem nihil est ejusmodi. Neque enim est aliquis qui consoletur, sed est solitudo maxima amicorum. Non longitudo temporis mollit dolorem: quomodo enim cum flamma perpetuo impendeat? non spes liberationis; est enim æternum supplicium. Non mortis exspectatio; sunt enim etiam qui puniuntur corpora immortalia. Nec affert solatium quod videantur alii puniri. Primum enim non possunt videri qui puniuntur, cum tenebræ oculis caliginem effundant. Deinde magnitudo doloris ne sinit quidem admittere sensum hujus consolationis.

Idem, *Lib. de compunctione cordis.* — Ponamus ante oculos quanti doloris est excludi ac projici a regno cœlorum, quod ut mihi

Digitized by Google

vinctur, gravius est ipsa gehenna. Nam etsi ignis ille non arderet, et immortalis illa pœna non esset parata, hoc solum quod alieni efficimur a Christo tam clemente, tam benigno, qui et seipsum pro nobis in mortem tradidit, et omnia passus est, ut ab illo nos supplicio liberaret, suoque reconciliaret Patri peccatis nostris infenso, et excludimur a bonis æternis, nonne omni pœna gravius diceretur, et ad erigendas animas atque ad spem sufficeret incitandas?

S. Chrys., *Epist.*— Cum aliquem stragem, perniciemque commemorantem audieris, ab hujusmodi cogitatione quamprimum te remove, atque ad formidandi illius diei cogitationem curre, et tecum horrendum illud tribunal considera, incorruptum judicem, igneos amnes, qui pro illo tribunali trahuntur, et ardentissima flamma ebulliunt, peractos gladios, atroces pœnas, cruciatum sempiternum, tetram caliginem, exteriores tenebras, pestiferum vermem, vincula quæ nulla vi frangi queant, dentium stridorem, ejulatum consolationis expertem, orbis theatrum, vel potius utriusque naturæ theatrum, hoc est superioris et inferioris. *Virtutes enim cœlorum movebuntur*, ait Christus. (*Luc.* xxi, 26.) Nam etsi nullius sceleris sibi conscius sunt, nec judicium subituræ sunt, tamen universum hominum genus conspicientes, atque infinitas nationes causam dicentes, non sine metu illic adstabunt. Tantus videlicet tunc terror erit! Hæc, inquam, considera, eaque argumenta ex quibus elabendi ratio nulla sit. Neque enim accusatoribus judex ille opus habet, nec testibus, nec argumentis, nec probationibus: verum omnia, ut gesta sunt, in medium profert, atque ante oculos eorum qui deliquerunt. Tum nemo qui e supplicio eripiat, affuturus est, non pater, non filius, non filia, non mater, non alius quispiam cognatus, non vicinus, non amicus, non patronus, non pecuniarum largitio, non opum amplitudo, non auctoritatis atque potentiæ tumor; verum hæc omnia, non secus ac pulvis e pedibus, excussa sunt, ac solus is qui causam dicit ex iis quæ ab ipso gesta sunt, vel absolvitur, vel condemnatur. Tunc nemo ob ea quæ alius perpetravit, in judicium vocatur, sed pro iis quæ ipsemet commisit.

Idem, *in II Thess.* i, hom. 2. — *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* (*Eccl.* vii, 40.) Regni non ita meminerimus ut gehennæ. Metus enim majorem vim habet quam promissio: et scio quod multi bona despecturi essent innumerabilia, si liberati essent a supplicio.

Idem, *ibid.*— Nullus ex iis qui gehennam habent ante oculos, in gehennam incidet. Nullus ex iis qui gehennam despiciunt effugiet gehennam.

S. Hier., *in Isa.*, c. 20 —In consummatione sæculi, præteritarum deliciarum recordatio erit materia cruciatuum.

S. Aug., *De fide ad Petrum.* — In inferno etsi erit stimulus pœnitudinis, nulla tamen ibi erit correctio voluntatis, a quibus ita culpabitur iniquitas sua, ut nullatenus ab eis possit diligi, vel desiderari justitia.

Idem, lib. viii. *de Genesi ad litteram*, tom. III. — Melius dubitare de occultis, quam litigare de incertis. Illum quippe divitem in ardore pœnarum, et illum pauperem in refrigerio gaudiorum esse intelligendos non dubito. Sed quomodo intelligenda sit illa flamma inferni, ille sinus Abrahæ, illa divitis lingua, ille digitus pauperis, illa sitis tormenti, illa stilla refrigerii, vix fortasse a mansuete quærentibus, contentiose autem certantibus nunquam invenitur.

Idem, *ibid.*, lib. xii. — Nec audiendi sunt qui affirmant inferos in hac vita explicari, nec esse post mortem. Viderint enim quemadmodum poetica figmenta interpretentur, nos ab auctoritate divinarum Scripturarum, quibus solis de hac re fides habenda est recedere non debemus. Quanquam possimus ostendere illorum quoque sapientes de inferorum substantia minime dubitasse, quæ post hanc vitam excipit animas mortuorum. Unde autem sub terris esse dicantur inferi, si corporalia loca non sunt, merito quæritur. Animam vero non esse corpoream non me putare, sed plane scire, audeo profiteri.

S. Gregor. Mag., hom. 11. — Quidquid animo ex præsenti sæculo arridet, ex consideratione æterni ignis amarescat.

Idem, *Dialog.*, lib. iv.— Sicut in hoc mundo multi sub uno sole consistunt; nec tamen ejusdem solis æquanimiter ardorem sentiunt; quia alius plus æstuat, alius autem minus; ita illic in uno igne non unus est modus incendii, quia quod hic diversitas corporum, hoc illic agit diversitas peccatorum, ut et ignem non dissimilem habeant, et tamen eosdem singulos dissimiliter exurat.

Joan. Cassianus, *Confess. Theolog*, part. iii.—Sed dicere quis valeat, quæ impiis et male viventibus tormenta sint præparata? In ipso enim continuæ mortis loco, qui infernus appellatur, quid aliud nisi jugis flamma, perseverans tribulatio, et perpetua pœna, atque infinita totius mali calamitas esse potest? Igneus autem fluvius, et fœda palus complet omnia. Ibi sane atroces angeli commorantur, quorum brachia sunt ut capita draconum, quorum oculi igneas ex se sagittas emittunt, quorum dentes ut elephantis prominent, et stimulant ad tormentum, ut caudæ scorpionum. Quorum adspectus tremorem inducit et dolorem, atque utinam mors possit in his subvenire angustiis, sed, quod est horribilius, ad hoc vivit in tormentis positus, ut cruciatibus gubernetur. Ad hoc redintegratur, ut rosus serpentibus, et iteratis subinde iterumque repetitis morsibus attrectetur. Ibi dracones blasphemantium labia vorant, et regulus diris morsibus miserorum pectora lacerat, atque horribiles diversi generis bellua incredulorum animas multipliciter sine cessatione cruciant. Illic ululatus et planctus, gemitus et mugitus continue sonant, simulque clamor ubique confusus attollitur: quem dura vis tormentorum exagitat, et incendii arsura exterouet. Hæc autem ipsa

Digitized by Google

tribulatio, quæ illic excipiet miseros nullo termino finitur, nullo fine concluditur, sed flammarum atroci adustione consumitur, et ad rediviva incendia iterum, qui adustus fuerit, reparatur. Ibi enim vermis, qui non moritur, et ignis, qui nunquam exstinguitur, atque stridor dentium semper sentitur. Gehennæ lethale frigus, et glacies indeficiens. Fames pessima, et sitis immensa. (*Matth.*, XXII, 13; *Isa.* LXVI, 24; *Marc.* IX, 45.) Dolor perpetuus, et continuus languor. Sæva pestis et indicibilis lues. Tenebræ densissimæ, et nox obscuritatis horrendæ. Nulla requies datur miseris, omnia ibi mala, et cuncta tormentorum genera. Mors immortalis, defectus indeficiens, finis infinitus.

ISIDORUS, lib. 1 *De summo bono*, c. 31. — Duplex damnatorum pœna est in gehenna, quorum et mentem urit tristitia, et corpus flamma juxta vicissitudinem, ut, qui mente tractaverunt, quod perficerent corpore, simul et animo puniantur et corpore. Ignem gehennæ ad aliquid lumen habere et ad aliquid non habere hoc est habere lumen ad damnationem, ut videant impii, unde doleant, et non habere ad consolationem, ne videant, unde gaudeant. Apta fit comparatio de camino trium puerorum ad exemplum ignis gehennæ. Nam sicut ille ignis non arsit ad trium puerorum supplicium, sed arsit ad comburenda ligamina vinculorum, ita ignis gehennæ et lucebit miseris ad augmentum pœnarum, ut videant, unde doleant, et non lucebit ad consolationem, ne videant, unde gaudeant. Inter hujus vitæ et futuræ infelicitatis miseriam, multa discretio est. Illic enim et miseria est propter cruciationem dolorum, et tenebræ propter lucis aversionem, quorum unum in hac vita, id est miseria est, aliud non est, in inferno autem utrumque est.

S. BERNARD., in quodam sermone. — Ibi erit fletus et stridor dentium; fletus quidem ob ignem, qui non exstinguitur; stridor ob vermem qui non moritur, plane fletus ex dolore, stridor dentium ex furore.

HUGO, de *anima*, lib. IV. — Infernus, lacus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fetore intolerabili, plenus dolore innumerabili. Ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali.

[Ex conciliis.]

Concilii Florentini decreta, etc. *Decretum unionis Græcorum in bulla Eugenii IV*, Lætantur cœli. — Item si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari: et ut a pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, et eleemosynas, et alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta. Illorumque animas, qui post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius: Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

Vide etiam *Professionem fidei Græcis præscriptam a Grægorio XIII per constitutionem* Sanctissimus Dominus noster; et *Professionem fidei Orientalibus præscriptam ab Urbano VIII et Benedicto XIV per constitutionem* 19 Nuper ad nos.

Benedicti XII constitutio Benedictus Deus, 4 *Kal. Febr.* 1336. — Hac in perpetuum valitura constitutione, auctoritate apostolica definimus, quod secundum communem Dei ordinationem animæ sanctorum omnium, qui de hoc mundo ante Domini Nostri Jesu Christi passionem decesserunt, nec non sanctorum apostolorum, martyrum, confessorum, virginum et aliorum fidelium defunctorum post sacrum ab eis Christi baptisma susceptum, in quibus nihil purgabile fuit, quando decesserunt, nec erit, quando decedent etiam in futurum, vel si tunc fuerit, aut erit aliquid purgabile in eisdem, cum post mortem suam fuerint purgatæ; ac quod animæ puerorum eodem Christi baptismate renatorum et baptizandorum, cum fuerint baptizati ante usum liberi arbitrii decedentium, mox post mortem suam et purgationem præfatam in illis, qui purgatione hujusmodi indigebant, etiam resumptionem suorum corporum et judicium generale, post ascensionem Salvatoris nostri Jesu Christi in cœlum, fuerunt, sunt et erunt in cœlo, cœlorum regno et paradiso cœlesti cum Christo, sanctorum angelorum consortio aggregatæ, ac post Domini Nostri Jesu Christi passionem et mortem viderunt et vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione objecti visi se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente, quodque sic videntes eadem divina essentia perfruuntur necnon quod ex tali visione et fruitione eorum animæ qui jam decesserunt sunt vere beatæ et habent vitam et requiem æternam, et etiam illorum, qui postea decedent, cum eamdem divinam videbunt essentiam, ipsaque perfruentur ante judicium generale; ac quod visio hujusmodi divinæ essentiæ ejusque fruitio actus fidei et spei in eis evacuant, prout fides et spes proprie theologicæ sunt virtutes; quodque postquam inchoata fuerit vel erit talis intuitiva ac facialis visio et fruitio eisdem, eadem visio et fruitio sine aliqua intercisione seu evacuatione prædictæ visionis et fruitionis continuata exstitit et continuabitur usque ad finale judicium et ex tunc usque in sempiternum.

Diffinimus insuper, quod secundum Dei

Digitized by Google

o dinationem communem animæ decedentium in actuali peccato mortali mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi pœnis infernalibus cruciantur, et quod nihilominus in die judicii omnes homines cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit sive bonum sive malum.

Concilii Lateranensis IV *an.* 1215 *decreta. Cap.* 1. *Definitio adversus Albigenses aliosque hæreticos.* — Et tandem unigenitus Dei Filius Jesus Christus a tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper Virgine Spiritus sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali et humana carne compositus, una in duabus naturis persona, viam vitæ manifestius demonstravit. Qui cum secundum divinitatem sit immortalis et impassibilis, idem ipse secundum humanitatem factus est mortalis et passibilis. Qui etiam pro salute humani generis in ligno crucis passus et mortuus, descendit ad inferos, resurrexit a mortuis et ascendit in cœlum; sed descendit in anima, et resurrexit in carne; ascenditque pariter in utroque : venturus in fine sæculi, judicaturus vivos et mortuos, et redditurus singulis secundum opera sua, tam reprobis, quam electis : qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quæ nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua sive bona fuerint, sive mala : illi cum diabolo pœnam perpetuam, et isti cum Christo gloriam sempiternam.

Confessio fidei Michaelis Palæologi ipsi a Clemente IV, an. 1267, *proposita. Hæc fidei professio usque ad verba illa* : Hæc est vera fides, *est illa ipsa, quæ ex decreto concilii Carthaginensis IV, can. per interrogationes et responsiones emittitur in consecrationibus episcoporum.* — Hæc est vera fides catholica et hanc in supradictis articulis tenet et prædicat sacrosancta Romana Ecclesia. Sed propter diversos errores, a quibusdam ex ignorantia, et ab aliis ex malitia introductos, dicit et prædicat, eos qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram pœnitentiam suorum consequi veniam peccatorum. Illorum autem animas, qui post sacrum baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutæ, prout superius dictum est, sunt purgatæ, mox in cœlum recipi. Illorum autem animas qui in mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Eadem sacrosancta Ecclesia Romana firmiter credit, et firmiter asseverat, quod nihilominus in die judicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de propriis factis rationem.

Symbolum Athanasianum. — Sed necessarium est ad æternam salutem, ut incarnationem quoque Domini Nostri Jesu Christi fideliter credat. Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus Noster Jesus Christus Dei Filius, Deus et homo est, Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus, etc.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est judicare vivos et mortuos. Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem ; et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero mala, in ignem æternum. (*Matth.*, XXV, 46.)

Innocentii III decreta, l. III *Decr., tit.* 42, *c.* 3, Majores, *adversus Petrobrussianos, Arnaldistas, Valdenses.* — Quibusdam quæstionibus, quas contra catholicos hæretici moverant, nos postulas respondere. Asserunt enim parvulis inutiliter baptisma conferri... Absit, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin et ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem..... Dicimus distinguendum, quod peccatum est duplex : originale scilicet et actuale : originale quod absque consensu contrahitur; actuale, quod committitur cum consensu. Originale igitur, quod sine consensu contrahitur, sine consensu per vim remittitur sacramenti ; actuale vero, quod consensu contrahitur, sine consensu minime relaxatur..... Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei, *actualis* vero *pœna peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus....*

Propositiones damnatæ a Pio VI synodi Pistoriensis. — De pœna decedentium cum solo originali. — Doctrina, quæ velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animæ decedentium cum sola originali culpa pœna damni citra pœnam ignis puniantur; perinde ac si hoc ipso quod, qui pœnam ignis removent, inducerent locum illum et statum medium expertem culpæ et pœnæ, inter regnum Dei, et damnationem æternam, qualem fabulabantur Pelagiani ; falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa.

Canones synodi V, *contra Origenem. Nonnulli censent canones istos a synodo Constantinopolitana sub Menna habita confectos esse, videntur tamen a synodo* V *suscepti.* — Si quis dixerit, quod uniuntur Deo Verbo per omnia similiter cœlestes virtutes, et omnes homines, et diabolus, et spiritalia nequitiæ, ut ipsa mens, quæ dicitur ab ipsis Christus, et quæ in forma Dei est, et exinanivit, ut aiunt, semetipsam : et quod finis erit regni Christi. A. S

Digitized by Google

INGRATITUDO

[Ex SS. Patribus.]

S. Philo Jud., *Lib. de sacrifi. Abelis et Caini.* — Alii per beneficiorum oblivionem gratiarum actione se privant qua nihil pretiosius. Alii vero per nimiam arrogantiam seipsos auctores bonorum suorum existimant, non illum verum auctorem rerum omnium. Tertii levius peccant quam proximi, gravius tamen quam primi. Hi sua bona referunt quidem ad auctorem Deum, sed aiunt se suo merito ea consequi, esse enim se prudentes, fortes, temperantes, justos, et ideo dignos censendos divina gratia. Horum singulis resistit sacra Scriptura, ac primo illum qui, obolita memoria, indulget oblivioni, his verbis alloquitur : Heus tu, cave ne edendo saturatus, et structas pulchras ædes inhabitans, auctusque gregibus pecorum et armentis boum, argentoque et auro ac cæteris bonis tibi affluentibus, exalteris corde, oblivisca-risque Domini Dei tui. Quando igitur non oblivisceris tu? Quando non oblivisceris tui ipsius? Memor enim propriæ conditionis quam sis prorsus nihili memineris, et immensæ Dei præcellentiæ qua universa supereminet.

Illum vero qui seipsum causam suorum bonorum putat, sic castigat Scriptura : Cave dicas, inquit, robur meum, aut fortitudo manus mea paravit mihi hanc potentiam ; sed memor memineris Domini Dei tui, qui dedit tibi vires ad parandam potentiam.

At ille seipsum dignum credens acceptο beneficio, patiatur se admoneri hoc oraculo : Non propter justitiam tuam, nec propter sanctitatem cordis tui, intras in terram hanc ut eam sorte possideas; sed primum propter iniquitatem harum gentium inferente iis Deo perniciem ; deinde ut confirmetur testamentum illud quod juravit nostris patribus ; testamentum autem Dei figurate dicuntur ejus gratiæ ; nec est fas ut ille quidquam imperfectum largiatur. Itaque integra absolutaque sunt dona Ingeniti omnia ; integra autem in rebus virtus est, et hujus actiones. Ergo si de medio sustulerimus oblivionem, ingratitudinem, amorem sui, et horum matrem arrogantiam, non amplius cunctando amittemus germanum cultum Dei, sed præcurremus creaturas cæteras, et priusquam salutemus ullam rem mortalem, compellabimus Dominum, parati ejus imperata exsequi.

S. Ambros., *Lib. de Noe et arca*, tom. I. — Qui debitum gratiæ ut a se exigatur exspectat, ingratus est.

S. Chrys., *super Matth.* — Quanto majora beneficia sunt hominibus constituta, tanto graviora peccantibus judicia.

Idem. *Lib. de Joseph.* — Cito beneficii irrepit oblivio, secundis rebus.

S. Hieronym., *Commentar. in Eccle.*, t. II. — *Sed et hanc vidi sapientiam sub sole, et magna est apud me civitas parva, et viri in ea pauci ; et venit ad eam rex magnus et circumdedit eam ; et ædificavit adversus eam machinam magnam. Et invenit in ea virum pauperem et sapientem, et salvavit hic civitatem in sapientia sua : et homo non recordatus est hominis pauperis illius.* (*Eccle.* IX, 15.) — O ingrata hominum oblivio! Postquam fuerint liberati, et soluta captivitas, et reddita patriæ libertas, nemo meminit sapientis illius pauperis, nemo refert gratias pro salute, sed omnes honorant divites, qui in periculo nihil subvenire potuerunt.

S. Aug., *Enarr. in psal.* XXXVI, t. IV. — *Feneratur peccator, et non solvet.* (*Psal.* XXXVI, 21.) Accipit et non reddet. Quid non reddet? Gratiarum actionem. Quid enim a te vult Deus, aut quid exigit Deus, nisi quod tibi prosit? Et quanta accepit peccator, pro quibus non solvet? Accepit ut sit, accepit ut homo sit, multumque intersit inter ipsum et pecus ; accepit corporis formam, accepit in corpore distinctionem sensuum : ad videndum oculos, ad audiendum aures, ad odorandum nares, ad gustandum palatum, ad contrectandum manus, ad ambulandum pedes, salutemque ipsam corporis. Sed adhuc ista et cum pecore habemus communia : accepit etiam amplius, id est mentem quæ possit intelligere, quæ possit capere veritatem, quæ possit justum ab injusto discernere, quæ possit indagare, desiderare Creatorem, laudare, et inhærere illi. Hæc omnia accepit et peccator, sed non bene vivendo, non reddit quod debet. Ergo *feneratur, et non solvet.*

Idem, serm. 283, *in Natali martyrum Massilitanorum*, tom. V.— *Ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* (*I Cor.* II, 12.) Ergo Spiritus Dei, spiritus est charitatis spiritus hujus mundi, spiritus est elationis. Qui habent spiritum hujus mundi superbi sunt, ingrati sunt Deo. Multi dona ejus habent, sed non colunt eum a quo habent : ideo sunt infelices. Aliquando unus habet dona majora, alter habet minora : verbi gratia, intelligentiam, memoriam. Dona Dei sunt. Invenis aliquando hominem acutissimum, memorem ad incredibilem admirationem : invenis alium parvo intellectu, memoria non tenaci, sed utroque parvo præditum : illum autem superbum, istum humilem : istum de parvis Deo gratias agentem, illum majora sibi tribuentem. Melior est incomparabiliter Deo gratias agens de parvo, quam se extollens de magno. Illum

Digitized by Google

et im qui de parvo gratias agit, ad magnum Deus admittit : qui autem de magnis gratias non agit, et quod habet amittit.

S. Aug., serm. 284. — Ut habeam donum meum, agnosco datorem Deum. Nam si non agnosco datorem Deum, tollit Deus bonum suum, et remanet malum meum, per arbitrium meum.

S. Greg. Mag., *Moral.*, lib. xxx, *in Job* xxxix, tom. I. — Considerandum ne acceptum munus vertamus in vitium, ne per favorem vitæ nos absorbeat vorago nequitiæ. Iram namque contra nos superni judicis inextinguibiliter accendimus, si contra benignitatem illius, etiam ex ipsa sua largitate pugnamus.

Idem, *ibid.* — Sicut boni per contumelias meliores existant, ita semper reprobi de beneficio pejores fiunt.

S. Bernard, serm. 2 *de septem misericordiis*, t. I.—Ingratitudinem prorsus odit anima mea; peremptoria siquidem res est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis. Dico ego vobis, charissimi, quoniam pro meo sapere, nihil ita displicet Deo, præsertim in filiis gratiæ, in hominibus conversionis, quemadmodum ingratitudo. Vias enim obstruit gratiæ, et ubi fuerit illa, jam gratia accessum non invenit, locum non habet. Hinc mihi, fratres, tristitia magna, et dolor continuus est cordi meo, quod nonnullos tam pronos ad levitatem, ad risum, ad otiosa, et ad scurrilia verba tam faciles video; ut pertimescam valde ne, forte plusquam expediat, divinæ misericordiæ sint immemores, et ingrati tam multis beneficiis suis, aliquando deserantur a gratia, quam non ut gratiam venerantur.

Idem, epist. 372, t. I. — Laudetur non creatura, sed Creator : laudetur non ille qui accipit, sed ille a quo accipit : laudetur non ille qui plantat, non ille qui rigat, quia nihil sunt; sed qui incrementum dat Deus. Ego ergo non accipientis, sed porrigentis manum laudabo; non laudationem servi, sed laudationem Domini loquetur os meum. Tu ergo, dilectissime, si sapis, imo quia sapis, in te quidem, sed non ex te cognosce gratiam : quia omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. Scio quosdam esse qui quasi scienter nescire volunt quæ acceperunt a Domino, ne in superbiam elati, in viscum incidunt diaboli. Mihi autem videtur debere sciro quid acceperim, ut sciam quid desit mihi. Mihi videtur juxta Apostolum, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis, ne nesciamus ad quæ postulanda suspirandum sit nobis. Qui enim accepit, et nescit quæ accepit, duplici periculo vicinum se constituit; quia ingratus est circa acceptum, et incautus circa custodiendum beneficium. Quomodo enim refert gratiam ei a quo accepit, si nescit se accepisse quod accepit? Vel quomodo sollicitus erit custodire, qui non meminit se aliquid accepisse? Aufer a me, Domine, opprobrium ingrati illius populi, de quo dictum est : *Obliti sunt benefactorum ejus, et mirabilium ejus quæ ostendit eis.* (*Psal.* lxxvii, 11.) Acceptum itaque beneficium, etiam secundum sapientes hujus sæculi, æternæ memoriæ infigendum est. Oportet ergo ut accepta sciamus custodire, et gratia Dei vacua non sit in nobis; sed ut semper in nobis maneat, semper gratias agamus Domino Deo nostro.

Idem, serm. 4 *in psal.* xc, 1 : *Qui habitat.*, t. I. — *Dixit et facta sunt.* (*Psal.* xxxii, 9.) An idcirco minus devotus, minus obnoxius, minus gratus es, quod hæc quidem sicut pro nihilo, ita de nihilo fecit? Perversi cordis est occasiones ingratitudinis vestigare. Nemo id facit, nisi qui etiam gratis est ingratus

Petr. Ravis., in quadam epist. — Nihil est quod adeo indignationem provocet Altissimi, sicut ingratitudo : ipsa est malorum provocatio, beneficiorum exinanitio, meritorum exterminatio.

INIMICITIÆ, ODIUM

[Ex SS. Patribus.]

S. Iren., *Adv. hæres.*, lib. iv, c. 34. — Super sacrificium Caïn non respexit Deus, quoniam cum zelo et malitia, quæ erat adversus fratrem, divisionem habebat in corde. Quemadmodum occulta ejus arguens Deus ait : *Nonne si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti? quiesce.* (*Gen.* iii, 7.) Quoniam non sacrificio placatur Deus. Si enim qui solummodo secundum quod videtur, munde et recte et legitime offerre tentaverit, secundum suam animam non recte dividat eam quæ est ad communionem, neque timorem habeat Dei, non per id quod recte foris oblatum est sacrificium, ad se lucrit Deum, intus habens peccatum : nec oblatio talis proderit ei aliquid, sed cessatio mali quod est intus conceptum; ne per assimulatam operationem, magis autem peccatum ipsum sibi homicidam faciat hominem.

Philon. Jud., *De somniis.* — Multus est quando fluit circa divitias et gloriam impetus; quæ sunt circa corpus et animam curas devicit : postea repulsus rursum ab utroque, ab altera victus est. Hunc autem in modum confertæ et corporis voluptates erumpentes, omnia deinceps intelligibilia obruunt, et delent. Inde brevi reptans sapientia impetuoso et vehementi spiritu, fluxum voluptatum relaxavit, et in universum omnia studia et ambitiones sedavit. Hujusmodi quidem certe circulus volvitur circa.

Digitized by Google

multimodam animam perpetui belli. Sublato enim uno inimico, nascitur alter potentior, hydræ instar multorum capitum.

ORIGEN., hom. 2 *in Cant. cant.*, t. III. — *Diligite inimicos vestros.* (*Matth.* v, 44). Non apposuit (Christus) ex toto corde. Non est inordinatus sermo divinus, nec impossibilia præcipit, nec dicit, diligite inimicos vestros ut vosmetipsos, sed tantum *diligite inimicos vestros*, sufficit quod eos diligimus, et odio non habemus.

S. HILAR. *in psal.* CXXXVIII. — Inimicos quidem nostros amare præcipimur, sed nostros, non et Dei. Nam juxta Deum, et patrem et matrem et conjugem et filios et fratres odisse devotum est.

S. GREGOR. NYS., hom. 8. *in Eccle.* I. — Amor est intrinsecus insita in id quod animo est jucundum habitudo, operans per voluptatem et delectationem. Odium autem est alienatio ab eo quod est injucundum, et aversio ab eo quod molestia afficit. Possumus autem utraque harum affectionum et utiliter uti, et contra ; et ut quæ ex virtute vita agitur, hinc habet principium. Ad quod enim amore fuerimus propensi, illi familiaritate ac necessitudine animo conjungimur, et ad quod odio affecti sumus, ab eo alienamur. Nam sive ad bonum, sive ad malum fuerit animæ habitudo, in anima quodammodo miscetur quod diligitur. Quidquid autem fuerit, et cui intermedium intercesserit odium, ejus facit separationem, seu boni, seu mali. Est ergo considerandum quid sit quidem amandum, quid vero sit a natura odio habendum, ut in tempore utentes hac animi affectione, et a malis alieni evadamus per odium, et cum bonorum natura contemperemur. Et utinam hoc ante omnia hominum doceretur natura, ad discernendum, inquam, bonum et honestum, et id quod non est ejusmodi. Non enim ad vitam nostram aditum haberent animi perturbationes, si id quod est bonum nosceremus ab initio.

S. BASIL., epist. 22, t. III. — Oportet quacunque læsum injuria patientem esse, atque tempestive eum qui læsit redarguere, non propriæ vindictæ studio, sed correctionis fraternæ, secundum mandatum Domini.

Idem, *De inst. mon.*, serm. 2.— Qui charitatem habet, is Deum habet; sic qui odium habet, is diabolum in seipso nutrit.

S. GREG. NAZ., orat. 22, t. I. — Id absurdum fuerit existimare, quod cum Deus quidem iis a quibus læsi fuerimus, *non solum septies* (*Matth.* XVIII, 22), sed sæpius, ac toties noxas remittere jubeat, quod videlicet remissio remissionem conciliet; nobis autem licitum sit, eos etiam, a quibus nulla nobis injuria illata est, libentiori animo divexare, quam ab aliis beneficio affici; ac cum tantam quidem beatitudinem pacificis reconditam esse perspectum sit, ut in electorum ordine, soli filii Dei vocentur (*Matth.* v, 9) ; nos autem, dum inimicitiarum et simultatum amore tenemur, in ea tamen opinione versemur, ut Deo, qui pro nobis, ut nos secum in gratiam reduceret, bellumque nostrum intestinum exstingueret, supplicio affectus est, rem gratam facere arbitremur.

S. AMBROS., *Comment. in Epist. ad Rom.* t. I, append. — *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* (*Rom.* XII, 28.) Ut nos in tantum perfectos faciat, ut non solum nos ipsos, sed et alios acquiramus ad vitam, inimicis non solum vicem reddere prohibet Dominus per Salomonem; verum etiam humanitate ad amicitiam provocare hortatur.

S. CHRYSOST., hom. 18, *Dialog. de odio et inim.*, t. XII. — Si quis a proximo suo injuriam acceperit, in memoriam revocet Davidem; atque ita animo imprimat, ut quousque vixerit, recordatione hujus mitissimi et mansuetissimi viri iracundiæ pelagus possit dissipare. Quid enim est, quod fratrem tuum pro inimico reputes? affecit te injuria? at nihil damni intulit. Aut forte pecuniarum causa ipsum velut hostem observas? Ne, quæso, ne iracundiæ funes resecare differas ; moræ enim moras pariunt, et si hunc diem adjicias, magis erubesces; et si crastinum, majus erit dedecus; si vero etiam tertium apposueris, major tibi ultra cunctanti pudor erit. Concedite mihi, obsecro, ut libere ista dicam : efficite ut audiam ex continua ista doctrina, vos aliquid profecisse ; discedentem hinc quempiam, statim ambabus inimici manibus apprehensis, ipsum brachiis constrinxisse, exosculatum esse, lacrymas profudisse: licet enim vel bellua ille sit, etiamsi lapis, aut alius quidvis, ejusmodi tamen benignitate emollitus mansuescet. Ac tu quidem, hoc facto, te ipsum a culpa liberabis, illum vero ad benevolentiam reductum lucrifacies.

Et ne mihi dixeris, scelestum inimicum habeo, improbum, perditum, inemendabilem, nec illum reconciliare valeo. Qualemcunque enim dixeris, deterior Saule non erit; qui semel ac iterum, et sæpius a Davide servatus, eidem sæpissime insidiatus est; et cum adhuc beneficiis ab eo cumularetur, in malitia retinenda perstitit. Quid enim dicere possis ? an quod solum tuum arando absciderit ? quod agro damnum intulerit ? quod ædium limites transierit ? quod mancipia tua interverterit ? quod ignominia te affecerit ? quod aliena invadens, te ad paupertatem redegerit? Atqui nondum animam tibi auferre conatus est, idque semel et iterum et frequenter ; et quidem tot acceptis beneficiis, neque in manus tuas sæpe incidens servatus est. Et ut hoc ita sit, adhuc tamen David præcellit; quippe qui imperfectioribus, et nihil ejusmodi exigentibus legibus innutritus, ad apicem legis gratiæ contendens te antevertit. Ac tu quidem haud raro præteritarum rerum causa conceptam iram foves; hic vero etiam dum impendentia mala metuit, probeque novit, nusquam in civitate sibi locum fore, sed vitam plane miseram, si hostem incolumem dimitteret, nihilominus suam pro ini-

Digitized by Google

mico sollicitudinem non deseruit, sed omnia humanitatis officia illi exhibens, contra seipsum hostem nutrivit.

Quid igitur, quæso, objicias, dum inimico non vis reconciliari? Quanam tanta affecit te injuria? Pecuniis forte te spoliavit? at si generoso animo istam rapinam feras, tantam mercedem accipies, quantam si in pauperum manibus reposuisses. Idem enim est, sive quis egenis elargiatur pecunias, sive ob Dei amorem insidias non moliatur, aut etiam mala dicat illi qui alienis inhiat. Cum enim eadem utrobique impendii sit intentio, palam est eamdem quoque fore coronam. Sed forte vitæ tuæ insidias struxit, ac te occidere conatus est? At si insidiatorem et eousque te hostiliter insectantem in benefactorum numero censeas, Deumque, ut veniam ipsi dare dignetur, orare non desinas, pro martyrio tibi hoc reputabitur. Ne porro hoc attendamus, quod Deus inhibuerit, ne David a Saule insequente interficeretur; sed quod duplici triplicive martyrii corona, ob eas quas pertulit insidias, ornatus fuerit. Etenim qui Dei amore hostem servavit, illum, inquam, qui semel atque iterum et sæpius hastam in caput suum contorsit, et cum in sua potestate illum haberet, a nece tamen ejusdem abstinuit, non ignarus fore ut, postquam ei pepercisset, demum se invaderet; illum perspicuum est, sæpissime voluntate mortuum esse. Sæpissime vero propter Deum mortuus, multas martyrii laureolas obtinet. Et quod Paulus dicebat, hoc ipsum hic noster animo versabat, et quotidie mortem propter Deum oppetebat. Cum enim sibi perniciem molientem interficere posset, propter Deum noluit, sed potius singulis diebus pericula subire, quam justa etiam cæde patrata, a tot mortibus liberari elegit.

Quod si ad vitam usque etiam insidiis grassantem ulcisci, atque odio prosequi nefas sit, multo minus eum oportebit, qui alia quavis nos, in re externa, injuria affecit. Vis porro intelligere facile esse, si modo velimus, omnem hominem male erga nos affectum, quantumvis improbus quis et perditus ac incorrigibilis fuerit, reconciliare? Quid, quæso, leone ferocius? illum tamen homines mansuetum reddunt, et naturam ars coercet, ac quavis ove mitior et lenior evadit, qui alioquin omnibus bestiis sævior et augustior, jamque per medium forum ambulans, nemini ullum terrorem, ob mansuetudinem, incutit. Quam igitur excusationem habebimus, quam veniam, si belluas quidem domemus, homines autem nunquam nos mitigare, aut ut bene erga nos afficiantur, efficere posse dicamus? maxime cum mansuetudo, præter naturam bestiarum, ferocitas autem ab hominum natura aliena sit. Cum igitur natura superiores simus, quid nos excusabit, si liberam voluntatem nos corrigere posse negemus?

Si vero etiam inimicos diligere jubeamur, quasnam pœnas dabimus, si eos qui nos amore complectuntur, aversemur? Si is qui diligentem se diligit, nihil plus habet publicanis, uni stabit qui nihil injuste agentem odio habet? Quomodo vero gehennam effugiet, qui ipsis ethnicis exstitit deterior? Si is qui fratrem non amat, licet pecunias exhauriat, aut martyrio clarescat, nihil proficit; cogita quanto ille supplicio dignus sit qui nihil injuste operatum hostiliter infestat. Si Deus non ignoscat peccata illis qui contra se commissa non condonant; quam veniam dabit illis qui innocentes injuria afficere audent? Quid ergo temere nos invicem impugnamus? Quid mutuis bellis nos persequimur, quibus etiam odientes diligere præceptum est? Quid dicis, o homo, inimicum habes, nec erubescis? Annon sufficit nobis diabolus, quod etiam consanguineos provocemus? Utinam nec ille nos impugnare voluisset; utinam neque calumniator esset! An ignoras quanta post pacificationem sequatur voluptas? Quid enim si in odio non ita appareat! Si vero dicas exæstuare te dum injuriæ meministi, recorderis si boni aliquid tibi præstitum sit ab eo qui tristitia te affecit; et rursus, quantis tu alios malis affeceris; sic enim continuo odium istud dimittes: nullum enim tantum malum passus es, quantum ipse tibi conflasti. Quomodo enim veniam consequeris, quam aliis non tribuis?

Ipsi gentiles, qui nihil magni exspectabant in malorum tolerantia, sæpe magnum studium collocarunt: et tu, pro quo, cum inimicus esses, Christus animam suam dedit, nec occidi recusavit, quique cum tanta spe hinc migraturus es, inimicitias dissolvere metuis et refugis? Et quod ipsum quidem tempus facit, tu facere propter divinam legem non audes: sed sine ullo præmio potius quam pro præmio affectum vis exstingui? Neque enim si tempus hoc fecerit, amplius quid tibi erit, sed grave potius supplicium, cum, quod tempus præstitit, hoc ut tu faceres, Dei lex tibi non persuaserit. Ob hoc enim maxime inenarrabilem tibi parat mercedem, ut ipsum antevertas. Itaque si non nisi rogatus alteri reconcilieris, jam non tuo Dei mandatum servandi studio, sed alterius diligentiæ adscribetur amicitia: ideoque illo præmia capiente, tu sine corona discedis. Latrones si quibus consuescant, jam non amplius latrones sunt illis quibuscum consueverint; sed mensa immutat mores, et qui belluis erant immaniores, ovibus mansuetiores efficit: nos vero tantæ participes mensæ, in nos mutuo armamur? Et quomodo non bestiis ipsis deteriores fuerimus? Propter hanc itaque causam nos quidem infirmiores; ipse vero, communis omnium nostrum inimicus, in dies fortior evadit. Non enim nos invicem contra illum munimus, sed cum ipso contra nos mutuo stamus, atque eodem ad ejusmodi prælia ductore utimur. Cujus nos militiam effugere contingat gratia Jesu Christi quem decet gloria, imperium, honor et adoratio.

Ubi amicitia permanet, nihil facile creditur, nihil facile recipitur, quod dissidium possit operari. Si vero inimicitiæ semel oc-

Digitized by Google

cupaverint animos, omnaque fiunt, quæ dicuntur, ita accipiuntur et intelliguntur, ut ad majores et longiores proficiant inimicitias. Si quid enim boni dicatur, de inimiconon creditur; si quid autem mali, hoc solum creditur et confirmatur.

S. Hieronym., lib. I *Dialogi adversus Pelagianos*, t. IV.— Quomodo diligatur inimicus lex docet : jumentum adversarii si ceciderit, sublevandum. (*Deut.* xxii, 4.) Et Apostolus : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*, etc. *Hoc enim faciens, carbones ignis congregabis super caput ejus* (*Rom.* xii, 20), non in maledictum et condemnationem, ut plerique existimant, sed in correctionem et pœnitudinem ; ut superatus beneficiis, excoctus fervore caritatis, inimicus esse desistat.

S. Aug., serm. 82, *De verbis Evang. Matth.* xviii, t. V. — *Qui odit fratrem suum in tenebris est usque adhuc.* (*I Joan.* ii, 9) Odium tenebræ sunt. Non potest autem fieri ut qui odit alterum, non sibi prius noceat. Illum enim lædere conatur extrinsecus, se vastat intrinsecus. Quantum autem animus noster corpore major est, tantum ei prospicere debemus, ne ipse lædatur. Lædit autem animum suum, qui odit alterum. Et quid facturus est ei quem odit ? quid facturus? Tollit pecuniam, nunquid fidem? Lædit famam, nunquid conscientiam ? Quidquid nocet, forinsecus nocet : sibi attende quid noceat. Intus enim sibi ipse inimicus est, qui odit alterum. Sed quia non sentit quid sibi mali faciat, in alterum sævit, eo periculosius vivens (*f.* sæviens) quo non sentit quid secum mali agit; quia et sæviendo sensum perdidit. Sævisti in inimicum tuum; te sæviente, ille nudatus est, tu iniquus es. Multum interest inter nudum et iniquum. Ille perdidit pecuniam, tu innocentiam. Quære quis gravius damnum perpessus est? Ille perdidit rem perituram, tu factus es periturus.

Inimicitiæ vitandæ cautissime, ferendæ æquissime, finiendæ citissime.

Idem, *Confess.*, lib. iv. — Beatus (Domine) qui amat te, et amicum in te, et inimicum propter te.

Idem, ep. 54, *Macedonio.*—Facile est atque proclive malos odisse, quia mali sunt ; rarum autem et pium eosdem ipsos diligere, quia homines sunt : ut in uno simul et culpam improbes, et naturam approbes; ac propterea culpam justius oderis, quod ea fœdatur natura quam diligis.

Idem, epist. 62, *Cœlestino.*— Optamus fieri amicum, quem veraciter diligimus inimicum; quia non eum diligimus nisi velimus bonum, quod utique non erit, nisi amiserit inimicitiarum malum.

S Greg., *Pastor.*, lib. iv. — Pensandum est, cum omnis culpa munere solvatur, quam gravis est culpa discordiæ, pro qua nec munus accipitur.

S. Bernard., serm. 50 *in Cantic.*, t. I.— Qui te non diligis, nisi quia diligis Deum ; consequenter omnes qui similiter diligunt eum, diligis tanquam teipsum. Porro inimicum hominem, quoniam nihil est, pro eo quod non diligit Deum, non potes quidem diligere tanquam teipsum, qui Deum diligis; diliges tamen ut diligat. Non est autem idipsum, diligere ut diligat, et diligere quia diligit. Proinde ut tibi et ipse sapiat prout est, sapiet tibi, non quidem quod est, qui utique nihil est : sed quod futurus forsitan est, quod est prope nihili, quippe quod adhuc pendet sub dubio. Etenim de quo constat quod ad amorem Dei non sit deinceps rediturus, sapiat tibi necesse est, non prope jam nihil, sed nihil ex toto, utpote quod in æternum nihil est. Illo igitur excepto, qui non modo jam non diligendus, insuper et odio habendus est, secundum illud : *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam; et super inimicos tuos tabescebam?* (*Psal.* cxxxviii, 21) de cætero nulli vel inimicissimo homini negari quantulumcunque affectum charitas sane in hac parte ambitiosa permittit. Quis sapiens, et intelligit hæc ?

INJURIA

[Ex SS. Patribus.]

S. Clem. Alex., *Stromat.* l. ii, c. i.— Peccatum est voluntaria injustitia; injuria autem est vitium voluntarium. Est ergo peccatum quidem meum voluntarium. Et ideo dicit Apostolus : *Peccatum vobis non dominabitur. Non enim estis sub lege, sed sub gratia* (*Rom.* vi, 14); dicens iis qui jam crediderant : *Quoniam ejus nos livore sanati sumus.* (*Isa.* liii, 5.) Infortunium autem est alterius in me actio involuntaria. Injuria autem invenitur solum voluntaria , sive sit mea, sive alterius. Has autem peccatorum differentias significat Psalmographus, beatos dicens, quorum Deus delevit iniquitates, texit autem peccata; et non quidem alia imputavit, alia vero dimisit : scriptum est enim : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus, cui non imputaverit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.* (*Psal.* xxxii, 1, 2.) Hæc beatitudo facta est super electos a Deo per Jesum Christum Dominum nostrum.

Origen., *Comment. in Epist. ad Rom.*, t. IV.— Si scire volumus quid est justitia, necesse est nos scire quid est injustitia : cum autem plenam scientiam injustitiæ ceperimus, ex ipsa quæ sit etiam justitia cognoscemus : cum enim claruerit quid sit injustum, consequenter quid etiam justum sit apparebit. Et quoniam justitia in Deo est, cujus natura humano sensui inaccessa est, injustitia vero in nobis hominibus, vel etiam in unaquaque rationabili creatura habetur; ex hac nostra injustitia quæ nobis nota est, illa quæ nobis velut inaccessa est, et incom-

Digitized by Google

prehensibilis, Dei justitia cognoscitur, et commendatur, et velut ex contrario contrarium proditur. Notat igitur apostolus Paulus imperitiam (*al.* injuriam) eorum qui inconsequentem objiciunt quæstionem, putantes iniquum esse Deum qui iram in hominibus inducat, pro eo quod justitia ejus ex nostra justitia commendetur : ignorantes autem non peccatorum nostrorum beneficio, sed ipsius rationis fieri consequentia, ut contraria ex contrariis approbentur. Ideo ergo sic dicit Apostolus : *Si autem injustitia nostra Dei justitiam commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus Deus, qui infert iram? Secundum hominem dico. Absit. Alioquin quomodo judicabit Deus mundum?* (*Rom.* III, 5, 6.) Non ergo in hoc iniquus approbatur Deus, si disciplinæ ratio (alias ratione) contraria ex contrariis approbat; et ex injustitia justitiam commendat : sed cum omni consequentia digne meritoque inimica est, et adversatur injustitiæ justitia, sicut inimica et adversa est vita morti, et lux tenebris.

Et ideo dicitur Deus in quo est justitia inferre iram hominibus in quibus habitat injustitia. Istæ enim sibi naturaliter adversantur. Et quomodo etiam ex hoc ipso injustus videbitur Deus, qui adversatur injustitiæ? Et idcirco fortassis non dixit Apostolus, quia nos homines injusti commendamus justitiam Dei; sed ait : *Si injustitia nostra Dei justitiam commendat:* ut ostenderet non Deum hominibus, sed justitiam injustitiæ esse contrariam : induci autem hominibus iram pro eo quod in semetipsis locum injustitiæ dederint. Non ergo injustus videbitur Deus qui est justitia, cum irascitur adversum injustitiam, cui cum non decet esse propitium : sed pervenit ira hæc etiam in homines qui se ministros injustitiæ, cui Deus irascitur, præbuerunt. Neque enim in ullo potest subsistere injustitia vel justitia; sed sicut justitia effectus est justi rectique operis, qui primo in Deo, tum etiam in his, qui imitantur eum invenitur; ita et injustitia effectus est justi pravique operis, qui primo in diabolo, tum etiam in his qui eum volunt imitari, deprehenditur. Et ideo digne eis ira memoratur inferri, quamvis ex injustitia eorum velut ex contrario videatur Dei claruisse justitia. Poterant namque sicut receperunt in se affectum injusti pravique operis, multo magis justi rectique recipere. Juste igitur a Deo ira super omnes homines induci dicitur. Illi enim in quibus ira non habet locum, jam non homines, sed supra homines appellandi sunt.

S. Ambros., *De offic.*, lib. I, cap. 6.— Is qui cito injuria movetur, facit se dignum videri contumelia, dum vult ea indignus probari.— Major est qui contemnit injuriam quam qui dolet.

S. Paulin., *De injuriarum memoria.* — O beata injuria, displicere cum Christo?

S. Chrysost., t. XII, ex eglog. *De mansuetudine et injur. memoria*, hom. 29. — Si quando in manus inimicum tuum nactus fueris, ne hoc cogites ut ipsum ulciscens et infinitis contumeliis afficiens ejicias; sed ut ipsum cures, ut ad mansuetudinem ipsum adducas, nec prius omnia facere et dicere desistas, donec crudelitatem ipsius lenitate superes. Id quod David præstitit : qui dum hostem contra salutem suam armari videret, atque ob hoc omnia movere, non modo efferatus non est, sed magis etiam ei condoluit; et quanto majores insidias ei struxit, tanto magis ipsum deflevit, nec ante destitit omnia facere, donec ipsum quoque cum fletu et lacrymis ad excusationem excitaret. Postquam enim Saul audivisset dicentem ipsum : *Domine mi rex*, non sustinuit absque lacrymis vocem illam audire, sed ingemuit, amaram edidit vocem, et ejulabat vehementer, dicens : *Justior tu es quam ego : tu enim tribuisti mihi bona* (*I Reg.* XXIV, 18), pro insidiis, procæde, pro innumeris illis malis : ego vero tibi reddidi mala; nec ita factus sum melior, sed post beneficia illa in malitia perstiti. Tu vero ne sic quidem mutatus es, sed more tuo perrexisti, atque iterum nos insidias molientes beneficiis afficiens, quæ hodie mihi bona præstiteris, mihi indicasti : quod scilicet in manus tuas Dominus me concluserit, tu vero me non interfeceris.

Quid Davide beatius fuerit, qui previ temporis momento ita inimicum transformavit et animam sanguinis et cædis sitientem nactus, in lacrymas et ululatus repente conjecit? Non ita Moysen admiror, quod ex prærupta petra aquarum fontes eduxerit, quam istum suspicio, quod ex talibus oculis scatebras deduxerit lacrymarum. Ille si quidem naturam vicit; hic vero voluntatem liberam superavit. Ille virga percussit lapidem, hic sermone cor pulsavit, non ut tristitiam inferret, sed ut mundum et mansuetum efficeret. Quantumcunque igitur illum ob propriam mansuetudinem laudibus effero, magis tamen hunc propter mutationem Saulis admiror. Siquidem multo minus est propriis dominari affectibus, quam aliorum vincere furorem, quam cor ira intumescens compescere, et ex tanta tempestate, tam quietum facere, oculosque unde homicidium emicabat, calidis implere lacrymis. Atque hoc est stuporis ac miraculi plenum. Etenim si Saul fuisset homo æquus et moderatus, non adeo magni erat negotii ad propriam ipsum reducere virtutem. At efferatum, et ad extremam provectum malitiam, jamque ad cædem properantem, brevi temporis momento sic afficere, ut omnem illam amaritudinem evomat ex animo, quæ non obscuret omnium, qui unquam philosophiæ doctrina clari exstiterunt? Laude quidem summaque admiratione dignum est, quod ensem in ipsum non immerserit, neque hostile caput amputaverit; quod vero liberam ipsius mutaverit voluntatem, eamque meliorem reddiderit, et ad propriam reduxerit mansuetudinem, quid, quæso, ad summam philosophiam reliquum fecerit?

Sed plerique hominum non solum seipsos a conversatione inimicorum abstinent, imo ne vultum quidem illorum intueri aut vo-

Digitized by Google

cem audire volunt. Verum non hoc pacto David ; sed et inimicum servavit, et prior honore affecit, hoc modo alloquens : *Domine mi rex.* Et non hoc solum, sed in faciem quoque procidens suam, ipsum adoravit; et honoratus in eo, dum ille diceret : *Fili mi David*, iterum majorem honorem exhibuit, dicens : *Servus tuus, Domine mi rex.* Quis majorem hac mansuetudinem dicere possit ? Ille usque ad vitam ipsam beneficiis affectus in cognationem benefactorem ascivit : hic qui beneficia exhibuerat, dominum appellat illum, in quem beneficia contulerat : filium me vocavit, ait, ego vero satis habeo, et contentus sum, si pro servo me habeas, tantum ut iram deponas, tantum ut ne quid de me suspicere mali, et ne insidiatorem aut hostem me existimes. Et vide quantum fecerit lucri ! Priusquam enim hoc dixisset, non jam sustinuit ille sine lacrymis hanc vocem audire, sed ploravit amare : animi sanitatem et sapientiam quam David inseruerat, lacrymis declarans. Quot coronis non dignus fuerit David, cum adeo sua mansuetudine et modestia Saulem superaverit, ut ei propriam condemnare crudelitatem, virtutemque illius celebrare persuaserit ? Si enim, inquit, quis inimicum suum in tribulatione constitutum invenerit, et in via bona ipsum dimiserit, Dominus ei bona retribuet sicuti tu mecum fecisti hodie. Et ecce agnosco quod regnans regnabis, quodque regnum Israel constituetur in manu tua. Et nunc jura mihi per Dominum, quod non aboliturus sis semen meum post me, et non exstincturus nomen meum de domo patris mei.

S. Gregor., l. xxxii, c. 5. — Magna satisfactio percussionis est, voluntas justa Conditoris. Quæ cum injustum facere nihil solet, justa agnoscitur etiamsi latet. Nam cum pro injustitiæ peccato percutimur, si in percussione nostra divinæ voluntati conjungimur, mox a nostra injustitia, ipsa conjunctione liberamur. Quisquis enim jam percussionem tolerat, sed adhuc causas percussionis ignorat, si justum credens hoc ipsum contra se judicium amplectitur, eo ipso ab injustitia sua jam correptus est, quo percussum se juste gratulatur. In vindicta enim sua Deo se socians, sese contra se erigit, et magna est jam justitia quod voluntati judicis concordat in pœna, cui discrepavit in culpa.

S. Bernard., *in Cantic.*, serm. 29, tom. I. — Tu, accepta forte injuria, — non continuo more sæcularis, obliqua referire fratrem responsione festines ; sed neque sub specie quasi corripiendi, verbo acuto et urenti transfigere audeas ullatenus animam, pro qua Christus affigi cruci dignatus est ; non grunnire quasi increpando, non labiis mussitare quasi murmurando, non narem contrahere, aut cachinnare quasi subsannando, non frontem rugare, quasi invehendo aut comminando. Sane commotio tua ibi moriatur ubi oritur, nec permittatur exire quæ mortem portat, ne perimat, ut dicere possis et tu cum Propheta : *Turbatus sum, et non sum locutus.* (*Psal.* lxxvi, 4)

INJUSTITIA

[Ex SS. Patribus.]

S. Cyprianus. — In latronibus est aliqua scelerum verecundia, sed avaritia palam sævit.

S. Fulgentius. — Si sterilitas in ignem mittetur, rapacitas quid meretur ? Aut quid recipiet qui aliena tulerit, si semper ardebit qui de suo non dederit ? Et si judicium sine misericordia erit illi qui non fecerit misericordiam, quale judicium erit illi qui fecerit et rapinam ?

S. Ambros., *Lib. de Abel.* — Rapiendi nullus modus, ubi nulla mensura cupiendi.

S. Gregor Nazianz., orat. 40. — Quid tibi proderit ita peccati veniam impetrasse, ut tamen ei quem læseris, damnum non sarciatur ; cum tu duplici scelere constrictus teneris, altero, quia sceleratis actibus facultates tuas auxisti ; altero quia male partas opes retines.

S. Chrysost., homil 14 *in I Cor.* v. — Qui successit hæreditati plenæ iniquitate, etiam si ipse non rapuit, habet ea quæ sunt aliorum ; alius spoliavit, sed tu possides ; ille rapuit, sed tu frueris.

S. August, epist. 54, *ad Macedon.* — Si res aliena, propter quam peccatum est cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur : si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

Idem, *ibid.* — Juste dicitur Advocate, Redde quod accepisti, quando contra veritatem stetisti ; iniquitati adfuisti, judicem fefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti.

Idem, *De verbis apostoli.* — Quod invenisti, et non reddidisti, rapuisti ; quantum potuisti, fecisti, quia non plus potuisti, ideo non plus fecisti.

Idem, *ibid.* Lucrum in arca, damnum in conscientia : tollit vestem, et perdit fidem, acquirit pecuniam, et perdit justitiam.

Idem, *epist. ad Macedon.* — Pessimum hominum genus commemores, cui pœnitentiæ medicina nihil prodest. (Loquitur de iis qui restituere nolunt quod rapuere.)

Idem, *in psal.* lxi. — O lucra damnosa ! vide quid perdit, et quid invenit, rapit pecuniam, et perdit animam.

Idem, *Lib. quæst. in Exod*, quæst. 71. — Furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ.

Digitized by Google

S. Aug. *in psal.* LXI. — Præda ista tibi muscipula est, tenes et teneris .

Idem, lib. II *Confess.*, cap. 4. — Lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas ; quis enim fur æquo animo patitur furens?

Idem, *epist. ad Macedon.* — An crudelior est qui subtrahit aliquid vel eripit diviti, quam qui trucidat fœnore? hæc, atque hujusmodi male utique possidentur et vellem ut restituerentur

GREGOR., lib. VII, epist. 112. — Eleemosyna reputanda non est, si pauperibus dispensetur quod ex illicitis rebus accipitur; quia qui hac intentione male accipit, ut quasi bene dispenset, gravatur potius quam juvatur.

Idem, super illa Matthæi verba, c. XXV, 35. *Esurivi enim et non dedistis*, etc. — Si tanta pœna mulctatur qui non dedit sua, qua feriendus est qui abstulit aliena?

CASSIAN., lib. V *Epist.*—Si pauperibus non dare tulisse est, pudeat illis tollere quibus jubemur offerre.

[Ex conciliis.]

Decretum S. Pii V de cambiis, in VII, l. II, *tit.* 11. — Primum damnamus ea omnia cambia, quæ sicca nominantur, et ita confinguntur, ut contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca cambia celebrare simulant, ad quæ loca ii, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas cambii tradunt, sed non mittuntur, vel ita mittuntur, ut transacto tempore, unde processerant, inanes referantur, aut etiam nullis hujusmodi litteris traditis, pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, ubi contractus fuerat celebratus : nam inter dantes et recipientes usque a principio ita convenerat, vel certe talis intentio erat, neque quisquam est, qui in nundinis, aut locis supradictis, hujusmodi litteris receptis solutionem faciat. Cui malo simile etiam illud est, cum pecuniæ sive depositi, sive alio nomine ficti cambii traduntur, ut postea eodem in loco vel alibi cum lucro restituantur. Sed et in ipsis cambiis, quæ realia appellantur, interdum, ut ad nos perfertur, campsores præstitutum solutionis terminum, lucro ex tacito vel expressa conventione recepto, seu etiam tantummodo promisso, differunt. Quæ omnia nos usuraria esse declaramus et ne fiant districtius prohibemus.

Gregorii IX decreta quædam, l. V *Decr. tit.* 19, *c.* 19. — Naviganti vel eunti ad nundinas certam mutuam pecuniæ quantitatem, eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius [non] est censendus. Ille quoque, qui dat X solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini et olei mensuræ reddantur : quæ, licet tunc plus valeant, utrum plus vel minus solutionis tempore fuerint valituræ, verisimiliter dubitatur : non debet ex hoc usurarius reputari. Ratione hujus dubii etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum vel alias merces vendit, ut amplius, quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem, si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.

Decreta quædam Alexandri III, l. V *Decr., tit.* 19, *c.* 6. — In civitate tua dicis sæpe contingere, quod, cum quidam piper, seu cinnamomum, seu alias merces comparant, quæ tunc ultra quinque libras non valent, promittunt se illis, a quibus illas merces accipiunt, sex libras statuto termino soluturos. Licet autem contractus hujusmodi ex tali forma non possit censeri nomine usurarum, nihilominus tamen venditores peccatum incurrunt, nisi dubium sit, merces illas plus minusve solutionis tempore valituras : et ideo cives tui saluti suæ bene consulerent, si a tali contractu cessarent, cum cogitationes hominum omnipotenti Deo nequeant occultari.

Propositiones damnatæ sub Innocentio XI. —Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.

Ibid. — Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.

Ibid.— 36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

Ibid. — 37. Famuli et famulæ domesticæ possunt occulte heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt.

Ibid. — 38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.

Ibid. — 39. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

Ibid.— 43. Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam, falso crimine elidere?

Propositiones damnatæ ab Alexandro VII. — 33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

Ibid. — Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

Urbani III decretum de usuris, l. V *Decr., tit.* 19, *c.* 10. — Consuluit nos tua devotio, an ille in judicio animarum quasi usurarius debeat judicari, qui non alias mutuo traditurus, eo proposito mutuam pecuniam credit, ut licet omni conventione cessante, plus tamen sorte recipiat. Et utrum eodem reatu criminis involvatur, qui, ut vulgo dicitur, non aliter parabolam juramenti concedit, donec, quamvis sine exactione, emolumentum aliquod inde percipiat. Et an negociator pœna consimili debeat condemnari, qui merces suas longe majori pretio distrahit, si ad solutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quam si ei incontinenti pretium persolvatur. Verum

Digitized by Google

quia, quid in his casibus tenendum sit, ex Evangelio Lucæ manifeste cognoscitur, in quo dicitur : Date mutuum, nihil inde sperantes : hujusmodi homines pro intentione lucri, quam habent, cum omnis usura et superadundantia prohibeatur in lege, judicandi sunt male agere, et ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda in animarum judicio efficaciter inducendi.

Clementis V definitiones emissæ cum concilio Viennensi, an. 1311, 1312. — *B. Clemens V in concilio Viennensi de usuris* (*Clementin. l.* v, *tit.* 5, *De usuris*, c. Ex gravi). — Si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum velut hæreticum puniendum.

Benedicti XIV Encyclica Vix pervenit, *ad Italiæ episcopos, de usura*, 1 *Nov.* 1745 — Sed illud diligenter animadvertendum est, falso sibi quemquam et nonnisi temere persuasurum, reperiri semper ac præsto ubique esse vel una cum mutuo titulos alios legitimos ; vel, secluso etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titulorum vel contractuum præsidio, quotiescunque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicunque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum ultra sortem integram salvamque recipere. Ita si quis senserit, non modo divinis documentis et catholicæ Ecclesiæ de usura judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui ac naturali rationi procul dubio adversabitur. Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur homo simplici ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso præsertim Christo Domino docente : Volenti mutuari a te, ne avertaris (*Matth.* v, 42), et quod similiter multis in circumstantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero justoque contractui locus esse possit. Quisquis igitur suæ conscientiæ consultum velit, inquirat prius diligenter oportet, verene cum mutuo justus alius titulus, verene justus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quærit lucrum, omni labe expers et immune reddatur.

Ibid. — Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem et locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo (quod suapte natura tantumdem duntaxat reddi postulat, quantum receptum est) plus sibi reddi velit, quam est receptum, ideoque ultra sortem lucrum aliquod, ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea hujusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum et usurarium est

Per hæc autem nequaquam negatur, posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, utaiunt, titulos, eosdemque ipsimet universim naturæ mutui minime innatos et intrinsecos, forte concurrere, ex quibus justa omnino legitimaque causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios diversæ prorsus naturæ a mutui natura contractus, recte collocari et impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam et negotiationem exercendam, honestaque inde lucra percipienda.

Concilii Lateranensis II, *an.* 1139, *canones.* — *Can.* 13. Porro detestabilem et probrosam, divinis et humanis legibus per Scripturam in Veteri et in Novo Testamento abdicatam : illam, inquam, insatiabilem fœneratorum rapacitatem damnamus, et ab omni ecclesiastica consolatione sequestramus, præcipientes, ut nullus archiepiscopus, nullus episcopus vel cujuslibet ordinis abbas, seu quivis in ordine et clero, nisi cum summa cautela usurarios recipere præsumat, sed in tota vita infames habeantur et, nisi resipuerint, christiana sepultura priventur (1).

Decreta quædam de usura. — *Responsum S. Romanæ et universalis Inquisitionis ad dubium episcopi Nicæensis d.* 17 *Jan.* 1838. — Dubium proponebatur :

An pœnitentes, qui moderatum lucrum solo legis titulo dubia vel mala fide perceperunt, absolvi sacramentaliter possint, nullo imposito restitutionis onere, dummodo de patrato ob dubiam vel malam fidem peccato sincere doleant et filiali obedientia parati sint stare mandatis Sanctæ Sedis.

Responsum est : *Affirmative dummodo parati sint stare mandatis Sanctæ Sedis.*

Responsum Pii VIII ad dubia episcopi Rhedonensis. — Episcopus Rhedonensis in Gallia exponit sacræ Congregationi Inquisitionis, non eamdem esse confessariorum suæ diœcesis sententiam de lucro percepto ex pecunia negotiatoribus mutuo data, ut ea ditescant.

De sensu epistolæ Encyclicæ *Vix pervenit* acriter disputatur. Ex utraque parte momenta afferuntur ad tuendam eam, quam quisque amplexus est, sententiam, tali lucro faventem, aut contrariam. Inde querelæ, dissensiones, denegatio sacramentorum plerisque negotiatoribus isti ditescendi modo inhærentibus, et innumera damna animarum.

Ut animarum damnis occurrant, nonnulli

(1) Cfr. Leo IX in Rhemen. Syn., Lat. III can. 25, Gregorius X in generali Lugd. II in VI l. 5 tit. 5 c. 1 et 2. Multi videntur hanc concilii sanctionem pro positiva tantum prohibitione habuisse. Hinc Alex. III *l.* 5 Decr. tit. 19 de usuris c. 4 declarat, non posse in recipienda ad usuram pecunia dispensationem fieri, neque etiam ut pauperes, qui Saracenorum captivitate tenentur, per eamdem possint pecuniam liberari, sicut Scriptura sacra prohibet pro alterius vita mentiri. Ibid. c. 5 rejicit quorumdam exceptionem, illas tantum usuras esse restituendas, quæ post Lateranensis II decretum fuerunt receptæ. Denique c. 9 ipsos hæredes filios vel extraneos ad restitutionem teneri statuit. Multis etiam decretis Innocentius III (in eodem titulo) decretorum istorum observationem urget.

Digitized by Google

confessarii mediam inter utramque sententiam viam se posse tenere arbitrantur. Si quis ipsos consulat de istiusmodi lucro, illum ab eo deterrere conantur. Si pœnitens perseverat in consilio pecuniam mutuo dandi negotiatoribus, et objiciat sententiam tali mutuo faventem multos habere patronos, et insuper non fuisse damnatam a sancta Sede non semel ea de re consulta; tunc isti confessarii exigunt, ut pœnitens promittat se filiali obedientia obtemperaturum judicio summi Pontificis, si intercedat, qualecunque sit; nec, hac promissione obtenta, absolutionem denegant, quamvis probabiliorem credant opinionem contrariam tali mutuo. Si pœnitens non confiteatur de lucro ex pecunia sic mutuo data, et videatur in bona fide; isti confessarii etiamsi aliunde noverint ab eo perceptum esse, aut etiam nunc percipi istiusmodi lucrum, eum absolvunt, nulla ea de re interrogatione facta, quando timent, ne pœnitens admonitus restituere, aut a tali lucro abstinere recuset.

Inquirit ergo dictus episcopus Rhedonensis :

I Utrum possit horum posteriorum confessariorum agendi rationem probare.

II. Utrum alios confessarios rigidiores ipsum adeuntes consulendi causa possit hortari, ut istorun agendi rationem sequantur, donec Sancta Sedes expressum ea de quæstione judicium ferat.

Feria 4, die 18 Augusti 1830, Sanctissimus Dominus noster Pius divina Providentia Papa VIII, in solita audientia R. P. D. Assessori Sancti Officii impertita, audita relatione superiorum dubiorum una cum voto eminentissimorum DD. cardinalium inquisitorum generalium, respondit :

Ad. I. Non esse inquietandos.

Ad. II. Provisum in primo.

INTEMPERANTIA

[Ex SS. Patribus.]

S. Ambrosius, in serm. *de jejunio.* — Male dominæ servitur gulæ, quæ semper expetit, nunquam expletur.

Idem. — Quid miserabilius ventre? hodie suscipit, cras exigit; cum impletus fuerit, disputatur de continentia; cum digesserit, vale virtutibus dicitur.

Idem, *Lib. de Cain et Abel.* — Plurimos gula sua occidit, nullum frugalitas; innumeris vina nocuerunt, nulli parcimonia; plerique inter epulas fudere animas, et mensas proprio repleverunt sanguine.

Idem, *ibid.*, c. 8, *De Elia.*—Non coquinam sed carnificinam putes; prælium geri non prandium, adeo omnia sanguine natant.

Idem, *ibid.* — Procedente potu longius, contentiones diversæ, et magna certamina quis bibendo præcellat.

Idem, *ibid.*—Agonothetes illic furor est, stipendium debilitas, victoriæ præmium culpa.

Idem, *ibid.* — Rogas (amicos) ad jucunditatem, cogis ad mortem; invitas ad prandium, effers ad sepulchrum; cibos promittis, tormenta irrogas; vina prætendis, venena suffundis.

S. Hieron., *Sermonib.* — Semper saturitati juncta est lascivia.

Idem, l. II *in Jovianum.* — Esus carnium et potus vini, ventrisque saturitas, seminarium libidinis est.

Idem, *ibid.* — Et ex viissimis vitanda est satietas; nihil enim ita obruit animum, ut plenus venter.

Idem, *ibid.* — Vinum et adolescentia, duplex est incendium voluptatis; quid oleum flammæ adjicimus?

Idem, *epist. ad Oceanum.* — In vino luxuria est, ubicunque saturitas et ebrietas, ibi libido dominatur.

Idem, *in Matth.* — Cor habet in ventre gulosus.

Idem, l. II *in Jovianum.* — Si quis existimat ex abundantia ciborum potionumque se perfrui, et vacare posse sapientiæ, hoc est versari in deliciis et deliciarum vitiis non teneri, se ipsum decipit.

Idem, epist. 83. — Animus mero æstuans, cito despumat in libidinem.

S. Gregorius, *Moral.* — Semper epulas comitatur voluptas, nam dum corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur.

Idem, l. III *Moral.* — De ventris ingluvie inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagatur.

Idem, *ibid.* — Voluptas sub necessitate se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat.

Idem, l. XXX, c. 17. — Non cibus sed appetitus in vitio est, unde et lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, et abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus.

Idem, *ibid.*— Dominante gulæ vitio, omne quod homines fortiter gerunt, perdunt

Idem, *Reg.* — Gulæ vitio rescisso, mutua simul vitia resecantur

Idem, *ibid.* — Gula innumera vitiorum agmina ad animæ conflictum perducit.

S. August. lib. III *De doctr. christiana.* — Fieri potest ut sapiens pretiosissimo utatur cibo, sine vitio cupiditatis, insipiens autem, fœdissima gulæ flamma in viilssimum exardescat.

Idem, l. X *Confess.*, c. 32. — Quod saluti satis est, delectationi parum est

Idem, serm. 230 *De tempore.* — Si et te, et alium inebriaveris, habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum

Digitized by Google

S. Aug., *Ad sacras virgines.* — Ebriosus confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, invenit damnationem æternam.

Idem vel alius auctor l. *De salutare docum.* c. 37. — Fugimus ebrietatem, ne in crimen luxuriæ incurramus

Idem, lib. x *Confess.*, cap., 30. — Quis est qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? certe ego non sum, quia homo peccator sum.

S. Chrysostomus, homil. 21 *in Matth.* — Quod necessitatem in edendo excedit, id non alimentum, sed pestis est : satietas malorum omnium origo.

Idem, hom. 44 *in Joan.* — Nihil est gula perniciosius, nihil ignominiosius est; hæc obtusum et crassum ingenium, hæc carnalem animum reddit; hæc cæcat intellectum, nec sinit ut quidquam perspiciat.

S. Chrysolog., in quodam sermone. — Ubi regnat ebrietas, ratio exsulat, intellectus obtunditur, consilia deviant, judicia subvertuntur.

S. Basil., *De vera virginit.* — Omnibus in locis cibus qui sit ad victum necessarius solerti ratione inquirendus, condimentorumque elaboratæ blanditiæ et voluptatis illecebræ repudiandæ.

Idem, serm. *de abdicat.* — Gulæ vitium non in escarum copia naturæ suæ vim exercere novit, sed in voluptate atque gustatu.

Cassianus, *Institut. onast* — Non sola crapula vini mentem inebriare consuevit, verum etiam cunctarum escarum varietas.

Idem, *ibid.* — Primum nobis calcanda est gulæ concupiscentia.

Isidorus, *De summo bono.* — Sicut omnes carnales cupiditates per abstinentiam resecantur, ita omnes animæ virtutes edacitatis vitio destruuntur.

Idem, l. i, cap. 42. — Nemo potest virtutum perfectionem attingere, nisi prius ventris edomuerit ingluviem.

Idem, l. ii. — Plerisque laus est multum bibere, et non inebriari; audiant ii adversum se dicentem prophetam : *Væ, qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem?* (*Luc.* vi, 24.)

Idem. — Fiunt abundantia ciborum fomenta vitiorum.

S. Hilarius, *in psalm.* cxxv. — Quid infelicius ebrietatis dominatu? ventri ultra capacitatem infundere, sensui rationem adimere, non loqui, non meminisse, non stare, et mortem quamdam naturæ incolumis imperare.

Tertullian., *in Psal.* — Monstrum haberetur libido sine gula.

Idem. — Divitiæ edacitatis abnormitati deserviunt.

Idem. — Appendices gulæ lascivia atque luxuria.

S. Leo, serm. 12 *Quadrages.* — Non sufficit gulæ quod sufficit naturæ.

INTENTIO BONA

[Ex SS. Patribus.

S. August., *in Joan.* — Noli ad præmium diligere Deum, ipse sit præmium tuum.

Idem, *in psal.* xiii. — Non valde attendas quid homo faciat, sed quid, cum facit, aspiciat.

Idem, *in Matth.* — Quod bona intentione non facis, non tibi proderit, quia quomodo feceris, non quomodo evenerit, tibi imputabitur.

Idem, *in Psal.* — Magni interest, cum aliquid boni facimus, cujus res contemplatione facimus; officium quippe nostrum, non initio, sed fine pensandum est; ut scilicet, non tantum si bonum est, sed propter quod facimus, cogitemus.

Idem, serm. 250 *De temp.* — Amemus, gratis amemus; Dominum enim amamus, quo nihil melius invenimus; ipsum amemus propter ipsum.

Idem, vel alius auctor, *in Soliloq.* 14. — In omnibus quæ agimus, finem intentionis magis quam actum operationis Deus attendit.

Idem, *De Civitate Dei.* — Martyrem Christi non discernit pœna, sed causa.

S. Greg. l. xxviii *Moral.*, c. 6. — Deus cor, et non substantiam pensat; non cogitat quantum, sed ex quanto quis operatur.

Idem, *Homil. in Evang.* — Sic sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto; ut et de bono opere proximis præbeamus exemplum, ut tamen per intentionem, qua soli Deo placere possumus, semper operemus secretum

Idem, *Lib. Mor.* — Summa cura vigilandum est, ne vel operibus bonis serviens, mens reproba intentione polluatur.

Idem, *ibid.* — Cum perversa intentione vel rectum quid agitur et si splendere coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni judicis obscuratur.

Idem, *ibid.* — Sicut fabrica columnis, columnæ autem basi innituntur, ita vita nostra in virtutibus, virtutes autem in intentione intima subsistunt.

Idem, *Reg.* — Nulla est lux operis, quam non præcedit rectitudo intentionis.

Idem, l. i *Dial.*, c. 10. — Multa videntur bona quæ non sunt, quia bono animo non fiunt.

Idem, *Moral.*, l. i c. 25. — Aliquando, hostis noster in bono opere intentionem polluit, ut omne quod actionem sequitur, eo purum non exeat, quo ab origine illud perturbat.

Idem, *Moral.*, l. viii, c. 25. — Qui pro virtute quam agit humanos favores desiderat, rem magni meriti pro vili pretio venalem portat.

Digitized by Google

S. Ambros., l. 1 *Offic*, c. 130 — Affectus divitem collationem ante pauperem facit, et pretium rebus imponit.

Salvian., ex lib. *Eccl. cathol.* — Oblata Deo, non pretio sed affectu pensantur.

S. Hieronym., *epist. ad Luc.* — Non satim qui jejunat, Deo jejunat aut extendens pauperi manum Deo fœnerat; vincta sunt vitia virtutibus; difficile est Deo judice esse contentum.

INVIDIA

[Ex SS. Patribus.]

S. Ignat., *Epist. ad Heronem.*, tom. II. — Invidiam fuge. Auctor siquidem illius diabolus est; et successor Caïn, qui fratri invidit, ac ex invidia homicidium perpetravit.

Philo. Jud., *Lib. de specialibus legibus.* — Insidiabatur mihi gravissima pestis invidia, virtutis adversaria, quæ nec opinantem aggressa non prius desiit deorsum trahere, quam vi conjecit in profundum mare curarum spectantium rempublicam, quibus jactatus ne nunc quidem enatare valeo.

Tertull., lib. IV *contra Marc.*, cap. 16.— A primordio enim justitia vim patitur; statim ut coli Deus cœpit, invidiam religio sortita est. Qui Deo placuerat occiditur, et quidem a fratre, quo proclivius impietas alienum sanguinem insectaretur, a suo auspicata, insectata est.

S. Cyprian., *De Zelo. et livore.*—Si quis penitus livoris malum inspiciat, inveniet nihil magis cavendum Christiano quam ne quis invidia et livore capiatur; ne quis fallentis inimici cæcis laqueis implicatus, gladio suo nescius ipse perimatur. Qualis cogitationum tabes, zelare in altero vel virtutem ejus vel felicitatem; id est odisse vel merita propria, vel beneficia divina; in malum proprium bona aliena convertere, aliorum gloriam suam facere pœnam; velut quosdam sensibus suis adhibere tortores qui cordis secreta malevolentiæ ungulis pulsent? Quicunque es invidus et malignus, videris quam sis eis quos odisti infestus; nullius magis quam tuæ salutis inimicus es. Quisquis ille est quem zelo persequeris, subterfugere te poterit; tu te non potes fugere : ubicunque fueris, adversarius tuus tecum est, pernicies intus inclusa est. — Perseverans malum est hominem persequi ad Dei gratiam pertinentem : calamitas sine remedio est, odisse felicem. Qui fuerit minimus in omnibus vobis, hic erit magnus. (*Luc.* IX, 48.) Discipulo Christi zelare non licet, non licet invidere. Exaltationis apud nos non potest esse contentio : de humilitate ad summa crescimus

S. Basil. *Hom. de Invidia*, t II. — Bonus est Deus, et bonorum iis qui digni sunt largitor: malus est diabolus, et cujuscunque iniquitatis artifex. Et quemadmodum ex bono consequens est, ut invidia careat; sic invidia diabolum sequitur. Caveamus igitur, fratres, invidiæ vitium, ne socii operum adversarii efficiamur, neve cum ipso inveniamur judicio eodem condemnati. Etenim si superbus in judicium incidit diaboli, quomodo invidus paratum diabolo supplicium effugiet? Nam perniciosius nullum vitium innascitur in hominum animis, quam invidia quæ extraneos minime lædens primum malum est et domesticum habenti. Ut enim rubigo ferrum, ita invidia infectam ipsa animam absumit. Imo vero quemadmodum, viperas tradunt, exeso materno utero, nasci; ita quoque solet invidia parientem se animam vorare. Est enim Invidia dolor de proximi successu felici ac prospero. Quamobrem nunquam mœror, nunquam molestia deest invidenti.

Estne proximi ager fertilis, vitæne commodis omnibus abundat domus, an ipsis animi oblectamentis vir non caret? hæc omnia pabulum sunt morbi, et, accessio doloris invido. Quare ab homine nudo qui ab omnibus sauciatur, nihil differt. Fortis est aliquis et robustus? bona est corporis habitudine? hæc vulnerant invidum. Alius est forma elegantiori? alia hæc est invidi plaga. Præstat animi dotibus quispiam plerisque? Prudentia ac dicendi facultate spectandus est atque æmulandus? Alius dives est, atque splendide munificus in largitionibus et in stipis erogatione erga egenos, multumque ab iis quos beneficiis affecerit, laudatur? omnia hæc plagæ sunt et vulnera medium cor ipsius percellentia. Et illud in hoc morbo gravissimum est, quod ne detegere quidem ipsum possit : sed demissis oculis, vultu tristitiam præ se ferente, confunditur, queritatur, atque hac lue perit : interrogatum autem de animi affectione, prodere pudet infortunium illud suum : Invidus sum et amarulentus, affligunt me amici bona : doleo de fratris lætitia, non queo aliena bona intueri : sed proximi secundam fortunam calamitatem duco. Hæc enim dicturus est, si vera loqui velit. Quorum dum nihil vult patefacere, morbum intus detinet, absumentem ejus viscera, atque corrodentem.

Itaque neque admittit medicum morbi, neque medelam ullam hujus vitii expultricem invenire potest; quanquam Scripturæ medicamentis ejusmodi sunt refertæ : sed unicum miseriæ suæ levamen exspectat, si cubi videat quempiam ex iis quibus invidet ruentem. Hæc est odii meta, eum cui invidetur, miserum ex felici videre, et eum qui beatus habebatur, infelicem fieri. Tunc initur fœdus, et fit amicus cum viderit lacrymantem, cum lugentem conspexerit. Et vero non lætatur cum hilari, sed cum lugente lacrymatur. Atque vitæ mutationem, ex quibus, in quæ exciderit, miseratur, non humanitate quapiam, nec ullo commiserationis sensu priorem statum verbis efferens, sed ut eum calamitate graviore afficiat. Laudat filium post obitum, et innumeris

Digitized by Google

præconiis condecorat, quam fuerit formosus visu, quam ingeniosus, quam idoneus ad omnia; cui, dum viveret, ne verbum quidem bene ominatum dixisset. Sed si multos viderit ad laudandum concurrentes, rursus, mutata sententia, invidet mortuo. Miratur perditas opes. Elegantiam corporis aut robur, et bonam habitudinem post morbos laudat et extollit. Et in summa, eorum quæ suppetunt, inimicus est: eorum quæ pericre amicus

Quid igitur hac lue exitiosius esse possit? corruptela vitæ, pernicies naturæ, eorum quæ nobis a Deo data sunt bonorum odium, adversa Deo indoles. Quid malorum auctorem dæmonem ad bellum adversus homines tanto cum furore impulit? nonne invidia? Per quam et cum Deo ipso pugnare palam deprehensus est. Qui infensus quidem Deo erat propter munificentiam erga hominem: sed hominem, cum Deum non posset, ulciscebatur. Eadem et Cain fecisse perhibetur, primus ille diaboli discipulus, edoctus ab ipso et invidiam et cædem, germana scelera, quæ et Paulus conjunxit his verbis: *Plenos invidia, homicidio.* (*Rom.*, I, 29.) Quid igitur erat quod fecit? Vidit delatum a Deo honorem, et exarsit æmulatione, occiditque honoratum, honorantem ut perstringeret. Nam cum imbecillis esset ad Deum impugnandum, in fraternam cædem animum transtulit.

Fugiamus, fratres, ægritudinem ejus quæ in Deum fit pugnæ magistram, homicidii matrem, naturæ confusionem, necessitudinis ignorationem, molestiam absurdissimam. Cur afflictaris, homo, nihil grave passus? Quid bello petis fruentem bonis aliquibus, nihilque de tuis imminentem? Quod si vel beneficiis affectus indignaris, nonne palam tuis ipse commodis invides? Ejusmodi Saul erat, cui beneficiorum magnitudo bellum Davidi inferendi ansa erat et origo. Primum quidem modulatissima illa ac divina musica ab infantia liberatus, conabatur accepti beneficii auctorem hasta transfigere. Deinde una cum ipso exercitu ex hostium manibus incolumis ereptus, et eo qui a Goliath inurebatur dedecore liberatus, cum tamen saltatrices quædam decemplicem partem rerum gestarum Davidi in epiniciis tribuerent, canentes: *Percussit David in decem millibus, et Saul in millibus suis* (*I Reg.* XVIII 7), ob unam hanc vocem, et ob redditum ab ipsa veritate testimonium, primum sua eum manu interimere, atque insidiis de medio tollere aggressus est: exinde Davide in fugam acto, ne sic quidem odio finem imposuit, sed postremum expeditione cum tribus electorum millibus adversus illum susceptа, deserta loca perscrutabatur. Quod si fuisset belli causam interrogatus, respondisset plane viri esse beneficentiam. Ille scilicet ipso persecutionis tempore cum dormiens deprehensus fuisset, posseque ab hoste facile occidi, et cum iterum a justo, qui injicere in eum manus nolebat, servatus esset incolumis, nequaquam flexus est hoc beneficio: sed et rursus colligebat exercitum, et rursus illum persequebatur, quoad iterum ab eodem in spelunca interceptus, et ejus virtutem præstiterit illustriorem, et suam ipsius nequitiam manifestiorem reddiderit.

Neque enim in fluxis rebus ac caducis summum bonum constituimus; sed sumus ad æternorum verorumque bonorum participationem vocati. Quare dives nondum beatus habendus est ob divitias; non potens propter auctoritatis amplitudinem; non fortis propter corporis robur; non sapiens ob eximiam dicendi facultatem. Hæc enim virtutis instrumenta sunt iis qui recte utuntur, non autem ipsa in seipsis felicitatem continent. Quisquis igitur male eis utitur, miserabilis est, non aliter quam qui, accepto ad hostes ulciscendos gladio, semetipsum sua sponte et voluntate saucial. Quod si bene et juxta rectam rationem præsentia tractet, sitque dispensator bonorum a Deo collatorum, nec ea, suis ipsius commodis ac voluptati inserviturus, congerat, laude et amore dignus est ob dilectionem in fratres suam, et ob liberalem ac beneficam indolem.

Adhæc fontem scaturientem obturat nemo, nec quisquam est, qui, sole illucescente, obvelet oculos, aut conspicientibus invideat; sed precatur ut sibi quoque liceat his uti. Atque adeo cur spirituali sermone in Ecclesia scaturiente, pioque corde ex spiritus donis se in modum fontis effundente, non præbes aures cum lætitia? Quid grato animo non capis utilitatem? imo te plausus pungit audientium, vellesque neque esse qui utilitatem perciperet, neque qui laudaret. Quam hæc habitura sunt excusationem apud cordium nostrorum judicem? Igitur animæ bonum natura bonum esse putandum est. At vero eum qui divitiis affluit, et ob potentiam et corporis bonam habitudinem magnum quiddam sapit, atque his quæ habet probe utitur, diligere par est et observare, ut communibus vitæ instrumentis instructum, si modo hæc ex recta ratione dispenset; ita ut pecuniarum erogatione liberalis sit in egenos, infirmisque det operam corpore, ac totam reliquam supellectilem non magis suam esse ducat, quam alterius cujusvis indigentis. Contra hominem qui non ita erga hæc affectus est, miserum potius quam invidia dignum existimare convenit, quod ad hoc ut malus sit habet occasiones majores. Hoc est enim cum majori apparatu ac labore perire. Etenim si divitiæ adminicula sunt ad injustitiam, miserabilis est dives; sin autem inserviunt virtuti excolendæ, nullus est locus invidiæ, cum earum communis utilitas omnibus proponatur, nisi quis forte tanta sit malignitate, ut etiam sibi ipse bona invideat.

S. Greg. Naz., orat. 36, t. I. — Hæc (invidia) et Luciferum obscuravit, ob mentis elationem prolapsum; indignum enim atque intolerandum ducebat, se, cum divinus esset, non Deum quoque existimari: Adamum quoque, per voluptatem et mulierem

Digitized by Google

circumventum, e paradiso expulit. Adductus est enim ut deitatem sibi invideri crederet, dum a scientiæ ligno hactenus arceretur. Hæc et Cain ad inferendam fratri necem impulit, quod purius sanctiusque ejus sacrificium æquo animo ferre non potuisset. Hæc et mundum immunde atque incomposite se gerentem aquis texit, et Sodomitas igne obruit. Hæc et Dathan et Abiron, adversus Moysen furore elatos, in terram defodit, et Mariam quæ adversus fratrem tantummodo murmuraverat lepra infecit. Hæc et prophetarum cruore terram contaminavit, et sapientissimum illum Salomonem per mulieres perculit. Hæc et illum laqueo dignum Judam, exigua pecunia illectum, proditorem exhibuit, et Herodem puerorum interfectorem, et Pilatum Christicidam effecit. Hæc et Israelem ventilavit ac dispersit, ne nunc quidem adhuc e peccato suo emergentem. Hæc et Apostatam tyrannum (*Julianum*) in nos excitavit, cujus carbones adhuc molestiam inferunt, licet flammam ipsam effugerimus. Hæc et præclarum Ecclesiæ corpus discidit, in diversa et contraria studia dissectum.

S. Chrysost., hom. 17. *de invidia*, t. XII. — Nihil ita nos ab invicem separare et divellere consuevit, sicut invidia et livor; gravis ille morbus omnique carens venia; ipsa quoque omnium malorum radice, avaritia longe sævior. Avarus enim tunc lætatur, cum ipse aliquid accipit; invidus autem cum alius nihil accipit, delectatur, suum existimans beneficium, aliorum infelicitatem. Quo quid insanius esse possit? Propria enim mala negligens, aliorum bonis contabescit, inaccessum sibi ipsi faciens cœlum; et vero ante cœlum ipsum, etiam præsentem vitam injucundam et acerbam. Non enim ita lignum et lanam insidens tinea et vermis corrodere solet, sicut invidiæ febris ipsa invidentium absumit ossa, animique labefactat moderationem.

Non erraverit quis, si belluis et dæmonibus pejores invidos appellaverit. Belluæ namque cum alimento indigent, aut cum prius a nobis sunt concitatæ, tum demum sese contra nos armant: hi vero beneficiis etiam affecti, frequenter eodem modo, quo injuria se afficientes, benefactores tractaverunt. Et dæmones in nos quidem implacabile odium habent: iis autem, qui ejusdem generis sunt, cum ipsis non insidiantur; hi vero neque naturæ communitatem reverentur, neque propriæ saluti parcunt; sed ante illos, quibus invident, suas ipsi animas pœnis afficiunt, omni tumultu et tristitia eas temere et sine causa complentes.

Ejusmodi quid est invidia, ut ea pejus vitium non facilefuerit? Et enim adulter voluptatem saltem aliquam percipit, et brevi tempore perficit peccatum suum. Invidus autem se ipsum priusquam cui invidet, punit et cruciat, nec unquam a peccato desistit, sed in eo faciendo est assiduus. Quemadmodum enim porcus luto, et dæmon pernicie nostra gaudet; ita hic quoque proximi lætatur malis: ac si quid triste accidat, tunc refocillatur ac respirat, alienas calamitates suam jucunditatem, suaque mala aliorum bona ducens. Et sicut scarabæi aluntur stercore, ita etiam isti alienis adversitatibus; communes quidam inimici et hostes naturæ. Et alii quidem bruti animalis, cum mactatur, miserentur; isti vero hominem cernentes beneficio affici, efferantur, et tremunt, et expallescunt. Et quid hac insania pejus esse possit? Cur expallescis, dic mihi, et tremis, et stas trepidus? Quid mali accidit? An quia clarus est frater, et spectabilis et probus? Non igitur coronari te oportebat et gaudere, Deumque laudibus celebrare, quod membrum tuum illustre et conspicuum videas? An vero doles quod Deus laudibus cumuletur? Vide quo bellum tendat. Non hoc me turbat, inquit, sed per me Deum cuperem celebrari. Gaude igitur, cum frater tuus bene audit, et denuo per te Deus laudibus celebratur. Etiamsi enim hostis esset et inimicus, Deus autem per ipsum celebraretur, amicum facere ob hoc oporteret.

Tu vero ex amico inimicum facis, quoniam Deus per hunc nominis illius splendorem laudibus colitur. Et quomodo aliter bellum contra Christum ostendisses? Propterea sive signa quis faciat, sive virginitatem, sive jejunium, sive humi dormitionem ostenderit, ac per ejusmodi virtutem ad angelos usque pervenerit, invidiæ vero subjectus sit affectui, omnibus est exsecrabilior. Si enim amicos diligere, nihil nos amplius ethnicis habere sinit, ubi ille stabit qui etiam amicis invidet? Etenim invidere pejus est, quam bellum inferre. Qui enim bellum infert, sublata belli causa, inimicitias quoque dissolvit; at invidus nunquam amicus fuerit. Et ille quidem manifestum certamen ostendit, hic vero obscurum. Atque ille rursus frequenter justam causam belli dicere potest; hic vero nihil, quam insaniam mentemque satanicam. Et sicut qui injuria afficit, non lædit, sed læditur; ita qui proximo insidias struit, seipsum interimit. Ac veluti cum proximos lædimus, nos ipsos lædimus, sic etiam cum illis benefacimus, nobis ipsis benefacimus.

Nam qui male audit, falso tamen, non solum læsus non est, sed et maximam habet mercedem. Non enim qui mala patitur, sed qui facit, hic supplicio dignus est, si ille non justas maledicentiæ ansas præbeat. Et sicuti fieri non potest, ut ab omnibus bene audiat virtute præditus; ita non potest fieri ut ab omnibus male audiat, nisi multas ex multis rebus ipse sibi præbeat occasiones. Quæ vero publice fiunt maledicta, frequenter improbos et impudentiores faciunt homines. Plerique enim peccantium, quandiu vident, se latere posse, facile redire in animo constituunt; cum vero suam apud vulgum existimationem amiserint, et in desperationem incidunt, et impudentes evadunt. At enim injuriæ aliquid ab ipso accepisti? Quid igitur teipsum quoque injuria afficis? Qui enim suam injuriam ulciscitur, contra seipsum gladium impellit.

Digitized by Google

Si igitur et tibi ipse benetacere, et illum ulcisci velis, loquere honorifice de eo qui te offendit : si vero male de eo loquaris, non habeberis dignus fide, de inimicitiis scilicet suspectus. Etenim inimicitiæ, dum audientium cogitationibus occurrunt, non permittunt ea quæ dicuntur in eorum auribus reponi.

Sed ejusmodi res est invidia : non sustinet benigne aliorum aspicere felicitatem ; sed proximi prosperitatem, suam infelicitatem esse arbitratur, bonisque proximi contabescit. Quale quid rex Gerarorum passus est (*Gen.* xxvi) ; dum videret Isaaci quotidie augeri facultates, timebat, et inde discedere justum cogebat. Sed æquum est ipsa sacræ Scripturæ verba audire. *Seminabat autem*, inquit, *Isaac in terra illa, et invenit in illo anno hordeum centuplum.* Vides liberalitatem Domini? Vides beneficentiæ amplificationem? Sed videamus etiam regis invidiam quæ nascebatur ob abundantiam justi. *Recede*, inquit a nobis, *quoniam potentior nobis factus es.* Et revera potentior erat; quippe qui supernum in omnibus auxilium haberet, et a dextra Dei protegeretur. Quo igitur expellis justum? An nescis quia quocunque ipsum contingat abire, in iis quæ Domini sunt, eum esse necesse sit? Licet enim in ipsam solitudinem abire coegerit æque potentem Dominum habet, quam ibi fuit, ut multo illustriorem eum reddat. Per contraria enim maxime contraria frequenter administrat.

S. August. *De Baptismo, contra Donatistas*, lib. iv, tom. IX. — Jam vero ipsa invidia, quæ non potest esse nisi malevola, quantum malum est ! Non quæramus alios testes, sufficit nobis ipse Cyprianus, per quem tam multa de zelo et livore Dominus veracissima intonuit, et salubria præcepit. Legamus ergo epistolam Cypriani de zelo et livore, et videamus quantum malum sit invidere melioribus, cujus mali originem ab ipso diabolo exstitisse memorabiliter docet: *Zelare* inquit, *quod bonum videas, et invidere melioribus, leve apud quosdam, et modicum crimen videtur, fratres dilectissimi.* Deinde paulo post, cum ejus mali caput atque originem quæreret: *Hinc diabolus*, inquit, *inter initia statim mundi, et perit primus et perdidit.* Et paulo post: *Quale malum est*, inquit, *fratres dilectissimi, quo angelus cecidit, quo circumveniri et subverti alta illa et præclara sublimitas potuit, quo deceptus est ipse qui decepit ? Exinde invidia grassatur in terris, dum livore periturus magistro perditionis obsequitur, dum diabolum qui zelat imitatur, sicut scriptum est : Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum, imitantur ergo illum qui sunt ex parte ejus.* Hæc verba Cypriani in epistola populis nota, quam vera, quam fortia sint recognoscimus. Vere decuit Cyprianum de zelo et livore et arguere graviter et monere, a quo tam mortifero malo cor ejus penitus alienum tanta charitatis abundantia comprobavit.

Idem, in quod. serm.—Invidia est odium alienæ felicitatis, respectu superiorum, quia eis non æquatur; respectu parium, quia sibi æquantur. Unde Cain invidit Abel prosperitati, Rachel Liæ fecunditati, Saul David felicitati. Per invidiam procuratus est lapsus mundi et mors Christi.

Idem, *De verb. Domini super Matth.* — Invidia est filia superbiæ; sed ista mater superbia nescit esse sterilis, ubi fuerit, continuo parit ; suffoca matrem, et non erit filia

S. Hieronym., *in epist. ad Demetr.* — Oro te, quid invido delectationis præstat invidia ? quem secretis quibusdam conscientiæ ungulis livor ipse discerpit et alienam felicitatem tormentum facit ?

S. Gregor., *Moral.* — Quid istis infelicius quos, dum conspecta felicitas afficit, pœna nequiores reddit? Aliorum vero bona quæ habere non possunt, si diligerent, sua facerent. Sic quippe sunt universi consistentes in fide sicut multa membra uno continentur in corpore, quæ per officium quidem diversa sunt, sed eo quo sibi vicissim congruunt, unum fiunt. Unde fit ut pes oculum videat, et per pedes oculi gradiantur, ori auditus aurium serviat, et ad usum suum auribus oris lingua concurrat, suffragetur venter manibus, ventri operentur manus. In ipsa igitur corporis positione accipimus, quod in actione servemus. Nimis itaque turpe est non imitari quod sumus. Nostra sunt nimirum, quia etsi imitari non possumus, amamus in aliis et amantium fiunt quæque amantur in nobis. Hinc ergo pensent invidi, charitas quantæ virtutis est, quæ alieni quoque laboris opera nostra facit sine labore.

Idem, admonit. 11. — Invidi color pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, membra frigescunt. Fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor. Nam cum invidi mentem livor excruciat, bonum quod appetit sibi ab alio adimi, aut restringi metuit ; qui ergo liveris peste plene carere desiderat, illam hæreditatem diligat quam cohæredum numerus non angustat.

Idem, *Moral.*, lib. v. — Parvulus est qui invidia occiditur; qui nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret. Sed inter hæc sciendum est quod, quamvis per omne vitium quod perpetratur humano cordi antiqui hostis viis infunditur, in hac tamen nequitia sua tota viscera serpens commovit, et imprimendæ malitiæ pestem vomuit.

S. Bernard., epist. 7, *ad Adam.*, tom. I. — *Nonne oculus tuus nequam est, quia ille bonus ?* (*Matth.* xx, 15.) O quisquis es qui saluti invides alienæ, parcito vel tuæ. An nescis quod *invidia diaboli intravit mors in orbem terrarum?* (*Sap.* ii, 24.) Attende itaque tibi. Si enim ubi invidia, ibi mors, profecto non potes simul et invidere et vivere. — Uni invidens, duos tibi reddis infensos : dum et Dominum servi obsequio, et Domini gratia servum fraudare conaris. Tu quare illum potius non imitaris, et ip e

Digitized by Google

videlicet persolvendo quod debes? Putasne et tuum non requiretur debitum? An potius propter hoc magis irritas impie Deum, quia dicis in corde tuo : *Non requiret*?

IRA FURÓR

[Ex SS. Patribus.]

S. Herm., *Past.*, l. II, tom. I. — Audi nequitiam iracundiæ; quam prava, quamque noxia est, et quo pacto servos Dei evertit? Qui enim pleni sunt in fide, non potest nocere illis; quoniam virtus Dei est cum illis. Evertit enim dubios et vacuos. Quoties autem viderit tales homines, injicit se in corda eorum; et de nihilo aut vir, aut mulier amaritudinem percipit, propter res quæ sunt in usu, aut pro convictu, aut pro aliquo verbo, si quod forte incidit, supervacuo, aut pro amico aliquo, aut debito, aut pro his similibus rebus supervacuis. Hæc enim stulta sunt, et supervacua, et vana servis Dei. Æquanimitas autem valida est et fortis, et habet virtutem magnam, et sedet in amplitudine magna, hilaris in pace gaudens, et honorificans Dominum in omni tempore mansuete. Hæc enim æquanimitas habitat cum bene fidentibus: nam iracundia stulta est et levis et fatua. De stultitia vero nascitur amaritudo; et ex amaritudine, iracundia; ex iracundia vero, furor. Hex tot malis creatus furor operatur peccatum magnum et insanabile. Cum enim hæc omnia in uno vase sunt, ubi et Spiritus sanctus moratur; non capit hos vas, sed supereffluit; quoniam tener Spiritus non potest cum malo spiritu immorari; recedit, et habitat cum mansueto. Deinde cum recesserit ab homine in quo habitabat, fit homo vacuus a Spiritu sancto, et postea repletur spiritibus malignis, et obcæcatur a cogitatione mala. Recede ergo tu ab iracundia, et indue animæquitatem, et resiste iracundiæ; et invenieris cum pudicitia et castitate a Deo. Vide ergo ne forte negligas hoc mandatum. Si enim huic mandato obedientiam præstiteris, et cætera mandata mea quæ tibi mandaturus sum poteris servare. Confirma ergo nunc te in mandatis istis, ut vivas Deo; et quicunque servaverint hæc mandata, vivent Deo.

Philo Jud., lib. *Quod Deus sit immutabilis.* — Illud est dogma generale, iram esse peccatorum fontem, sicut rationem originem bonorum operum.

Idem, lib. *Quod omnis probus liber.* — Quotquot homines in iræ, concupiscentiæ aut cujuscunque vitii perturbationisve insidiosæ potestatem deveniunt, omnes servituti serviunt.

Tertull., *De orat.*, cap. 9. — Quam temerarium est, aut diem sine oratione transigere, dum cessas fratri satisfacere; aut orationem perseverante iracundia, perdere! Nec ab ira solummodo, sed ab omni omnino confusione animi libera esse debet orationis intentio; de tali spiritu emissa, qualis est Spiritus ad quem mittitur. Neque enim agnosci poterit a Spiritu sancto, spiritus inquinatus; aut tristis a læto, aut impeditus a libero: Nemo adversarium recipit; nemo nisi comparem suum admittit.

Origen., *Comment. in Epist. ad Rom.*, l. IX, t. IV. — *Non vos vindicantes, carissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: « Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus. »* (*Rom.* XII, 19.) Hi qui se ipsos non vindicant, quomodo iræ locum dent, dupliciter mihi videtur intelligi. Nam et hoc ipso quod (verbi causa) manum manui non referunt, aut convicio convicium non reddunt, iræ illius qui fecit injuriam pertranseundi et evanescendi locum dederunt. Nemo enim ita rabidus invenietur qui, allata injuria, si vicem non recipiat, iterum sæviat; sed quasi effuso ac digesto furore necessario mitescit. Est ergo et grande lucrum ubi et peccantis multitudo compescitur peccatorum, et injuriam passi patientia probabilis fit apud Deum. Est autem et hoc modo iræ locum dare, quando pro his quæ inferuntur injuriis qui peccant, secundum ipsius Pauli sententiam, *Iram* sibi *thesaurizant in die iræ*, (*Rom.* II, 5, 6) *tunc cum reddet* Deus *unicuique secundum opera sua.* Si ergo nosmetipsos vindicemus, non est magnum quod pro injuria suscepta reddimus, verbi causa, aut palmam pro palma, aut saxum pro saxo, aut pro contumelia sermonis, sermonis nihilominus contumeliam. Si vero reservemus ea vindictæ Dei, in eo qui læsit nos locum damus iræ, illi sine dubio quam sibi ipse suis malis actibus thesaurizat, quæ de eo, in judicio Dei, multo graviores quam nos inferre possumus, exigat pœnas.

Iræ gradus et effectus.

S. Hilar., *Tract. in psal.* LVIII, t. I, c. 145. — *Eripe me de inimicis meis, Deus, et ab insurgentibus in me libera me. Eripe me de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum libera me.* (*Psal.* LVIII, 2, 3.) Vitiorum humanorum causas profectusque complexus est: ut unde orta est, et quo evaderet impietas nosceremus. Et idcirco iras et simultates et inimicitias Evangelium compressit, (cum irasci sine causa fratri reatus gehennæ sit, et oblatio muneris nisi post reconciliationem non concessa sit simultatis, et inimicos non solum diligendos, sed et pro his orandum esse decernit;) quia ex his ad virum sanguinum pervenitur. Nam primum inimici sunt; dehinc insurgunt in eum cujus inimici sunt; insurgentes autem iniquitatis operarii sunt; postremo iniquitatis operarii usque ad viros sanguinum profecerunt. Viros autem sanguinum non solum admissa cædes, sed et cogitata consummat.

S. Basilius, hom. 10, *adv. eos qui irasc.*,

Digitized by Google

t. II. — Cum Proverbiorum audimus disertam sententiam : *Ira perdit et prudentes* ; (*Prov.* XIII, 1), rursus cum audimus apostolicas commonitiones : *Omnis ira et indignatio, et clamor tollatur a vobis, cum omni malitia* (*Ephes.* IV, 31) ; item Dominum ipsum qui eum qui fratri suo temere irascetur, reum esse ait judicii ; cum denique experti fuerimus vitium quod in nobis non gignitur, sed forinsecus in nos tanquam improvisa quædam procella irruit, tunc maxime divinarum præceptionum miram excellentiam cognoscemus. Quod si ipsi iræ locum veluti fluento vehementi exitum unquam dedimus, ac silentio didicimus eorum qui hoc vitio tenentur indecoram perturbationem, tum reipsa perspectam habuimus dicti hujus solertiam, videlicet quod *vir iracundus haud honestus est.* (*Prov.* XI, 25, juxta LXX.) Postquam enim hoc vitium, depulsa ratione, dominium animæ semel usurpaverit, hominem prorsus convertit in belluam, et ne hominem quidem esse sinit, cum auxilio rationis privetur. Quod enim venenatis venenum est, hoc idem ira est exasperatis. Fiunt rabidi canum in morem, insiliunt ut scorpii, mordent ut serpentes. Novit et Scriptura eos qui vitio aliquo tenentur, bestiarum nominibus vocare, quibuscum necessitudinem affinitatemque per nequitiam contraxere. Nam canes mutos, serpentes, sobolem viperarum, et similibus nominibus ipsos appellat. (*Isa.* LVI, 10, *Matth.* XXIII, 33.) Qui enim ad mutuum exitium, et ad tribulium suorum perniciem parati sunt, possunt nec injuria inter bestias ac venenata numerari, quibus natura odium implacabile inest in homines.

Per iram linguæ fiunt effrenatæ, et ora incustodita; manus incontinentes, contumeliæ, probra, maledicta, plagæ et reliqua omnia, quæ ne numerare quidem ullus potest, vitia sunt ex ira et furore nata. Per iram ensis acuitur; patratur homicidium humana manu : per hanc fratres alii alios ignoravere, parentes quoque et liberi naturæ obliti sunt. Nam irati primum ignorant sese, deinde omnes simul familiares atque necessarios. Ut enim torrentes ad loca cava confluentes, quidquid obvium est transversum trahunt ; ita violenti ac impotentes irascentium impetus cunctos similiter invadunt. Non canities iratis est venerationi, non virtus vitæ, non sanguinis conjunctio, non beneficia prius accepta, non alia ulla dignitas. Brevis quædam est insania, ira. Irati scilicet plerumque in apertum malum conjiciunt seipsi, sua ipsorum commoda, ulciscendi studio, negligentes. Nam eorum qui ipsis molesti fuerunt, recordatione quasi œstro exstimulati ; effervescente in eis ira atque subsiliente, non prius cessant quam damnum aliquod inferant irritanti, aut forte ipsi, si ita contingat, accipiant : quemadmodum sæpe evenit ut quæ violenter alliduntur, plus accipiant detrimenti quam afferant, dum a rebus renitentibus conquassantur.

Quis possit id mali explicare ? Quomodo scilicet ii qui ad iram proclives sunt, ex levi occasione accensi, vociferantes, ferocientes, ac impudentius venenata quavis bestia irruentes, non prius desistant quam inflammatio per magnam immedicabilemque perniciem, Ira in ipsis bullæ in modum disrupta, discutiatur. Neque enim ensis acies neque ignis, neque aliud quidquam horrendum furentem ira animum cohibere potest, certo non magis quam eos qui a dæmonibus detenti sunt, a quibus nihil irati, neque habitu neque animi affectu, differunt. Nam circa cor quidem in iis qui vindictam anhelant, effervescit sanguis, utpote vi ignis exagitatus ac exæstuans ; in superficie autem efflorescens, irascentem in alia forma ostendit, consuetam et notam omnibus formam tanquam personam in scena commutans. Nam illorum et proprii et consueti oculi non cognoscuntur, efferatus est aspectus, atque igne jam micat. Quin et more suum grassantium acuit dentes. Facies est livida, et sanguine effusa ; moles corporis tumida ; venæ disrumpuntur, spiritu ab interna tempestate commoto. Vox aspera, et maxime intensa ; sermo indistinctus, et temere cadens, non paulatim, nec ordine, nec significanter procedens.

S. Basil. hom. 10, *adv. est qui irascuntur.* — Malum a prima origine cohibeamus, iram arte omni ex animis pellentes. Ita enim mala plurima una cum hoc vitio, tanquam cum radice atque principio exscindere poterimus. (*Gen.* III, 19.) Maledixit ? tu benedicas. Percussit ? tu sustine. Despicit, teque facit nihili ? tu tecum cogita te ex terra, ac rursus in terram reversurum. Quisquis enim rationibus ejusmodi præmunierit semetipsum, ignominiam quamcunque comperiet veritate inferiorem. — Quare, si mihi fidem habes, illatis tibi injuriis aliquid etiam addes ? Obscurum te dixit, ingloriumque, et nihili hominem qui infimo loco natus sit ? tu teipsum terram ac cinerem dicito. Illustrior non es patre nostro Abraham, qui se ipse ita appellavit. (*Gen.* XVIII, 27.) Indoctum et pauperem et nullius pretii te dixit ? tu te dicas vermem, teque ex stercore habere originem, Davidis verba usurpans. (*Psal.* XXI, 7.) His etiam præclarum Moysis facinus adjice. Ille ab Aaron et Maria maledictis lacessitus, non Deum adversus eos interpellavit sed pro eis oravit : Quorum mavis esse discipulus, virorumne Deo gratorum beatorumque, an hominum spiritu nequitiæ expletorum ? Cum invaserit te convicii ingerendi tentatio, puta te ipsum probari, utrum per patientiam ad Deum accedas, an per iram confugias ad adversarium ? Da cogitationibus tuis tempus partem optimam eligendi. Aut enim profueris illi per mansuetudinis exemplum ; aut, dum contemnes eum, gravius ulciscere.

Qui igitur iracundiæ noxam effugere poterimus ? Si iræ suaserimus, ut ne rationem prævertat ; imo in eo primum curam diligentiamque ponamus, ut nunquam præcurrat in mentem, sed potius habeamus illam veluti equum nobis subjectum, et rationi

Digitized by Google

tanquam cuidam freno obtemperantem, nec usquam extra suum ipsius ordinem egredientem; sed a ratione, quoviscunque præeat, adduci se sinentem. Nam animi nostri ira idonea est et utilis ad multa virtutis opera. — Est enim animæ nervus ira, robur ei et vires ad bonas res instanter perseveranterque agendas ministrans.—Absit igitur ut ea quæ nobis data sunt ad salutem a Conditore, occasionem nobis ipsis peccati faciamus? Ità ira quoque cum oportet, et ut oportet, commota, efficit robur, patientiamque et continentiam; sed cum agit præter rectam rationem, insania fit. Quapropter nos etiam Psalmus admonet: *Irascimini, et nolite peccare.* (*Psal.* IV, 5.) Quin et Dominus ut frustra irascenti judicium minitatur, sic ira, ut ita dicam, vice medicamenti ad ea quæ oportet, uti non prohibet. Illud enim, *inimicitiam ponam inter te et serpentem :* (*Gen.* III, 15) Item illud, *inimici sitis Madianitis,* (*Num.* XXV, 17.) docentis est, iracundia velut armis utendum esse. Quare Moyses, hominum omnium mansuetissimus, idololatriam ulturus, Levitarum manus ad fratrum cædem armavit. *Ponat,* inquit, *unusquisque gladium super femur suum,* etc. (*Exod.* XXXII, 27.) — Samuel autem Agag regem Amalec, a Saule præter mandatum Dei servatum, nonne in medium productum, ira justa interemit? Sic ira plerumque actionum bonarum est ministra. — Tu vero fratri tuo irasceris temere ac sine causa. Atque quod canes factitant, facis, qui lapidem mordent, cum non attingant projicientem. Qui instigatur, miserabilis est; qui vero instigat, odio est habendus. Illuc iram transfer in homicidam, mendacii patrem, artificem peccati; fratris vero potius commiserere, eo quod si in peccato permanserit, una cum diabolo igni æterno tradendus sit.

Qui igitur fieri poterit ut turbulentus ille affectus ad ea quæ non oportet, non cieatur? Quomodo? si fueris prius humilitatem edoctus, quam Dominus et verbis præcepit, et re ostendit. Quippe modo dicit, *Qui vult inter vos primus esse, sit omnium postremus :* (*Marc.* IX, 34.) Modo vero toleravit cædentem leni animo atque immoto. Nam cœli terræque Conditor ac Dominus, qui a creatura omni, tam spirituali quam in sensum cadenti, adoratur, *portans omnia verbo virtutis suæ* (*Hebr.* I, 5), percussorem non misit vivum in inferos, terra ad impium deglutiendum dehiscente; sed commonefacit ac docet : *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo ; si autem bene, quid me cædis?* (*Joan.* XVIII, 23.) — *Desine* igitur *ab ira, et derelinque furorem :* (*Psal.* XXXVI, 8.) Ut iræ periculum effugias, *quæ de cælo revelatur super omnem impietatem, et injustitiam hominum.* (*Rom.* I, 18.) Nam si consilio prudenti amaram iræ radicem exscindere poteris, vitia non pauca una cum hoc principio exstirpabis. Nam dolus, suspicio, infidelitas, malignitas, insidiæ, audacia, et omne simillum malorum examen, vitii hujus germina sunt. Quare ne accersamus nobis malum tantum, animæ ægritudinem, rationis caliginem, abalienationem a Deo, necessitudinis ignorantiam, belli principium, calamitatum cumulum, malum dæmonem ipsis animis nostris innascentem, et velut impudentem quemdam inquilinum interiora nostra occupantem. Ubi enim sunt inimicitiæ, lites, iræ, rixæ, contentiones, tumultus irrequietos in animabus gignentes, ibi mansuetudinis spiritus haud requiescit. Sed beati Pauli admonitioni obtemperantes, omnem iram et indignationem, et clamorem cum malitia omni a nobis tollamus, efficiamurque in nos invicem humani ac misericordes, exspectantes beatam spem mansuetis promissam : *Beati* siquidem *mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* V, 4); in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula.

S. Chrysost., hom. 20, *De ira et furore,* t. XII. — Vis discere quantum malum sit irasci? Adsta pugnantibus in foro. In teipso enim dedecus non facile cernere poteris, tenebras jam offusas habente et ebrio. Sed cum a perturbatione liber fueris, tunc potius tua contemplaberis. Cum enim ira circa pectus consurgit et sævit, os ignem spirat, flammam oculi emittunt, tumet undique facies, manus immoderate extenduntur, pedes ridicule saltant, in cohibentes insiliunt; nec quidquam distant ab insanientibus, imo nec a feris asinis, calcitrantes, mordentes. Tam fœdus et male compositus est homo iracundus! Sed tumet, inquit, pectus, et injuriis mordetur. Scio et ego : ob id enim eos qui vincunt suspicio. Si enim velimus, hunc animi morbum repellere possumus. Quare enim magistratibus nobis insultantibus, eumdem non patimur? Quia æqualis huic affectioni metus nobis adstat. Quare etiam famuli, infinitis licet a vobis contumeliis afficiantur, cum silentio tamen omnia tolerant? Quia et ipsi idem impositum habent vinculum. Jam vero, hominum quidem gratia, etiam non ferenda ferimus, et ad injurios et contumeliosos dicimus : quidam me injuria affecit, non tu : erga Deum vero non tantam habebimus reverentiam? Dicamus etiam ad animam nostram : Deus jam nos lædit, qui tacere jubet; ne insultemus neque Deus vilior sit hominibus.

Cum igitur aliquis te contristaverit, cogita quæ tu in Deum peccata admiseris, et quod tua erga illum mansuetudine mitius sis redditurus judicium, cum rationes erunt reddendæ. Ait enim, *Dimittite, et dimittetur vobis.* Ad hæc vero illud quoque considera, an aliquando ad immanitatem efferatus teipsum viceris; et an aliquando a perturbatione in transversum actus fueris; et utraque deinde confer tempora : quando teipsum laudasti? Tunc ne, cum superatus es, an vero cum teipsum vicisti? Nonne tunc quidem etiam nobisipsis frequenter maledicimus, et multa nobis subit pœnitentia, tum propter verba tum propter opera? Cum vero superavimus, voluptatem capimus; gloriamur, quando vicimus. Victoria enim ex ira parta, est non par pari referre; extrema si quidem hæc clades est, sed ferri

Digitized by Google

placide, si quis mala vel patiatur, vel audiat. Ne repugnes iis qui te hortantur ut taceas, dicens : non patiar ut ille, me irriso, ita abeat. Non enim tunc irridebit te ; sed, si vindictam expetiveris. Quod si tunc quoque te irriserit, tanquam stultus id faciet. Tu autem cum vincis, ne testimonium quæras stultorum, sed prudentum sufficiens esse puta : magis vero ad Deum respice et ille te laudabit. Quem vero ille suspicit, non debet ab hominibus honorem quærere.

Et si pecunias quis multas habeat et possessiones, ita ipsis utatur tanquam advena, et paulo post easdem, volens nolens, relicturus. Et, si injuria quis læsus ab aliquo sit, ne perpetuo irascatur, imo vero nec ad tempus. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* (*Ephes.* IV, 26.) Etenim integras domos subvertit, antiquas familiaritates dissolvit, et inconsolabiles tragœdias excitavit iste morbus. Si igitur quis te infestet, ne ad ipsum respicias, sed ad dæmonem hunc commoventem, atque universam iram contra illum effunde ; ejus vero qui ab illo concitatur, miserere. Si enim mentiri, a diabolo est, multo magis sine causa irasci. Irasci sanè non contingit, si nemo sit qui nos irritet : concupiscere vero necesse est, forma ad hoc movente etiam non apparente. Si te injuria quis affecerit, cogita pœnam qua punitur, et non modo iram non concipies, sed et lacrymas emittes. Nemo enim contra febri laborantem exacerbatur, aut contra æstuantem, sed tales omnes miseratur et lacrymatur. Si tamen etiam ulcisci velis, taceas ; et opportunam ei plagam dedisti : si vero morsus contumeliose eum tractes, planè efficis ut quæ dicuntur, vera esse existimentur. Quare enim dives aliquis ridet, si quis eum pauperem appellet ? quia nullius sibi paupertatis conscius est. Si igitur ob vituperia riserimus, maximum dabimus indicium eorum quæ dicuntur, nos conscios non esse.

S. Chrysost., hom. 20, *de ira et furore*, t. XII. — Contumeliis te quis affecit ? Roga Deum ut cito ei fiat placatus : frater tuus est, membrum tuum est. Sed multum, inquit, mihi insultat. Enimvero propterea major est merces. Propterea maxime iram dimittere oportet, quoniam diabolus eum vulneravit. Ne igitur objurgaveris, teque cum ipso pariter prostraveris. Quousque quidem stas, illum etiam conservare potes : si vero te quoque dejeceris, vicissim contumelias inferendo, quis jam vos eriget ? Illene qui vulneratus est ? Sed non poterit, cum jaceat : an tu, qui cum eo pariter cecidisti ? Et quomodo, qui tibi ipsi non sufficis, alteri manum porriges ? Sauciavit illum diabolus, ne tu quoque sauciaveris ; quin et prius jaculum extrahe. Si enim hoc modo inter nos conversemur, cito omnes sani erimus : at si contra nos mutuo armemur, ne diabolo quidem ad nostrum interitum opus est. An prior damno affectus es ? At miserum non est mala pati, sed mala agere. Ne enim dixeris : Nihil est mali, si nescio quem contumelia afficiam. Ob hoc grande malum est, quoniam nullum esse videtur. Quæ enim nihil videntur esse, facile etiam contemnuntur ; quæ vero contemnuntur, illa quoque augentur : quæ vero augentur, illa etiam insanabilia fiunt. Nihil igitur mali te facere existimas, cum fratrem accusas ? Quomodo ergo appellas fratrem ? Si vero frater non est, quomodo dicis : *Pater noster ?* Illud enim, Pater noster, multarum personarum significationem habet. Non enim potest patrem vocare benignum Deum, qui animum habet ferum et inhumanum : nec enim conservat signa et notas illius bonitatis quæ in Patre cœlesti est, sed in speciem ferinam seipsum transmutavit, divinaque nobilitate excidit.

Idem, *ibid.* — Cum igitur contumelia te quis affecerit, generoso fer animo : seipsum enim læsit, non te. Si dexteram percusserit, ne repugnes : ille enim est qui feritur ; te quidem manu, seipsum vero animo percutiens. Quod si difficilia ista tibi videantur, cogita si furiosus aliquis vestem tuam undique lacerasset, quem sis dicturus malis affici ? tene qui passus es, an illum qui fecit ? perspicuum est quod illum. Ergone cum tibi vestis discinditur, graviora passus est ille qui hoc fecit ; cum vero cor disrumpitur, hoc enim ira facit, illum non existimas majora mala passum, quam te qui ne tantillum quidem sustinuisti ? si malum pro malo reddere non oportet, multo magis malum erit pro bono, nullo etiam malo præcedente, malum reddere.

Sed quidam, inquit, improbus est, meque contristavit, et multa injuria affecit. Visne illum ulcisci ? ne vicem reddas, impunitum relinque : age gratias. Illa enim ipsa vere ultio est, quæ et ipsi damnum et tibi utilitatem affert. Ex ea enim gaudium nascitur. Cum tali sumus animo ut neminem ulciscamur, sed omnes beneficiis prosequamur, unde, quæso, mœroris stimulus irrepere poterit ? Qui enim ita mala perpeti gaudet, ut etiam benefactis mala inferentem remuneretur, quomodo de cætero contristari poterit ? Quid enim, quæso, malo tibi contigit ? Morbusne invasit ? at nihil hoc novi : mortale enim et patibile corpus habemus. An penuria mancipiorum ? sed et hæc comparari et amitti possunt, et hic remanent. An insidiæ et calumniæ ? At non nos in his lædimur, sed illi qui eas struxerunt. *Anima* enim, inquit, *quæ peccaverit, ipsa morietur.* (*Ezech.* XVIII, 4.) Peccavit autem non qui injuriam accepit, sed qui injuriam intulit.

Nihil ergo tantopere studeamus, charissimi, quam ab ira liberi esse, et eos qui nobis infensi sunt, reconciliare : scientes, quod nec oratio, nec eleemosyna, nec jejunium, nec mysteriorum participatio, nec aliud quid ejusmodi rerum, in illa die nobis patrocinari poterit, si injuriarum memores simus. Non igitur quis erraverit, si hoc peccatum omnium esse gravissimum ostendat. Nihil enim ita Deus odio prosequitur et aversatur, sicut hominem injuriæ memorem, et retinentem iram. Quomodo enim Dominum illi mitem et facilem esse cupis, conservo tuo difficilis et inexorabilis existens ? sed

Digitized by Google

injurius in te fuit conservus tuus : et tu in Deum frequenter injurius es. Quæ vero æqualitas est inter conservum et Dominum? Et ille quidem ex perturbatione forte, et injuria lacessitus atque exacerbatus injuriam intulit; tu vero Deum contumelia afficis, nulla provocatus injuria, nec læsus; sed in dies ab eo beneficia accipiens.. Et quam habituri sumus excusationem, aut veniam? Cogita igitur, quod si exacte Deus examinare velit quæ in ipsum committuntur, nullum diem supervicturi simus. *Iniquitates* enim, inquit, *si observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?* (*Psal.* CXXIX, 3) Quia tua est gloria in sæcula sæculorum.

S. HIERON., *super Joel. prophet.* — Est ira quæ justitiam Dei non operatur, et furori proxima, menti suæ vim eripit, in tantum, ut labia tremant, dentes concrepent, vultus pallore mutetur. Recte illud laudaturArchitæ Tarentini, qui cum villico suo iratus : Jam te, inquit, cæderem, nisi iratus essem.

Idem, *ad Demetr. virginem.* — Quid iracundo furor suus confert, quem sævissimis exagitatum stimulis conscientiæ ira ab omni consilio ac mente deturbat, ut dum irascitur, insanire credatur.

Idem, *ibid.* — Irasci hominis est, iracundiæ autem finem ponere Christiani.

S. AUGUST., *super psal.* LIV. — Ira fratris si fuerit inveterata, jam odium est. Ira turbat, odium exstinguit : ira festuca, odium trabs est.

Idem , *Epist.* — Sicut acetum corrumpit vas ubi diutius fuerit, sic ira corrumpit cor, si in alium diem duraverit.

S. GREGOR., *Moral.*, lib. v. — Per iram justitia relinquitur; quia, dum perturbata mens judicium sine ratione exasperat, omne quod furor suggerit rectum putat. Per iram, gratia vitæ socialis amittitur : quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est ut bestialiter vivat. Per iram mansuetudo amittitur; per iram concordia rumpitur; per iram lux veritatis amittitur : quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit.

Idem, *ibid.* — Quoties ira animum invadit, mentem edoma, vince te ipsum, differ tempus furoris. Cum tranquilla mens fuerit, fac quod placet.

S. ISIDOR., *Soliloq.*, lib. I.— Si non potes iram vitare, tempera ; si non potes furorem cavere, cohibe. Tene silentium patientiæ, tacendo citius vincis.

S. BERNARD., serm. 13 *in psal.* XC : *Qui habitat.*, etc. — Affectio naturalis ira hominum est; sed abutentibus bono naturæ gravis perditio est, et miseranda pernicies.

Occupemus illam, (iram), fratres, in quibus expedit, ne forte ad inutilia illicitaque prorumpat. Nolite irasci eis qui transitoria vobis auferunt, qui convicia inferunt, qui ingerunt forte supplicia, et præter hæc faciunt nihil. Ostendunt autem vobis cui debeatis irasci : irascimini ei quæ sola vobis nocere potest, sola facere ut omnia illa non prosint. Vultis scire quænam illa sit? Iniquitas propria. Ita dico vobis, huic irascimini.

JACTANTIA

Vid. verb. SUPERBIA.

JEJUNIUM

[Ex SS. Patribus.]

S. HERM., *Pastor.*, l. III, t. 1. — Jejunium — valde bonum est. Sic igitur servabis illud : Primum omnium cave ab omni probro, et turpi verbo, et ab omni noxia cupiditate, et purifica sensum tuum ab omni vanitate sæculi hujus. Si hæc custodieris, erit hoc jejunium justum. Sic ergo facies. Peractis quæ supra dicta sunt, illo die quo jejunabis, nihil omnino gustabis, nisi panem et aquam ; et computata quantitate cibi, quem cæteris diebus comesturus, sumptum diei illius quem facturus eras, repones, et dabis viduæ, pupillo, aut inopi; et sic consummabis humilitatem animæ tuæ, ut qui ex eo acceperit, satiet animam suam, et pro te adeat Dominum Deum oratio ejus. Si igitur sic consummaveris jejunium tuum, quemadmodum præcipio tibi, erit hostia tua accepta Domino, et scribetur hoc jejunium tuum.

ORIGEN , hom. 10 *in Levit.*, t. II.— Si vis jejunare secundum Christum, et humiliare animam tuam, omne tibi tempus aptum est totius anni ; imo totius vitæ tuæ dies habeto ad humiliandam animam tuam, si tamen didicisti a Domino Salvatore nostro, quia mitis est, et humilis corde. (*Matth.* XI, 29.) Quando ergo non est tibi humiliationis dies, qui Christum sequeris qui est humilis corde et humilitatis magister? Tu itaque si vis jejunare, jejuna secundum præceptum Evangelii, et observa in jejuniis evangelicas leges , in quibus hoc modo Salvator de jejuniis mandat : *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava.* (*Matth.* VI, 17.) Quod si requiris quomodo laves faciem tuam, Paulus apostolus docet quemadmodum *revelata facie gloriam Domini* contempleris, *ad eamdem imaginem* formatus *a gloria in gloriam, tanquam a Domini spiritu.* (*II Cor.* III, 18.) Unge etiam caput tuum, sed observa ne oleo peccati : *Oleum enim peccatoris non impinguet caput* (*Psal.* CXLI, 5.) tuum. Sed unge caput oleo exsultationis, oleo lætitiæ, oleo misericordiæ, ita ut secundum mandatum sapientiæ, misericordia et fides non deserant te. Propter-

Digitized by Google

ca enim et Apostolus volens abstrahere nos ab his visibilibus et terrenis, et erigere animos sensusque nostros ad cœlestia clamat et dicit : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram.* (*Coloss.* III, 1.) Nonne aperte tibi dicit, noli quærere in terris Jerusalem, nec observantias legis, nec jejunium Judæorum, sed jejunium Christi? Jejunans enim debes adire Pontificem tuum Christum, qui utique non in terris requirendus est, sed in cœlis, et per ipsum debes offerre hostiam Deo. Vis tibi adhuc ostendam quale te oportet jejunare jejunium? Jejuna ab omni peccato, nullum cibum sumas malitiæ, nullas capias epulas voluptatis, nullo vino luxuriæ concalescas. Jejuna a malis actibus, abstine a malis sermonibus, contine te a cogitationibus pessimis. Noli contingere panes furtivos perversæ doctrinæ. Non concupiscas fallaces philosophiæ cibos, qui te a veritate seducant. Tale jejunium Deo placet. Abstinere vero a cibis quos Deus creavit, ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et hoc facere cum his qui Christum crucifixerunt, acceptum esse non potest Deo.

Indignati sunt aliquando et Pharisæi Domino, cur non jejunarent discipuli ejus. Quibus ille respondit, quia *non possunt filii sponsi jejunare, quandiu cum ipsis est sponsus.* (*Matth.* IX, 15.) Illi ergo jejunent qui perdiderunt sponsum; nos habentes nobiscum sponsum, jejunare non possumus. Nec hoc tamen ideo dicimus, ut abstinentiæ Christianæ frena laxemus. Habemus enim Quadragesimæ dies jejuniis consecratos. Habemus quartam et sextam septimanæ dies, quibus solemniter jejunamus. Est certe libertas Christiano per omne tempus jejunandi, non observantiæ superstitione, sed virtute continentiæ. Nam quomodo apud eos castitas incorrupta servatur, nisi arctioribus continentiæ fulta subsidiis? Quomodo Scripturis operam dabunt? Quomodo scientiæ et sapientiæ studebunt? Nonne per continentiam ventris et gutturis? Quomodo quis seipsum castrat propter regnum cœlorum, nisi ciborum affluentiam resecet, nisi abstinentia utatur ministra? Hæc ergo Christianis jejunandi ratio est. Sed est et alia adhuc religiosa, cujus laus quorumdam apostolorum litteris prædicatur. Invenimus enim in quodam libello ab apostolis dictum : ***Beatus est qui etiam jejunat pro eo ut alat pauperem.*** (Citat apocrypha.) Hujus jejunium valde acceptum est apud Deum, et revera digne satis. Imitamur enim illum qui animam suam posuit pro fratribus suis.

S. Athanas., *De virginitate.* — Si subjicit tibi in animum inimicus ingentia devotionis exercitia ut corpus tuum imbecille fiat et inutile : tu contra fac, ut tum jejunium modum habeat.

S. Ephrem Syr., *Serm. de jejunio*, t. III. — Tandem aliquando, fratres charissimi, tempus ad salutem adipiscendam opportunissimum nacti sumus. Neque enim pretiosiora nobis ad agendum momenta objici uspiam poterant, quam tempus hoc salutare, quo summus princeps Deus facillimum se in hominibus audiendis admittendisque præbet. Opus est igitur majori quadam animi alacritate. Servandum enim nobis debita cum puritate jejunium proponitur, quocum cœlestis beatitudo, tanquam divinæ erga nos benevolentiæ pignus, nobis offertur. Quare agite, fratres, oblata divinitus opportunitate utamur; absit, ut abstinentiam fastidiamus, quæ etsi durior alicui fortasse nostrum prima fronte videatur, jucundissima tamen iis est, qui cum eam læto semel animo susceperint, eamdem libenter servant et fideliter et constanter. In hisce igitur saluberrimis abstinentiæ undis, mentis corporisque detersa illuvie, misericordiam ab optimo clementiæ Patre quæramus, qui sponte rectis jejunantium votis occurrit. Jejunis enim fidelibus cœli fores panduntur, quibus etiam ex terrena humilitate erectis, quæ sursum sunt, attingere licet, angeli beatique omnes nos jejunio deditos intuentur, et de nostra sobrietate mirifice gaudent, qua nimirum digni efficimur, qui fraterna iisdem necessitudine copulemur. Imo vero ipse Christus in hoc admodum delectatur, et quasi voluptate quadam perfunditur, dummodo fidei, spei, charitatisque virtutibus temperantia eluceat.

Nec mirum vero, si prophetæ, apostoli, omnisque sanctorum virorum cœtus de jejunio lætantur nostro, quippe qui ipsius gratia plurima sæpe opera gloriosissime et magnificentissime confecerunt. Quod ut exemplo manifestius appareat, jejunium coluit Moyses, qui propterea infinita pene prodigia gessit, et ipsummet Deum facie ad faciem conspicere promeruit. Jejunium Elias coluit, et dignus habitus est qui igneo in cœlum curru veheretur. Coluit et Daniel, eamque sanctitatis famam adeptus est, ut eumdem leones ipsi reveriti fuerint. Coluerunt tres pueri, et ignis impetum in suavissimam auram immutatum senserunt. Jejunium pariter mira quadam voluptate prophetæ susceperunt, quorum nonnulli quadraginta dierum spatio nihil prorsus cibi sumpsere. Hujusmodi consuetudo familiarissima etiam apostolis fuit, præcipue dum ad evangelicæ veritatis lucem promulgandum terrarum regiones perlustrabant. Quid plura? Divinus ipse præceptor asperrimum jejunium sustinuit, ut exemplo magis quam verbo de hujuscemodi virtutis præstantia commoneremur. Tot nunc præclaris testimoniis monumentisque convicti, carnis arrogantiam abstinentia coerceamus, hoc in animo fixum habentes, nulli fas esse beatitudinem sperare, quin omnem vitæ suæ cursum in labore corporis, atque in animi contentione confecerit.

Qua de re jejunium amplectantur sacerdotes, id sibi potissimum cavente ne, dum corpori escam subtrahunt, quid de sacrorum religione imminuant. Amplectantur diaconi, ut sacri altaris ministerio fructuosius deserviant. Amplectantur senes quan-

Digitized by Google

tumlibet imbecilli, quos si forte ab inediæ asperitate provectæ ætatis infirmitas dissuaderet, ipsos ad eamdem præteritæ vitæ recordatio sollicitet. Amplectantur cum conjugibus viri, ut ipsorum thalami omni turpitudinis infamia careant. Hoc præstent virgines ut, adveniente æterni luminis sponso, ad nuptias plenas dignitatis, plenas concordiæ admittantur. Hoc idem præstent genitores, Deum pie pro suis liberis obtestantes. Hoc florens juventus, hoc pubescens adolescentia delectetur; sic enim progrediente sensim ætate, vitæ occasum placidissime attingent: hoc divites, ut hinc discant suas miseris atque egentibus facultates erogare: hoc inopes, ut Deus ipsorum mendicitatem sublevet; hoc liberi propriis parentibus orbati, ut Deus ipsis se patrem amantissimum præbeat; hoc viduæ Christum assidue orantes, ne miseras virorum præsidio destitutas necessario victu carere patiatur. Hoc denique Ecclesia cum filiis omnibus tenacissime servet, qui sic oblato reluctantibus cupiditatibus pabulo, quod amore dignum est diligent, et suæ saluti operosius vigilabunt.

S. Ephrem Syr. serm. *de jejunio* — Mortalium mentibus, quantumvis depressis atque debilitatis, id roboris jejunium impertitur, ut cœlum valeant libere penetrare, et ad Deum ipsum accedere, *qui lucem habitat inaccessibilem.* (*I Tim.* VI, 5.) Neque vero beatitudinem in cœlis tantum, verum etiam securitatem et prodigia in terris abstinentia parit. Ninivitæ siquidem Jonæ vocibus territi, seipsos et animalia quadragenariæ inediæ subjacentes salutem adepti sunt. Apostoli autem jejunio diditi gentes immanitate barbaras, locis infinitas, ab erroribus ad fidem orthodoxam perduxerunt. Quid de martyribus dicam, qui incredibilem, qua gladiis, ignibus securibusque occurrebant, alacritatem jejunio acceptam referre non dubitarunt? O felicem, animarum præsidium, abstinentiam! O præclaram hominum custodem! Summam video in te esse dignitatem, et inter cætera Deo gratissima officia celsissimam honoris sedem te retinere gaudeo. Beatum itaque florentemque illum dicam, qui se tibi prorsus commisit, cum ipsi et cœlum petere facere liceat, et ipsos etiam dæmones aspernari. Fallitur tamen, fratres charissimi, quicunque putat, in hoc summam esse jejunii, ut quid cibi extra consuetum ordinem corpori imminuatur. Certum namque est neminem, cujus mores a solidæ virtutis præceptis dissident, ullum exinde salutare emolumentum percipere. Nihil profecto corporis afflictatio iis prodest, qui tacito odium simulant, aut quorum pectora inveterata ulciscendi libidine effervescunt. Deus enim nunquam in infame istiusmodi domicilium delabitur.

Idem, *ibid.* — Quocirca ne diutius cum periculo fatuus sis, noli jejunare sicut ad hanc diem. Abjice inimicitias veteres, omnemque e tua voluntate vindictæ cupiditatem expelle; Jesum audi docentem: *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo et tunc veniens offeres munus tuum.* (*Matth.* V, 23, 24.) Perspectis itaque, fratres charissimi, præcipuis illis, quæ jejunii impediunt vim, nunc ad virtutes, quarum decore honestari ipsum decet, gradum faciamus. Harum omnium præstantissimæ, quæque ad rem magis apposite faciunt, tres istæ sunt; nempe oratio, et charitas in pauperes, præsertim orphanos, ac in viduas liberalitas. Proh! quam excellens est virtus munificentia, quæ tota ad pauperes pertinet, quibus si culpas vitent, ipsomet Christi oraculo testante æterna felicitas asservatur.

S. Basil., *De jejunio*, hom. 1, t. II. — *Plangite*, inquit Psalmista, *in initio mensis, buccina in insigni die solemnitatis vestræ.* (*Psal.* LXXX, 4.) Hoc mandatum est propheticum. Porro festum quod hos dies antecedit, quavis tuba vocalius, et quovis instrumento musico significantius indicant nobis Scripturæ recitatæ. Nam ex Isaia didicimus jejuniorum gratiam, qui ut Judaïcum jejunandi modum aversatus est, ita verum jejunium nobis commonstravit. *Ne jejunetis ad lites ac contentiones, sed dissolve omne vinculum iniquitatis.* (*Isa.* LVIII, 3-6.) Et Dominus: *Nolite fieri tristes, sed lava faciem tuam et unge caput tuum.* (*Matth.* VIII, 16.) Sic igitur animis affecti simus, quemadmodum sumus edocti, ac dies instantes haudquaquam tristi, sed hilari animo excipiamus, sicuti decet sanctos. Nemo dejectæ mentis coronatur, nemo mœrens trophæum statuit. Noli tristis esse, dum curaris. Absurdum fuerit non lætari de sanitate animæ, imo de commutatis cibis dolere, ac videri tales qui plus tribuamus voluptati ventris quam curæ mentis. Nam in ventre sistitur satietatis delectatio, sed jejunium in animam subvehit lucrum. Sis hilari animo, quod tibi a medico datum est pharmacum efficax abolendo peccato. Quemadmodum enim vermes qui in puerorum intestinis germinant, pharmacis quibusdam vehementer acribus et amaris excutiuntur, ita peccatum in intimis secessibus inhabitans, delet enecatque simul atque in animam supervenerit jejunium, quod scilicet vere sit hoc nomine dignum.

Idem, *ibid.* — Putasne me jejunii antiquitatem a legis initio supputare? Etiam ipsa lege antiquius est jejunium. — (Siquidem) omnes sancti, perinde quasi hæreditatem a majoribus traditam, jejunium observaverint, patresque suis quique liberis tradiderint; unde et ad nos perpetua quadam successionis serie pervenit hæc possessio. Non erat in paradiso vinum, non erat pecudum mactatio, non carnium esus. Post diluvium cœpit vinum; post diluvium: *Comedite omnia sicut olera pabuli.* (*Gen.* IX, 3.) Posteaquam desperata est perfectio, tum denique his utendi concessa est potestas. Porro nullam tum fuisse experientiam argumento est Noe qui nesciebat vini usum. Nondum enim obrepserat in huma-

Digitized by Google

nam vitam, nondum mortalium usu tritum erat. Itaque cum ille nec alium quemquam bibentem vidisset, nec ipse esset expertus, in noxam a vino afferri solitam incidit incautus. *Plantavit enim Noe vineam, bibitque de fructu, et inebriatus est* (*Gen.* IX, 20); non quidem eo quod vinolentus esset, sed quod sumendi vini modum nesciret. Itaque inventum bibendi vinum recentius est paradiso, adeo vetusta est jejunii dignitas.

Quin et Mosen novimus per jejunium accessisse ad montem. Neque enim ausus esset verticem fumantem attingere, neque ingredi in nubem, nisi fuisset jejunio obarmatus. Per jejunium legem accepit digito Dei scriptam in tabulis, atque in montis quidem cacumine jejunium legem impetravit, in radice vero montis ingluvies ad idololatriam dementavit. *Sedit enim populus ut ederet ac biberet, et surrexerunt ad ludendum.* (*Exod.* XXXII, 6.) Quod famulus quadraginta dies jejunus assidue versans cum Deo, deprecansque confecerat, id unica temulentia reddidit irritum, infrugiferumque. Nam tabulas quas jejunium impetrarat conscriptas digito Dei, ebrietas comminuit; judicavit quippe propheta ebrium populum dignum non esse qui legem acciperet a Deo. In unico temporis momento populus ille, qui maximis prodigiis Dei cognitionem acceperat, per gulam ad insanam Ægyptiorum idololatriam devolutus est. Hæc utraque inter se componito, hinc quomodo jejunium adjungat Deo, illinc quomodo luxus auferat salutem. Descende, ac via qua cœpisti ad inferiora perge.

S. Basil., *De jejunio*, hom. I, t. II.—Revoca in memoriam quotquot ab orbe condito fuere sancti, *quibus dignus non erat mundus, qui circumibant in pellibus ovium et caprarum, egentes, pressi, afflicti* (*Hebr.* XI, 38); illorum imitare vitam, si modo illorum cupis assequi sortem. Quæ res Lazaro quietem paravit in sinu Abrahæ? Nonne jejunium? Porro Joannis vita unum erat ac continuum jejunium. Non habebat lectum, non mensam, non arva, non aratorem bovem, non triticum, non pistorem, denique non aliud quidquam eorum quæ ad victum pertinent. Ideoque *inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.* (*Matth.* XI, 11.) Paulum cum alia, tum jejunium quod super afflictionibus suis glorians recenset, in tertium cœlum subvexit. (*II Cor.* XI, 27 et XII. 2.) Porro quod præcipuum est ex iis quæ diximus, Dominus noster non prius in carne, quam pronobis assumpserat, diabolus insultus excepit, quam eam jejunio communisset (*Matth.* IV, 2), tum nos erudiens ut nosmet jejuniis ad tentationum certamina ungamus et exerceamus, tum adversario per esuritionem præbens accedendi quasi ansam. Alioqui propter divinæ naturæ sublimitatem non patebat ad illum aditus diabolo, nisi se per esuritionem ad humanam imbecillitatem submisisset. Attamen priusquam reverteretur in cœlos, cibum gustavit, corporis quod resurrexerat naturam ac veritatem comprobaturus.

Tu vero nullamne fidem facturus es teipsum supra modum saginandi ac carne onerandi? Nullamne animo ex fame et inedia extabescente, habiturus es rationem salutarium ac vivificorum dogmatum? An ignoras quod, perinde atque in acie hinc atque hinc instructa, qui alteri parti fert suppetias, facit ut altera vincatur; ita qui carni sese adjungit, expugnat Spiritum, et qui ad Spiritum transit, carnem in servitutem redigit? Hæc enim sibi invicem adversantur. Proinde si cupis mentem reddere validam, fac carnem domes jejunio. Hoc enim est quod ait Apostolus, quod quantum externus homo corrumpitur, tantum internus renovatur. Item illud : *Cum infirmor, tunc potens sum.* (*II Cor.* IV, 19 et XII, 10.) Itane non te capiet illius mensæ desiderium, quæ est in regno cœlorum, quam prorsus hic jejunando tibi præparabis? An ignoras quod immoderata expletione tibi ipsi pinguem tortorem vermem paras? Quis enim in splendidis epulis, perpetuisque deliciis particeps factus est ullius doni spiritualis? Moses ut alteram acciperet legem, altero jejunio opus habuit. Nisi una cum Ninivitis jejunassent et ipsa bruta animalia, haudquaquam effugissent subversionis comminationem. *Quorum cadavera prostrata sunt in deserto?* (*Hebr.* III, 17; *Num.* XIV, 37.) Nonne eorum qui esum carnium flagitabant? Illi donec erant contenti manna, et aqua de petra fluente, superabant Ægyptios, per mare faciebant iter, *non erat infirmus in tribubus eorum.* (*Psal.* CIV, 37.) Postea quam vero recordati sunt carnium ollas, et desiderio reversi sunt in Ægyptum, non viderunt terram repromissam. (*Exod.* XVI, 3.)

Non metuis exemplum? Non horres edacitatem? ne forte a bonis quæ speramus, te excludat. Ac ne Daniel quidem ille sapiens visiones vidisset, nisi jejunio reddidisset animam limpidiorem. Si quidem pinguiore pastu, ceu fumosi quidam vapores exhalantur, qui lucem sancti Spiritus in hominis mentem irradiantem, quasi densa nubes interveniens, intercipiunt. Quod si angelorum quoque cibus est ullus, panis est quemadmodum ait Propheta, *panem angelorum manducavit homo.* (*Psal.* LXXVII, 25.) Non carnes, non vinum, non denique quæcunque alia, quæ qui serviunt ventri, ingenti studio exquirunt. Jejunium armatura est ad confligendum cum dæmonibus. Nam *hoc genus non exit nisi in oratione et jejunio.* (*Marc.* IX, 28.) Tam multarum proveniunt e jejunio : contra, satietas lasciviæ initium est. Statim enim una cum deliciis, ebrietate et omni genere conditis bellariis, prodit libidinis pecuniæ genus omne. Hinc equi insanientes in feminas fiunt homines, ob œstrum ac furorem quem in animo gignunt deliciæ. A temulentis orta est naturæ inversio, dum in masculino sexu femininum, in feminino masculinum quærunt. Jejunium vero etiam in usu conjugii modum temperantiamque docet, ac voluptatum lege concessarum immodicum usum castigans, parit

Digitized by Google

censors otium, ut perseverent in precatione. (*I Cor.* VII, 5.)

Cave tamen ne jejunii utilitatem sola esarum abstinentia metiaris. Verum enim jejunium est a vitiis esse alienum. *Solve omne vinculum iniquitatis* : (*Isa.* LVIII, 6.) Condona proximo molestiam illatam tibi, remitte illi debita. *Nolite ad lites ac contentiones jejunare.* (*Ibid*, 4.) Carnes non edis, sed comedis fratrem. A vino abstines, sed ab injuriis tibi non temperas. Exspectas vesperam ut cibum capias, sed diem totum absumis apud tribunalia. Væ iis qui ebrii sunt, non a vino. (*Isa.* LI, 21.) Ira, mentis est temulentia, eamque desipientem reddit, haud aliter quam vinum. Tristitia est quoque temulenta mentem obruens ac demergens. Alia temulentia metus est, cum habetur ubi non oportet. (*A timore* enim inquit, *inimici eripe animam meam.* (*Psal.* LXIII, 2.) In summa quivis affectus dimovens animam a statu suo, dici merito potest ebrietas. Cogita mihi hominem ira percitum, quam temulentus sit eo vitio. Non est sui compos, non novit semetipsum, non novit qui adsunt; sed velut in pugna nocturna omnes attingit, in quoslibet obvios incidit, inconsiderata loquitur, non potest cohiberi, conviciatur, percutit, minatur, dejerat, vociferatur, disrumpitur. Fugito istam temulentiam, sed ne illam quidem quæ ex vino nascitur, admitte.

Noli aquæ potum largiore vini potu prævertere. Ne te ad jejunii mysteria introducat ebrietas, non est per temulentiam aditus ad jejunium, quemadmodum nec ad justitiam accessus est per fraudationem, nec ad castimoniam per lasciviam, nec, ut summatim dicam, per nequitiam ad virtutem. Aliud ostium est ad jejunium. Ebrietas ad lasciviam inducit, ad jejunium frugalitas. Athleta ante certamen exercetur : qui jejunaturus est, præparat se per abstinentiam. Ne velut ulciscens hos dies, ne veluti fucum facturus legislatori, ante hos quinque dies, colloca crapulam. Nam laboras frustra, si corpus quidem conficis, nec tamen solatium esuritioni admoves. Infida est cella, in pertusum dolium infundis. Etenim vinum diffluit ad suam recurrens viam, contra remanet peccatum. Famulus profugit ab hero verberante ; tu vero non recedis a vino, quod tuum quotidie caput percutit ? Modus utendi vino optimus est, corporis necessitas Quod si fines prætergredieris, prostridiè venies capitis gravedine affectus, oscitans, vertigine laborans, putrefactum obolens vinum : omnia tibi circumferri, omnia circumvolvi videbuntur. Ebrietas ut somnum affert mortis germanum, ita vigiliam habet somniis assimilem.

An ignoras quem es hospitio excepturus ? Nimirum illum qui nobis ita pollicitus est : *Ego et Pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* (*Joan.* XIV, 23.) Cur igitur prius recipis temulentiam, ac Domino ingressum præcludis ? Cur hostem inducis, ut tua prior munimenta occupet ? Ebrietas non recipit Dominum, ebrietas Spiritum sanctum propellit. Fumus quidem abigit apes, dona vero spiritualia fugat crapula. Jejunium civitatis est ornamentum, fori columen, domorum pax, incolumitas facultatum. Vis jejunii videre dignitatem ? Confer mihi hodierni diei vesperum cum vespera crastini, conspicies civitatem e tumultu ac tempestate mutatam in profundam tranquilitatem. Utinam autem et hodiernus dies crastino similis sit sanctitate et gravitate, et crastinus dies hodierno non cedat hilaritate. Cæterum qui nos perduxit ad hunc temporis recursum Dominus, præstet nobis tanquam certatoribus, ut in hoc certaminum exordio firmam ac constantem temperantiam ostendamus, perveniamusque ad arbitram coronarum diem, ut recordemur nunc quidem salutiferæ passionis, in futuro vero sæculo fruamur præmio, pro his quæ in hac vita gessimus, reponendo in justo judicio Christi ipsius, quoniam illi gloria in sæcula.

S. Basil., *de jejunio*, hom. 2. — Jejunium servat parvulos, sobrium reddit juvenem, venerabilem facit senem. Venerabilior enim est canities jejunio decorata. Jejunium feminis ornatus est congruentissimus ; ætate ac robore vigentibus pro freno est, Jejunium matrimonii custodia est, virginitatis nutritius. Atque hæc quidem commoda affert privatim jejunium in singulis ædibus in quibus colitur. At publice quomodo vitam nostram gubernat ? Totam confestim civitatem, totumque populum ad tranquillitatem componit, consopit clamores, eliminat lites, conviciis imponit silentium. Cujus magistri præsentia puerorum strepitus tam subito compescit, quam jejunium oboriens civitatis tumultus coercet ? Quis comessator prodiit in jejunio ? quis unquam chorus lasciviens a jejunio coactus est ? Teneri risus, meretriciæ cantilenæ, insanæ saltationes subito diffugiunt e civitate, a jejunio tanquam ab austero quopiam judice in exsilium actæ. — Ne arma quidem cuderentur, si Jejunium vigeret, nec fora judicialia exstruerentur, neque quisquam habitaret in carceribus. In summa, nec deserta haberent maleficos, nec civitates sycophantas, nec mare piratas. Si omnes essent jejunii discipuli, prorsus non audiretur, ut Job ait, vox exactoris (*Job* III, 18), nec vita nostra tot suspiriis, tot mœroribus esset differta, si jejunium vitam nostram gubernaret. Perspicuum est enim quod unumquemque doceret non tantum in eduliis temperantiam, verum etiam ab avaritia et rapinis, denique ab omni vitio prorsus abhorrere, et alienum esse. Quibus exstirpatis, nihil vetaret quominus et nos in alta pace, animorumque tranquillitate vitam nostram transmitteremus. — Excipite hoc, pauperes, contubernale vobis, ac mensæ socium. Excipite, servi, uti relaxationem a perpetuis servitii laboribus. Excipite, divites, quod noxæ a luxu vobis illatæ medeatur, quodque vicissitudine et novitate vobis jucundiora reddat ea quæ nunc ob assuetudinem fastidiuntur. Excipite male valentes, sanitatis matrem. Qui bo-

Digitized by Google

na estis habitudine, excipite, bonæ vestræ habitudinis custodem. — Cum tot modis sua commoda nobis impertiatur, hilariter illud juxta Domini præceptum, excipiamus, *non tristes sicut hypocritæ*, (*Matth.* v, 16) sed mentis hilaritatem absque fuco præ nobis ferentes. — Ad hoc ut laudem promereatur jejunium, non est per se satis abstinere a cibis, sed jejunium jejunemus acceptabile, Deo gratum. Verum jejunium est a vitiis alienum esse, continentia linguæ, iræ cohibitio, concupiscentiarum amputatio, obtrectationis, mendacii, perjurii. Ab his abstinere, verum est jejunium. In his igitur situm est bonum ac laudabile jejunium.

S. Ambros., *De Helia et jejunio.* — Jejunium mors culpæ, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis Hoc gradu ad Deum citius pervenit; hoc gradu antequam curru Helias ascendit.

S. Chrysostom. — Jejunium non ciborum, sed peccatorum abstinentiam efficit.

Idem, *sup. Matth.* — Qui peccat et jejunat, non ad gloriam Dei jejunat, nec se humiliat, sed substantiæ suæ parcit.

S Hieronym., *ad Nepotianum.* — Tantum tibi jejuniorum impone modum, quantum ferre potes : sint tibi pura, simplicia, casta, moderata jejunia, et non superstitiosa. Quid prodest oleo non vesci, et molestias quasdam et difficultates ciborum quærere?

Idem, *ad Demedriad.* — Jejunium non solum perfecta virtus, sed cæterarum virtutum fundamentum est; et sanctificatio et pudicitia atque prudentia, sine qua nemo videbit Deum.

S. August., *Lib. de spiritu et anima.* — Si velimus Deo placita exhibere jejunia, simus in oratione continui, in judiciis justi, in amicitia fideles, in injuriis patientes, in contentionibus temperati; turpiloquia fugientes, adversus iniqua constantes, in convivlis continentes, in charitate simplices, inter subdolos cauti, condolentes tristibus, contumacibus resistentes, in suspicionibus parci, inter maliloquos taciti, inter humiles coæquales.

Idem, *super Joan.* — Jejunium magnum et generale est, abstinere ab iniquitatibus et illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum jejunium.

S. Fulgent., *ad Prob.* — Jejuniis sic est adhibenda temperies, ut corpus nostrum nec saturitas excitet, nec inedia immoderata debilitet.

S. Maxim., *in Natal. Domini.* — Jejunium Christiani egentis debet esse refectio; jejunium pacem debet nutrire, non jurgia. Quale istud est autem, quod non vesceris carnibus, et de ore tuo omni esca sordidius egreditur maledictum? quale est illud, quod sanctificatur venter jejunio, et polluitur lingua mendacio?

S. Gregor., *Hex.* — Illud jejunium Deus approbat, ut hoc quod tibi subtrahis, alteri largiaris; ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur.

S. Bernard., serm. 38. — Quod si gula sola peccavit, sola quoque jejunet et sufficit: Si vero peccaverunt et membra cætera, cur non jejunent et ipsa? Jejunet ergo oculus qui deprædatus est animam; jejunet auris, jejunet lingua, jejunet manus, jejunet etiam anima ipsa. Jejunet oculus a curiosis aspectibus, et omni petulantia, ut bene humiliatus coerceatur in pœnitentia, qui male liber vagabatur in culpa. Jejunet auris nequiter pruriens a fabulis et rumoribus, et quæcunque otiosa sunt et ad salutem minime pertinentia. Jejunet lingua a detrectatione, et murmuratione, ab inutilibus, vanis atque scurrilibus verbis : interdum quoque ob gravitatem silentii et ab ipsis quæ videri poterant necessaria. Jejunet manus ab otiosis signis, et ab operibus omnibus quæcunque non sunt imperata. Sed et multo magis anima ipsa jejunet a vitiis et a propria voluntate sua.

Bonum et salutare jejunium, quo redimuntur æterna supplicia, dum remittuntur hoc modo peccata. Non solum autem abolitio est peccatorum, sed exstirpatio vitiotum; non solum obtinet veniam, sed et promeretur gratiam; non solum delet peccata præterita quæ commisimus, sed et repellit futura quæ committere poteramus.

Idem, serm. 4 *in Quadr.* — Oratio virtutem impetrat jejunandi, et jejunium gratiam promeretur orandi. Jejunium orationem roborat, oratio sanctificat jejunium, et Domino repræsentat.

Idem, *ibid.* — Duplex vitium solent appetere jejunantes. Alius enim jejunat studio vanitatis, et huic dicitur : *Faciem tuam lava.* Alius jejunat cum impatientia et rancore, et huic opus est ut caput ungat. Est autem caput istud mens interior quæ tunc ungitur in jejunio, cum spiritualiter delectatur in eo.

Jejunia Ecclesiæ celebranda.

S. Ignatius, *in Epist. ad Philipp.* — Quadragesimam vero nolite pro nihilo habere. Imitationem enim continet Dei conversationis. Hebdomadam etiam passionis nolite despicere. Quarta vero et sexta feria jejunate, reliquias peuperibus porrigentes.

Tertull., l. II *Ad uxorem.* — Sed viderit qualiter viro infideli officia pendat mulier fidelis. Domino certe non potest pro disciplina satisfacere, habens in latere diaboli servum, procuratorem Domini sui ad impedienda fidelium studia et officia : Ut si statio facienda est, maritus (infidelis) de die condicat ad balneas : Si jejunia observanda sunt, maritus eadem die convivium exerceat : Si procedendum erit, nunquam magis familiæ occupatio adveniat. Quis enim sinat conjugem suam visitandorum fratrum gratia vicatim aliena et quidem pauperiora quæque tuguria circuire? Quis nocturnis convocationibus, si ita oportuerit, a latere suo eximi libenter feret? quis denique solennibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit?

Idem, *Apologet. adv. gent.*, c. 2. — Plinius Secundus cum Provinciam rego-

Digitized by Google

ret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cætero ageret, consuluit Trajanum imperatorem, allegans præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de sacris eorum comperisse, quam cœtus antelucanos ad canendum et Christo et Deo, et ad conferendam disciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, et cætera scelera prohibentes. Tunc Trajanus rescripsit hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos vero puniri oportere.

S. Bern., *in Vigilia sancti Andreæ apostoli.* — Sanctorum festa præcipua Patrum sanxit auctoritas votivis præveniendа jejuniis. Utiliter plane, et non ad insipientiam nobis, si affuerit, qui advertat. Multa siquidem quotidie peccata contrahimus, et in multis offendimus omnes : Nec tutum omnino est, celebrandas suscipere festivitates sacras, maximeque eas, quæ maximæ sunt, nisi prius abstinentiæ purificatione præmissa, quo et digniores et capaciores inveniamur spiritualium gaudiorum. Et paulo post : Non modo tamen præparatio est ad proximam celebritatem, observatio præmissa jejunii, est et admonitio quædam, eruditioque non parva. Discimus ex hoc ipso, quænam vera sit via festivitatis æternæ. Quid est enim quod jejuniis solemnia prævenimus, nisi quod per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei? (*Act.* xiv, 21.) Indignus quippe solemni lætitia est, qui statutam vigiliæ abstinentiam non observat. Plane, inquam, si renuis affligere animam tuam in vigilia, indignus jure censeris requie et exsultatione festiva. Est autem universum præsentis pœnitentiæ tempus vigilia quædam solennitatis, magni et æterni Sabbati, quod præstolamur. Nec causaberis vigiliam longiorem, si æternitatem festivitatis attendas.

[Ex Conciliis.]

Ex conc. Eliberitano, sub Marcello I, an. 305. — 23. Jejunia seu abstinentias per singulos menses placuit celebrari, exceptis diebus duorum mensium Julii et Augusti, ob quorumdam infirmitatem.

26. Errorem placuit corrigi, ut omni Sabbati die jejuniorum superpositionem celebremus.

Ex conc. Laodiceno, sub Sylvestro I, an. 320. — 50. Non oportet in Quadragesima quintam feriam ultimæ hebdomadæ jejunium dissolvi, sed magis convenit omnem Quadragesimam districto venerari jejunio.

Ex conc. Gangrensi, sub Sylvestro I, an. 325, *et epist. Adriani I, an.* 773. — 2. Si quis religiose carnes edentem exsecratur, anathema sit.

18. Ne quis in die Dominica quasi pro continentia jejunet.

19. Nullus Ecclesiastica jejunia absque necessitate dissolvat.

Ex conc. Cæsaraugustano, sub Damaso I, an. 381. — 2. Ne quis jejunet die Dominica causa temporis, aut persuasionis, aut superstitionis.

Ex conc. Carthaginensi iv, *sub Anastasio, an.* 398. — 62. Clericum qui tempore jejunii, inevitabili necessitate jejunium rumpit, minorem habendum.

64. Qui Dominico die studiose jejunat, non credatur Catholicus.

80. Omni tempore jejunii, manus pœnitentibus sacerdotibus imponatur.

Ex fragment. concil. Toletan. secundum Burchardum. — Quicunque in Quadragesimæ diebus esum carnium præsumpserit attentare, non solum reus Resurrectionis Domini, verum etiam alienus ab ejusdem diei sancta communione, et hoc illi cumuletur ad pœnam, ut in ipsius anni curriculo, ab omni esu carnium abstineat.

Ex conc. Toletano iv, *sub Honorio I, an.* 633. — 7. Quidam in die passionis Dominicæ ad horam nonam jejunium solvunt, conviviis abutuntur, etc. Quia totum eumdem diem universalis Eccles. propter passionem Domini in mœrore et abstinentia peragit; quicunque in eo jejunium, præter parvulos, senes et languidos ante peractos Indulgentiæ preces solverit, a Paschali gaudio depellatur, nec in eo sacramentum corporis et sanguinis Domini percipiat.

Ex conc. Toletano viii, *sub Martino I, an.* 653. — Quisquis absque inevitabili necessitate atque fragilitate et evidenti languore, seu etiam impossibilitate ætatis, diebus Quadragesimæ esum carnium præsumpserit attentare, non solum, etc. *Vide fragmenta Concil. Toletan.* 398; illi vero quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat non ante prohibita violare præsumant, quam sacerdotes permissum percipiant.

Ex conc. Arausicano i, *sub Leone I, an.* 44, *secundum Gratianum.* — Ut in Sabbato Sancto et in Vigilia Paschæ jejunium ante noctis initium, nisi a parvulis et infirmis non solvatur, nec in ipsa parasceve, quia cœna Domini et parasceve et Sabbatum ad illas 40 dies respiciunt, nec divina mysteria his duobus diebus celebrantur, canonibus quippe jubentibus in biduo isto, id est parasceve et Sabbato sacramenta penitus non celebrari.

Ex conc. Aurelian. i, *sub Symmacho, an.* 507. — 26. Id sacerdotibus omnibus est decretum, ut ante Paschæ solemnitatem, non quinquagesima, sed quadragesima teneatur.

29. Rogationes, id est litanias ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita ut permissum triduanum jejunium, in Dominicæ ascensionis solemnitate solvatur, per quod triduum servi et ancillæ, ab opere relaxentur, quo magis plebs universa conveniat quo triduo omnes abstineant, et quadragesimalibus cibis utantur.

Ex conc. Aurelianensi iv, *sub Vigilio, an.* 545. — 2. Quadragesima ab omnibus Ecclesiis æqualiter teneatur, neque quinquagesimam aut sexagesimam ante Pascha quilibet sacerdos præsumat indicere, sed neque per Sabbata absque infirmitate quisquam solvat Quadragesimæ jejunium, nisi tantum die Dominico prandeat.

Digitized by Google

Ex conc. Gerundensi, sub Hormisda, an. 517. — 2. Ut expleta solemnitate Pentecostes in sequenti septima a quinta feria in Sabbatum per hoc triduum abstinentia celebretur.

3. Item secunda Litania facienda est Kal. Nov. ea tamen conditione servat si iisdem diebus Dominica intercesserit, in alia hebdomada secund. prioris abstinentiæ observantiam, a quinta feria incipiatur et in Sabbato vesperæ missa facta finiantur quibus tamen diebus et carnibus et in vino decrevimus abstinendum.

Ex conc. Braccarensi I, *sub Joanne III, an.* 563. — 14. Placuit ut quicunque in clero cibo carnium non utuntur, pro amputanda suspicione Priscillianæ hæresis vel olera cocta cum carnibus prægustare cogantur; quod si contempserint, necesse est eos, officio, excommunicatos, omnibus modis removeri.

Ex conc. Turonensi II, *sub Joanne III, an.* 570. — 18. De jejuniis antiqua a monachis instituta conserventur, ut de Pascha usque quinquagesimam, exceptis rogationibus omni die fratribus prandium præparetur, post quinquagesimam tota hebdomada exacte jejunent, postea usque ad Kal. Augusti ter in septimana jejunent secunda, quarta et sexta die exceptis his qui aliqua infirmitate constricti sunt: in Augusto, quia quotidie missæ sanctorum sunt prandium habeant; in Septemb. toto, et Octob. et Novemb. sicut prius dictum est ter in septimana: de Decemb. usque ad Natale Domini omni die jejunent, et quia inter Natalem Dom. et Epiphan. omnes dies festivitatis sunt, itemque prandebunt, excipitur triduum illud quoad calcandam gentilium consuetudinem. Patres nostri statuerunt privatas Kal. Januar. fieri litanias, ut in ecclesiis psallatur, et hora octava in ipsis Kal. Circumcisionis missa Deo propitio celebretur, post Epiphaniam usque ad Quadragesimam ter in septimana jejunent.

Ex conc. Turonensi III, *sub Leone III, an.* 813. — 46. Jejunia quando generaliter pro aliqua necessitate indicantur, diligenter ab omnibus custodienda sunt et observanda.

48. Ebrietatem et crapulam fideles sectari non debent.

Ex conc. Matisconensi, sub Pelagio II, an. 582. — Ut a feria sancti Martini usque ad Natalem Domini secunda, quarta, et sexta Sabbati, a clericis jejunetur et sacrificia debeant ordine celebrari.

Ex conc. Antisidiorensi, sub Gregorio I, an. 590. — 2. Omnes presbyteri ante Epiphan. missos suos dirigant qui eis de principio Quadragesimæ nuntient, et in ipsa Epiphania ad populum indicent.

Ex conc. Moguntino, sub Leone III, an. 813.—34. Quatuor Tempora anni ab omnibus observentur, id est mense Martio, hebdomada prima et feria quarta et sexta et Sabbato, veniant omnes ad ecclesiam hora nona cum litaniis ad missarum solemnia, similiter Junio hebdom. secunda feria, quarta et sexta et Sabbato. Jejunetur usque ad horam nonam et a carne ab omnibus abstineatur, similiter in mense Septemb. hebdom. tertia et in mense Decemb. hebdomada quæ fuerit plena ante Vigiliam Natalis Domini sicut est in Rom. Eccl. traditum.

35. Si quis indictum jejunium superbiendo contempserit, et observare cum cæteris Christianis noluerit, anathematizetur nisi emendare se studeat.

Ex conc. Triburiensi, sub Formoso, an. 895. — 35. Diebus Quadragesimæ et jejuniorum summa devotione jejunandum et omni intentione estorandum, atque unicuique pro facultatibus suis eleemosy nætribuendæ et nullæ lites vel contentiones habendæ.

Ex conc. Engilenheimensi, sub Agapito II, an. 948. — 7. In litania majore, jejunium sicut in Rogationibus ante Ascensionem Domini exerceatur.

Ex conc. Salegunstadiensi, sub Benedicto VIII, an. 1022. — 2. De incepto jejunio Quatuor Temporum, hanc certitudinem statuimus, ut si Kal. Martii in quarta feria, sive antea evenerint, eadem hebdomada jejunium celebretur; si autem kal. in quintam feriam, aut Sabbatum distenduntur in sequentem hebdom. jejunium differatur; simili modo si Kal. Junii in quarta feria aut antea evenerint, in subsequente hebdo. Jejunium celebretur, et si in quintam fer. aut sextam aut sabbatum contigerit, jejunium in tertiam hebdomad. reservetur, etsi hoc sciendum est quod si quando jejunium mensis Junii in vigilia Pentecostes secund. prædictam regulam evenerit, non ibi celebrandum erit, sed in ipsa hebdom. solemni Pentecostes; eodem modo si Kal. Septemb. in quarta feria evenerint, aut antea jejunium in tertia hebdom. celebretur et si in quinta aut sexta aut sabbato contigerit, in quarta hebdomada jejunandum erit. In Decemb. illud observandum erit ut proximo Sabbato ante vigiliam Natalis Domini celebretur jejunium, quia si Vigilia in Sabbato evenerit, simul vigiliam et jejunium celebrare non convenit.

15. Omnes bannitum jejunium, in quocunque episcopio celebratur, diligentissime observent, et si quis illarum interdictarum rerum aliquam redimere voluerit, unum pauperem, prout sua facultas erit, eadem die reliciat.

Ex conc. Coyacensi, sub Leone IX, an. 1050. — 11. Christiani per omnes sextas ferias jejunent, et hora congrua cibo reficiantur, et faciant labores suos.

Ex conc. Compostel., sub Victore II, an. 1056. — 2. *Vid. verb.* ECCLESIATICORUM SIVE CLERICORUM OFFICIA.

Ex conc. Quintilineburgensi, sub Gregorio VII, an. 1085. — 7. Vernum jejunium in prima hebdom. Quadragesimæ, æstivum in Pentecoste semper celebretur.

8. Ne quis caseum et ova comedat in quadragesima.

Ex conc. Constantiensi, sub Urbano II, an. 1094. — 1. Jejunium Martii in prima

Digitized by Google

hebdom. Quadrages. et jejunium Jun. in hebdom. Pentecost. semper celebretur

Ex conc. Placentino, sub Urbano II, an. 1095. — 8. Jejunia Quatuor Temporum hoc ordine celebrentur, primum in prima hebdom. Quadrag. 2, in hebdom. Pentecost. 3, in Septemb. et Decemb. solito more fiant.

Ex conc. Claramont., sub Urbano II, an. 1095.— 24. Vide *verb.* ORDINES SACRI.

26. Ut in Sabbato S. protrahatur jejunium circa noctem.

27. Ut semper fiat jejunium veris, etc. *Vide* Conc. Quintilineburg. 1085, c. 7.

Ex conc. Abrincensi in Normannia, sub Alexandro III, an. 1772. — 11. In Adventu Domini omnibus qui poterunt, maxime autem clericis et militibus jejunium et abstinentia carnis indicatur.

Ex conc. Oxoniensi, sub Honorio III, an. 1222. — 19. Jejunia Quatuor Temporum in Mart. prima hebdom. jejunandum est feria quarta et sexta et Sabbato, in Junio in 2, quod dupliciter observatur a pluribus in prima hebdom. post litanias, aut in hebdom. Pentecostes, in Septemb. per 3 dies in proxima septimana integra ante Natalem Domini.

Ex conc. Sabinensi, in Hispania, sub Joan. XXII, an. 1322. — 16. Nullus fidelis in ætate legitima constitutus, carnes in Quadragesima, vel in temporibus comedere audeat ullo modo, transgressores in excommunicationem incidant ipso facto, etc., vendentes etiam carnes publice in supradictis temporibus eo ipso excommunicationem incurrant.

Vid. etiam verb. ABSTINENTIA.

JESUS

Vid. verb. CHRISTUS.

JOCI

Vid. verb. LUDI.

JUDICIUM EXTREMUM

[Ex SS. Patribus.]

S. EPHREM Syrus, in lib. *De judicio extremo*, cap. 1. — Nec quisquam nobis prodesse poterit in illa judicii die, nisi conversatio sancta et bona opera, quæ hinc detulerimus nobiscum. Futurum est namque, ut unusquisque nostrum et actus suos et cogitationes ante tribunal tremendi Judicis deferat. Contremiscit cor meum, et renes mei resolvuntur quotiescunque recogito, quod revelandæ sint cogitationes et sermones atque actus nostri in die judicii. Arbores fructiferæ tempore suo primum intrinsecus concipiunt fructum, postea vero divino nutu extrinsecus proferunt, secundum suam naturam et fructum et folia. Sic in die illa terribili, omnes homines quicunque in hoc sæculo quasi in tempore suo occulte intrinsecus sive bona sive mala gesserint, ibi quasi fructus proprios ante tribunal Domini proferent. Tunc justi bonos et jucundos proferent fructus; sancti similiter fructus, suavissimos, et omnibus gratiarum floribus patientiæ gloriosos; monachi autem sanctæ conversationis suæ, id est continentiæ, humilitatis, vigiliarum, orationum atque obedientiæ, immarcescibiles proferent fructus. Peccatores vero, impii ac profani, proferent fructus turpissimos et exsecrandos, plenos confusione, opprobrio, ululatu, et luctu, vermium quoque immortalium, et ignis inexstinguibilis cum gemitu. Tremendum est, dilectissimi fratres, ibi judicium, in quo sine testibus omnia manifesta sunt. Ibi assistunt millia millium, et decies dena millia angelorum et archangelorum, Cherubin et Seraphin. Ibi justorum chori circumstant, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, et martyrum, et omnium omnino agmina sanctorum.

Idem., *ibid.*, c. 5. — Beatus homo, qui invenerit fiduciam in hora illa, et qui audierit beatam vocem illam: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* (*Matth.* XXV, 34.) Tunc justi, cum se in lumine viderint in illa memorabili gloria, intra semet ipsos singuli obstupescent, et dicent: Putas ipse ego sum? Et quomodo huic gloriæ dignus inventus sum? Angeli etiam accedentes cum gaudio magno ad sanctos, enarrant eis conversationem eorum immaculatam, continentiam, vigilias, orationes, voluntariam paupertatem, frugalitatem perfectam, patientiam sitis, tolerantiam famis, orationis instantiam, et omnia quæcunque propter Christi perfectam charitatem æquanimiter pertulerunt. Hæc autem omnia sanctis angelis dicentibus cum exsultatione, respondebunt omnes justi, dicentes: Omnino constituti in terris, nec unam diem perfectæ correctionis viximus, nec ullum opus bonum a nobis gestum est. Iterum vero

Digitized by Google

angeli commemorare eos faciunt locum et tempus, et admirantes eorum humilitatem, glorificant Deum, videntes in cœlis corpora sanctorum super lumen fulgentia.

S. Cyrillus Hierosol., catech. 25, *illuminatorum*.—Sicut cum antea ipsa incarnari deberet, et nasci de virgine, exspectatus Deus, decipiebat diabolus, malus artifex in idololatria, proferens deos falsos, generantes et genitos de mulieribus, ut præmissa falsitate, non credatur postea veritati, sic cum verus Christus secundo venturus sit, prætextum capiens simplicium exspectationem, ille adversarius, et maxime eorum, qui sunt ex circumcisione, inducet quemdam magnum hominem, veneficiis et incantationibus, et malis artibus instructissimum, usurpantem sibi potestatem Romani imperii, falso autem Christum se ipsum vocantem, ac per hanc Christi appellationem Judæos, qui venturum exspectant, decipientem : gentes vero per magicas imposturas seducentem. Veniet autem hic prædictus Antichristus, cum impleta fuerint tempora imperii Romani, et mundi consummatio appropinquabit. Decem simul reges Romanorum excitabuntur in diversis quidem locis, eodem tamen tempore regnantes. Post istos autem undecimus Antichristus, per magicum maleficium Romanorum potestatem rapiens. Tres quidem ante se reges deprimet, reliquos autem septem sibi subjiciet. Ac primum quidem tanquam prudens aliquis ac intelligens, temperantiam et humilitatem simulabit, signisque et portentis, magica impostura decipiet Judæos, tanquam is esset Christus ab illis exspectatus. Deceptos vero, deinceps omnis generis inhumanitatis et iniquitatis malis, omnes circumscribet, ita ut omnes, qui ante illum improbi et impii fuerant, excellat malitia. (*II Thess.* xv.) Mentemque habebit homicidiariam, præfractam, immisericordem, et vanam, cum contra alios omnes, tum vero maxime contra nos Christianos. Tribus autem annis et sex mensibus talia audens, a secundo de cœlis glorioso adventu unigeniti Filii Dei, et Domino Salvatoreque nostro Jesu Christo deprimetur. Qui tollens Antichristum spiritu oris sui igni gehennæ illum tradet. (*Dan.* vii, 7.) Hæc autem docemus, non comminiscentes, sed et Scripturis divinis colligentes, et ex ea maxime, quæ nuper lecta est, ex Daniele propheta edocti, sicut Gabriel archangelus interpretatus est, dicens sic : *Quarta bestia, quartum est regnum in terra quod majus erit aliis omnibus regnis*, hoc autem esse Romanorum, ecclesiastici interpretes tradiderunt. Primum enim erat regnum Assyriorum, alterum Medorum simul et Persarum, tertium postea Macedonum : Quartum est nunc regnum Romanorum. Deinceps vero Gabriel interpretans dicit. Decem cornua ipsius, decem regna consurgent ; post ista alter consurget, qui omnes ante se malis vincet, neque solum illos decem reges, sed omnes qui ante se fuerunt. Et tres reges deprimet. Manifestum autem est, quod ex istis decem tres opprimet prorsus, ut ipsemet octavus regnet, et verba faciet contra Altissimum, vir blasphemus et iniquus, non a patribus accipiens regnum, sed arte magica principatum usurpabit. Et paulo post : Idola odio habiturus est Antichristus, ut ipse in templo Dei sedeat. Quale autem templum dicit? In templo quod reliquum est Judæorum. Absit enim, ut in hoc id fiat, in quo sumus. Et post nonnulla : Sed quod tandem adventus illius signum est, quod non audeat virtus contraria imitari? *Et tunc*, inquit, *apparebit signum Filii hominis in cœlo.* (*Matth.* xxiv, 30.) Signum autem verum et proprium Christi, est crux. Lucidum crucis signum, præcedens regem, atque demonstrans eum, qui prius, fuerat crucifixus, ut videntes, qui antea illum pupugerunt, (*Apoc.* i, 7). et illi insidiati sunt Judæi, certent tribus cum tribubus, dicentes : Hic est alapis percussus ; hic est, in cujus faciem spuebant illi ; hic est, quem ligarunt ; hic est, quem antea crucifixum spreverunt ; quo fugiemus a facie iræ illius, dicens : cum angelicis exercitibus circumdabuntur, nusquam sane fugere poterunt. Tremor est inimicis, signum crucis, et gaudium amicis in illum credentibus, vel qui prædicarunt, vel qui passi pro illo. Et post quædam : Jam igitur incipe hæc operari, et perseveres in fide, ne, sicut stultæ virgines, empturus oleum, excludaris. (*Matth.* xxv, 8.) Non in hoc confidas, quod solam lampadem habes, sed custodi illam ardentem. Non in hoc solum confidas, quod credis, sed fidem ardentem conserva, *ut luceat lux tua coram hominibus* per bona opera, (*Matth.* v, 16.) *ne blasphemetur propter te Christus.* (*Rom* xiv, 16.)

S. Chrysost., hom. 5 *de pœnitentia* : Respondeat judici, priusquam in prætorium veniat. An ignoras eos, qui judicem mitigare volunt, non ipso in examine causæ, sed priusquam judicii ingrediatur locum, benevolum sibi faciunt, vel amico mediatore vel præsule, aut modo alio sibi judicem conciliant? Igitur et Deo non sessionis tempore suadendum erit judici, ante vero judicii tempus mitigabilis est judex. Quare dicit David : *Præoccupemus faciem ejus.* (*Psal.* xciv, 2.) Illic magnum judicem ars rhetoris nulla decipiet, et nullius potentia mitigatur, dignitati non condescendit, non veneratur personam, sed tremendum et implacabile justi judicium. Hic vero judicem exorabimus, et placabimus non pecunia, magis autem (si verum dicere oportet) clemens ipse piusque pecunia suadetur, non ipse manu, sed per inopes accipiens. Da inopi pecuniam, et judicem mitigaveris.

S. August. serm. 67 *De tempore*.— Quid faciemus, charissimi, in illo metuendo judicii die, cum tremente mundo, Dominus præcinentibus angelorum buccinis, in illo

Digitized by Google

majestatis suæ throno circumdatus cœlestis militiæ luce consederit, ibique de terræ gremio et antiquo pulvere suscitato humano genere, adstante testimonio conscientiæ singulorum, positis in conspectu peccatorum pœnis justorumque præmiis, rationem vitæ cœperit postulare, et plus jam justus quam misericors, severitate judicis contemptæ misericordiæ reos cœperit accusare et dicere : Ego te, o homo de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus, etc. Irridentium palmas et sputa suscepi, acetum cum felle bibi, flagellis cæsus, vepribus coronatus, cruci affixus, vulnere perfossus, ut tu eripereris morti, animam in tormentis dimisi. En clavorum vestigia, quibus affixus pependi. En perfossum vulneribus latus. Suscepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem. Suscepi mortem tuam, ut in æternum viveres. Conditus jacui in sepulcro, ut tu regnares in cœlo. Cur quod pro te pertuli, perdidisti? Cur, ingrate, redemptionis tuæ munera renuisti? Et quia post omnia mala tua ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluisti, ab auditu malo non mereberis liberari. Qui tunc erit stridor dentium, cum sanctorum multitudine ad dexteram regis et ad gloriam segregata, peccati populus in profundo tartari sine ulla miserationis ac veniæ spe demersus, excludi se tenebris suis a beata sanctorum luce viderit, et in profundi sinum sine fine descendens, urgente os suum puteo, æterna supplicia et perpetuam mortem non moriturus aspexerit? Ut ergo hæc tam dura et tam terribilia ante illud tribunal æterni judicis audire non mereamur, dum adhuc licet, et cum Dei adjutorio in potestate nostra est, consideremus conscientias nostras, et si aliqua crimina vel peccata capitalia necdum eleemosynis et orationibus purgata, nobis adhuc nominari cognoscimus, portum pœnitentiæ devictis peccatorum fluctibus, Christo juvante, festinemus intrare, et si quid in navicula animæ nostræ multis tem pestatibus peccatorum, aut per superbiam fractum, aut per avaritiam ruptum, aut per luxuriam resolutum esse cognoscimus, componere vel reparare bonis operibus festinemus.

Prosper lib. III *De vita contemplativa*, cap. 12. — Age, cum ad illud ultimum judicium venerimus, ab eo judice judicandi, qui nec falli occultatione criminum potest, nec ad impunitatem promerendam muneris alicujus oblatione corrumpi, cum cœperint omnium secreta revelari, et non solum actus ac verba, sed etiam ipsæ cogitationes ostendi, quid faciemus sub tanti judicis majestate? quid excusationis obtendere poterimus? qua nos defensionis arte purgabimus? quæ nobis subventura est pœnitentia, quam in hac carne contempsimus? Quæ nos defensura sunt opera bona, quæ in hac vita non fecimus? ad quos Apostolos, aut ad quos alios sanctos confugituri sumus, quorum exempla simul ac verba despeximus? An forte aliquos ibi fragilitas corporis excusabit? Sed excusationi eorum reclamabunt omnium sanctorum exempla, qui cum fragilitate carnis in carne viventes, fragilitatem carnis in carne vincentes, quod fecerunt, utique fieri posse docuerunt, maxime, quia nec ipsi peccato sua virtute, sed Domini miserantis auxilio restiterunt, qui se et non quærentibus, ut quæratur, atque in eum credatur, ostendit, et credentes in se, ne a peccato vincantur, invicta protectione defendit. Quid ergo responsuri sunt, si eis Dominus dicat : Si potuistis, quare non restitistis desideriis peccatorum? Si non potuistis, quare meum contra peccata non quæsistis auxilium? aut vulnerati, quare pœnitendo non adhibuistis vulneri vestro remedium? Nonne ad hæc obmutescentes, et quid excusationis referant, non habentes, dicet : Ligate eos *manibus et pedibus, et mitte in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium, ubi vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur?* (*Matth.* XXII, 13.)

S. Gregor., lib. VIII *Moralium in Job*, cap. 13. — Justorum mens semper sollicita venturo examini intendit. Omne enim, quod agunt, metuunt, dum caute considerat, ante quantum judicem stabunt. Intuentur potentiam illius magnitudinis, et pensant, quanto reatu constricti sunt propriæ infirmitatis. Enumerant mala proprii operis, et contra hæc exaggerant bona gratiæ Conditoris. Considerant, prava quam districte judicet, bona opera quam subtiliter penset, et perituros se absque ambiguitate præsciunt, si remota pietate judicentur, quia hoc ipsum quoque, quod juste videmur vivere, culpa est, si vitam nostram cum judicat, hanc apud se divina misericordia non excusat. Hinc enim in hoc eodem libro scriptum est : *Astra non sunt munda in conspectu ejus.* (*Job* XXV, 5.) Quia apud eum districte judicati, ipsi quoque maculas inquinationis habent, qui per munditiam sanctitatis lucent.

Idem, lib. XXI, cap. 15.— Sciunt sancti, quia omnis humana justitia, injustitia esse deprehenditur, si divinitus districte judicetur.

Idem, *ibid.*, cap. 16. — Bene subditur : et pondus ejus ferre non potui, quoniam qui extremi judicii adventum intenta mente considerat, profecto videt quia tantus pavor imminet, quantum non solum tunc videre, sed se etiam nunc prævidere pertimescat. Consideratione namque tanti terroris metu animus palpitat, et intentionis suæ oculos declinans, intueri quod prævidet, recusat. Bene ergo dicitur : *Et pondus ejus ferre non potui* (*Job* XXXI, 23), quia, cum supernæ majestatis vim ad judicium venientis, terroremque tanti examinis considerando animus conatur exquirere, mox ad se ipsum refugiens, sese expavescit invenire.

S. Joannes Damasc., in sermone *de defunctis*, sive in sermone, *Quod qui in fide hinc migrarunt, sacris operationibus et vivorum beneficiis multum juvantur :* — Aiunt viri divinitus illustrati, quod cum exhalamus spiritum, quasi in libro humana opera

Digitized by Google

probantur. Et si lanx dextera alteram superexcedat, manifestum, quod is, cujus opera examinantur, in dextris refocillabitur. Sin utraque æqualiter pendeat, vincet tamen omnino divina misericordia, quin etiam ut theologi referunt, si sinistra parum vergat misericordia Dei totum adimplebit. Ecce tria divina Domini judicia, primum justum secundum vero misericors, tertium denique plus quam misericors. Addere licet ad hæc quartum, quando mala opera multum præponderant. Et paulo post : In iis temporibus, in quibus venerabilis imprimisque sanctus Joannes Eleemosynarius vixit, Petrus teloncarius aliquando et durus pauperibus ex plurimis opibus, ex invidia, ex immisericordia, ad consummatam misericordiam et sanctitatem pervenit. Nam ut in libro beatissimæ illius vitæ dicitur quod factus in exstasi, viderit opera sua ponderari, et inter cætera siligineum panem, quem pro lapide aliquando in faciem pauperis iracundus miserit, in dextra libræ lance, eaque visione commonitus, tam pius postea evaserit.

S. Bernardus, serm. 55 *in Cantica* : — Verum tu qui adventum desideras Salvatoris, time scrutinium judicis, time oculos capreæ, time illum, qui per prophetam dicit : *Et erit in die illa et ego scrutabor Jerusalem in lucernis.* (*Soph.* I, 12.) Acuto visu est, nihil inscrutatum relinquet oculus ejus. *Scrutabitur renes et corda, ipsaque cogitatio hominis confitebitur illi.* (*Psal.* VII, 10.) Quid tutum in Babylone, si Jerusalem manet scrutinium? Puto enim hoc loco prophetam Jerusalem nomine designasse illos, qui in hoc sæculo vitam ducunt religiosam, mores supernæ illius Jerusalem conversatione honesta et ordinata pro viribus imitantes, et non veluti hi, qui de Babylone sunt, vitam in pertubatione vitiorum scelerumque confusione vastantes. Denique illorum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium, et non egent scrutinio, sed supplicio. Mea autem (qui videor monachus et Hierosolymita) peccata certe occulta sunt nomine et habitu monachi adumbrata. Et idcirco necesse erit subtili ea investigari discussione, et quasi admotis lucernis de tenebris in lucem prodi. Possumus afferre aliquid et de psalmo ad confirmandum id, quod dicitur de scrutanda Jerusalem; ait namque sub persona Domini : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* (*Psal.* LXXIV, 3.) Vias justorum (ni fallor) et actus eorum discussurum se et examinaturum dicit. Verendum valde, cum ad hoc ventum fuerit, ne sub tamen subtili examine multæ nostræ justitiæ (ut putantur) peccata appareant. Unum est tamen, si nosmet ipsos dijudicaverimus, non utique dijudicabimur. Bonum judicium, quod me illi districto divinoque judicio subducit et abscondit. Prorsus horreo incidere in manus Dei viventis. Volo vultui iræ judicatus præsentari, non judicandus. Spiritalis homo omnia dijudicat, et ipse a nemine judicatur, judicabo proinde mala mea, judicabo et bona.

JUDICIUM TEMERARIUM

[Ex SS. Patribus.

Tertullianus *Apologet.* — Cæcitat eodii in judicium impingent animi proposito.

S. Ambros., *in psal.* CXVIII. — Necesse est eam formam in te redire.

Idem, *ibid.* — Judicet ille, qui non agat eadem quæ in alio putaverit punienda, ne cum de alio judicat, in se ferat sententiam.

S. Chrysost., hom. 37 sup. *Matth.* — Si tam acri cura nostra examinaremus, quemadmodum aliena, sincera integraque judicaremus sententia.

Idem, *ibid. Matth.* —Sicut difficile aliquis suspicatur malum qui bonus est, sic difficile aliquem suspicatur bonum qui malus est.

S. Cyprianus. — Teipsum respice, tu qui alios judicas, esto aliquando tui judex.

S. Hyer., *in Isaiam*, l. I, c. 3.—Spernentes hominum judicia, nec laudibus eorum extollamur, nec obtrectationibus contristemur.

Idem, *ibid.* — Si unusquisque de proximo judicat, quid Deo reservamus?

S. Paulinus.— Quanta laude dignus error etiam de male factis judicare!

Theodoretus. — Charitas non cogitat malum, id est ignoscit iis qui errant, existimans ea non esse facta malo.

S. August., *De vera innocent.*, c. 21. — De occultis alienis cordis temere judicare, peccatum est; quid enim sit in corde videre non possumus.

Idem, epist. 174. — Malus homo judicat in alio quod sentit in se ipso.

Idem, *ibid.* — Nonne iniquum est ut quis de alio judicare velit, et de se judicare nolit?

Idem, *Serm. Domini in monte.* — Temerarium judicium plerumque nihil nocet ei de quo temere judicatur, ei autem qui temere judicat, ipsa temeritas necesse est ut noceat.

Idem, l. X *Confess.* — Curiosum genus ad cognoscendum aliorum vitam, desidiosum ad cognoscendum suam.

Idem. — Non se multum dolet errare charitas, cum bene credit etiam de malo.

Idem, l. XXII *contra Faustum*, c. 26. — Omnibus cavenda est suspicio, quæ est venenum amicitiæ.

Idem, *De amicit.*, c. 24. — Non in quæcunque laudanda, vel vituperanda, temere irruamus.

Idem, *super Epist. ad Rom.*, 79. — In iis rebus quæ possunt et bono animo fieri et malo judicium Deo dimittamus; nec audeamus de alterius corde, quod non videmus, ferre sententiam.

Idem, *De pastoribus.* — Temerariis in-

Digitized by Google

diciis plena sunt omnia : de quo desperavimus, subito convertitur ; de quo multum præsumpsimus, subito deficit et fit optimus.

S. Aug., l. II *De serm. Domini in monte.* — Hi maxime temere judicant, qui magis amant vituperare et damnare, quam emendare et corrigere.

Idem, l. II, serm. 1 *De orig. animæ.* — Ubi mihi animus hominis ignotus est et incertus, melius arbitror meliora sentire, quam inexplorata culpare.

Idem, serm. 102 *De temp.* — Maxima pars generis humani, indiscreto judicio, ad reprehendendum prompta et parata esse probatur ; cum tamen non ita se velit ab aliis judicari quomodo vult alios judicare.

S. Gregorius, *in Ezech.* — Vult fieri judex alienarum culparum, qui gravatur pondere suarum.

Idem, lib. III *Moral.* — Superbi tanto insanius de alienis judicant, quanto sua profundius ignorant.

Idem, *ibid.* — Humanæ mentis proprium est, hoc sibi fieri suspicari, quod facit.

Idem, lib. XIX *Moral.* — Ad proferendam sententiam nunquam præcipites esse debemus, ne temere indiscussa judicemus, ne quælibet audita nos moveant, et ne passim dictis sine probatione credamus.

Idem, l. VI *Epist.* — Quantum vos in bono profecistis, tantum bona etiam in aliis sentitis.

Idem, *in Eccl.* — Durum est, ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, judex fiat alienæ.

S. Joannes Climac., grad. 10. — Neque si oculis tuis peccantem videris, condemnes : nec illis credas, sæpius enim falluntur et ipsi.

S. Chrysol. — Sua cæcus ad crimina, ad aliena errata perlucet.

S. Isidorius. — Sic alios judica, ut ipse ab eis judicari cupis.

S. Prosper, l. II *De vita contempl.* — Suarum actionum negligentes, fiunt aliorum procaci libertate censores.

S. Bernard., *sup. Cant.* — Cave alienæ conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius judex.

Idem. *ibid.* — Excusa intentionem, si non potes, puta subreptionem, puta casum.

Idem, *ibid.* — Judicare est impudens direptio divinæ dignitatis ; condemnare autem animæ propriæ interitus.

Idem, docum. 1. — Cum vides aliquid quod tibi displicet, vide si hoc est in te et abscinde ; si vero vides aliquid quod tibi placet, vide si hoc est in te, et tene ; si non est assume.

S. Bonavent., *Stim. amoris.* — Occulta pestis temerarium judicium, sed gravissima, quæ Deum fugat, et fraternam lacerat charitatem.

JURAMENTUM, BLASPHEMIA

[Ex SS. Patribus]

S. Hieron., in c. XVIII *Isaiæ.* — Nihil horribilius blasphemia, quæ, ponit in excelsum os suum ; omne quippe peccatum levius est.

Idem, *Apolog.* — Blasphemia veniam non meretur.

Idem, *Ad Celantiam, de institutione matris familias.* — Mentiri, et jurare lingua tua prorsus, ignoret, tantusque sit in te veri amor ut quidquid dixeris, juratum putes.

Idem. — Sicut ad proprias injurias patientes esse debemus ; ita si aliquem viderimus erga Deum ore sacrilego blasphemantem, illic tenere non debemus patientiam ; sed sacrilego resistere, et os blasphemans, veritatis responsione damnare.

Idem, *in Ezechiel.* lib. I, cap. 17. — Qui contemnit juramentum, illum despicit per quem, juravit, illique facit injuriam cujus nomine credidit adversarius.

S. Ambros., *Exhort. ad virgines.* — Noli jurare, ne incipias pejerare.

S. Chrysost., *in Matth.*, c. 5. — Nemo est qui frequenter juret, qui aliquando non perjuret ; sicut qui consuevit multa loqui, aliquando loquitur importuna.

Idem, orat. 2, *De fato et Provid.* — Non est hoc peccato (nempe blasphemia) deterius, sed neque par ; nam in eo et accessio omnium malorum est, omnisque confusio, inexpiabile supplicium, et intolerabilis pœna.

S. Aug., *Serm. de Decal.* — Qui adjurationem provocavit, duas animas interficit, jurantis et provocantis.

Idem, *ibid.* — Juravit David temere, sed non implevit jurationem majore pietate.

Idem, *Lib. contra mendacium.* — Dico vobis non jurare omnino (ait Christus) ne scilicet jurando, ad facilitatem jurandi veniatur de facilitate ad consuetudinem, de consuetudine ad perjurium decidatur.

Idem, *ibid.*, c. 19. — Pejus est blasphemare quam pejerare, quoniam pejerando, falsæ rei adhibetur testis Deus, blasphemando autem (de ipso falsa dicuntur Deo.)

Idem, *super Matth.* — Non minus peccant qui blasphemant Christum regnantem in cœlis, quam qui crucifixerunt ambulantem in terris.

Idem, *sup. Joann.* — Flagellatus est Christus flagellis Judæorum, sed non minus flagellatus blasphemiis falsorum Christianorum.

Idem, serm. 28 *De Verb. B. Jacobi.* — Vis longe esse a perjurio, jurare noli. Falsa juratio exitiosa est, vera juratio exitiosa ; nulla juratio secura est.

Idem, epist. 154, *ad Publicolam.* — Ideo

Digitized by Google

dictum est ne juremus non quia verum jurare peccatum est, sed quia pejerare peccatum immane est, a quo nos longe esse voluit, qui omnino ne juremus admonuit.

S. Aug., *in psal.* vii.— Jurare per exsecrationem est gravissimum jurisjurandi genus, cum homo dicit, si illud feci illud patiar.

Idem, serm. *de decoll. Joan. Bapt.*—Homo, qui per consuetudinem jurandi, potest lingua in perjurum prolabi bene prohibetur jurare : tanto enim longius erit a perjurio, quanto erit longe a jurando.

Idem., *in psal.* lxxxviii.—Bene prohibetur homo jurare, ne consuetudine jurandi, quia homo falli potest, etiam in perjurium prolabatur.

Idem, *in Epist. ad Galat.* — Manifestum est homines jurare, aut cupiditate aut delectatione peccandi.

Idem, serm. 28 *De verb. apost.* — Linguam ream non facit nisi mens rea.

S. Hilarius, *in Matth.* — Jurare opus non est iis, quibus omnis sermo in vero est.

Salvian., lib. iv *De gubernat.* — O inauditum facinus ! auctorem sui secleris Deum facere volunt.

Idem, lib. v. —In comparatione omnium illi solus Deus vilis est.

Idem, lib. vii. — Prima semper irarum tela, maledicta sunt. Quidquid non possumus imbecilles, optamus irati, et in omni animorum indignantium motu, votis malis pro armis utimur.

Isidorus, lib. ii *Sent.* — Assiduitas jurandi, perjurii consuetudinem facit.

Idem, *ibid.* — Impii sunt qui jurare delectantur.

Idem, *ibid.* — Veritas juramento non indiget.

Idem, *De summo bono.* — Quacunque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita bona accipit, sicut ille, ut juratur, intelligit.

[Ex Conciliis.]

Ex fragmentis conc. Eliberit., sub Marcello I, an 305, secund. Gratian. — 3. Pueri ante annos 14 non cogantur jurare, puella quoque si in puerili ætate, sita in domo patris illo nesciente se juramento constrinxerit, et pater, statim ut audierit, contradixerit, vota ejus et juramenta irrita erunt.

Ex conc. Arelat. i, *sub Silvestro I, an* 314. — 3. Qui arma projiciunt in pace (seu potius in bello) placuit abstinere eos a communione (tanquam pejerantes et perjurii et desertores).

Ex conc. Carthag. iv, *sub Anastasio, an* 398. — 6. Clericum per creaturas jurantem acerrime objurgandum, si perstiterit in vitio excommunicandum.

Ex conc. Ilerdensi, sub Joanne I, an. 524. — 7. Qui sacramento se obligavit ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio, uno anno a communione corporis et sanguinis Domini segregatus, reatum suum eleemosynis, fletibus, et quantis potuerit jejuniis abluat, ad charitatem vero quæ operit multitudinem peccatorum celeriter venire festinet.

Ex eod. conc. Ilerdensi, secund. Burchard. — 10. Si quis presbyter a plebe sibi commissa, mala opinione infamatus fuerit, et episcopus legitimis testibus probare non potuerit, suspendatur ab officio presbyter usque ad dignam satisfactionem, ad arbitrium autem episcopi sibi collegas septem conjungat, et juret in sacro coram posito Evangelio, quod eum S. Trinitas, et Christus Filius Dei qui illud fecit et docuit quod Evangelium continet et SS. quatuor evangelistæ qui illud scripserunt sic adjuvent, quod ille prænominatam actionem ita non perpetrarit, sicut ei de illis oblatum est, et in hac satisfactione purgatus securo deinceps suum exerceat ministerium ; quam satisfactionem S. Leo papa in basilica S. Petri coram reverendissimo Cæsare Carolo, ac clero et plebe ita fecit.

Ex conc. Meld., sub Sergio II, an. 843 — 39. Ut multiplex juramentorum et perjuriorum confusio, per quam multæ fidelium animæ in toto hoc regno perditæ cognoscuntur, quam sit detestanda, et Deo odibilis attentius omnibus annuntietur, etc. Tantum namque hoc malum est, ut ad sanctuaria martyrum, ubi diversorum ægritudines sanantur, ubi perjuri, licet manifeste interdum vexari non videantur, justo Dei judicio arripiantur.

Ex conc. Matiscon. i, *sub Pelagio II, an.* 582. — 17. Si quis convictus fuerit alios ad falsum testimonium vel perjurium attraxisse, aut quemcunque corruptione sollicitasse, ipse quidem usque ad exitum non communicet, hi vero qui ei in perjurio consensisse probantur, post ab omni sunt testimonio prohibendi, et secundum legem infamia notabuntur.

Ex conc. Tolet. iv, *sub Honorio I, an.* 633. — 74. Quicunque ex nobis vel totius Hispaniæ populis qualibet conjuratione vel studio sacramentum fidei suæ quod pro patriæ, gentisque Gottorum statu, vel conservatione regiæ salutis pollicitus est temeraverit, aut regem nece attrectaverit, aut potestate regni exuerit, et præsumptione tyrannica regni fastigium usurpaverit, anathema sit.

Ex conc. Tolet. an. viii, *sub Martino I, an.* 653. — 2. Quæcunque juramenta pro regiæ potestatis salute, et confutatione gentis et patriæ, vel hactenus sunt exacta, vel deinceps exstiterint exigenda, omni custodia, omnique vigilantia indissolubiliter decernimus observanda a membrorum truncatione, mortisque sententia religioni penitus absoluta.

Ex conc. Turon. iii, *sub Leone III, an.* 813. — 34. Non solum illi qui pejerant, sed etiam qui perjuris consentiunt, simili plec-

Digitized by Google

tendi sunt damnatione.— 43. Omnes homines admonemus, ne per singula verba quasi ad confirmationem suæ assertionis, nomen Domini in vanum assumant.

Ex conc. Valent., in Gallia, sub Leone IV, an. 855.— 11. Statuimus ut quicunque uno juramento legitime dato, quod secundum legem divinam omnis humanæ controversiæ finis esse debet, alterum e contrario juramentum opponere præsumpserit, ab ipsis liminibus Ecclesiæ exclusus, omnium Christianorum consortio atque convivio reddatur extraneus, etc.

Ex conc. Tull. II, *sub Nicolao, an.* 860.— 3. De his qui jurant et perjurant in nomine Dei omnipotentis mendaciter, et de falsis testibus duræ et districtæ pœnitentiæ subdantur, quandiu in crimine manent, foras ab ecclesia projecti, neque oblatio eorum in sacris neque nomen eorum inter fideles recitatum habeatur.

Ex conc. Tribur., sub Formoso, an. 895.— 22. Si quis fidelis libertate notabilis aliquo crimine aut infamia deputatur, utatur jure, juramento se excusare, si vero tanto talique crimine publicatur, ut criminosus a populo suspicetur, et propterea superjuretur, aut confiteatur et pœniteat, aut episcopo vel suo misso discutiente per ignem candenti ferro caute examinetur.

Ex conc. Londin., sub Alexandro III, an 1175. — 11. Vicarii, qui personis, fide e sacramento obligati sunt, si fide et sacramenti religione contempta, personatum sibi falso assumentes contra personas se erexerint, super hoc in jure, vel confessi vel convicti fuerint, de cætero in eodem episcopatu ad officii sui exsecutionem non admittantur.

Ex conc. Londinensi sub Innocentio III, an. 1200. — 7. Qui scienter in dispendium cujuslibet pejeraverint, non absolvantur, nec eis pœnitentia ab aliquo injungatur, nisi ab episcopo diœcesano, vel ejus auctoritate, præterquam in articulo mortis, etc.

Ex conc. Londin., sub Gregorio IX, an. 1237. — 23. Jusjurandum calumniæ in causis ecclesiast. cujuslibet, et de veritate dicendi, in spiritualibus quoque ut veritas aperiatur facilius, et causæ celerius terminentur, statuimus de cætero præstari in regno Angliæ, secundum canonicas et legitimas sanctiones.

Ex conc. Ravennat. II, *sub Clemente V, an.* 1311.— 27. Quicunque de cætero præsumpserit in Deum, B. Virginem, et sanctos ejus blasphemare ultra pœnam et pœnitentiam quæ talibus est per canones imponenda, a liminibus ecclesiæ arceatur per mensem, et si pluries correctus se non emendaverit, in morte denegetur sibi ecclesiastica sepultura.

Errores fratricellorum damnati a Joanne XXII, constitutione edita an. 1318. — Tertius istorum error in Waldensium errore conjurat, quoniam et ii et illi in nullum eventum asserunt fore jurandum, dogmatizantes mortalis criminis contagione pollui et pœna teneri, quos contigerit juramenti religione constringi.

Ex conc. Sabin., in Hispania, sub Joan. XXII, an. 1322.— 26. Vulgaris purgationis abusum per canones interdictum, quod suspecti de criminibus ad se purgandum ferrum candens, aut aquam ferventem accipiunt, detestantes statuimus, ut mandantes talem purgationem fieri, tenentes, exhibentes, custodientes, accipientes ad hoc, ferrum vel aquam hujusmodi in excommunicationem incidant ipso facto.

Ex conc. Lateran., univers. XVII, *sub Leone X, an.* 1517, *sess.* 9, *de reformat.* — 19. Quicunque Deo publice maledixerit, contumeliosisque atque obscœnis verbis Dominum nostrum Jesum Christum, vel gloriosam Virginem Mariam expresse blasphemaverit, si munus publicum jurisdictionemque gesserit, perdat, emolumenta trium mensium pro prima et secunda vice, dicti officii si tertio deliquerit, illo, eo ipso, privatus existat; si clericus vel sacerdos fuerit pro prima vice qua convictus fuerit, beneficiorum quæcunque habuerit, fructibus unius anni multetur, pro secunda si unicum habuerit beneficium eo privetur, si autem plura quod ordinarius maluerit, id amittere cogatur, si tertio ejus sceleris convincatur dignitatibus ac beneficiis omnibus quæcunque habuerit, eo ipso privatus existat, ad eaque ulterius retinenda inhabilis reddatur, etc. Laicus blasphemans si nobilis fuerit pœna 35 ducatorum multetur, et pro secunda vice 50 fabricæ principis apost. de urbe applicandis, pro tertia vice nobilitatem perdat, si vero ignobilis ac plebeius fuerit in carcerem trudatur, quod si ultra duas vices publice blasphemans deprehensus fuerit, mitra infami per integram diem ante fores ecclesiæ principalis mitratus stare cogatur, si vero pluries ad perpetuos carceres vel ad triremes damnetur, in foro autem conscientiæ nemo blasphemiæ reus absque gravissima pœnitentia severi confessoris arbitrio injuncta absolvi possit.

20. Qui in reliquias SS. blasphemaverit, arbitrio judicis rationem personarum habituri, mitius aliquando puniri volumus: *Vide* ABSOLUTIO.

Ex conc. Ratispon., sub Clemente VII, an. 1524. — 29. Quicunque clericus vel sacerdos Deo palam maledixerit, conviciis contumeliisque, atque adeo obscœnis verbis incesserit Deum et D. N. Jesum Christum ac B. Virginem aliosque sanctos blasphemaverit, fructuum vel bonorum privatione seu aliis pœnis pro qualitate blasphemiæ et delicti plectatur.

Ex conc. Mogunt., sub Paulo III, an. 1549. — 87. Locorum ordinarii et prælati capitulorum, ecclesiarum statuta diligenter revideant, et juramenta non necessaria

Digitized by Google

a Sede Apostolica non confirmata imprimis vero injusta, et perniciosa corrigant, cassent et tollant.

Decreta Martini V et concilii Constantiensis — 12. Item, utrum credat et asserat, quod in nullo casu sit licitum jurare. — 14. Item, utrum credat, quod perjurium scienter commissum, ex quacunque causa vel occasione, pro conservatione vitæ corporalis propriæ vel alterius, etiam in favorem fidei, sit mortale peccatum.

Propositiones damnatæ suo innocentio XI, an. 1687.—24. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem. — 25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis. —26. Si quis, vel solus vel coram aliis, sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis causa sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur nec est perjurus. — 28. Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur, fateri crimen occultum.

Proposit. Paschalii Quesnelli damnatæ a Clemente XI, constitutione Unigenitus. 8 *Sept.* 1713. — Nihil spiritui Dei et doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in ecclesia; quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis et idiotis, et efficere, ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.

JURISDICTIO ECCLESIASTICA

[Ex SS. Patribus.]

Vid. Verb. Ecclesia, Apostolica sedes, Pontifex Romanus.

[Ex Conciliis.]

Ex synod. Rom., sub Silvestro I, an. 314. — 17. Nemo quemquam peccantem clericum cæde attingat, non presbyter, non diaconus, non episcopus supra clericum vel servitorem ecclesiæ ad cædem perducat, sed si ita causa exigit, clerici triduo privetur honore, ut pœnitentes redeant ad matrem Ecclesiam. — 18. Nemo diaconus adversus presbyteros afferat crimen turpitudinis.

Ex conc. Nicæno gener. I, *sub Silvestro I, an.* 325. — 6. Si communi omnium consensu rationabiliter probato secundum ecclesiasticam regulam duo vel tres animositate ducti per contentionem contradicant, obtineat plurimorum sententia sacerdotum.

Ex conc. Carthag. II, *sub Siricio, an.* 397, *seu sub Cœlestino, an.* 425. — 7. Qui merito facinorum suorum ab ecclesia pulsi sunt, si ab aliquo episcopo aut presbytero vel clerico fuerint in communione suscepti, refugientes sui episcopi regulare judicium etiam ipse pari cum eis crimine teneatur obnoxius.

Ex conc. Carthag. III, *sub Siricio, an.* 397. — 9. Placuit ut quisquis episcoporum, presbyter et diaconus seu clericorum cum in ecclesia crimen fuerit intentatum vel civilis causa fuerit commota, si relicto ecclesiastico judicio publicis indiciis purgari voluerit, etiam pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, et hoc criminali judicio, in civili vero perdat quod evicit, si locum suum obtinere voluerit. — 10. Placuit ut si a quibuscunque judicibus ecclesiasticis ad alios judices ecclesiasticos ubi est major auctoritas fuerit provocatum, non eis obsit quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint, vel inimico animo judicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia depravati, sane si ex consensu partium judices electi fuerint etiam a pauciore numero quam constitutum est non liceat provocari.

Ex conc. Carthag. IV, *sub Anastasio, an.* 398. — 23. Ut episcopus nullius causam audiat absque præsentia clericorum suorum, alioquin irrita erit sententia episcopi, nisi clericorum præsentia confirmetur.

Ex conc. Carthag. V, *sub Anastasio, an.* 398. — 1. Qui forte in ecclesia quamlibet causam jure apostolico Ecclesiis imposito agere voluerit, et fortasse decisio clericorum uni parti displicuerit, non liceat clericum in judicium ad testimonium devocari eum qui cognitor vel præsens fuit, et nulla ad testimonium dicendum ecclesiastici cujuslibet persona pulsetur. — 2. Si quis cujuslibet honoris clericus judicio episcoporum pro quocunque crimine fuerit damnatus, non liceat eum, sive ab Ecclesiis quibus præfuit, sive a quolibet homine defensari, interposita pœna damni, pecuniæ atque honoris, quo nec ætatem nec sexum excusandum esse præcipimus.

Ex conc. Tolet. I, *sub Anastasio, an.* 400. — 11. Si quis de potentibus clericum aut quemlibet pauperiorem, aut religiosum exspoliaverit, et mandaverit ad ipsum episcopus ut eum audiat, et si contempserit in-

Digitized by Google

vicem mox scripta percurrent, per omnes provinciæ episcopos et quoscunque adire potuerint, ut excommunicatus habeatur, donec audiatur et reddat aliena.

Ex conc. Milevit., sub Innocentio I, an. 416. — 16. Placuit ut petatur a gloriosissimis imperatoribus ut jubeant judicibus dare petitos sibi defensores scholasticos qui in actu sint, vel in officio defensionum causarum ecclesiasticarum more sacerdotum provinciæ, ut iidem ipsi qui defensionem ecclesiarum susceperint, habeant facultatem pro negotiis Ecclesiarum, quoties necessitas flagitaverit, ingredi judicum secretaria. — 21. Placuit, ut quicunque episcopi, quascunque ecclesias vel plebes, quas ad suam cathedram æstimant pertinere, non ita repetierint, ut causas suas episcopis judicantibus agant, sed alio retinente irruerint, sive volentibus, sive nolentibus plebibus causæ suæ detrimentum patiantur, et quicunque jam hoc fecerint, si nondum est inter episcopos finita contentio, ille discedat quem constiterit præ termissis judiciis ecclesiasticis irruisse, nec sibi quisque blandiatur, si a primate, ut retineat, litteras impetrarit, sed sive habeat litteras, sive non, conveniat eum qui tenet, et ejus litteras accipiat, ut eum appareat pacifice tenuisse ecclesiam ad se pertinentem, si autem ille aliquam quæstionem retulerit, per episcopos judices finiatur.

Ex conc. Agath., sub Symmacho, an. 506. — 8. Placuit, ut si clericus relicto officio suo propter districtionem ad sæculare judicem fortasse confugerit, et is ad quem recurrit, solatium ei defensionis impenderit, cum eodem de ecclesiæ communione pellatur.

Ex conc. Tarraconensi, sub Hormisda, an. 517. — 4. Nullus episcoporum, aut presbyterorum, vel clericorum die Dominico propositum cujuscunque causæ audeat judicare, nisi hoc tantum ut Deo statuta solemnia peragant, cæteris vero diebus convenientibus personis illa quæ justa sunt habeant licentiam judicandi, exceptis criminalibus negotiis.

Ex conc. Ilerdensi sub Joanne I, an. 524. — 11. Si qui clerici in mutuam cædem proruperint, prout dignitas officiorum in tali excessu contumeliam pertulerit, a pontifice districtius vindicetur.

Ex conc. Paris. VI, *sub Deusdedit, an.* 615. — 4. Ut clerici a judice sæculari absque episcopi consensu non distinguantur.

Ex conc. Emerit. sub Vitaliano, an. 664. — 15. Omnis potestas episcopalis modum suæ ponat iræ, nec pro quolibet excessu cuilibet ex familia ecclesiæ, aliquod corporis membrorum sua ordinatione præsumat exstirpare aut auferre, quod si talis emerserit culpa, advocato judice civitatis ad examen ejus deducatur quod factum fuisse asseritur.

Ex conc. in palatio Vernis, sub Stephano III, an. 756. — 19. — Ut omnes immunitates in universis ecclesiis conservatæ sint.

Ex conc. Nicæno II, *univers.* VII, *sub Adriano I, an.* 787. — 1. Divinos canones libenter amplectimur, eorumque constitutionem integram et illabefactabilem confirmamus, quæ edita fuerunt a S. Spiritus tubis omni ex parte celebrandis apostolis, et sex SS. universalibus synodis, iisque quæ ad ejusmodi decretorum traditionem provinciatim coactæ fuerunt, et nostris SS. Patribus ex uno enim omnes eodemque Spiritu illuminati, quæ erant utilia decreverunt, et quos anathemati quidem transmittunt, nos quoque anathematizamus, quos vero depositioni nos quoque deponimus, quos autem segregationi, nos quoque segregamus, quos autem pœnæ tradunt, nos quoque similiter subjicimus.

Ex conc. Legionensi sub Benedicto VIII, an. 1012. — 3. Si forte aliquis hominem ecclesiæ occiderit, et per seipsam ecclesia justitiam adipisci non potuerit, concedat majorino regis vocem judicii, dividatque per mediam calumniam homicidii.

Ex conc. Rhem., sub Eugenio III, an. 1148. — 5. Laici ecclesiastici terminare judicia non præsumant, et episcopi, abbates, archidiaconi, et alii ecclesiarum prælati de negotiis ecclesiasticis vel de aliis quæ spiritualia esse noscuntur, aliquorum laicorum judicio non disponant, nec propter eorum prohibitionem, ecclesiasticam dimittant justitiam exercere.

Ex conc. Lateran. univers. II, *sub Alexand. III, an.* 1179. — 16. Nisi a paucioribus et inferioribus alicui rationabiliter objectum fuerit et ostensum appellatione remota semper prævaleat, et suum consequatur effectum quod a majori et saniori parte capituli fuerit constitutum.

Ex conc. Lateran. univers. XII, *sub Innoc. III, an.* 1215. — 44. Constitutiones contra immunitatem ecclesiasticam libertatis, et venditionem feudorum, seu bonorum ecclesiasticorum sine legitimo ecclesiasticarum personarum assensu, præsumptas, occasione constitutionis laicæ potestatis, sacri approbatione concilii decernimus non tenere, præsumptoribus per censuram ecclesiasticam compescendis.

Ex conc. Ravennat. III, *tempore interregni, an.* 1314. — 20. Concessiones de indulgentiis annuntiandis factas a nobis et a comprovincialibus cæteris revocamus omnino.

Ex conc. Ravennat. IV, *sub Joanne XXII, an.* 1317. — 22. Auctoritate, Dei omnipotentis et beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac approbatione hujus sacri concilii absolvimus, seu absolutos decernimus omnes et singulos subditos nostros, et suffraganeorum nostrorum qui pœnas aliquas contentas in sacris constitutionibus nostris seu prædecessorum nostrorum, si contriti confiteantur infra unius mensis spatium a notitia præsentis, et ad mandata ordinarii, læso secundum formam Ecclesiæ satisfa-

Digitized by Google

riant, etc. Eodem sacro approbante concilio nobis specialiter reservamus auctoritatem et potestatem declarandi, interpretandi, temperandi seu minuendi dictas provinciales constitutiones seu pœnas in eis contentas, et super dictis pœnis misericorditer dispensandi cum omnibus et singulis subditis nostris et suffraganeorum nostrorum, etc.

Ex conc. Tolet., sub Clemente VI, an. 1347. — 2. Si quis personas ecclesiasticas lædere aut capere præsumpserit ad cessationem et alias pœnas, nisi prius citato malefactore, si inveniri et tute citari possit, alias in cathedrali vel parochiali ecclesia malefactoris, ecclesiastica cicatrice publicata, ejus defensionibus (si quas legitimas habeat) auditis, si idem malefactor diffiteatur aut comparere noluerit, et summaria cognitione præmissa culpabilis fuerit inventus, nullatenus procedatur, nisi adeo sit excessus notorius, quod nulla possit tergiversatione celari.

Ex conc. Senon., sub Clemente VII, an. 1528, *de Moribus.* — 4. Ne quis posthac miraculum de novo factum prætendat, neve intra aut extra ecclesiam, titulum, capellam, aut altare prætextu non miraculi erigat, aut populi concursu in miraculi gratiam et venerationem recipiat, nisi prius loci episcopus de negotio quid sentiendum tenendumque sit, causa cognita, decreverit.

Ex conc. Colon. I, *sub Paulo III, an.* 1536. *Parte* XIII. — 5. Cavebit judex ne excommunicationem aliasve censuras ecclesiasticas vel ex justis vel ex levibus causis, vel juris ordine non servato, vel ex odii fomite proferat unquam. — 6. Excommunicati in familiari conversatione vitentur, et a nemine recipiantur. — 7. Procuratores fiscales adversus neminem inquirant, nisi quem legitima ac frequens gravat infamia, non quidem a malevolis et maledicis, sed a providis et honestis justitiæ zelo commotis suborta, quam si non probaverint condemnentur ipsi, non autem inquisiti in expensis. — 8. Concubinarii, aut alii manifeste criminosi, nullo modo pro questu aut pecuniæ emungendæ causa, ferantur, tolerenturque, nec pœnæ pecuniariæ pro criminibus passim imponantur, etc. Quod si interdum vel personæ delinquentes, vel delicti qualitas pœnam pecuniariam imponi postulaverit hæc in pios tantum usus convertatur, clerici in gravissimis criminibus deprehensi juxta canonicas sanctiones puniantur.

Ex conc. Trident. generali XVIII, *sub Pio IV, an.* 1562, *sess.* 25, *de Indulgent.* — Sacrosancta synodus indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, et sacrorum conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia restituendum esse docet ac præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant, etc. Abusus vero qui in his irrepserunt, et quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur emendatos cupiens, statuit pravos quæstus omnes pro his consequendis omnino abolendos esse, etc

JUSTIFICATIO

[Ex SS. Patribus.

S. Chrysost. *in psal.* IV, super eum versum : *Sacrificate sacrificium justitiæ :* — Non sufficit, si a malis abstineamus, sed oportet etiam bonorum accedere actiones. Quocirca etiam progrediens admonet, dicens : *Declina a malo, et fac bonum.* (*Psal.* XXXVI, 27.) Non solum enim improbitatis actio, sed etiam a virtute cessatio, ut puniamur, efficit. Nam et qui esurientem non paverunt, et sitienti potum non dederunt, et qui nudum non vestierunt (*Matth.* XXV, 42), non furati sunt, nec avari fuerunt, nec bona aliena ceperunt ; sed quia non fecerunt eleemosynam, propterea pœnæ immortali dati sunt et supplicio, cujus nullus est finis. Ex quo intelligimus, quod abstinere a malis, non satis est nobis ad salutem, nisi adsit etiam bonorum possessio et virtutis actio. Propterea ergo etiam prophetæ, cum et ab improbitate per compunctionem abduxisset, et ad virtutis actionem aptiorem fecisset et duritiam mentis emollisset, et eam per compunctionem teneram reddidisset, incipit verba facere de justitia, et dicit : *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino.* (*Psal.* IV, 6.) Justitiam autem hic, non singularem aliquam dicit virtutem, sed universam : quemadmodum etiam virum justum vocamus, qui omnem in se virtutem continet.

3. Idem, homil. 16 *in Epist. ad Ephes.* — Non est satis a malitia liberari, si quidem consequendum sit regnum cœlorum : sed et multo virtutum lucro ac proventu opus est. Nam ad hoc quidem, ut a gehenna liberemur, opus est, ut abstineamus a malitia : ut vero regnum consequamur, amplectenda et usurpanda est virtus : nisi quisquam illud dixerit, quod et bonum non facere, malitiæ pars quædam sit. Nam otii istud est et segnitiei : otium vero malitiæ pars est : imo vero non pars, sed causa et mala radix. Omnem quippe malitiam docuit otium : (*Eccli.* XXXV, 29.) itaque cavendum, ne stulte quæstiones istas indagemus et inquiramus : nempe, quem sit habiturus locum, qui nihil boni fecit. Nihil enim boni facere, hoc ipsum est malum facere. Dicas enim velim, si famulum quempiam haberes, qui etsi nec furaretur, nec conviciaretur, nec contradiceret, imo nec inebriaretur, nec reliquorum malorum quidquam designaret : sederet tamen perpetuo otiosus nec aliquid eorum, quæ servus hero suo præstare debet, faceret : non flagellares illum? non ut perversum castigares? Dic

Digitized by Google

quæso. Atqui nihildum mali operatus esset. Itaque hoc ipsum malum est. Producamus autem et ad reliqua vitæ genera sermonem. Sit agricola quisquam, qui nulla in parte lædat nostra bona, nec illis insidietur, nec furtum intentet : duntaxat consertis domi manibus otiose sedeat, nec seminans, nec sulcum proscindens, nec boves subjugans, nec vitem colens, nec alium quemquam eorum laborem faciens, qui ad terræ culturam pertinent. An hujusmodi non puniemus ? Atqui nihil injuriæ intulit, ne culpare talem possimus. Verum hoc ipso, quod otiosus fuit, injuriam intulit. Injuriam enim committit communi ratione, qui, quam debet, utilitatem suam non præstat. Itaque si et in domesticis, et in opificibus, et in toto corpore magna est injuria, non solum mali quidquam facere, sed et bona omittere, multo magis istud utique in corpore Christi erit.

B. Bernard., serm. 1, *in festo Pentecostes :* — Quia mandatum accepimus, ut declinantes a malo, faciamus quod bonum est, vide quemadmodum spiritus in utroque adjuvat infirmitatem nostram. Nam divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Propterea ad declinandum a malo, tria operatur in nobis, compunctionem, supplicationem, remissionem. Porro ad faciendum bonum, quid in nobis spiritus bonus operatur? Profecto monet, et movet et docet. Monet memoriam, rationem docet, movet voluntatem.

S. Augustinus, *lib. De gratia et libero arbitrio ad Valentinum*, cap. 9. — Quia ipsa bona opera ille in nobis operatur, de quo dictum est: *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate* (*Phil.* II, 15); ideo dixit psalmus : *Coronat te in miseratione et misericordia* (*Psal.* CII, 4): quia ejus miseratione bona operamur, quibus corona reddetur. Non enim quia dixit: Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate : ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est. Quod si ita esset, non superius dixisset: *Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini.* (*Philip.* II, 12.) Quando enim jubetur, ut operentur, liberum eorum convenitur arbitrium : sed ideo cum timore et tremore, ne sibi tribuendo, quod bene operantur, de bonis tanquam suis extollantur operibus.

Idem, *ibid.*, cap. 15. — Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim a justitia libera est, quando servit peccato, et tunc est mala : aut a peccato libera est, quando servit justitiæ, et tunc est bona. Gratia vero Dei semper est bona, et per hanc fit, ut sit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cœpit, augeatur : et tam magna fiat, ut possit implere divina mandata, quæ voluerit, cum valde perfecteque voluerit. Ad hoc enim valet, quod scriptum est : Si volueris, conservabis mandata (*Eccli.* XV, 16) : ut homo, qui voluerit et non potuerit, nondum se plene velle cognoscat, et oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adjuvatur, ut faciat, quod jubetur; tunc enim utile est velle, cum possumus; et tunc utile est posse, cum volumus : Nam quid prodest, si quod non possumus, volumus; aut si quod possumus, nolumus?

Idem, cap. 16. — Certum est enim, nos mandata servare, si volumus; sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus. Certum est, nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum est, quod paulo ante posui, quod præparatur voluntas a Domino, de quo dictum est : *A Domino gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet* (*Psal.* XXXVI, 23) : de quo dictum est : *Deus est, qui operatur in vobis et velle et operari* (*Philip.* II, 13). Certum est nos facere, cum facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit : *Faciam, ut in justificationibus meis ambuletis, et judicia mea observetis et faciatis* (*Ezech.* XXXVI, 27). Cum dicit : *Faciam, ut faciatis :* quid aliud dicit, nisi : auferam a vobis cor lapideum, unde non faciebatis : et dabo cor carneum, unde faciatis : et hoc quid est, nisi : auferam cor durum, unde non faciebatis et dabo cor obediens, unde faciatis? Ille facit, ut faciamus, cui dicit homo : *Pone Domine custodiam ori meo* (*Psal.* CXL, 3) ; hoc est enim dicere : Fac ut ponam custodiam ori meo : quod beneficium Dei jam fuerat consecutus, qui dixit : *Posui ori meo custodiam* (*Psal.* XXXVIII, 2).

Idem, in *Enchirid., ad Laurentium*, cap. 32. — Restat, ut propterea recte dictum intelligatur, *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX, 16), ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia : quæ autem non præcedit ipsa, in eis est et ipsa. Nam utrumque legitur in sanctis eloquiis : *Et misericordia ejus præveniet me* (*Psal.* LVIII, 11) ; et *Misericordia ejus subsequetur me* (*Psal.* XXII, 6). Nolentem prævenit, ut velit, volentem subsequitur, ne frustra velit.

Hieronymus, lib. II, *adv. Jovinianum :* — Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona, est. Sicut in bonis operibus perfector est Deus : *Non est enim volentis neque currentis, sed miserentis et adjuvantis Dei* (*Rom.* IX, 16), ut pervenire valeamus ad calcem : sic in malis atque peccatis semina nostra sunt, incentiva et perfectio diaboli.

I. *Qui per Christum justificentur.*

S. Augustinus, epist. 89, *ad Hilarium*, quæst. 3. — Itaque sicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem, de qua condemnatione parvuli per sacramentum baptismi liberandi sunt, ita per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ. Et hic omnes dixit, et ibi, non quia

Digitized by Google

omnes homines venirent ad gratiam justificationis Christi, cum tam multi alienati ab illa, in æternum moriantur, sed quia omnes, qui renascuntur in justificationem, non nisi per Christum renascuntur, sicut omnes, qui nascuntur in condemnationem, nonnisi per Adam nascuntur. Nemo quippe est in illa generatione, præter Adam; nemo in ista regeneratione præter Christum, ideo omnes et omnes, eosdem autem omnes etiam multos postea dicit, adjungens: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, sic et per unius hominis obedientiam justi constituuntur multi.* (*Rom.* v, 19.) Qui multi? nisi quos jam paulo ante omnes dixerat. Vide quemadmodum commendat unum et unum, id est, Adam et Christum, illum ad condemnationem, hunc ad justificationem, cum tanto post Adam venerit Christus in carne, ut sciamus etiam antiquos justos, quicunque esse potuerunt, non nisi per eamdem fidem liberatos, per quam liberamur et nos, fidem scilicet incarnationis Christi, quæ illis prænuntiabatur, sicut a nobis facta annuntiatur.

S. Aug., lib. I *De peccatorum meritis et remissione*, cap. 20.—Ad vitam æternam, quam promisit, non mendax Deus sanctis et fidelibus suis, cujus vitæ participes omnes non vivificabuntur, nisi in Christo, sicut in Adam omnes moriuntur. (*I Cor.* xv, 22.) Quemadmodum enim omnes omnino pertinentes ad generationem voluntatis carnis non moriuntur, nisi in Adam, in quo omnes peccaverunt, sic ex his omnes omnino pertinentes ad regenerationem voluntatis spiritus, non vivificantur nisi in Christo, in quo omnes justificantur: *Quia sicut per unum omnes ad condemnationem, sic per unum omnes ad justificationem.* (*Rom.* v, 18.)

Idem, *De natura et gratia*, cap. 41.—Sicut dictum est: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ut nullus prætermitteretur, sic et in eo quod dictum est: Per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ* (*ibid.*), nullus prætermissus est, non quia omnes in eum credunt, baptismo ejus abluuntur, sed quia nemo justificatur, nisi in eum credat, et baptismo ejus abluatur. Itaque omnes dictum est, ne aliquo modo alio præter ipsum quisquam salvus fieri posse credatur.

Idem, *Contra Julianum*, lib. VI, cap. 4.—Itaque sicut per unius, inquit, delictum in omnes homines ad condemnationem, ita et per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ. Ideo et ibi omnes, et hic omnes, quia nemo ad mortem nisi per illum, nemo ad vitam nisi per istum. Sicut enim per inobedientiam unius homines peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam justi constituentur multi.

Idem, c. 24. — Nemo liberabitur ab hac ira Dei, nisi per Mediatorem reconcilietur Deo. Unde dicit etiam ipse Mediator: *Qui non credit Filio, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.* (*Joan.* III, 36.) Non dixit: veniet, sed, manet super eum. Ideo ergo credunt atque confitentur et majores per cor et os proprium, et parvuli per alienum, ut reconcilientur Deo per mortem Filii ejus, ne ira Dei maneat super eos, quos etiam origo vitiata efficit reos. Et infra: Cum dictum est per unum in omnes transisse peccatum, et postea per unius inobedientiam peccatores constitutos multos, ipsi sunt multi qui et omnes. Similiter cum dictum est: *Per unius justificationem in omnes homines, ad justificationem vitæ*, et rursus dictum est: *Per unius obedientiam justi constituantur multi*; non aliquibus exceptis, sed eosdem multos oportet intelligi, non quia omnes homines justificantur in Christo, sed quia omnes qui justificantur, non aliter possent justificari quam in Christo. Sicut possumus dicere, in aliquam domum per unam januam intrare omnes, non quia omnes homines intrant in eamdem domum, sed quia nemo intrat nisi per illam. Omnes ergo ad mortem per Adam, omnes ad vitam per Christum. Quia *sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*, id est ex prima origine generis humani, nemo ad mortem nisi per Adam, et nemo per Adam nisi ad mortem. Et nemo ad vitam nisi per Christum, et nemo per Christum nisi ad vitam. Vos autem (Pelagianos intelligit) dum non omnes, sed multos, sive per Christum liberatos vultis intelligi, horrenda perversitate Christianæ religioni estis infesti. Si enim salvi erunt aliqui sine Christo et justificantur aliqui sine Christo, ergo Christus gratis mortuus est.

Prosper, *resp. ad capitula objectionum Gallorum.* — Deus ergo Dei Filius, mortalitatis humanæ particeps factus absque peccato, hoc peccatoribus et mortalibus contulit, ut qui nativitatis ejus consortes fuissent, vinculum peccati et mortis evaderent. Sicut itaque non sufficit hominum renovationi, natum esse hominem Jesum Christum, nisi in ipso eodem, de quo ipse ortus est, spiritu renascantur, sic non sufficit hominum redemptioni, crucifixum esse Dominum Christum, nisi commoriantur ei, et consepeliantur in baptismo. Alioquin nato Salvatore in carne substantiæ nostræ, et crucifixo pro omnibus nobis, non fuerat necessarium ut renasceremur, et similitudine mortis ejus complantaremur, sed cum sine hoc sacramento, nemo hominum consequatur vitam æternam, non est salvatus cruce Christi, qui non est crucifixus in Christo. Non est autem crucifixus in Christo, qui non est membrum corporis Christi, qui non per aquam et Spiritum sanctum induit Christum. Qui ideo infirmitate nostra communionem subiit mortis, ut nos in virtute ejus haberemus consortium resurrectionis. Cum itaque rectissime dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, et propter communem in primo hominem omnium perditionem, potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit. Dicit enim Evangelista: *Quia Jesus moriturus erat pro gente, non tantum pro gente sed etiam ut*

Digitized by Google

filios Dei dispersos congregaret in unum (*Joan.* XI, 51, 52.) *In sua enim venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* I, 12, 13).

II. *Justificatio in adultis.*

S. AUGUSTINUS, in lib. II *contra duas epistolas Pelagian*, cap. 9. — Avertat Deus hanc amentiam, ut in donis ejus nos priores faciamus, posteriorem ipsum, *quoniam misericordia ejus præveniet me* (*Psal.* LVIII, 11), et ipse est cui fideliter veraciterque cantatur : *Quoniam prævenisti eum in benedictione dulcedinis* (*Psal.* XX, 4), et quid hic aptius intelligitur, quam ipsa, de qua loquimur, cupiditas boni? Ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis, ut nos delectet et cupiamus, hoc est, amemus quod præcipit nobis, in qua, si nos non prævenit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis. Si enim sine illo nihil possumus facere, profecto nec incipere, nec perficere, quia ut incipiamus, dictum est : *Misericordia ejus præveniet me*, ut perficiamus, dictum est : *Misericordia ejus subsequetur me*

Idem, *ibid.*, cap. 10. — Quid est ergo quod in consequentibus ubi ea quæ ipsi sentiunt, commemorant, dicunt se confiteri, gratiam quoque adjuvare uniuscujusque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere? Hoc quippe ita dicunt, velut homo a se ipso sine adjutorio Dei habeat propositum bonum studiumque virtutis, quo merito præcedente dignus sit adjuvari Dei gratia subsequente. Et post pauca : Hominis autem propositum bonum adjuvat quidem subsequens gratia, sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia. Studium quoque hominis, quod dicitur bonum, quamvis eum esse cœperit, adjuvetur gratia, sed ab illo inspiratur, de quo dicit Apostolus : *Gratias autem Deo, qui dedit idem studium pro vobis in corde Titi.* (*II Cor.* VIII.) Si studium quisque ut pro aliis habeat Deus dat, ut pro se ipso habeat, quis alius est daturus?

Idem, *De prædestinatione sanctorum*, cap. 2. — Quod ergo pertinet ad religionem atque pietatem, de qua loquebatur Apostolus : *Si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (*II Cor.* V, 5), profecto non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra qua credere incipiamus, ex Deo est. Quocirca sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcunque opus bonum, quod jam isti fratres, sicut vestra scripta indicant, verum esse consentiunt; unde in omni opere bono et incipiendo et perficiendo, sufficientia nostra ex Deo est, ita nemo sibi sufficit vel ad incipiendam vel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est, quoniam fides si non cogitetur, nulla est, et non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.

GENNADIUS Massiliens. presbyt., *De ecclesiasticis dogmatibus*, cap. 44. — Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid quod ad salutarem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit aut eligere, sive salutari, id est, Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo veritatem, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio, dicentis : *Sine me nihil potestis facere.* (*Joan.* XV, 5.) Et illud Apostoli : *Non quod idonei simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* (*I Cor.* III, 5.)

FULGENT. *De incarnatione et gratia Christi*, c. 18. — Si secundum opinionem illorum, nostrum est velle credere, priusquam nos Dei gratia incipiat adjuvare, injuste gratia dicitur, quia non gratis datur homini, sed bonæ retribuitur voluntati. Hanc enim (sicut illi volunt) gratia in nobis invenit quam ipsa non dedit, imo si sic est, nos priores Deo voluntatem damus, atque ita gratiam non miseratione tribuentis sed æquitate Dei retribuentis accipimus. Verumtamen quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Nemo utique, quia *non potest homo accipere quidquam, nisi datum fuerit de cælo.* (*Rom.* XI, 35.) *Quid enim habet, quod non accepit? Si autem accepit, quid gloriatur quasi non acceperit?* (*I Cor.* IV, 7.) Non autem misericordia Dei aliquando prævenit hominem si nunquam bonam fecit, sed exspectat, ut inveniat voluntatem. Et ubi est quod David dicit : *Deus meus, misericordia ejus præveniet me.* (*Psal.* LVIII, 11.) In quo autem Dei nos misericordia præveniat, vel præveniens quales inveniat, non inveniat, non in quolibet alio, sed in se nobis gentium magister ostendit, dicens : *Qui prius sui blasphemus et persecutor et contumeliosus, misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* (*I Tim.* I, 13.)

III. *Necessitas gratiæ et liberi arbitrii ad merendum.*

S. AUGUSTINUS, *Enarr. in psal.* XXVI.—*Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* (*Ibid.*, 9.) Ecce enim in via sum, petivi a te unum, habitare in domo tua per omnes dies vitæ meæ, contemplari delectationem tuam, protegi a templo tuo. Hanc petivi unam, sed ut ad illam perveniam, in via sum. Forte dices mihi, ut irem, ambula, liberum arbitrium tibi dedi; voluntatis tuæ es, prosequere viam, quære pacem et sequere eam. Noli a via declinare, noli ibi remanere, noli retro respicere. Persevera in ambulando, quoniam *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* (*Matth.* X, 22.) Jam tu accepto libero arbitrio, quasi præsumis, unde ambules. Noli de te præsumere, si te dereliquerit, in ipsa via deficies : cades, aberrabis, remanebis. Dic ergo illi : Voluntatem quidem liberam mihi dedisti, sed sine te nihil est mihi conatus meus. Adjutor

Digitized by Google

meus esto, ne derelinquas me. Neque despicias me Deus salutaris meus. Tu enim adjuvas, qui condidisti, tu non deseris, qui creasti.

S. Aug., serm. 7 *De verbis Apostoli*, cap. 1. — Peto, inquit Apostolus, *vos non infirmari* (*Ephes.* III, 3), id est, ut non infirmemini, quando auditis me pati pro vobis tribulationes, quia hæc est gloria vestra. Petit ergo eos, ut non infirmentur, quod non faceret, nisi eorum vellet excitare voluntatem. Si enim responderent : Quid nos petis, quod in potestate non habemus? nunquid non viderentur sibi justum reddidisse responsum? Et tamen Apostolus nisi sciret esse in eis voluntatis propriæ consensionem, ubi et ipsi aliquid agerent, non diceret : Peto. Et si diceret : Jubeo, nisi eos nosset adhibere posse jussioni suæ voluntatem, sine causa hoc verbum de ejus ore procederet.

Idem, serm. 13 *De verbis Apostoli*, c. 9.— Cum dixisset Apostolus : *Si autem spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis* (*Rom.* VIII, 13), id est, illas concupiscentias carnis, quibus non consentire magna laus est, quas non habere perfectio est, si has actiones carnis morbidas, et de morte habentes contentionem, spiritu mortificaveritis, vivetis. Hic jam metuendum est, ne quisquam rursus ad mortificandas actiones carnis de spiritu suo audeat præsumere. Non solum enim Deus spiritus est (*Joan.* IV, 24), sed et anima tua spiritus est, et mens tua spiritus est. Et cum dicis : *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (*Rom.* VII, 25), quia *spiritus concupiscit adversus carnem, et caro adversus spiritum.* (*Galat.* V, 17.) Ergone ad carnis actiones mortificandas de spiritu tuo præsumas, et superbia pereas, et tibi superbo resistatur, non humili gratia concedatur? *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* (*Jac.* IV, 5.)

Idem, *ibid.*, cap. 10. — Ne forte ergo superbia, vide quid sequatur. Cum enim dixisset : *Si spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis* (*Rom.* VIII, 13), ne hic se extolleret humanus spiritus, et ad hoc opus se idoneum firmumque jactaret, subjecit, et ait : Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Qui te ergo jam volebas extollere, ubi audisti : Si spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis? Dicturus enim eras : Hoc potest voluntas mea, hoc potest liberum arbitrium meum. Quæ voluntas? Quod liberum arbitrium? Nisi ille regat, cadis : nisi ille regat, jaces. Quomodo ergo spiritu tuo, cum audias Apostolum dicentem : Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei? Tu te vis agere, a te ipso vis agi ad actiones carnis mortificandas? Quid tibi prodest, quia non eris Epicureus, et eris Stoicus? Sive Epicureus eris, sive Stoicus eris, inter filios Dei non eris. Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Non qui secundum carnem suam vivunt, non qui secundum spiritum suum vivunt, non qui carnis voluptate ducuntur, non qui spiritu suo aguntur, sed quotquot spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Capite item 11 : Dicit mihi aliquis : Ergo agimur, non agimus. Respondeo : Imo et agis et ageris. Et tunc bene agis, si a bono agaris. Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adjutor est, ipsum nomen adjutoris præscribit tibi, quia et tu ipse aliquid agis. Agnosce quid poscas, agnosce quid confitearis, quando dicis : *Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* (*Psal.* XXVI, 9.) Adjutorem utique invocas Deum. Nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur. *Quotquot enim*, inquit *spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Rom.* VIII, 14), non littera, sed spiritu; non lege præcipiente, minante, promittente, sed spiritu exhortante, illuminante, adjuvante. *Scimus*, inquit idem Apostolus, *quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* (*Ibid.*) Si non esses operator, ille non esset cooperator. Sed hic fortiter vigilate, ne forte dicat spiritus vester : Si subtraxerit se cooperatio Dei, et adjutorium Dei, ad adjutorium Dei spiritus meus facit hoc; et si cum labore, et si cum aliqua difficultate potest, tamen implere potest. Quomodo si aliquis dicat : Remis quidem pervenimus, sed cum aliquo labore; o si ventum habeamus, facilius pervenimus. Non sic est adjutorium Dei, non sic est adjutorium Christi, non sic est adjutorium Spiritus sancti. Prorsus si defuerit, nihil boni agere poteris. Agis quidem illo non adjuvante libera voluntate, sed male. Ad hoc idonea est voluntas tua, quæ vocatur libera, et male agendo fit damnabilis ancilla. Cum dico tibi, sine adjutorio Dei nihil agis, nihil boni dico. Nam ad male agendum habes sine adjutorio Dei liberam voluntatem, quanquam non est illa libera. A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est, et omnis qui facit peccatum, servus est peccati, et si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.

Idem, *ibid.*, c. 12. — Prorsus hoc credite, sic vos agere bona voluntate, quia vivitis, utique agitis, non enim adjutor est ille, si nihil agatis : enim cooperator est ille, si nihil operamini. Sic vos tamen scitote agere, ut sit rector spiritus et adjutor. Qui si vero defuerit, nihil boni omnino agere valeatis. Et paulo post : Jam nunc cum audis : *Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Rom.* VIII, 14), nolite vos demittere. Neque enim templum suum sic de vobis ædificat Deus quasi de lapidibus, qui non habent motum suum; levantur, ab structore ponuntur. Non sic sunt lapides vivi; *et vos tanquam lapides vivi coædificamini in templum Dei.* (*Ephes.* II, 22.) Ducimini, sed currite vos; ducimini, sed sequimini : quia cum secuti fueritis verum erit illud, quia sine illo nihil facere potestis.

Idem, *ibid.*, serm. 15, cap. 11. — Hanc justificationem et habeamus in quantum habemus, et augeamus in quantum minores sumus, et perficiamus cum illuc venerimus, ubi dicetur : *Ubi est mors victoria tua? ubi est mors aculeus tuus?* (*I Cor.* XIII, 55.) Sed totum ex Deo, non tamen quasi dormientes, non quasi ut non conemur, non quasi ut non velimus. Sine voluntate tua non erit

Digitized by Google

in te justitia Dei. Voluntas quidem non est nisi tua, justitia non est nisi Dei. Esse potest justitia Dei sine voluntate tua, sed in te esse non potest, nisi per voluntatem tuam. Demonstratum est quid agere debeas. Jussit lex non facias illud, non illud; fac hoc atque illud. Demonstratum est tibi, jussum est tibi, apertum est tibi, si tibi est cor, intellexisti quid facias; roga ut facias, si cognoscis virtutem resurrectionis Christi. Traditus est enim propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. Quid est: Propter justificationem nostram? ut justificet nos, et justos faciat nos. Eris opus Dei, non solum quia homo es, sed etiam quia justus es. Melius est enim justum esse, quam te hominem esse. Si hominem te fecit Deus, et justum tu te facis, melius aliquid facis quam fecit Deus. Sed sine te fecit te Deus. Non enim adhibuisti aliquem consensum, ut te faceret Deus. Quomodo consentiebas, qui non eras? Qui ergo fecit te sine te, non te justificat sine te. Ergo fecit nescientem, justificat volentem

S. Aug., lib. I *Retract.*, cap. 9.— Non enim quia dixit: *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate* (*Philip.* II, 13), ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est. Quod si ita esset, non superius dixisset: Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini. Quando enim jubetur ut operentur, liberum eorum convenitur arbitrium, sed ideo cum timore et tremore, ne sibi tribuendo quod bene operatur, de bonis tanquam suis extollantur operibus.

Idem, *ibid.*, c. 15.— Cum ergo ipse semper sit sanctus, sanctificatur tamen in eis, quibus largitur gratiam suam, auferendo ab eis cor lapideum, per quod nomen Domini profanaverunt. Ne autem putetur, nihil ibi facere ipsos homines per liberum arbitrium, ideo in Psalmo dicitur: *Nolite obdurare corda vestra.* (*Psal.* XCIV, 8.) Et per ipsum Ezechielem: *Projicite a vobis omnes impietates vestras, quas impie egistis in me, et facite vobis cor novum et spiritum novum, et facite omnia mandata mea. Ut quid moriemini domus Israel, dicit Dominus, quia nolo mortem morientis, dicit Adonai Dominus, sed convertimini et vivetis?* (*Ezech.* XVIII, 31.) Meminerimus Deum dicere, sed convertimini et vivetis, cui dicitur: *Converte nos Deus.* (*Psal.* LXXXIV, 5.) Meminerimus Deum dicere: *Projicite a vobis omnes impietates vestras*, cum ipse justificet impium. Meminerimus ipsum dicere: *Facite vobis cor novum et spiritum novum*, qui dicit: *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum dabo in vobis.* Quomodo ergo quod dicit: *Facite vobis;* hoc dicit: *Dabo vobis?* Quare jubet, si ipse daturus est? Quare dat si homa facturus est, nisi quia dat, quod jubet, cum adjuvat, ut faciat, cui jubet?

Idem, *ibid.*, cap. 22. — Alio loco (dixi): Nisi quisque, inquam, voluntatem mutaverit, bonum operari non potest, quod in nostra potestate esse positum alio loco Dominus docet ubi ait: *Aut facite arborem bonam et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam et fructum ejus malum* (*Matth.* XII, 33.) Quod non est contra gratiam Dei, quam prædicamus. In potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem, sed ea potestas nulla est nisi a Deo detur, de quo dictum est: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* (*Joan.* I, 12.) Cum enim hoc sit in potestate, quod, cum volumus, facimus, nihil tam in potestate quam ipsa voluntas est, sed præparatur voluntas a Domino. Eo modo ergo dat potestatem. Sic intelligendum est, et quod dixi postea: In nostra potestate esse, ut vel inseri bonitate Dei, vel excidi ejus severitate mereamur, quia in potestate nostra non est, nisi quod nostram sequitur voluntatem. Quæ cum fortis et potens præparatur a Domino, facile fit opus pietatis, etiam quod difficile atque impossibile fuit.

Idem, lib. *De spiritu et littera*, cap. 34.— Visorum suasionibus agit Deus ut velimus, et ut credamus, sive intrinsecus per evangelicas exhortationes, ubi et mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, ut ad gratiam justificantem credendo confugiat, sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat, neque enim credere potest [*al.* quodlibet] quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio, cui credat profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus prævenit nos, consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est. Quæ res non solum non infirmat, quod dictum est: *Quid enim habes, quod non accepisti* (*I Cor.* IV, 7), verum etiam confirmat. Accipere quippe et habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo, ac per hoc quid habeat, et quid accipiat, Dei est, accipere autem et habere utique accipientis et habentis est.

Idem, lib. II *De peccatorum meritis et remissione*, cap. 5. — Nec ideo tamen de hac re (ut scilicet aut justitiam qua caremus, aut plenam habeamus) solis votis agendum est, ut non subinferatur adnitendo etiam nostræ efficacia voluntatis. Adjutor enim noster Deus dicitur. Nec adjuvari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur, quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis, in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.

Idem, *De prædestinatione et gratia*, cap. 9.—Ne homo in ultimam fæcem desidiæ resolutus, arduum virtutis iter, et quamvis adjuvante gratia Dei, non nisi labore gradiendum, inerti sibi crederet posse deferri, et nullius laboris industriam studio sui profectus adhiberet, ita inter se atque homines Deus tempora officiaque distribuens ordinavit, ut vocatione ipsius bonorum principia sumeremus; vocati autem atque illuminati, vias mandatorum ejus rationis

Digitized by Google

ingenitæ intelligentia noscceremus, et eas libero vel eligeremus vel relinqueremus arbitrio. Quas tamen si ipsius fulti adjutorio, continua devotione sequeremur, in fine rursus non repugnantem mandatis suis, subjectam in nobis obedientiam coronaret.

S. Aug., tract. 4, *in Epist. I Joan.* III, 3 : *Et omnis qui habet spem hanc in ipso, castificat semetipsum sicut et ipse castus est.* — Videte, quemadmodum non abstulit liberum arbitrium, ut diceret, castificat semetipsum. Quis nos castificat nisi Deus? Sed Deus te nolentem non castificat. Ergo quod adjungis voluntatem tuam Deo, castificas te ipsum. Castificas te, non de te, sed de illo, qui venit ut habitet in te. Tamen quia agis ibi aliquid voluntate, ideo et tibi aliquid tributum est. Ideo autem tibi tributum est, ut dicas sicut in Psalmo : *Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* (*Psal.* XXVI, 9.) Si dicis, adjutor meus esto, aliquid agis : nam si nihil agis, quomodo ille adjuvat?

Idem, *De prædestinatione sanctorum*, cap. 3. — Quod dixi (scilicet in expositione quarumdam propositionum ex epistola ad Romanos, cap. 60.) Dicit enim idem Apostolus: *Idem Deus qui operatur omnia in omnibus;* nusquam autem dictum est : Deus credit omnia in omnibus, ac deinde subjunxi : Quod enim credimus, nostrum est; quod autem bonum operamur, illius est, qui credentibus dat Spiritum sanctum; profecto non dicerem, si jam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem spiritu. Utrumque ergo nostrum est, propter arbitrium voluntatis, et utrumque tamen datum est per spiritum fidei et charitatis. Neque enim sola charitas, sed sicut scriptum est : *Charitas cum fide a Deo Patre, et Domino Jesu Christo.* (*Ephes.* VI.) Et quod paulo post dixi : Nostrum est enim credere et velle; illius autem dare credentibus et volentibus facultatem bene operandi per Spiritum sanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus nostris; verum est quidem, sed eadem regula, et utrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem, et utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis. Ac per hoc quod etiam postea dixi : Quia neque velle possumus, nisi vocemur, et cum post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, et cursus noster, nisi Deus et vires currentibus præbeat, et perducat quo vocat. Ac deinde subjunxi : Manifestum est ergo non volentis neque currentis, sed miserentis Dei esse, quod bene operamur, omnino verissimum est.

IV. *Dei voluntatem sine ejus ope non possumus facere.*

S. Cyprianus, *De oratione Dominica.*—Addimus quoque et dicimus : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra*, non ut Deus faciat, quod vult, sed ut nos facere possimus, quod Deus vult. Nam Deo quis obsistit, quo minus, quod velit, faciat? Sed quia nobis a diabolo obsistitur, quo minus per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, oramus et petimus, ut fiat in nobis voluntas Dei, quæ ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est ope ejus et protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia et misericordia tutus est.

S. Chrysost., hom. 9 *in Joan.* —Clementissimus et benignissimus Deus, dilectissimi, omnia et fecit et molitur, ut nos ad sectandas virtutes illuminet, et unumquemque bonum esse vult, neminem tamen cogit. Suadendo autem et benefaciendo voluntarios quoscunque et ultro sequentes allicit et ad se trahit. Propterea cum veniret in mundum, alii eum receperunt, alii neglexerunt. Nullum enim servorum Deus vult invitum, nullum coactum, sed eos tantum, qui sponte sua ipsum optant, ipsum amplectuntur, et gratiam se ei servitutis habere intelligunt. Homines enim, utpote quibus necessario servorum opera et servitio opus est, improbos et dicto non audientes servos, possessionis jure coercent. Deus autem cum sibi ipsi sufficiat, et nullius indigeat, nostræ duntaxat salutis gratia omnia operatur, nosque ipsos nostri arbitrii et juris esse libere permittit. Ideirco cogit neminem, ad nostram enim tantummodo spectat utilitatem. Quod si nolentes ad serviendum traheret, non secus eos haberet, ac si nullum præstitissent servitium.

S. Prosper, lib. II *De vocatione gentium*, cap. 26. — Hanc abundantiorem gratiam ita credimus atque experimur potentem, ut nullo modo arbitremur esse violentam, quo quidquid in salvandis hominibus agitur, ex sola Dei voluntate peragatur, cum etiam ipsis parvulis per alienæ voluntatis subveniatur obsequium. Gratia quidem Dei in omnibus justificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, et fidei affectionibus imbuendo, sed etiam voluntas hominis subjungitur ei atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis ut divino in se cooperetur operi, et incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate, si deficit, de gratiæ opitulatione, si proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos, sive occultos sive manifestos, omnibus adhibetur, et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitiæ; quod autem a multis suscipitur, et gratiæ est divinæ et voluntatis humanæ. Sive igitur initia, sive profectus fidelium, sive usque in fines perseverantium cogitemus genus, nulla species cujusquam virtutis occurrit, quæ vel sine dono divinæ gratiæ, vel sine consensu nostræ voluntatis habeatur. Ipsa enim gratia hoc omni genere medendi atque auxiliandi agit, ut in eo, quem vocat, primam sibi receptricem et famulam donorum suorum præparet voluntatem. Nam virtus nolentiam nulla est, nec potest asseri, vel fidem, vel spem, vel charitatem eis inesse, quorum ab his consensus alienus est.

Idem, cap. 27.— Dicit quidem Dominus :

Digitized by Google

Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, attraxerit eum. (*Joan.* VI, 44.) Sed hoc ideo dictum est, ut illam fidem, sine qua nemo ad Christum venit, ex patris haberi munere noverimus, secundum illud, quod Apostolo dicitur : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* (*Matth.* XVI, 17.) Qui in cordibus trahendorum hoc egit, ut crederent, hoc effecit, ut vellent. Non enim esset, unde traherentur, si sequaces fide et voluntate non essent, quoniam, qui non credunt, nec trahuntur omnino, nec veniunt, neque accedunt, qui dissentiunt, sed recedunt. Qui ergo veniunt, amore ducuntur, dilecti enim sunt, et dilexerunt, quæsiti sunt, et quæsierunt, et quod eos voluit Deus velle, voluerunt.

S. PROSPER, l. II *De vocatione gentium*, c. 28. — Merito non solum ab incipientibus, verum etiam a profectissmis sanctis uniformiter Domino supplicatur et dicitur : *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.* (*Matth.* VI, 14.) Universis enim, qui in fide et dilectione permanent, ab ipso donatur, ne in tentatione superentur, ut, *qui gloriatur, in Domino glorietur.* (*I Cor.* I, 31.) Ipsamque gloriam iisdem, quibus eam impertit, ascribit, ut, quamvis auxilio Dei steterint, tamen quia in se habebant unde caderent, ipsorum sit meritum, quod steterunt. Igitur sicut qui crediderunt, juvantur, ut in fide maneant, sic et qui nondum crediderunt, juvantur, ut credant. Et quemadmodum illi in sua habent potestate, ut exeant, ita et isti in sua habent potestate, ne veniant. Fitque manifestum, quod diversis atque innumeris modis *omnes homines vult Deus salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire..* (*I Tim.* II, 4), sed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur, qui non veniunt, sua pertinacia reluctantur.

Idem, *contra Collatorem*, cap. 26. — Bonam igitur voluntatem, eam scilicet, qua adhæretur Deo, nec negandum est hominis esse propriam, et confitendum est Deo inspirante conceptam. Et paulo post : si ergo quis de ærumnosis vanitatibus et insaniis fallacibus erubescens, tenebras esse et mortem, quidquid pro lumine ac vita amplectebatur, intelligit, et ab his se conatur abstrahere, non est ab ipso, quamvis non sine ipso sit, ista conversio, nec propria virtute ad principia salutis enititur, sed agit hoc occulta et potens gratia Dei, quæ dimotis terrenarum opinionum et operum mortuorum favillis, torrem obruti cordis exagitat, et desiderio veritatis inflammat, non ut invitum hominem subigat, sed ut subjectionis cupidum faciat, nec ut ignorantem trahat, sed ut intelligentem sequentemque præcedat. Manens enim liberum arbitrium, quod utique cum ipso homine Deus condidit, a vanitatibus et cupiditatibus suis, in quos neglecta Dei lege defluxit, non a se ipso, sed a Creatore mutatur, ut quidquid in eo in melius reficitur, nec sine illo sit, qui sanatur, nec ab illo sit, qui medetur, *cujus sumus nova creatura novumque figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* (*Ephes.* II, 10.)

S. AUGUSTIN., *De natura et gratia*, c. 18.— Divinitus esse expianda peccata commissa, et pro eis Dominum exorandum esse fatetur, (Pelagius) propter veniam scilicet promerendam, quia id quod factum est, facere infectum multum ab isto laudata potentia naturæ et voluntas hominis, etiam ipso fatente non potest, quare hac necessitate restat, ut oret ignosci. Ut autem adjuvetur, ne peccet, nusquam dixit, non hic legi, mirum de hac re omnino silentium ; cum oratio Dominica utrumque petendum ut non inferamur in tentationem, illud ut præterita expientur, hoc, ut futura vitentur. Quod licet non fiat, nisi voluntas adsit, tamen ut fiat voluntas sola, non sufficit, ideo pro hac re nec superflua, nec impudens Domino immolatur oratio. Nam quid stultius, quam orare, ut facias, quod in potestate habeas?

Idem, l. II *Contra duas epistolas Pelagianorum*, c. 10. — Hominis propositum bonum adjuvat quidem subsequens gratia, etc., ut supra testimonio secundo hujus capitis. Nihil in Scripturis sanctis homini a Domino video juberi, propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur vel dari ab ejus bonitate, vel posci propter adjutorium gratiæ demonstrandum. Nec omnino incipit homo ex malo in bonum per initium fidei commutari, nisi hoc in illo agat indebita et gratuita misericordia Dei. De qua suam cogitationem recolens quidam, sicut legimus in Psalmis : *Nunquid obliviscetur*, inquit, *misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas?* (*Psal.* LXXVI, 10.) Et dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi. Cum ergo dixisset, nunc cœpi, non ait : hæc mutatio arbitrii mei, sed dexteræ Excelsi. Sic itaque Dei gratia cogitetur, ut ab initio bonæ mutationis suæ usque in finem consummationis, qui gloriatur, in Domino glorietur. Quia sicut nemo potest bonum inchoare sine Domino, sic nemo perficere sine Domino. (*Jer.* II, 23.)

S. HIERONYM., epist. 139, *ad Cyprianum in explic. psal* LXXXIX. — Si sævissima bestia hominis sanguinem sitiat, cupit et nititur, utcunque poterit, præsens vitare discrimen. Ita et homo a principio conditionis suæ Deo utitur adjutore, et cum illius sit gratiæ, quod creatus est, illiusque misericordiæ, quod subsistit et vivit, nihil boni operis agere potest absque eo, qui ita concessit liberum arbitrium, ut suam per singula opera gratiam non negaret, ne libertas arbitrii redundaret ad injuriam Conditoris, et ad ejus contumaciam, qui ideo liber conditus est, ut absque Deo nihil esse se noverit.

S. FULGENTIUS, *Lib. de incarnatione et gratia Christi*, cap. 20.— Gratia humanum non aufertur, sed sanatur, non adimitur, sed corrigitur, non removetur, sed illuminatur, non evacuatur, sed adjuvatur atque servatur arbitrium, ut in quo infirmitatem homo habuit, in eo habere incipiat sanitatem. Quo errabat, eodem in via redeat. In quo

Digitized by Google

cæcus fuit, in eo accipiat lumen. Et ubi fuit iniquus serviens immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ibi gratia præventus atque adjutus serviat justitiæ in sanctificationem.

S. Leo Mag., serm. 5 *De quadragesima.*— Quamvis ædificium nostrum sine opere sui non subsistat artificis, nec fabrica nostra possit esse incolumis, nisi ei protectio præfuerit Conditoris, tamen quia rationabiles lapides sumus et viva materies, sic nos auctoris nostri exstruxit manus, ut cum opifice suo etiam is, qui reparatur, operetur. Gratiæ igitur Dei obedientia se humana non subtrahat, nec ab illo bono, sine quo non potest bona esse, deficiat.

S. Bernardus, *De gratia et libero arbitrio.* — Ipsa (gratia scilicet) liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum, sanat cum immutat affectum, roborat ut perducat ad actum, servat ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo præveniat, in cæteris comitetur. Ad hoc utique præveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur. Ita tamen quod a sola gratia cœptum est, pariter ab utroque perficitur, ut mistim non sigillatim, simul non vicissim per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, et totum illa, sed ut totum in illo, sic totum ex illa.

V. *Conditiones ad justificationem præviæ.*

Initium fidei donum dei.

S. Augustin., *De prædestinatione sanctorum*, c. 20. — Illud etiam initium fidei hominum donum Dei esse nos admonet, cum hoc significet Apostolus in epistola ad Colossenses : *Orationi instate, vigilantes in illa in gratiarum actione, orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi sui ad loquendum mysterium Christi, propter quod etiam vinctus sum, ut manifestem illud, ita ut oportet me loqui.* (*Col.* iv, 3.) Quomodo aperitur ostium verbi, nisi cum sensus aperitur audientis ut credat, et initio fidei facto, ea quæ ad ædificandam salubrem doctrinam prædicantur et disputantur, admittat, ne per infidelitatem corde clauso eo, quæ dicuntur, improbet ac repellat? Quid est enim : *Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi*, nisi apertissima demonstratio, etiam ipsum initium fidei esse donum Dei? Non enim orando peteretur ab eo, nisi ab ipso tribui crederetur. Hoc donum cœlestis gratiæ in illam purpurariam descenderat, cui, sicut Scriptura dicit in actibus Apostolorum : *Deus aperuerat sensum ejus, et intendebat in ea, quæ a Paulo dicebantur* (*Act.* xvi, 14), sic enim vocabatur, ut crederet.

Idem, tractatus 26 *in Evangelium Joannis : Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* (*Joan.* vi, 44.) Magna gratiæ commendatio. Nemo venit nisi tractus. Quem trahat, et quem non trahat, quare illum trahat, et illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare. Semel accipe et intelligo. Non traneis, ora, ut traharis. Quid hic dicimus, fratres? Si trahimur ad Christum, ergo inviti credimus; ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur. Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest sacramentum nolens; credere non potest nisi volens. Si corpore crederetur, fieret in nolentibus, sed non corpore creditur. Apostolum audi dicentem : *Corde creditur ad justitiam* (*Rom.* x, 10.)

Fides donum Dei et voluntati tamen nostræ subjecta.

S. Chrysostomus, hom. 21, *ad populum Antiochenum*, quæ est catechesis ad illuminandos.— Quod oporteat prius pœnituisse, et a prioribus desitisse malis, et sic ad gratiam accedere, audi quid Joannes dicat, quid vero summus apostolorum baptizari debentibus. Ille nempe dicit : *Facite fructum dignum pœnitentiæ, et ne incipiatis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham.* (*Luc.* iii, 8). Hic autem interrogantibus rursus aiebat : *Pœnitentiam agite et baptizetur quisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi.* (*Act.* iii, 38.) Pœnitentiam agens autem non amplius eadem attingat negotia, quorum pœnituit. Propterea que jubemur dicere : Abrenuntio tibi, Satana, ne amplius ad ipsum revertamur.

S. Augustin. *De prædestinatione sanctorum*, cap. 11. — *Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult.* (*1 Cor.* xii, 11.) Inter quæ omnia sicut scitis, nominavit et fidem. Sicut ergo quamvis donum Dei sit, facta carnis mortificare; exigitur tamen a nobis proposito præmio vitæ, ita donum Dei est et fides, quamvis et ipsa, cum dicitur : *Si credideris, salvus eris;* proposito præmio salutis exigatur a nobis. Ideo enim hæc et nobis præcipiuntur, et dona Dei esse monstrantur, ut intelligatur, quod et nos ea facimus, et Deus facit, ut illa faciamus : sicut per prophetam Ezechielem apertissime dicit, quid enim apertius, quam ubi dicit : *Ego faciam, ut faciatis?* (*Ezech.* xxxvi, 27.) Locum ipsum Scripturæ, fratres charissimi, attendite, et videbitis illa Deum promittere facturum se, ut faciant, quæ jubet ut fiant.

Idem, *De spiritu et littera*, cap. 31. — Secundum hanc fidem, qua credimus, fideles sumus Deo, secundum illam vero, qua fit, quod promittit, [*al.* promittitur] etiam Deus ipse fidelis est nobis. Hoc enim dicit Apostolus : *Fidelis Deus, qui non vos permittit tentari super id quod potestis.* (*1 Cor.* x, 13.) De illa itaque fide quærimus, utrum in potestate sit, qua credimus Deo, vel credimus in Deum. Hinc enim scriptum est : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* (*Gen.* xv, 6; *Rom.* iv, 5.) Et credenti in eum, qui justificat impium, deputatur fides ad justitiam. Vide nunc utrum quisque credat, si noluerit; aut non credat, si voluerit. Quod si absurdum est : quid est enim credere, nisi consentire verum esse, quod dicitur? consentio autem utique volentis est : profecto fides in potestate est.

Digitized by Google

Sed sicut Apostolus dicit : *Non est potestas, nisi a Deo.* (*Rom.* XIII, 1).

S. Aug., *De spiritu et littera*, c. 32. — Cum ergo fides in potestate sit, quoniam, cum vult, quisque credit, et cum credit, volens credit.

Idem, *Expos. prop. quarumdam ex Epistola ad Rom.*, c. 44. — Quod autem ait : *Non enim quod volo, hoc ago sed quod nolo, hoc facio.* (*Rom.* VII, 15.) Si autem quod nolo, hoc facio, consentio legi, quoniam bona est. Satis quidem lex ab omni criminatione defenditur. Sed cavendum ne quis arbitretur his verbis auferri nobis liberum voluntatis arbitrium, quod non ita est. Nunc enim homo describitur sub lege positus ante gratiam. Tunc enim peccatis venditur [*al.* vincitur], dum viribus suis juste vivere conatur sine adjutorio liberantis gratiæ Dei. Liberum autem arbitrium habet, ut credat liberatori, et accipiat gratiam, ut jam illo, qui eam donat liberante et adjuvante non peccet, atque ita desinat esse sub lege, sed cum lege vel in lege implens eam charitate Dei, quod timore non poterat.

Idem, lib. I *Quæst. ad Simplicianum*, quæst. 2. — Si Jacob ideo credidit, quia voluit, non ei Deus donavit fidem, sed eam sibi ipse volendo præstitit, et habuit aliquid, quod non accepit. An quia nemo potest credere, nisi velit, nemo velle, nisi vocetur ? nemo autem sibi potest præstare, ut vocetur, vocando Deus præstat et fidem, quia sine vocatione non potest quisquam credere, quamvis nullus credat invitus. (*Rom.* I, 14.) Quomodo enim credent ei, quem non audierunt ? Aut quomodo audient sine prædicante ? Nemo itaque credit non vocatus, sed non omnis credit vocatus. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* (*Matth.* XX, 16.) Utique ii, qui vocantem non contempserunt, sed credendo secuti sunt, volentes autem sine dubio crediderunt.

Prosper, lib. II *De vocatione gentium*, c. 27. — Dicit quidem Dominus : *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, attraxerit eum.* (*Joan.* VI, 44.) Sed hoc ideo dictum est, ut illam fidem, sine qua nemo ad Christum venit, ex Patris haberi munere noverimus, secundum illud, quod apostolo dicitur : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* (*Matth.* XVI, 17.) Qui in cordibus trahendorum hoc egit, ut crederent ; hoc effecit, ut vellent. Non enim esset, unde traherentur, si sequaces fide et voluntate non essent ; quoniam, qui non credunt, nec trahuntur omnino, nec veniunt ; neque accedunt, qui dissentiunt, sed recedunt. Qui ergo veniunt, amore ducuntur ; dilecti enim sunt, et dilexerunt, quæsiti sunt, et quæsierunt, et quod eos Deus voluit velle, voluerunt.

Idem, *ibid.*, c. 28. — Deus ad obediendum sibi, ipsum velle sic donat, ut etiam a perseveraturis illam mutabilitatem, quæ potest nolle, non auferat. Alioquin nemo unquam fidelium recessisset a fide.

Fulgentius, *De incarnatione et gratia Christi*, c. 17. — Adjutorio atque munere gratiæ sibi fidem dari unusquisque non dubitet, nedum initium sibi fidei utilitur assignare. Pœnitentiam quoque quam Deus ad vitam dat, sibi homo non sanitate validus, sed infirmitate præjudicatus assignet, tantique medicaminis beneficio careat, cujus gratiam contumax atque ingratus oppugnat, cum cordis humilitas divinis sit eloquiis admonenda, ubi principaliter ipsa bona voluntas, qua incipimus velle credere, a Domino præparari demonstratur ac dirigi, Salomone dicente : « Præparatur voluntas a Domino. » Et David canit in psalmis : *A Domino gressus hominis dirigentur, et viam ejus cupiet nimis.* (*Psal.* XXXVI, 23.)

Idem, *ibid*, cap. 10. — Digne in Paulo assignatur prævenientis misericordiæ dono, non solum credulitatis initium, sed etiam ipsius incredulitatis agnitio. Quam ei propterea Dei misericordia contulit, ut incredulitatem suam illuminatus atque adjutus et agnosceret et vitaret. Dominus enim est illuminatio nostra, et salus nostra, qui nos illuminat, ut peccata nostra cognoscamus, et sanat, ut a peccatis nostris separati cum justitia vivamus. Ob hoc ipse, qui, ut fidelis esset, fatetur se misericordiam consecutum, (*I Tim.* I, 13), salubriter nos instruit, dicens : *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* (*Rom.* IX, 16). Quia re vera et ut velimus, misericordiæ prævenientis illuminamur dono, et ut curramus, misericordiæ subsequentis fulcimur auxilio.

Euthymius, *in Joan. c.* I : *Ut omnes crederent per illum.* — Joannes testimonium perhibuit, ut omnes crederent, non omnes tamen crediderunt. Fides enim non est coacta, sed voluntaria.

Isidor., lib. II *De summo bono*, cap. 2. — Fides nequaquam vi extorquetur, sed ratione atque exemplis suadetur. A quibus autem exigitur violenter, perseverare in eis non potest, exemplo, ut ait quidam, novellæ arboris, cujus si quis cacumen violenter impresserit, et demum dum laxatur, in id quod fuerat, confestim revertitur. — Sicut homo libero arbitrio conditus sua sponte divertit a Deo, ita ex propria mentis conversione credendo recurrit ad Deum, ut libertas agnoscatur arbitrii per propriam voluntatem, et beneficium gratiæ per acceptam fidei veritatem.

VI. *Dispositiones peccatorum ad justificationem requisitæ.*

S. Chrysost., hom., 3. *De pœnitentia.* — Deus cum deleverit peccata, sic delet, ut neque cicatrix, neque cicatricis supersit indicium, non vestigium quodquam, sed et cum sanitate decorem elargitur. Post pœnæ liberationem et justitiam inserit, atque peccantem coæqualem facit non peccanti.

Idem, homilia 5 *in Joannem.* — Oremus, ut cum horum sensuum revelatione, et doctrinæ hujus veritate pura nobis adsit vita, et conversatio honesta atque illustris. Siquidem nullus eorum usus est, nisi bonis illustrentur operibus. Quamvis enim fidem

Digitized by Google

firmissimam, quamvis Scripturarum sensus haberemus, a vitæ autem patrocinio et deserti essemus, et nudi, nihil nos a gehennæ ignibus eriperet, quin perpetua et inextinguibili flamma combureremur. Quemadmodum enim qui bene operantur, resurgent in vitam æternam, ita qui male, in supplicium æternum, quod nullo unquam fine præscribitur. Quare omni diligentia curaque adhibita contendamus, ne quod ex vera et firma fide lucrum accepimus, operum pravitate perdatur, sed in hac vita totis viribus Christi sectemur vestigia, cui beatitudini nihil est conferendum. Atque utinam pure et sancte viventes, quæcunque dicta sunt, ad Dei gloriam referamus!

S. August., *De spiritu et littera*, cap. 9. — *Justitia*, inquit (Apostolus), *Dei manifesta est* (*Rom.* III, 21), non dixit, justitia hominis, vel justitia propriæ voluntatis, sed justitia Dei, non qua Deus justus est, sed qua induit hominem, cum justificat impium. (*Rom.* IV, 13, 16.) Et paucis interjectis: *Justitia autem Dei, per fidem Jesu Christi* (*Rom.* III, 22), hoc est per fidem, qua creditur in Christum. Sicut autem ista fides Christi dicta est, non qua credit Christus, sic et illa justitia Dei, non qua justus est Deus. Utrumque enim nostrum est, sed ideo Dei et Christi dicitur, quod ejus nobis largitate donatur.

Idem, *ibid.*, cap. 21. — Hæc est justitia Dei, quæ in Testamento Veteri velata, in Novo revelatur quæ ideo justitia Dei dicitur, quod impertiendo eam justos facit, sicut *Domini est salus* (*Psal.* III, 9), qua salvos facit, et hæc est fides ex fide scilicet annuntiantium, in fidem obedientium, qua fide Jesu Christi, id est, quam nobis contulit Christus, credimus ex Deo nobis esse, pleniusque futurum esse, quod juste vivimus, unde illi ea pietate, qua solus colendus est, gratias agimus.

Idem, *Exposit. psalmi* CL. — Aliter intelligitur justitia, qua est ipse (Deus) justus, aliter quam in nobis facit, ut nos simus justitia ejus. (*II Cor.* V, 21.)

Idem, lib. VI *contra Julianum*, cap. 11. — Utinam ipsa dona Christi saltem ita saperes, ut ad vincendam concupiscentiam valere aliquid crederes! Sed ideo dicis a Judæis fuisse contempta, quod veniam daret ille peccatis, quæ ipsi legis admonitione vitassent. Quasi hoc conferat homini remissio peccatorum, ut caro non concupiscat adversus spiritum (*Gal.* V, 17), unde illa verba natura sunt: *Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum* (*Rom.* VII, 18), et cætera ejusmodi. Verum tu a vestro dogmate non recedis, quo putas gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, sic in sola peccatorum remissione versari, ut non adjuvet ad vitanda peccata, et desideria vincenda carnalia, diffundendo charitatem in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui ab illo datus est nobis. Neque consideras eum, qui dicit: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* (*Rom.* VII, 23), et ab hoc malo non se liberari clamat, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, nec Judæum esse, nec quia peccâvit, sed ne peccet potius laborare.

Idem, lib. I *Retractationum*, cap. 13. — Gratia Dei, non solum reatus omnium præteritorum solvitur in omnibus, qui baptizantur in Christo, quod fit spiritu regenerationis, verum etiam in grandibus voluntas ipsa sanatur, et præparatur a Domino, quod fit Spiritu fidei et charitatis.

Idem, epist. 105, *ad Sixtum*. — Post remissionem peccatorum, nisi mundatam domum habitet Spiritus sanctus, nonne cum aliis septem redit spiritus immundus, et erunt novissima hominis illius pejora quam erant prima? (*Matth.* XII, 45.) Ut autem habitet Spiritus sanctus, nonne, *ubi vult, spirat* (*Joan.* III, 8), et *charitas Dei*, sine qua nemo bene vivit, diffunditur *in cordibus nostris*, non a nobis, sed *per Spiritum sanctum, qui datus est nobis?* (*Rom.* V, 5.) Et post multa: Neque ab illo (vitio), quod originaliter contrahitur, neque ab his, quæ unusquisque in vita propria, vel intelligendo, vel nolendo intelligere, mala congregat vel etiam instructus ex lege, additamento prævaricationis exaggerat, quisquam liberatur et justificatur, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non solum remissione peccatorum, sed prius ipsius inspiratione fidei et timoris Dei, impartito salubriter orationis affectu et effectu, donec sanet omnes languores nostros, et redimat de incorruptione vitam nostram, et coronet nos in miseratione et misericordia. (*Psal.* CII, 4.)

Item, epist. 106 *ad Paulinum*. — Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum quod fides vera et catholica tenet, semper Ecclesia pusillos cum magnis a morte primi hominis, ad vitam secundi hominis transfert, non solum peccata dolendo, verum etiam ad non peccandum recteque vivendum, eos qui jam uti possunt voluntatis arbitrio sic adjuvando, ut, nisi adjuvet, nihil pietatis atque justitiæ, sive in opere, sive etiam in voluntate habere possimus.

Idem, tract. 26, *in Evangelium Joannis*. — Quid est hoc, justitia Dei, et justitia hominis? Justitia Dei hic dicitur, non qua justus est Deus (*Rom.* X, 5, 6), sed quam dat homini Deus, ut justus sit homo per Deum.

Idem, epist. 120, *ad Honoratum*, cap. 30. — Illa justitia Dei commendatur in eo, quod dicitur: Ignorantes Dei justitiam, qua nos ex ejus gratia justi sumus, ut ipse Dei justitia non simus, cum juste vivimus, credentes in eum, *qui justificat impium* (*Rom.* IV, 5), non illa, qua ipse justus æterna est sua et incommutabili justitia. Hæc itaque justitia, qua nos Dei munere justi sumus, significatur in psalmo illo, ubi scriptum est: *Justitia tua sicut montes Dei.* (*Psal.* LV, 7.) Montes quippe Dei, sancti ejus sunt. Et infra: Sicut ergo, quod legitur: *Domini est salus* (*Psal.* III, 3), non ea salus intelligitur, qua Dominus salvus est, sed qua salvi sunt, quos ipse salvos facit, sic cum legitur Dei justitia, in eo, quod scriptum est: *Ignorantes Dei justitiam, et suam volentes consti-*

Digitized by Google

tuere (*Rom.* x, 3), non est illa intelligenda, qua Deus justus est, sed qua justi sunt homines, quos gratia sua justificat. Inde enim salvi unde justi.

S. Aug., *De natura et gratia*, cap. 63. — Ex fide Christi etiam ante ejus passionem justos vixisse non dubium est, qui præstat Spiritum sanctum qui datus est nobis, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris qua una justi sunt, quicunque justi sunt.

Idem, lib. I *contra Pelagium et Cœlestium*, seu lib. *De gratia Christi contra prædictos*, cap. 30. — Istam gratiam, qua justificamur, id est, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* v, 5), in Pelagii et Cœlestii scriptis, quæcunque legere potui, nusquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri.

Idem, lib. I *De peccatorum meritis et remissione*, cap. 9. — Christum imitantur sancti ejus ad sequendam justitiam. Unde et idem Apostolus dicit : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* (*I Cor.* IV, 16.) Sed præter hanc imitationem gratia ejus illuminationem justificationemque nostram etiam intrinsecus operatur, illo opere, de quo idem prædicator ejus dicit : *Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* (*I Cor.* v, 7.) Hac enim gratia baptizatos quoque parvulos suo inserit corpori, qui certe imitari aliquem nondum valent. Sicut ergo ille, in quo omnes vivificabuntur (*I Cor.* XV, 22), præterquam quod se ad justitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit et parvulis, sic et ille, in quo omnes moriuntur, præterquam quod eis, qui præceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est, occulta etiam labe carnalis concupiscentiæ suæ tabificavit in se omnes de sua stirpe venientes.

Idem, *ibid.*, cap. 10. — Legimus justificari in Christo, qui credunt in eum (*Gal.* II, 16), propter occultam communicationem et inspirationem gratiæ spiritalis, qua quisquis hæret Domino, unus spiritus est (*I Cor.* VI, 17), quamvis eum et imitentur sancti ejus.

Idem, serm. 16 *De verbis Apostoli*, cap. 4. — Ecce baptizati sunt homines, omnia illis peccata dimissa sunt, justificati sunt a peccatis, negare non possumus, restat tamen lucta cum carne, restat lucta cum mundo, restat lucta cum diabolo. Qui autem luctatur, aliquando ferit, aliquando percutitur, aliquando vincit, aliquando perimitur, quomodo de stadio exeat, attendatur *Nam si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos decipimus, et veritas in nobis non est.* (*I Joan.* I, 8.) Item si dixerimus, quia justitiæ nihil habemus, adversum Dei dona mentimur. Si enim justitiæ nihil habemus, nec fidem habemus, si fidem non habemus, Christiani non sumus. Si autem fidem habemus, jam aliquid habemus justitiæ. Ipsum aliquid, vis nosse quantum sit? *Justus ex fide vivit* (*Habac.* II, 4; *Rom.* I, 17), justus, inquam, ex fide vivit, quia credit quod non videt. Prosequitur capite 5 : Patres arietes sancti duces apostoli, quando annuntiaverunt non solum viderunt oculis, sed etiam manibus tractaverunt, et tamen Dominus servan nobis donum fidei, cuidam discipulorum suorum tractanti, palpanti, veritatem digitis inquirenti et invenienti, exclamanti, *Dominus meus et Deus meus* (*Joan.* XX, 28, 29), ait ipse Dominus et Deus : *Quia vidisti, credidisti*, et nos futuros intuens : *Beati*, inquit, *qui non viderunt, et crediderunt.* (*Ibid.*) Non vidimus, audivimus et credimus. Beati præ licti sumus, et de justitia nihil habemus? Venit Dominus carnaliter ad Judæos, et occisus est : non venit ad nos, et acceptus est. *Populus, quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi.* (*Psal.* XVII, 45.) Nos sumus, et de justitia nihil habemus? Omnino habemus. Grati simus ex eo, quod habemus, ut addatur, quod non habemus, et non perdamus, quod habemus. Ergo et hoc tertium jam agitur in nobis. Justificati sumus, sed ipsa justitia, cum proficimus, crescit. Et capite 8. Et ubi est : *Beati, qui non viderunt et crediderunt!* (*Joan.* XX, 29.) Ecce ubi est, in te est, quia et fides ipsa in te ipso est. An fallit nos Apostolus, qui dicit *habitare Christum per fidem in cordibus nostris?* (*Ephes.* III, 17.) Modo per fidem, tunc per speciem, modo per fidem, quandiu in via, quandiu in peregrinatione. *Quandiu enim sumus in corpore, peregrinamur a Domino.* (*II Cor.* v, 6.)

Idem, lib. II *Retractationum*, cap. 33. — Scripsi libros tres, quorum titulus est : *De peccatorum meritis et remissione*, ubi maxime de baptismate disputatur parvulorum propter originale peccatum, et *De gratia Dei*, qua justificamur, hoc est, justi efficimur.

Idem, *De spiritu et littera*, cap. 26. — Quid est aliud, justificati, quam justi facti, ab illo scilicet, *qui justificat impium* (*Rom.* IV, 5), ut ex impio fiat justus?

Idem, cap. 27. — *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransivit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* III, 23), et ideo, quia non est distinctio, egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius. Qua gratia in interiore homine renovato justitia scribitur, quam culpa deleverat, et hæc misericordia super genus humanum per Christum Jesum Dominum nostrum.

S. Fulgentius, epist. 2 *ad Gallam*, cap. 8 : — Recta fides et misericors operatio post hanc vitam desinent, cum per speciem videbitur, quod nunc, cum creditur, non videtur. Nec inter beatos erit aliquis miser, cui misericordia prærogetur. Hæc autem duo, id est, fides et operatio, ita post hujus vitæ finem non sunt necessaria, ut ante finem non sint ullatenus deserenda. Quisquis enim ante finem vitæ præsentis a fide recta sive bona operatione discesserit, etiam si in his antea strenue vigilanterque cucurrerit,

Digitized by Google

pro eo, quod ab itinere recto desistit, perdit meritum totius itineris, quod cucurrit.

S. Fulgent, lib. *De incarnatione et gratia Jesu Christi*, cap. 26.—Scientia, in qua sic Deus agnoscitur, ut peccatorum remissio divinæ propitiationis munere tribuatur, longe aliena est ab illa cognitione illorum, qua cognoscentes *Deum non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis* (*Rom.* I, 21), qui *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.* (*Ibid.*) Isti enim, quia sine gratia fidei, quæ per charitatem operatur, Deum cognoverunt, ipsa sua cognitione inexcusabiles facti sunt. Hi vero, qui Deum perceptione fidei cognoscunt, inexcusabiles fiunt. Quis enim accusabit electos Dei? Nemo utique, *diligentibus* enim eis *Deum omnia cooperantur in bonum.* (*Rom.* VIII, 28) Et ideo eos nullus accusat, quia Deus eos secundum propositum præscitos et prædestinatos vocatosque justificat atque glorificat, ut gloriatione legis factorum, qua se homo superbus extollit exclusa, per legem fidei, quæ per charitatem operatur, *qui gloriatur, in Domino glorietur.* (*II Cor.* X, 17) Et infra: *Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum.* (*Ephes.* II, 14.) Hæc autem pax sine charitate et fide Christi non potest possideri, quia justificati ex fide, pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem et accessum habemus per fidem in gratia ista, in qua stamus et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Quos spes ideo non confundit, quia *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* (*Rom.* V, 5.)

S. Gregor. Mag., lib. VI, epist. 15, *ad Gregorium presbyterum et Theodorum diaconum Ecclesiæ Constantinopol.* — Descendens (Christus) ad inferos, solos per suam gratiam liberavit, qui eum et venturum esse crediderant, et præcepta ejus vivendo tenuerant. Constat autem quia post incarnationem Domini nullus ex his etiam salvari potest, qui fidem illius tenent, et vitam fidei non habent, quia scriptum est: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* (*Tit.* I, 16.) Et Joannes ait: *Qui dicit quia novit eum, et mandata ejus non custodit, mendax est.* (*I Joan.* II, 4.) Jacobus quoque frater Domini scribit, dicens: *Fides sine operibus mortua est.* (*Jac.* II, 20.) Si ergo fideles nunc sine operibus bonis non salvantur, et infideles ac reprobi sine bona actione Domino ad inferos descendente salvati sunt, melior illorum sors fuit, qui incarnationem Domini minime viderunt, quam horum, qui post incarnationis ejus mysterium nati sunt. Quod quantæ fatuitatis sit dicere vel sentire ipse Dominus testatur discipulis dicens: *Multi reges et prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, et non viderunt.* (*Matth.* XIII, 17.)

Theophylact., *in cap.* II *Evang. secundum Marcum*: — *Surge et tolle grabatum tuum*, ad majorem miraculi confirmationem, quod non apparenter sanatus sit, et ad declarandum quod non solum sanarit, sed et virtutem indiderit. Sic quoque facit et in morbis animæ. Non solum liberat nos ab infirmitatibus, sed etiam virtutem infundit ut operemur mandatum.

VII. *Quomodo impius per fidem justificatur.*

S. August., *De prædestinatione sanctorum*, cap. 7.— Ex fide ideo dicit (Apostolus) justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur. Nam dicit etiam ipse: *Gratia salvi estis facti per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum est* (*Ephes.* II, 8), id est, et quod dixi per fidem, non ex vobis, sed Dei donum est.

Idem, serm. 38 *De tempore.*—Tota sancta series Scripturarum nos a terrenis ad cœlestia erigi adhortatur, ubi vera et sempiterna est beatitudo, ad quam nisi per fidem catholicæ pacis, cooperante charitate Dei et proximi, neminem pervenire certissimum est. Denique ad veram beatitudinem pervenire volentibus, primo omnium fides necessaria est, sicut apostolica docet auctoritas, dicens: *Sine fine impossibile est placere Deo.* (*Hebr.* XI, 6.) Constat ergo neminem ad veram pervenire posse beatitudinem, nisi Deo placeat, et Deo neminem posse placere nisi per fidem, Fides namque est bonorum omnium fundamentum. Fides est humanæ salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest pervenire, quia sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam justificationis exsequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit æternam. Et si quis hic non ambulaverit per fidem, non perveniet ad speciem beatæ visionis Domini nostri Jesu Christi. Reliqua testimonia pro commendatione fidei, vide quæst. 4 de Fide et Symbolo.

Idem, lib. VI *Hypognostic.*, cap. 4. — Deus est, qui justificat impium, non prævertus humana voluntate, sed ipse præveniens hominis voluntatem misericordia sua. *Deus enim*, inquit, *meus misericordia ejus præveniet me.* (*Psal.* LVIII, 11.) Audi et alium prophetam dicentem: *Converte me, Domine, et convertar; sana me, Domine, et sanabor.* (*Jer.* XVII, 14.) Unde Apostolus: *Justificati*, inquit, *gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu* (*Rom.* III, 24); audi gratis, et tace de meritis.

Idem, *Lib. quæst. ad Simplicianum*, quæst. 2. — Primo intentionem Apostoli, quæ per totam epistolam (ad Romanos scilicet) viget, tenebo, quam consulam. Hæc est autem, ut de operum meritis nemo glorietur, de quibus audebant Israelitæ gloriari, quod datæ sibi legi servissent, et ex hoc evangelicam gratiam tanquam debitam meritis suis percepissent, quia legi serviebant, unde nolebant eamdem gratiam dari gentibus tanquam indignis, nisi Judaica sacramenta susciperent. Quæ orta quæstio, in *Apostolorum Actibus* (XV, 2) solvitur. Non enim intelligebant, quia eo ipso, quod gratia est evangelica, operibus non debetur. Alioquin

Digitized by Google

gratia jam non est gratia. Et multis locis hoc sæpe testatur, fidei gratiam præponens operibus, non ut opera exstinguat; sed ut ostendat non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia, ut scilicet non se quis arbitretur ideo percepisse gratiam, quia bene operatus est, sed bene operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiam. Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna vel externa admonitione motus ad fidem. Et paulo post : Fiunt ergo inchoationes quædam fidei, conceptionibus similes, non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æternam. Nihil horum tamen sine gratia misericordiæ Dei, quia et opera, si quæ sunt bona, consequuntur, ut dictum est, illam gratiam, non præcedunt. Quam rem persuadere Apostolus volens, quia sicut alio loco dicit : *Gratia enim Dei salvi facti sumus, et non ex nobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne forte quis extollatur* (*Ephes.* II, 8), de his qui nondum nati erant, documentum dedit. Item post multa : Quæritur autem, utrum vel fides mereatur hominis justificationem, an vero nec fidei merita præcedant misericordiam Dei, sed et fides ipsa inter dona gratiæ numeretur, quia et hoc loco cum dixisset : Non ex operibus, non ait, sed ex fide dictum est ei, quia major serviet minori; ait autem : Sed ex vocante. Nemo enim credit, qui non vocatur. Misericors autem Deus vocat, nullis hoc vel fidei meritis largiens, quia merita fidei sequuntur vocationem potius, quam præcedant. *Quomodo enim credent ei, quem non audierunt? Et quomodo audient sine prædicante?* (*Rom.* X, 14.) Nisi ergo vocande præcedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest, ut ex hoc incipiat justificari, et accipiat facultatem bene operandi. Ergo ante omne meritum est gratia. Etenim *Christus pro impiis mortuus est.* (*Rom.* V, 6.)

S. Aug., lib. I *contra Pelagium et Cœlestium*, cap. 31. — Cum eos remunerandos dicit (Pelagius), qui bene utuntur libero arbitrio, et ideo mereri Domini gratiam, debitum eis reddi fatetur. Ubi est ergo illud Apostoli : *Justificati gratis per gratiam ipsius?* Ubi est et illud : *Gratia salvi facti estis?* (*Ephes.* II, 8.) Et ne putarent per opera, addidit, per fidem. Rursus ne ipsam fidem sine Dei gratia sibi putarent esse tribuendam : Et hoc, inquit, *non ex vobis, sed Dei donum est.* Nempe ergo illud unde incipit omne, quod merito accipere dicimur, sine merito accipimus, id est, ipsam fidem. Aut si negatur dari, quid est, quod dictum est : *Sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei?* (*Rom.* XII, 3.) Si autem sic dicitur dari, ut reddatur meritis, non donetur : quid est hoc, quod iterum dicit : *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo?* (*Philip.* I, 29.) Utrumque enim donatum esse testatus est, et quod credit in Christum, et quod patitur quisque pro Christo. Isti autem libero arbitrio sic applicant fidei videlicet reddi videatur non gratuita, sed debita gratia, ac per hoc jam nec gratia (*Rom.* XI, 6), quia nisi gratuita, non est gratia.

Idem, serm. 15 *De verbis Apostoli* (*Rom.* IV, 25) : *Traditus est enim propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.* — Justificatio tua, circumcisio tua, non est a te. *Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, sed dei donum est.* (*Ephes.* II, 8.) Non ex operibus, ne forte dicas : Promerui, et ideo accepi. Non putes te promerendo accepisse, nisi accepisse qui non promeres, nisi accepisses. Gratia præcessit meritum tuum, non gratia ex merito, sed meritum ex gratia. Nam si gratia ex merito, emisti, non gratis accepisti. *Pro nihilo*, inquit, *salvos facies illos.* (*Psal.* LV, 8.) Quid est : *Pro nihilo salvos facies eos?* Nihil in eis invenis unde salves, et tamen salvas. Gratis das, gratis salvas. Omnia merita præcedis, ut dona tua consequantur merita mea. Prorsus gratis das, gratis salvas, qui nihil invenis unde salves, et multum invenis unde damnes.

Idem, *De spiritu et littera*, cap. 26. — *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius.* (*Rom.* III, 23.) Unde autem factorem legis Græcum justificari diceret, sine gratia Salvatoris? Neque enim contra se ipsum diceret, quod ait : Factores legis justificabuntur, tanquam per opera, non per gratiam justificentur, cum dicat gratis justificari hominem per fidem sine operibus legis, nihilque aliud velit intelligi in eo quod dicit, gratis, nisi quia justificationem opera non præcedunt. Aperte quippe alibi dicit : *Si gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.* (*Rom.* XI, 6.)

Prosper, *Ad excerpta Genuensium, in responsione ad tria prima dubia.* — Intelligo, quod unam atque eamdem causam scriptor exsequitur, de eis loquens, qui dicebant eum (Augustinum intelligit) primo conversionis suæ tempore meliora sensisse, quando æstimabat, quod fides, qua Christiani sumus, non esset ex gratia, nec ex dono haberetur Dei, sed esset ex ipso homine, et ex arbitrii libertate; modo autem errare eum, quia asseret ipsam etiam fidem Dei esse donum, et ad hanc quoque pertinere quod dictum est : *Quid autem habes, quod non accepisti?* (*I Cor.* IV, 7.) Neque recte eum nunc electionem Jacob ad propositum Dei referre, quam prius ad præscientiam retulisset. Ad hanc ergo objectionem respondet, se, antequam cognosceret gratiæ veritatem, et antequam regendæ præponeretur Ecclesiæ, in hac opinione ignoranter errasse, sed in ipso episcopatus sui exordio, sanctæ memoriæ Simpliciano Mediolanensium antistite, de Jacob electione et de Esau rejectione consulto, totam quæstionem ad hos geminos pertinentem, sagaciore diligentia ventilasse, et omnibus ratiocinandi viribus hoc indubitanter agnovisse, quod electionem gratiæ nulla merita humana præcedant, et quod fides, unde incipiunt omnia merita, donum sit Dei, ne gratia non sit gratia, si aliquid

Digitized by Google

eam, propter quod tribnatur antevenit.

HAYMO, *in Epist. ad Rom. c.* III : *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* Gratis dicit, id est sine ullis præcedentibus meritis. Verbi gratia : Qui ad baptismum venit, nihil unquam boni fecit, baptizatur, statimque justificatur. Ecce gratis justificatur per gratiam, id est, per donum Dei, et hoc per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, non in oneribus legis.

VIII. *Contra hæreticorum inanem fiduciam.*

S. AUGUSTIN., *De perfectione justitiæ*, cap. 15. — Dicimus ideo secutum esse : *Quis gloriabitur castum se habere cor, quoniam præcessit, cum rex justus sederit in throno.* (*Prov.* XX, 8, 9.) Quantalibet enim justitia sit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum, cum rex justus sederit in throno, cujus cogitationem fugere delicta non possunt, nec illa de quibus dictum est : *Delicta quis intelligit ?* (*Psal.* XVIII, 15.) Cum ergo rex justus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato ? Nisi forte isti, qui volunt in sua justitia, non in ipsius judicis misericordia gloriari. Tamen etiam illa vera sunt, quæ respondendo subjecit, quod Salvator ait in Evangelio : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* (*Matth.* V, 8.) Et quod David dicit : *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus ? Innocens manibus et mundo corde.* (*Psal.* XXIII. 3.) Et alibi : *Benefac, Domine, bonis et rectis corde.* (*Psal.* CLXXIV, 4.) Item apud Salomonem : *Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia.* (*Eccli.* XIII, 30.) Item illic : *Averte a dilecto et dirige manus, et ab omni delicto munda cor tuum.* (*Eccli.* XXXVIII. 10.) Item in Epistola Joannis : *Si cor nostrum nos non reprehendat, fiduciam habemus ad Deum, et quæcunque petierimus, accipiemus ab eo.* (*I Joan.* III, 21.) Hoc enim agitur voluntate credendo, sperando, diligendo, corpus castigando, eleemosynas faciendo, injurias ignoscendo, instanter orando, et proficiendi vires precando, veraciterque dicendo : *Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus, et ne inferas nos in tentationem, sed libera nos a malo.* (*Matth.* VI, 13.) Hoc prorsus agitur, ut cor mundetur, et peccatum omne tollatur, et quod rex justus cum in throno sederit, occultum invenerit, minusque mundatum, ejus misericordia remittatur, ut Deo videndo totum sanum mundumque reddatur. *Judicium enim sine misericordia est, sed illi, qui non fecit misericordiam. Superexaltat autem misericordia judicio.* (*Jac.* II, 13.) Quod si non esset, quæ spes esset ? Quandoquidem cum rex justus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur, mundum se esse a peccato ?

Idem, *in psal* XLI, 7 : *Ad me ipsum anima mea turbata est.* — Nunquid ad Deum turbatur ? Ad me turbata est. Ad incommutabile reliciebatur, ad mutabile perturbabatur ; novi quia justitia Dei mei manet, utrum mea maneat ? Nescio. Terret enim me Apostolus, dicens : *Qui se putat stare, videat ne cadat.* (*I Cor.* X, 12.) Ergo quia non est in me firmitas mihi, nec est mihi spes in me, ad me ipsum turbata est anima mea.

Idem, *ibid.* — Ut noveris quia, abyssus et ipsi (prædicatores videlicet), Apostolus ait : *Minimum est, ut a vobis dijudicer, aut ab humano die.* Quanta autem abyssus sit, audite amplius. *Neque enim ego me ipsum dijudico.* (*I Cor.* IV, 3.) Tantamne profunditatem creditis esse in homine, quæ lateat ipsum hominem, in quo est ? Quanta profunditas infirmitatis latebat in Petro, quando quid in se ageretur intus nesciebat, et se moriturum cum Domino vel pro Domino temere promittebat. (*Matth.* XXVI, 33.) Quanta abyssus erat ! Quæ tamen abyssus nuda erat oculis Dei. Nam hoc illi Christus prænuntiabat, quod in se ipse ignorabat. Ergo omnis homo licet sanctus, licet justus, licet in multis proficiens, abyssus est, et abyssum invocat, quando homini aliquid fidei, aliquid veritatis propter vitam æternam prædicat.

Idem, lib. X *Confes.*, cap. 32. — De illecebra odorum non satago nimis. Cum absunt, non requiro ; cum adsunt, non respuo ; paratus etiam eis semper carere. Ita mihi videor, fortasse fallor. Sunt enim et istæ plangendæ tenebræ, in quibus me latet facultas mea, quæ in me est, ut animus meus de viribus suis ipse se interrogans, non facile sibi credendum existimet, quia et quod inest, plerumque occultum est, nisi experientia manifestetur. Et nemo securus esse debet in ista vita, quæ tota tentatio nominatur, utrum qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex muliere deterior. (*Job* VII, 1 sq.) Una spes, una fiducia, una firma promissio, misericordia tua.

S. HIERONYM., epist. 127, *ad Fabiolam*, mans. 23. — Vicesima tertia mansio potest et subterintelligi, sed melius pavorem interpretabimur. Venisti ad ecclesiam, ascendisti ad montem pulcherrimum, stupore et miraculo Christi magnitudinem confiteris, vides ibi multos virtutis tuæ socios ; noli altum sapere, sed time, *Dominus enim superbis resistit, humilibus dat gratiam.* (*Jac.* IV, 6.) Et : *Qui se exaltat, videat ne cadat.* (*I Cor.* X, 12.) *Potentes potenter tormenta patientur.* (*Sap.* VI, 7.) Timor virtutum custos est, securitas ad lapsum facilis. Unde et in quodam psalmo, postquam Propheta dixerat : *Dominus regit me et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit*, jungit timorem *qui custos est beatitudinis*, et infert ; *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt* (*Psal.* XXII, 1, 2, 4), et est sensus, dum tormenta formido, servavi gratiam, quam acceperam

S. CHRYSOSTOM., hom. 11 *in I Epist. ad Cor. Sed non in hoc justificatus sum.* — Quid igitur, non oportet ut homines et se et peccatores judicent ? Sane quidem. Et majorem profecto in modum cum peccamus. Verum Paulus nihil peccarat. Nihil enim, inquit,

Digitized by Google

mihi conscius sum. Quodnam igitur judicandum erat peccatum, cum nihil sibi conscius esset ? Hic autem non ait se justificatum esse. Nos igitur, qui innumeris vulneribus conscientiam confectam habemus, ac nullius boni nobis sumus conscii, sed prorsus contra ; quidnam sumus dicturi ? Et quid tandem, si nullius sit sibi conscius, non justificatus est ? Quid igitur dicemus ? Quod accidit hominem in quibusdam peccare, quæ peccata esse ignorat, hinc considera quanta sit futuri judicii diligentia. Et nonnulis interjectis : Duabus igitur rationibus, vel tribus potius incertum est nostrum judicium. Prima quidem, quod etsi nihil nobis ipsi conscii simus, ejus tamen indigemus, qui peccata nostra certa ratione corrigat. Altera, quod multa opera nostra nos latent. Tertia præterea, quod multa aliorum opera nobis bona videntur, quæ non recta fiunt sententia. Quid igitur dicitis, quod neque ab illo peccator, neque hic illo melior ? Hoc enim ostendi non potest neque de illo, qui nihil sibi conscius est, sed qui abscondita judicat, ille certo judicat. Ecce igitur : Neque ergo aliquid mihi conscius sum, sed neque sic justificatus sum, hoc est, non sum propterea liber a crimine, quin redditurus sim rationem. Non enim dicit, quod justis adnumeratus sum, sed quod non sum mundus a peccatis. Etenim alio in loco inquit : *Qui autem moritur, justificatus est peccato* (*Rom.* VI, 7), hoc est liberatus. Multa quoque facimus bona, non tamen recta sententia.

THEODORET., *in I Cor.* IV, 2 : *Sed neque meipsum judico.* — Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Qui autem judicat me, Dominus est. Quid enim, inquit, loquor de aliis ? Ego qui quæ ad me pertinent recte scio, etsi nullius mihi sim sceleris iniquitatisque conscius, non potero in animum inducere, ut me ipsum judicem, nec ut me a peccato immunem pronuntiem, exspectabo autem Dei sententiam. Nemo autem existimet hoc : Non in hoc justificatus sum, illi esse contrarium : Nihil mihi conscius sum. Non est enim contrarium, sed consequens. Sæpe enim evenit ut etiam ignorantes peccent, æquum esse et justum existimantes. Sed hoc aliter videt universorum Deus.

S. BERNARDUS, epist. 42, *ad Henricum Senon. archiepisc.* — Beati qui in veritate dicere possunt : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* (*II Cor.* I, 12.) Non potest dicere nisi humilis, qui juxta vulgare et oculos campi metuere, et silvarum auras soleat semper habere suspectas. *Beatus* nempe *homo, qui semper est pavidus.* (*Prov.* XXVIII, 14.) Non potest dicere arrogans et præsumptor, qui se ipsum impudenter ostentans passim et ubique tanquam per campum incedens, totus fertur in gloriam. Gloriatur etiam cum malefecerit, et exsultat in rebus pessimis. Æstimat se non videri, dum plures habeat imitatores, quam reprehensores, cæcus dux cæcorum. Sed habet hic caninos oculos, sanctorum procul dubio angelorum, quos semper offendere solet, indisciplinata conversatio. Non dicet hypocrita : Gloria mea testimonium conscientiæ meæ, quia, etsi judicantium secundum faciem, verbo, vultu, habituve simulatorio eludat opinioni, sed non ejus, qui scrutatur renes et corda, fallit vel evadit judicium. Siquidem Deus non irridetur. Timeat ergo et iste nemoris aurem. Lingua licet manuque cessantibus, auri tamen ubique præsenti de quacunque silva latebrosæ duplicitatis et spinosæ calliditatis, tacentis et quiescentis cor loquitur, cogitatio confitetur. *Pravum est cor hominis et imperscrutabile* (*Jer.* XVII, 9), ita ut nemo sciat quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis, qui in eo est, sed nec ipse plene. Nam cum Apostolus diceret : *Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die ;* adjecit : *Sed nec ego me ipsum judico.* Quare ? *Quoniam non possum*, ait, *ratam vel ipse de me proferre sententiam.* (*I Cor.* IV, 5.) Ego enim nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc justificatus sum. Non ex toto credo me vel ipsi conscientiæ meæ, quippe cum ne ipsa quidem queat me comprehendere totum. Nec potest judicare de toto, qui totum non audit. Qui autem judicat me, Dominus est. Dominus, inquit, cujus utique scientiam non effugit, sententiam non subterfugit etiam, quod propriam latet conscientiam. Audit Deus in corde cogitantis, quod non audit vel ipse, qui cogitat. Aderat auris prophetæ absentis ori furtive poscentis pecuniam, et ego quantumlibet in occulto lædere cogitans, aut proximum nequiter, aut turpiter me ipsum, non vereor aurem nusquam absentem ? Tremenda prorsus auris et reverenda, cui non cessat quies, non tacet silentium. Et post pauca : Verumtamen delicta quis intelligit ? Nam si possem dicere cum Paulo, quod quidem longe est a me : *Nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc esse justificatum oporteret me gloriari.* (*I Cor.* IV, 4.) Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Si applauserit mihi justitiam humanus dies, pro minimo habeo, quia ille lucet tantum in facie. Homo enim videt in facie, Deus autem intuetur cor. Propter hoc Jeremias non satis popularibus sententiis velut quibusdam humani diei radiis movebatur, sed fidenter loquebatur Deo : *Diem hominis non concupivi, tu scis.* (*Jer.* XVII, 16.) Si meus mihi arriserit dies, neque me ipsum, inquit, judico, quia nec ipse me satis intelligo. Solus merito constitutus est judex vivorum et mortuorum, qui finxit sigillatim corda universorum, et intelligit omnia opera eorum. Solum attendo judicem, quem et solum justificatorem agnosco. *Pater dedit ei judicium facere : quia Filius hominis est* (*Joan.* V, 27.) Non usurpo mihi vel super me servus filii potestatem, nec me annumero illis, de quibus ita conqueri solet : Tulerunt homines a me judicium. *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* (*Joan.* V, 22.) Et ego mihi præsumam, quod nec ipse pater sibi assumit ? Velim, nolim, ipsi me adstare necesse

Digitized by Google

est, ipsi horum, quæ gesserim in corpore, reddere rationem, cui nec verbum prætervolat, nec subterfugit cogitatio. Sub tam æquo libratore meritorum, sub tam intimo secretorum inspectore, quis gloriabitur castum se habere cor ? Sola profecto, quæ non solet gloriari, non novit præsumere, contendere non consuevit, gratiam inventura est in oculis pietatis humilitas. *Deus namque superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* (*Jac.* IV, 6.) Non contendit judicio, nec prætendit justitiam ; qui vere humilis est, sed dicit : *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine.* (*Psal.* CXLII, 2.)

S. Bern , epist. 85, *ad Wilhelmum abbat. Sancti Theodorici* — Forte verum est, quod dicis, minus scilicet a me amari te, quam me diligis, sed certe certus sum, certum non esse tibi. Quomodo ergo pro certo affirmas, de quo certum est, quia certus minime sis ? Mirum. Paulus se suo judicio non credit, sed neque (inquiens) me ipsum judico. Petrus luget suam, qua se fefellerat præsumptionem, cum de se loqueretur, dicens : *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* (*Matth.* XXVI, 35.) Discipuli de proditione Domini, nec in suis fidentes conscientiis, singuli respondebant : *Nunquid ego sum, Domine ?* (*Ibid.*, 22.) David suam de se ignorantiam fatetur orans et clamans : *Et ignorantias meas ne memineris* (*Psal.* XXIV, 7.) Et paulo post : Tu, Domine, qui dedisti, scis quantum dedisti, vel illi me, vel mihi illum amare. Et quomodo aliquis nostrum, cui tu non dixisti, audet dicere : Plus amans, minus diligor, nisi forte, qui jam in lumine tuo videat lumen suum, id est in lumine tuæ veritatis agnoscat, quantum ardeat igne charitatis ? Ego autem, Domine, interim contentus videre in lumine tuo tenebras meas, quoadusque visites sedentem in tenebris et umbra mortis, et per te revelentur cogitationes cordium, et manifesta fiant abscondita tenebrarum, fugatisque tenebris jam non videatur in lumine tuo nisi lumen, sentio quidem de munere tuo, quod eum diligam, sed necdum video in lumine tuo, si vel satis diligam. Neque enim scio, si jam pervenerim ad illam, qua nemo majorem habet dilectionem, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Nam quis gloriabitur castum se habere cor, nedum perfectum ? (*Prov.* XX, 9.) O Domine, qui illuminas lucernam meam, qua jam video et horreo tenebras meas : Deus meus, illumina ipsas tenebras meas, ut videam et gaudeam ordinatam in me charitatem, sciens, et diligens, quæ diligenda sunt, et quantum, et ad quid diligenda sunt, me quoque nolens diligi nisi in te, et quantum diligendus sum,

Idem, serm. *in octava Paschæ*, — *Novit Dominus, qui sunt ejus* (*II Tim.* II, 19), et solus ipse scit, quos elegerit a principio. Quis vero scit hominum, si est dignus amore vel odio ? Quod si, ut certum est, certitudo nobis omnino negatur, nunquid non tanto delectabiliora erunt, si qua forte electionis hujus signa possimus invenire ?

Haymo, *in I Cor.* IV.—*Sed non in hoc justificatus sum*, subaudi, apud me vel apud Deum, ac si diceret aliis verbis : Licet ego in me nihil mali, nihilque reprehensione dignum inveniam, ut quidam mihi detrahant injuste, quidam extollant suis favoribus, tamen non ideo justificatus sum apud me, neque justificatum esse credo per hoc apud Deum, quia nescio utrum placeant ei, quæ ago, aut qualiter ea accipiat, qui melius cognoscit, quid sit in me quam ego, quoniam, etsi in maximis operibus peccatorum non deliqui, saltem in cogitationibus deliqui et peccavi.

Cassian , collatione 22. quæ est secunda abbatis Theonæ, cap 7. — Reddens rationem cur cum humilitate tanquam indigni accedere ad sacram Eucharistiam debeamus : Quia (inquit) nullus ita circumspectus in hujus mundi potest esse conflictu, ut eum saltem rara vel levia peccatorum tela non feriant, quia impossibile est, ut non aut ignorantia, aut negligentia, aut vanitate, aut obreptione, aut cogitatione, aut necessitate, aut oblivione peccetur. Nam etsi ad tam præcelsum quis virtutum culmen ascenderit, ut apostolicum illud non jactanter exclamet : *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die, sed neque me ipsum judico, nihil enim mihi conscius sum* (*I Cor.* IV, 5), sciat se tamen absque peccato esse non posse. Neque enim frustra idem doctor adjunxit : *Sed non in hoc justificatus sum*, id est, non si ego justum me esse credidero, veram confestim gloriam possidebo, vel quia me conscientia mea nullius peccati reprehensione compungit, idcirco nullius sordis contagione fuscatus sum, multa enim etiam meam conscientiam latent, quæ cum sint mihi incognita atque obscura, Deo nota atque manifesta sunt, ideo subjiciens : *Qui autem me*, inquit, *judicat, Dominus est* (*ibid.*), id est, ab illo solo, quem secreta cordium non latent, verum judicii in me proferetur examen.

IX. *Acceptæ justificationis incrementum.*

S. August., *Lib. de moribus Ecclesiæ Catholicæ*, cap. ultimo. — Illo sacrosancto lavacro inchoatur innovatio novi hominis, ut proficiendo perficiatur, in aliis citius, in aliis tardius, a multis tamen proceditur in novam vitam, si quisquam non inimice, sed diligenter intendat. Ipse quippe, sicut ait Apostolus : *Etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem.* (*II Cor.* IV, 16.) Apostolus de die in diem interiorem hominem renovari dicit, ut perficiatur, et vos (Manichæos alloquitur) a perfectione vultis incipiat.

Idem., lib. XIV *De Trinitate*, cap. 17. — Sane ista renovatio non momento uno fit ipsius conversionis (*Coloss.* V, 10), sicut momento uno fit illa in baptismo renovatio remissione omnium peccatorum, neque enim vel unum quantulumcunque remanet quod non remittatur, sed quemadmodum aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate, quæ febribus facta est, revalescere, itemque aliud est infixum telum de corpore demere, aliud vulnus, quod eo factum

Digitized by Google

est, secunda curatione sanare, ita prima curatio est causam removere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum, secunda ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renovatione hujus imaginis (*Coloss.* v, 10), quæ duo demonstrantur in psalmo, ubi legitur : *Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis* (*Psal* CII, 3), quod fit in baptismo. Deinde sequitur : *Qui sanat omnes languores tuos*, quod fit quotidianis accessibus, cum hæc imago renovatur. De qua re Apostolus apertissime locutus est, dicens : *Etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem.* (*II Cor.* IV, 16.) Renovatur autem in agnitione Dei, hoc est, *justitia et sanctitate veritatis* (*Coloss.* III, 10), sicut sese habent apostolica testimonia, quæ paulo ante commemoravi. In agnitione igitur Dei, justitiaque et sanctitate veritatis, qui de die in diem proficiendo renovatur (*Ephes.* IV, 22 seq.), transfert amorem a temporalibus ad æterna, a visibilibus ad intelligibilia, a carnalibus ad spiritalia, atque ab istis cupiditatem frenare atque minuere, illisque se charitate alligare diligenter insistit.

S. Aug., lib. II *De peccatorum meritis et remissione*, cap. 7.— In eo, quod scriptum est : *Qui natus est ex Deo, non peccat, et non potest peccare, quia semen ejus in ipso manet* (*I Joan.* V, 9), et si quid aliud eo modo dictum est, multum falluntur (Pelagiani) minus considerando Scripturas. Non enim advertunt eo quosque fieri filios Dei, quo esse incipiunt in novitate spiritus, et renovare interiorem hominem secundum imaginem ejus, qui creavit eos. Non enim ex qua hora quisque baptizatur, omnis vetus infirmitas ejus absumitur, sed renovatio incipit a remissione omnium peccatorum. Et in quantum quisque spiritalia sapit, qui jam sapit, in tantum renovatur. Cætera vero in spe facta sunt, donec etiam in re fiant, usque ad ipsius corporis renovationem in meliorem statum immortalitatis et incorruptionis, qua induemur in resurrectione mortuorum. Et paucis interjectis : Nam in baptismo, quamvis tota et plena fiat remissio peccatorum, tamen si continuo tota et plena etiam hominis in æternam novitatem mutatio fieret, non dico et in corpore, quod certe manifestum est adhuc in veterem corruptionem atque in mortem tendere, in fine postea renovandum, quando vere tota novitas erit, sed excepto corpore, si in ipso animo, qui est homo interior, perfecta in baptismo novitas fieret, non diceret Apostolus : *Etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem.* (*II Cor.* IV, 16.) Profecto enim, qui de die in diem adhuc renovatur, nondum totus est renovatus, et in quantum nondum est renovatus, in tantum adhuc in vetustate est.

Idem, *ibid.*, cap. 13.— *Fratres, ego me ipsum non arbitror apprehendisse, unum autem, quæ retro oblitus, in ea, quæ ante sunt, extentus secundum intentionem sequor, ad palmam supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu.* (*Philip.* V, 15.) Ipse se confitetur nondum accepisse, nondum esse perfectum ea plenitudine justitiæ, quam adipisci dilexit in Christo, sed adhuc secundum intentionem sequi, et præterita obliviscentem in ea, quæ ante sunt, extendi, ut noverimus etiam ad ipsum pertinere illud, quod ait : *Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem* (*II Cor.* IV, 16), quamvis jam esset perfectus viator, etsi nondum erat ipsius itineris perfectione perventor. Denique tales vult secum in isto cursu comites rapere quibus continuo subjungit et dicit : Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus, et si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis revelabit, verumtamen, ait Apostolus, in quod pervenimus, in eo ambulemus. (*Philip.* III, 15.) Ambulatio ista, non corporis pedibus, sed mentis affectibus et vitæ moribus geritur, ut possint esse perfecti justitiæ possessores, qui recto itinere fidei de die in diem in sua renovatione proficientes, jam perfecti sunt ejusdem justitiæ viatores.

Idem, cap. 27. — Attendere ac meminisse debemus, tantummodo peccatorum omnium plenam perfectamque remissionem baptismo fieri, hominis vero ipsius qualitatem non totam continuo commutari, sed spiritales primitias in bene proficientibus de die in diem novitate crescente commutare in se quod carnaliter vetus est, donec totum ita renovetur, ut animalis etiam infirmitas corporis, ad firmitatem spiritalem incorruptionemque perveniat.

Idem, lib. VI *contra Julianum*, cap. 7.— Si continuo fit bonus, et utique bona qualitate sit bonus, qui fornicationi vinolentiæque renuntians ab hujusmodi operibus sese abstinet, nonne recte audit : Ecce sanus factus es, jam noli peccare, recteque appellatur castus et sobrius? Deinde si provectu concupiscentiæ bonæ, qua concupiscentias malas fornicandi potandique debellat, talis efficitur qualis recenti conversione nondum fuit, ut illorum in eo desideria peccatorum minus minusque moveantur, ut adversus ea mala non tanta quanta prius exerceat, sed minora certamina, non virtutum diminutione, sed hostium, nec deficiente pugna, sed crescente victoria, dubitabis eum pronuntiare meliorem? Unde obsecro, nisi quia bona qualitas aucta et mala minuta est? Auctum est igitur quo bonus esse cœpit, minutum est quo malus fuit, et hoc egit post baptismum, non peregit in baptismo. Ita quamvis ibi peracta fuerit plena peccatorum remissio, remansit tamen qua proficeretur in melius, adversus catervas desideriorum malorum in nobis ipsis utique tumultuantium vigilanter exercenda, et instanter exercenda luctatio, propter quam dicitur etiam baptizatis : *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram* (*Coloss.* V, 5), et : *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis* (*Rom.* VIII, 13), et : *Exuite vos veterem hominem.* (*Coloss.* V, 9.) Nullo modo reprehenditur baptisma, quia asseritur curatio quæ fit post baptisma, quia potius totum hoc per baptisma actum est, id

Digitized by Google

est, ut et a præteritis languoribus sanaretur, et a futuris incipiat, studeat, mereaturque sanari. Ita baptismum totius fit causa sanitatis, per quod et incipitur omnis sanitas et impletur.

S. Aug., serm. 16 *De verbis Apostoli*, cap. 5. — *Justificati sumus*, sed ipsa justitia, cum proficimus, crescit. Et quomodo crescit dicam, et vobiscum quodammodo conferam; ut unusquisque vestrum jam in ipsa justificatione constitutus, accepta scilicet remissione peccatorum per lavacrum regenerationis, accepto Spiritu sancto, proficiens de die in diem, videat ubi sit, accedat, proficiat et crescat donec consummetur, non ut finiatur, sed ut perficiatur.

S. Fulgent., epist. 4, *ad Probam*, cap. 3. — Sicut qui ad patriam tendit, donec perveniat, semper habet ubi ambulet, sic etiam nos quandiu in hoc mortali corpore constituti *peregrinamur a Domino* (*II Cor.* v, 6), præsens vita nobis est via, in qua semper habemus ubi possimus proficere, donec Deo perducente, ad illam valeamus beatæ immortalitatis æternam patriam pervenire.

S. Bernardus, epistola 91 *ad abbat. Suessione congregatos*. — Nemo esse bonus plusquam oportet potest. Bonus erat jam Paulus, et tamen nequaquam contentus, libenter se ad ea quæ ante se sunt extendebat, posteriora oblivi-cens, et seipso semper melior effici studens. Solus Deus melior se ipso esse idcirco non vult, quia non valet. Recedant a me et a vobis qui dicunt : Nolumus esse meliores quam patres nostri, tepidorum et dissolutorum se filios protestantes. Quorum memoria in maledictione est, quia manducaverunt uvas acerbas, quibus dentes filiorum obstupuerunt. Aut si de sanctis et bonæ memoriæ patribus gloriantur, imitentur certe sanctitatem quorum indulgentias dispensationesque pro lege defendunt. Quanquam sanctus Elias : *Non sum*, inquit, *melior quam patres mei* (*III Reg.* xix, 4), et non dixit se nolle patribus esse meliorem. Vidit Jacob in scala angelos ascendentes et descendentes. Nunquid stantem quempiam sive sedentem? Non est stare omnino in pendulo fragilis scalæ, neque in incerto hujus mortalis vitæ quidquam in eodam statu permanet. *Non habemus hic manentem civitatem*, nec *futuram* adhuc possidemus, *sed inquirimus*. (*Hebr.* xiii, 14.) Aut ascendas necesse est, aut descendas. Si attentas stare, ruas necesse est. Minime pro certo est bonus, qui melior esse non vult. Et ubi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus.

X. *Bonorum operum necessitas.*

S. August., *De gratia et libero arbitrio*, cap. 8. — Si vita æterna bonis operibus redditur, sicut apertissime dicit Scriptura : *Quoniam Deus reddet unicuique secundum opera ejus* (*Matth.* xvi, 27), quomodo gratia est vita æterna, cum gratia non operibus redatur, sed gratis detur (*Rom.* ii, 6; *Apoc.* xxii, 12), ipso Apostolo dicente : *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam sed secundum debitum*. (*Rom.* iv, 4.) Et infra : Ista quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolvi, nisi intelligamus et ipsa bona opera nostra, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere, propter illud, quod ait Dominus Jesus : *Sine me nihil potestis facere*. (*Joan.* xv, 5.) Et in fine : Itaque, fratres charissimi, si vita bona nostra nihil aliud est, quam Dei gratia; sine dubio et vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur; Dei gratia est, et ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa, cui datur. Sed illa, cui datur, tantummodo gratia est, hæc autem, quæ illi datur, quoniam præmium ejus est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro justitia, ut verum sit, quoniam verum est, *quia reddet unicuique Deus secundum opera ejus*.

Idem, cap. 9 — *Qui coronat te in miseratione et misericordia*. (*Psal.* ci, 4.) Nunquid non corona bonis operibus redditur? Sed quia ipsa bona opera ille in bonis operatur, de quo dictum est : *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate* (*Philip.* ii, 13), ideo dixit psalmus : Coronat te in miseratione et misericordia, quia ejus miseratione bona operamur, quibus corona redditur.

Idem, epist. 52, *ad Macedonium* : His virtutibus (quatuor scilicet, prudentiæ, fortitudini, temperantiæ et justitiæ) divinitus impartitis, et bona vita nunc agitur, et postea præmium ejus, quæ nisi æterna esse non potest, beata vita persolvitur. Hic enim sunt eædem virtutes in actu, ibi in effectu : hic in opere, ibi in mercede : hic in officio, ibi in fine.

Idem, libro I *contra adversarium legis et prophetarum*, cap. 16. — Perparvum est, quod in eleemosynis datur, sed cum pie datur, æternum inde meritum comparatur.

Idem, lib. *De moribus Ecclesiæ catholicæ*, cap. 25. — Diligamus Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, quicunque ad vitam æternam pervenire proposuimus. Vita enim æterna est totum præmium, cujus promissione gaudemus, nec præmium potest præcedere merita, et prius homini dari, quam dignus est. Quid enim hoc injustius, et quid justius Deo? Non ergo debemus poscere præmium, antequam mereamur accipere.

Idem, *De correptione et gratia*, cap. 13. — Etiam ibi Dei misericordia necessaria est, qua fit *beatus, cui non imputavit Dominus peccatum* (*Psal.* li, 2), sed tunc pro bonorum operum meritis justo judicio etiam ipsa misericordia tribuetur. Cum enim dicitur : *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam* (*Jac.* ii, 13), manifestatur in his, in quibus inveniuntur bona opera misericordiæ, judicium cum misericordia fieri, ac per hoc etiam ipsam misericordiam meritis bonorum reddi. Non sic est nunc, quando non solum nullis bonis, sed etiam multis malis operibus præcedentibus, misericordia ejus prævenit hominem, ut liberetur a malis, et quæ fecit, et quæ facturus fuerat, nisi Dei gratia rege-

Digitized by Google

nerarelur, et quæ passurus fuerat in æternum, nisi erueretur a potestate tenebrarum, et transferretur in regnum filii charitatis Dei. Verumtamen, quia et ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, a tanto Apostolo gratia Dei dicitur, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, sine ulla dubitatione confitendum est, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini. Recte quippe ipsa intelligitur, quæ in Evangelio legitur : *Gratia pro gratia* (*Joan.* I, 16), id est, pro his meritis, quæ contulit gratia.

S. Aug., *De epicureis et stoicis*, cap. 3. — Beata vita merces bonorum est, bonitas opus est, beatitudo merces est. Deus opus jubet, mercedem proponit. Dicit, hoc fac, et hoc accipies.

S. Cyprianus, *De opere et eleemosynis*. — Quæ illa erit, fratres charissimi, operantium gloria, quam grandis et summa lætitia, cum populum suum Dominus cœperit recensere, et meritis atque operibus nostris præmia promissa contribuens, pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna præstare, offerre nos patri, cui nos sua sanctificatione restituit, æternitatem nobis immortalitatemque largiri, ad quam nos sanguinis sui vivificatione reparavit : reduces ad paradisum denuo facere, regna cœlorum fide et veritate suæ pollicitationis aperire? Hæc hæreant firmiter sensibus nostris, hæc intelligantur plena fide, hæc corde toto diligantur, hæc indesinentium operum magnanimitate redimantur. Præclara et divina res, fratres charissimi, salutaris operatio, solatium grande credentium, securitas nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati, res posita in potestate facientis, res et grandis et facilis, sine periculo persecutionis, corona pacis, verum Dei munus et maximum, infirmis necessarium, fortibus gloriosum quo Christianus adjutus perfert gratiam spiritalem, promeretur Christum judicem, Deum computat debitorem. Ad hanc operum salutarium palmam libenter ac prompte certemus, omnes in agone justitiæ Deo et Christo spectante curramus, et qui sæculo et mundo majores esse jam cœpimus, cursum nostrum nulla sæculi, et mundi cupiditate tardemus. Si expeditos, si celeres, si in hoc operis agone currentes, dies vel reditionis, vel persecutionis invenerit, nusquam Dominus meritis nostris ad præmium deerit, in pace vincentibus coronam candidam pro operibus dabit, in persecutione purpuream pro passione geminabit.

Idem, epist. 56, *ad Thibaritanos*.— Armemus dexteram gladio spiritali, ut sacrificia funesta fortiter respuat, et Eucharistiæ memor, quæ Domini corpus accepit, ipsum complectatur, postea a Domino sumptura præmium cœlestium coronarum. O dies ille, qualis et quantus adveniet! fratres dilectissimi, cum cœperit populum suum Dominus recensere, et divinæ cognitionis examine singulorum merita recognoscere, mittere in gehennam nocentes, et persecutores nostros flammæ pœnalis perpetuo ardore damnare, nobis vero mercedem fidei et devotionis exsolvere. Quæ erit gloria, et quanta lætitia, admitti, ut Deum videas, honorari, ut cum Christo Domino Deo tuo salutis ac lucis æternæ gaudium capias? Et infra : Hæc, fratres dilectissimi, hæreant cordibus vestris, hæc sit amorum vestrorum præparatio : hæc diurna ac nocturna meditatio, ante oculos habere, et cogitatione semper ac sensibus volvere iniquorum supplicia, et præmia ac merita justorum, quid negantibus Dominus comminetur ad pœnam, quid contra confitentibus promittat ad gloriam. Si hæc cogitantibus ac meditantibus nobis supervenerit persecutionis dies, miles Christi, præceptis ejus et monitis eruditus, non expavescit ad pugnam, sed paratus est ad coronam.

Idem, epist. 60, *ad episcopos Numidas* : Cum Dominus in Evangelio suo dicat : *Infirmus fui, et visitastis me* (*Matth.* xxv, 36), quanto nunc quoque cum majore operis nostri mercede dicturus est : Captivus fui, et redemistis me? Et cum denuo dicat : In carcere fui, et venistis ad me, quanto plus est, cum cœperit dicere : In carcere captivitatis fui, et clausus, et vinctus apud Barbaros jacui, et de carcere illo servitutis liberastis me, cum judicii dies venerit præmium de Domino recepturi?

S. Chrysostom., hom. 42 *in Genesim* : — Si voluerimus superna frui gratia, imitemur patriarcham (Abraham), et ne cunctemur ad obeundam virtutem; sed quotidie ita eam exerceamus, ut oculum illum, qui sopiri nescit, conciliemus nobis ad mercedem tribuendam. Etenim qui scit arcana mentis nostræ, cum viderit sanam mentem nostram, et nos conari et eniti ad virtutis agones, statim et nutu suo nos adjuvat, simul et labores nostros allevians, et infirmitatem nostræ naturæ confirmans, uberesque retributiones suppeditans. Sane in Olympicis certaminibus neutiquam quis tale quid inveniet, sed subsistit adornator et magister, fitque spectator tantum certantium ut cæteri, neque in ulla re potest adjuvare, sed exspectat, ut fiat victoria. Dominus autem noster non sic, sed simul nobiscum certat, et manum porrigit, et simul adjuvat, et quasi undequaque adversarium nostrum nobis tradit, et omnia facit satagens, ut in certamine duremus, et vincamus, quo nobis immarcescibilem imponat coronam. Coronam enim, inquit, gratiarum accipies in capite tuo. Jam in mediis illis Olympicis certaminibus corona post victoriam nihil aliud est, quam folia lauri, quam applausus et acclamatio vulgi, quæ tamen omnia vespera ingruente marcescunt et pereunt; at corona, quæ pro virtute et ejus sudoribus datur, nihil habet sensibile, neque in hoc sæculo nobiscum dissolvitur, sed perpetua est, immortalis, extendens se in omnia sæcula. Et labor quidem est parvi temporis, merces autem laborum, finem

Digitized by Google

non habet, neque cedit tempori, neque marcescit.

S. Chrysost., hom. 43 *in 1 Cor.* — Permagnum quidem est, in secundo prosperoque rerum statu, et misericordiam exercere, et virtuti esse deditam, verum longe tamen majus illud, adversitatum afflictionibus, ab opere isto pulcherrimo non deturbari, ac is est, qui propter Deum hæc maxime facit. Utrumque igitur, sive periclitemur, fratres, sive quidquid patiamur, ardentiores reddamur ad virtutis studium. Neque enim hoc retributionis nostræ tempus. Quare hic coronas non petamus, ne, si advenerit ipsum coronationis tempus, imminuerimus nobis præmia. Nam quemadmodum artificibus accidere videmus, qui quidem si ipsi se alant et operentur, majorem accipiunt mercedem ; sin vero apud conductores ipsos victitant, non parum illis a mercede sua detrahitur : ita et cum sanctis agitur. Si quis enim et innumera bona fuerit operatus, tum vero et innumera mala perpessus, integram habet mercedem, et plenissimam retributionem, non bonorum tantum, quæ fecerit gratia, sed malorum etiam, quæ tulerit. Qui autem requie hic, et felicitate fruitus est, tam splendidam isthic coronam non est consecuturus. Eapropter hoc in sæculo retributionem non quæramus, sed tum: gaudeamus potissimum, si recte viventes malis affligamur. Quoniam quidem non propter bona tantum opera, verum et afflictiones, mercedem nobis isthic Deus retribueret. Ut autem, quod loquor, fiat clarius, agite constituamus divites duos, misericordes illos et largientes pauperibus. Deinde vero alter quidem in divitiis permaneat, et omni felicitate fruatur, alter vero in paupertatem incidat, morbos, et calamitates, qui tamen gratias agat Domino. Jam illi, si isthuc pervenerint, uter, putatis majorem accepturus est coronam ? An non manifestum, eum asseculturum, qui æger, calamitosus, bene faciens, male patiens, nihil hic erat humani passus ? Equidem istud plane indubitatum. Ille enim vere virilis, adamantinus et benevolus erat Dei servus.

S. Gregor., hom. 17 *in Evangelia.* — Notandum, quod subditur : *Dignus est operarius mercede sua.* (*Luc.* x, 7.) Quia jam de mercede operis, sunt ipsa alimenta sustentationis, ut hic merces de labore prædicationis inchoetur, quæ illic de veritatis visione perficitur. Qua in re considerandum est, quod uni nostro operi duæ mercedes debentur ; una in via, altera in patria ; una, quæ nos in labore sustentat, alia, quæ nos in resurrectione remunerat. Merces itaque, quæ in præsenti accipitur, hoc in nobis debet agere, ut ad sequentem mercedem robustius tendatur. Verus ergo quisque prædicator non ideo prædicare debet, ut in hoc tempore mercedem recipiat, sed ideo mercedem recipere, ut prædicare subsistat. Quisquis namque ideo prædicat, ut hic vel laudis vel muneris mercedem recipiat, æterna procul dubio mercede se privat. Quisquis vero vel ea, quæ dicit ideo placere hominibus appetit, ut, dum placet, quod dicitur, per eadem dicta non ipse, sed Dominus ametur, vel idcirco terrena stipendia in prædicatione consequitur, ne a prædicationis voce per indigentiam lassetur, huic procul dubio ad recipiendam mercedem nil obstat in patria, quia sumptus sumpsit in via.

Theophylactus, in illa verba *II Tim.*, iv : *Quam reddet mihi*, etc. — Non dixit, *dabit*, sed *reddet* veluti debitum quoddam, justus enim cum sit, omnino laboribus mercedem definiet. Debitum itaque est corona, propter judicis justitiam.

Œcumenius in eumdem locum. — Considera, quod tanquam debitum expetit illud, cum ait : *Reddet mihi*, et non dicit : Dabit significans etiam hoc ex eo, quod ait, justus judex.

S. Fulgentius, lib. I *ad Monimum*, cap. 11. — Hanc gratiam non solum in præsentis vitæ justificatione, sed etiam in futuri sæculi remuneratione, dicit gratiam permanere, et super nos, hoc est, super omnia bona cujuslibet hominis merita in Dei bonitate asserit abundare, dicens : *Ut ostendat in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu.* (*Ephes.* II, 7.) Gratia est igitur retributio pia, qua Deus in præsenti tempore malis bona retribuit, illis videlicet, quos justificat impios, ut deputetur fides ad justitiam. De qua retributione David dicit : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ?* (*Psal.* CXV, 3.) Gratia est et illa justa retributio, qua bonis suis meliora retribuens, Deus glorificaturus est justos. Et hoc enim gratiæ opus erit. Quia, ut hoc mereantur, ipsa præveniendo misericorditer incipit. Ipsa subsequens custodit. Ista gratia in Scripturis etiam misericordia nominatur. De qua dicit David : *Deus meus, misericordia ejus præveniat me.* (*Psal.* LVIII, 11.) Et alio loco : *Misericordia tua subsequitur me, per omnes dies vitæ meæ.* (*Psal.* XXII, 6.) Prævenit igitur impium, ut fiat justus, subsequitur justum, ne fiat impius. Prævenit cæcum, ut lumen, quod non invenit donet ; subsequitur videntem ut lumen quod contulit, servet. Prævenit ejisum, ut surgat ; subsequitur elevatum, ne cadat. Prævenit donans homini bonam voluntatem ; subsequitur benevolentem, operando in illo boni operis facultatem. Hoc igitur ista misericordia Dei in homine subsequitur, quod præveniens ipsa largitur. Et ideo non solum errantem justificando vitam revocat, sed etiam bene ambulantem custodit et adjuvat, ut ad donum glorificationis æternæ perducat.

[Ex conciliis.]

1. *Meritum.* — *Operum bonorum necessitas.*

Cœlestini I papæ epist. 21, *ad episcopos Galliæ de semipelag., an.* 431. — Quod omnia studia, et omnia opera, ac merita sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sint ; quia nemo aliunde ei placet, nisi ex

Digitized by Google

eo quod ipse donaverit. In quam nos sententiam dirigit beatæ recordationis papæ Zosimi regularis auctoritas, cum scribens ad totius urbis episcopos ait : « Nos autem instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt unde nascuntur), ad fratrum et coepiscoporum nostrorum conscientiam universam retulimus. » Hunc autem sermonem sincerissimæ veritatis luce radiantem tanto Afri episcopi honore venerati sunt, ut ita ad eumdem virum scriberent : « Illud vero quod in litteris, quas ad universas provincias curasti esse mittendas, posuisti, dicens : Nos tamen instinctu Dei, etc., sic accepimus dictum ut illos qui contra Dei adjutorium extollunt humani arbitrii libertatem, districto gladio veritatis velut cursim transiens amputares. Quid enim tam libero fecistis arbitrio, quam quod universa in nostræ humilitatis conscientiam retulistis? Et tamen instinctu Dei factum esse fideliter sapienterque vidistis, veraciter fidenterque dixistis. Ideo utique quia *præparatur voluntas a Domino* (*Prov.* VIII, 25), et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum. *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt* (*Rom.* VIII, 14) ; ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, et in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium. »

Ibid. — Illud etiam quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu. Cum sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitæ adeunt quam exorcismis et exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus obligatur : *Ut tunc vere appareat, quomodo princeps mundi hujus mittatur foras* (*Joan.* XII, 31), *et quomodo prius alligetur fortis* (*Matth.* XII, 19); et deinceps vasa ejus diripiuntur (*Marc.* III, 27), in possessionem translata victoris, *qui captivam ducit captivitatem* (*Ephes.* IV, 8), *et dat dona hominibus.* (*Psal.* LXVII, 19.)

His ergo ecclesiasticis regulis et ex divina sumptis auctoritate documentis, ita adjuvante Domino, confirmati sumus ut omnium bonorum affectuum, atque operum et omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur. Deum profiteamur auctorem, et non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita præveniri, per quem fit ut aliquid boni et velle incipiamus et facere. (*Philip.* II, 13.) Quo utique auxilio et munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona : et pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. Agit quippe in nobis, ut quod vult et velimus et agamus, nec otiosa in nobis esse patitur, quæ exercenda, non negligenda, donavit ut et nos cooperatores simus gratiæ Dei. Ac si quid in nobis ex nostra viderimus remissione languescere, ad illum sollicite recurramus, qui sanat omnes languores nostros et redimit de interitu vitam nostram (*Psal.* CII, 3, 4), et cui quotidie dicimus : *Ne inducas nos in tentationem, sed libera nos a malo.* (*Matth.* VI, 13.)

Ex conc. Tolet. sub Leone, anno 447 contra Priscillianistas. — Si quis dixerit vel crediderit, carnes avium seu pecudum, quæ ad escam datæ sunt, non tantum pro castigatione hominum abstinendas, sed exsecrandas esse, anathema sit.

Ex canonibus conc. Arausic. II, *an.* 529, *adv., semipelag., confirmatis a Bonifacio II.* — Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati (Christo auxiliante et cooperante) quæ ad salutem pertinent, possint et debeant. — Debetur merces bonis operibus, si fiant ; sed gratia quæ non debetur, præcedit ut fiant.

Capitula Abælardi a concilio Senonensi, an. 1140 *et ab Innocentio II damnata.* — Quod propter opera nec melior, nec pejor efficiatur homo. — Quod nec opus, nec voluntas, neque concupiscentia, neque delectatio, cum movet eam, peccatum sit, nec debemus velle eam exstinguere.

Clementis V definitiones emissæ cum conc. Viennensi, an. 1311, 1312. — Quod jejunare non oportet hominem, nec orare, postquam gradum perfectionis hujusmodi fuerit assecutus ; quia tunc sensualitas est ita perfecte spiritui et rationi subjecta, quod homo potest libere corpori concedere quidquid placet. — Quod illi, qui sunt in prædicto gradu perfectionis et spiritu libertatis, non sunt humanæ subjecti obedientiæ nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligantur ; quia (ut asserunt) ubi spiritus Domini, ibi libertas. — Quod se in actibus exercere virtutum est hominis imperfecti, et perfecta anima licentiat a se virtutes. — Quod in elevatione corporis Jesu Christi non debent assurgere, nec eidem reverentiam exhibere : asserentes quod esset imperfectionis eisdem, si a puritate et altitudine suæ contemplationis tantum descenderent, quod circa ministerium seu sacramentum Eucharistiæ aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent.

Propositiones Ekkardi, an. 1329 *damnatæ a Joanne XXII.* Deus non præcepit actum exteriorem. — Deus animam amat, non opus externum. — Actus exterior non est proprie bonus, nec Deus proprie ipsum operatur.

Errores 41 *Martini Lutheri damnati a Leone V per bullam* Exsurge Domine, 16 *Maii* 1520. — In omni opere bono justus peccat. — Opus bonum optime factum, est veniale peccatum. — Nemo est certus se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbiæ vitium. — Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo ; et dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

Ex Concil. Trid. Decret. de Justificatione,

Digitized by Google

cap. 2, *sess.* 6. — Nemo autem, quantumvis justificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet : nemo temeraria illa, et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis; et adjuvat, ut possis : hujus mandata gravia non sunt; cujus *jugum suave est, et onus leve.* (*Matth.* xi, 30.) Qui enim sunt filii Dei, Christum diligunt : qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, servant sermones ejus. (*Joan.* xiv, 23.) Quod utique cum divino auxilio præstare possunt. Licet enim in hac mortali vita quantumvis sancti et justi in levia saltem et quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi. Nam justorum illa vox est et humilis, et verax : *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* vi, 12) : quo fit, ut justi ipsi eo magis se obligatos ad ambulandum in via justitiæ sentire debeant, quo liberati jam a peccato, servi autem facti Deo, sobrie, juste et pie viventes proficere possint per Christum Jesum : per quem accessum habuerunt in gratiam istam. Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. Itaque nemo sibi in sola fide blandiri debet putans fide sola esse hæredem esse constitutum, hæreditatemque consecuturum, etiamsi Christo non compatiatur, ut et conglorificetur. *Nam et Christus ipse*, ut inquit Apostolus, *cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam; et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* (*Hebr.* v, 9.) *Propterea Apostolus ipse monet justificatos dicens. Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans : sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo; ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* (*I Cor.* ix, 24 seqq.) Item princeps apostolorum Petrus : *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis : hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* (*II Petr.* i, 10)

Ex conc. Trid. decret. de justific., cap. 14, *de lapsis.* — Qui vero ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum, excitante Deo, per pœnitentiæ sacramentum, merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim justificationis modus est lapsis reparatio : quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam sancti Patres apte nuncuparunt. Etenim pro iis, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Jesus sacramentum instituit pœnitentiæ, cum dixit : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* (*Joan.* xx, 22, 23.) Unde docendum est, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali, eaque contineri non modo cessationem a peccatis, et eorum detestationem, aut cor contritum et humiliatum; verum etiam eorumdem sacramentalem confessionem, saltem in voto, et suo tempore faciendam, et sacerdotalem absolutionem; itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, et alia pia spiritualis vitæ exercitia; non quidem pro pœna æterna, quæ vel sacramento, vel sacramenti voto, una cum culpa remittitur; sed pro pœna temporali, quæ, ut sacræ litteræ docent, non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum sanctum contristaverunt et templum Dei violare non sunt veriti. De qua pœnitentia scriptum est : *Memor esto, unde exciderit : age pœnitentiam, et prima opera fac.* (*Apoc.* ii, 5) Et iterum : *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* (*II Cor.* vi., 10.) Et rursus : *Pœnitentiam agite, et facite fructus dignos pœnitentiæ.* (*Matth.* iii, 2, 8.)

Ibid., cap. 16, *de fructu justificationis.* — Hac igitur ratione justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba : Abundate inomni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino, non enim injustus est Deus, *ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* (*Hebr.* iv, 10.) Et : *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* (*Hebr.* x, 35.) Atque ideo bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda. Hæc est enim illa corona justitiæ, quam post suum certamen et cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus, a justo judice sibi reddendam : non solum autem sibi, sed et omnibus, qui diligunt adventum ejus. Cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent : nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, et vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, vere promeruisse censeantur; cum Christus Salvator noster dicat : *Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* (*Joan.* iv, 13, 14.) Ita neque propria nostra justitia, tanquam ex nobis propria statuitur : neque ignoratur aut repudiatur justitia Dei. Quæ enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem justificamur; illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum. Neque vero illud omittendum est quod, licet bonis operibus in sacris litteris usque adeo tribuatur, ut etiam qui

Digitized by Google

uni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus, eum non esse sua mercede carituram : et Apostolus testetur, id quod in præsenti *est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis* (*II Cor.* IV, 17) : absit tamen, ut Christianus homo in se ipso vel confidat, vel glorietur, et non in Domino, cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Et quia in multis offendimus omnes; unusquisque sicut misericordiam et bonitatem, ita severitatem et judicium ante oculos habere debet, neque seipsum aliquis, etiam si nihil sibi conscius fuerit, judicare; quoniam omnis hominum vita non humano judicio examinanda et judicanda est, sed Dei qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo, qui, ut scriptum est, *reddet unicuique secundum opera sua.* (*Apoc.* XXII, 12.)

Post hanc catholicam de justificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterque receperit, justificari non poterit : placuit sanctæ synodo, hos canones subjungere, ut omnes sciant non solum quid tenere et sequi, sed etiam quid vitare et fugere debeant.

Ex conc. Trid., ex canonib., sess. 6, *de justificatione.* — *Can.* 7. Si quis dixerit opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit. — *Can.* 15. Si quis dixerit hominem renatum et justificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinatorum; anathema sit. — *Can.* 17. Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit. — *Can.* 24. Si quis dixerit Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant; si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam; anathema sit. — *Can.* 26. Si quis dixerit justos non debere pro nobis operibus, quæ in Deo fuerint facta, exspectare et sperare æternam retributionem a Deo per ejus misericordiam, et Jesu Christi meritum, si bene agendo, et divina mandata custodiendo usque in finem perseverarevint; anathema sit.

Ibid., cap. 4, *de operibus satisfactionis, sess.* 14. — Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priùsquam hoc sacramentum actu suscipiamur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse ascribendam; illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ; declarat, non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt. Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint sacramentum pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam confere, quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit, sed et falso docent, contritionem esse extortam et coactam, non liberam et voluntariam.

Ibid., cap. 8, *de satisfactionis necessitate.* — Demum quoad satisfactionem, quæ ex omnibus pœnitentiæ partibus, quemadmodum a patribus nostris Christiano populo fuit perpetuo tempore commendata; ita una maxime nostra ætate, summo pietatis prætextu impugnatur ab iis, qui speciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt : sancta synodus declarat falsum omnino esse, et a verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur. Perspicua enim et illustria in sacris litteris exempla reperiuntur, quibus præter divinam traditionem hic error quam manifestissime revincitur. Sane et divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati et dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritus sancti dono scienter templum Dei violare et Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes velut injurii et contumeliosi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. (*Rom.* II, 5.) Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi freno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt : medentur quoque peccatorum reliquiis et vitiosos habitus, male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amo-

Digitized by Google

vendam imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animo dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, et conglorificabimur. (*Rom.* VIII, 17.) Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum: nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, et cooperante, qui nos confortat, omnia possumus : ita non habet homo, unde glorietur; sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre. Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserint, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere : ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem : nam claves sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres et credunt et docent; nec propterea existimarunt sacramentum pœnitentiæ esse forum iræ vel pœnarum, sicut nemo unquam catholicus sensit, ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti, et satisfactionis Domini nostri Jesu Christi vel obscurari, vel ex aliqua parte imminui; quod dum novatores intelligere nolunt, ita optimam pœnitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis vim et usum tollant.

Ex conc. Trid., cap. 9, De operibus satisfactionis. — Docet præterea tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solum pœnis, sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.

Ejusdem conc. canones, de satisfactione. — *Can.* 13. Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit. — *Can.* 14. Si quis dixerit satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit.

Propositiones Cornelii Jansenii damnatæ ab Innocentio X. — Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia : deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

Declarata et damnata uti temeraria, impia, blasphema, anathemate damnanda et hæretica.

Ex damnatione propositionum Michaelis Baii a Pio V. — In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meritum, quod sit gratis indigno collatum. — Quod pie et juste in hac vita mortali usque in finem vitæ conversati vitam consequimur æternam, id non proprie gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ justo Dei judicio deputandum est : neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur. — Opera bona, a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiant per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum eo quod sint conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi. — Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operantur habeant gratiam et inhabitantem Spiritum sanctum, sed in eo solum, quod obediunt divinæ legi. — Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo de gratia adoptionis sublimetur ad statum deificium. — Opera catechumenorum, ut fides et pœnitentia, ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ meritoria : quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur. — Charitas perfecta et sincera, quæ est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum. Catechumenus juste, recte et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in baptismatis lavacro demum percipitur. — Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifarium bonum, vel quia ex objecto et omnibus circumstantiis rectum est et bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt), vel quia est meritorium regni æterni, eo quod sit a vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda est. — Sed et illa distinctio duplicis justitiæ, alterius quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem, alterius quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, et in eo charitatem diffundentis, qua divinæ legis justificatio implenter, similiter rejicitur. — Omne quod facit peccator, vel servus pec-

Digitized by Google

cati, peccatum est. — In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati. — Quando per eleemosynas aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioquin essemus, saltem aliqua ex parte, redemptores); sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur et communicatur. Infidelitas pure negativa, in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. — Per passiones sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi a pœnis pro peccatis debitis liberemur. — Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam : cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos II ; *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus. Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia. — Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.—

Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur.— Operibus plerisque, quæ a fidelibus fiunt solum ut Dei eis mandatis pareant, cujusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia et vera legis justitia : non tamen iis obtinent incrementa virtutum. — Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem : et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis. — Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso sæpe manet, et corporis resurrectio proprie nonnisi meritis Christi ascribenda est.

Ex damnatione hujus erroris Joannis Huss. a Martino V. — Divisio immediata humanorum operum est : sunt vel virtuosa vel vitiosa, quia si homo est vitiosus et agit quidquam, tunc agit vitiose; et si est virtuosus et agit quidquam, tunc agit virtuose; quia sicut vitium, quod crimen dicitur seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.

Ex damnatione propp. Michaelis de Molinos ab Innoc. XI, an. 1687. — Beata Virgo nullum unquam opus exterius peregit, et tamen fuit sanctis omnibus sanctior. Igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori. — Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.

Ex damnatione propp. Paschasii Quesnelli a Clement XI, const. Unigenitus, 8 *Sept.* 1713. — Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.— Oratio impiorum est novum peccatum, et quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium. — Non sunt nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostræ nascuntur : amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, et amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, et propter ipsum fit malus, cupiditas aut charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt.—Fides, usus, augmentum, et præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.

Propositio damnata ab Alexandro VIII, 16 *Decemb.* 1690. — Necesse est infidelem in omni opere peccare.

Propp. synod. Pistor. damnatæ a Pio VI per const. Auctorem fidei, 28 *Aug.* 1794. — Doctrina synodi de duplici amore (dominantis cupiditatis, et charitatis dominantis) enuntians hominem sine gratia esse sub virtute peccati, ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere, quatenus insinuat, in homine, dum est sub virtute sive in statu peccati, destitutus gratia illa qua liberatur a servitute peccati et constituitur Filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem hujus influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur; aut opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione fiant, sint peccata; quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati; falsa, perniciosa, inducens in errorem a Tridentino damnatum ut hæreticum, iterum in Baio damnatum art. 40.

Item, quæ subjungit, hominem sub lege, cum esset impotens ad eam observandum, prævaricatorem evasisse, non quidem culpa legis, quæ sanctissima erat, sed culpa hominis, qui sub lege sine gratia magis magisque prævaricator evasit; superadditque legem, si non sanavit cor hominis, effecisse ut sua mala cognosceret, et de sua infirmitate convictus desideraret gratiam Mediatoris; qua parte generaliter innuit hominem prævaricatorem evasisse per inobservantiam legis, quam impotens esset observare, quasi impossibile aliquid potuerit imperare qui justus est, aut damnaturus sit hominem pro eo quod non potuit vitare, qui pius est. (Ex S. Cæsario, serm. 73, in append, S. Aug. serm. 273, edit. Maurin. Ex S. August. *De nat. et grat.*, cap. 43; *De grat. et lib. arb.*, cap. 16; *Enarr. in psal.* LVI, num. 1); falsa, scandalosa, impia, in Baio damnata.

II. *Operum motiva quoad justificationem vel ipsius incrementum.*

Capitula Abælardi a concilio Senonensi an. 1140 *et ab Innocentio II damnata.* — Quod in Christo non fuerit spiritus timoris Domini.

Digitized by Google

Errores Martini Lutheri damnati a Leone V per bullam Exsurge, Domine, 16 *Maii* 1520.— Imperfecta charitas morituri fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere pœnam purgatorii, et impedit introitum regni.

Ex conc Trid., sess. 6, *de justificat., cap* 6. *Modus præparationis.*— Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata et promissa sunt, atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, et dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illorumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet : denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina mandata. De hac dispositione scriptum est : *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est et quod inquirentibus remunerator sit.* (*Heb.* XI, 6.) Et : *Confide, fili : remittuntur tibi peccata tua.* (*Matth.* XI, 2.) Et : *Timor Domini expellit peccatum.* (*Eccli.* I, 27.) Et : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum; et accipietis donum Spiritus sancti.* (*Act.* II, 38.) Et : *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, docentes eos servare quæcunque mandavi vobis* (*Matth.* XXVIII, 19, 20). Denique : *Præparate corda vestra Domino.* (*I Reg.* VII, 3.)

Ex canon. ejusd. Trid., sess. 6.— *Can.* 8. Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit. — *Can.* 31. Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.

Ex damnatione propp. Michaelis Baii, a Pio V. — Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos : *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus. — Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia. — Infidelitas pure negativa, in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. — Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.

Propp. damnatæ ab Alexand. VIII, 7 *Decemb.* 1690. — Timor gehennæ non est supernaturalis. — Inventio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum mere, ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur. — Revere peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem et disconvenientiam, cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu. — Omne quod non est ex fide Christiana supernaturali ; quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

Ex propp. Paschasii Quesnelli damnatis a Clemente XI, in constitut. Unigenitus, 8 *sept.* 1713. — Quid aliud esse possumus nisi tenebræ, nisi aberratio, et nisi peccatum, sine fidei lumine, sine Christo, et sine charitate. Fides justificat quando operatur, sed ipsa non operatur nisi per charitatem. — Omnia alia salutis media continentur in fide, tanquam in suo germine et semine ; sed hæc fides non est absque amore et fiducia.

Totum deest peccatori, quando ei deest spes ; et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei. — Obedientia legis profluere debet ex fonte, et hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, et Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius ; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia. — Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas. — Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tandiu peccato addicitur, quandiu ab amore justitiæ non ducitur. — Timor servilis non sibi repræsentat Deum nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

Propositiones synodi diœcesanæ Pistoriensis, damnatæ a Pio VI per constitutionem Auctorem fidei, 28 *Aug.* 1794, *de gratia illuminante et excitante.* — Propositio, quæ asserit lumen gratiæ, quando sit solum, non præstare nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status et gravitatem nostri mali ; gratiam in tali casu producere eumdem effectum quem lex producebat : ideo necesse esse, ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem, et inspiret sanctam delectationem contrariam amori in nobis dominanti ; hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem esse proprie gratiam Jesu Christi, inspirationem charitatis, qua cognita sancto amore faciamus ; hanc esse illam radicem, de qua germinant bona opera ; hanc esse gratiam Novi Testamenti, quæ nos liberat a servitute peccati, constituit filios Dei : quatenus intendat, eam solam esse proprie gratiam Jesu Christi, quæ creet in corde sanctum amorem, et quæ fecit ut faciamus, sive etiam qua homo liberatus a servitute peccati constituitur filius Dei ; et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus sancti (*Trid.*, sess. 6, cap. 5) ; nec vera detur interior gratia Christi, cui resistitur, falsa, captiosa, inducens in errorem, in secunda propositione Jansenii damnatum ut hæreticum, eumque renovans.

Ibid. — Doctrina quæ timorem pœnarum generatim perhibet duntaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum. Quasi timor ipse gehennæ, quam fides docet peccato infligendam, non

Digitized by Google

sit in se bonus et utilis, velut donum supernaturale ac motus a Deo inspiratus, præparans ad amorem justitiæ; falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis injuriosa, alias damnata contraria doctrinæ concilii Tridentini, tum et communi Patrum sententiæ, opus esse, juxta consuetum ordinem præparationis ad justitiam, ut intret timor primo, per quem veniat charitas : timor medicamentum, charitas, sanitas.

JUSTITIA, JUDICIUM HUMANUM, JUDEX

[Ex SS. Patribus.]

ATHENAGOR., *De resurrectione mort.*, apud S. Justin. — Adversus eos qui de principiis dissident, optimum forte fuerit illud istis principium præmittere, simul cum illis dubitantes de quibus ipsi rebus opinantur; et ad hunc modum una disceptantes, num tota prorsus hominum vita despiciatur, ac densa quædam caligo terris diffusa tum ipsos homines, tum eorum actiones ignoratione et oblivione involvat; an multo tutius sit existimare suis Creatorem præesse operibus, omnium quæcunque sunt aut fiunt inspectorem, operum et cogitationum judicem. Nam si nullum omnino hominibus rerum gestarum judicium datur, nihil homines amplius habent quam belluæ. Imo istis infelicius agunt, ut qui perturbatos animi motus in servitutem redigant, ac pietatis et justitiæ virtutumque cæterarum curam gerant : belluarum autem et ferarum vita optima, virtus vero insipiens, judicii minæ res perridicula, voluptati autem omni indulgere maximum bonum, commune autem horum omnium decretum atque una lex, amica illa intemperantibus et lascivis sententia : *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur.* (*I Cor.* XV, 32.) Talis enim vitæ finis ne voluptas quidem, ut nonnulli opinantur, sed status omnis sensus expers.

Quod si hominum Creatori aliqua est operum suorum cura, ac bene aut male actæ vitæ servatur alicubi discrimen; vel in præsenti vita, adhuc viventibus qui virtutem aut vitium sectantur; vel post mortem, iisdem in separatione et dissolutione versantibus. At in neutro servata judicii æquitas reperiri potest. Nam nec boni in præsenti vita virtutis præmia referunt, nec mali nequitiæ. Illud enim prætermitto natura, in qua nunc sumus, servata non posse naturam mortalem pares pluribus aut gravioribus peccatis pœnas sustinere. Nam qui innumeros ex innumeris occidit injuste vel latro, vel princeps, vel tyrannus, is sane una morte horum scelerum pœnam non persolverit. Sic etiam qui de Deo nihil veri opinatus est, sed in omni convicio et blasphemia vixit, divina contempsit, leges infregit, stupra pueris æque ac mulieribus intulit; urbes evertit injuste, domos una cum hominibus incendit, regionem vastavit, simulque populos et incolas aut etiam universam gentem exstinxit; quonam is pacto in corpore corruptioni obnoxio, pari his sceleribus pœnæ suffecerit, cum mors debitam meritis mercedem præripiat, ac ne uni quidem alicui facinorum mortalis natura sufficiat? Neque igitur in præsenti vita judicium pro meritis demonstratur; neque etiam post mortem.

TERTULL, *De pudicitia.* — *Quo judicio judicaveritis, judicabitur de vobis.* (*Matth.* VII, 2.) Ita non prohibuit (Christus) judicare, sed docuit. Unde et Apostolus judicat et quidem in causa fornicationis, dedendum ejusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, increpans etiam quod fratres non apud sanctos judicarentur. Adjiciens enim inquit : *Ut quid mihi eos qui foris sunt, judicare?* (*I Cor.* V, 12) Dimittis autem ut dimittatur tibi a Deo. Delicta mundantur, quæ quis in fratrem, non Deum, admiserit. Debitoribus denique dimissuros nos in oratione profitemur.

D. CYPRIAN., *Testim.*, lib. III. — Non temere de altero judicandum. In Evangelio cata Lucam : *Nolite judicare, ne judicemini; nolite condemnare, ne condemnemini.* (*Luc.* VI.) De hoc ipso ad Romanos : *Tu quis es qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit. Stabit autem. Potens est enim Deus statuere eum.* (*Rom.* XIV, 4.) Et iterum : *Quare sine excusatione es, o homo omnis qui judicas. In quo enim judicas alium, te ipsum condemnas. Eadem enim agis quæ judicas. Speras autem tu qui judicas eos qui mala agunt, et eadem facis, quia ipse effugies judicium Dei?* (*Rom.* II, 3.) Item in Epistola Pauli ad Corinthios prima : *Et qui se putat stare, videat ne cadat.* (*I Cor.* X, 12.) Et iterum : Si quis se putat scire aliquid, nondum scit quemadmodum oporteat eum scire. (*I Cor.* VIII, 2.)

Idem, *Lib. ad Demetrian.* — Inter ipsa adversa quibus vix coarctata et conclusa anima respirat, vacat malos esse, et in periculis tantis non de se magis, sed de altero judicare. Indignamini indignari Deum, quasi aliquid boni male vivendo mereamini, quasi non omnia ista quæ accidunt minora adhuc sint et leviora peccatis vestris. Qui alios judicas, aliquando et tu esto tui judex, conscientiæ tuæ latebras intuere, imo (quia nullus jam delinquendi metus vel pudor est, et sic peccatur quasi magis per ipsa peccata placeatur) qui perspicuus et nudus videris a cunctis, et ipse te respice. Aut enim superbia inflatus es, aut avaritia rapax, aut iracundia sævus, aut alea prodigus, aut vinolentia temulentus, aut livore invidus, aut libidine incestus, aut crudelitate violentus; et miraris in pœnas generis humani iram Dei crescere, cum crescat quotidie quod puniatur.

S. GREG. Nyss., *De beatudin.*, orat. 4, t. I.

Digitized by Google

— Aiunt nonnulli eorum qui ejusmodi res scrutati sunt, justitiam esse habitum tribuentem unicuique id quod æquum est, et quo quisque dignus est. — Ego vero ad altitudinem constitutionis divinæ respiciens, aliquid amplius quam ea quæ modo dicta sunt, per hanc justitiam intelligendum esse existimo. — Quæ est igitur illa justitia quæ ad omnes pertinet? Cujus appetitus cuivis ad Evangelicam mensam spectanti communis propositus est: sive quis dives sit, sive pauper, sive servus, sive dominus, sive patricius, sive pecunia comparatus, nulla fortuna, nullo statu, nulla conditione, nulla circumstantia neque augente, neque diminuente justi definitionem. Nam si id in eo solo, qui potestate aliqua atque dignitate cæteros præcedit, reperiatur; quomodo justus erit ille ad vestibulum divitis abjectus Lazarus, qui nullam materiam ad talem justitiam habebat, non imperium, non potestatem, non domum, non mensam, non alium quempiam ad vitam apparatum, per quem licet illam justitiam ad opus et affectum deducere atque repræsentare? Nam si imperando, aut distribuendo, aut omnino aliquid administrando justum esse consistit, qui in illis muneribus non versatur, expers justitiæ prorsus est. Quomodo igitur requiete dignus habetur is qui nihil habuit eorum per quæ justitia juxta vulgi opinionem designatur? Quo circa quærenda nobis est illa justitia, cujus compotem fore Verbum promittit illum qui eam expetiverit? *Beati enim*, inquit, *qui esurient justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* (*Matth.* v, 6.) Multis ac variis rebus nobis ad usum propositis, quibus afficitur, quæque appetit natura, multa nobis opus est scientia, ut nobis in ejusmodi esculentis discernamus, quod nutriat, quod noceat, ne id, quod nutrimenti loco sibi ab anima assumi videtur, pro vita mortem nobis et pestem efficiat.

Qui per omnia communem nobiscum naturam habuit, excepto peccato, atque eorumdem nobiscum affectuum, incommodorum et afflictionum particeps fuit, famem non judicavit esse peccatum, neque ejus incommodi periculum facere recusavit, sed affectum naturæ, quo cibus appetitur, admisit atque suscepit. — Profligator et peremptor tentationum, famem quasi malorum causam non exterminat ex rerum natura; sed solam superfluitatem, ac nimiam ineptamque industriam et curam, quæ de consilio adversarii una cum necessario usu introducta est, adversatus, suis finibus gubernare naturam permisit. Quemadmodum enim ii, qui vinum transcolant, non reprobant id quod in eo utile est, propter immistos ei furfures, sed colo superflua excernentes, puri usum non rejiciunt: ita perspicax et solers in examinando atque discernendo ea, quæ ab natura aliena sunt Verbum, subtilitate speculationis famem quidem, utpote vitæ nostræ conservatricem, non exterminavit: superfluitates, vero necessario usui connexas et implicatas transcolavit et abjecit, cum dixit: illum se novisse panem nutrientem qui verbo Dei naturæ conciliatus sit. Si igitur esuriit Jesus, beatum fuerit esurire, cum ad imitationem illius ingeneretur ac repræsentetur etiam fames in nobis. Si igitur intelleximus quid sit id quod esurit et appetit Dominus, fieri non potest ut nunc propositæ nobis beatitudinis vim non intelligamus.

Quis est igitur ille cibus cujus appetitum Jesus sibi turpem non ducit? Ait ad discipulos post habitum cum Samaritana sermonem: *Meus cibus est, ut faciam quod vult Pater meus.* (*Joan.* IV, 34.) Non ignota est autem voluntas Patris, qui omnes homines servari, et ad agnitionem veritatis venire vult. Igitur si ille nos cupit servari, et vita nostra cibus ejus existit, didicimus quis usus sit ejusmodi animæ habitus et affectionis. Quis igitur hic est? Esuriamus nostram ipsorum salutem; sitiamus divinam voluntatem, quæ est ut nos servemur. Qua ratione igitur talem nobis famem conficere possimus, nunc didicimus a beatitudine. Qui enim justitiam Dei desiderat, invenit id quod vere expetendum est. — *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* (*Matth.* v.) Nunquid ergo justitiam quidem expetere beatum judicandum est? sed si quis erga temperantiam, continentiam, sobrietatem, aut sapientiam, aut prudentiam, aut si qua alia virtutis species est, similiter affectus est, hunc verbum beatum non judicat? Verum talem forsitan quod dicitur sententiam in se continet. Unum ex iis, quæ per virtutem intelliguntur, justitia est.

Pro consuetudine autem id sæpe divina Scriptura habet, ut, facta mentione partis, totum comprehendat: ut cum divinam naturam per aliqua nomina designat. Dicit enim tanquam ex persona Dei propheta: *Ego Dominus, hoc mihi nomen æternum; et memoriale generationum generationibus.* (*Isa.* XLII, 8.) Et rursus in alio loco ait: *Ego sum qui sum.* (*Exod.* III, 14.) Et in alio: *Misericors sum* (*Exod.* XIV, 22): et sexcentis aliis nominibus id quod et altum et augustum est significantibus, solet Deum sancta Scriptura nominare, ut per hæc certo sciamus quod cum unum aliquod edat, tota nominum congeries tacite cum uno simul exprimatur. Non enim conceditur, nec probabile est, si Dominus dicatur eum non etiam reliqua esse; sed omnia per unum nomen exprimuntur. Per hæc igitur didicimus, quod per partem aliquam multa complecti soleat divinitus prodita Scriptura. Ergo cum etiam hic verbum dixisset, justitiam iis qui beate esuriant propositam esse, per hanc, omnem virtutis speciem designat, ut ex æquo beatus sit, qui et prudentiam, et fortitudinem, et sobrietatem, continentiam, frugalitatem, et si quid aliud per eamdem virtutis definitionem percipitur et comprehenditur, esuriat.

Neque enim fieri potest, ut una aliqua virtutis species a reliquis disjuncta, ipsa per se virtus perfecta sit. Nam cum quo non simul aliquid consideratur eorum quæ per

Digitized by Google

bonum intelliguntur, omino necesse est ut contrarium in eo locum habeat. Opponitur autem continentiæ quidem et frugalitati luxuria atque incontinentia : prudentiæ vero stultitia, et cujusque eorum quæ in meliorem partem accipiuntur, prorsus est aliquid quod ex contrario intelligatur. Si igitur non omnia cum justitia considerarentur, fieri non posset ut quod relinqueretur bonum esset: non enim aliquis dixerit stultam justitiam, aut audacem, aut incontinentem, aut aliud quidquam eorum, quæ per vitiositatem considerantur et intelliguntur. Quod si ratio justitiæ ab omnibus, quæcunque in pejorem partem accipiuntur vacua, pura atque integra est, universum in se bonum plane complexa est : bonum autem est, quidquid per virtutem consideratur et intelligitur. Ergo omnis virtus hic nomine justitiæ significatur, quam esurientes et sitientes verbum beatos judicat, satietatem eorum quæ expetuntur promittens. *Beati enim, inquit, esurientes et sitientes justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* (*Matth.* v.)

S. Basil, *Hom. in Prov.*, t. II. — Vera justitia Christus est, *qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* (*I Cor.* I, 30.) Accedit etiam ad veræ justitiæ cognitionem, ut judicium dirigatur. Nam fieri non potest, ut qui prius in justitiæ cognitione eruditus non fuerit, ambiguas res recte dijudicare possit. Neque enim Salomon ipse, nisi in seipso æqui ac recti rationes exquisitas habuiset, celeberrimum illud judicium quod de puero inter meretrices protulit, tam recte appositeque potuisset efferre. Cum enim testibus carerent quæ ab utraque dicebantur, ad naturam cucurrit, ejusque ope quæ ignorabantur, invenit. (*III Reg.* III, 25.) Et vero aliena sine ulla commiseratione pueri necem approbabat : vera autem mater ob naturalem charitatem ne cædem quidem audire sustinuit. Qui igitur novit justitiam veram, atque ab ea suum cuique distribuere didicit, is judicium dirigere potest. Ut enim sagittarius jaculum ad scopum dirigit, si, neque excedens, neque deficiens, neque in alterutram partem declinans, a sagittariorum arte aberrat ; sic judex ad id quod justum est collineat, si nullam habeat personarum rationem (*personam* enim *in judicio cognoscere bonum non est* [*Prov.* XXIV, 23]), et si in agendo nullo modo in alterutram partem declinet, sed proferat judicia recta nihilque obliqui habentia

Jam si fuerint duo ab ipso judicandi, quorum alter plus æquo, alter minus habeat stat judex ambos inter se exæquans, et tantum aufert ei qui plus satis habet, quantum ei qui injuriam accepit, deesse deprehendit. Sed qui justitiam veram non habet in anima sua prius insitam, sed aut pecuniis corruptus est, aut amicitiæ favet, aut inimicitiam ulciscitur, aut potestatem reveretur, is judicium dirigere non potest : cui in psalmo dicitur : *Si vere utique justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum.* (*Psal.* LVII, 2.) Judicium enim animi ejus qui erga æquum ac jus bene afficitur, rectitudo est inter judicandum. Unde et ipse in sequentibus prohibet, dicens : *Pondus magnum, et parvum, abominabilia apud Dominum* (*Prov.* XX, 10), in æqualitatem judicii per ponderum appellationem in proverbii modum adumbrans. Nec hoc solum judicantibus utile est ; sed idem confert etiam ad singulas res in vita seligendas. Cum enim habeamus in nobis judicium quoddam naturale, quo bona a malis secernimus, necesse nobis est, in iis quæ agenda sunt eligendis, recte quasque res discernere, et quasi ducem aliquem, qui æquabili ac justissimo animo de contrariis judicet, tum virtuti obsecundare, tum vitium condemnare. Exempli causa, scortatio et pudicitia apud te judicantur, et excelsa tua mens ejusmodi judicio sibi commisso præsidet ; atque, voluptate scortationi favente, timor Dei suppetias venit castimoniæ. Quod si, damnato peccato, victoriam pudicitiæ dederis, de re sententiam rectam tulisti : sin autem, ad voluptatem inclinans, præferendum esse peccatum pronunties, obliquum fecisti judicium, obnoxius factus exsecrationi ejus qui dixit : *Væ, qui dicitis amarum dulce et dulce amarum ; qui dicitis lucem tenebras, et tenebras lucem.* (*Isa.* V, 20.)

Quoniam igitur, juxta ipsum Salomonem *cogitationes justorum judicia sunt* (*Prov.* XII, 5), opera est sedulo danda, ut intus in abdito cogitationum foro recta de rebus judicia feramus, habeamusque mentem trutinæ similem, quæ citra inclinationem ullam agenda quæque appendat. Quando quodvis mandatum et oppositum ei vitium judicio tuo permittuntur, da victoriam legi Dei contra peccatum. Habendi appetentia major et æquitas judicantur? pronuntia adversus alienorum cupiditatem, da calculum potiorem virtuti. Dissident inter se convicium et lenitas? pudorem incute convitio, et antepone lenitatem. Odium et dilectio contendunt? illud ignominia affectum quam longissime ablegato, dilectionem vero honore decoratam tibi ipsi facito familiarem. Simulatio et simplicitas, fortitudo et timiditas, prudentia et stultitia, justitia et injustitia, pudicita et impudicita, et, ut brevi dicam, virtus quælibet cum quolibet vitio judicium subit? tunc igitur judiciorum rectitudinem ostendito in occulto animæ tuæ judicio præceptumque quasi assessorem adhibens tibi, odium in nequitiam tuum commonstrato, aversans peccata, virtutes præferens. Si enim facis ut singulis actionibus vincant apud te meliora, beatus eris in die illa, cum judicabit Dominus occulta hominum secundum Evangelium nostrum, cogitationibus inter se et accusantibus, aut et defendentibus (*Rom.* II, 15, 16), nec abibis condemnatus ob ullam ad mala inclinationem, sed justitiæ coronis honorabere quibus virtutem per omnem tuam vitam coronaveris. Quot bona conciliabit tibi Proverbiorum liber, qui docet et veram colere justitiam et judicium dirigere!

Idem, *Regulæ. brev. tract.*, t. II. —

Digitized by Google

Q. Quid sibi velit illud : Nolite judicare et non judicabimini ?

R. Cum Dominus aliquando dicat : *Nolite judicare, et non judicabimini* (*Luc.* VI, 37), aliquando vero justum judicium judicare præcipiat (*Joan.* VII, 24) ; non omne nobis interdicitur judicium, sed judicii discrimina edocemur. In quibus autem judicare oporteat, et in quibus non sit judicandum, clare ostendit nobis Apostolus ; qui de his quidem quæ in uniuscujusque potestate sita sunt, nec a Scriptura præscripta sic loquitur : *Tu autem qui judicas fratrem tuum ?* (*Rom.* XIV, 10.) Ac rursus : *Non ergo amplius invicem judicemus.* (*Ibid.*, 13.) De his vero quæ displicent Deo, ita scribit, condemnans eos qui non judicant, et suum ipsius judicium proferens in medium, his verbis : *Ego quidem ut absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens sum qui id ita operatus est : in nomine Domini nostri Jesu-Christi, congregatis vobis, et meo spiritu, cum virtute Domini Jesu, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu.* (*I Cor.* V, 3 seq.) Quare si quid in nostra potestate positum sit, aut etiam plerumque incertum sit, ob hoc non debet frater judicari, juxta id quod ab Apostolo de iis quæ ignorantur dictum est : *Itaque nolite ante tempus de aliquo judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* (*I Cor.* IV, 5.) At Dei judicia omnino necesse est vindicari : ut ne simul iræ Dei particeps fiat qui conticescit ; nisi si sit aliquis, qui quod eadem atque ille qui accusatur, perpetret, fratris judicandi libertatem non habeat, audiens Dominum dicentem : *Ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* (*Matth.* VII, 5.)

S. Greg. Nazianz., orat. 26. — Illud tibi impera ut fratrem non condemnes ; nec timiditati impietatis nomen imponas ; nec temere ac præcipiti judicio eum condemnes, aut salutem ejus pro desperata habens discedas, qui animi facilitatem ac morum suavitatem profiteris. Quin potius hic humilem te præbe, dum licet : hic nullo cum detrimento fratrem tibi antepone, ubi condemnare et contemnere, nihil aliud est, quam a Christo, ac sola spe ejicere, occultumque triticum, et quidem triticum fortasse te præstantius, una cum zizaniis exscindere. Hanc rationem tene, ut partim illum corrigas, idque leniter et humane, non ut hostis, nec ut durus et rigidus medicus, nec ut sectionibus tantum et ustionibus adversus morbum grassari sciens ; partim te ipsum ac tuam infirmitatem agnoscas. Quid enim si lippientibus oculis, aut alio quopiam morbo laborantibus, obscurum solem aspicias ? Quid si omnia sursum, deorsumque ferri ac verti putes, ipse nausea correptus, aut ebrietate captus, ignorantiamque tuam aliis attribuas ? Multum diuque ante versandus atque contorquendus est animus, multa ferenda, quam ut alium impietatis damnemus. Non idem est stirpem aut brevem quemdam et caducum florem evellere, atque hominem exscindere. Imago Dei es, et imaginem Dei alloqueris. Judicium subibis, qui judicas et quidem alienum servum judicas et quem alius moderatur. Sic fratrem tuum explora, quasi ipse ad eamdem mensuram exponendus.

Itaque ne cito ac temere membrum secas ac projicias, cum incertum sit an hac ratione partes quoque sanæ perniciem aliquam contracturæ sint ? Verum *argue increpa, obsecra.* Habes medicinæ regulam. Christi discipulus es, mitis ac benigni, et qui nostras infirmitates portavit. Si primum obluctetur leniter exspecta : si secundo ne spem abjicias ; nondum enim curationis tempus effluxit : si tertio, benignum illum et humanitate præditum agricolam imitare ; cum Domino adhuc age, ne inutilem et infructuosam ficum exscindat, atque odio habeat, verum emendet, et curet, ac stercus injiciat ; hoc est eam correctionem quæ per confessionem ac publicam ignominiam efficitur. Quis scit an mutabitur, ac fructum feret, Jesumque a Bethania redeuntem alet ? Tu qui spirituali illo unguento arte unguentaria confecto delibutus es, fraterni fetoris nonnihil perfer, sive verus sit fetor ille, sive ita tibi videatur, ut ipse vicissim boni tui odoris illi aliquid impertias.

S. Ambros., *Exposit. in psal.* CXVIII, t. I. — *Non possum a me facere quidquam.* (*Joan.* V, 30.) Bonus judex nihil ex arbitrio suo facit, et domesticæ proposito voluntatis ; sed juxta leges et jura pronuntiat, scitis juris optemperat, non indulget propriæ voluntati ; nihil paratum et meditatum domo defert : sed sicut audit, ita judicat ; et sicut se habet negotii natura, decernit. Obsequitur legibus, non adversatur : examinat causæ merita, non mutat.

Discite, judices sæculi, quem in judicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam sinceritatem. Dominus omnium dicit : *Non possum ego a me facere quidquam.* (*Joan.* V, 30.) Alibi lego : *Negare semetipsum non potest.* (*II Tim.* II, 13.) Non potest utique, non per infirmitatem, sed per integritatem ; non per impossibilitatem faciendi, sed per observantiam judicandi. Quid non potest, qui omnia potest, nisi quod posse nolit ? Non vult posse quod damnet, non vult posse adversus fidem, non vult posse adversus veritatem. Audi prostremo apud dicentem cur non possit a se facere quidquam : *Sicut audio*, inquit, *et judico* (*Joan.* V, 13), hoc est, non ex mea potestate decerno quod libitum, sed ex judicandi religione, quod justum est : et ideo judicium meum verum est ; quia non voluntati meæ indulgeo, sed æquitati. Audite quid judex dicat cœlestis. *Non possum a me facere quidquam : sed sicut audio et judico.*

Et Pilatus dicebat ad Dominum Jesum : *Potestatem habeo dimittendi te, et potestatem habeo crucifigendi te.* (*Joan.* XIX, 10.) Usurpas, o homo, potestatem quam non habes ; cum Deus neget se habere, qui habet super

Digitized by Google

omnia potestatem? Audi quid justitia dicat: *Non possum a me facere quidquam.* Audite quid judex iniquitatis loquatur: *Potestatem habeo dimittendi te, et potestatem habeo crucifigendi te.* Tua, Pilate, voce constringeris, tua damnaris sententia. Pro potestate igitur, non pro æquitate crucifigendum Dominum tradidisti; per potestatem absolvisti latronem, auctorem vero vitæ interfecisti. Sed nec istam a te habuisti, quam habere te asseris, potestatem. Denique dicit tibi Dominus Jesus: *Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi data tibi esset desuper.* (*Joan.* XIX, 11.) *Mala potestas* licere quod non liceat. Potestas ista tenebrarum est, verum non videre, sed spernere.

S. CHRYSOST., hom 65, al. 66, *in Matth.*, t. VII. — Cur, inquies, hic et ille hoc non faciunt? Ne condemnes alium; sed te ipsum accusationi subtrahe. Nam majus supplicium erit si cæteros accusaveris, cum ipse non facias; cum de aliis judicans, eidem crimini ipse obnoxius eris. Si enim ne probos quidem permittit de aliis judicare, multo minus peccantes. Ne itaque de aliis judicemus, ne ad segnes respiciamus; sed ad Dominum Jesum Christum, et inde exemplum sumamus. Num ego te beneficiis ornavi? Num ego te redemi ut ad me respicias? Alius est qui hæc tibi omnia largitus est. Cur, relicto Domino, ad conservum vertis oculos? Non audisti eum dicentem: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde?* (*Matth.* II, 29.) Ac rursum: *Qui vult in vobis primus esse, sit omnium minister* (*Matth.* XX, 26); et rursum: *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* (*Matth.* XXVII, 28.) Ac postea rursum ne offendens conservos pigros, in negligentia vivas, ab iis te abstrahens, ait: *Exemplum dedi vobis meipsum, ut sicut ego feci, et vos faciatis.* (*Joan.* XIII, 15.) Sed non est tibi magister ullus inter viventes, qui te possit ad eam rem deducere: major ergo tibi laus erit et gloria, quod sine doctore mirabilis evaseris: potest enim illud fieri, et quidem facile si velimus; ut probatur ex iis qui primi id perfecerunt, ut Noe, Abraham, Melchisedech, Job, aliique iis similes, quos operæ pretium est quotidie respicere; sed non eos quos semper æmulamini, et in cœtibus vestris circumfertis. Nihil enim aliud ubique audio, quam hæc verba: ille tot et tot jugera terræ possidet, ille dives est, ille ædificia construit. Cur ad externa inhias, o homo? Cur alios respicis? Si vis alios respicere probos viros considera, qui totam legem accurate servant: non autem eos qui illam violant et cum dedecore vivunt: nam si ad hos respicias, multa hinc hauries mala, in ignaviam et arrogantiam incides, cæterosque damnabis. Si vero probos recenseas, ad humilitatem, diligentiam, compunctionem, et sexcenta bona te apparabis.

Audi quid passus sit Pharisæus, quod, missis probis viris, ad peccantem respexerit. Audi et time. Vide quam admirabilis fuerit David, quod majores suos qui virtute fulserant respiceret: *Advena ego sum*, inquit, *et peregrinus, sicut omnes patres mei.* (*Psal.* XXXVIII, 13.) Nam et ille et quotquot ipsi similes erant, missis peccatoribus, virtute conspicuos viros cogitabant. Ita et tu facito. Non enim tu judex sedes alienorum facinorum, nec deputatus es ad examinanda aliorum peccata: de rebus tuis judicare, non de alienis jussus es. *Nam si nos ipsos judicaremus*, ait ille, *non utique judicaremur. Judicati autem a Domino erudimur.* (*I Cor.* II, 31.) Tu vero ordinem pervertisti, dum de peccatis tuis majoribus minoribusve nullam a te rationem exigis, aliorum vero peccata accurate exploras. Verum id ne ultra faciamus; sed, missa hac ordinis perturbatione, tribunal in nobis ipsis statuamus, ipsi delictorum nostrorum apud nos ipsos, accusatores, judices et ultores. Si vis autem aliorum gesta examinare, bona opera, non peccata explora, ut et ex memoria scelerum nostrorum, et ex æmulatione proborum, et ex incorrupti tribunalis præsentia, quotidie quasi stimulo conscientiæ puncti, et ad majorem nos humilitatem diligentiamque excitantes, futura consequamur bona.

S. AUGUST., *De civit. Dei*, lib. XXIX. — Ignorantia judicis plerumque est calamitas innocentis.

S. GREG., *Moral.*, l. I, c. 5. — Bene per Paulum dicitur: *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* (*I Cor.* IV, 5.) Quisquis enim in cogitatione a rectitudine exorbitat, in tenebris peccat. Nos ergo tanto minus debemus aliena corda audacter reprehendere, quanto scimus quia visu nostro non possumus alienæ cogitationis tenebras illustrare. Sed in hac re solerter intuendum est quanta pater severitate potuit filiorum opera corrigere, qui tanta sollicitudine studuit corda mundare. Quid ad hæc rectores fidelium dicunt, qui discipulorum suorum et aperta opera nesciunt? Quid in sua excusatione cogitant, qui in commissis sibi nec vulnera actionum curant?

Idem, *ibid.*, lib. XIX, cap. 14. — *Et causam quam nesciebam diligentissime investigabam.* Qua in re notandum video, ne ad proferendam sententiam unquam præcipites esse debeamus, ne temere indiscussa judicemus, ne quælibet mala audita nos moveant, ne passim dicta sine probatione credamus.

S. BERNARD., epist. 37, *ad Theobald. comit. Campan.* — Annon timetis quod scriptum est, quia *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis?* (*Matth.* VII, 2.) An nescitis quia quam facile vos Humbertum, tam facile, imo incomparabiliter facilius Deus Theobaldum (quod absit!) exhæredare possit? Et quidem in talibus ubi culpa tam aperta, atque inexcusabilis esse videtur; quatenus nisi cum justitiæ periculo, misericordiæ occasio relinquatur, etiam tunc tremens, et dolens, vindicem vos exhibere debetis, magis videlicet officii compulsus necessitate, quam vindicandi libidine. Ubi autem objectum crimen aut minus certum esse cognoscitur, aut ex-

Digitized by Google

cusandum suscipitur, hoc non solum non renuere, sed et libentissime debetis amplecti, lætus nimirum quod salva justitia, pietas vestra locum invenerit.

S. Bern., serm. 4, *circ. bapt. et verb. Domini ad Joan.* — Est autem justitia quædam stricta et angusta valde : ita ut quam cito pedem verteris, in peccati foveam cadas; nec præponere se æquali, nec æquare præposito. Hujus definitio est reddere unicuique quod suum est. Altera latior et amplior justitia, nec æquare se æquali, nec inferiori præponere : sicut enim grandis et gravis est superbia præferre se æquali, aut æquare præposito, ita magnæ humilitatis est, inferiorem se exhibere æquali, aut æqualem inferiori. Maxima et plena justitia est se inferiorem exhibere etiam inferiori. Sicut enim summa et intolerabilis superbia est superiori se præponere, ita inferiori se subdere summa et plena justitia est.

Idem, *ibid.* — Studeamus et nos, obsecro, fratres, adimplere omnem justitiam; ipsa enim est via per quam ad lætitiam venitur : nam lætitia præmium est, justitia vero meritum et materia. Nam de ipsa justitia lætitia nostra erit, quando Christus apparebit, vita nostra; et nos apparebimus cum ipso in gloria, quoniam ipse est qui factus est nobis a Deo patre justitia. Beati vero qui etiam nunc de justitia lætantur, et exhilarantur in conscientiis suis, sugentes mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Nunc autem videtur laboriosa justitia; sed veniet quando in suavitate et jucunditate sine omni labore desideretur, et habeatur, et ametur, et percipiatur, quando fruemur ipsa justitia.

Petr. Bles. — Officium officialium est hodie jura confundere, lites suscitare, transactiones rescindere, dilationes innectere, supprimere veritatem, fovere mendacium, quæstum sequi, æquitatem vendere, inhiare actionibus, versutias concinnare.

JUVENTUS

[Ex SS. Patribus.]

S. Clement, *Recogn.*, lib. x, tom I. — Incertum est etiam juvenibus vitæ tempus; senibus autem, jam nec incertum est : non enim dubitatur quin quantuncunque est quod putatur superesse, breve sit. Et ideo tam juvenes quam senes oportet de conversione, et pœnitentia valde esse sollicitos, et satagere ut de reliquo ornent animam suam ornamentis dignissimis, id est, dogmatibus veritatis, decore pudicitiæ, splendore justitiæ, candore pietatis, aliisque omnibus quibus comptam decet esse rationalem mentem : tum præterea declinare a consortiis inhonestis et infidelibus, et societates habere fidelium; atque illos frequentare conventus, in quibus de pudicitia de justitia, de pietate tractatur, orare semper Deum ex corde, et ab ipso petere quæ decet a Deo posci; ipsi gratias agere, veram pœnitudinem gerere præteritorum gestorum.

Origen., *in Gen.*, t. II. — *Non morietur omnis caro amplius.* (*Gen.* IX, 11.) Promittit non amplius generale a se immissum iri diluvium, si cogitatio hominum a juventute proclivis ad mala, non amplius ita se habuerit omnibus diebus, quemadmodum ante diluvium. Brevem enim quamdam veniam juvenibus impertitur ob facile labilem. Quapropter *non Adam amplius*, inquit, *maledicere terræ propter opera hominum, quoniam proclivis est cogitatio hominis assidue ad mala a juventute.* (*Gen.* VIII, 21.) Hoc est, prævidi juventutem posterorum facile labilem fore. Ne ergo timueritis. Propterea enim non amplius inducam vobis generalem interitum.

S. Hilar., *Tract. in psal.* CXVIII, tom. I. — Prævent in maturitate, et clamavi, et in verba tua semper speravi. (*Psal.* CXVIII, 147.) Non exspectavit infirmam ad vitia senectutem, neque defervescentibus longo usu luxuriæ æstibus frigidæ ætatis tempus elegit; sed maturitatem omnem fide et religione prævenit, vincens per continentiam juventutem, et comprimens lascivientes annos, senectutis maturitatem modestæ et castæ adolescentiæ tranquillitate præveniens.

S. Cyril. Hierosol., catéches. 16. — Nonne plerumque adolescens speciosam formam conspiciens oculos compressit, et videre declinavit, et inquinamentum effugit? Unde illud factum rogas? Spiritus sanctus adolescentis mentem edocuit.

S. Basil., serm. *De legend. lib. gentil.*, t. II. — Nos adolescentes, humanam hanc vitam nihil omnino esse arbitramur, nec qui iquam bonum omnino putamus, aut nominamus, quod utilitatis nobis aliquid solum in hoc ævo afferat. Non avorum splendorem, non viros corporis, non pulchritudinem, non magnitudinem, non honores delatos ab omnibus hominibus, non regnum ipsum, non quidquid humanum dici potest, magnum nobis videtur, imo ne votis quidem dignum censemus, neque habentes respicimus; sed spe procedimus longius et ad alteram vitam comparandam facimus omnia. Quæ igitur prodesse nobis possunt ad illam acquirandam, ea et amplecti, et totis viribus prosequi oportere dicimus, quæ vero ad eam non attinent, veluti pretii nullius digna contemnere.

Idem, hom. in illud. *Attende tibi ipsi.* (*Deut.* XV, 9.) — Deficiet me dies, si narrare pergam tum studia eorum qui Evangelio Christi operam dant, tum vim præceptı, videlicet quam conveniat omnibus. *Attende tibi ipsi.* Sobrius esto, utere consiliis, præsentium custos, futuri provisor. Quod jam præsens est, præ segnitie ne amitte, neque eorum, quæ non sunt, nec forte futura sunt, quasi jam in manibus sint, tibi pro-

Digitized by Google

mitte possessionem. Nonne hic morbus natura insitus est adolescentibus, ut ob mentis levitatem habere se jam putent sperata? Nam si quando otium nacti fuerint, aut quietem nocturnam, imagines quasdam rerum non subsistentium sibi ipsi animo fingunt, et præ mentis instabilitate feruntur in omnia, pollicentes sibi splendorem vitæ, nuptias illustres, numerosam ac faustam sobolem, longævam senectutem, deferendos ab omnibus honores. Deinde cum nulla in re possint spes suas sistere, ad ea quæ inter homines maxima sunt, nimio animi tumore rapiuntur. Domos pulchras comparant et amplas, quas pretiosa ac omnigena supellectile replent: tantum adjiciunt terræ in circuitu, quantum vana eorum cogitatione a toto terrarum orbe rescissum est. Rursus provenientes illinc reditus in vanitatis horreis includunt. His addunt pecora, innumeram servorum turmam, magistratus civiles, principatus gentium imperia militaria, bellica trophæa, denique regnum ipsum. Hæc omnia ubi inanibus animi commentis recensuere, sibi præ nimia stoliditate videntur speratis velut jam præsentibus et sibi ante pedes positis frui. Propria hæc est otiosi ac socordis animi ægritudo in vigili corpore insomnia cernere. Hanc itaque mentis laxitatem et cogitationum tumorem comprimens Scriptura, et velut freno quodam mentis inconstantiam arcens, magnum hoc ac sapiens præceptum annuntiat. *Tibi ipsi*, inquit, *attende*, nequaquam promittens tibi quæ non existunt, sed præsentia ad utilitatem tuam dirigens.

S. Ambros., *Exposit. in psal.* cxviii, tom. I. — Nisi omnem viam iniquitatis oderis, non potes in omnibus præceptis Dei corrigi. Potest enim fieri ut aliquis se temperet a crudelitatis horrore; lubrico tamen deceptus amore meretricis, et semitas incontinentiæ juvenilis ingressus, impressum semel non queat revocare vestigium. Multos enim vitia blandiora decipiunt, et contra avertit a se plurimos tristis et nimium severa crudelitas. Sed juventus ad amorem liberior, ad lapsum incautior, ad infirmitatem fragilior, ad correctionem durior est.

Sciat se juvenior, ut corrigat viam suam. Sed dicis: Quis potest cognoscere viam juvenior, ut corrigat, cum Propheta dicat: *Tria sunt impossibilia mihi intelligere, et quartum quod non agnosco: vestigia aquilæ volantis, viam serpentis in petra, et semitas navis navigantis, et vias viri in juventute?* (*Prov.* xxx, 18, 19.) Si Salomon fatetur quod non agnoscat vias viri in juventute; quomodo potest juvenior cognoscere? Cui respondebitur quod illæ viæ viri in juventute non cognoscantur; quæ sunt secus vias serpentis in petra, et secus semitas navis fluctuantis, et vestigia volantis aquilæ, quæ ungues asperos habet, prædam includit, et supra nubes volat, in aere errat, in mari piscem interficit; et tamen non est impossibile hoc quartum, sicut illa tria; cognoscit enim Dominus qui sunt ipsius, et vult ut sciat se unusquisque, sciat se populus Dei. Sed esto non cognoscantur errantium viæ, sicut dicit Dominus: *Non novi vos, discedite a me, operarii iniquitatis.* (*Luc.* xiii, 27.) Hic autem juvenior qui potest corrigere viam suam, fortasse juvenior sit ætate, non moribus; et habeat in primo flore juventutis suæ senilem intellectum, de quo ait: *Canities autem est intellectus hominibus* (*Sap.* iv, 8), quibus maturitas consilii, gravitasque suppetit. Unde in Jeremia dicitur: *Noli dicere quia juvenis sum.* (*Jerem.* i, 8.) Et utique erat ætate juvenis; sed prohibet eum se juvenem dicere, qui esset maturioris prudentiæ. — Nunc illud advertamus, si possibile est ut corrigat juvenior viam suam, an non? Si non est, ergo mentitur propheta: sed quia non mentitur, possibile est. Ita tamen possibile ut quod impossibile videtur, fiat possibile, si custodiat junior verba Dei; si autem non custodiat, impossibile.

S. Chrysost., hom. 4 *in Epist. ad Titum*, cap. ii, tom. XI. — *Juvenes similiter hortare, ut sobrii sint.* (*Tit.* ii, 7.) Vide quomodo ubique moneat ut decorum servetur. Nam docendas mulieres mulieribus magna ex parte permisit, cum anus adolescentioribus præfecit, virorum autem institutionem ipsi Tito commendat. Nihil enim, nihil ita difficile est et grave in hac juvenili ætate, quam absurdas voluptates superare. Neque enim pecuniarum cupiditas, neque gloriæ desiderium, neque aliud quidpiam, ita hanc ætatem exagitat, ut corporum amor. Ideo missis aliis omnibus, circa illud lethale vulnus admonitionem instituit.

Idem, hom. 3, al. 2, *in Joan.*, t. VIII. — Verum cum ad theatra filios adducitis, neque disciplinas, neque aliud quidpiam obtenditis; si vero quidpiam spiritualis lucri sit colligendum, vocationem illud esse dicitis. Et quomodo iram Dei non provocabitis, dum cæteris omnibus suo tempore operam dantes, divinis operam dare molestum et importunum filiis existimatis? Ne ita, ne ita, fratres mei, agatis. Etenim hæc maxime ætas ista eget disciplina: tenera enim cum sit, cito illa quæ dicuntur imbibit, doctrinaque ibi ceu sigillum in cera imprimitur. Alioquin autem hac primæva ætate, vel ad vitium vel ad virtutem declinatur. Si quis igitur a principio, et quasi a vestibulo illos a vitiis abduxerit, et ad optimam viam direxerit, ceu in quemdam habitum, et rectam vitæ rationem eos constituet: neque sponte sua facile ad malum declinabunt, consuetudine illos ad bona opera trahente. Ita nobis vel ipsis senibus venerabiliores erunt, et urbanis negotiis gerendis aptiores, dum in juventute senilem ætatem exprimunt.

Idem, hom. 50, al. 51, *in Matth.*, tom. VII. — Adolescentia neglecta similis est incultæ terræ, quæ multas undique spinas gignit.

Hieronym., *Commentar. in Ecclesiast.*, tom. II. — Tam cogitationes malas, quam libidines fugiat (juvenis), sciens stultitiam adolescentiæ copulatam, recordeturque semper cordis sui.

Digitized by Google

S. Gregor. Magn., *Regula pastoralis*, part. III, tom. II. — Aliter admonendi sunt juvenes, atque aliter senes ; quin illos plerumque severitas admonitionis ad profectum dirigit ; istos vero ad meliora opera deprecatio blanda componit. Scriptum quippe est : *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* (*I Tim.* v, 1.)

S. Bernard., serm. 86 *in Cantic.*, t, I. — Adverte sponsæ verecundiam, qua nescio an quidquam gratius adverti in moribus hominum queat. Hanc primo omnium libet quodam modo in manibus sumere, et quasi speciosum quemdam florem decerpere loco, nostrisque apponere adolescentibus. Non quia non sit et in provectiore ætate omni studio retinenda, quæ est certe omnium ornatus ætatum ; sed quod teneræ gratia verecundiæ in teneriori ætate amplius, pulchriusque eniteat. Quid amabilius verecundo adolescente ? quam pulchra hæc, et quam splendida gemma morum in vita et vultu adolescentis ! quam vera et minime dubia bonæ nuntia spei, bonæ indolis index ! Virga disciplinæ est illi, quæ pudendis affectibus imminens, lubricæ ætatis motus, actusque leves coerceat, comprimat insolentes. Quid ita turpiloquii, et omnis deinceps turpitudinis fugitans ? Soror continentiæ est, Nullum æque manifestum indicium columbinæ simplicitatis ; et ideo etiam testis innocentiæ. Lampas est pudicæ mentis jugiter lucens, ut nil in ea turpe vel indecorum residere attentes, quod non illa illico prodat. Ita expunctrix malorum, et propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ est, famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, et insigne totius honesti. Rubor ipse genarum, quem forte invexerit pudor, quantum gratiæ et decoris suffuso afferre vultui solet !

Idem, *Tractat. de conscientia*, tom. II. — Laudabilis virtus, verecundia ! quæ cum sit omnibus ætatibus, personis, temporibus et locis apta, tamen adolescentes et juveniles animos maxime decet. Tres enim virtutes sunt quæ pueris adolescentibus magis congruunt, verecundia, taciturnitas, et obedientia. Non est autem dubium si has studuerint habere, quin possint, Christo duce, ad culmen perfectionemque virtutum ascendere.

L

LABOR

Vid. verb. Artifex, studium.

LAUDATIO DEI

[Ex SS. Patribus.]

S. Chrysost., *in Psalmos.* — Laus seu laudatio est divinorum miraculorum commendatio. Laus enim nihil aliud est, quam ejus quod laudatur, amplificatio. Canticum autem, numerosa quæ sit per os cum verbis elocutio. Hymnus vero, quæ pro nobis, quæ nobis adsunt, Deo affertur bonorum verborum conceptio.

Idem, *in psal.* xlix. — Hoc enim Deo maxime convenit, nempe sacrificium gratiarum actionis, et sacrorum hymnorum et ejus quæ sit per recte facta glorificationis.

Idem, *in psal.* xciv, 2. — Gratias tibi agant, laudes emittant, et quibus sermonis decus datum est, et quæ voce carent, ita factum est, ut per suam naturam benedictionem emittant, quamvis muta sint per homines qui ea vident et iis fruuntur. Et illa quidem per suam substantiam, homines autem per vitæ suæ institutionem, et per actionem.

Idem, *in psal.* cxliv. — Turpe enim fuerit ut homo qui est compos rationis, et omnibus quæ videntur præstantior, sit creatura in Dei laudibus inferior ; non solum autem turpe, verum etiam absurdum. Quando autem non absurdum ? Si quidem ipsa quotidie atque adeo singulis horis emittit Domino glorificationem.

Idem, hom. 27 *in Gen.* — Cogita, obsecro, dilecte, quanta sit virtutis magnitudo, et disce vel ex præmiis, quæ propter illam universis Dominus promisit.

S. Augustin. — Non tantum dixit, *ut videant bona opera vestra*, sed addidit, *et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* v, 16), ut hoc ipsum, quod homo per bona opera placet hominibus, non ibi finem constituat, ut hominibus placeat, sed referat hoc ad laudandum Dei, et propterea placeat hominibus, ut in illo glorificetur Deus.

Idem. — Confessio quidem duobus modis accipitur in Scripturis. Est confessio laudantis, et est confessio gementis. Confessio laudantis ad honorem pertinet ejus qui laudatur. Confessio gementis ad pœnitentiam pertinet ejus qui confitetur. Confitentur, enim homines, cum laudant Deum ; confitentur cum accusant se, nihil dignius facit lingua.

Idem. — Non sic petitur, quasi non sit sanctum nomen Dei, sed ut sanctum habeatur ab omnibus, id est, ita illis innotescat Deus, ut non existiment aliquid sanctius, quod magis offendere timeant.

Idem, *in psal.* lxviii. — Magnæ divitiæ, quas gemmas laudis Dei thesauro interiore protulit ! Magnificabo eum in laude, hæc sunt divitiæ meæ. *Dominus dedit, Dominus abstulit.* (*Job* i, 21.) Ergo miser remansit ? absit ! vide divitias. *Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* (*Ibid.*) Et placebit quod eum

Digitized by Google

laudabo super vitulum? Gratius illi erit sacrificium laudis, quam sacrificium vituli. Amplius ergo placebit Deo laus ejus exiens de ore meo quam magna victima adducta ad aram.

Idem, *in psalm.* LXXII. — Hymni laudes sunt Dei cum cantico. Si sit laus, et non sit Dei, non est hymnus. Oportet ergo ut si sit hymnus, habeat hæc tria, et laudem, et Dei et canticum.

LEX

[Ex SS. Patribus.]

Constitut. Apostol., lib. VI, tom. I. — Deum per Jesum Christum cognovistis, omnemque ejus dispensationem a principio factam, quemadmodum simplicem legem dederit in subsidium legis naturalis, puram, salutarem, sanctam, in qua et nomen proprium reposuerit, perfectam, nullo præditam defectu, per decem illa mandata plenam, immaculatam, animas convertentem; cujus quidem oblitos Hebræos commonefacit per Malachiam prophetam dicens : *Mementote legis Moysi, hominis Dei, qui mandavit vobis præcepta et justificationes.* (*Mal.* IV, 4.) Quæ adeo sancta est ac justa, ut cum Salvator aliquando unum leprosum curasset, et rursus novem alios, dixerit primo : *Abi, ostende te summo sacerdoti, et offer munus quod præcepit Moyses, in testimonium illis* (*Matth.* VIII, 4); novem autem illis iterum : *ite, ostendite vos sacerdotibus.* (*Luc.* XVII, 14.) Non enim solvit legem, ut Simon arbitratur, sed adimpleyit; ait enim : *Iota unum, aut unus apex non preteribit a lege, donec omnia fiant. Non* enim, inquit, *veni solvere legem, sed adimplere.* (*Matth.* V, 18, 17.) Quandoquidem Moyses, legislator simul et pontifex, et propheta, ac rex, atque Elias ille prophetarum zelotes, adfuerunt transfigurationi Domini in monte, testes incarnationis ac passionum illius, tanquam amici et familiares Christi, non autem tanquam hostes et alieni. Ex quibus rebus palam fit, legem bonam esse et sanctam, atque etiam prophetas.

TERTUL, *De corona militum.* — Ratio legem commandat.

LACTANT., lib. IV *Instit. divin.* — Quicunque dat præcepta hominibus, ad vitam moresque fingit. Aliorum si quidem bona sunt quæ præcepit : at ipsi eodem modo vivendum est, quo docet esse vivendum. Si aliter ille vixerit, præceptis suis fidem detrahat, levioremque doctrinam suam faciat, si re ipsa resolvat quod verbis nitatur adstringere. Cum igitur quis non faciat quæ præcepit, quæ insolentia est ut homini libero imponere velit leges, quibus ipse non pareat? Homines enim malunt exempla quam verba : quia loqui facile est, præstare difficile.

Idem, *ibid.*, lib. VI. — Suscipienda lex Dei est, quæ nos ad hoc iter summumque bonum dirigat, illa scilicet lex sancta, illa cœlestis quam M. Tullius, in libro *De republica* tertio, pene divina voce depinxit in hæc verba : Est quidem vera lex, recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna. quæ vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat; quæ tamen neque probos frustra jubet, aut vetat, nec improbos jubendo, aut vetando movet. Huic legi nec prorogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, nec tota abrogari potest; nec vero aut per senatum, aut per populum solvi hac lege possumus : nec est quærendus explanator, aut interpres alius; non erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia post hæc, sed et omnes gentes, et omni tempore una lex, et sempiterna, et immutabilis continebit, unusquisque erit communis quasi magister, et imperator omnium Deus; ille legis hujus inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur; hoc ipso luet maximas pœnas, etiam si cætera supplicia, quæ putantur, effugerit.

Idem, *De ira Dei.* — Leges conscientiam punire non possunt.

S. BASIL. — Patrum instituta non temere deserenda

S. AMBROS., I *De Abraham.* — Lex naturæ major est quam legum præscriptio.

S. CHRYSOST., *Hom. super Matth.* — Legis exercitia corrigunt animam.

Idem, serm. 12 *super Epist. ad Rom.* — Sine lege naturæ nullus unquam hominum vixit.

Idem, hom. 7 *super Epist. ad Corinth.* — Lex ostendit peccatum.

Idem, *super Epist. ad Galatas.* — Lex freni vice imposita est.

S. HIERON., *Ad Damas.* — Lex iram, Evangelium gratiam nuntiat.

S. AUGUST., *Ad Macedonium.* — Non frustra jam instituta potestas regis, et cognitoris jus. Ungulæ carnificis, arma militis, disciplina dominantis, severitas etiam boni patris, habent omnia ista suos modos, suas causas, rationes, utilitates : hæc cum timentur, et mali coercentur, et boni quiete inter malos vivunt.

Idem, *De vera religione.* — In istis temporalibus legibus, quanquam his homines judicent cum eas instituunt : tamen cum fuerint institutæ et firmatæ, non licebit judici de his judicare, sed secundum ipsas. Leges instituuntur, cum promulgantur : firmantur, moribus utentium approbantur. Sicut enim moribus utentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ sunt, ita moribus utentium ipsæ leges confirmantur.

Idem, *De spiritu et littera.* — Quod imperatorum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat.

Idem, lib. I *De lib. arbitr.* — Leges multa concedunt, quæ divina Providentia puniuntur.

Idem, lib. III *contra Cresc.* — Legibus malis boni probantur; boni mali emendantur.

Digitized by Google

S. Aug., epist. 54. — Metu legum coercenda vitia.

Idem, *epist. ad Cas.* — In his rebus, in quibus nil statuit certum divina Scriptura mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt; et sicut prævaricatores legum divinarum, ita contemptores consuetudinum ecclesiasticarum coercendi sunt.

Idem, *ad Simpl.*, Quæst 1. — Præceptum idem, amantibus gratia, et timentibus lex est.

S. Gregor., *Moral.* xix. — Qui divina præcepta metuunt, Dei tabernacula fiunt.

Idem, epist. 95. — Veteris et novæ legis varietas ad sapientiam Dei referenda est.

Idem, *Moral.* xxvi. — Laborem legis Christus mutavit in libertatem.

S. Isid., *Etymol.*, lib. II.— Facta sunt leges, ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, et in ipsis improbis reformidato supplicio refrenetur audacia et nocendi facultas. Erit autem lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, et secundum consuetudinem patriæ, loco temporique conveniens, necessaria et utilis : manifesta quoque ne aliquid per obscuritatem incautum captione contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta. Ideo in ipsa constitutione ista consideranda sunt, quia cum leges institutæ fuerint, non erit liberum judicare de ipsis, sed oportebit judicare secundum ipsas.

Idem, *ibid.* — Moyses gentis Hebrææ primus omnium divinas leges sacris litteris explicavit. Phoronæus ex Græcis primus leges judiciaque constituit. Mercurius Trismegistus primus leges Ægyptiis tradidit. Solon equidem primus leges Atheniensibus edidit. Lycurgus Lacedæmoniis jura ex Apollinis auctoritate confinxit. Numa Pompilius qui Romulo successit in regno, primus Romanas leges edidit. Deinde cum populus seditiosus magistratus ferre non posset, decemviros legibus scribendis creavit qui leges ex libris posuerunt.

I. *Lex naturalis.*

S. Justinus, *Dial. cum Tryphone*, cap. 93. — Nam quæ semper et ubique justa sunt, et totam justitiam in omni hominum genere exhibent. Nec ullum est genus quod ignoret adulterium esse malum, et fornicationem, et quæcunque alia similia; quod quidem etsi omnes faciunt, non tamen assequatur ut, cum ea faciunt, inique a se fieri ignorent, iis exceptis quicumque impuro spiritu pleni, vel prava institutione, e malis moribus ac nefariis legibus corrupti, naturales notiones omiserunt, vel potius extimuerunt, aut inhibitæ tenent. Videre enim est etiam ejusmodi homines eadem pati nolle quæ ipsi alius faciunt, ac sibi invicem inimica conscientia exprobrare quæ perpetrant.

Origenes, *in Luc.*, homil. 85. — Nisi esset nobis natura insitum id quod justum est judicandi, nunquam Salvator diceret : Quare autem et a vobismetipsis, non quod justum est judicatis?

Idem, *Epist. ad Rom.*, lib. III, n. 6. — Hæc vero lex naturalis loquitur omnibus qui in lege sunt; ex cujus præceptis soli mihi immunes fieri videntur infantes, quibus nundum inest pravi rectique judicium. Sed si his etiam illi sociandi sunt, qui quacunque ex causa impotentes sunt mentis, videtur, exceptis vero his, nullus hominum mihi effugere videtur hanc legem.

Idem, *in Num.*, hom. 12, n. 3.— Hoc est enim quod et de quibusdam dicitur : Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Quis autem scripsit in cordibus eorum, nisi Deus, digito suo? Legem utique naturalem quam Deus humano generi, et in cunctorum mentibus scripsit

S. Basil., *Hexam.*, hom. 9, n. 6, et hom. 7. — Haud excusari poterimus quod ea quæ conducibilia sunt litteris non sumus edocti : quandoquidem id quod utile est per legem naturæ, citra doctrinam nobis eligere licet. Scis quid a te boni sit præstandum, primo quod tibi ipsi ab altero vis fieri; nostri quid sit malum, quod ipse nobis ab alio pati.

S. Chrysostom., *Ad pop. Ant.*, hom. 12, n. 3. — Ab initio Deus hominem formans, legem ipsi naturalem indidit : et quid tandem est lex naturalis? Conscientiam nobis expressit; et a natura inditam esse voluit bonorum et contrariorum scientiam : Non enim opus habemus discere quod malum sit fornicatio, et bonum continentia : sed ab initio hoc scimus.

Idem., *Ad pop. Antioch.* epist. 73, n. 5. — Quid est tandem quod dicunt : non est nobis per se lex in conscientia posita, nec eam naturæ Deus inseruit? Unde, igitur, unde, inquam, de nuptiis, de cædibus, de testamentis, de depositis, de proximis non opprimendis, de infinitis aliis, leges apud eos conscripserunt legislatores? Hi quippe præsentes forte a majoribus natu didicerunt; et illi a prioribus; et rursum a prioribus isti. Quia vero ab initio et primi apud eos leges tulerunt, a quo didicerunt? annon utique a conscientia? Nec enim dicere possent quod cum Mose fuerint, quod prophetas audierint. Quomodo enim qui gentiles erant? Sed patet eos a lege quam hominem fingens Deus ab initio ipsi posuit, ab hac et leges posuisse suas.

Idem, *in Epist. ad Romanos*, hom. 12, n. 6. — Neque enim Adam, neque quivis homo, unquam videtur sine naturali lege vixisse : ubi enim illum efformavit Deus, ipsi legem indidit, contubernalem illam faciens universæ naturæ... Nam et barbari et Græci, et omnes homines, legem hanc habent.

Theodoretus, *Interpr. in psal.* xxii.—Tres species divinarum legum a beato Paulo didicimus. Nam unam quidem sine litteris ait, per creationem et naturam, hominibus datam.—Ostendit legem naturæ cordibus inscriptam, et ad conscientiæ, tum accusationem tum defensionem veritate ornatam.

Digitized by Google

S. Cyrillus Alexandrin., *Comment. in Joan.* — Gravis enim res et in unaquaque conscientia, soletque turbare animos, et ingentes metus incutere, cum aliquid impii quandoque aggredimur.

S. Ambrosius, *De Fuga sæc.*, cap. 3, n. 13. — Lex autem gemina est: naturalis et scripta: naturalis in corde, scripta in tabulis. Omnes ergo sub lege, sed naturali.

Idem, *ibid.*, n. 15. — Primum natura ipsa boni operis magistra est. Scis non furandum; et servum tuum, si furtum fecerit, verberas. Si quis ad uxorem tuam affectaverit, persequendum putas. Quod ergo in aliis reprehendis, ipse committis; qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non adulterandum, adulteras.

Idem, *De off. minist.*, lib. III, cap. 4, n. 25. — Liquet igitur id spectandum et tenendum omnibus, quod eadem singulorum sit utilitas, sit quæ universorum; nihilque judicandum utile, nisi quod in commune prosit. Quomodo enim potest uni prodesse quod inutile sit omnibus? Nocet. Mihi certo non videtur qui inutilis est omnibus, sibi utilis esse posse: etenim si una lex naturæ omnibus, una utique utilitas universorum. Ad consulendum ubique omnibus naturæ lege constringimur.

S. Ambrosius, *Enar. in psal.* XXXVI, n. 69. — In corde justi lex Dei est. Quæ lex? non scripta, sed naturalis.

Idem, *ibid.* — Est igitur lex quod non scribitur, sed innascitur; non aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur, et humanis ingeniis hauritur; quam debuimus vel futuri judicii metu servare. Cujus testis conscientia, nostris tacitis cogitationibus, apud Deum ipsa se prodit; quibus vel redarguitur improbitas, vel defenditur innocentia.

S. Hieronymus, *Comment. in Jerem*, lib. II, cap. 5. — Simulque det intelligentiam, quod etiam absque præcepto, naturali sensu debeamus intelligere quæ recta sunt.

Idem, *Comment in Epist ad Galat.*, lib. I, cap. 1.—Ex quo potissimum fit natura omnibus Dei inesse notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, et non habere in se semina sapientiæ et justitiæ, reliquarumque virtutum. Unde multi absque fide et Evangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sancte, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant.

Idem, *epist. ad Algasiam*, quæst. 8. — Hanc legem nescit pueritia, ignorat infantia, et peccans absque mandato, non tenetur lege peccati. Maledicit patri et matri, et parentes verberat; et quia necdum accepit legem sapientiæ, mortuum est in eo peccatum. Cum autem mandatum venerit; hoc est tempus intelligentiæ appetentis bona et vetantis mala, tunc incipit peccatum reviviscere.

Idem, *ibid.* — Quis enim ignorat homicidium, adulterium, furtum et omnem concupiscentiam esse malum, ex eo quod sibi ea nolit geri? Si enim mala esse nesciat, nequaquam doleret sibi esse illata.

S. Augustinus, *Confess.*, lib. XI, cap. 4, n. 9.— Furtum certe punit lex tua, Domine, et lex scripta in cordibus hominum; quam nec ipsa delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur?

Idem, *De vera relig.* cap. 31, n. 58.— Conditor tamen legum temporalium, si vir bonus est et sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ judicare datum est; ut, secundum ejus immutabiles regulas, quid sit pro tempore jubendum vetandumque discernat. Æternam igitur legem mundis animis fas est cognoscere, judicare non fas est.

Idem, *De civit. Dei*, lib. XI, cap. 27, n. 141. — Habemus enim alium interioris hominis sensum isto longe præstantiorem, quo justa et injusta sensimus; justa per intelligibilem speciem, injusta per ejus privationem. Ad hujus sensus officium, non acies pupillæ, non foramen auriculæ, non spiramenta narium, non gustus faucium, non ullus corporeus tactus accedit. Ibi me et esse, et hoc nosse certus sum; et hæc amo, atque amare me certus sum.

Idem, *ibid.*, lib. XIX, cap. 21.— Quod autem jure fit, juste fit, quod autem fit injuste, nec jure fieri potest. Non enim jura putanda sunt vel dicenda iniqua hominum constituta; cum etiam ipsi jus esse dicant quod de justitiæ fonte manaverit.

Idem, *Contra Faustum*, lib. XI, cap. 27. — Lex vera æterna est ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.

Idem, *De lib. arb.*, l. I, cap. 6, n. 15. — Quid illa lex, quæ summa ratio nominatur, cui semper obtemperandum est, et per quam mali miseram, boni beatam vitam merentur; per quam denique illa quam temporalem vocandam discimus, recte fertur, recteque mutatur? Potestne cuipiam intelligenti non incommutabilis æternaque videri?

S. Gregorius Mag., lib. XXVII, cap. 25, n. 48.— Creator namque omnipotens a cunctis insensibilibus irrationalibusque, distinctam rationabilem creaturam hominum condidit, quatenus quod egerit, ignorare non possit. Naturæ enim lege scire compellitur, seu pravum seu rectum sit, quod operatur.

S. Thomas, 1-2, quæst. 83, art. 1. — Ratio divinæ sapientiæ moventis omnia ad debitam finem, obtinet rationem legis, et secundum hoc lex æterna nihil aliud est quam ratio divinæ sapientiæ, in quantum est directiva omnium actionum ac motionum.

II. *Lex Evangelica.*

Tertull.— Ad naturam obsequii, prior est voluntas imperantis quam utilitas obsequentis.

S. Cyprian., *prolog. de orat. Dom.* — Evangelica præcepta nihil sunt aliud quam magisteria divina, fundamenta ædificandæ fidei, firmamenta corroborandæ fidei, nutrimenta fovendi cordis, gubernacula diri-

Digitized by Google

gendi itineris, præsidia obtinendæ salutis.

S. Basil., *Reg. brevi.* — Non præcepisset hoc qui bonus et justus est, nisi etiam facultatem qua id faceremus fuisset largitus.

S. Aug., *in psal.* lxxiii. — Deus utriusque testamenti voluit esse auctorem, ut et terrena promitteret in veteri, et cœlestia in novo.

Idem, *in psal.* cxviii. — Tu, Deus mens, in corde legem posuisti mihi, spiritu tuo tanquam digito tuo, ut eam non tanquam servus sine amore metuerem, sed casto timore diligerem, et dilectione casta timerem.

Idem, *ibid.* — Quanto legis major in quocunque cognitio, tanto manifestior prævaricatio.

Idem, *De Nat. et Gratia*, xxvi, cap. 435. — Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis.

D. Chrysost., hom. 8 *ad pop. Antioh.* — Deus jussit, et audes interrogare si legem implere est possibile.

S. Leo, serm. 16, *de pass. Dom.* — Juste enim nobis instat præcepto qui præcurrit auxilio.

S. Gregor., lib. v *in Reg.* — Gravia mandata non sunt electis, quia dum æternæ vitæ gloriam magno desiderio appetunt, præcepta evangelica gratanter ferunt.

Idem, lib. xxii *Moral.*, c. 5. — Timenti adhuc populo, lex est transmissa per servum : diligentibus filiis Evangelii gratia collata est per Dominum.

[Ex conciliis.]

I. *Lex divina, mandata Dei.*

Canones concilii Arausicani ii *an.* 529 *contra semipelagianos, confirmati a Bonifacio II.* — Nemo ex eo quod videtur habere, glorietur tanquam non acceperit, aut ideo se putet accepisse, quia littera extrinsecus vel ut legeretur, apparuit, vel ut audiretur sonuit. Nam sicut Apostolus dicit : *Si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est.* (*Galat.* ii, 21.) Porro autem si non gratis mortuus est, ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Inde habet, quicunque habet. Quisquis autem inde se habere negat, aut vere non habet, aut id quod habet, auferetur ab eo.

Ibid. — Sicut eis qui volentes in lege justificari, et a gratia exciderunt, verissime dicit Apostolus : *Si ex lege justitia est, ergo Christus gratis mortuus est ;* sic et his qui gratiam, quam commendat et præcipit fides Christi, putant esse naturam, verissime dicitur : *Si ex natura justitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Jam hic enim erat lex, et non justificabat ; jam hic erat et natura, et non justificabat ; ideo Christus non gratis mortuus est, ut et lex per illum impleretur, qui dixit : *Non veni legem solvere, sed adimplere* (*Matth.* v, 17), et ut natura per Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit, venisse se quærere et salvare quod perierat.

Conc. Trid., can. 18. — Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.

Concil. Trident. Decretum de justificatione, cap. *De naturæ et legis ad justificandos homines imbecillitate.* — Primum declarat sancta synodus ad justificationis doctrinam probe et sincere intelligendam, oportere ut unusquisque agnoscat, et fateatur, quod cum omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidissent facti immundi, et, ut Apostolus inquit, *natura filii iræ* (*Ephes.* ii, 3), quemadmodum in decreto de peccato originali exposuit, usque adeo servi erant peccati, et sub potestate diaboli ac mortis, ut non modo gentes per vim naturæ, sed ne Judæi quidem per ipsam etiam litteram legis Moysi, inde liberari, aut surgere possent ; tametsi in eis liberum arbitrium minime exstinctum esset, viribus licet attenuatum, et inclinatum.

Ibid., decret. de peccato. — Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione, transfusum omnibus, inest unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis justitia, sanctificatio et redemptio ; aut negat ipsum Christi Jesu meritum per baptismi sacramentum in forma Ecclesiæ rite collatum, tam adultis quam parvulis applicari, anathema sit : quia *non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* (*Act.* iv, 12.) Unde illa vox : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* (*Joan.* i, 29.) *Quicunque baptizati estis Christum induistis.* (*Galat.* iii, 27.)

Ibid., de justificatione. — Si quis dixerit, nihil præceptum esse Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera ; aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit. — Si quis dixerit Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant, anathema sit. — Si quis dixerit nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio, quantumvis gravi et enorme, præterquam infidelitatis peccato semel acceptam gratiam amitti, anathema sit.

Ibid., de baptismo. — Si quis dixerit, baptizatos per baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ, anathema sit.

Propositiones 101 *Paschasii Quesnelli, damnatæ a Clemente XI, constitutione* Unigenitus, 8 *Sept.* 1713. — Nunquam Deus affligit innocentes ; et afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

II. *Lex ecclesiastica.*

Concilii Hispaniarum et Lusitaniæ plenarii jussu Leonis papæ Toleti an. 447 *habiti.*

Digitized by Google

Professio fidei et anathematismi contra Priscillianistas ad normam epistolæ dogmaticæ Leonis. — Si quis dixerit vel crediderit, alterum Deum esse priscæ legis, alterum Evangeliorum, anathema sit.

Concil. Trident. de justificatione, c. 11, *de observ. mand., deque illius necessitate et possibilitate.* — *Vid. verb.* JUSTIFICATIO.

Ibid., de sponsalibus et matrimonio. — Item rogatio synodi ad postatem civilem, ut e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud, quod dicitur publicæ honestatis, quorum origo reperitur in collectione Justiniana; tum ut restringat impedimentum affinitatis et cognationis, ex quacunque licita aut illicita conjunctione provenientis, ad quartum gradum juxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquam; ita tamen, ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendæ; quatenus civili potestati ejus attribuit, sive abolendi sive restringendi impedimenta Ecclesiæ, auctoritate constituta vel comprobata; item qua parte supponit, Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis libertatis ac potestatis Ecclesiæ subversiva, Tridentino contraria, ex hæreticali supra damnato principio profecta.

Decretum pro Jacobitis, sive bulla Eugenii IV. Cantate Domino. — Ecclesia firmissime credit, profitetur et prædicat, unum verum Deum, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, esse omnium visibilium et invisibilium creatorem : qui quando voluit, bonitate sua universas tam spirituales quam corporales condidit creaturas : bonas quidem, qui a summo bono factæ sunt, sed mutabiles, quia de nihilo factæ sunt; nullamque mali asserit esse naturam, quia omnis natura, in quantum natura est, bona est. Unum atque eumdem Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est legis et prophetarum atque Evangelii profitetur auctorem : quoniam eodem Spiritu sancto inspirante, utriusque Testamenti sancti locuti sunt : quorum libros suscipit et veneratur, qui titulis sequentibus continentur (sequuntur libri canonici).

Propositiones Paschasii Quesnelli, damnatæ a Clemente XI, constitutione Unigenitus, 8 *Sept.* 1713. — Sub maledicto legis nunquam fit bonum; quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando.

Ibid. — Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat aut adimpleat ex solo timore.

Propositiones damnatæ synodi Pistoriensis de ordine. — Doctrina quæ statuit conveniens videri in impedimentis canonicis, quæ proveniunt ex delictis in jure expressis, ullam unquam nec concedendam, nec admittendam esse dispensationem, æquitatis et moderationis canonicæ a sacro concilio Tridentino probatæ læsiva auctoritati et juribus Ecclesiæ derogans.

Ibid. — Præscriptio synodi, quæ generaliter et indiscriminatim velut abusum rejicit quamcunque dispensationem, ut plus quam unum residentiale beneficium uni eidemque conferatur; item, in eo quod subjungit, certum sibi esse juxta Ecclesiæ spiritum plus quam uno beneficio tametsi simplici neminem frui posse; pro sua generalitate, derogans moderationi Tridentini sess. 7, c. 6, et sess. 24, c. 17.

LIBERALITAS

[Ex SS. Patribus.]

S. AMBROSIUS, lib. I, c. 30, *De officiis.* — Pulchrum est eo largiri consilio, ut prosis, non ut noceas. Nam si luxurioso ad luxuriæ effusionem, adulteræ ad mercedem adulterii largiendum putes, non est beneficentia, ubi nulla est benevolentia. Officere enim istud est, non prodesse alteri.

Idem, *ibid.* — Hoc primum quæritur idem, ut eum fide conferas, fraudem non facias oblatis, ne dicas te plus conferre, et minus conferas. Quid enim opus est dicere : in tua protestate est largiri, quod velis fraus fundamentum solvit, et opus corruit.

Idem, lib. IV *in Exech.* I. — Nemo plus tribuit, quam qui sibi nihil requirit.

Idem, *ibid.* — Non enim illa perfecta est liberalitas, si jactantiæ causa magis quam misericordiæ largiaris. Affectus tuus nomen imponit operi tuo. Quomodo a te proficiscitur sic æstimatur.

Idem, *ibid.* Perfecta est liberalitas, ubi silentio quis tegit opus suum, et necessitatibus singulorum occulte subvenit, quem laudat os pauperis, et non labia sua.

S. BERNARDUS, epist. 258. — Nemo ut ait sanctus Ambrosius, invitus benefacit, etiam si bonum est quod facit, quia nihil prodest spiritus timoris, ubi non est spiritus charitatis.

S. GREGOR. Nazianz., ep. 54. — Multa enim sunt in quibus ii, qui beneficium accipere putantur, injuria infertur.

LIBERTAS

[Ex SS. Patribus.]

I. *De libertate et fato.*

S. CLEMENT., *Recogn.*, lib. III, t. I. — Tum Petrus : Ego, inquit, suadeo, primo quærendum esse, si in potestate nostra est scire unde judicandi simus. Et Simon : Non ita, inquit, sed de Deo; unde et omnes qui præsto sunt, audire cupiunt. Et Petrus : Constat ergo apud te, quia est aliquid in

Digitized by Google

arbitrii potestate facere? Hoc tantum si est; et requiramus, ut dicis, de Deo. Simon ad hæc respondit : Nequaquam. Et Petrus : Si ergo nihil est in nostra potestate, superfluum est nos quærere aliquid de Deo, cum in potestate non sit quærentibus invenire. Unde bene dixeram, hoc primo quærendum esse, si est aliquid in arbitrii potestate. Tum Simon : Non possum, inquit, ne hoc ipsum quidem intelligere, quod dicis, si est aliquid in arbitrii potestate. At Petrus videns quod a partem se contentiosiorem declinat, superari metuens, ut quasi in incertum confundat omnia, respondit : Quomodo scis, quia non est in hominis potestate scire aliquid, cum hoc ipse scias?

Et Simon : Nescio, inquit, si vel hoc ipsum sciam : unusquisque enim, sicut ei fato decernitur, vel sapit aliquid, vel intelligit, vel patitur. Tum Petrus : Videte, inquit, fratres, in quæ absurda deciderit Simon : qui ante meum adventum docebat quod homines in potestate haberent, et sapere, et facere quæ vellent; nunc in angustum redactus necessitate verborum negat esse in hominis potestate, aut sciendi aliquid, aut agendi, et tamen audet se doctorem profiteri. Sed dic quomodo ergo Deus judicat secundum veritatem unumquemque pro actibus suis, si agere aliquid in potestate non habuit? Hoc si teneatur, convulsa sunt omnia : frustra erit studium sectandi meliora : sed et judices sæculi frustra legibus præsunt, et puniunt eos qui male agunt : non enim in sua potestate habuerunt ut non peccarent. Vana erunt et jura populorum quæ malis actibus pœnas statuunt : miseri erunt et hi qui servant cum labore justitiam; beati vero illi qui in deliciis positi, cum luxuria et scelere viventes, tyrannidem tenent. Secundum hæc ergo, nec justitia erit, nec bonitas, nec ulla virtus; et, ut vis, nec Deus. Sed hæc, o Simon, cur dixeris scio : volens profecto effugere quæstiones, ne possis manifestius confutari : et ideo ais non esse in potestate hominis sentire aliquid, aut invenire. Si enim vere hoc ita sensisses, non utique etiam ante adventum meum, apud populum te profitereris doctorem. Ego igitur dico sui esse arbitrii hominem. Et Simon : quid est sui arbitrii? Dic nobis. Petrus ad hæc; Si nihil potest disci, cur et audire vis? Et Simon : Nihil habes ad hoc quod respondeas.

II. *Liberum arbitrium quid sit.*

S. Clem. *Recogn.*, l. III, t. I. — Ad hæc Petrus : Dicam, non a te compulsus, sed ab auditoribus rogatus. Arbitrii potestas est sensus animæ habens virtutem, qua possit ad quos velit actus inclinari. Tum Simon collaudans Petrum super his quæ dixerat, vere, inquit, magnifice et incomparabiliter exposuisti; bene enim dicenti tibi debeo testimonium dare.

S. Ambros., *De Joseph.* — Ille in quavis conditione servitii liber est, qui amore non capitur, avaritiæ vinculis non tenetur, metu criminis non obligatur, qui securus exspectat præsentia, quem non terrent futura. — Rescindenda insipienti potestas, non adjicienda libertas.

S. Anselm., *Epist. ad Galat.* — Libertas ibi, ubi Domini spiritus.

S. Hieron. — Sola apud Deum libertas est, non servire peccatis. Sola apud Deum nobilitas, clarum esse virtutibus.

S. Augustin., *Donato presbytero.* — Si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare Paulus non est permissus uti pessima voluntate qua persequebatur Ecclesiam, sed prostratus est ut cæcaretur? Cæcatus est ut mutaretur : mutatus est ut mitteretur : missus est, ut qualia fecerat in errore, talia pro veritate pateretur? Si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare monetur pater in Scripturis sanctis filium durum non solum verbis corripere, sed etiam latera ejus tundere, ut ad bonam disciplinam coactus ac domitus dirigatur? Unde idem Salomon dicit : Tu percutis eum virga, animam autem ejus liberas a morte. (*Prov.* XXIII, 14.)

Idem, *De vera religione.* — Quem delectat libertas, ab amore rerum mutabilium liber esse appetat. Et quem regnare delectat, uni omnium regnatori Deo subjectus sit, plus eum diligendo, quam semetipsum.

Idem, *De correct. et gratia.* — Prima libertas voluntatis erat posse peccare, novissima erit multo magis, non posse peccare. Prima immortalitas erat, posse non mori; novissima erit multo magis, non posse mori. Prima erat perseverantiæ potestas, bonum posse non deserere : novissima erit perseverantiæ felicitas, bonum non posse deserere.

Idem, lib. IV *De civitate Dei.* — Liber est bonus homo, etiamsi serviat.

Idem, *ibid.*, lib. XIX, c. 15. — Libertas naturalis, hominis est.

Idem, epist. 89. — Libertas sine gratia est contumacia.

Idem, epist. 108. — Damnati sumus ex nobis, liberati autem ex gratia.

Idem, serm. 18, *de verbis Apostoli.* — Solus justus, liber est.

S. Gregor. Mag. — Cum Redemptor noster, totius conditor creaturæ, ad hoc propitiatus, humanam voluit carnem assumere, ut divinitatis suæ gratia diruptо (quo tenebamur captivi) vinculo servitutis, in ea natura qua qui nati fuerant, manumittentis beneficio, libertati, reddantur.

Idem, *Regist.* — Liber est quem conscientia non accusat.

S. Bernard., *De libero arbitrio.* — Cum nobis triplex proposita sit libertas : a peccato, a miseria, a necessitate; hanc ultimo loco positam contulit nobis in conditione natura : in prima restauramur a gratia, media reservatur nobis in patria. Judicatur prima Libertas naturæ secunda gratiæ, tertia gloriæ : prima habet multum honoris, secunda plurimum virtutis, novissima cumulum jucunditatis.

Idem, *De gratia et libero arbitrio.* — Libertas ubi non est, nec meritum.

Digitized by Google

LIBIDINES

[Ex SS. Patribus.]

TERTULL., *Lib. de velanda virgin.* — Non prævaleat Evangelio neque privilegium nationum, neque patrocinium personarum.

S. CYPRIAN., *epist. ad Donatum.*—Consensere ura peccatis, et cœpit licitum esse quod publicum est.

S. BASILIUS, homil. 1 *de laude jejunii.* — Non est per temulentiam aditus ad jejunium, nec ad justitiam iter per fraudem, nec ad sobrietatem per lasciviam.

S. CHRYSOST., serm. 155. — Erras, homo, non sunt hæc ludicra sed crimina; quis de impietate ludit? de sacrilegio quis jocatur? quis piaculum dicit risum? satis se decipit qui sic sentit.

Idem. — Via perditionis spatiosa, quia intra regulam disciplinæ non inclusa.

S. HIERON., *in Matth.* VII. — Latam viam non quærimus, non inventione opus est, sponte se offert et errantium via est.

S. AUG. — Deprecanda est misericordia Dei, ut donet intellectum ad ista (ridicula et impia) damnanda, affectum ad fugienda, misericordiam ad ignoscenda.

Idem, lib. I *Confes.*, cap. 16.—Væ tibi, flumen moris humani! quis resistet tibi? quandiu non siccaberis?

Idem, *De decem chordis*, cap. 4. — Invadens omnia consuetudo pro lege observatur.

Idem, *De fide, spe, et charitate.* — Peccata, quamvis magna et horrenda cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur.

Idem, lib. II *Confess.*, cap. 9. — Libebat malum facere, non solum libidine facti, sed etiam laudis.

SALVIANUS, lib. III *De gubernat.*—Quid est aliud omnis cœtus malorum, quam sentina vitiorum?

Idem, *ibid.*, lib. VI. — An forte infructuosum putamus gaudium simplex, nec delectat ridere sine crimine.

S. BERN. — Attendis quid alius faciat, non quod Deus te facere jubeat, metiris tecomparatione pejoris, non vita melioris.

Idem. — Debet nos judicium veritatis ducere, non privilegium consuetudinis.

LIBRI, LECTIONES BONÆ ET PRAVÆ

S. CHRYSOSTOM., homil. 13 *in Joan.* — Perspicuum est spiritali lectione animam sanctificari, et gratiam Spiritus sancti affatim infundi.

Idem, homil. 9 *in cap.* III *ad Colossenses* — Parate vobis libros animæ.

Idem, *in Epist. ad Romanos.* — Arma dæmonum, Ecclesiæ subversio. (Ita libros malos vocat.)

S. AMBROSIUS, lib. I *De offic.*, c. 20.—Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendis?

Idem, *ibid.*— Cur non Christum alloqueris, Christum audis? Illum alloquimur cum oramus, illum audimus, cum divina oracula legimus.

S. HIERONYM., *Ad Rustic.* — Nunquam de manu tua, et oculis tuis recedat liber; ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis.

Idem, *Ad Eustoch.* — Tenenti codicem somnus obrepat, et cadentem faciem pagina sancta suscipiat.

S. JOANNES CLIMACUS, grad. 37. — Non mediocriter solet illustrare et colligere mentem lectio; verba enim Spiritus sancti sunt et lectores omnino dirigunt et moderantur.

S. EPHREM, *De patientia.* — Lectioni sedulo incumbe, ut mens tua sedulo illuminetur, fiasque perfectus et integer, in nullo deficiens.

S. AUGUST., quæst. 120, ex utroque Testam. — Sicut ferrum, nisi usum habuerit, æruginem generat, ita ex anima, nisi divinis exerceatur lectionibus, nascentur illa peccata.

Idem, *Lib. de corrept. et gratia*, cap. 1. — Quod semel lectum est, nullo modo arbitremini satis vobis innotescere; si ergo librum fructuosissimum habere vultis, non pigeat relegendo habere notissimum.

Idem, serm. 112 *De tempore.* — Sacrarum lectio Scripturarum divina est præcognitio, non parvæ beatitudinis.

Idem, *ibid.* — Qui vult cum Deo semper esse, debet orare et legere.

Idem, *ibid.* — Cum oramus, ipsi cum Deo loquimur, cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur.

Idem, *ibid.* — Geminum confert donum lectio sanctarum litterarum, sive quia intellectum mentis erudit, sive quia a mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit.

Idem, *ibid.* — Labor honestus est lectionis, et multum ad emendationem animi proficiens.

Idem, epist. 143. — Optime uteris lectione divina, si tibi eam adhibeas speculi vice, ut tibi velut ad imaginem suam anima respiciat, et vel fœda quæque corrigat, vel pulchra plus ornet.

Idem, epist. 143, *ad Demetriad. virg.* — Ita Scripturas sanctas lege, ut semper memineris Dei verba illa esse, qui legem suam non sciri, sed etiam adimpleri jubet. —

Idem, vel alius auctor., serm. 36, *ad fratres in eremo.* — Divinæ Scripturæ quasi litteræ de patria nostra sunt.

S. GREGOR., lib. IV *Epist.*, epist. 84. — Quid est Scriptura sacra, nisi quædam Epistola Dei ad creaturam?

CASSIAN., lib. XXX *De divinis lect.*— Scribere est manu prædicare.

Digitized by Google

Incertus auctor *Scalæ paradisi*, cap. 10, apud Augustinum, tom. IX.—Quid prodest continua lectione tempus occupare, sanctorum scripta et gesta legendo transcurrere, nisi ut in his diligenter consideremus statum nostrum, et studeamus eorum opera agere, quorum facta cupimus lectitare?

Cassiodorus. — Libri sacri sunt Christianorum utilitas, thesaurus Ecclesiæ.

Petrus Damianus, lib. VI, epist. 29. — Mens tua divinis se voluminibus occupet, his antiquus hostis, cum te videt intentum, velut hostem fugit armatum.

S. Bernard., *Epist. ad Frat. de Monte-Dei.* — Si quis ad legendum accedat, non tam quærat scientiam quam saporem.

Hugo a Sancto Victore. — Philosopho Christiano lectio exhortatio esse debet, non occupatio.

Idem. — Sine legendi studio neminem ad Deum intentum videas.

Thomas a Kempis, *Opusc. de discipl.*, cap. 1. — Ubicunque verbum Dei legitur, Spiritus sanctus occulte operatur.

Idem. — Libri pii docent ignaros, arguunt otiosos, excitant torpentes, stimulant dormientes, corrigunt errantes, erigunt corruentes.

LIBRI CANONICI

[Ex SS. Patribus.]

Vide verb. Evangelia, Fides.

[Ex Conciliis.]

Ex conc. Laodiceno, sub Sylvestro I, an. 320. — Hæc sunt quæ legi oportet ex Veteri Testamento: Genesis, Exodus, id est exitus ex Ægypto, Leviticum, Numeri, Deuteronomium, Jesu Nave, Judices, Ruth, Esther, Regum I, II, III et IV. Paralipomenon I et II; Esdræ I, II; liber Psalmorum CL, Proverbia Salomonis, Ecclesiastes, Cantica canticorum, Job, XII prophetæ, Isaias, Jeremias, Baruch, Lamentationes et Epistolæ, Ezechiel, Daniel. Novi autem Testamenti hæc: Evangelia IV secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam secundum Joannem, Actus apostolorum, Epistolæ catholicæ, Jacobi I, Petri II, Joannis III; Pauli XIV: ad Romanos I, ad Philippenses I, ad Corinthios II, ad Galatas I, ad Ephesios I, ad Colossenses I, ad Thessalonicenses II, ad Hebræos I, ad Timotheum II, ad Titum I, ad Philemonem I.

Ex conc. Carthag. III, *sub Siricio, an.* 397. — Placuit ut præter Scripturas canonicas, nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum; sunt autem canonicæ Scripturæ, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesu Nave, Judicum, Ruth, Regum libri IV, Paralipomenon lib. II, Job, Psalterium Davidicum, Salomonis libri IV, libri XII prophetarum, Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel, Tobias, Judith, Esther, Esdræ libri II, Machabæorum libri II: Novi autem Testamenti, Evangeliorum libri IV, Actuum apostolorum lib. I, Pauli apostoli Epistolæ XIII, ejusdem ad Hebræos I, Petri apostoli II, Joannis apostoli III, Judæ apostoli I, et Jacobi I, Apocalypsis Joannis liber I.

Ex conc. Romano I, *sub Gelasio, an.* 494.— Genesis I, Exodi lib. I, Leviticus lib. I, Numeri lib. I, Deuteronomii lib. I, Jesu Nave lib. I, Judicum lib. I, Ruth lib. I, Regum libri IV, Paralipomenon lib II, Psalmorum CL lib. I, Salomonis libri III, Proverbia, Ecclesiastes, et Cantica canticorum. Item Sapientiæ lib. I, Ecclesiastici lib. I, item ordo Prophetarum, Isaiæ lib. I, Jeremiæ lib. I, Cinoth, id est de Lamentationibus suis, Ezechiel lib. I, Danielis lib. I, Oseæ lib. I, Amos lib. I, Michææ lib. I, Joel lib. I, Abdiæ lib. I, Jonæ lib. I, Nahum lib. I, Habacuc lib. I, Sophoniæ lib. I, Aggæi lib. I, Zachariæ lib. I, Malachiæ lib. I; item ordo Historiarum, Job lib. I, Tobiæ lib. I, Esdræ lib. I, Esther lib. I, Machabæorum lib. I; item ordo Scripturarum Novi et æterni Testamenti, Evangeliorum lib. IV, secund. Matthæum lib. I, secundum Marcum lib. I, secundum Lucam lib. I, secundum Joannem lib. I, Actuum apostol. lib. I, Epistolæ Pauli apostoli XIV, ad Romanos Epist. I, ad Corinth. II, ad Ephesios I, ad Philippenses I, ad Colossenses I, ad Galatas I, ad Thessalonicenses II, ad Timothæum II, ad Titum I, ad Philemonem I, ad Hebræos I; item Apocalypsis Joannis lib. I, item canonicæ Epistolæ VII, Jacobi ap. I, Petri II, Joannis III, Judæ Zelotis Epistola I.

Ex conc. Toletano sub Honorio I, *an.* 633. — Si quis Apocalypsim librum, aut non receperit, aut à Pascha usque ad Pentecosten missarum tempore in ecclesia non prædicaverit excommunicationis sententiam habebit.

Ex conc. Tridentino, generali XVIII, *sub Paulo* III, *ann.* 1545. sess. IV. — Sacri libri sunt infrascripti: Testamenti Veteris V, id est Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, IV Regum, II Paralipomenon, primus et secundus qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium David CL Psalmorum, Parabolæ Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim prophetæ minores, id est Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, II Machabæorum, primus et secundus. Testamenti Novi: IV Evangelia secundum Matthæum, Marcum, Lucam et Joannem, Actus apostolorum a Luca evangelista conscripti, XIV Epistolæ

Digitized by Google

Pauli, ad Romanos, II ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, II ad Thessalonicenses, II ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos. Petri apostoli II, Joannis apostoli III, Jacobi I, Judæ apostoli I, et Apocalypsis Joannis apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata editione habentur pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones prædictas sciens et prudens contempserit, anathema sit. Ipsa vetus et vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus, pro authentica habeatur, et nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenet sancta mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam sacram Scripturam interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore edendæ forent; qui contravenerint, per ordinarios declarentur, et pœnis a jure statutis puniantur.

LUDUS, ALEA, SPECTACULA

[EX SS. Patribus.]

Constitut. apostolic. lib. VIII, tom. I. — Scenicorum si quis accedat, vir sive femina, vel auriga, vel gladiator, vel stadii cursor, vel lanista, seu ludorum curator, vel olympicus, vel choraules, vel citharista, vel lyristes, vel saltationem ostentans, vel caupo; hi aut finem faciant, aut rejiciantur.

PHILO JUDÆUS, *De agricultura.* — Ad eumdem modum pecus sensuum, quando intellectus supine se gerit et ignaviter, avide saturatam copia rerum sensibilium cervicem jactat et subsultat, impingens in omnia visui patentia, vel quæ videre nefas est: auribus quoque voces recipiens insatiabiliter, sitiendo semper ob curiositatem, interdum delectans se obtrectationibus parum liberalibus. Quid enim aliud credimus quotidie per totum orbem tot millia spectatorum in theatra contrahere? Homines enim victi speculatorum et fabularum cupidine, infrenes tum oculis, tum auribus, consectantur citharistas, citharœdosque, præterea saltatoribus cæterisque mimis inhiant, propter gestus motusque ac status effeminatos; atque ita factiones theatricas instaurant, securi cæterarum rerum privatarum publicarumque, totam vitam in hujusmodi spectaculis conterentes miseri.

S. IRENÆUS, lib. I *contrahæreses.*—Ad omnia gentilium festa et oblectamenta quæ ad idolorum honorem cultumque celebrantur, primi confluunt: adeo ut nonnulli eorum, ne a sanguinario quidem et funesto, Deoque et hominibus inviso spectaculo, in quo cum feris dimicatur, vel gladiatores inter se pugnant, abstinendum sibi esse putent.

S. CLEMENS Alexandr., *Pædagog.*, lib. III, tom. I. — Neque viri in tonstrinis et cauponis versantes, futiliter garriant, et assidentes mulieres cessent quandoque venari; qui etiam ut risum moveant, non cessant pluribus maledicere. Jam vero prohibendus quoque est tesserarum ludus; et præterea ex talorum ludo lucri studium, quod nonnulli acriter sequuntur. Talia enim improvida luxuria illis otiosis oblectamenta suppeditat. In causa enim est desidies. Amant autem inania, qui sunt a veritate sejuncti: neque enim aliter possunt recreare animum absque damno.

Idem, *ibid.* — Ne ad spectacula quidem ergo nos pædagogus deducet. Nec inconcinne stadia et theatra *pestium cathedram* (*Psal.* I, 1) quis vocaverit: nam hic quoque scelestum est consilium, quemadmodum adversus justum: et ideo maledictis devovetur, quæ adversus eum fit congregatio. Magna quippe confusione et iniquitate hi cœtus pleni sunt, et occasio conventus causa est turpitudinis, cum viri et feminæ mistim conveniant, alter ad alterius spectaculum. Hic perperam jam agitur concilium. Dum enim lasciviunt oculi, calescunt appetitiones, et oculi per otium ibi concessum proximos impudentius respicere assuefacti, intendunt cupiditates. Prohibeantur ergo spectacula et acroamata, quæ scurrilitate ac vaniloquentia plena sunt. — Quod enim turpe factum non ostenditur in theatris? Quod autem verbum impudens non proferunt, qui risum movent, scurræ et histriones? Qui autem ex vitio, quod in se est, delectationem aliquam perceperunt, evidentes domi imagines imprimunt. Contra autem qui his demulceri et allici nequeunt, in ignavas voluptates non prolabentur. Si dixerint enim, pro ludo assumi spectacula ad recreandos animos, dicemus non sapere civitates quæ seriam ludis operam dant. Neque enim ludus est sæva gloriæ cupiditas, quæ tot mortes infert; sed neque vana studia, et rationis expers ambitio, et præterea suarum facultatum impensæ. Neque vero quæ his de causis excitantur seditiones amplius ludi sunt. Vano enim studio nunquam emendum est otium; neque enim qui sapit, id quod est jucundum, ei quod est melius, prætulerit.

TERTULL., *Apologet.* cap. 38. — Nihil est nobis dictu, visu, auditu cum insania circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenæ, cum xysti vanitate.

Idem, solemnia Cæsarum irridens paulo superius. — Grande, ait, (videlicet officium) focos et choros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, catervatim

Digitized by Google

cursitare ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? Hæccine solemnes dies principum decent, quæ alios dies non decent? etc.

Tertull., *De spectaculis*, cap 15.— Deus præcepit Spiritum sanctum, utpote pro naturæ suæ bono, tenerum et delicatum, tranquillitate et lenitate, et quiete et pace tractare, non furore, non bile, non ira, non dolore inquietare. Huic quomodo cum spectaculis poterit convenire? Omne enim spectaculum sine concussione spiritus non est. Ubi enim voluptas, ibi et studium per quod scilicet voluptas sapit, ubi est studium, ibi et æmulatio per quam studium sapit; porro ubi et æmulatio, ibi et furor et bilis et ira et dolor et cætera ex his quæ cum illis non competunt disciplinis. Nam et si quis modeste et probe spectaculis fruitur, pro dignitatis vel ætatis, vel etiam naturæ suæ conditione, non tamen immobilis animi est sine tacita spiritus passione. Nemo ad voluptatem venit sine affectu; nemo affectum sine casibus suis patitur; ipsi casus incitamenta sunt affectus: cæterum si cesset affectus, nulla est voluptas: et est reus jam ille vanitatis, eo conveniens ubi nihil consequitur. Puto autem quod vanitas etiam extranea est nobis. — Ipse se judicat inter eos positus, quorum se similem nolens utique detestatorem confitetur. Nobis satis non est si ipsi nihil tale faciamus, nisi et talia facientibus non conferamur. *Si furem*, inquit, *videbas, currebas cum eo*. Utinam ne in sæculo quidem simul cum illis moraremur. Sed tamen in sæcularibus separamur, quia sæculum Dei est, sæcularia autem diaboli.

Idem, *ibid.*— Impudicitiam omnem amoliri jubemur. Hoc igitur modo etiam a theatro separamur, quod est privatum consistorium impudicitiæ, ubi nihil probatur quam quod alibi non probatur.— Quod si nobis omnis impudicitia exsecranda est, cur licet audire quæ loqui non licet? Cum etiam scurrilitatem et omne vanum verbum judicatum a Deo sciamus, cur æque liceat videre quæ facere flagitium est? Cur quæ ore prolata communicant hominem, ea per oculos et aures admissa non videantur hominem communicare; cum spiritui appareant aures et oculi, nec possit mundus præstari, cujus apparitores inquinantur?

Idem, *ibid.*, c. 18.—Comœdiæ et tragœdiæ sunt scelerum et libidinum auctrices, cruentæ et lascivæ, impiæ et prodigæ. Nullius rei aut atrocis aut vilis, commen oratio melior est: quod in facto rejicitur, etiam in dicto est rejiciendum.

Idem, *ibid.*, c. 22. — Arcent scenicos honoribus omnibus simul et ornamentis. — Quanta confessio est malæ rei, quarum auctores quam acceptissimi sine nota non sunt. — Quanto magis divina justitia in ejusmodi artifices animadvertit.

Idem, *ibid.*, c. 23. — Opus personarum, quæso, an Deo placeat, qui vetat omnem similitudinem fieri, quanto magis sui? Nonl amat falsum auctor veritatis. Adulterium est apud eum omne quod fingitur. Proinde vocem, sexus, ætates mentientem, amores, iras, gemitus, lacrymas adseverantem non probabit, qui omnem hypocrisim damnat?

Idem, *ibid.*, c. 24.—Nihil ex his quæ spectaculis deputantur placitum Deo est, aut congruens Dei servis, quod Domino placitum non sit. Si omnia propter diabolum instituta et ex diaboli rebus instructa sunt (nihil enim non diaboli est, quidquid Dei non est, vel Deo displicet), hoc erit pompa diaboli, adversus quam in signaculo fidei ejeramus. Quod autem ejeramus, neque facto, neque dicto, neque prospectu participare debemus. Cæterum nonne ejeramus et rescindimus signaculum, rescindendo testationem ejus?

Idem, *ibid.*, c. 25. — An ille recogitabit eo tempore de Deo, positus illic ubi nihil est de Deo?— Pudicitiam ediscet, attonitus in mimos? Imo in omni spectaculo nullum magis scandalum occurret, quam ipse ille mulierum et virorum accuratior cultus, ipsa consensio, ipsa in favoribus aut conspiratio aut dissensio, inter se de commercio scintillas libidinum constabellant. Nemo enim in spectaculo ineundo prius cogitat, nisi videri et videre. — Avertat Deus a suis tantam voluptatis exitiosæ cupiditatem. Quale est enim de Ecclesia Dei, in ecclesiam diaboli tendere? De cœlo, quod aiunt, in cœnum? Illas manus quas ad Dominum extuleris, postmodum laudando histrionem fatigare? Ex ore quo *Amen* in sanctum protuleris, ei testimonium reddere?

Idem, *ibid.*, cap. 26.— Cur non ejusmodi etiam dæmoniis penetrabiles fiant? Nam et exemplum accidit, Domino teste, ejus mulieris quæ theatrum adiit, et inde cum dæmonio rediit. Itaque in exorcismo cum oneraretur immundus spiritus, quod ausus esset fidelem aggredi; constanter et justissime quidem, inquit, id feci, in meo meam inveni.— Alia documenta cesserunt de his qui cum diabolo apud spectacula communicando a Domino exciderunt. Nemo enim potest duobus dominis servire: quid luci cum tenebris? Quid vitæ et morti?

Idem, *ibid.*, cap. 27. — Sint dulcia licet et grata, et simplicia, etiam honesta quædam, nemo venenum temperat felle et elleboro, sed conditis pulmentis et bene saporatis, et plurimum dulcibus id mali injicit. Ita et diabolus lethale quod conficit, rebus Dei gratissimis et acceptissimis imbuit. Omnia illic seu fortia, seu honesta, seu sonora, seu subtilia, proinde habe stillicidia mellis de libacunculo venenato: nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum.

Idem, *ibid.*, c. 29. — Jam nunc si putas delectamentis exigere spatium hoc, cur tam ingratus es, ut tot et tales voluptates a Deo contributas tibi salis non habeas neque recognoscas? Quid enim jucundius quam Dei Patris et Domini reconciliatio? quam veritatis revelatio? quam errorum recognitio? quam tantorum retro criminum venia? Quæ major voluptas quam fastidium ipsius voluptatis, quam sæculi totius contemptus,

Digitized by Google

quam vera libertas, quam conscientia integra, quam vita sufficiens, quam mortis timor nullus; quod calcas deos nationum, quod dæmonia expellis, quod medicinas facis, quod revelationes petis, quod Deo vivis? Hæ voluptates, hæc spectacula Christianorum, sancta, perpetua, gratuita.

TERTULL., *ibid.*, c.30.— Quale spectaculum in proximo est adventus Domini jam indubitati, jam superbi, jam triumphantis! Quæ illa exsultatio angelorum! Quæ gloria resurgentium sanctorum! Quale regnum exinde justorum! Qualis civitas nova Jerusalem! At enim supersunt alia spectacula; ille ultimus et perpetuus judicii dies, ille nationibus insperatus, ille derisus, cum tanta sæculi vetustas, et tot ejus nativitates uno igni haurientur. — Hæc jam quodammodo habemus per fidem spiritu imaginante repræsentata. Cæterum qualia illa sunt *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt?* Crede circo et omni stadio gratiora.

MINUTIUS FELIX, *in Octavio.* — Nos, qui moribus et pudore censemur, merito pompis vestris et spectaculis abstinemus; quorum et de sacris originem novimus, et noxia blandimenta damnamus. Nam in ludis currulibus, quis non horreat populi in se rixantis insaniam? In gladiatoriis, homicidii disciplinam? In scenicis, etiam non minor furor, turpitudo prolixior. Nunc enim mimus vel exponit adulteria, vel monstrat: nunc enervis histrio, amorem dum fingit, infligit. Idem deos vestros induendo, stupra, suspiria, odio dedecorat, etc.

ORIGEN., homil. 14 *in Jerem.*, tom. III.— *Non sedi in concilio ludentium.* (*Jerem.* xv, 17.) Si quando videbat prophetas non sollicitorum concilium sed ludentium, fugiebat illud. Unde oportet nosse differentias conciliorum, solliciti, atque ludentis. Si hoc concilium nostrum sollicitum est, si omnia cum ecclesiastica diligentia quærit, si sermo cum disciplina, si vita sollicita est, si negotia cum cautela, concilium est non ludentium, sed sollicitorum. Si autem dereliquerit studium religionis, et vacaverit lusibus mundi istius qui veniunt a pravitate, fit concilium ludentium. Ait itaque prophetes: *Non sedi in concilio ludentium, sed timebam a facie manus tuæ.* Cum duo mihi essent proposita, sedere in concilio ludentium, et offendere majestatem tuam, aut certe surgere de eo, et ea facere quæ tibi placita erant, magis elegi surgere de congregatione ludentium, ut amicus tuus essem, quam contraria faciens, inter eos qui hostes sunt, computari. *Non sedi in concilio ludentium, sed timebam a facie manus tuæ.* Et Salvator noster non sedit in concilio ludentium.

S. CYPRIANUS, *epist. ad Donatum.* — Jam si ad urbes ipsas oculos tuos atque ora convertas, celebritatem offendes omni solitudine tristiorem. Paratur gladiatorius ludus, ut libidinem crudelium luminum sanguis oblectet. Impletur in succum cibis fortioribus corpus, et arvinæ toris membrorum moles robusta pinguescit, ut saginatus in pœnam carius pereat. Homo occiditur in hominis voluptatem; et ut quis possit occidere peritia est, usus est, ars est. Scelus non tantum geritur, sed et docetur. Quid potest inhumanius, quid acerbius dici? Disciplina est ut perimere quis possit, et gloria est quod perimit. Quid illud, oro te, quale est ubi se feris objiciunt quos nemo damnavit, ætate integra, honesta satis forma, veste pretiosa? Viventes in ultroneum funus ornantur, malis suis miseri gloriantur. Pugnant ad bestias, non crimine, sed furore; spectant filios suos patres. Frater in cavea est, et soror præsto est. Et spectaculi licet pretium largior muneris apparatus amplificet, ut mœroribus suis mater intersit, hoc, proh dolor! mater et redimit, et in tam impiis spectaculis tamque diris et funestis esse se non putant oculis parricidas.

Idem, *ibid.* — Converte hinc vultus ad diversi spectaculi non minus pœnitenda contagia; in theatris quoque conspicies quod tibi et dolori sit et pudori. Cothurnus est tragicus prisca facinora carmine recensere. De parricidiis et incestis horror antiquus expressa ad imaginem veritatis actione replicatur, ne sæculis transeuntibus exolescat, quod aliquando commissum est. Admonetur ætas omnis auditu fieri posse quod factum est. Nunquam ævi senio delicta moriuntur, nunquam temporibus crimen obruitur, nunquam scelus oblivione sepelitur. Exempla fiunt quæ esse jam facinora destiterunt. Tum delectat in mimis turpitudinum magisterio, vel quid domi gesserit recognoscere, vel quid gerere possit audire. Adulterium discitur dum videtur; et lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, quæ pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat, de spectaculo revertitur impudica. Adhuc deinde morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum, histrionicis gestibus inquinari, videre contra fœdus jusque nascendi patientiam incestæ turpitudinis elaboratam? Eviranturmares, honor omnis et vigor sexus enervati corporis dedecore mollitur, plusque illic placet quisquis virum in femina magis fregerit. In laudem crescit ex crimine, et peritior quo turpior judicatur. Spectatur hic, proh nefas, et libenter. Quid non possit suadere qui talis est? Movet sensus, mulcet affectus, expugnat boni pectoris conscientiam fortiorem; nec deest probri blandientis auctoritas ut auditu molliore pernicies hominibus obrepat. Exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem, Jovem illum suum non magis regno quam vitiis principem, in terrenos amores cum ipsis suis fulminibus ardentem, nunc in plumas oloris albescere, nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubescentium raptus ministris avibus prosilire. Quære jam nunc an possit esse qui spectat integer vel pudicus. Deos suos quos venerantur, imitantur; fiunt miseris et religiosa delicta. — O si possis in illa sublimi specula constitutus oculos tuos inserere secretis, reclu-

Digitized by Google

dere cubiculorum obductas fores, et ad conscientiam luminum penetralia occulta reserare, aspicias ab impudicis geri quod nec possit aspicere frons pudica, videas quod crimen sit et videre, videas quod vitiorum furore dementes gessisse se negant, et gerere festinant! Libidinibus insanis in viros viri proruunt. Fiunt quæ nec illis possunt placere qui faciunt. Mentior nisi alios qui talis est increpat. Turpes turpis infamat, et evasisse se conscium credit, quasi conscientia satis non sit. Idem in publico accusatores, in occulto rei, in semetipsos censores pariter et nocentes. Damnant foris quod intus operantur. Admittunt libenter quod cum admiserint criminantur. Audacia prorsus cum vitiis faciens, et impudentia congruens impudicis. Nolo mireris quæ loquuntur hujusmodi. Ore illo quidquid jam voce delinquitur minus est. Sed tibi post insidiosas vias, post diversas orbe toto multiplices pugnas, post spectacula vel cruenta, vel turpia, post libidinum probra vel lupanaribus prostituta, vel domesticis parietibus obsepta, quorum quo secretior culpa, major audacia est, forum fortasse videatur immune, quod ab injuriis lacessentibus liberum, nullis malorum contractibus polluatur.

S. Cypr., *De spectaculis* —De scenæ inquinamento inverecundo—pudet referre quæ dicuntur, pudet etiam accusare quæ fiunt, argumentorum stropheas, adulterorum fallacias, mulierum impudicitias, scurriles jocos, parasitos, sordidos, ipsos quoque patresfamilias, togatos, modo stupidos, modo obscenos, in omnibus stolidos, in omnibus inverecundos. Et cum nulli hominum aut generi aut professioni ab improborum istorum sermone parcatur, ab omnibus tamen ad spectaculum convenitur. Commune dedecus delectat, videre vel recognoscere otia vel discere. Concurritur illuc ad pudorem publicum lupanaris, ad obscenitatis magisterium, ne quid secreto minus agatur quam quod in publico discitur; et inter ipsas leges docetur quidquid legibus interdicitur. Quid inter hæc Christianus fidelis facit cui vitia non licet nec cogitare, quid oblectatur simulacris libidinis, ut in ipsis deposita verecundia audacior fiat ad crimina? Discit et facere, dum consuescit videre. Illæ tamen quas infelicitas sua ad servitutem inseruit et prostravit, libidines publicas occultant, et dedecus suum de latebris consolantur. Erubescunt videri etiam quæ pudorem vendiderunt. At istud publicum monstrum, omnibus videntibus geritur obscenitas.

Quæsitum est quomodo adulterium oculis admitteretur. Huic dedecori condignum dedecus superducitur. Homo fractus omnibus membris, et vir ultra muliebrem mollitiem dissolutus, cui ars sit verba manibus expedire; et propter unum nescio quem, nec virum nec feminam, commovetur civitas tota, ut desaltentur fabulosæ antiquitatum libidines. Ita amatur quidquid non licet, ut quæ etiam ætas absconderat, sub oculorum memoriam reducantur. Non et libidini satis malis suis uti præsentibus, nisi suum do spectaculo faciat in quo etiam superior ætas erraverat. Non licet, inquam, adesse Christianis fidelibus, non licet omnino nec illis quos ad delinimenta aurium ad omnes ubique Græcia instructos suis vanis artibus mittit. Clangores tubæ bellicos alter imitatur raucos, alter lugubres sonos spiritu tibiam inflante moderatur. Alter cum choris, et cum hominis corona voce contendens spiritu suo, quem de visceribus suis in superiora corporis nitens hauserat, tibiarum foraminibus modulatur : nunc effuso, et nunc intus occluso atque in aerem pro certis foraminum meatibus emisso, nunc in articulo sonum frangens, loqui digitis elaborat, ingratus artificii qui linguam dedit.

Quid loquar comicas et inutiles curas, quid illas magnas tragicæ vocis insanias, quid nervos cum clamore commissos? Hæc etiam si non essent simulacris dicata, adeunda tamen et spectanda non essent Christianis fidelibus; quoniam etsi non haberent crimen, habent in se maximam et parum congruentem fidelibus vanitatem. Nam illa altera reliquorum dementia est manifesta otiosis hominibus negotiatio, et prima victoria est ut ultra modum humanum venter esurire potuisset super titulo coronatæ edacitatis flagitiosæ nundinæ; ictibus vulnerum infelix facies locatur, ut infelicior venter saginetur. Quam fœda præterea ista luctamina, vir infra virum jacens amplexibus inhonestis et nexibus implicatur. In tali certamine vincetur, vel vincat, pudor tamen victus est. Ecce tibi alter nudus salit, alter orbem æreum contentis in aerem viribus jactat. Hæc gloria non est, sed dementia. Denique remove spectatorem, reddideris vanitatem.

Fugienda sunt ista a Christianis fidelibus, ut jam frequenter diximus, tam vana, tam perniciosa, tam sacrilega spectacula, a quibus et oculi nostri, et aures essent custodiendæ. Cito in hoc assuescimus quod audimus, quod videmus. Nam cum mens hominis ad vitia ipsa ducatur, quid faciet, si habuerit exempla naturæ corporis lubrica quæ sponte corruit, quid faciet, si fuerit impulsa? Avocandus est igitur animus ab istis. Habet Christianus spectacula meliora, si velit, habet veras et profuturas voluptates, si se recognoverit. — Scripturis sacris incumbat, et ibi inveniet condigna fidei spectacula. — Spectabit de cœlo descendentes messes, non ex aratro impressas, flumina transitus siccos refrenatis aquarum agminibus exhibentia. Videbit in quibusdam fidem cum igne luctantem, feras religione superatas, et in mansuetudinem conversas. Intuebitur et animas ab ipsa etiam morte revocatas. Considerabit etiam de sepulcris admirabiles ipsorum consumptorum jam ad vitam corporum reductas, et in his omnibus majus jam videbit spectaculum, diabolum illum, qui totum detriumphaverat mundum, sub pedibus Christi jacentem. Quam hoc decorum spectaculum, fratres, quam jucundum, quam necessarium! intueri semper

Digitized by Google

spem suam, et oculos aperire ad salutem suam. Hoc est spectaculum quod non exhibet prætor aut consul, sed qui est solus, et ante omnia et super omnia, imo ex quo omnia.

LACTANTIUS, *De divinis instit.*, lib. VI, c. 20. — In scenis nescio an sit corruptela vitiosior. Nam et comicæ fabulæ de stupris virginum loquuntur, aut amoribus meretricum; et quo magis sunt eloquentes, qui flagitia illa finxerunt, eo magis sententiarum elegantia persuadent, et facilius inhærent audientium memoriæ versus numerosi et ornati. Item tragicæ historiæ subjiciunt oculis parricidia, et incesta regum malorum, et cothurnata scelera demonstrant. Histrionum quoque impudentissimi motus quid aliud, nisi libidines et docent, et instigant? Quorum enervata corpora, et in muliebrem incessum habitumque mollita, impudicas feminas inhonestis gestibus mentiuntur. Quid de mimis loquar corruptelarum præferentibus disciplinam? Qui docent adulteria, dum fingunt, et simulatis erudiunt ad vera? Quid juvenes aut virgines faciant, cum hæc et fieri sine pudore, et spectari libenter ab omnibus cernunt? Admonentur utique quid facere possint, et inflammantur libidine, quæ aspectu maxime concitatur; ac se quisque pro sexu in illis imaginibus præfigurat, probantque illa, dum rident, et adhærentibus vitiis, corruptiores ad cubicula revertuntur; nec pueri modo, quos præmaturis vitiis imbui non oportet, sed etiam senes, quos peccare jam non decet.

Circensium quoque lu lorum ratio quid aliud habet, nisi levitatem, vanitatem, insaniam? Tanto namque impetu concitantur animi in furorem, quanto illic impetu curritur; ut jam plus spectaculi exhibeant, qui spectandi gratia veniunt, cum exclamare, et efferri, et exsilire cœperint. Vitanda ergo spectacula omnia, non solum ne quid vitiorum pectoribus insidat, quæ sedata et pacifica esse debent; sed ne cujus nos voluptatis consuetudo deliniat, et a Deo atque a bonis operibus avertat. Nam ludorum celebrationes, deorum festa sunt; siquidem ob natales eorum, vel templorum novorum dedicationes sunt constituti. Et primitus quidem venationes, quæ vocantur munera, Saturno sunt attributæ, ludi autem scenici Libero; circenses vero Neptuno. Paulatim tamen et cæteris diis idem honos tribui cœpit; singulique ludi nominibus eorum consecrati sunt, sicut Sisinius Capito in libris spectaculorum docet. Si quis igitur spectaculis interest, ad quæ religionis gratia convenitur, discessit a Dei cultu, et ad deos se contulit, quorum natales et festa celebravit.

S. CHRYSOST., hom. 38 vel 39 *in Matth.*, tom. VII. — An nescitis nos ad nequitiam proniores esse? Cum autem hæc (obscenitates) in artem et opus convertamus, quomodo fornacem illam effugere poterimus? Non audisti quid dicit Paulus : *Gaudete in Domino?* (*Philip.* IV, 4.) Non dixit in diabolo. Quando igitur audire Paulum poteris? Quando in sensum venire peccatorum, qui ex spectaculo illo ebrius semper es? Quod enim huc veneris, non mirum nec magnum est; imo potius mirum est : huc enim et segniter et perfunctorie venis, illuc autem magno studio et animo accurris. Idque palam est ex iis quæ domum refers, cum inde recedis. Etenim lutum vobis illuc infusum per verba, cantica, risum, singuli domum reportatis; imo non in domum tantum, sed in mentem vestram inducitis; et ab iis quæ abominatione digna non sunt, averteris; abominanda vero non odio habes, imo diligis. Multi certe a sepulcris redeuntes, sese abluunt, a theatris vero reversi non gemunt, non lacrymarum fontes effundunt; quanquam mortuus non sit immundus, peccatum vero tantam maculam aspergat, ut ne mille quidem fontibus possit ablui, sed solis lacrymis et confessionibus. Sed nemo maculam hujuscemodi sentit. Quia enim ea quæ timenda essent non timemus; ea quæ timenda non sunt metuimus.

Quis autem ille strepitus, quis tumultus, qui Satanici clamores, et diabolici habitus? Alius juvenis cum sit, comam retro reductam habet, et naturam ipsam effeminat aspectu, habitu, vestimentis, demum omnibus, formamque teneræ puellæ affectat. Alius vero quispiam senex, e contrario capillis novacula abrasis, renibus succinctus, postquam pudorem ante capillos succidit, stat ad alapas accipiendas, et ad omnia dicenda faciendaque paratus. Mulieres autem, nudo capite, omni misso rubore, stant populum alloquentes, tantum videlicet impudentiæ studium habentes, omnemque petulantiam et lasciviam in auditorum animos infundentes. Illud unum studium habent ut castitatem omnem radicitus evellant, naturam deturpent, mali dæmonis concupiscentiam expleant. Nam hic verba obscena, habitus ridiculi, tonsura similis, incessus, vestitus, vox, membrorum mollities, oculorum inversiones, fistulæ, tibiæ, dramata, argumenta; omniaque demum extremæ lasciviæ plena sunt.

Quandonam, quæso, resipisces, cum tantum tibi fornicationis poculum infundat diabolus, totque intemperantiæ calices misceat? Nam illic fornicationes, adulteria, mulieres prostitutæ, viri muliebria patientes, juvenes molles, omnia iniquitate plena, portentosis rebus ac prodigiis. Non ergo de hujusmodi rebus ridere sedentes oporteret, sed lacrymari et ingemiscere. Quid igitur? An orchestram claudemus, inquies, et jussu tuo omnia subvertentur? Nunc certe omnia subversa sunt : undenam ii qui nuptiis insidias parant? Nonne ab hac scena? Unde ii qui thalamos effodiunt? Nonne ab orchestra illa? Nonne hinc viri uxoribus sunt molesti? Nonne hinc a viris uxores despiciuntur? Nonne hinc mœchi plurimi? Itaque qui omnia subvertit, is est qui ad theatrum pergit, quique gravem tyrannidem inducit. Nequaquam, inquies, sed id bono legum ordine statutum est. Nam

Digitized by Google

mulieres abripere, pueros contumeliis adhibere, domos evertere, hæc ad illos spectant qui arces occupant. Et quis mœchus, inquies, ex his spectaculis factus est ? Imo quis non mœchus? Si liceret nominatim efferre, dicere possim quot viros hæc ab uxoribus sequestrarint, et quot captivos meretrices illæ ceperint, quorum alios a conjugali lecto abduxerunt, alios ne uxores ducerent effecerunt. Quid igitur, quæso? Legesne omnes evertemus? Quinimo theatris eversis legum transgressiones evertimus. Nam qui civitates pessumdant, ex horum numero sunt. Hinc seditiones et perturbationes. Nam qui in his ludis aluntur, quique vocem ventris causa vendunt, quorum opus officiumque est clamare, et quidvis absurdum facere ; hi maxime sunt qui populos concitant, qui tumultus in urbibus faciunt. Juventus enim otiosa, in hisce malis educata, fera quavis acrior efficitur.

Undenam, quæso, præstigiatores ? Nonne inde proficiscuntur, ut populum vacantem temere, inflamment, idque faciant ut ex tumultibus saltatores bonis fruantur, et meretrices honestis mulieribus impedimento sint ? In tantum enim maleficii genus perveniunt, ut mortuorum ossa movere non dubitent. Nonne hæc inde ideo oriuntur, quod ad illum diaboli chorum sumptus innumeros consumere cogantur ? Lascivia autem unde, nec non mala innumera ? Vidente esse qui vitam humanam evertis, dum ad hæc pertrahis? Ego vero rem destruendam censeo. Tollamus ergo orchestram, inquies. Utinam tolli posset ; imo vero si vultis, quod ad nostram partem attinet, jam sublata et subversa est. Attamen non hoc jubeo : stantem illam non frequentatam reddite, quæ major laus esset, quam diruere.

S. Chrys., *Homilia contra ludos et theatra*, tom. VI. — Hæccine ferenda ? Hæccine toleranda ? Vobis enim ipsis judicibus contra vos uti volo. Sic Deus olim se gessit erga Hebræos, cum ipsis enim expostulans, sic eos alloquebatur : *Populo meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te, vel molestiam tibi attuli ? Responde mihi* (*Mich.* VI, 3); ac rursum : *Quid invenerunt patres tui in me delicti ?* (*Jerem.* II, 5.) Hunc ego quoque imitabor, vosque sic iterum alloquar : Hæccine ferenda ? hæccine toleranda ? Post longa sermonum curricula, post tantam doctrinam, quidam, nobis relictis, ad spectaculum concertantium equorum transfugerunt, atque ita debacchati sunt, ut totam urbem vocibus, clamoribusque repleverint inconditis, multumque risum moventibus ; imo potius luctum afferentibus. Ego itaque domi sedens, et erumpentem vocem audiens, graviora patiebar, quam ii qui tempestate jactantur. Quemadmodum enim illi fluctibus ad latera navis sese frangentibus, de extremis periclitantes formidant ; sic et in me gravius erumpebant illi clamores, inque terram spectabam pudore suffusus : aliis qui superne positi erant sic turpiter et indecore se gerentibus ; aliis vero qui infra et in medio foro erant, aurigas cohortantibus, plaudentibus, et acriore quam illi clamore utentibus.

Quid porro dicemus ? Aut quam defensionem parabimus, si quis extraneus adstans incusaverit, dixeritque : Hæccine urbs apostolorum ? Hæccine quæ talem accepit doctorem ? Hæccine agit populus Christi amans, theatrum non fictitium et spirituale ? Ne ipsam quidem diem reveriti, in qua symbola salutis generis nostri consummata sunt. Verum in parasceve, cum Dominus tuus pro orbe crucifigebatur, et sacrificium tale offerebatur, paradisus aperiebatur, et latro in antiquam reducebatur patriam, maledictio dissolvebatur, peccatum delebatur, diuturnum tollebatur bellum, Deusque reconciliabatur cum hominibus, atque omnia mutabantur : in illa die, in qua jejunare oportebat, confiteri, et gratias precando referre ei qui tot bona orbi contulit; tunc tu, relicta ecclesia et sacrificio spirituali, fratrumque cœtu, atque jejunii gravitate, captivus a diabolo ad illud spectaculum abductus es ? Hæccine ferenda ? Hæccine toleranda ? Neque enim finem faciam hæc sæpe dicendi, doloremque meum sic leniendi, ut ne illum silentio premam, sed in medium afferam, et ob oculos vestros ponam.

Quomodo poterimus deinceps Deum propitium reddere ? Quomodo iratum nobis reconciliare ? — Tu neque formidine gestarum rerum deterritus, neque magnitudine apostolicorum gestorum eruditus, ita confestim, uno tantum interposito die, exsilis, clamas, animam tuam pravis affectibus in captivitatem abductam et dejectam contemptim aspicis. Quod si volebas brutorum cursum spectare, quare non junxisti brutos animi tui affectus, iram et concupiscentiam ? Cur non imposuisti eis philosophiæ jugum suave illud et leve ? Cur non aurigam rectam rationem imposuisti eis, nec cucurristi ad bravium supernæ vocationis, non a scelere in scelus, sed a terra in cœlum cursum dirigens ? Nam cursus hujusmodi genus cum voluptate multam conjunctam habet utilitatem. Verum negotiis tuis temerario et fortuito casui relictis, de aliorum victoria sollicitus sedebas, diem totum, frustra et temere, imo in rem malam insumens.

An ignoras quemadmodum nos cum argentum domesticis nostris tradimus, rationem ab eis expetimus ad usque unum obolum ; ita Deum dierum vitæ nostræ rationem a nobis expeliturum esse, nempe qua ratione unumquemque diem transegimus ? Quid ergo dicemus, quam excusationem afferemus, quando diei illius rationes exposcentur ? Propter te sol ortus est, luna noctem illuminavit, varius stellarum chorus effulsit; propter te flaverunt venti, et fluvii manarunt; propter te germina germinarunt, plantæ creverunt, naturæ cursus ordinem tenuit suum, dies apparuit, noxque pertransiit : hæcque omnia propter te facta sunt; tu vero, rebus creatis tibi ministran-

Digitized by Google

tibus, diaboli optatum imples ; et cum tantam a Deo domum, hunc videlicet mundum, mercede conduxeris, mercedem non solvisti. Nec tibi satis fuit priore die id egisse, etiam in sequenti, cum a nequitia pristina paulum quiescere oportuisset, ad theatra iterum conscendisti, a fumo currens ad ignem, teque in aliud deterius barathrum conjecisti. Senes canos suos dehonestabant, adolescentes juventutem suam præcipitabant, patres filios suos eo adducebant ; jam a principio ætatem nequitiæ expertem in improbitatis barathra inducentes; ita ut non aberret quispiam, si illos, non patres, sed filiorum interfectores appellet, qui nequitia sua animam liberorum in exitium impellant.

Ecquæ nequitia, inquies? Ideo certe lugeo, quia dum morbo laboras, ægrotare te non nosti, ut medicum quæras. Adulterio plenus evasisti, et interrogas, quæ nequitia? Annon audisti Christum dicentem : *Qui respicit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam?* (*Matth.* v, 28.) Quid ergo, inquies, si non respiciam ad concupiscendum? Et quomodo id mihi persuadere poteris? Nam qui ab aspectu non temperat, imo qui tanto studio ad id incumbit, quomodo post aspectum poterit a labe purus remanere? An lapis corpus tuum? an ferrum? Carne circumdatus es, carne, inquam, humana, quæ velocius quam fenum a concupiscentia incenditur. Ecquid theatrum memoro? In foro sæpe si mulieri occurramus, perturbamur : tu vero superne sedens, ubi tantum est ad turpitudinem incitamentum, vides mulierem nudo capite cum impudentia magna intrantem, aureis indutam vestimentis, delicato mollique gestu utentem, cantica meretricia canentem, carmina lubrica, turpia verba proferentem, tamque turpiter agentem, quam tu potes qui vides in mente concipere, tu te inclinas ut respicias, et audes dicere te nihil humanum pati? Num corpus tuum lapis, num ferrum est? Neque enim eadem repetere gravabor.

Nunquid tu majore philosophia instructus es, quam magni illi ac strenui viri, qui per simplicem aspectum prostrati sunt? Annon audisti Salomonem dicentem : *Ambulabit quis super carbones ignis, et pedes non comburet? Ligabit quis ignem in sinu, et vestimenta non incendet? Sic qui ingreditur ad mulierem alienam?* (*Prov.* VI, 28 et 27.) Etsi enim cum meretrice non coivisti, at concupiscentia cum illa copulatus es, et animo peccatum perpetrasti. Neque tantum illo tempore, verum etiam soluto theatro, postquam illa discessit, ejus imago in mente tua insidet, verba, habitus, aspectus, incessus, elegantia, membra meretricia ; ac sexcentis acceptis vulneribus, discedis. Annon inde domorum subversiones? Annon inde continentiæ pernicies? Annon inde connubiorum divortia? Annon inde lites et jurgia? Annon inde molestiæ et tædia nulla ratione fulta? Postquam enim illa repletus rediisti captivus, tibi uxor injucundior et deformior videtur, et liberi importuniores, et famuli onerosi, domus fastidio est, solitæque curæ ad domestica necessariaque negotia gerenda molestæ ; ac quisquis accedit, oneri tibi atque importunus est.

In causa autem illud est, quod non solus domum redeas ; sed meretricem tecum ducas : non palam, non aperte, id quod sane tolerabilius esset, nam uxor illam cito depelleret : sed in animo, in conscientia insidentem, et Babylonicam flammam intus accendentem; imo graviorem. Non enim stuppa, naphtha et pix ; sed quæ supra diximus, esca illius ignis sunt, et omnia sub deque vertunt. Ac quemadmodum ii qui febri laborant, etsi nullam eos qui sibi ministrant criminandi causam habeant, ob morbi vim importuni omnibus sunt, alimenta repellunt, medicos male accipiunt, familiaribus irascuntur, contra famulos rabie feruntur; sic qui hoc gravi morbo tenentur, inquieti sunt, indignantur, semper illam præ oculis habentes.

O res indignissimas! Lupus, leo, cæteræque feræ, sagittis impetitæ fugiunt venatorem, homo autem ratione præditus, vulneratus, eam quæ se (ipsum) vulneravit, sequitur ; ita ut longe gravius telum excipiat, et in vulnere sibi placeat; quod est omnium acerbissimum, morbumque insanabilem efficit. Nam qui ulcus non odit, neque ab eo liberari cupit, quomodo medicum quærat? Ideo dolore afficior, quia tanta accepta pernicie inde discedis, et propter exiguam voluptatem, perpetuum fertis dolorem. Etenim ante gehennam et supplicium, hic extremas a vobis pœnas exposcitis. Annon hoc, dic mihi, extremum supplicium est, talem concupiscentiam alere, perpetuo uri, et fornacem absurdi amoris ubique circumferre, necnon conscientiæ accusationem? Quomodo ad limina illa sacra accedes? Quomodo tanges cœlestem mensam? Quomodo sermones de continentia auditurus es, ulceribus plenus tantisque vulneribus, animumque habens huic morbo servientem? Ecquid opus est alia dicere? Ex iis quæ nunc apud nos aguntur licet animi dolorem perspicere.

Jam enim video quosdam, qui dum hæc loquor, frontes sibi percutiunt, multamque vobis gratiam habeo, quod populus sitis commiseratione plenus. Puto autem multos fortasse eorum qui nihil peccarunt id agere, dolentes de fratrum vulneribus. Propterea doleo et discrucior, quod talem gregem diabolus pessumdet. Verum si volueritis, cito illi ingressum obstruemus. Quomodo et qua ratione? Si infirmos bona valetudine esse videamus : si doctrinæ retia expandentes circumeamus quæsitum eos qui a feris capti sunt, et ex ipsis leonis faucibus eos abstrahamus. Ne mihi dicas : Pauci sunt ii qui a grege sunt avulsi; etiamsi decem tantum fuerint, non parvum hinc detrimentum : etiamsi quinque, vel duo, vel unus. Quandoquidem etiam pastor ille, ideo relictis nonaginta novem ovibus, ad unam cucurrit, nec rediit donec illam reduceret, et claudicantem centum ovium numerum, per restitu-

Digitized by Google

tionem ejus quæ erraverat, complevit. Ne dicas, unum tantum esse; sed cogita esse animam, propter quam visibilia omnia facta sunt; propter quam leges, supplicia, statuta, sexcentaque miracula patrata, diversæque Dei operationes; propter quam nec Unigenito suo pepercit. Cogita quantum pro uno sit pretium solutum, ac ne parvidendas ejus salutem; sed discedens nobis reduc illum, suade illi ne in paria incidat, et sufficientem habemus defensionem. Sin nec nos consulentes, nec vos hortantes ferat; potestate demum utar ea quam Deus nobis dedit; non ad destructionem, sed ad ædificationem.

Ideo prædico, et perspicua voce clamo: Si quis post hanc cohortationem atque doctrinam, ad iniquam theatrorum perniciem defecerit, non illum intra hæc septa recipiam; non administrabo ei mysteria; non permittam ut sacram mensam attingat; sed quemadmodum pastores oves scabie plenas a sanis sequestrant, ne cæteris morbum communicent: ita et ego faciam.— Quamobrem non finem faciam omnia agendi et dicendi, etiamsi vos mœrore afficere oporteat, etiamsi molestus videar et onerosus; ut possim astare ante tribunal illud horrendum, nullam habens maculam aut labem, vel quid hujusmodi. Utinam autem precibus sanctorum, ii qui corrupti sunt citius revertantur; illi vero qui illæsi manserunt, in majorem ornatum continentiamque proficiant; ut et vos salutem consequamini, et nos lætemur, et Deus gloria afficiatur nunc, et semper, et in infinita sæcula sæculorum. Amen.

S. August., epist. 5 *ad Marcellinum.*— Perversa et adversa corda mortalium felices res humanas putant, cum tectorum splendor attenditur et labes non attenditur animorum; cum theatrorum moles exstruuntur, et effodiuntur fundamenta virtutum; cum gloriosa est effusionis insania, et opera misericordiæ deridentur; cum ex his quæ divitibus abundant, luxurientur histriones, et necessaria vix pauperes habeant.

[Ex conciliis.]

Ex conc. Eliberitano, sub Marcello I, an. 305. — Si quis fidelis alea, id est tabula luserit, placuit eum abstinere, et si emendatus cessaverit, post annum poterit communione conciliari.

Ex conc. Saltzburg., sub Gregor. X, an. 1274. — Quidam ludi noxii quos vulgaris elocutio *Eptus puor* (seu episcopatus puerorum) appellat, in quibusdam ecclesiis exercentur adeo insolenter, quod nonnunquam enormes culpæ et damna gravia subsequuntur, ex ipsis hos ludos in ecclesiis, et a personis ecclesiasticis de cætero fieri prohibemus, nisi forte parvi 16 annorum et infra fuerint qui hujusmodi ludos exercent, quibus alii seniores ipsis nullatenus se misceant aut intersint.

Ex conc. Mediolan. I, *sub Pio IV, an.* 1563, *parte* II. — Magistratus prohibeant taxillis aut alea ludi, et graviter in publicos aleatores, et in eos qui hujusmodi ludis intersunt, quive domum ad recipiendos ludentes expositam habent, animadvertant.

LUXURIA, LUXUS

[Ex SS. Patribus.]

Clementina epitome, de gestis S. Petri, tom. I. — Petrus cum leni risu dixit: Quid ergo putas, Clemens, quod non te ipsa necessitas in servorum ordinem rediget? Nam quis mihi elegantes ac multas sindones, seu vestes lintea, cum adjunctis annulis et calceis custodiet? Quis vero et suavia exquisitaque obsonia præparabit? Quæ cum varia sint, multos ac solertes coquos postulant: et omnia illa, quæ tanquam immani bestiæ, cupiditati apparantur. Sed forsan hæc te subiit sententia, quod non intellexeris, quodque ignores vitæ meæ rationem; qui solo pane et olivis utor, raroque oleribus; quique unum habeo vestimentum, ac pallium; hoc ipsum quo amictus sum, et alio opus non habeo, neque ulla re. Nam in his etiam abunde mihi est. Mea quippe mens cernens illic omnia bona æterna, nullius eorum quæ hic sunt curam suscipit. Tuum tamen egregium institutum approbo; mirorque ac laudo, quomodo vir in vita sumptuosa educatus, facile vivendi rationem immutaveris, et ad sola necessaria traduxeris. Nos quippe a puero, ego et Andreas frater, non solum in pupillari conditione educati, verum etiam propter inopiam ad laborem assuefacti, expedite nunc has longas ferimus peregrinationes. Quare, si crederes mihi, servorum officia me tibi impendere concederes.

Id ego audiens, contremui et collacrymavi, quia talem habuisset orationem vir, quo cuncti hujus ætatis homines ratione scientiæ ac pietatis sunt inferiores. At ille cernens me illacrymantem, causam rogabat. Ego autem ad illum: Et quidnam peccavi, inquam, ut hunc sermonem audirem? Statimque Petrus: Si male locutus sum, cum proposui servire tibi, tu prior deliquisti; qui prior in animo habuisti hoc agere. Et ego respondi: Non est similis ratio; siquidem me valde decet id facere; te vero nullatenus, qui es Dei præco, cuique animas hominum pascere commissum est. Tum Petrus dixit: Dominus noster, qui ad salutem totius mundi venit, quique unus supra cunctos veram et solam nobilitatem obtinet, servire ac ministrare sustinuit, ut doceret nos, ne indecorum putemus servilia ministeria proximis exhibere; quamvis nobiles simus, quamvis plurimum eos antecellamus. Ego excepi: Si existimem quod te oratione sim superaturus, amens sim plane ac stultus; verumtamen gratias divinæ Providentiæ habeo, te loco parentum mihi donatum fuisse.

Tertull., *De exhortatione castitatis.*—In-

Digitized by Google

venit diabolus post luxuriam, etiam castitatem perditricem, quo magis reus sit Christianus qui castitatem recusaverit conservatricem.

S. Hilarius, *Commentar. in Matth.*, tom. I. — *Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt* (*Matth.* xi,8). Vestis ambitum corporis quo induitur anima significat, quod luxu ac lasciviis mollescat. Sed qui vestiti mollibus sunt, in domibus regum sunt. In regibus, transgressorum angelorum nuncupatio est: hi enim sæculi sunt potentes, mundique dominantes. Ergo vestiti mollibus in domibus regum sunt, id est eos, quibus per luxum fluida et dissoluta sunt corpora, esse dæmonum habitationem, consimilem sedem propositis suis atque operibus eligentium.

S. Gregor. Nyssen., *De beneficentia*, tom. II. — Necesse est ut luxuria, ubi semel radices egerit et coaluerit, reliquam secum nequitiæ materiam trahat. Quamobrem qui molliter et delicate vivere instituerunt, necessario ad excogitandos magnificos ædificiorum apparatus alliciuntur. In his construendis et exornandis maxima vis pecuniarum profunditur. Ad hæc cœtus hominum libenter convocant et invitant, splendidam vestem et variam supellectilem studiose comparant. Mensas pretiosissimas ex argento conflandas curant, alias levitate politissime exæquatas, alias vero artificio sculptas et fabrefactas, ut liceat convivis simul et gulam epulis delinire, et oculos intuendis et legendis historiis oblectare. Hic mihi deinceps tute reliqua considera: crateras, tripodas, cados, gutturina, lances, innumerabilia poculorum genera, scurras, mimos, citharistas, poetas, oratores, cantores, cantatrices, saltatores, saltatrices, totum denique petulantiæ ludum: pueros comis effeminatos, puellas inverecundas, quas propter immodestiam merito sorores Herodiadis appelles, Joannem, id est divinum in unoquoque, sapientiæque studiosum animum e medio tollentes.

S. Gregor. Naz., orat. 14, tom. I. — Illine (pauperes) sub die vexabuntur, nobis vero erunt splendidissimæ domus, omnigenis lapidibus exornatæ, atque coruscantes auro et argento, ac tenuium calculorum dispositione, varioque picturæ artificio, quæ fallaces sunt oculorum illecebræ; atque alias quidem incolemus, alias vero exstruemus? Quibusnam autem? Ne hæredibus quidem fortasse nostris, sed exteris et alienis, iisque ne amicis quidem fortasse nostris, sed inimicissimis, maximaque in nos invidia flagrantibus, quod quidem malorum omnium extremum est. Quid? Illine in asperis et laceris pannis obrigescent, imo ne eos quidem fortasse habebunt, nos autem in mollibus et circumfluentibus vestibus, telisque ex tenuissimo lino ac serico contextis lasciviemus; atque in aliis quidem indecore potius quam honeste atque ornate nos ipsos geremus (sic enim quidquid superfluum et curiosum est voco), alias autem in arcis recondemus, curam inutilem et incommodam, a tineis exedendas, et a tempore quod omnia conficit absumendas. Atque illisne necessaria quidem alimenta suppetent; o delicias meas! o gravem illorum afflictionem! Verum pro foribus nostris jacebunt, languentes et fame laborantes, ac ne instrumenta quidem ad petendum a corpore habentes; vocibus privati, quibus miseriam suam lugeant; manibus, quas supplicandi causa protendant; pedibus, quibus ad divites accedant; respiratione, qua fortiter lamenta sua edant; atque, quod malorum omnium acerbissimum est, levissimum esse judicantes, oculisque duntaxat gratiam habentes quod ipsorum labem minime videant.

Atque hi quidem ad hunc modum; nos autem in altis et sublimibus lectis, eximiisque et quæ pene tangere nefas sit stragulis, splendidi splendide recumbemus, si vel solam petitionum vocem audiamus stomachantes. Atque etiam illud oportebit, ut et pavimentum nostrum floribus, plerumque etiam extra tempus, fragret, et mensa suavissimis et sumptuosissimis unguentis perfundatur, quo magis etiam effeminemur; ut pueri etiam astent, alii, ornate ac suo quisque ordine, comis soluti et effeminati, ac cæsarie ad faciem expoliti, magisque quam impudicis oculis conducat, exornati; alii pocula extremis digitis tenentes, quam fieri potest elegantissime simul ac tutissime; alii, follibus ventum super caput artificiose excitantes, atque auris manu conflatis molem carnis refrigerantes; ut mensa insuper carnibus redundet, elementis omnibus nobis prolixe et copiose subministrantibus, aere nempe, terra, aqua; nosque coquorum, et eorum qui epulas instruunt, lenociniis comprimamur; omnesque de eo concertent; ecquis avido et ingrato ventri quam maxime blandiatur, gravi omnino sarcinæ, et malorum auctori, belluæ prorsus insaturabili, ac perquam infidæ, huic, inquam, qui cum cibis qui abolentur, jamjam ipse abolendus. Et quidem illi præclare secum agi putabunt, si vel aqua expleantur; nos autem vini pocula usque ad temulentiam hauriemus, imo etiam ultra temulentiam, saltem ii qui majore intemperantia laborant; atque ex pluribus vinis alia rejiciemus, alia ut suavia et grata probabimus, de aliis etiam philosophabimur, atque in detrimento ponemus, nisi ad patrium vinum, exoticum etiam quoddam maxime celebratum, velut tyrannus accedat. Nos quippe lautos et delicatos, et profusiores quam usus exigat, aut esse aut haberi oportet, perinde, atque vereamur ne non pravi existimemur, ac ventris et eorum quæ sub ventre sunt, mancipia.

S. Ambros., *Hexaemeron*, lib. v, tom. I. — At nobis longe alia sententia est, mutare exsilio domos, incolarum fastidio teneri, advenarum captare gratiam, transferre terminos perpetuos quos posuerunt patres nostri, agrum ad agrum jungere, domum ad domum. Deficit terra hominibus, sternuntur et maria. Rursus pro singulorum libidine inciditur terra, mare infunditur, u.

Digitized by Google

insulas faciant, ut possideant freta : spatia maris sibi vindicant jure mancipii, pisciumque jura sicut vernaculorum conditione sibi servitii subjecta commemorant. Iste, inquit, sinus maris meus, ille alterius. Dividunt elementa sibi potentes. His ostreæ in fluctibus nutriuntur; his in vivario piscis includitur. Luxuriæ nec mare sufficit, nisi apothecas habeant ostrearum. Itaque ætates earum numerant, et piscium receptacula instruunt, ne convivia divitis mare non possit implere. Nam vicini nomen quibus audiunt auribus? Quibus oculis intuentur possessiones eorum? Quemadmodum dies noctesque excogitant ut aliquid proximi auferant? *Nunquid soli habitabitis super terram?* (*Isa.* v, 9) clamat propheta. Cognoscit hæc Dominus, et vindictæ reservat.

S. Ambros., *Lib. de Elia et jejunio*, tom. I. — Et quid aliorum utar sententiis? Ipsi bene pasti ac luxuriosi quid sibi sperent, audiamus. Inducit enim eos Isaias propheta dicentes : *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur.* (*Isa.* xxii, 13.) Meritoque exclamat : *Ululate, naves Carthaginis quæ perierunt, et non amplius erunt.* (*Isa.* xxiii, 1.) Quod est dictum de visione Tyri, quam luxuriosam urbem cognovimus. Ideoque nona visio est, non septima aut octava, quod ea neque legem custodiat, neque Evangelii gratiam : cum et Sabbato legitimo ignes libidinis adolere sit vetitum, et Evangelii serie octavus dies resurrectionis illuceat. Idem autem dies primus atque octavus, quia Dominica dies in se recurrit. Luxuria, ergo nec fidem habet, nec observantiam disciplinæ; luxuria seminarium et origo vitiorum est. Nec arbitremini me adversus Apostolum dixisse, quia ille ait avaritiam radicem esse vitiorum omnium, quoniam luxuria ipsius est mater avaritiæ. Etenim cum exhauserit quis luxuriando proprias facultates, quærit postea avara compendia.

Idem, lib. II *De interpellatione David*, t. I. — Caro nostra si vivat illecebris corporalibus, in quodam cœno vivit et voragine voluptatum. Si luxuriæ moriatur atque incontinentiæ, tunc veram vitam resumit, tunc edere incipit bonorum operum dulce modulamen. Dulcis sonus est castimoniæ, dulcis sonus timentium Deum; denique, *in omnem terram exivit sonus eorum.* (*Psal.* cxviii, 6.) Dulcis sonus est fidei quæ *annuntiatur*, ut scriptum est (*Rom.* I, 8), *in universo mundo.*

Idem, lib. VII *Expositionis evang. sec. Lucam*, tom. I. — Cur cruciatur (dives) ante judicium? Quia luxurioso carere deliciis, pœna est. Nam et Dominus dicit : *Ibi erit fletus et stridor dentium; cum videritis Abraham Isaac et Jacob, et omnes prophetas in regno cœlorum.* (*Luc.* xiii, 28.)

Idem, *Enarrat. in psal.* xlviii, tom. I.—Ubique Scriptura sepulcra pro vilibus ducit, quibus degeneres et vitæ hujus cupidi comparantur. *Sepulcrum patens est guttur eorum.* (*Psal.* v, 11.) His ergo qui ad diem et de die vivunt, sepulcra pro domibus sunt. Domus enim justorum non in terra est, sed in cœlo, sicut Apostolus docuit dicens : *Nostra autem conversatio in cœlis est.* (*Philip.* III, 20.) Ipsa est domus nostra, quæ domus est Christi. Unde ait Scriptura : *Et Moses quidem fidelis in tota domo ejus, tanquam famulus in testimonium eorum quæ dicenda essent : Christus vero tanquam filius in domo sua.* (*Hebr.* III, 5 et 6.) Piis ergo domus est Ecclesia; piis patria cœlum est. Ideoque justus ait : *Advena ego sum apud te in terra, et peregrinus sicut omnes patres mei.* (*Psal.* xxxviii, 13.) Luxuriosis domus sepulcrum est. Denique tanquam in sepulcro vivunt qui possunt dicere : *Manducemus et bibamus cras enim moriemur* (*Isa.* xxii, 13), resurrectionem ante oculos non habentes. Ideoque tumulis suis affixi atque adtumulati adhærent, quia resuscitari se posse non crediderunt. Habitaculum ergo illis in suo busto est, et tabernaculum eorum in progenie et generatione terrena est; qui vermes sui corporis hæredes relinquunt; ut hic tantum sit memoria eorum, et in æternum transire non possit.

Idem, epist. 58, *Sabino*, classis I, tom. II. — In Ægyptiis confidit qui luxuriis deditus est, mancipatus lasciviæ. Nemo autem se luxui committit, nisi qui recedit a præceptis Dei veri. Ubi autem cœperit quis luxuriari, incipit deviare a fide vera. Ita duo committit maxima crimina, opprobria carnis, et mentis sacrilegia. Ergo qui non sequitur Dominum Deum suum, ingurgitat se luxuriæ ac libidini, pestiferis corporis passionibus. Qui autem se ingurgitaverit atque immerserit hujusmodi voluptabris, perfidiæ laqueos incurrit : *Sedit* enim *populus manducare et bibere* (*Exod.* xxxii, 6). et fieri sibi deos poposcit. Unde docet Dominus quoniam qui duobus istis flagitiorum generibus dederit animam suam, exuitur indumento, non vestis laneæ, sed vividæ virtutis; cujus amictus non temporalis, sed æternus est.

Idem, epist. 63, t. II. — Non quicunque dicit : *Portio mea Dominus.* (*Psal.* cxviii, 57.) Non avarus dicit : quia venit avaritia et dicit : Mea portio es, ego te subditum habui, mihi serviisti, mihi te in illo auro vendidisti, mihi te in illa possessione adjudicasti. Non dicit luxuriosus : Portio mea Christus, quia venit luxuria et dicit : Mea portio es, ego te in illo mihi mancipavi convivio, illis te cepi epularum retibus, ego te addictum teneo gulæ tuæ chirographo. An ignoras quia charius fuit mensæ tuæ quam vitæ pretium? Tuo te judicio revinco : nega si potes, sed negare non potes. Denique nihil ad vitam reservasti, totum ad mensam expendisti. Non potest dicere adulter : *Portio mea Dominus*, quia venit libido et dicit : Ego sum tibi portio, mihi te in illius adolescentulæ addixisti amore, in illius nocte meretricis in meas leges, in mea jura migrasti.

Idem, *De lapsu virginis*, tom. II. — Non est qui consoletur me. O quam acerbus fructus luxuriæ! Amarior felle, crudelior gladio. Quomodo facta sum in desolationem? Subito defeci, perii propter iniquitatem

Digitized by Google

meam, velut e somno exsurgens; ideo in civitate Domini nullificata est imago mea. Delictum est de libro vitæ nomen meum, facta sum sicut noctua in domicilio, sicut passer unicus in ædificio : non est qui consoletur me. Considero a dextris, et video quia non est qui agnoscat me. *Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam.* (*Psal.* CXLI, 5.) Facta sum sicut vas perditum, audivi vituperationem omnium circa me habitantium. Væ diei illi in quo me infelix genuit mater, et lux ista crudelis excepit! Oportuerat me non fuisse natam, quam sic in gentibus fabula fierem. Propter me confusio facta est omnibus famulis Domini, et cum digne colentibus.

S. AMBROS., *ibid.*—Lugete me, montes et colles; lugete me, fontes et flumina, quia fletus filia ego sum. Lugete me, bestiæ silvarum, reptilia terræ, et volucres cœli, et omnis anima quæ vita frueris. Nam vos beatæ feræ et volucres, quibus nullus metus de inferis, neque post mortem reddenda est ratio. In nos manet pœna crudelis tartari, quia habentes sensum, delinquimus; ideo non est pax peccatoribus. Meum peccatum, mea iniquitas non sunt similia offensis hominum; quia impietas est. — Meum malum Prolapsa cecinit, quod qui elongant se a Deo peribunt; disperdit omnem fornicantem a se. (*Psal.* LXXII, 27.) Et iterum : *Adhæsit lingua mea faucibus meis, et in pulverem mortis deduxit sum.* (*Psal.* XXI, 16.)

Verumtamen clamabo ad Dominum, cum adhuc tempus est, dum datur spatium; quia in morte non est memoria, et in inferno non est confessio. *Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, nec est sanitas in carne mea a vultu iræ tuæ: non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitates meæ superposuerunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me. Computruerunt et deterioraverunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ. Miseriis afflicta sum, et curvata usque in finem, rugio a gemitu cordis mei.* (Psal. XXXVII, 1 et seq.) *Cor meum turbatum est* intra me, *dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum non est mecum.* (*Ibid.*, 11.) Deus, repulisti me, et destruxisti me, ostendisti mihi dura, potasti me vino compunctionis : expulsa sum ab oculis tuis, jam non adjiciam ut resurgam ad templum sanctum tuum, et facta sum in exterminio. (*Psal.* LIX, 4, 5.) Potens es, Domine, conscindere saccum, et præcingere me lætitia (*Psal.* XXIX, 12), disrumpere vincula mea, quibus ligata sum atque constricta (*Psal.* CXV, 13), qui Rahab sordidam non aspernatus es. (*Josue* II, 14.) Iram tuam, Domine, aufer a me, quia peccavi tibi crudeliter, donec justifices causam meam, et educas me in lumine. Deus virtutum, da pœnitentiæ effectum, confessioni perseverantiam, ne me induret deceptor animæ. Hoc mihi donum, hanc mihi gratiam de tuo fonte præstari cupio, Deus, ut in æternum tibi confitear.

Luxus mulierum arguitur.

S. AMBROS., *De Nabothe Jezraelita*, tom. I.) — Fortasse redeas domum et cum uxore conferas : illa te hortetur ut redimas venumdatum. Imo magis hortabitur ut mundum muliebrem conferas, unde potes vel parvo pauperem liberare. Illa tibi imponet sumptuum necessitatem, ut gemma bibat, in ostro dormiat, in argentea sponda recumbat, auro oneret manus, cervicem monilibus. Delectantur et compedibus mulieres, dummodo auro ligentur. Non putant onera esse, si pretiosa sint : non existimant vincula esse, si in his thesauri coruscent. Delectant et vulnera; ut aurum auribus inseratur, et margaritæ dependeant. Habent et gemmæ pondera sua, habent et vestimenta frigora sua. Sudatur in gemmis, algetur in sericis : tamen pretia juvant; et quæ natura aversatur, commendat avaritia. Smaragdos, et hyacinthos, beryllum, achatem, topazium, amethystum, jaspidem, sardonychum, summo quærunt furore, vel si dimidium patrimonii petatur, non parcunt dispendio, dum indulgent cupiditati. Non abnuo gratum quemdam lapidum istorum esse fulgorem, sed tamen lapidum. Et ipsi admonent contra naturam expoliti, ut saxorum deponerent asperitatem, rigorem magis mentis esse expoliendum, quam lapidum.

S. CHRYSOST., hom. 22, vel 23, *in Matth.*, tom. VII. *Nolite sancta dare canibus, neque projiciatis margaritas vestras ante porcos.* (*Matth.* XVII, 6.) Canes hic vocat (Christus) qui in impietate vitam ducunt incurabili, et in quibus spes nulla mutationis in melius. Porcos vero illos qui luxuria perditam semper vitam agunt, quos omnes hujusmodi doctrina dicebat indignos. Hoc enim etiam Paulus significat his verbis : *Animalis homo non percipit ea quæ spiritus sunt : stultitia enim est illi.* (*I Cor.* II, 14.) Alibi quoque sæpe dicit vitæ corruptionem in causa esse cur perfectiora dogmata non recipiantur.

Idem, hom. 10 *in Epist. ad Philipp.* cap. III, t. IV. — Quid, dic mihi, utilitatis ex multis ac pretiosis vestibus? Atque istis induti quid lucri facimus? Nihil plane, sed damnum duntaxat reportamus : quomodo? Quoniam et pauper, vilem tritamque vestem ferens in maximis caloribus, nihilo deterius fert æstum, quam tu : quinimo facilius; trita enim et unica facilius sinit respirare, ac recreari corpora : quæ autem recens confecta est, etiamsi aranearum telis tenuior, non item. Ac tu quidem nimio elatus fastu, et binas ternasque tunicas, sæpe vero et amiculum, et zonam, et subligacula habes. Illi vero nemo crimini dat quod unica tegatur tunica, hincque facilius fert æstum. Et ideo divites quidem videmus madentes sudore; pauperes vero minime. Quando igitur homini eumdem vel etiam potiorem usum præbent vestimenta vilia, et nullo prope pretio empta; ille vero, in quibus necessario multum auri effundendum fuit, nihil plus efficiunt; nonne damnum est nimirum illud ac supervacaneum? Nihil enim plus afferunt, quod ad usum et com-

Digitized by Google

modum pertinet, sed plus auri effusum tibi est. Eumdem vero usum et commoditatem, tu quidem dives centum, aut forte etiam pluribus aureis emisti; pauper vero pauculo argento. Vides damnum, sed fastus videre non sinit.

Visne auri etiam, quod et equis et mulieribus circumdat, rationem subducamus? Ad alia enim mala hoc etiam accedit, quod divitiæ amentes faciant. Eodem enim honore et mulieres et equos dignantur. Unus est utrorumque ornatus, atque ex iisdem rebus volunt mulieres splendidiores apparere, ex quibus et vehicula, ex quibus et pelles cortinarum in quibus vehuntur. Dic mihi, quid lucri est, mulum vel equum auro ornare? Mulier vero tanta auri lapidumque mole circumdata, quid amplius habet? Etenim aurea, inquit, non consumuntur. Quinimo et hoc illis accidere affirmant, qui ista callent: atque in balneis, et alibi sæpe, et lapides, et aurea multum de pretio perdunt. Verum sit ita sane, ut vis, nihilque lædantur; cedo, quid lucri? quid? cum exciderint, ac perierint, annon damnum est? Quid vero cum invidiam atque insidias in se concitarint, nonne damnum? Nam quandoquidem nihil prosunt circumdatæ mulieri, inflammant vero avidorum oculos, et latrones magis excitant, nonne damnum afferunt? Quid vero, dic mihi, cum liceret viro his uti ad negotium magno cum emolumento gerendum, nec tamen potest ob sumptuosæ mulieris luxum, cogiturque ipse cum fame conflictari, et in summas adduci angustias, illam vero spectare auro onustam, nonne hoc damnum est? Propterea enim pecuniæ dictæ sunt *chremata*, id est utilia, non ut ipsis sic nos utamur, quemadmodum utuntur aurificum prothecæ, sed ut ex illis honesti quidquam agamus. Quando igitur auri cupiditas id minime permittit, annon res tota damnum est? Nam qui ipsis uti non audet, perinde ac si aliena essent, ita non utitur; sublato autem usu, jam non sunt *chremata*, id est utilia.

Quid vero cum ædes splendidas, et magnas ædificamus, ipsasque et columnis, et marmoribus, et porticibus, et ambulationibus, modisque omnibus exornamus, idola ubique et statuas collocantes? Multi quidem ex his etiam dæmonas vocant; sed omittamus nunc istud. Quid sibi vult et tectum aureum? Nonne eumdem usum sua illi domus præbet, qui sibi aptam, ac modicam habet? At habet, inquit, magnam delectationem: sane unum aut alterum diem; exinde vero minime. Nam si solem ipsum non valde admiramur, quod ei videndo assuevimus, certe multo minus opera artis; sed nihilo magis quam si lutea essent, attendimus. Quid enim, dic mihi, ad ædificationis commoditatem multitudo columnarum, et signorum pulchritudo, et aurum muris inspersum confert? Nihil; sed omnia luxus, petulantiæ, elationis mimæ, ac dementiæ sunt. Ubique enim rebus necessariis, quibusque utamur, danda opera est, non inutilibus.

Vides rem istam damnum esse? Vides supervacaneam et inutilem? Nam si neque majorem usum neque delectationem affert, procedente enim tempore satietatem parit: nihil aliud est, nisi damnum. Sed obstans inanis gloriæ studium facit ne videamus. Ita Paulus quidem quæ lucra esse arbitrabatur, ea reliquit: nos vero neque ea quæ damna sunt pro Christo relinquemus? Quousque tandem humi defixi hærebimus? Quousque ad cœlum non spectabimus? Non videtis senes, quam nullum rerum præteritarum sensum habent? Non videtis morientes, cum senes, tum juvenes? Non videtis eos, qui in vita ipsa suis rebus spoliati sunt? Cur rebus instabilibus inhiamus? Cur infirmis alligamur? Quousque non persequemur manentes ac stabiles? Quid non darent senes, quo liceret deponere senectutem? Itane: quæ isthæc dementia est ad pristinam velle juventutem redire, atque hujus rei consequendæ causa facile omnia dare: cum vero liceat consequi juventutem cui non succedat senectus, juventutem multis cum divitiis conjunctam, multoque vivaciorem, nec paulum quiddam velle dare, sed ea retinere quæ etiam in præsenti nihil prosunt? Ex morte eximere te non possunt, non morbum propulsare, non prohibere senectutem, aut quidquam aliud eorum quæ necessario et secundum naturæ legem accidunt, et adhuc illis hæres? Ecquid lucri, dic mihi? Hinc ebrietas, edacitas, obscenæ ac multiplices voluptates, quæ magis quam amari domini nos excruciant? Hæc solum ex divitiis lucrari possumus, aliud vero nihil, quandoquidem ita volumus. Nam si liberet, cœlum sane ipsum divitiis consequeremur.

S. Hieronym., *epist. Amando*, tom. IV.— Luxuria mater libidinis est, ventremque distentum cibo, et vini potionibus irrigatum, voluptas genitalium sequitur; atque pro membrorum ordine, ordo vitiorum est. Omne itaque peccatum, verbi gratia, furtum, homicidium, rapina, perjurium, et cætera his similia, post factum pœnitudinem habent; et licet invitet lucrum, tamen mordet conscientia. Voluptas sola ac libido, etiam in ipso tempore pœnitendi, præteritos stimulos patitur, et titillationem carnis, et incentiva peccati; ut per hæc quæ corrigi cupimus cogitantes, rursum sit materia delinquendi.

S. August., serm. 87 *De verb. Evang. Matth.* xx, tom. V. — Luxuria quid dicit? quid? fac cum anima tua bene. Ecce dicit et Dominus: Fac cum anima tua bene. Quod tibi dicebat luxuria, hoc tibi dicit justitia. Sed vide et hic quomodo dicatur. Si cum anima tua vis facere bene, attendo illum divitem qui, ex consilio luxuriæ et avaritiæ, volebat cum anima sua bene facere. Successit ei regio, et non habebat ubi reconderet fructus suos, et ait: Quid faciam? Non habeo quo colligam. Inveni quid faciam: destruam apothecas veteres, et novas ædificabo, et replebo eas, et dicam animæ meæ: habes multa bona, jucundare. Audi consilium contra luxuriam: Stulte, anima tua

Digitized by Google

hac nocte auferetur abs te, quæ præparasti cujus erunt? (*Luc.* XII, 16-20.) Et quo itura est anima ista quæ auferetur ab illo? Hac nocte auferetur, et nescit quo itura est.

S. Gregor. Mag., *Moralium* lib. XXI, *in cap. Job* XXXI, tom. I.—Videamus quomodo beatus Job id quod in eo fluxum ac puerile caro sapere potuit, juvenili sapientiæ vigore restrinxit. Ait enim : *Pepigi fœdus cum oculis meis.* (*Job* XXXI, 1.) Et quia non in se actionem tantummodo, sed et cogitationem luxuriæ exstinxit, secutus adjunxit : *ut ne cogitarem quidem de virgine.* Sciebat nimirum luxuriam esse in corde refrenandam, sciebat per sancti Spiritus donum, quod Redemptor noster veniens legis præcepta transcenderet, et ab electis suis non solum luxuriam carnis, sed etiam cordis aboleret, dicens : *Scriptum est : Non adulterabis : ego autem dico vobis, quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* (*Matth.* V, 27.) Per Moysen quippe luxuria perpetrata, per auctorem vero munditiæ luxuria cogitata damnatur. Hinc est enim quod discipulis primus Ecclesiæ pastor dicit : *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam quæ offertur vobis gratiam.* (*I Petr.* I, 13.) Lumbos enim carnis succingere, est luxuriam ab effectu refrenare; lumbos vero mentis succingere, est hanc etiam a cogitatione restringere.

S. Bernard., serm. 1 *De Epiphania Domini*, tom. II. — Quanquam perfectis, qualis Timotheus erat (*I Tim.* IV), exercitatio corporalis ad modicum utilis sit comparatione pietatis; quantum tamen rudibus et imperfectis, quales nos sumus, utilis sit, vos ipsi, fratres, vobis testes estis : quomodo scilicet redimit de corruptione vitam nostram amaritudo parcimoniæ et laboris. Ipsi etenim scitis, quomodo vermescerent corda, quomodo vermescerent corpora, si non quotidie de manibus laborantium distillaret myrrha. An non vermis, luxuria? Nescio si alter nocentior. Ingreditur blandiendo, mordet ridendo, transforat delectando, perimit consensu voluntario.

[Ex Conciliis.]

Ex conc. Vienn. sub Clem. V, an. 1312, *quod damnavit errorem seq.* : — Quod mulieris osculum, cum ad hoc natura non inclinet, est mortale peccatum; actus autem carnalis, cum ad hoc natura inclinet, peccatum non est, maxime cum tentatur exercens.

Propositio damnata ab Alexandro VII, bulla 18 *Martii* 1666. — Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.

Propositio damnata ab Alexandro VII, die 24 *Sept.* 1665. — Mollities, sodomia, et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ; ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.

Propositiones damnatæ sub Innocentio XI, decreto, die 2 *Martii* 1679. — Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur. — Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde, si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

Ibid. —Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali. —Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

Propositiones Michaelis de Molinos damnatæ ab Innocentio XI, constitutione Cœlestis pastor, *etc.*, 20 *Nov.* 1687. Tradito Deo libero arbitrio, et eidem relicta cura et cogitatione animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum; nec eis alia resistentia fieri debet nisi negativa, nulla adhibita industria; et si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur, quia est natura. — Qualescunque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, sanctos, fidem et sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia et resignatione tolerentur, non impediunt orationem fidei : imo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinæ voluntati resignata remanet. — In occasione tentationum etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore et resignatione permanere. — Cum hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo : et etiamsi sequantur pollutiones et actus obsceni propriis manibus, et etiam pejora, non opus est se ipsum inquietare, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, et timores; quia anima fit magis illuminata; magis roborata, magisque candida, et acquiritur sancta libertas. Et præ omnibus non opus est hæc confiteri, et sanctissime fit non confitendo; quia hoc pacto superatur dæmon, et acquiritur thesaurus pacis.

M

MAGISTRATUS.

[Ex SS. Patribus.]

Canones apostolorum, tom. I.— Quicunque contumelia affecerit regem, vel magistratum, præter jus, pœnas luat; et si quidem clericus est, deponatur; si vero laicus, segregetur.

Philon Judæus, *Lib. de creatione principis.* — Quibusdam placet sortito creari principes, nullo sane subditorum commodo. Sors enim ad felicitatem, non ad virtutem attinet. Itaque sæpe accidit ut ad principatum

Digitized by Google

sors eveheret, quos vir bonus non ferret in subditorum numero. Nam et minores principes, qui ab aliis vocantur domini, non omnes vernas emptitiosve assumunt in famulitium, sed solos morigeros obsequentesque : cæteros refractarios et incorrigibiles gregatim interdum hastæ auctionique subjiciunt, ut indignos, qui vel serviant in boni viri familia. Quanto minus decet dominum principatumque integrarum civitatum gentiumque sorti committere, lubricæ rei pendenti a fortuna instabili. Certe in ægrotis curandis sortium nemo meminit. Nec enim sorte capiuntur medici, sed peritissimus quisque eligitur. Item cum de prosperitate saluteque navigantium agitur, non sorte decernitur quis gubernaturus puppim ascendat, ne forte aliquis imperitus, vel in tranquillitate ac serenitate asciscat naufragium, sed quæritur aliquis qui artem gubernandi a juventute didicerit : hoc est qui sæpe navigavit, perlustravitque aut omnia, aut plurima maria, qui bene novit emporia, portus, receptacula, quæ vel in continente sunt vel in insulis, qui in mari quoque callet invenire semitas ex observatione siderum, peritus stellarum, et suos cursus ad illarum motus dirigens, ita ut per invia viam expediat, et novo more maria terrestri animanti aperiat, redditque trajectu facilia. — Et postea civitates magnas, populosas, plenas habitatoribus, earumque administrationem, et curam rerum privatarum ac publicarum, sacrarum ac profanarum, quam merito quis artem artium et scientiam scientiarum dixerit, committemus incertæ rei fortuitæque, rejecto veritatis examine? Est autem veritatis examen, rationabilis probatio. His igitur consideratis, Moses sapientissimus nusquam meminit principatus quæsiti sortibus, maluitque suffragiis electos introducere.

S. Gregor. Naz., orat. 17. — Illud etiam jubet Scriptura sancta, ut magistratibus et potestatibus subjiciamur, ac pro iis precemur ut *tranquillam et pacatam vitam agamus.* (*I Tim.* II, 2.) Ac omnibus omnia reddere docet : *Cui honorem, honorem ; cui timorem timorem ; cui tributum, tributum ; nec quidquam ulli debere, nisi ut diligamus omnes.* (*Rom.* XIII, 7, 8.) — Nos, fratres, dum officium ipsi deserentes, magistratus potestatem iniquo animo ferimus, perinde utique facimus ac si quis certaminis præsidem ut improbum accuset, cum ipse in palestræ leges peccet; aut medicum ut indoctum audacem, quod sectionibus et cauteriis utatur, cum ipse gravi morbo laboret, asperioribusque remediis indigeat. Atque hæc mihi ad subditos, partim monendi, partim consolandi gratia dicta sint; mihi, inquam, pauperi pastori qui parvum hunc gregem compono ac instruo, cum quo gaudente gaudere, et mœrente ingemiscere, pastoralis meæ legis præscripto jubeor.

Quid autem, vos principes et præfecti? ad vos enim jam nostra se convertit oratio; ne alioqui inique omnino facere videamur, atque his quidem quæ ipsorum officii sunt suadere, vestræ autem dignitati et potentiæ cedere ; quasi vel pudore vel metu, libere, ut Christianum decet, loqui non audeamus; aut illorum quidem commodis consulere, vos autem negligere, quorum curam eo majorem parere par est, quod ea res plus in utramque partem momenti habeat, majorque inde utilitas promanet, si negotium prospere successerit. Contrarium enim tum a nobis absit, tum ab oratione nostra ; quid igitur dicitis ? aut quid inter nos convenit ? an me libere loquentem æquo animo feretis? Nam vos quoque imperio meo ac throno lex Christi subjicit. Imperium enim nos quoque gerimus ; addo etiam præstantius ac perfectius : nisi vero æquum sit spiritum carni, et cœlestia terrenis cedere. Hanc dicendi libertatem, in optimam partem accipies ; certo scio, utpote sacra sacri mei gregis ovis, magnique pastoris alumna, rectequejam olim a Spiritu ducta et instituta, sanctæque et beatæ Trinitatis lumine, æque ac nos ipsis collustrata. Proinde brevis mihi ad te erit oratio.

Cum Christo imperium geris, cum Christo munus hoc administras. Ab illo gladium accepisti, non tam ut eo utaris, quam ut mineris ac terreas. Quare tibi videndum est, ut illum, tanquam donarium quoddam purum et integrum, ei qui dedit serves. Imago Dei es : verum Dei quoque imagini imperas; quæ quidem hic certa dispensatione gubernatur, ad aliam autem vitam migrat, ad quam omnes quoque concedemus, posteaquam in hoc vitæ carcere, vel stadio, vel præsignatione, vel adumbratione, aliquantisper luserimus. Flectat te naturæ cognatio ; moveat te exemplar tuum ; ad Deum te adjunge, non ad mundi principem ; ad benignum Dominum, non ad acerbum tyrannum. *Ille homicida erat ab initio.* (*Joan.* VIII, 44.) Ille, et primo homini per mandati transgressionem vulnus inflixit ; et ærumnosam vitam invexit, et tum interendæ, tum subeundæ pœnæ legem per peccatum induxit. Tibi vero, homo Dei, in mentem veniat quis te tinxerit, quo voceris, quot quantaque habeas, quot nominibus obstrictus sis, a quo rationem, legem, prophetas acceperis, a quo hoc ipsum quod Deum cognoscis, quod bona in exspectatione posita non desperas. Quocirca Dei humanitatem et misericordiam æmulare. Nihil tam divinum homo habet, quam benignitatem et beneficentiam. Licet tibi nullo labore Deum fieri: noli divinitatis consequendæ occasionem abjicere.

I. *Magistratuum timor utilis.*

S. Chrysost. hom. 6 *ad pop. Antioch.* tom. II. — Quoniam et vos (Antiocheni) terruerunt magistratus, et anxios reddiderunt, Ecclesia, communis omnium mater nostra, sinus aperiens, et supinis suscipiens manibus quotidie consolatur, dicens utilem esse magistratuum metum, utilem etiam hinc profectam consolationem. Illorum enim metus non sinit nos torpore dissolvi ; hujus autem consolatio sub tristitia succumbere non permittit ; et per utraque Deus

Digitized by Google

salutem nostram disponit. Nam et magistratus ipse armavit, ut lascivientes terreant: et sacerdotes ipse elegit, ut dolentes consolentur; et hæc utraque Scripturarum exempla, et ipsa rerum experientia docet. Si enim cum non deessent magistratus, et milites in armis præsto essent furor paucorum hominum promiscuorum et advenarum, brevi temporis momento tantum nobis incendium fecit, et tantam excitavit procellam et de naufragio cunctos metuere compulit; si magistratuum metus omnino sublatus fuisset, ad quid furoris isti non venissent? Nonne a fundamentis hanc nobis urbem evertissent, et omnia confundentes ipsas demum animas nostras abstulissent? Si enim judicialia sustuleris tribunalia, omnem vitæ nostræ ordinem sustuleris; et sicut si gubernatorem a navi separaveris, scapham submerseris; et si ducem ab exercitu abduxeris, vinctos hostibus tradideris milites; ita si magistratus de civitatibus abstuleris, feris irrationabilibus magis irrationabilem degemus vitam inter nos mordentes, et nos devorantes, pauperiorem potentior, mansuetiorem audacior. Sed horum nihil nunc est per Dei gratiam: in religione enim viventes nihil opus horum habent correctione. *Justo enim lex non est posita*, inquit. (*I Tim.* I, 4.) Multi vero ad vitium spectantes, nisi hunc imminentem timorem haberent, infinitis utique malis civitates implessent; quæ Paulus quoque cognoscens dicebat: *Non enim est potestas, nisi a Deo; et quæ sunt potestates, a Deo ordinatæ sunt.* (*Rom.* XIII, 1.) Quod enim in domibus faciunt ignorum contignationes, hoc magistratus in civitatibus; et sicut si illas sustuleris, dissoluti parietes per sese corruunt, ita si ex mundo magistratus tollas et horum metum, et domus, et civitates et gentes cum multa inter se licentia corruent, nemine existente qui contineat et repellat, et pœnæ timore eos quiescere persuadeat. Ne igitur doleamus, dilecti, propter magistratuum metum, verum et Deo gratias agamus quod torporem nostrum corripuerit, et nos diligentiores effecerit.

II. *Magistratuum necessitas.*

S. Chrys. *exposit. in psalm.* CXLVIII. tom. V. — *Principes et omnes judices terræ,— laudent nomen Domini.* (*Psal.* CXLVIII, 11 et 12) Hic (Propheta) loquitur de alio genere providentiæ, nempe de principibus: quod Paulus quoque in Epistola ad Romanos ponit, sapientissime ostendens hoc fuisse opus Dei providentiæ, in eos qui magistratus gerunt, et in eos qui illis parent, universum divisisse. *Dei enim minister est tibi*, inquit, *in bonum.* (*Rom.* XIII, 4.) Si hoc autem sustuleris, universum interit. Si enim cum nunc sunt principes et magistratus, multique sunt in eis corrupti ac depravati, tantus tamen rei est usus ut, etiam cum mali sint, magna ex eis capiatur utilitas: cogita apud te, si ii quibus sunt crediti magistratus, eos recte gererent, quam bene cum genere humano ageretur. Sed magistratus quidem constituere, fuit Dei opus: quod autem improbi ad eos provehantur, et eis non ut decet utantur, est hominum improbitatis. — Dicit ergo oportere magnas Deo gratias agere, quod sint et reges et judices. Certo enim ordine et modo constitutæ hominum administrationis curam gerens, et ne plus quam ferino ritu multi viverent providens, veluti quamdam currus regendi artem, et navis gubernandæ scientiam, magistratus et regna largitus est. Si ergo sis princeps, aut magistratum geras, benigno Deo age gratias, quod tantæ curæ et diligentiæ tibi data sit occasio. Si privatus, rursus age gratias, quod habeas qui tui curam gerat, nec permittat, ut te improbi insidiis circumventum opprimant. Seu ad senectutem perveneris, seu sis juvenis, Deo age gratias. Hoc enim maxime probat hic psalmus per omnia, quod oporteat Deum laudare pro omnibus, seu sis magistratus, seu privatus: et ideo hoc significans dixit, *et omnes populi*, Seu fueris, inquit, senex, seu juvenis, seu vir, seu mulier. *Quia exaltatum est nomen ejus solius.* (*Psal.* CXLVIII, 13.)

Idem, serm. 4, *in Genesim.*— Paulum philosophantem audi: *Si autem vis non timere potestatem, bonum fac*, inquit, *et habebis laudem ex illa. Si autem malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat.* (*Rom.* XIII, 3, 4.) Vides propter eos, qui malum perpetrant, et principem et gladium imminere? audi manifestius istud ipsum rursus: *Vindex* enim *est*, inquit, *ei qui malum agit.* Neque dixit, non enim sine causa gladium portat, armatum judicem tibi præfecit. Ut enim pater filiorum amans, ubi negligenter officio suo fungi videt illos, et propter paternam indulgentiam se ab illis contemni, ob suam bonitatem pædagogis ac præceptoribus terribilibus illos committit; sic et a nostra natura se contemptum cernens Deus, ob suam bonitatem, tanquam magistris ac pædagogis, quibusdam principibus illam tradidit, ut negligentiam ejus corrigerent. Sed si vultis, ex Veteri Testamento illud spectemus ob nostram nimirum pravitatem hoc opus fuisse principatu. Propter iniquos quispiam propheta succensens his verbis utitur: *Tacebis dum impius devorat justum, et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptilia non habentia ducem.* (*Habac.* I, 13.) Ergo ideo dux est, ne tanquam reptilia simus; ideo princeps, ne tanquam pisces nos invicem devoremus. Nam ut propter morbos medicamenta sunt data, sic propter delicta supplicia; quoniam enim is qui virtute præditus vivit, ejusmodi præfectura non indiget, audi quid dicat Paulus: *Sin autem vis non timere potestatem, bonum fac, et habebis laudem ex illa.* Spectator tuus, inquit, est judex. Si recte vivas, non spectator solum, sed etiam laudator.

Digitized by Google

MALEDICENTIA

Vid. verb. MORBUS LINGUÆ.

MALEDICTIO

Vid. verb. BLASPHEMIA.

MALUM.

Vid. verb. PECCATUM.

MANDATA DEI

[Ex SS. Patribus.]

S. CYPRIANUS, *ad martyres.*— Si vos acies vocaverit, si certaminis vestri dies venerit, militate fortiter, dimicate constanter, scientes vos sub oculis præsentis Domini dimicare, confessione nominis ejus ad ipsius gloriam pervenire, qui non sic est, ut servos suos tantum spectet, sed et ipse luctatur in nobis, ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri et coronat pariter, et coronatur. Quod si ante diem certaminis vestri de indulgentia Domini pax supervenerit, vobis tamen manet voluntas integra, et conscientia gloriosa.

Idem, epist. 16, *ad Moysen et Maximum presbyteros.* — Sed et vestra non minor gloria, qui adhuc in certamine constituti, et comitum glorias seculturi, pugnam diu geritis, immotaque et inconcussa fide stabiles quotidie spectaculum Deo vestris virtutibus exhibetis. Quo longior vestra pugna, hoc corona sublimior. Agon unus, sed multiplici præliorum numerositate congestus. Tamen vincitis, et sitim spernitis, et squalorem carceris ac receptaculi pœnalis horrorem roboris vigore calcatis. Pœna illic subigitur, cruciatus obteritur, nec mors metuitur, sed optatur, quæ scilicet immortalitatis præmio vincitur, ut vitæ æternitate, qui vicerit, honoretur. Qui nunc in vobis animus, quam sublime, quam capax pectus, ubi talia et tanta volvuntur? Ubi non nisi Dei præcepta et Christi præmia cogitantur, voluntas est illic tantum Dei et in carne adhuc licet vobis positis, vita jam vivitur non præsentis sæculi, sed futuri.

34. Idem, epist. 56, *ad Thibaritanos.* — *Beati*, inquit, *eritis, cum odio vos habuerint homines, et separaverint vos et expulerint, et maledixerint* nomini vestro quasi nequam, *propter filium hominis, gaudete in illa die et exsultate, ecce enim merces vestra multa in cœlis.* (*Luc.* VI, 22.) Gaudere nos et exsultare voluit in persecutionibus Dominus, quia quando persecutiones fiunt, tunc dantur coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, tunc martyribus patent cœli. Et infra: Sit ante oculos, fratres dilectissimi, quod qui omne judicium a Patre solus accepit, et qui venturus est et judicaturus, jam judicii sui et cognitionis futuræ sententiam protulerit, prænuntians et contestans: confessurum se coram Patre suo confitentes, et negaturum negantes. (*Matth.* X, 32.) Si mortem possemus evadere, merito mortem timeremus. Porro autem cum mortalem mori necesse sit, amplectamur occasionem de divina promissione et dignatione venientem, et fungamur exitu mortis cum præmio immortalitatis, nec vereamur occidi, quos constet quando occidimur coronari.

35. Idem, epist. 81, *ad Rogatianum et cæteros.* — Nemo mortem cogitet, sed immortalitatem, nec temporariam pœnam, sed gloriam sempiternam, cum scriptum sit: *Pretiosa est in conspectu Domini mors justorum ejus.* (*Psal.* CXV, 15.) Et iterum: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* (*Psal.* L, 19.) Et iterum ubi loquitur scriptura divina de tormentis quæ martyres Dei consecrant; et in ipsa passionis probatione sanctificant: *Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes eorum immortalitate plena est. Et in paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit illos, et invenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Judicabunt nationes, et dominabuntur populis: et regnabit eorum Dominus in perpetuum.* (*Sap.* V, 4.) Quando ergo judicaturos vos et regnaturos cum Christo Domino cogitatis, exsultetis necesse est, et futurorum gaudio, præsentia supplicia calcetis. Et infra: Audit etiam (Paulus) comparationem præsentis temporis: et futuræ claritatis, dicens: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram claritatem, quæ revelabitur in nobis.* (*Rom.* VIII, 18.) Cujus claritatis gloriam cogitantes, pressuras omnes et persecutiones tolerare nos convenit, quia etsi sunt multæ pressuræ justorum, ex omnibus tamen liberantur, qui in Deum

Digitized by Google

fidunt. Et in fine : Quam fidem nos quoque retinentes, et die ac nocte meditantes toto corde ad Deum prompti ; contemptu præsentium futura tantummodo cogitemus, fructum regni æterni, complexum et osculum Domini, conspectum Dei.

S. Ambrosius, *in cap.* I *Lucæ*, in illa verba : *Erant*, inquit, *ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, et justificationibus Domini sine querela.* Quid ad hoc referunt qui peccatis suis solatia præferentes sine peccatis frequentibus hominem putant esse non posse, et utuntur versiculo, quia scriptum est in Job : *Nemo mundus a sorde, nec si unius diei vitæ sit in terra* (*Job* XV, 15), numerosi menses ab ipso? Quibus respondendum est, prius ut quid si hominem sine peccato esse, definiant, utrum nunquam omnino peccasse, an desisse peccare. Si enim hoc putant sine peccato esse, desisse peccare et ipse consentio : *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei.* (*Rom.* III, 25.) Sin autem eum qui veterem errorem correxerit, et in eam se vitæ transformaverit qualitatem, ut temperet a peccato, negant abstinere delictis, non possum in eorum convenire sententiam, cum legamus : *Quia sic Dominus dilexit Ecclesiam, ut exhibeat sibi ipse gloriosam, et non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* (*Ephes.* V, 27.) Et post pauca : Et bene justos ante Deum. Non enim omnis qui justus est ante homines, justus est ante Deum. Aliter vident homines, aliter Deus, homines in facie, Deus in corde. Et ideo fieri potest ut aliquis affectata bonitate populari, justus videatur mihi, justus autem ante Deum non sit, si justitia non ex mentis simplicitate formetur, sed adulatione simuletur. Abscondita enim in ea homo non poterit deprehendere. Perfecta igitur laus est, ante Deum justum esse. Unde et Apostolus : *Cujus laus*, inquit, *non ex hominibus, sed ex Deo est.* (*Rom.* II, 29.) Beatus ille de quo Dominus dignatus est dicere : *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* (*Joan.* I, 47.) Verum enim Israelita, qui Deum videt, et videri se novit a Deo, et ipsi exhibet cordis occulta. Solus enim perfectior, qui ab eo probatur qui non potest falli. Judicia enim Domini vera, judicia autem hominum sæpe fallantur, ut et injustis justitiæ gratiam frequenter ascribant, et justum aut odio persequantur, aut mendacio decolorent. Novit autem Dominus immaculatorum vias, nec pro peccatore laudabilem, non pro laudabili peccatorem, sed unumquemque pro competentium judicat ratione meritorum.

S. Cyrillus, lib. X *in Joann.*, *cap.* XVI, in hæc verba : *Manete in me, et ego in vobis. Sicut palmes*, etc. Manifestius jam ex hoc loco discimus, sincera fide palmites insertos viti fideles fieri. Sed non est minoris curæ jugiter per charitatem, id est, mandati servationem Christo inhærere, illud Psalmistæ clamantes : *Inhæsit anima mea post te.* (*Psal.* LXII, 9.) Non igitur sufficit ad perfectionem, id est, ad sanctificationem, quæ per Christum in spiritu est, in numero palmitum recipi, sed oportet ardenti charitate, atque continuo immaculate Christum sequi. Qua in re maxime spiritalis conjunctionis virtus servatur.

S. Chrysost., *in psalm.* CXI. — In mandatis ejus volet nimis. Qui enim eum metuit ut oportet, suscipit ejus præcepta cum magna aviditate, et ideo amor in legislatorem, facilem et gratiam facit legem, etsi videatur aliquam habere difficultatem. Nemo autem quod dico reprehendat, si tali exemplo usus sum. Nam Paulus quoque eo usus est, sic dicens : *Sicut exhibuistis membra vestra serva immunditiæ, ita exhibete justitiæ.* (*Rom.* VI, 19.) Qui meretricis itaque amore captus est, etiamsi afficiatur probro et contumelia, etiamsi verberetur, etiamsi se turpiter et indecore gerat, etiamsi expellatur a patria, etiamsi bonis paternis evertatur, etiam si patris benevolentia privetur, etiamsi graviora patiatur : ea fert jucunde et lubenter propter amorem impudicum. Quod si illa cum voluptate suscipiunt, quomodo non multo magis Dei præcepta, quæ sunt salutaria, et gloriæ plena et magnam nobis præbent philosophiam, et animam meliorem efficiunt, oportet cum magna voluptate suscipere, et nihil esse difficile in eis existimare? Difficultatem enim non natura præceptorum, sed multorum solet socordia efficere. Itaque si quis ea cum studio et alacritate animi suscipiat, videbit ea esse levia et facilia. Quocirca dicebat Christus : *Jugum meum suave est, et onus meum leve.* (*Matth.* XI, 50.) Et ut scias ea hoc modo se habere, et multorum socordiam ea quæ sunt facilia, facere difficilia, studium autem ac diligentiam facillima, ea quæ alioqui difficillima, quando manna fruebantur Judæi, id et ægre ferebant, et mortem exoptabant; Paulus autem cum fame conflictans gaudebat, et exsiliebat. Et illi quidem dicebant : *Anima nostra arida est in manna. Eduxisti nos ut interficeres*, eo quod non essent monumenta in Ægypto? *Num.* XI, 6.) Paulus autem : *Gaudeo in passionibus meis, et suppleo ea quæ desunt afflictionibus. Christi in carne mea* (*Coloss.* I, 24.) Quibusnam passionibus? *fame, siti, nuditate*, et aliis omnibus. *In mandatis ejus volet nimis.* (*Psal.* CXI, 1.)

Idem, hom. 70 *in Matthæum.* — Ne fideles sola se fide salvari posse confidant, de pœna maiorum disserit. Ita infideles ad fidem, fideles vero ad recte vivendum cohortatur. Indumentum enim viventis actio est. Verum cum per gratiam vocati simus, quam ob rem hæc ita accurate disputat? Quia videlicet vocatio et purgatio ipsa ex gratia sunt, ut vero vocatus jam, et candida indutus veste se ipsum non maculet, ad diligentiam quoque pertinet vocatorum. Nam si non quia dignus, sed quia gratia tibi largita est, vocatus fuisti, oportebat te vicissim pro gratia nonnihil reddere, et non tantam nequitiam ac ingratitudinem post acceptum honorem ostendere.

Digitized by Google

Sed non ita magna ut Judæis, inquies, mihi concessa sunt, imo vero multo majora. Nam quæ longo tempore illis parabantur, ea tibi, quamvis indignus esses, uno temporis momento universa largita sunt, ideo Paulus scribit : *Gentes autem pro misericordia glorificare Deum.* (*Rom.* xv, 9.) Tu enim quæ illi exspectabant, accepisti, propterea magna negligentibus imminet pœna.

S. Chrys., homilia 8, *de pœnitentia.*—Quidquid ergo fortasse dixeris, id erit, quod diximus, laboriosa lex. Quid igitur? impossibilia mandat nobis Deus? non, inquam, obmutesce, neque Domino succenseas. Non enim hic responsi modus, sed peccati additamentum priori pejus. Quod autem peccatorum plurimi consueverunt in Dominum suas accusationes retorquere; audi : Accessit ille, cui talenta quinque tradita fuerant, et alia quinque attulit; accessit, qui duo, et alia duo attulit; accessit, cui unum fuit creditum, et quoniam non habuit talentum, quod ferret, pro talento accusationem attulit. Quomodo? Novi, inquit, quoniam austerus sis. O servi proterviam, non contentus peccato, etiam contra Dominum statuit accusationem. Metens ubi non seminasti, et tollens quod non posuisti. Sic et in præsenti vita quotquot nihil operantur boni, additamentum malorum faciunt accusationem adversus Dominum. Nequaquam igitur Dominum incuses, haud mandat impossibilia, multi et ipsa superant mandata. Ergo si impossibilia fuissent, minus sua sponte superassent. Virginitatem in bonisque nihil possidere nusquam mandat, atque a se propriam substantiam multi abjiciunt, ipsis operibus reddentes testimonium legibus mandatorum inesse multum facilitatis. Nequaquam ergo superassent ea, nisi facilia approbassent. Et paulo post : Hæc a me omnia non in vacuum dicta sunt, sed divinæ legis gratia, ut ostendam gravem non esse, non esse onerosam, non laboriosam, neque impossibilem. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* (*Matth.* v, 28.) Vidit simul et id ipsum Christus multos legis difficultatem accusaturos, quapropter haud nudam, neque simplicem induxit, neque a semetipso, sed antiquæ legis memoriam reduxit a comparatione, felicitatemque illius atque humanitatem ostendit. Item infra : Cujus ergo rei gratia veterem ipsis legem repetit? dicit enim ipsis : Audistis, quoniam dictum est antiquis : *Non mœchaberis.* Cognovit difficile esse mandatum, non suapte natura, sed audientium desidia. Multa enim, quæ natura facilia sunt, difficilia fiunt, cum pigritamus, veluti difficilia, quæ sunt levia et facilia fiunt nobis accurate prospicientibus; non enim difficultas rerum naturæ inest, sed exercentium proposito. Quod verissimum esse vel ex eo patet. Nam mel natura dulcedinem habet, atque eamdem jucundissimam, sed ægrotis amarum quid atque illibitum est, non propria, sed illorum ægritudinis natura, sic lex, tametsi videatur onerosa, non sua natura, sed nostra fit pigritia. Haud etenim mihi multum laboris, ostendere factum facile esse, nam id ipsum difficile aliud dicere oportuerat. Nunc enim dicit, fuge mulieris visum, a luxuria recede. Quod aut pejus oppositum dicere fuerat, exquire mulieres, scrutare alienas formas, atque sic libidinem vince. Id ergo difficile fuerat, nam dicere : fornacem fuge, recede longius ab igne, flammæ propius non accesseris, quo sis innocuus, multum facilitatis habet.

Idem, hom. 3 *in Joannem.* — Deo gloriam demus, ut a parentibus et a majoribus nostris accepimus, demus, inquam, gloriam et fide, et operibus. Nulla enim nobis bonorum dogmatum ad salutem utilitas, si vita vitiorum sordibus scateat, et inquinetur. Quamobrem eam ita formemus et erudiamus, ut Deo placeat, omni turpitudine, iniquitate, avaritia longe abjecta, et tanquam hospites et advenas, et a terrenis rebus alienos nos exhibeamus.

Idem, hom. 9. — Ad animæ puritatem servandam, non satis est baptizari duntaxat et credere, sed si perpetuo ea frui munditia et pulchritudine volumus, dignam se vitam exhibere oportet. Item post pauca. Majorem in modum nobis formidandum est, ne pulchra hac stola, segnitie postmodum et sceleribus nostris sordidata, e cubiculo thalamoque ejiciamur, ut quinque illæ virgines fatuæ, et is, qui nuptialem vestem non habebat (*Matth.* xxv, 2 seq.; xxii, 11, seq.) siquidem ille ex convivis erat. Invitatus enim et ipse fuerat, sed quoniam invitatus, et tanto acceptus honore, dominum qui se invitaverat contumelia affecit, audi quam miseram, quam luctuosam pœnam dederit. Cum enim ad tam splendidam, et tam lautam mensam veniret, non modo convivio prohibitus est, verum et manibus ligatis et pedibus in tenebras mittitur exteriores, ubi et perpetuus fletus est, et stridor dentium. Nolimus igitur, nolimus, inquam, dilectissimi, fidem nobis ad salutem satis esse existimare. Nam nisi vitam puram exhibuerimus, et hac cœlesti vocatione digna nos induerimus vestimenta, quibus ad nuptias admittamur, nihil nos eripiet, quin eodem, quo miser ille, afficiamur supplicio.

Idem, hom. 70 *in Matthæum.*—Ne fideles sola se fide salvari posse confidant, de pœna malorum disserit. Ita infideles ad fidem, fideles vero ad recte vivendum cohortatur. Indumentum enim viventis actio est.

Idem, *in psal.* cx. — Ne quis existimaret sapientiam non procedere ultra cognitionem, subjunxit : *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* (*Psal.* cx, 10.) Non sufficit enim fides, nisi adsit etiam vitæ institutio fidei conveniens. Quomodo est autem *initium sapientiæ timor Domini?* (*Ibid.*) Ab omni vitio liberat, omnem virtutem dirigit. Dicit autem sapientiam, non quæ in verbis sed quæ in rebus sita est. Nam exteri quoque philosophi definierunt sapientiam divinarum et humanarum rerum cognitio-

Digitized by Google

nem. Hanc autem artem docet Dei timor, improbitatem auferens, et virtutem inserens, ut præsentia contemnantur efficiens et in cœlum traducens. Quid est hac anima sapientius? Non quærit autem hic solum auditorem, sed etiam factorem. *Intellectus enim bonus omnibus facientibus eum.* Hoc est, iis, qui faciunt sapientiam, et eam factis ostendunt, bonus est intellectus.

S. Chrys., *Contra vituperatores monasticæ vitæ.* — Quid, quæso, fides conferet emolumenti, si vita sincera non fuerit et pura? Verum vos et ista fortassis nescitis, quibus nostra fere omnia et ignota sunt et inaudita. Itaque vobis necessario Christi sententias summatim numerabo, vos autem caute et diligenter observare, utrumne semper de fide et dogmatibus disputet, proque his tantum supplicia decernat, nisi integra serventur, an vero vitam ipsam quoque, ac mores improbos castiget aliquando. Cum enim in montem conscendisset, videns innumeram circumfluentem, ac se circumstantem multitudinem, talia monita edebat : *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.* (*Matth.* VII, 21.) Item : *Multi dicent mihi in illa die : Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis : recedite a me, qui operamini iniquitatem, non novi vos.* Enim vero, qui audit sermones meos, et non facit, similem esse dixit homini fatuo, qui domum suam super arenam construit, eam ventis et fluminibus et pluviis labefactandam ac diruendam parat. (*Ibid.*) Item cum alio in loco concionaretur: Sicut, inquit, piscatores cum sagenam traxerint, malos pisces abjiciunt, ita erit in illa die, angelis eos omnes, qui peccaverint in fornacem jactantibus. (*Matth.* XIII, 39, seq.) De flagitiosis quoque, et impuris hominibus, cum loqueretur, aiebat : Et illuc abibunt, *ubi nec vermis eorum moritur, nec ignis exstinguitur.* (*Marc.* IX, 44.) Et rursum : *Rex*, inquit, *fecit nuptias filio suo, et cum vidisset hominem indutum vestibus sordidis, ait ad eum : Amice, quomodo, huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dicit ministris suis : Ligatis ejus manibus et pedibus, ejicite illum in tenebras exteriores.* (*Matth.* XXII, 11 seq.) Impudicis ista, ut dictum est, et flagitiosis atque impuris comminatur. Virgines quoque, quæ exclusæ a sponsi thalamo fuerunt, propter crudelitatem atque immanitatem id passæ sunt, aliique rursus eadem ex causa eunt in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus. Et hi quoque, qui frustra, et sine causa loquuntur, punientur. *Ex verbis enim*, inquit, *tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.* (*Matth.* CXI, 7.) Ergone tibi videmur inaniter, ac sine ratione vitæ nostræ caute, timideque rationem habere, eique philosophiæ parti, quæ mores instruit propensius studere? Minime equidem id puto, nisi forte Christum hæc supervacue dixisse velis asserere, atque his plura etiam : neque enim hic omnia inserere visum est. Quod nisi vererer librum prolixius extendere, et ex prophetis ipsis, atque ex beato Paulo, aliisque apostolis ostenderem profecto, quantum studii in hac parte | emendandæ vitæ, morumque componendorum nos Deus ponere voluit.

S. Leo, serm. 5 *de Quadragesima.*—Gratiæ Dei obedientia se humana non subtrahat, nec ab illo bono, sine quo non potest bona esse, deficiat At si quid sibi impossibile aut arduum mandatorum effectibus experitur, non in se remaneat, sed ad jubentem recurrat, qui ideo dat præceptum, ut excitet desiderium, et præstet auxilium, dicente Propheta : *Jacta in Deum cogitatum tuum, et ipse te enutriet.* (*Psal.* LIV, 23.)

S. Aug., serm. 61 *De tempore.* — Cum tamen magnum sit veræ et perfectæ charitatis remedium nullus tamen invenitur qui eam cum Dei adjutorio non possit habere. In reliquis operibus bonis interdum potest aliquis qualemcunque excusationem prætendere, in habenda vero dilectione nullus se poterit excusare. Cum enim multa sint quæ propter fragilitatem humanam corporaliter implere non possumus, charitatem tamen in corde nostro Deo inspirante, si in veritate voluerimus, sine aliqua dubitatione habere poterimus. Et post pauca : Sed dicit aliquis : Nulla ratione possum inimicos meos diligere. In omnibus Scripturis Deus ibi dicit, quia potes. Tu econtrario respondes, non posse. Considera nunc, utrum tibi, an Deo debeat credi? Et ideo quia veritas mentiri non potest, jam vanas excusationes suas relinquat humana fragilitas, quia nec impossibile aliquid potuit imperare, qui justus est, nec damnaturus est hominem pro eo, quod non potuit vitare, qui pius est. Quid tergiversamur incassum? Nemo enim, quantum possumus, melius novit, quam qui nobis ipsum posse donavit. Tot viri, tot mulieres, clerici, pueri, tantæ et tam delicatæ puellæ flammas et ignes et bestias æquanimiter pertulerunt, et nos stultorum hominum convicia dicimus tolerare non posse? quæ nobis malorum hominum nequitia inferuntur, si possumus etiam usque ad mortem illorum nostras injurias vindicamus, unde nescio, qua fronte vel qua conscientia cum omnibus sanctis in æterna beatitudine partem habere desideramus, quorum exempla sequi in rebus minimis non acquiescimus.

Idem, lib. III *contra Cresconium grammaticum*, cap. 4. — Boni mores vitam bonorum malorumque discernunt, et ad diversa perducunt. Nec quidquid justo licet, potest et injustus implere, qui justus implet legem Christi per dilectionem Christi, unde injustus alienus est.

Idem, *De vera et falsa pœnitentia*, cap. 5. — Apostolus dixit : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* (*I Cor* IV, 4.) Sentiens enim et justis peccata solere contingere, non se confirmabat absque peccato, qui se novit indissolubili vinculo cha-

Digitized by Google

ritatis Christo convinctum. Nisi enim sciret sæpe justos ad veniam venire, quomodo dubitaret se peccare, qui se sciebat spiritum Dei habere, et intentione mundissima ei servire? Cur enim Dominus Petri pedes lavisset (*Joan.* xv, 5), et Ecclesiam hoc idem docuisset, nisi quia quotidiana est offensio, oportet ut quotidiana sit remissio? Cur docuisset ipse Dominus orantes dicere : *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* vi, 12), nisi ipse misericors perseveraret, qui nos ab hac petitione non vult deficere?

Idem, *in præfatione enarrationis psalmi* xxxi. — *Finis*, inquit, *præcepti est charitas de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta.* (*I Tim.* i, 5.) Pro spe bonam conscientiam posuit. Et infra : Jactet etiam impius opera sua et dicat : Do pauperibus, nihil alicui aufero, non uxorem alienam concupisco, non quemdam occido, nulli fraudem facio, depositum apud me nullo teste repræsento. Hæc omnia dicat. Quæro utrum pius sit an impius? Et quomodo sum impius, inquit, ista faciens? Quomodo illi de quibus dictum est : *Et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula.* (*Rom.* i, 25.) Ecce quomodo es impius. Quid si de his omnibus bonis operibus, aut illud speras quod sperandum est, sed non ab illo a quo sperandum est, aut hoc speras, quod sperandum non est, etiam ab illo a quo æterna vita speranda est? Pro bonis operibus sperasti terrenam quamdam felicitatem, impius es. Non est illa merces fidei. Chara res est fides, vili illam addixisti. Impius ergo es, et nulla sunt ista opera tua. Moveas licet in bonis operibus lacertos, et videaris navim optime gubernare, in saxa festinas. Quid si quod sperandum est speras, id est, vitam æternam, sed non Domino Deo per Jesum Christum, per quem solum datur vita æterna, sed putas te ad vitam æternam posse pervenire per militiam cœli, per solem et lunam, per potestates aeris, et maris, et terræ, et siderum? Impius es. Sed crede in eum, qui justificat impium, ut possint et bona opera tua esse opera bona.

Idem, in *psal.* xciii, in eum versum : *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem* etc. — Labor est hic tuus, et requies tibi promittitur. Attendis te hic habere laborem, sed attende qualem ille requiem pollicetur. Nunquid cogitare poteris? Si illam posses cogitare, videres te nihil laborare ad compensationem. Audi eum qui illud ex parte cernebat, qui dixit : *Nunc scio ex parte.* (*I Cor.* xiii, 9.) Quid ait Apostolus? Etenim quod est ad præsens temporale et leve tribulationis nostræ, juxta incredibilem modum, et in incredibilem modum, *æternum gloriæ pondus operatur nobis.* (*II Cor.* iv, 17.) Quid est, æternum gloriæ pondus operatur nobis? Quibus operatur? *Non respicientibus quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna.* (*Ibid.*) Noli esse piger in labore breviter, et gaudebis incessabiliter. Æternam vitam tibi daturus est Deus, cogita quanto labore emenda sit.

Idem, *De gratia et libero arbitrio*, cap. 6. — Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt : Non juberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? Sed ideo jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat. Denique ipse, qui dixit : *Si volueris, conservabis mandata.* (*Eccli.* xv, 16.) in eodem libro Ecclesiastico aliquanto post dicit : *Quis dabit in ore meo custodiam, et super labia mea signaculum astutum ne forte cadam ab eo, et lingua mea perdat me?* Et infra : Certum est nos facere, cum facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit : Faciam, ut in justificationibus meis ambuletis, et judicia mea observetis, et faciatis.

S. Fulgentius, lib. ii *De remissione peccatorum*, cap. 1. — Constat peccatorum remissionem non tribui, nisi conversis intra Ecclesiam Catholicam constitutis. Ibi enim potest conversio esse vera, ubi fides vera comitatu sanctæ conversationis ornatur, et bene vivendi studium nulla pravæ crudelitatis maculatione polluitur. Vita enim bona non veraciter dicitur, quæ perversæ credulitatis vitio depravatur, neque sufficit ad salutem fides recte credentis, si conversatio moribus atque operibus turpatur obscœnis. Propter quod sicut mortuam sine operibus fidem B. Jacobus prædicat (*Jac.* ii, 20), sic omne, quod non est ex fide peccatum esse Paulus sua prædicatione confirmat. (*Rom.* xiv, 23.) (3)

S. Gregorius, hom. 29 *in Evangelia.* — Fortasse unusquisque apud semetipsum dicat : Ego jam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit : *Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Hinc Joannes ait : *Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est.* (*I Joan.* ii, 4.) Quod cum ita sit, fidei nostræ veritatem in vitæ nostræ consideratione debemus agnoscere. Tunc enim veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus complemus. In die quippe baptismatis omnibus nos antiqui hostis operibus, atque omnibus pompis abrenuntiare promisimus. Itaque unusquisque vestrum ad considerationem suam mentis oculos reducat, et si servat post baptismum quod ante baptismum spopondit, certus jam quia fidelis est, gaudeat.

Idem, lib. xxxiii *Moralium*, cap. 7. —

(3) Non vult hic asserere S. Fulgentius omnia opera facta ab infidelibus esse peccata proprie dicta, sed quod non sint opera meritoria vitæ æternæ, aut talia quæ eos justificarent. Concedit enim cap. 26, libri, *De incarnatione et gratia Christi*, illos posse habere quædam bona opera.

Digitized by Google

Alios a rectitudine fidei nequaquam deviat loquitur de Behemoth) sed ad usum pravæ operationis inclinat. Alios quantum vult in operatione immunditiæ inflectere non valet, sed apud semetipsos intus in studio intentionis intorquet, ut dum a charitate mentem dividunt, rectum non sit quidquid extrinsecus operentur. Et vitam fidei non tenent, quia aut aperte illicita faciunt, aut ex perverso corde quæ agunt, prava sunt, etiamsi sancta videantur. Quia enim nonnulli confitendo fideles sunt, non vivendo, hinc est quod voce veritatis dicitur : *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum.* (*Matth.* VII, 21.) Hinc rursum ait : *Quid autem vocatis me Domine, Domine, et non facitis quæ dico?* Hinc Paulus ait : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* (*Ad Tit.* I, 16.) Hinc Joannes dicit : *Qui dicit se Deum nosse, et mandata ejus non custodit, mendax est.* (*I Joan.* II, 4.) Hinc est quod de ipsa sua prima plebe Dominus conqueritur dicens : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* (*Marc.* VII, 6.) Hinc etiam Psalmista ait : *Dilexerunt eum in ore suo et lingua sua mentiti sunt ei.* (*Psal.* LXXVII, 36.) Item post pauca : Nemo igitur fidem sine operibus sufficere posse confidat, cum scimus quod scriptum sit : *Fides sine operibus mortua est.* (*Jac.* II, 20, 26.) Nullus Behemoth morsum ex sola confessione fidei plena evasisse se existimet, quia jam quidem fluvium absorbuit, sed adhuc Jordanem sitit, et toties in os illius Jordanis fluit, quoties Christianus quisque ad iniquitatem defluit. Os quidem ejus jam fide non sublevante fugimus, sed magno studio curandum est, nec in hac lubrica operatione dilabatur. Si ambulandi cautela negligitur, incassum credendo rectum iter tenetur, quia via quidem fidei ad cœlestem patriam proficit, sed offendentes minime perducit.

S. Gregorius, lib. VI *in I Reg.* II, in illa verba capitis XV, *Pœnitet me, quod constituerim regem Saul.*—Quasi dicat : Quem præesse aliis tunc volui, modo nolo, quia quem humilem prætuli, nunc superbientem et elatum transgressorem cerno. Quod nimirum de quibuslibet lapsis non dicitur, sed de his, quorum lapsus ostenditur, et pœnitentia nequaquam prævidetur. Nam de justorum casu scriptum est : *Septies in die cadit justus et resurgit.* (*Prov.* XXIV, 16.) Eorum certe casus quodammodo status eorum est; quia aliquando permittuntur cadere, ut semper valeant fortius stare. Permittuntur, ut in malis corruant, ne summa virtutum dona per elationem perdant. Hi profecto etsi verba Domini quandoque non implent, a Domino non recedunt, quia ad tempus relinquuntur, ut æternaliter teneantur, et in modico desipiunt, sed post modicum resipiscunt.

S. Bernardus, epist. 341. — Pudeat negligentius nunc in vitam, quam prius in mortem ire, et minori studio salutis acquirere quam perditionis augmentum. Nam ut omnino simus inexcusabiles, in via vitæ quo citius, eo facilius curritur, et leve Salvatoris onus quo crescit amplius, eo portabilius est. Nonne et aviculas levat, non onerat pennarum sive plumarum numerositas ipsa? Tolle eas, et reliquum corpus pondere suo fertur ad ima. Sic disciplinam Christi, sic suum jugum, sic onus leve, quo deponimus, eo deprimimur ipsi, quia portat potius quam portatur.

S. Prosper, sententia 7, ad capitula Gallorum. — Qui dicit, quod Deus quibusdam filiis suis, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, ob hoc perseverantiam non dederit, quia a massa perditionis præscientia Dei, et prædestinatione non sint discreti, si hoc vult firmare, quod Deus hujusmodi homines in bonis, quæ donaverat noluerit permanere, et ipse eis causa aversionis exstiterit, contra justitiam Dei sentit. Quamvis enim omnipotentia Dei potuerit vires standi præbere lapsuris, gratia tamen ejus non prius eos deseruit, quam ab eis desereretur. Et quia hoc ipsos voluntaria facturos defectione prævidit, ideo in prædestinationis electione illos non habuit.

Idem, ad septimam objectionem Vincentianam, hanc videlicet. — « Quod hæc sit voluntas Dei, ut magna pars Christianorum salva esse nec velit, nec possit, » sic respondet: Si de his hoc dicitur, qui pietatem Christianæ conversationis et fidei deserentes, in profanos errores, aut in damnabiles mores irrevocabiliter transierunt, non dubium est, quod talem voluntatem habentes salvi esse nolunt, in quandiu salvi esse nolunt, salvi esse non possunt. Sed nullo modo credendum est hujusmodi homines, in hanc desperationem ex Dei voluntate cecidisse, cum potius allevet Dominus omnes, qui corruunt, et erigat omnes elisos. (*Psal.* CXLIV, 14.) Nemo enim nisi illius gratia erigitur, nemo nisi illius gratia stabilitur. Dei ergo voluntas est, ut in bona voluntate maneatur, qui et prius, quam deseratur neminem deserit, et multos desertores sæpe convertit.

Beda, *in caput* XXIV *Proverbiorum*, vel juxta ipsius divisionem, *in caput* XXVI, in ea verba : *Septies in die cadit justus*, etc.—Quomodo autem justus appellatur, qui cadere, id est, peccare memoratur? nisi quia de levibus quotidianisque loquitur peccatis, sine quibus nec justorum quispiam, esse in hac vita potuit. Quia nimirum per ignorantiam, per oblivionem, per cogitationem, per sermonem, per subreptionem, per necessitatem, per fragilitatem carnis, singulis diebus, vel inviti vel volentes frequenter reatum incurrimus. Et tamen resurgit justus, videlicet quia justus est, nec justitiæ ejus præjudicat lapsus fragilitatis humanæ.

Vid. etiam verb. Lex, Justificatio, etc

Digitized by Google

MARTYRIUM

[Ex SS. Patribus.]

Constitut. Apost., lib. v, cap. 6, tom. I. — Quod si ad martyrium vocemur, oportet ut cum fortitudine et constantia honorandum nomen confiteamur; et si ideo ad supplicium mittamur, gaudeamus tanquam qui ad immortalitatem properamus. Cum persecutionem patimur, ne quasi in re nova ac inaudita stupeamus. Non diligamus præsens sæculum, neque laudes ab hominibus, neque principum virorum gloriam et honorem; sicut nonnulli Judæi, cum Domini opera admirarentur, non crediderunt in eum, metu pontificum reliquorumque optimatum : *Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei.* (*Joan.* XII, 43.) Quando autem bonam confessionem confitemur, non modo non ipsos servamus, sed et recens baptizatos confirmamus, atque catechumenos in fide statuimus. Sin vero aliquid de confessione remiserimus, negata religione Dei ob animi mollitiem et brevissimæ pœnæ metum; non solum nos ipsi æterna gloria defraudabimus, sed jam aliis quoque auctores perditionis erimus; et duplum supplicium perferemus, quod negatione nostra, erroris suspectam reddiderimus quæ aliquando a nobis celebrabatur veritatem. Quocirca neque prompti simus temere, atque ad pericula præcipites : Dominus enim dicit : *Orate ne incidatis in tentationem : spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* (*Matth.* XXVI, 41.) Neque si intercepti fuerimus, confessionem timiditate maculemus.

S. IGNAT., *epist. ad Magnes.* — Quia res finem habent, incumbunt duo simul mors et vita, et unusquisque in proprium locum iturus est. Quemadmodum enim sunt numismata duo, alterum equidem Dei, alterum autem mundi, unumquodque etiam ipsorum caracterem proprium habet impositum, infideles mundi hujus; fideles autem in charitate caracterem Dei Patris per Jesum Christum; per quem nisi propensa nobis est voluntas mori in ipsius passionem, nec vita ipsius in nobis est.

S. JUSTIN., *Dialog. cum Tryph. Jud.* — Non petimus ut accusatores nostri puniantur; sufficit illis sua malitia et honestatis ignorantia. Putate autem hoc propter utilitatem vestram dici; quandoquidem nobis in promptu est negare dum examinamur, sed nolumus tueri vitam mendacio. Cum enim æternæ puræque vitæ desiderio teneamur, damus operam ut cum Deo cunctorum patre et opifice degamus; et confitemur libenter, certe persuasi fore voti compotes qui factis declararint se Dei sequaces, et cupere cum eo degere illic ubi nulla peccati sentitur rebellio.

S. CLEMENT. Alex., *Stromat.*, lib. IV. — Si quæ est apud Deum confessio, est martyrium; quæcunque anima se pure et sincere gessit cum agnitione Dei et præceptis paruit, vita et sermone est testis et martyr; quomodocunque liberetur a corpore; fidem tanquam sanguinem per totam vitam etiam in exitu profundens.

TERTULL., *Apologet.*, c. 1.—Omne malum aut timore aut pudore natura perfudit : malefici gestiunt latere, trepidant deprehensi, negant accusati. — Christianis vero quid simile? Neminem pudet, neminem pœnitet, nisi plane retro non fuisse. Si denotatur, gloriatur : si accusatur, non defendit : interrogatus vel ultro confitetur, damnatus gratias agit. Quid hoc mali est, quod naturam mali non habet; timorem, pudorem, tergiversationem, pœnitentiam, deplorationem? Quid hoc mali est, cujus reus gaudet? Cujus accusatio votum est, et pœna felicitas.

Idem, *ibid.*, cap. 48.—Cruciate, torquete, damnate, et atterite nos : probatio est enim innocentiæ nostræ, iniquitas vestra. Ideo nos hæc pati Deus patitur. Nam et proxime ad lenonem damnando Christianam potius quam ad leonem, confessi estis labem pudicitiæ apud nos, atrociorem omni pœna et omni morte reputari. Nec quidquam tamen proficit exquisitior quæque crudelitas vestra; illecebra est magis sectæ : plures efficimur quoties metimur a vobis; semen est sanguis Christianorum. Multi apud vos ad tolerantiam doloris et mortis hortantur. — Nec tamen tantos inveniunt verba discipulos, quantos Christiani factis docendo. Illa ipsa obstinatio quam exprobratis, magistra est. Quis enim non contemplatione ejus concutitur, ad requirendum quid intus in re sit? Quis non ubi requisivit, accedit. Ubi accessit, pati exoptat, ut Dei totam gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? Omnia enim huic operi delicta donantur. Inde est quod ibidem sententiis vestris gratias agimus, ut est æmulatio divinæ rei et humanæ, cum damnamur a vobis, a Deo absolvimur.

Idem, *Ad Scapulam.* — Nos quidem neque expavescimus, neque pertimescimus ea quæ ab ignorantibus patimur; cum ad hanc sectam utique suscepta conditione ejus pacti venerimus, ut etiam animas nostras auctorati in has pugnas accedamus, ea quæ Deus repromittit consequi optantes, et ea quæ diversæ vitæ comminatur pati timentes. Denique cum omni sævitia vestra concertamus, etiam ultro erumpentes; magisque damnati quam absoluti gaudemus. Itaque hunc libellum non nobis timentes misimus, sed vobis et omnibus inimicis nostris, nedum amicis. Ita enim disciplina jubemur diligere inimicos quoque, et orare pro eis qui nos persequuntur : ut hæc sit perfecta et propria bonitas nostra, non communis. Amicos enim diligere omnium est, inimicos autem solorum Christianorum.

Idem, *De resurrect. carnis*, cap. 8. — Caro

Digitized by Google

abluitur ut anima emaculetur : caro ungitur ut anima consecretur : caro signatur ut et anima muniatur : caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur : caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur. Non possunt ergo separari in mercede, quas opera conjungit. Nam et sacrificia Deo grata, conflictationes dico animæ, jejunia, et seras et aridas escas, et appendices hujus officii sordes, caro de proprio suo incommodo instaurat. Virginitas quoque et viduitas, et modesta in occulto matrimonii dissimulatio, de bonis carnis Deo adolentur. — Denique suppliciis erogatur, enisa reddere Christo vicem, moriendo pro ipso. — Næ illa beatissima et gloriosissima quæ potest apud Christum Dominum parere debito tanto, ut hoc solum ei debeat, quod ei debere desierit, hoc magis vincta, quod absoluta.

S. Cyprian., epist. 8, *Martyrib. et Confess.* — Major est qui in nobis est quam qui est in hoc mundo. Nec plus ad dejiciendum potest terrena pœna, quam ad erigendum tutela divina. — Qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis. — Ipse enim luctatur in nobis, ipse in certamine agonis nostri et coronat pariter et coronatur.

Idem. — Martyres non faciunt Evangelium; sed per Evangelium fiunt.

Idem, epist. 37, *ad cler.* — Corporibus omnium qui etsi torti non sunt, in carcere tamen glorioso exitu mortis excedunt, impertiatur et vigilantia et cura propensior. Neque enim virtus eorum aut honor minor est, quominus ipsi quoque inter beatos martyres aggregentur. Quod in illis est, toleraverunt quidquid tolerare parati et prompti fuerunt. Qui se tormentis et morti sub oculis Dei obtulit, passus est quidquid pati voluit. Non enim ipse tormentis, sed ipsi fuerunt. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, et ego confitebor eum coram Patre meo,* dicit Dominus. (*Matth.* x, 32.) *Qui* toleraverit *usque in finem salvus erit,* dicit Dominus. (*Marc.* xiii, 13.) Toleraverunt, et ad finem usque incorrupta et immaculata, virtutum suarum merita pertulerunt.

Idem, epist. 77, *ad Nemes. et Martyr.* — *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* (*Psal.* cxv, 12.) Quis non libenter et prompte calicem salutis accipiat? Quis non appetat gaudibundus et lætus, in quo et ipse Domino suo retribuat? Quis non pretiosam in conspectu Domini mortem fortiter et constanter excipiat? Placiturus ejus oculis qui nos in congressione nominis sui desuper spectans, volentes comprobat, adjuvat dimicantes, vincentes coronat, retributione bonitatis ac pietatis paternæ remunerans in nobis quidquid ipse præstitit, et honorans quod ipse perfecit. Ipsius enim esse quod vincimus, — Declarat Dominus in Evangelio dicens : *Cum autem vos tradiderint, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris nostri qui loquitur in vobis.* (*Matth.* x, 19.)

Idem, *De unitate Ecclesiæ Catholicæ.* — Confessio exordium gloriæ est, non meritum jam coronæ.— *Qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit* (*Matth.* x, 22.) Confessor est, sed post confessionem periculum majus est; quia plus adversarius provocatus est. Confessor est; hoc magis stare debet cum Domini Evangelio, per Evangelium gloriam consectatus a Domino. Ait enim Dominus : *Cui multum datur, multum quæretur ab eo* (*Luc.* xii, 48), et cui plus dignitatis ascribitur, plus de illo exigitur servitutis.

Idem, *De zelo et livore.* — Non est Christiani hominis corona una, quæ tempore persecutionis accipitur. Habet et pax coronas suas. — Libidinem subegisse, continentiæ palma est. Contra iram, contra injuriam repugnasse, corona patientiæ est. De avaritia triumphus est, pecuniam spernere. Laus est fidei, fiducia futurorum, mundi adversa tolerare. Qui superbus in prosperis non est, gloriam de humilitate consequitur. Qui ad pauperum fovendorum misericordiam pronus est, retributionem thesauri cœlestis adipiscitur. Qui zelare non novit, et fratres suos mitis diligit, et dilectionis et pacis præmio honoratur.

Lactant., *Institut. adv. gentes,* lib. v, c. 13, t. 1.— Si una natio providentia caret, cæteras omnes habere intelligentiam recti necesse est. Cum vero ab ortu solis usque ad occasum lex divina suscepta sit et omnis sexus, omnis ætas, et gens, et regio, unitis ac paribus animis, Deo serviant, eadem sit ubique patientia, idem contemptus mortis, intelligere debuerant aliquid in ea re esse rationis, quod non sine causa usque ad mortem defendatur; aliquid fundamenti ac soliditatis, quod eam religionem non tantum injuriis ac vexatione non solvat, sed augeat semper et faciat firmiorem. Cum videat vulgus dilacerari homines variis tormentorum generibus, et inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam : existimant, id quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo, cruciatus tantos posse superare.

S. Cyrill. Hieros, catech. 23, *de sacra liturgia.* — Postea recordamur eorum quoque qui obdormierunt : primum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum; ut Deus eorum precibus et legationibus orationem nostram suscipiat. Deinde et pro defunctis sanctis patribus et episcopis, et omnibus generatim qui inter nos vita functi sunt (oramus); maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet victima.

Idem, catech. 3. — Si quis non baptizatur, salutem non habet præter solos martyres, qui vel sine aqua regno cœlesti potiuntur. Redimens enim terram Salvator per crucem, et in latere vulneratus, sanguinem

Digitized by Google

et aquam emisit; ut alii quidem pacis tempore in aqua baptizarentur; alii vero tempore persecutionis, in propriis sanguinibus baptizentur. Quod vero etiam is recte baptismus vocetur, vide Salvatoris testimonium, qui dicit : *Potestis bibere calicem quem ego bibam, et baptismo quo ego baptizor baptizari?*

S. Basil., *in quadraginta martyr.* — Qui aliqua premitur angustia, ad martyres confugit; qui rursus lætatur, ad hos recurrit. Hic ut a malis liberetur, ille ut duret in rebus lætis. Hic mulier orans pro filiis auditur : peregrinanti viro reditum incolumem, ægrotanti vero salutem implorat.

Idem, epist. *ad monachos ab Arianis vexatos.* — Quæ mecum ipse sum locutus, audita tentatione quæ vobis a Dei hostibus illata est, ea et per litteras vobis significare præclarum esse duxi. Scilicet eo tempore quod pacatum existimatur, comparastis vobismetipsis beatitudinem his qui persecutionem pro Christi nomine patiuntur, repositam. Non enim quia nomen blandum et lene bis qui male faciunt, impositum est, idcirco res hostiles non esse existimandum. Ego enim truculentius judico a tribulibus bellum, quia hostes prius denuntiatos etiam effugere facile : at iis qui nobiscum commiscentur, necesse est ad omnem injuriam expositos esse; quod et ipsum vobis accidit. Nam et majores nostri persecutionem perpessi sunt, sed a simulacrorum cultoribus; et facultates eorum direptæ sunt, et ædes eversæ, et ipsi fugati ab iis qui bellum nobis aperte propter Christi nomen inferebant. Qui vero nunc prodierunt persecutores, oderunt quidem nos æque ac illi, sed ad multorum deceptionem, Christi ostendunt nomen, ut ne confessionis quidem solatium habeant, qui vexantur : multis ac simplicioribus injuriam quidem nobis fieri fatentibus, at in martyrii loco nobis mortem pro veritate toleratam non ascribentibus. Quapropter persuasum mihi est majora vobis, quam iis qui tunc martyrium passi sunt, a justo judice præmia servari; si quidem illi et ab hominibus certam et exploratam laudem consequebantur, et a Deo mercedem exspectabant; vobis autem in paribus præclare factis honores a populis non deferuntur, unde par est multiplicatam reponi in futuro ævo laborum pro pietate susceptorum remunerationem.

Idem, epist. 277, tom. III.—Quare adhortamur vos, ut ne animo in ærumnis concidatis, sed in Dei dilectione renovemini, ac quotidie studio vestro adjiciatis; scientes in vobis debere reliquias pietatis servari, quas veniens Dominus in terra inventurus est. Sive autem ejecti sunt episcopi e suis Ecclesiis, hoc vos nequaquam concutiat : sive proditores nonnulli ex ipsis prodiere clericis; neque hoc vestram in Deo fiduciam infirmet. Non enim nomina sunt quæ salvos nos facient, sed propositum ac vera in Creatorem nostrum dilectio. Considerate in insidiis quæ Domino nostro structæ sunt, principes sacerdotum et scribas et seniores dolum concinnasse; qui autem doctrinam sincero animo susceperunt, paucos ex populo inventos esse, neque multitudinem esse quæ salvatur, sed electos Dei. Quamobrem nunquam vos perterreat magna populi multitudo, quæ velut aquæ maris a vento in alias atque alias partes feruntur. Nam etiamsi unus salvetur velut Loth Sodomis, manere debet in recto judicio, immobilem retinens in Christo spem, quia non derelinquet Dominus sanctos suos. Omnes in Christo fratres meo nomine salutate : pro miserabili mea anima sincere precamini.

S. Gregor, Nazianz., *acrius Juliani impietatem insectans, martyrum laudes celebrat.* orat. 4. — Tunc adversus Christi sacrificium, cum tuis piaculis? Tunc adversus eum cruorem, quo mundus purgatus est, cum tuis cruoribus? Tunc bellum adversus pacem? Tunc manum adversus eam quæ, et pro te et propter te, clavis transfixa est? Tunc adversus fel, gustum tuum? Adversus crucem, trophæum? Adversus mortem, dissolutionem? Adversus ressurrectionem, insurrectionem et rebellionem? Adversus martyrem, ne martyres quidem? Post Herodem persecutor; et post Judam proditor; nisi quod non laqueo ut ille, pœnitentis animi significationem dedisti, post Pilatum Christicida, post Judæos Dei hostis. — Non victimas pro Christo cæsas veritus es? Nec magnos pugiles extimuisti, Joannem illum, Petrum, Paulum, Jacobum, Stephanum, Lucam, Andræam, Theclam, eos qui et post illos, et ante illos pro veritate periculis se objecerunt? Qui cum igni et ferro, et belluis, et tyrannis, et præsentibus malis, et denuntiatis, alacri animo, velut in alienis corporibus, imo, quasi corporum expertes, dimicarunt? Cur ita? Ne pietatem vel verbotenus proderent. Quibus præclari honores et festa constituta sunt : a quibus dæmones propelluntur, et morbi curantur; quorum apparitiones et prædictiones; quorum vel sola corpora idem possunt quod animæ sanctæ, sive tangantur, sive honorentur : quorum vel solæ sanguinis guttæ, atque exigua passionis signa idem possunt, quod corpora.

Idem, orat. 18. — Negotiatio omnium præstantissima, qua exigui sanguinis pretio cœleste regnum emitur; ac brevia et fragilia bona cum sempiterna gloria commutantur.

S. Ambros., *in psalm.* cxviii. — *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Omnes dixit, nullum excepit. Persequitur avaritia, persequitur ambitio, persequitur superbia, persequitur luxuria, etc. Isti sunt persecutores graves qui sine gladii terrore mentem hominis frequenter elidunt, qui illecebris magis quam terroribus animos expugnant fidelium. — Multi in persecutione publica coronati, occulta hac persecutione ceciderunt. *Foris pugnæ, intus timores.* (*II Cor.* vii, 5.) Quam grave certamen quod est intra hominem, ut secum ipse confligat, cum suis cupiditatibus prælietur. — Ut multæ persecutiones, ita multa martyria. Quotidie testis

Digitized by Google

es Christi. Tentatus es spiritu fornicationis, sed veritus Christi futurum judicium, temerandam mentis et corporis castimoniam non putasti : martyr es Christi. Tentatus es spiritu avaritiæ, ut possessionem minoris invaderes, indefensæ viduæ jura temerares; et tamen contemplatione cœlestium præceptorum opem magis ferendam quam inferendam injuriam judicasti, testis es Christi.

S. Ambros. serm. 77. — Ideo per totum mundum Dominus pati martyres voluit, ut tanquam idonei testes, nos præsenti quodam fidei exemplo suæ confessionis urgerent; ut humana fragilitas quæ prædicationi Dominicæ aditu longiore vix credit, vel præsenti oculorum testimonio, martyrio crederet beatorum. Cuncti martyres devotissime percolendi sunt, sed specialiter ii quorum reliquias possidemus. Illi enim nos orationibus adjuvant, isti etiam adjuvant passione. Cum his nobis familiaritas est; semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur; hoc est, et in corpore viventes nos custodiunt, et de corpore recedentes excipiunt.

S. Chrysost., *Exposit. in psalm.* cxxvii, tom. V. — Fer generoso animo cuncta quæ accidunt; hoc est quippe tibi martyrium. Non enim eum qui sacrificare jubetur, non sacrificare, sed potius dilaminari et excarnificari quam hoc facere, solum facit martyrium : sed etiam cum dolor impellit ad blasphemandum, toleranter potius ferre laborem statuere, et nihil inhonestum dicere, martyrem efficit. Job enim non ideo fuit coronatus, quod sacrificare jussus non sacrificaverit, sed quod dolores et calamitates forti animo perpessus sit. Quin etiam Paulus propterea victor renuntiatus est, propter flagella, propter afflictiones, propter alia quæ sustinuit cum gratiarum actione.

Idem, *Exposit., in psalm.* cxxiii. — *Nisi quia Dominus erat in nobis.* (*Psal.* cxxiii, 1.) Quod sæpe dixi, hoc quoque nunc dico, nec cessabo dicere magnum esse fructum captivitatis, et ad philosophiam deducere posse eos qui attendunt. Ecce enim qui ad simulacra currebant, Deum contemnebant, et in impietatem impegerant, quid dicunt nunc post captivitatem? Et quomodo salutem suam Deo ascribunt? Quin etiam propheta, tanquam choragus optimus, eadem illos jubet frequenter dicere. Postquam ergo primus dixit, illis quoque præcipit tanquam magister discipulis, ut dicant : *Dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis, cum exsurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos.* Erant enim inermes, nudi, captivi, et servi, et nuper a malis liberati, urbemque habebant non muris cinctam, imo vero ne urbem quidem, et post reditum erant præda omnibus parata, sed fuit eis Deus pro muro et arce. Hoc ipsum nos quoque nunc dicamus : *Nisi quia Dominus erat in nobis, forte vivos deglutissent nos.* Quid enim non fecisset noster inimicus diabolus, nisi Dominus fuisset in nobis?

Idem, *ibid.* — Audi quid Christus dicat Simoni : *Simon, Simon, quoties petiit te Satanas cribrare sicut triticum; et ego oravi pro te, ne deficiat fides tua?* (*Luc.* xxii, 31.) Est enim improba bestia, et insatiabilis, et nisi assidue refrenaretur, subvertisset et confudisset omnia. Si enim cum in beatum Job pusillam quid ei fuit permissum, ejus domum evertit funditus, ejus corpus labefectavit, tantam tragœdiam excitavit, facultates corrupit, filios obruit, ut e carne vermes scaturirent effecit, uxorem in eum incitavit, amicos, inimicos, famulos, ut probris eum insectarentur, induxit : si non innumerabilibus frenis retardaretur, quomodo non omnes perderet? Quocirca hic quoque dicit, *Nisi quia Dominus erat in nobis.* Erant enim admodum pauci et contempti, et eos reversos multi adoriebantur : porro in hoc quoque ostendebatur Dei sapientia, quod non repente et uno simul tempore daret eis securitatem, sed sensim ac paulatim. Hoc autem faciebat eos conservans in Dei cognitione; et eam quæ ex captivitate orta erat, correctionem non sinens præterfluere. Quia enim liberatio a malis solet homines efficere socordiores, in ipsa etiam donatione bonorum permittit, ut ipsi assidue tententur, ut sint eis tentationes perpetuum philosophiæ exercitium. Et ideo nec homines semper dimittit in calamitatibus, ne deficiant; nec in quiete et rerum prosperitate, ne fiant socordiores : sed vicissitudinibus eorum salutem variat.

Forte vivos deglutissent nos. Vides quomodo ostendit quam sint immanes qui se invadunt? Sunt enim homines qui vel ferarum immanitatem ostendunt, imo magis quam illæ sæviunt in congeneres. Fera enim cum semel invaserit, ab ira desistit, et recedit, aut repulsa non amplius invadit : homines autem, cum res cesserit aliter quam putabant, sæpe invadunt vel ipsas carnes gustare cupientes : ejusmodi res est ira, rationis expers; adeo fervet et ebullit hæc animi perturbatio. Quomodo ergo hæc exstinguetur ægritudo? Si res nostras animo reputemus, si mortem consideremus, et eos qui quotidie recedunt, si naturam nostram contemplemur; quod scilicet simus terra et cinis. Si autem faciei pulchritudo animo tuo adhuc imponit; vade ad monumenta et thecas parentum tuorum, ac vide quomodo sunt positi, et in pulverem ac terram resoluti, magnamque ex eo capies occasionem ut te ipsum reprimas. Ne dicti gravitatem improbes. Quemadmodum enim qui febre laborant, postquam a morbo liberati fuerint, puro aere indigent; ita etiam quos animi perturbationes ad insaniam adigunt, si ad monumenta accesserint, tanquam qui in prædium saluberrimum pervenerint, multas expellent ægritudines. Sufficit enim vel solus urnæ aspectus ad eum deprimendum qui valde arrogans est.

Ab his deinceps transmitte tuam cogitationem ad futurum illum diem terribilem, ad futuras de te quæstiones, et reddendas rationes, ad supplicia quæ nullum habent omnino solatium, ubi nemo te defendet;

Digitized by Google

et his omnibus, veluti quibusdam cantibus, seda tuas animi perturbationes. Considera autem etiam ex hominibus eos qui in vita præsenti ex divitiis redacti sunt in paupertatem, ex gloria in ignominiam ; et si velis irasci, non ei qui est tibi genere conjunctus, sed malo dæmoni irascere : habes in quem iram effundas : illi nunquam reconcilieris, in illum iram effunde, et consume, in illum tende laqueum, nunquam cesses adversus eum bellum gerere. *Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.* (*Ibid.* 3.) *Torrentem pertransivit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.* (*Ibid.*, 5.) Torrentem et aquam hic dicit ingentem iram inimicorum. Est enim aqua quæ incomposite magna vi et impetu fertur, ac quodcunque ei occurrit, secum trahit. Non solum autem hic dicit irruptionem malorum, sed etiam transitum. Ne animum ergo abjiciamus quando nos mala invaserint.

Torrens est quisquis tandem sit, est nubes quæ prætercurrit. Quidquid molesti dixeris, id habet finem : quidquid asperum dixeris, id quoque habet exitum. Si enim finem non haberet natura non sufficeret. At complures, inquies, secum trahit. Sed id non fit ex ejus violentia, sed propter eos qui sunt ignavi, et facile prosternuntur. Ne ergo seducamur, sed ad ea quæ intima sunt ejus perveniamus, loca ejus consideremus, sacram anchoram apprehendamus, ut nullum patiamur naufragium. Torrens enim est ad tempus terribilis, et rursum supra modum deprimitur. *Aqua absorbuisset nos.* Vidisti quantum sit Dei auxilium : quomodo in tot malis non sciverit eos submergi ? Ideo enim sinit mala crescere, non ut nos obruant, sed ut magis probates efficiant, et suæ potentiæ majorem præbeat demonstrationem. Superbos autem hic dicit hostes qui, quovis torrente, et quavis aqua intolerabili vehementius irruentes, nihil ipsos læserunt. In causa est autem Dei præsidium, cœleste subsidium, auxilium quod superari non potest. Et ideo cum ipse dixisset liberationem a malis, dicit eum etiam qui liberavit, idque cum summa ejus laude. *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.* (*Ibid.*, 5.)

Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. (*Ibid.*, 6.) Vidisti quomodo suam ostendit imbecillitatem, et illorum potentiam ? Illi enim tanquam feræ et leones eos invadebant, parati vel eorum vesci carnibus, armati et viribus et iracundia ; hi vero erant quovis passere imbecilliores. Tunc enim Dei miracula maxime ostenduntur, quando qui sunt imbecilli superant potentiores. Nec eo solum erant insidiæ intolerabiles, quod illi quidem essent potentes et terribiles, ira pleni, et vel eorum carnibus vesci parati : hi autem imbecilli et pauci, qui facile invadi possent : sed etiam quod essent in mediis malis intercepti, et undique cincti difficultatibus, haberent undique bella eos circumstantia : sed qui est maxima potestate præditus, et potest undique conservare, etiam postquam pericula et mala circumdederant nos, inquit, liberavit cum magna facilitate. Quod quidem volens ostendere, sic dixit : *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.*

Laqueus contritus est, et nos liberati sumus. (*Ibid.*, 7.) Deinde ostendens etiam quomodo subjunxit : *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram.* (*Ibid*, 8.) Vidisti auxiliatoris virtutem ? Vidisti potentiam ? Ipsa etiam insidiarum adminicula sustulit. Hoc etiam anagogice acceperit quispiam de diabolo, et de genere hominum. Ostendit quippe quomodo eripuerit, et ejus sustulerit insidias. Hoc enim factum est ex quo dixit discipulis ; *Ambulate super serpentes et scorpiones, et super omnem potestatem inimici.* (*Luc.* x, 19.) Non enim est amplius apertum bellum, nec ex æquo instructa acies : sed ille quidem jacet pronus et procumbens : tu autem stas erectus, ex alto eum feriens : ille quidem enervatus, tu vero robustus et validus. Qui fit ergo ut sæpe vincat ? Hoc fit ex nostra ignavia, ex socordia eorum qui dormiunt. Si velis itaque resistere, non audet tecum instructa acie confligere. Quod si vincit dormientem, id non illius potentiæ, sed tuæ tribuendum est negligentiæ. Quis enim dormientem non vicerit, etsi sit omnium imbecillimus ? Alligatus est fortis, impedimenta ejus omnia direpta sunt, fracta est potentia, ruptum est ac dirutum ejus habitaculum, framcæ ejus defecerunt.

Quid vis his amplius ? Qua de causa eum times ? Cur vereris ? Jussus es conculcare eum qui est enervatus : quamobrem, dic quæso, contremiscis ? Cur cunctaris ac dubitas ? Annon cogitas qualis sit qui tibi fert auxilium ? Non solùm enim hostis tuus factus est imbecillior ; sed etiam tuum majus est auxilium. Compressa est carnis exsultatio, peccati ablata est sarcina ; gratiam Spiritus accepisti, quæ habet vim unctionis. *Nam quod impossibile erat legi, in quo erat imbecillum per carnem, Deus, misso suo Filio in similitudine carnis peccati, et de peccato condemnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus* (*Rom.* VIII, 3.) Carnem fecit tibi morigeram, arma tibi donavit, thoracem justitiæ, cingulum veritatis, galeam salutis, clypeum fidei, gladium spiritus, arrham dedit, corpore suo te nutrit, sanguinem suum tibi bibendum porrigit, crucem tibi tanquam lanceam in manus tradidit, lanceam quæ nunquam flectitur : illum alligavit, humi projecit. Non habes itaque quo te deinceps defendas, si vincaris : et si profligeris, non est tibi danda venia. Habes enim innumeras victoriæ ansas. *Laqueus contritus est*, inquit, *et nos liberati sumus. Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram.* Vides qualem habes imperatorem, qualem regem, eum qui est universi opifex, eum qui solo verbo tot corpora produxit, tantam molem, tantam magnitudinem ? Ne animum demittas, forti animo resistas. Nihil vetat quominus tropæum tuum stet erectum. Hæc ergo cum sciamus, o dilecti, sobrii si-

Digitized by Google

mus, concertemus, nec dormiamus, sed cum arma absterserimus, animique alacritatem confirmaverimus, hostem assidue feriamus, ut cum præclaram victoriam retulerimus, cum magna gloria regnum cœlorum consequamur

S. Chrys., *in psal.* xcv. — Deus permittit justos occidi ad probationem pietatis.

Idem, *in Matth. c.* x, hom. 25. — Sicut vestimentum super homines positum, si quis furibundus scindat, illatorem quidem injuriæ sentit homo, damnum autem non patitur in natura; sic corpus super animam positum, sic occidatur ab impiis, anima quidem occisionis ejus sentit dolorem, damnum autem suæ naturæ non patitur.

Idem, hom. *de sanctis martyribus*, tom. II. — Non in urbibus tantum collocavit martyres Deus, sed etiam in villis ipsis, ut ex diebus festis commercii et colloquii necessaria nobis occasio detur : atque adeo plures in villis, quam in urbe. Inferiori enim abundantiorem honorem impertiit Deus, quod imbecillior sit pars illa, propterea majori eam subsidio cultuque dignatus est. Nam ii quidem qui urbes incolunt, assidua doctrina fruuntur; at qui degunt in agris, non tanta largitate potiuntur. Itaque doctorum penuriam martyrum abundantia solatus est Deus, et ita disposuit ut plures apud illos martyres sepelirentur. Illi doctorum quidem linguam perpetuo non audiunt, sed martyrum vocem e sepulcro resonantem, et ipsos alloquentem, quæ multo majori virtute pollet. Atque ut intelligatis majori pollere virtute martyres etiam silentes, quam nos qui loquimur multi sæpenumero, dum apud multos de virtute verba faciunt, nihil profecerunt. Alii vero etiam tacentes ob vitæ integritatem et splendorem multa egregia facinora patrarunt. Itaque multo amplius martyres hoc fecerunt, non quidem lingua efformatam vocem mittentes, sed illam quæ ex rebus ipsis multo clarius resonat, quam quæ ore profertur, qua nimirum totum genus humanum alloquuntur his verbis utentes: « Respicite in nos, qualia passi fuerimus mala. Quid enim passi sumus, qui ad mortem damnati sumus, ac vitam æternam adepti sumus? Digni habiti sumus, qui propter Christum corpora deponeremus : quod si nunc illis nos non exuissemus, paulo post etiam inviti temporariam hanc illorum vitam amissuri eramus. Si non advenisset martyrium, eaque nobis abstulisset, at communis naturæ nostræ mors nos invasisset, eaque plane dissolvisset. Propterea Deo gratias agere non cessamus, quod ejus beneficio nobis contigerit, ut morte, quæ omnino nobis oppetenda erat, ad nostrarum salutem animarum uteremur, quodque rem necessario debitam, tanquam donum aliquod, ac summi genus honoris a nobis acceperit. At enim molesta sunt et acerba tormenta? Sed brevi temporis momento feruntur : quæ vero per illa voluptas acquiritur, sempiternis sæculis coæva durat : imo vero ne brevi quidem temporis momento molesta sunt tormenta illis qui futura respiciunt, et ad certaminis præsidem ac remuneratorem aspirant. Siquidem beatus etiam Stephanus quia Christum oculis fidei spectabat, propterea lapidum imbres non respiciebat, sed illorum loco præmia coronasque numerabat. (*Act.* 7, 55.) Tu igitur a rebus quoque præsentibus oculos tuos ad futura converte, ac ne brevem quidem capies sensum malorum. »

Hæc et his plura dicunt martyres, multoque melius, quam nos persuadent. Nam ego quidem si nihil habere molestiæ tormentum dicam, fide dignus minime videor, dum ita loquor : nihil quippe difficile verbis hoc pacto philosophari; at ex ipsis operibus erumpentem vocem martyr emittens, neminem habet qui contradicat. — Propterea nobis illorum corpora dereliquit Deus : propterea cum olim vicerint, necdum tamen resurrexerunt, sed certamina quidem a tamen multo tempore subierunt, resurrectionem vero nondum sunt consecuti, nondum propter te, ac propter tuam utilitatem, ut cum illum athletam tibi ante oculos posueris, ad eumdem cursum exciteris. Nam isti quidem nullum detrimentum ex dilatione patiuntur : at tibi maximam hæc occasio utilitatem parit. Siquidem illi postea recipient, licet nunc non recipiant : quod si eos de medio nunc abripuisset Deus, multa nos cohortatione solatioque privasset, quod ex sanctorum istorum sepulcris ab hominibus cunctis percipitur. Atque ea quæ dicimus, vos vestro testimonio comprobatis. Sæpe namque quantumvis minaremur, blandiremur, terreremus, cohortaremur, non tanta estis ad orandum animi alacritate commoti nec excitati : cum vero ad martyrum ecclesiam vos contulistis, nemine consulente, solo sanctorum conspecto sepulcro, copiosos lacrymarum fontes effudistis, et inter orandum fervore non mediocri exarsistis.

Atqui mutus summo cum silentio jacet martyr : quid ergo tandem est, quod conscientiam pungit, efficitque, ut lacrymarum scatebræ tanquam ex fonte prosiliant? Quod nimirum martyres mente versetis, et rerum ab illis gestarum vobis memoria refricetur.

S. Hieron., epist. 27, *ad Eustoch.* — Non solum effusio sanguinis confessione reputatur; sed devotæ quoque mentis servitus immaculata quotidianum martyrium est.

Idem, *De vita Malchi.* — Christi Ecclesia persecutionibus crevit, martyriis coronata est; et postquam ad Christianos principes venit, potentia quidem et divitiis major, sed virtutibus minor facta est.

Idem, *advers. Vigil.* — Causabantur quondam et apostoli quod periret unguentum, sed Domini voce correpti sunt. Neque enim Christus indigebat unguento, nec martyres lumine cereorum; et tamen illa mulier in honore Christi hoc fecit, devotioque mentis ejus recipitur : et quicunque accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem.

Digitized by Google

S. Hieron. *in psal.* xxxi. — Quibus modis remittuntur peccata? Tribus. Remittuntur per baptismum, teguntur per charitatem, non imputantur per martyrium.

Idem, *in psal.* cxviii. — Quicunque sanctus moritur sua morte; licet misericordias operatus sit, fecerit signa, dæmones ejecerit, non vadit ad Dominum securus : horrescit ejus conscientia quando videt Dominum. Martyr autem si et post baptismum peccaverit, tamen secundo baptismate martyrii ablutus, securus vadit ad Dominum : *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*

S. August., serm. 3 *in psalm.* xxxvi, tom. IV. — *Considerat peccator justum, et quærit mortificare eum : Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus.* (*Psal.* xxxvi, 33.) Quare ergo dereliquit martyres in manibus impiorum? Quare fecerunt illis quæcunque voluerunt? Alios gladio percusserunt, alios crucifixerunt, alios bestiis tradiderunt, alios ignibus cremaverunt, alios in catena ducentes tabe diuturna confecerunt. Certe non derelinquet Dominus sanctos suos : *Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus.* Postremo ipsum Filium suum quare dimisit in manibus Judæorum? (*Luc.* v. 19.) Et hic tectum aperi, si vis omni interiori membro constringi, perveni ad Dominum : audi quid dicat alia Scriptura, Dominum prævidens passurum ab impiis, quid ait? *Terra tradita est in manus impii.* (*Job* ix, 24.) Quid est, terra tradita est in manus impii? Caro tradita est in manus persequentium. Non ibi autem dimisit justum suum Deus : de carne capta educit animam invictam. Dimitteret Deus justum suum in manibus impii, si illum fecisset consentire impio : contra quod malum orat in alio psalmo, et dicit : *Ne tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori.* (*Psal.* cxxxix, 9.) Opus est a desiderio tuo non tradaris peccatori, ne, cum desideras vitam præsentem, irruas in illum, et perdas æternam. A quo desiderio non debet tradi peccatori? Ab illo de quo item dicitur : *Et diem hominis non concupivi, tu scis.* (*Jerem.* xxvi, 16.) Qui enim desiderat et concupiscit diem hominis, quando illi minatus fuerit adversarius, quod tollat illi diem humanum, quia occidet eum, et perdet hanc vitam; qui non sperat aliam vitam deficit, et consentit inimico.

Idem, *ibid.* — Qui autem audit Dominum dicentem : *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere.* (*Matth.* x, 28.) Etsi tradatur terra in manus impii, capta terra spiritus evadit; spiritu evadente, et terra resurget. Spiritus mutatur ad Dominum, terra mutabitur in cœlum. Non enim aliquid de ipsa terra perit, quæ ad tempus traditur in manus impii : *capilli capitis vestri numerati sunt.* (*Matth.* x. 30.) Ergo est securitas, sed si intus sit Deus. Si autem expellatur diabolus, admittitur Deus. *Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus, nec damnabit eum, cum judicabitur illi.* — *Illi* autem dictum est, cum judicium sit de illo. Possumus enim sic loqui ut dicamus homini : Judica mihi, id est audi causam meam. Cum ergo cœperit audire causam justi sui Deus; *quoniam oportet omnes exhiberi ante tribunal Christi, et stare, ut illic recipiat unusquisque quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum.* (*II Cor.* v, 10.) Quando ergo ventum fuerit ad illum judicium, non eum damnabit; etsi ad tempus videntur damnari ab homine. Etsi dixit sententiam proconsul in Cyprianum : alia est sella terrena, aliud tribunal cœlorum : ab inferiore accepit sententiam, a superiore coronam : *Nec damnabit eum, cum judicabitur illi.* Sed quando erit? Noli modo putare : tempus laboris est, tempus seminis est, tempus frigoris; etsi inter ventos, etsi inter pluvias, semina; noli esse piger : æstas veniet quæ te lætificet, in qua te gaudeas seminasse.

S. Gregor. Mag. *Homil.*, — Mori a persequente, martyrium in aperto opere est, ferre vero contumelias, et odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione.

Discrimen martyrum veteris et novi testamenti.

S. Bernardus, epist. 98. — Universis tam veteris et novi testamenti martyribus æque convenit pro justitia occubuisse; sed interest quod isti passi sunt, quia illam tenebant; illi quia non tenentes reprehendebant : isti quod eam non desererent, illi quod deserentes perituros esse assererent. Et ut breviter totum in quo differunt proferamus : hos cultus, illos zelus justitiæ martyres fecit. Soli ex veteribus Macchabæi, quia non solum causam, sed et formam novi martyrii tenuerunt; jure fortasse in Ecclesia cum novis Ecclesiæ martyribus eamdem consuetæ celebritatis gloriam assecuti sunt. Instar quippe martyrum nostrorum libare, et ipsi diis alienis, patriamque deserere legem, imo mandata Dei transgredi cogebantur; renuebant et moriebantur. Non sic Isaias, non sic Zacharias, non denique vel magnus ille Joannes Baptista ita mortuus : quorum primus serra fertur scissus fuisse; secundus inter templum et altare legitur occisus : tertius in carcere decollatus. Si quæritur a quibus? Ab injustis et impiis. Si qua causa? pro justitia et pietate. Si quomodo? Non tam eas confitendo, quam proponendo. Proponebant veritatem odientibus eam : veritas pariebat eis odium, et odium mortem.

Idem, *Serm.* — Quod martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas pretiosas algere, paupertate premi inter divitias quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster appetitus. Propterea pauperibus et pariter martyribus regnum cœlorum promittitur, quia paupertate quadam emitur : sed in passione pro Christo, absque dilatione percipitur.

Digitized by Google

MATRIMONIUM

[Ex SS. Patribus.]

I. *In conjugii quæstione considerari quæ debeant?*

S. Clement. Alex., *Stromat*, l. II, t. I. — Quoniam voluptas et cupiditas videntur cadere in matrimonium, de hoc quoque tractandum est. Est ergo matrimonium prima legitima viri et mulieris conjunctio, ad legitimorum liberorum procreationem. Menander itaque Comicus ait :

Ad seminandos legitimos liberos
Tibi meam trado filiam.

Quærimus autem, an sit uxor ducenda; quod quidem ex iis quæ, secundum ad aliquid, quodammodo se habere dicuntur. Est enim alicui ducenda uxor, hoc est aliquo modo se habenti, et aliqua uxor ducenda, et quæ aliquo modo se habeat. Neque enim est uxor ducenda cuilibet, neque semper; sed tempus quoque est, in quo convenit; et persona cui convenit, et ætas, usque ad quam. Neque ergo est cuilibet uxor quælibet ducenda, neque semper, sed neque omni modo ac temere, sed ei qui aliquo modo se habet, et qualem, et quando oportet, et liberorum gratia, et ea, quæ est in omnibus similis, et non vi aut necessitate virum amantem diligit. Unde Abraham uxorem suam sororem esse defendens, ait : *Mihi soror ex patre, sed non ex matre, fuit autem mihi quoque in uxorem.* (*Gen.* xx, 12.) Docens eas, quæ ex eadem matre natæ sunt, non esse ducendas uxores.

II. *De conjugio ut senserint philosophi.*

Idem, *ibid.* — Jam vero paucis persequamur historiam. Plato ergo matrimonium collocat in bonis externis, astruens scilicet nostri generis immortalitatem, qua posteritas posteritati lampadem quasi vicissim in manus tradit. Democritus autem repudiat matrimonium, et procreationem liberorum, propter multas quæ ex ipsis oriuntur molestias, et quod abstrahant ab iis quæ sunt magis necessaria. Ei autem Epicurus quoque assentitur, et quicunque in voluptate, molestiæque et doloris vacuitate bonum collocant. Præterea, ex Stoicorum quidem sententia, est indifferens et matrimonium et liberorum susceptio : ex Peripateticorum vero, bonum. Ut semel autem dicam, illi lingua tenus sua deducentes dogmata, voluptatibus servierunt, alii quidem pellicibus, alii vero meretricibus, plurimi autem utentes adolescentulis. Sapiens autem illa quaternio, in horto cum meretrice, factis voluptatem colebat. Non ergo eam gravissimam effugerint exsecrationem, qui cum sibi aliqua non conferre judicent, alios ea hortentur facere, vel contra. Hoc breviter Scriptura significavit, dicens : *Quod odio habes, alii ne feceris.* (*Job* IV, 16.)

III. *Contrahendum cur sit?*

Idem, *ibid.* — Cæterum qui matrimonium approbant, nos, inquiunt, fecit natura aptos ad matrimonium, ut liquet ex compositione corporum masculorum et feminarum; et frequenter illud acclamant, *Crescite et multiplicamini.* (*Gen.* I, 28.) Etsi autem hæc quoque ita se habeant, ipsis tamen turpe videtur quod homo, quem Deus est architectatus, sit animantibus brutis intemperantior, quæ cum multis et temere non congrediuntur, sed cum uno et quod sit ejusdem generis : cujusmodi sunt columbæ, et palumbes, et genus turturum et quæ sunt his similia. « Præterea, inquiunt, qui caret liberis, est ea perfectione defectus quæ est secundum naturam, ut qui suum successorem in suum locum non substituerit. Perfectus enim est, qui ex seipso fecit similem; vel potius quando illum idem fecisse viderit, hoc est, quando in eamdem pervenerit naturam filius, cujus est qui eum genuit. » Est ergo omnino uxor ducenda, et patriæ causa, et liberorum successionis, et mundi, quantum est in nobis, perfectionis. Nam istius etiam matrimonii miserentur poetæ, quod est *semi-perfectum* et caret liberis : beatum autem prædicant id quod floret et *germinat undequaque.* Mobi autem corporis maxime indicant necessarium esse matrimonium, Uxoris enim cura, et assidua ejus perseverantia, videtur aliorum necessariorum et amicorum tantum superare tolerantiam, quanto ea mutua doloris consensione et misericordia antecellit, et vult omnium maxime lubenter adesse, et præsentia succurrere. Et revera ex Scripturæ sententia, est necessaria *adjutrix* (*Gen.* II, 18.)

Menander itaque comicus, cum matrimonium esset insectatus, alia etiam utilia opponens, respondit ei qui dixerat :

Affectus in rem sum male :
Nam tu sinistre nec bene hanc quidem capis.

Deinde subjungit :

Gravia fuerunt et molesta quæ tibi,
Vides in ipso, sed bona haud contra vides;

et quæ deinceps sequuntur. Fert autem opem quoque matrimonium iis qui ætate processerunt, ut quod exhibeat uxorem curam gerentem, et alat qui ex ea suscepti sunt liberos, ut in senectute parentes suos nutriant :

Nam liberi sunt fama defuncto viro,
Et ex profundo retia, ut suber, trahunt.
Fila servantes lino :

ex tragici Sophoclis sententia. — Non permittunt autem legislatores maximos magistratus gerere iis qui uxorem non duxerint. Jam vero Laconum legislator, non solum pœnam imposuit ei qui uxorem non duxisset, sed etiam ei qui unam tantum, et ei

Digitized by Google

qui duxisset serius, et ei qui solus viveret. Præclarus autem Plato jubet uxoris quoque alimentum publico pendere ærario, eum qui uxorem non duxisset, et sumptus convenientes dare magistratibus. Si enim, ductis uxoribus, liberos non susceperint, quatenus in iis quidem situm est, hominum raritatem invehent, et civitates dissolvent. et qui ex eis constat mundum.

Hi autem impie agunt, ut qui divinitus institutam generationem destruant. Quinetiam ignavi est et imbecilli animi, fugere conjunctionem vitæ et consuetudinem cum uxore et liberis. Cujus enim est amissio malum, ejus omnino possessio bonum est : ita autem se habet etiam in reliquis. Atqui liberorum amissio, inquiunt, est ex supremis malis ; liberorum ergo possessio, bonum est : quod si ita est, etiam matrimonium.

Namque absque patre liberos nemo tulit :
Nec absque matre filii conceptio.

Patrem autem nuptiæ efficiunt, ut vir matrem. Maximum itaque votum statuit Homerus, *virum et familiam*, sed non absolute, verum *cum bona consensione.* Nam aliorum quidem matrimonium in voluptate consentit et delectatione : eorum autem qui philosophantur, matrimonium deducit ad eum, qui est secundum Logon seu rationem, consensum : qui non formam, sed mores permittit ornare mulieribus; præcipitque maritis, ne utantur uxoribus tanquam amicis, unum sibi proponentes scopum, ut corpori probrum afferant, sed ad totius vitæ auxilium, et optimam temperantiam, matrimonium usurpent. Frumenti enim et hordei, ut arbitror, seminibus, quæ convenientibus temporibus terræ committuntur, præstantior est qui matrimonio seminatur homo, in cujus usum omnia a natura producuntur. Atque illa quidem semina agricolæ sobrii deponunt. Si quod sit ergo sordidum et spurcum studium, id est a matrimonio expurgandum, ne nobis probro dari possit, quod brutorum animantium congressus magis naturæ conveniat, quam humana conjunctio, in ipso calore Veneris. Nonnulla certe eorum, quo tempore jubentur, statim abstinent, relinquentia opificium Providentiæ. A tragicis autem scriptum est Polyxenam, etsi interficeretur, moriendo tamen *magnam* adhibuisse *diligentiam ut honeste caderet,*

Illa tegens mares quæ haud licuit cernere.

Fuit autem illi quoque calamitas matrimonium. Succumbere itaque et cedere vitiis et animi perturbationibus, est extrema servitus : sicut ea certe vincere, sola est libertas.

IV. *Ab ipsa Scriptura suadetur.*

S. Clem. Alex., *Strom.*, l. II, t. II. — Divina itaque Scriptura eos qui præcepta transilierunt, dicit esse venundatos alienigenis, hoc est peccatis quæ a natura sunt aliena, donec conversi agant pœnitentiam. Conservandum est ergo matrimonium, tanquam sacra aliqua statua, mundum ab iis quæ polluunt; et a somnis quidem expergiscamur cum Domino, eamus autem dormitum cum gratiarum actione, et oremus,

Cum somno indulges, lux et cum fulserit alma

tota nostra vita Dominum testantes ; pietatem quidem ac religionem anima possidentes, temperantiam autem etiam usque ad corpus deducentes. Deo enim revera gratum est, a lingua ad opera traducere moderationem. Ad impudentiam autem via est turpis sermo ; et utriusque finis est turpium rerum perpetratio. Quod autem consulit Scriptura uxorem ducere, et nec a conjugio unquam permittit discedere, legem aperte constituit : *Non dimittes uxorem præterquam propter fornicationem.* (*Matth.* v, 32; x, 9; *Marc.* x, 11, 12; *Luc.* xvi, 18.)

Adulterium autem existimat conjungi matrimonio, dum vivit alter ex separatis. Suspicione autem et criminatione liberam reddit uxorem, ut non ornetur ac cometur plus quam sit decorum, sed assidue attendat precibus et orationibus; utque e domo sæpe non exeat, a sui autem aspectu, quoad fieri potest, excludat eos qui ad eam non attinent, ducatque domus custodiam intempestivis nugis conducibiliorem : *Qui autem dimissam accipit uxorem, mœchatur*, inquit; *si quis* enim *dimiserit uxorem, mœchatur ipsam* (*Ibid.*) Hoc est, cogit eam mœchari. Non solum autem qui dimisit, est ejus causa, sed etiam qui eam suscepit, præbens mulieri peccandi occasionem : si enim non suscipiat, revertetur ad virum. Quid vero lex? (*Levit.* xx, 10; *Deut.* xxii, 22.) Ut reprimat ad vitia propensionem, jubet de medio tolli eam quæ adulterata, et adulterii fuerit convicta : sin autem fuerit e familia sacerdotis, jubet eam igni tradi. (*Levit.* xxix, 9) Obruitur autem adulter quoque lapidibus, sed non in eodem loco ; ne mors quidem sit eis communis. Nequaquam igitur lex cum Evangelio pugnat, sed ei consentit. Quidni enim cum utrumque unus suppeditavit Dominus? Quæ enim est fornicata, vivit quidem peccato, sed mortua est mandatis; quæ autem ducta est pœnitentia, ut quæ sit iterum generata per vitæ conversionem, habet vitæ regenerationem, mortua quidem vetere fornicatrice, in vitam autem rursus ingressa ea quæ genita est per pœnitentiam. Iis quæ dicta sunt fert Spiritus testimonium, dicens per Ezechielem : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur.* (*Ezech.* xxxiii, 2.) Jam vero obruuntur lapidibus, ut qui propter duritiem cordis sint legi mortui, cui non paruerunt. Sacerdotis autem uxori augetur supplicium, quia *cui plus datum est, plus ab eo exigetur.* (*Luc.* xii, 48.)

V. *Sua habet munia ut et cœlibatus.*

Idem, *ibid.*, lib. III. — Quod autem *ex consensu ad tempus orationi vacat* conjugium, doctrina est continentiæ. (*I Cor.* vii, 5.) Adjecit enim illud quidem. (Apostolus) *Ex consensu*, ne quis dissolveret matrimonium : *ad tempus autem*, ne dum ex ne-

Digitized by Google

cessitate exercet continentiam, is qui uxorem duxerit, labatur in peccatum; et dum suo conjugio parcit, alienum concupiscat. Qua ratione cum qui se indecore gerere existimat quod virginem alat, recte eam dicit esse nuptum daturum. Verum unusquisque, tam is qui castitatem delegit, quam is qui propter liberorum procreationem se ipsum conjunxit matrimonio, in suo proposito firmiter debet perseverare, nec in deterius deflectere. Si enim vitæ suæ institutum augere ac intendere poterit, majorem sibi apud Deum acquirit dignitatem, propter puram et ex ratione profectam continentiam. Si autem eam quam elegit regulam superaverit, in majorem deinde ad spem gloriam recidet. Habet enim sicut castitas, ita etiam matrimonium propria munera et ministeria quæ ad Dominum pertinent, filiorum, inquam, curam gerere et uxoris. Quod enim honeste causatur is qui est in matrimonio perfectus, est conjugii necessitudo, ut qui omnium curam ac providentiam in domo communi ostenderit.

Origen., homil. 3 *in Gen.*, tom. II. — Nunc qualiter carnis circumcisio suscipi debeat, videamus. Membrum hoc in quo præputium videtur esse, officiis naturalibus coitus et generationi deservire nemo est qui dubitet. Si quis igitur erga hujuscemodi motus non importunus existat, nec statutos legibus terminos superet, nec aliam feminam quam conjugem legitimam noverit, et in ea quoque ipsa posteritatis tantummodo causa certis et legitimis temporibus agat, iste circumcisus præputio carnis suæ dicendus est. Qui vero in omnem lasciviam proruit, et per diversos et illicitos passim pendet amplexus, atque in omnem libidinis gurgitem fertur infrenis, iste incircumcisus est præputio carnis suæ. Verum Ecclesia Christi, gratia ejus qui pro se crucifixus est roborata, non solum ab illicitis nefandisque cubilibus, verum etiam a concessis et licitis temperat, tanquam jam virgo sponsa Christi castis et pudicis virginibus floret, quibus vera circumcisio carnis præputii facta est, et vere testamentum Dei, et testamentum in æternum in eorum circumcisa carne servatur. Superest nobis etiam designare circumcisionem cordis. Si quis est qui obscenis desideriis et fœdis cupiditatibus æstuat, et, ut breviter dicam, qui mœchatur in corde, hic incircumcisus est corde.

Idem, *in Matth.*, t. III. — Quemadmodum adultera est uxor, etiamsi viro alteri nupta videatur, priore etiamnum vivo; ita et virum repudiatam duxisse visum, non tam ipsius maritum, quam adulterum esse dicendum, a servatore nostro demonstratum est. Postea vero animadvertentes Christi discipuli quam multi in conjugiis casus oboriri possent, quod vir sustinere debeat, ac summis proinde difficultatibus et periculis defungi, vel eos non sustinentem in Christi mandata peccare, ad cœlibatum quasi faciliorem, et matrimonio utiliorem confugientes dicunt : *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.* (*Matth.* XIX, 10.) Servator vero omnibus absolutam numeris castitatem donum Dei esse nos edocens, non ipsa solum exercitatione comparandum, sed precibus etiam a Deo impetrandum, ad id hæc retulit : *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* (*Matth.* XIX, 11.)

Lactant., *Institut. adv. gentes*, lib. VI, cap. 23. — Servanda fides ab utroque alteri est; imo exemplo continentiæ docenda uxor, ut se caste gerat. Iniquum est enim ut id exigas quod præstare ipse non possis.

S. Basil., hom. 25, *de hum. Christi generat.* — Et Virgo erat Maria et viro desponsata; ut et virginitas in honore ante omnia haberetur, et matrimonium non propterea improbaretur. Virginitas enim ut apta proximaque sanctitati electa est : per dispensationem vero nuptiarum initia expressa sunt.

Idem, *De vera virginitate.* — Tunc legitimum constat esse connubium et secundum divina jura institutum, cum non voluptatis affectus legis scita præcesserit, sed adjumenti necessarii, prolisque causa fuerit hujusmodi facta conjunctio.

Non se fallat qui a virginitatis curriculo ad carnis vitia deflexit. Conjugium quippe illi in peccatum reputabitur : primum quidem quia pessimum conjunctionis hujus fundamentum voluptatem jecit, prævaricationisque malum : deinde quia causa non esset libera; neque enim mortuus est vir ejus, ut qui vult nubat : vivente immortali viro, merito censetur adultera, quæ mortalem hominem a carnis vitiis Domini thalamis intulit.

Idem, *De abdicatione rerum.* — Hominum res duplici vitæ genere distinxit Deus, conjugio videlicet et virginitate; ut qui virginitatis ferendo certamini pares esse non possent, hi sibi uxorem adjungerent : ea ducta nihilominus temperantiæ sibi ac castitatis, consimilisque modi in conjugio ac liberorum educatione, ejus quem sancti viri, dum hic viverent, tenuerunt. Non est quamobrem tu, qui ad uxorem ducendam applicare animum maluisti, perindè quasi ea re tibi mundum amplecti licitum sit, desidiæ te des : quando eo majore tibi labore contendendum est, attentioreque animi utendum vigilantia, ut salutem invenias : veluti qui sedem tibi in mediis laqueis, mediaque rebellium potestatum ditione delegeris, ubi peccatorum assidua ante oculos posita irritamenta habeas, ad quæ concupiscenda omnes sensuum libidines assidue loco veluti emotæ impellantur.

S. Cyril. Hieros., catech. 4, *de decem dogmat.* — Neque vero si perfectum castitatis officium adimples, efferri te decet adversus illos qui inferiorem vitæ statum matrimonio copulati sectantur. *Honorabile enim est connubium, et cubile impollutum*, ut ait Apostolus. (*Hebr.* XIII, 4.) Et tu qui castitatis integritatem habes, nonne ex hominibus conjugatis natus es? Non ergo

Digitized by Google

quod aurum possideas, argentum reprobes? verum spei bonæ pleni sint et ii qui in conjugio legitime nuptiis utuntur : qui exactum ad leges connubium, non illud ex immoderata licentia procax ac libidinosum instituunt : qui relaxationis tempora norunt, ut vacent orationi : qui una cum vestimentis munda in conventibus ad Ecclesiam offerunt corpora : qui liberorum procreandorum, non fruendæ voluptatis causa, ad nuptias accesserunt.

Nec unico matrimonio contenti, eos qui ad secundas nuptias se ultro dejecere, reprobent. Nam præclara est et admiranda res continentia; verum ignoscendum etiam est, si ad secundas nuptias accedatur, ne scortationi succumbant infirmi. *Bonum est* enim *eis, si permanserint, sicut et ego*, inquit Apostolus : *Si vero non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri.* (*I Cor.* VII, 8, 9.) Reliqua vero omnia procul ablegentur, scortatio, adulterium, et omne lasciviæ genus. Conservetur vero corpus Domino mundum, ut Dominus etiam corpus respectet.

S. Ephrem Syr., *Ad fratrem quemdam sermo in illud Apostoli, I Cor.* VII, 9 : *Melius est nubere quam uri.* Apostolum audi dicentem : *Volo omnes homines esse sicut et meipsum : sed unusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic, alius vero sic.* (*I Cor.* V, 7.) Perspicuum scilicet hinc, inter sæculares, illosque qui sæculo renuntiarunt, eum fecisse discrimen cum diceret : *Unusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic, alius vero sic.* Etenim neque sæculares vetat legitime matrimonium contrahere, neque eos qui se sæculo abdicarunt a continentiæ lege liberat, dicens : *Unusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic, alius vero sic.* Sæcularibus siquidem concedit, dicens : *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat.* (*I Cor.* VII, 2.) Et rursus : *Honorabile connubium in omnibus : fornicatores autem et adulteros judicabit Deus.* Iis autem qui sæculo renuntiarunt præcepit continentiam, dicens : *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* (*I Cor.* IX, 25.) Duo igitur hisce verbis ostenduntur ordines, uti supra dictum est. Quare tu, monache, nosce atque considera in utro sis ordine constitutus : tum quo signo, quave nota sis insignitus; quæque pacta cum Deo feceris constituerisque : quoniam secundum illa abs te rationem reposcet, quemadmodum ait Salvator : *Ex ore judicabo te.* (*Luc.* XIX, 22.)

Sæcularibus igitur, sicut ante diximus, permisit legitime matrimonio conjungi; at qui sæculo se abdicarunt, hos continere se voluit. Quando quidem si quosvis illa verba concernerent : *Melius est nubere quam uri*; nemo hanc ipsam virtutem unquam excoluisset : non Elias Thesbistes, non Eliæus, non Joannes, non quicunque se castraverunt propter regnum cœlorum castamque suam carnem servarunt Deo; sed neque ipse continens fuisset Apostolus, nisi respexisset in retributionem mercedis. Ne igitur dixerimus sicut nonnulli prætexunt, dicentes : at illi justi fuerunt, ego vero peccator sum. Justi siquidem illi evaserunt, quod juste sancteque suam hanc præsentem transegerint vitam. Quid igitur dicemus? Anne quod justi illi corporis expertes fuerint? Nonne et illi corpore circumamicti erant? Apostolum audi dicentem : *In carne ambulantes, non secundum carnem militamus : arma enim militiæ nostræ, non carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum.* (*II Cor.* X, 3.) Claram itaque, quod et ipsi oppugnati sint, tanquam carnem circumferentes, verum restiterunt strenue. Unde rursus Apostolus ait : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* (*I Cor.* IX, 27.) Manu ducens autem nos ad virtutem : *Imitatores*, inquit, *mei estote, sicut et ego Christi.* (*I Cor.* IV, 11.)

Quare attendamus, dilectissimi fratres, nequando concupiscentiam nostram implere volumus, in apostolicum effatum culpam rejiciamus, sermonis istius vim non intelligentes. Quoniam scriptum est : *Animæ dolosæ errant in peccatis.* (*Prov.* XIII, 13.) Et rursus : *Peccantem virum involvet laqueus : justus autem in gaudio et exsultatione erit.* (*Prov.* XXIX, 6.) Quid vero audis? *Melius est nubere quam uri*; et non audis quod adjungit dicens : *Tempus breve est; reliquum est, ut et qui habent uxores, sint tanquam non habentes; et qui flent tanquam non flentes; et qui gaudent, tanquam non gaudentes; et qui emunt, tanquam non possidentes; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur : præterit enim figura hujus mundi.* (*I Cor.* VII, 8, 9.) Quapropter cave, monache, spreveris illum qui hanc tibi impertitus est gratiam, oscitanterve audias eum te per Apostolum compellantem : *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* (*I Tim.* XIV, 14.) Ne te forte prævaricatorem constituas, rursus ædificans quæ destruxisti : sed redde Domino vota tua, quoniam scriptum est : *Melius erat te non vovere, quam cum voveris, non reddere.* (*Eccle.* V, 4.) Contende igitur et elabora, ut cursum tuum legitime perficias; ut libere dicere possis cum Apostolo : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex : non solum autem mihi, sed et omnibus qui diligunt revelationem ejus.* (*II Tim.* IV, 7, 8.)

S. Gregor. Nyss., hom. 4. — Oportet Deum diligere ex toto corde, et anima, et potentia, et sensu : proximum tanquam seipsum : uxorem si purioris quidem est animæ, sicut Christus Ecclesiam; sin autem est animæ paulo magis perturbationibus obnoxiæ, sicut corpus proprium : sic enim jubet Paulus.

S. Greg. Nazianz., orat. 37, t. I. — *Et accesserunt ad eum Pharisæi, tentantes eum, et dicentes : Si licet homini quacunque ex causa dimittere uxorem suam?* (*Matth.* XIX,

Digitized by Google

3.) Rursus Pharisæi tentant : rursus qui legem legunt, legem non intelligunt : rursus qui se legis interpretes profitentur, magistris aliis opus habent. Parum erat Sadducæos de resurrectione tentasse, legisperitos de perfectione interrogasse, Herodianos de censu, alios de potestate. Adhuc de matrimonio quispiam eum qui tentari non potest, qui matrimonium creavit, qui ex prima causa universum hoc hominum genus condidit, percunctatur : ipse autem respondens, dixit eis : *Non legistis, quia is qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos?* Christus quasdam quæstiones solvere atque explicare solet, quasdam velut obstructo in interrogantium ore comprimere. Cum ex eo quæritur : *In qua potestate hæc facis?* (*Luc.* xx, 2.) Propter ingentem eorum qui interrogaverant ineptiam, vicissim ipse quoque interrogat : *Baptismus Joannis de cælo erat, an ex hominibus?* (*Ibid.*, 4.) Atque utrinque interrogatores suos premit ac constringit. Unde etiam nobis nonnunquam ad Christi imitationem eos, qui curiosa disputatione non lacessunt, comprimere, quæstionumque absurditatem absurdioribus solvere licet. Nam ipsi quoque interdum in rebus vanis sciti atque ingeniosi sumus : ut in his, quæ sunt insipientiæ, glorier. At cum quæstionem ratiocinatione ac judicio indigentem videt, tum eos a quibus interrogatur, prudenti responso nequaquam indignos censet.

VI. *Quo pacto matrimonii lex spectanda.*

(S. Greg. Naz., orat. 37, t. I.— Quæstio hæc, inquit, quam proposuisti, ad pudicitiæ cultum et honorem spectare mihi videtur responsionemque humanam et commodam postulare. Circa hanc enim plerosque male affectos cerno, ac legem eorum iniquam, nec sibi constantem. Quid enim causæ fuit cur mulierem coercerent, marito contra indulgerent, eumque liberum relinquerent? Et mulier quidem, quæ improbum consilium adversus viri sui cubile susceperit, adulterii piaculo constringatur, acerbissimisque legum pœnis excrucietur; vir autem, qui fidem uxori datam per adulterium violaverit, nulli supplicio obnoxius sit? Hanc legem haudquaquam probo, hanc consuetudinem minime laudo. Viri erant qui hanc legem sanxerunt, ac propterea adversus mulieres lata est; quandoquidem et filios paternæ potestati subjecerunt, infirmiorem sexum incultum atque incuratum reliquerunt. Ac Deus non sic, verum : *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut bene tibi sit* (*Exod.* xx, 12), quod est primum mandatum, in pollicitationibus situm. Et : *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* (*Exod.* xxi, 17.) Æque, et virtuti honorem ac præmia, et sceleri pœnam constituit. Item alio loco : *Benedictio patris firmat domos filiorum : maledictio autem matris eradicat fundamenta.* (*Eccli.* iii, 11.) Legis æquabilitatem videtis. Unus viri et mulieris creator, pulvis unus uterque, imago una, resurrectio una. Æque ex viro et muliere procreati sumus : unum idemque parentibus debitum filii persolvendum habent.

VII. *Vir et mulier æqualem a Christo misericordiam consecuti.*

Idem, *ibid.* — Qua igitur fronte pudicitiam exigis quam ipse vicissim non præstas? Quomodo quod non das, petis? Quomodo corpori pari honore prædito, imparem statuis? Si deteriora expendis : *Peccavit mulier*, eodem quoque modo *Adam peccavit.* (*Gen.* iii, 6.) Utrumque serpens decepit atque in fraudem impulit. Non altera infirmior inventa est, alter fortior. At meliora consideras? Utrumque Christus passione sua salute donavit. Pro viro caro factus est? Pro muliere item. Pro viro mortem subiit? Ipsius item morte mulieri salus parta est. At *ex semine David* nominatur (*Rom.* i, 5), atque hinc forsan viros honore præferri colligis? Audio, sed *ex virgine* quoque nascitur (*Matth.* i, 23), quod et pro mulieribus valet. *Erunt igitur*, inquit, *duo in carne una* (*Gen.* xi, 24); proinde caro, quæ una est, æqualem honorem habeat. Jam vero Paulus exemplo quoque castitatem velut lege præscribit. Quo tandem modo, et qua ratione? *Sacramentum hoc magnum est : Ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* (*Ephes.* v, 32.) Pulchrum est mulieri Christum per virum revereri; pulchrum quoque viro Ecclesiam per uxorem non aspernari. *Mulier*, inquit, *ut virum timeat*, quippe et Christum. At vir etiam, *ut uxorem foveat atque complectatur* (*Ibid.*, 22 seq.); nam et Christus Ecclesiam. Quin etiam hæc verba studiosius et accuratius expendamus.

VIII. *Quid de polygamia sentiendum.*

Idem, *ibid.* — *Mulge lac*, ait ille, *et erit butyrum.* (*Prov.* xxx, 33.) Sedulo exquire, et fortasse in iis succulentius aliquid invenies. Hoc enim sermone secundas nuptias mihi dissuadere videtur. Si enim duo Christi sunt; duo quoque viri sint, et duæ uxores : Si autem unus Christus, unum Ecclesiæ caput; una etiam caro sit, secunda autem respuatur. Quod si secundam prohibeat, de tertia quid dicendum est? Primum lex est, secundum venia et indulgentia, tertium iniquitas. Qui autem hunc numerum excedit, porcinus plane est, utpote ne multa quidem vitii exempla habens. Enimvero lex omnes ob causas libellum dat repudii. At Christus non ob omnes, sed ab impudica tantum et adultera uxore viro separari permittit : reliquis autem omnibus in rebus animi æquitate ac patientia uti jubet. Ergo impudicam quidem, quia genus corrumpit et adulterat, expellamus. Cætera autem omnia patienter et moderate ac sapienter feramus; aut ut rectius loquar, sapienter et moderate forte, quicunque matrimonii jugum subiistis.

X. *Uxorum vitia benigne a viris corrigenda; et conjugatorum inter se officia.*

Idem, *ibid.* — Si illicitos fuco et cerusa colores et pigmenta perspexeris, eam hoc

Digitized by Google

ornatu spolia : si procacem et petulantem linguam, coerce : si meretricium risum, verecundiam et gravitatem compone : si sumptum aut potum immodicum, contrahe : si intempestivos progressus, domi cohibe : si oculum elatum et vagum, reprime. At eam ne temere a te divellas et abstrahas. Incertum est, utra pars in discrimine versetur, eane quæ secat, an ea quæ secatur. *Fons aquæ*, ait ille, *sit tibi proprius : nec ullus extraneus tecum sit particeps.* Et : *Pullus gratiarum tuarum, et cervus amicitiæ tuæ, consuetudinem vitæ tecum habeat.* (*Prov.* v, 17 seq.) Quocirca tibi cavendum est, ne fluvius alienus efficiaris; atque aliis, potius quam uxori tuæ, placere studeas. Quod si alio fertur cupiditas tua, parti quoque tuæ libidinem præscribis.

X. *Matrimonium inire quibus expediat?*

S. Greg. Nazianz., orat. 37, t. I. — Expedit nubere? id ipseprobo; *Honorabile* enim *connubium, et torus immaculatus.* (*Heb.* xiii, 4.) Sed moderatis expedit, non petulantibus, et libidine perditis, quique plus æquo carnem colere in animum inducunt. Cum matrimonium nihil aliud est quam matrimonium et conjunctio, et prolis ac successionis cupiditas, tum bonum est matrimonium. Plures enim introducit qui Deo placeant. At cum carnis molem inflammat, et spinis circumdat, vitiique quasi via invenitur, tum ipse etiam dico : Non expedit nubere. Virginitas matrimonio præstantior.

Bonum est matrimonium; sed quod virginitate præstantius sit, dicere non possum. Neque enim magnum aliquid esset virginitas, nisi re aliqua bona melior et præclarior esset. Nolite hoc moleste ferre, quæ matrimonii jugo subjectæ estis. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* (*Act.* v, 29.) Cæterum facile ut inter vos quasi vinculo constringamini, et virgines et uxores, atque unum sitis in Domino, mutuumque aliæ aliarum ornamentum. Non esset cœlebs, nisi matrimonium esset. Unde enim in hanc vitam virgo prodiisset? Non esset honorificum et venerandum matrimonium, nisi virginem proferret tum Deo, tum vitæ. Honora tu quoque matrem tuam, ex qua natus es. Honora etiam eam quæ ex matre est, et mater. Non quidem mater est, sed Christi sponsa. Pulchritudo quidem ea quæ in oculos cadit, non occultatur : quæ autem oculorum aciem fugit, a Deo perspicitur. *Omnis gloria filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis, circumdata varietate.* (*Psal.* xliv, 14.) Sive actionibus, sive etiam contemplationibus. Quæ sub jugo est, aliqua ex parte Christi sit; quæ virginitatem amplexa est tota Christi sit. Illa mundo non prorsus alligetur, hæc nullo modo animum mundo addicat. Quod enim conjugatæ est pars, id virgini totum est. Angelorum vitam elegisti? In eorum ordinem te aggregasti, qui jugum nesciunt? Ne in carnem prolabaris, ne in materiam dejiciaris, ne cum materia matrimonio jungaris, etiamsi alioqui in cœlibatu perstes.

Idem, epist., 193. — Christus nuptiis intersit; porro ubi Christus est modestia quoque est. Ne episcopi cum sannionibus, preces cum lusibus, psalmodiæ cum tibicinum cantibus copulentur. Operæ pretium est enim, ut quemadmodum cætera omnia, sic etiam Christianorum matrimonia modesta sint et composita.

S. Ambros., *Hexamer.*, lib. v, cap. 7. — Murena serpenti venenatæ non desit. Quid sibi vult sermo hujusmodi? Nisi ferendos esse mores conjugum, et, si absens est, ejus operiendam præsentiam; sit licet asper, fallax, inconditus, lubricus, temulentus, — ille tua mala portat et levitatis femineæ facilitatem; tu virum tuum non potes, o mulier, sustinere? Adam per Evam deceptus est, non Eva per Adam. Quem vocavit ad culpam mulier, justum est ut gubernatorem assumat, ne iterum feminea facilitate labatur. Sed horridus et incultus est. Semel placuit. Nunquid vir frequenter est eligendus?

Sed etiam tu vir depone tumorem cordis, asperitatem morum, cum tibi sedula uxor occurrit. Non es dominus, sed maritus : non ancillam sortitus es, sed uxorem. Gubernatorem te Deus voluit esse sexus inferioris, non præpotentem. Redde studio vicem, redde amori gratiam. Vipera venenum suum fundit; tu non potes duritiam mentis deponere? Sed habes naturalem rigorem; debes temperare eum contemplatione conjugii.

Idem, *De Abrahamo*, cap. ult.— *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris.* (*Psal.* xvii, 26.) Si hoc in aliis, quanto magis in conjugio ubi una caro, et unus spiritus est? Quomodo autem potest congruere charitas, si discrepet fides? Et ideo cave, Christiane, gentilem aut Judæam atque alienigenam, hoc est hæreticam, et omnem alienam a fide accersas tibi. Prima conjugii fides, castitatis gratia est; si idola colat quorum prædicantur adulteria, si Christum neget qui remunerator est pudicitiæ, quomodo potest diligere pudicitiam? Si Christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sitis sacramento baptismatis.— Sæpe illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, et a religione fecit discedere. Et ideo tu vel amori consule, vel errorem cave. Primum ergo in conjugio religio quæritur.

Idem, *ibid.* — Non consulitur Rebecca de sponsalibus, illa enim judicium exspectat parentum; non est enim pudoris virginalis eligere maritum.

Idem, *in Epist. ad Cor.*, c. vii.—Videmus virgines de sæculo cogitare, et matrimonio junctas, Dominicis studere operibus. His virginibus non imputabitur sanctimonia a Deo, et his matrimoniis erit merces apud Deum; quia cum obligati essent terrenis et carnis nexibus, operam dederunt, ut in futurum aliquid immortalis præmii mererentur. Illis autem non solum non imputabitur virginitas, sed et pœnæ subjicientur, qui sub tegmine melioris spei vitam suam mundi cura et sollicitudine occupantes, pigros se ad Dei opera fecerunt : *Maledictus qui*

Digitized by Google

opera Dei facit negligenter. (*Jerem.* XLVIII, 10.)

S. AMBROS. — Cum ipsum conjugium velamine sacerdotali, et benedictione sanctificari oporteat; quomodo potest dici conjugium, ubi non est fidei concordia? Cum oratio communis esse debeat, quomodo inter dispares devotione, potest esse conjugii communis charitas?

S. GAUDENT., *De lect. Evang.*, serm. 8. — Benedixit quod constituerat a primordio legitimum Christus conjugium, dum pergeret ad nuptias non renuit invitatus : et tamen virginitatem docuit esse meliorem, dum magis per eam nasci dignatur.

XI. *Mulier quomodo subjecta viro?*

S. CHRYSOST., hom. 26 *in I Cor.*, t. X. — *Volo autem vos scire, quod omnis viri caput Christus est; caput autem mulieris vir; caput vero Christi Deus.* (*I Cor.* XI, 3.) Hæc est quidem causæ redditio; eam vero affert, imbecilliores reddens attentiores. Qui ergo fidelis est et fortis, ut par est, ratione et causa non eget pro iis quæ præcepta sunt; sed sufficit illi sola traditio. Qui autem imbecillior est, cum etiam causam didicerit, tunc cum majori studio id quod dictum est recitat, et cum magna obsequitur alacritate. Ideoque causam non dixit, donec vidit violatum esse mandatum. Quænam ergo causa est? *Omnis viri caput Christus est.* Ergone etiam Græci? Nequaquam. Nam si corpus Christi sumus, et membra ex parte, et hac ratione ille caput nostrum est; eorum qui in corpore non sunt, neque membra censentur, caput ille non fuerit; quapropter cum dicit, *omnis*, subintelligendum est *fidelis*. —

Caput autem mulieris vir; caput vero Christi Deus. — Hic in nos insiliunt hæretici, ex iis quæ dicta sunt minorem esse Filium excogitantes, sed in se ipsos irruunt. Si enim caput mulieris est vir; ejusdemque est substantiæ caput et corpus; caput vero Christi, est Deus, Filius ejusdem atque Pater substantiæ est. At, inquiunt, nolumus hinc ostendere quod alterius sit substantiæ, sed quod a Patre imperetur. Quid ad hoc dixerimus? Quod cum humile quidpiam dicitur de illo, cum carne exsistente, id quod dicitur non sit divinitatis vilitas et dejectio, cum œconomia id suspiciat. Cæterum dic quomodo id nunc vis probare? Quoniam, inquit, sicut vir mulieri imperat, sic et Pater Christo : ergo sicut Christus viro, sic Pater Filio. *Omnis* enim *viri*, inquit, *caput Christus est.* Ecquis hæc unquam admiserit? Si enim quantum nos Christus superat, tantum Pater Filium, cogita in quantam ipsum deducis vilitatem. Itaque non omnia simul sunt examinanda inter nos et Deum, etiamsi similiter dicantur; sed tribuenda est Deo propria quædam excellentia, et tanta, quanta Deo competat. Nam si hoc non concesserint, multa sequentur absurda. Perpende autem : caput Christi Deus, hic autem viri, et ille mulieris. Ergo si in omnibus similiter caput accipiamus, tantum distabit Filius a Patre, quantum nos a Filio; sed etiam mulier tantum a nobis distabit, quantum nos a Deo Verbo; et quod est Filius erga Patrem, hoc et nos erimus erga Filium, et mulier rursus erga virum.

Ecquis hoc ferat? Sed alio modo in muliere et viro caput accipis, quam in Christo. Itaque in Filio et in Patre aliter nobis accipiendum est. Et quomodo, inquies, est aliter accipiendum? Secundum causam : nam si imperium et subjectionem voluisset Paulus dicere, ut tu dicis, non mulierem in medium produxisset, sed potius servum et dominum. Etiamsi enim mulier nobis subjecta sit, sed ut libera, et ut par honore. Et Filius quoque, etsi Patri fuit obediens; sed ut Filius Dei, sed ut Deus. Quemadmodum enim Filio major est obsequentia erga Patrem, quam hominibus erga genitores suos sic et libertas major. Neque enim filii erga patrem officia majora et magis gemina sunt apud homines, patris vero erga filium minora. Si enim miramur Filium quod obedierit, ita ut usque ad mortem venerit, et mortem crucis, et hoc magnum statuimus miraculum, Patrem quoque mirari oportet, quod talem genuerit, non ut servum cui imperaretur, sed ut liberum obedientem, et consiliarium. Consiliarius enim non est servus. Consiliarium vero rursus cum audieris, ne ita audias quasi Pater aliquo egeat, sed quasi Filius paris cum genitore honoris sit.

Ne igitur exemplum viri et mulieris ad omnia pertrahas. Apud nos enim jure mulier subjecta est viro : nam honoris æqualitas contentionem parit. Neque ideo tantum, sed etiam propter deceptionem quæ initio contigit. Propterea cum facta fuisset, non statim subjecta fuit; neque cum illam ad virum adduxit, neque illa tale quidpiam a Deo audivit, neque vir illi quidpiam simile dixit; sed tantum quod os ex ossibus ejus, et caro ex carnibus ejus esset, dixit (*Gen.* II, 23), imperii autem aut subjectionis apud illam non meminit. Quando autem male usa est potestate, et quæ adjutrix facta fuerat, insidiatrix deprehensa est, et omnia perdidit, tunc juste audivit : *Ad virum tuum conversio tua.* (*Gen.* III, 16.) Quia enim verisimile erat peccatum hoc bellum illaturum esse in genus nostrum, neque enim ad pacem juvisset quod illa ex ipso esset facta, cum hoc accidisset; sed hoc ipsum etiam virum asperiorem reddidisset, quod quæ ex ipso facta fuerat, ne membro quidem suo pepercisset; cum diaboli malignitatem videret Deus, hoc verbum quasi murum opposuit, et inimicitiam quæ ex insidiis oritura erat, per hanc sententiam sustulit, innatæ concupiscentiæ quasi medio pariete dejecto, eam quæ ex peccato orta erat, injuriæ acceptæ recordationem abstulit. Sed in Deo et in corrupta substantia illa, nihil licet hujusmodi suspicari. Ne ergo de omnibus exempla accipias, nam alibi quoque multa hinc gravia occurrent peccata. Siquidem in exordio epistolæ dicebat : *Omnia*

Digitized by Google

vestra sunt, vos autem Christi, Christus vero Dei. (*I Cor.* III, 23.)

Quid ergo similiterne omnia nostra sunt, nos Christi, et Christus Dei? Nequaquam; sed illis etiam qui valde insipientes sunt nota est differentia, etiamsi hoc dictum de nobis, de Deo et de Christo proferatur. Et alibi cum virum caput mulieris esse dixisset, subjunxit : *Sicut Christus est caput* et salvator *Ecclesiæ*, et defensor, sic et vir debet uxoris suæ esse. (*Ephes.* v, 23.) Similiter igitur accipiemus dictum, et hoc et omnia quæ post missa sunt Ephesiis de hoc argumento? Absit : neque enim fieri potest. Nam eadem quidem verba proferuntur de Deo et de hominibus; sed alio modo illa, alio hæc intelligenda sunt : nec tamen rursus omnia diverse. Nam rursus temere et frustra accepta videbuntur, si nihil nos fructus ab illis tulerimus. Sicut enim non omnia similiter sunt accipienda, sic nec omnia temere rejicienda. Ut autem id quod dico clarius evadat, exemplo id palam facere conabor. Dictus est caput Ecclesiæ Christus. Si nihil humanum accepero, cur hoc mihi dictum est? Rursus si omnia humana accepero, multa consequetur absurditas : nam iisdem est passionibus obnoxium caput, quibus corpus, iisdemque erit obnoxium.

Quid ergo relinquendum, et quid accipiendum? Relinquenda quidem sunt ea quæ dixi, accipienda autem est perfecta unio, et primum principium. Neque hæc temere; sed hic quoque id quod majus est, et Deo conveniens, cogitandum. Nam et unio tutior, et principium honorabilius est. Rursus audivisti Filium. Ne hic quoque omnia accipias, neque omnia rejicias; sed iis quæ Deum decent acceptis, quod sit consubstantialis, quod ex ipso sit; quæ absurda et quæ infirmitatis humanæ sunt, in terra relinque. Rursus Deus lux dictus fuit. Ergone omnia assumemus quæ ad hanc lucem pertinent? Minime : illa quippe tenebris et loco circumscribitur, et altera vi movetur, et obumbratur. Quorum nihil ne cogitare quidem licet de illa essentia. Sed non ideo omnia ejiciemus, verum quidpiam utile. Ab exemplo decerpemus; illuminationem quæ a Deo in nos manat, liberationem a tenebris ex illa colligentes. Et hæc quidem adversus hæreticos.

S. Chrysost., hom. 19 *in I Cor.*, t. X. — *De quibus autem scripsistis mihi : Bonum est homini mulierem non tangere : propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum.* (*I Cor.* VII, 1, 2.) — Hic postquam de virginitate sermonem perfecit (Apostolus), rursus exit ad ea quæ magis pungunt ac feriunt, non omnia continenter ponens; sed sermonem in utrosque varians, ut tempus exigebat, necnon præsentium rerum usus. Ideo ait : *De quibus autem scripsistis mihi.* Scripserant autem ei an oporteret ab uxore abstinere, an non; et ad ea rescribens, et de matrimonio legem ferens, sermonem de virginitate inducit : *Bonum est homini mulierem non tangere.* Nam si, inquit, quod bonum est, et ad modum excellens quæris, melius est cum muliere nullam habere consuetudinem; si quod tutum est, et quod infirmitatem tuam juvet, matrimonio utere. Quia autem verisimile erat, ut etiam nunc solet, virum velle, mulierem vero non item; vel etiam contra, vide quomodo de utroque disserat

Et dicunt quidam, hoc ab illo dictum sacerdotibus fuisse. Ego vero ex iis quæ sequuntur rem examinans, non dixerim rem ita se habere : neque enim universe admonitionem constituisset. Si autem sacerdotibus tantum hæc scripsisset, dixisset sane : Bonum est doctori uxorem non tangere. Nunc autem universim hoc posuit : *Bonum est homini*, dicens, non tantum sacerdoti. Et rursus : *Solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem.* Non dixit : Tu sacerdos et doctor; sed indefinite; et totus omnino sermo sic procedit. Et cum dixit : *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat*, ex ipsa concessionis causa ad continentiam dixit : *Uxori vir debitum reddat; similiter et mulier viro.* (*Ibid.*, 3.)

Quid est autem debitus honor? *Mulier non habet potestatem sui corporis* (*ibid.*, 4); sed et ancilla et domina viri est. Si defeceris ab ea quæ convenit servitute, Deum offendis. Si autem abscedere vis, cum vir hoc permiserit, saltem ad breve tempus fiat. Propterea et debitam rem vocavit, ut ostenderet nullum esse sui dominum, sed esse alterum alterius servum. Cum ergo videris meretricem te ad peccatum allicientem, dic : Non est meum corpus, sed uxoris. Eadem dicat uxor illis qui castitatem suam violare satagunt : Corpus meum non est meum, sed viri. Si vero nec maritus nec uxor potestatem corporis habent, multo minus pecuniarum. Audite quæcunque maritos habetis, et quicunque uxores. Si enim corpus sibi proprium habere non licet, multo minus pecunias. Alibi certe magnam dat marito prærogativam, et in Novo et in Veteri Testamento dicens : *Ad virum tuum conversio tua, et ipse tibi dominabitur.* (*Gen.* III, 16.) Paulus autem sic dividens et scribens : *Viri diligite uxores, uxor autem timeat virum.* (*Ephes.* III, 25.) Hic vero non ultra majus, aut minus ponit, sed unam potestatem. Quare? Quia de castitate sermo ipsi erat. In aliis quidem prærogativam, inquit, habeat maritus. Ubi autem de continentia agitur : non item. Vir potestatem sui corporis non habet, neque uxor. Multa est æqualitas, et nulla prærogativa.

Nolite fraudare invicem; nisi forte ex consensu. (*I Cor.* VII, 5.) Quid hoc est? Ne se contineat, inquit, uxor, marito nolente; neque maritus, invita uxore. Quare? Quia magna ex tali continentia oriuntur mala. Nam et adulteria, et fornicationes et domorum eversiones sæpe inde consecutæ sunt. Si enim, cum uxores habeant, fornicantur, multo magis si illos ab hac consolatione privaveris. Et recte dixit; Nolite fraudare, fraudem hic et debitum superius ap-

Digitized by Google

pellavit, ut dominium majus ostenderet. Nam invito altero, alterum se continere; illud est fraudare; utroque volente, non item. Non enim si postquam mihi persuaseris, aliquid ex meis accipias, fraudari me dico. Qui enim ab invito et per vim coacto accipit, ille fraudat. Quod multæ mulieres faciunt; quæ peccatum admittunt justitiam exsuperans, et hac ratione libidinis maritorum in culpa sunt, omniaque in dissensionem vertunt. Oportet autem concordiam omnibus anteponere. Quia autem hoc omnibus est præferendum; si placet, id in rebus ipsis examinemus. Sint uxor et maritus, et se contineat uxor, nolente marito? Quid ergo si ille hinc ad fornicandum inducatur; aut ne fornicetur quidem; sed doleat, turbetur, incendatur, pugnet ac litiget, et innumera uxori negotia exhibeat? Quid lucri ex jejunio et continentia, cum charitas fracta sit? Nihil. Quot enim convitia, quot negotia, quantum bellum necessario oriatur!

Cum enim domi maritus et uxor dissident, non melius se habebit domus, quam navis agitata tempestate, gubernatore qui ab eo qui proram regit dissentiente. Ideoque ait: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus: ut vacetis jejunio et orationi.* De oratione cum majori studio facta hic loquens. Si enim orare prohibeat eos qui inter se coeunt, illud: *Sine intermissione orate* (*I Thess.* v, 17), quomodo locum et tempus habebit? Licet ergo et cum uxore consuetudinem habere, et orationi incumbere; sed per continentiam precatio accuratior redditur. Non enim simpliciter dixit: Ut oretis; sed ut vacetis, utpote cum res vacationem præbeat; sed non immunditiam. Et iterum: *In idipsum convenite, ne tentet vos Satanas.* (*I Cor.* vii, 5.) Et ut discas non diabolum tantum adulterii causam esse, subjunxit: *Propter incontinentiam vestram.*

Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Volo autem omnes homines esse sicut meipsum, in continentia. (*Ibid.*, 6, 7.) Hoc sæpe facit quando res difficiles suadet, se in medio ponit, et ait: *Imitatores mei estote.* (*I Cor.* iv, 16; xi, 1; *Philip.* iii, 17.) *Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic, alius vero sic.* Quia enim valde illos accusavit dicens: *Propter incontinentiam vestram;* rursus ipsos consolatus est dicens: *Unusquisque proprium donum habet ex Deo;* non hoc declarans, quod hoc recte factum nostro studio non egeat; sed ut prius dixi, consolans illos. Nam si donum est, et nihil homo ad hoc affert, quomodo dicis: *Dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis, si sic permanserint, ut ego?* (*I Cor.* vii, 8.)

Quod si se non continent nubant. (*Ibid.*, 9.) Videsne Pauli sapientiam, quomodo et meliorem ostendat esse continentiam, et non cogat eum qui non assequitur, timens ne in lapsum incidatur? *Melius est enim nubere, quam uri.* Indicavit quanta sit concupiscentiæ tyrannis. Hoc autem vult significare: Si vim multam et æstum pateris, a laboribus et sudoribus te libera, ne forte subvertaris. *Iis autem qui matrimonio juncti sunt præcipio non ego sed Dominus.* Quia legem disertis verbis a Christo latam est lecturus, de uxore non dimittenda, nisi sit fornicata, propterea dicit: *Non ego.* Nam quæ prius dicta sunt, etiamsi non disertis verbis dicta sint, ipsi tamen ea esse videntur. At hoc quidem ille disertis verbis tradidit: itaque illud *ego*, et *non ego*, hanc habent differentiam. Ne enim sua, esse humana putares, ideo subjunxit: *Puto enim quod et ego Spiritum Dei habeam.* Quid est ergo quod Dominus conjugatis præcepit: *Uxorem a viro non discedere? Quod si discesserit, maneat innupta, aut viro suo reconcilietur. Et vir uxorem non dimittat.* (*Ibid.*, 11.) Quia enim et propter continentiam, et propter alios obtentus et dissensiones; divisiones fieri contingebat; melius quidem a principio fuisset non illa fieri; sed si facta sunt, maneat uxor cum viro, etsi non ad concubitum, tamen ut nullum alium inducat virum.

Cæteris autem ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem; et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. (*Ibid.*, 12 et 13.) Quemadmodum enim cum loqueretur de separatione a fornicatoribus, correctione quadam rem difficilem reddidit dicens: Et non utique a fornicatoribus hujus mundi; sic et hoc loco magnam providit esse facilitatem: Si quis aut uxor virum, aut vir uxorem habeat infidelem, ne dimittat eam? Quid dicis? Si quidem infidelis sit, maneat cum uxore; si fornicator, non item. Atqui minus est peccatum fornicatio; sed Deus tuis rebus valde parcit. Hoc etiam in sacrificio facit dicens: *Dimitte sacrificium, et reconciliare fratri tuo.* (*Matth.* ii, 24.) Ita etiam illum, qui decem millia talenta debebat sibi, non punivit; conservum autem centum denarios exigentem supplicio affecit. Deinde, ne et timeret mulier ne propter coitum esset immunda, dicit: *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.* (*I Cor.* vii, 14.) Atqui si is qui meretrici adhæret, unum corpus est, palam est eam quæ idololatræ adhæret, unum corpus esse: unum quidem est corpus; at non fit immunda. Sed vincit munditia mulieris viri immunditiam; vincit quoque munditia viri fidelis immunditiam mulieris infidelis.

Cur ergo hic victa est immunditia, ideoque concubitus permittitur; in muliere autem adultera non crimini datur viro cum illam ejicit? Quia hic spes est fore ut per matrimonium pars illa quæ peribat salutem consequatur; illic vero matrimonium jam solutum est. Et illic quidem ambo corrumpuntur, hic vero alterius crimen est. Exempli causa: quæ fornicata fuit, exsecranda certe est. Si ergo qui adhæret meretrici, unum corpus est, et impurus ille fit qui cum

Digitized by Google

meretrice miscetur : ideo certe tota munditia avolat. Hic autem non sic; sed quomodo? Immundus est idololatra, sed mulier non est immunda. Nam si consors ipsi esset in illa re secundum quam immundus est, in impietate, inquam, ipsa quoque immunda foret. Nunc autem alio modo immundus est idololatra; in alia autem re ipsi jungitur uxor, in qua ille immundus non est. Connubium enim est et corporum mistio, hujusmodi societas. Ad hæc vero spes est illum ab uxore revocatum iri cui adhæret. Ille autem alius non ita facile (curabitur). Quomodo illa uxor, quæ ipsum prius dedecore affecit, et alteri se dedidit, juraque matrimonii abolevit, injuria affectum revocare poterit, cum maxime ille quasi peregrinus maneat? Præterea autem post fornicationem maritus. Hic autem mulier, licet idola colat, viri jus non amittit; nec sine causa cum infideli habitat, sed ipso volente. Ideoque dixit : *Et ipse consentit habitare cum illa.* Quid enim, quæso, detrimenti fuerit, cum ea quæ ad religionem spectant integra maneant, et de infideli bona spes sit, si conjugati simul maneant, nec superflui belli occasio inducatur? Neque enim hic loquitur de iis qui nondum juncti sunt, sed de conjugatis. Non enim dixit : Si quis velit accipere infidelem, id est si quis postquam connubio junctus fuerit, accipiat verbum piæ religionis; deinde pars altera manserit in infidelitate, velitque tamen una habitare, ne separetur. Sanctificatur enim, inquit, vir infidelis per uxorem fidelem. Tantæ est munditiæ tuæ copia!

Quid ergo sanctusne est gentilis? Nequaquam; non enim dixit : Sanctus est; sed : *Sanctificatus est per uxorem.* Hoc porro dixit, non ut sanctum illum declararet; sed ut hinc magis uxoris metum depelleret, ipsumque ad veritatis desiderium induceret. Non enim in corporibus conjugatis est immunditia; sed in libero arbitrio et cogitationibus. Hinc sequitur probatio. Si enim immunda manens gignis; infans autem non est ex te sola; immundus ergo est infans, aut ex dimidia parte mundus. Nunc autem non est immundus. Ideoque subjungit : *Alioquin filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt*, id est non immundi. Ille vero sanctos ipsos vocavit ut, vi verborum hujusmodi, suspicionis metum eliminaret.

Si autem *infidelis discedit, discedat.* (*I Cor.* VII, 15.) Hic enim nulla est fornicatio. Quid sibi vult autem illud : Infidelis si discedit, aut separatur? Verbi gratia, si te jubet sacrificare, aut sociam impietatis esse propter connubium, vel discedere; melius est disrumpi connubium, quam piam religionem. Quapropter subdit : *Non enim servituti subjectus est frater, aut soror in ejusmodi* rebus. Si quotidie ea de causa pugnet, et bellum moveat, melius est separari. Hoc enim subindicat, cum dicit : *In pace autem vocavit nos Deus.* Ille enim causam præbuit, ut is qui fornicatus est.

Quid enim scis, mulier, si virum salvum facies? (*Ibid.*, 16.) Hoc refertur ad illud : *Ne dimittat ipsum.* Nam si turbas non movet : mane, inquit, hinc enim lucrum refertur; mane, hortare, consilium dato et persuade. Nullus enim doctor tantum poterit, quantum uxor. Neque imponit illi necessitatem, neque rem ab illa exigit, ne gravius onus imponat, jubetque ne desperet; sed rem in futuro incertam et suspensam relinquit, dicens : *Quid enim scis, mulier, si virum salvum facies? Aut quid scis vir, si mulierem salvam facies?* Et rursum : *Nisi unicuique sicut divisit Dominus : unumquemque sicut vocavit Deus, ita ipse ambulet... Circumcisus aliquis vocatus est? Non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est? Non circumcidatur. Circumcisio nihil est, et præputium nihil est; sed observatio mandatorum Dei. Unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es? Non sit tibi curæ.* (*Ibid.*, 17-21.) Hæc ad fidem nihil conferunt, inquit. Ne ergo contendas, neque turberis; fides enim hæc omnia ejecit. *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Uxorem habens infidelem, vocatus es? Mane cum illa : ne propter fidem ejicias uxorem. *Servus vocatus es? ne sit tibi curæ :* Servus mane. Præputium habens, credidisti? Cum præputio mane; circumcisus credidisti? Mane circumcisus. Hoc enim sibi vult illud : *Unusquisque sicut divisit Deus.* Hæc quippe non sunt impedimenta ad pietatem. Tu cum servus esses, vocatus es; alius uxorem habens infidelem, alius circumcisus.

S. Chrysost., hom. 19 *in I Cor.*, t. X. — *Alligatus es uxori? Noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem.* (*Ibid.*, 27.) Hæc non sunt repugnantis prioribus (supra allatis); imo valde iis assentientis. Nam et illic ait : *Nisi forte ex consensu;* hic vero dicit : *Alligatus es uxori? Noli quærere solutionem.* Hoc porro contrarium non est. Non quod præter mentem est et voluntatem, est solutio. Deinde ne hoc videatur lex esse, subjunxit : *Si autem acceperis uxorem, non peccasti.* (*Ibid.*, 28.) Sub hæc præsentium causam affert, instantem necessitatem, tempus contractum, et tribulationem. Multa namque connubium secum trahit, quæ et hic subindicavit, et in sermone de continentia : illic quidem dicens mulierem non sui potestatem habere; hic autem : *Solutus es. Si autem uxorem acceperis, non peccasti* : non de ea loquens quæ virginitatem elegit; ipsa enim jam peccavit. Nam si viduæ in crimen vocantur, cum secundas nuptias contraxerint, si semel elegerint viduitatem; multo magis virgines. *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.* Atqui etiam voluptatem, inquies. Sed vide quomodo illam temporis brevitate contraxerit dicens : *Tempus breve est.* (*Ibid.*, 29.) Id est jubemur peregrinari et excedere demum : tu vero interius curris. Atqui etiamsi nihil molestum haberet matrimonium, ad futura tamen festinare oporteret; cum autem molestiam secum trahat, quid opus est onus attrahere? Cur tantam suscipere molem, quando, postquam

Digitized by Google

susceperis, ita uti ilia oportet ac si non haberes? Etenim ait : *Qui habent uxores, tanquam non habentes sint.* — Secundum concedit (Apostolus) matrimonium, tantum *in Domino*. Quid est illud *in Domino?* Cum castitate, cum honestate. — Nam ait ille : *Pacem persequimini, et sanctificationem, sine qua nemo videbit Dominum.* Ut ergo eum videre dignemur, sive in virginitate degamus, sive in primis, sive in secundis nuptiis, hanc persequamur.

XII. *Matrimonii incommoda.*

S. Chrysost., *Ad Theodor. lapsum*, l. II, t. I. — An vis de domesticis curis, uxoris, liberorum, famulorum agamus? Grave est pauperem uxorem duxisse, grave opulentiorem. Alterum enim facultates, alterum viri auctoritatem libertatemque lædit. Molestum est liberos suscepisse, molestius non suscepisse : illud enim est frustra duxisse conjugem; hoc amaræ servituti subjectum esse. Ægrotat puer, hinc non levis formido; immaturus decessit, hinc non consolabilis dolor : ad singulos ætatis gradus, curæ de ipsis, sollicitudines et labores. Quid de domesticorum improbitate dicamus? Hæccine vita est, Theodore, ubi anima tua in tot curas distrahitur, tot servit, tot vivit hominibus, sibi nunquam? Nihil apud nos hujusmodi reperitur, dilecte, te testem appello. Brevi quippe illo tempore, quo e fluctibus emergere voluisti, nosti quanta lætitia, quanto gaudio fruebaris. Nemo quippe liber est, nisi qui Christo vivit : hic omnibus molestiis superior est; ac nisi seipsum lædere velit, nullus alius id unquam poterit.

XIII. *Quantum malum sit zelotypia.*

Idem, *De virginitate*, t. I. — Si quis natura sit ad zelotypiam propensus, aut ex causa ulla minime vera eo malo corripiatur, ecquid anima hujusmodi miserabilius sit? Si bellum atque tempestatem cum his ædibus comparemus, accuratam ejusce rei consequemur imaginem : omnia tristitiæ, suspicionis, rixarum, turbæ plena sunt. Nam qui hac insania ictus sit, ei nihilo melius est quam dæmoniacis ac mente captis. Adeo assidue exsilit, resilit, in omnes stomachatur, in præsentes, seu servus, seu natus, seu quisquis alius sit, immerentes licet, irascitur. Voluptas prorsus fugatur, mœrore, luctu, insuavitate omnia referta sunt. Seu domi maneat, seu in forum prodeat, seu iter adornet, ubique malo tangitur, animum ei quovis stimulo acrius pungente ac vexante, nec quiescere sinente : neque enim hic morbus tristitiam solum, sed etiam intolerabilem furorem parere solet. Atque vel singula satis sint quæ hoc morbo captum conficiant : sin autem simul conjuncta oppugnent, eum assidue prementia, nec minimum ei respirandi tempus tribuentia, qua non morte id acerbius sit? Nam seu extremam egestatem, seu insanabilem morbum, seu ignem, seu ferrum nomines, nihil par dixeris : id soli experti probe sciunt. Nulla est enim dicendi tanta vis, quæ mali gravitatem consequatur. Etenim cum omnium charissimam, et pro qua lubens vel vitam impendat, suspectam habere semper cogitur, quid est omnino quod solari eum possit? Seu namque somnum iuire, seu cibum potumque capere necessum sit, mensam lethalibus venenis potius quam eduliis instructam credet : in lecto nec vel momento quiescet, sed tanquam subjectio prunis æstuabit ac jactabitur : neque aut amicorum congressus, aut negotiorum cura, aut periculorum metus, aut ingens voluptas, aut aliud quidquam ab eo æstu hominem abducere potest, sed procella hæc omnibus et jucundis et tristibus potentius animum possidet.

Hæc cum perspexisset Salomon dicebat : *Durus sicut infernus zelus* (*Cant.* VI, 8); et rursum : *Plenus enim zeli ejus viri furor, non parcet in die judicii, nec redemptione ulla inimicitias componet, nec quantis vis donis placabitur.* (*Prov.* VI, 34.) Is est enim morbi hujus furor, ut, nec sumpto de eo qui læserit supplicio, dolorem missum faciat. Itaque multi, adultero sublato, iram atque mœrorem tollere non potuerunt. Sunt et qui cæsis suis conjugibus, æque, imo magis, eo rogo exarserint. Ac vir quidem in his malis degit, etiam cum nihil verum sit. Cæterum misera illa et ærumnosa vel viro gravius excruciatur. Nam cum eum, qui ærumnarum omnium solatium esse debeat, et unde præsidium exspectandum sit, efferum, atque omnium in se inimicissime affectum cernit, quo jam se vertat? Ad quem confugiat? Unde malorum auxilium petat, portu ei præstructo, et innumerabilibus scopulis referto? Tum et servi et ancillæ in eam viro contumeliosores sunt. Est enim genus hoc hominum, cum alioqui suspiciosum et ingratum, tum licentiæ plus nacti, interque se adversos heros conspicientes, ex eorum bello non levem improbitatis suæ ansam capiunt. Nam tum iis quidquid lubet summa impunitate fingere atque comminisci licet, ut suspicionem calumniis suis confirmatiorem reddere. Animus enim semel hoc pestilenti morbo occupatus, facile cuncta credit, et aure omnibus ex æquo aperta, sycophantas a non sycophantis discernere non sustinet, sed ii potius vera dicere videntur, qui suspicionem augent, quam qui tollere conantur. Itaque fugitivi illi, eorumque uxores, nihilominus ei quam contubernalis timendi et horrendi sunt, suumque illis locum cedat, in illorumque ordinem transeat oportet.

Et quando sine lacrymis agere poterit? Quam noctem? Quem diem? Quod festum? Quando citra gemitum, ejulatum, lamenta? Minæ, contumeliæ, convicia perpetuo, tum a viro temere saucio, tum ab impuris famulis : custodiæ unæ atque alteræ : omnia terroris ac trepidationis plena. Neque enim exitus solum et ingressus, sed et verba, et obtutus, et suspiria accurate atque curiose explorantur, et vel saxis rigidiorem silentio cuncta ferre, ac thalamo perpetuo affixam esse, vincto durius, necesse est; vel loqui, suspirare, egredi volentem, omnium causam

Digitized by Google

dicere apud corruptos eos judices, famulas, inquam, et servorum turbam. Igitur, si placet, cum his malis et opes ingentes, et splendidas mensas, et servorum gregem, generis splendorem, potentiæ magnitudinem, gloriam summam, majorum claritatem confer: e rum qui vitam hanc studio desiderabilem efficiant, nihil prætermitte; sed omnia diligenter collecta, dolori huic oppone; sane voluptatem quæ ex iis manat, nec apparentem quidem cernes, atque ita profligatam, ut scintilla in vastum æquor illapsa exstinguitur. Et hæc quidem ubi vel zelotypia fuerit affectus.

Sin ad uxorem ægritudo ea pervadat; neque enim id raro evenire solet; cum illo quam cum hac melius agetur; sed in hanc miseram rursum major dolorum pars redundabit. Neque enim fas est iisdem armis in suspectum uti. Nam quis uxorem ferat jubentem domi assidue manere? Quis e servis herum observare ausit, quin continuo ad barathrum abripiatur? Itaque nec his machinamentis solari se possit, nec iram verbis efferre; sed vir semel fortasse iterumque vitilitigantem patietur: sin criminari persistat, statim docebit præstare ea silentio, ferre, ac tabescere. Atque hæc quidem si suspicio sit. Porro si malum hoc verum sit, jam uxorem nemo e læsi manibus eripiat; quin leges opitulantes nactus, omnium sibi charissimam in judicium adductam trucidet: cæterum vir legum pœnas effugit, sublimi ac divinæ sententiæ servatus. Verum id ad miseræ consolationem non sufficit; sed necesse est longam quamdam ac miserandam mortem subire, per incantamenta atque veneficia, quæ adulteræ mulieres præparant: pleræque etiam nec insidiis in eas quas lacessant opus habuerunt, sed illæ mœroris vehementia prius exstinctæ, ipsas prævertерunt. Ita ut quantumvis viri omnes ad matrimonium confluerent, feminis id non sit persequendum. Nam nec inesse in se tantam libidinis impotentiam possunt dicere, et dolorum qui ex eo impendeant, plus capiunt: quod quidem jam est a nobis demonstratum.

Quid igitur, inquit, id in omni matrimonio est? Nec vero abest ab omni: cæterum ab omni virginitate longe atque procul est. Ac nupta licet in malum non incidat, at in mali metum incidet; neque enim potest, cui cum viro consuescendum sit, non una cum consuetudine mala omnia secum putare ac metuere. Virgo autem non solum a molestiis, sed etiam a suspicione libera est. At hoc non est in omni matrimonio. Non equidem id dico, sed quamvis id non insit, alia insunt multa; ac licet illa effugias, omnia plane effugere non possis. Sed velut in sentibus quæ vestimentis adhæreant, qui sepem transcendit, ad unam evellendam conversus, aliis pluribus tenetur; ita et in re uxoria, qui hoc perrumpit, illo rursum læditur; qui vero illud evaserit, aliud offendit: nec facile matrimonium invenias omni molestia solutum.

XIV. *Conjugium divitum expetendum non esse, imo pauperum connubio molestius esse.*

S. Chrysost., *De virginitate*, t. I. — Verum si videtur, infaustis dimissis, quod in eo ter beatum existimetur, et multi, adeoque omnes optent consequi, id nunc in medium productum inquiramus. Quidnam, id est qui pauper, humilis, abjectus sis, ex ampla ac potenti et locuplete domo uxorem ducere? At hoc, quod expetendum videtur, non minoribus quam illud, quod perosum est, calamitatibus obnoxium deprehendemus. Est enim alioqui cum hominum genus insolentissimum, tum in iis mulieres, eo quidem magis, quo impotentiores sunt. Quare et morbo hoc facilius capiuntur, si vero superbiæ graves etiam causas habeant, nihil est quod eas in officio contineat. Sed quasi flamma materiam nacta, ita immane quantum se sustollunt, ordinem invertunt, summa infimis mutant. Nam virum uxor capitis locum tenere non sinit, sed qua est contumacia atque fastu, de eo gradu dejectum, in suum, id est ad subjectionem, compellit, ipsaque fit caput ac dux: et quid ea absurditate gravius esse potest? Ut nihil dicam, convicia, contumelias, insuavitatem, quæ omnium sunt durissima.

XV. *Quantumvis subjectam uxorem opulentam habeas, ingens incommodum esse.*

Idem, *ibid.*—Jam si quis dicat (nam equidem multos dicere audivi, cum ejusmodi sermones incidunt) tantum dives et nummosa sit, nullo negotio ejus fastus deprimetur ac dejicietur: si quis, inquam, hæc dicat, ne ille primum ignorat valde id difficile esse; deinde, ut contingat, non parum affert detrimenti. Etenim vi, et timentem ac coactam viro subjici, gravius atque injucundius est, quam vel summa auctoritate ei imperare. Quid ita? Quod ea vis amicitiam omnem ac voluptatem expellat. Amicitiæ autem atque studii vicem terrore ac necessitate subeunte, quanti jam illud fuerit matrimonium æstimandum?

XVI. *Intolerabile malum esse ditiori viro nubere.*

Idem, *ibid.* — Atque hæc quidem si uxor opulenta sit. Sin contingat, ea nihil habente, virum divitem esse, famula erit pro conjuge, et quæ ingenua est, serva efficietur, ac se digna libertate e manibus amissa, emptitiis nihilo præstabit; sed quantumvis vir lasciviat, quantumvis ferociat quantumvis meretricum manum in ejus torum asciscat, omnia pati ac benigne accipere necessum erit, aut domo cedere. Neque id solum est molestiæ, sed etiam quod viro sic affecto, nec servis, nec ancillis libere mandare poterit, sed velut in alienis degens, iisque quæ ad se non pertineant utens, et hero potius quam viro convivens, ita omnia et agere et pati cogitur. Quod si æqualis conditionis uxorem ducas, subjectionis rursum legem æqualitas ea pessumdabit, cum facultatum modus postulet, ut ea cum viro æque-

Digitized by Google

tur. Quid igitur tot ubique difficultatibus agas? Neque enim mihi si quæ usquam pauca matrimonia hæc effugerunt, ea in medium profer. Nam ex iis quæ assidue contingant, non qua insolentia sint, res describendæ sunt. Hæc namque in virginitate difficile est evenire, imo ea accidere nequeunt: in matrimonio difficile est non evenire

XVII. *Nuptæ gravem doloris necessitatem impositam esse.*

Idem, *ibid.* — Quod si in iis quæ jucunda videantur, tantum oritur miseriarum et calamitatum, quid de iis quæ haud dubie acerba sunt, dicendum erit? Neque enim cum sola moritura sit, unam solum mortem expavescit, nec quæ unam habeat animam, de una sollicita est, sed et viro et liberis timet, eorumque conjugibus atque soboli, ac quo radix in plures ramos effunditur, tanto ei et curarum plus accedit. Horum singulis seu nummorum jactura, seu corporis valetudo, seu aliud aliquid accidat ingratum, ei macerare se ac lugere necesse erit nihilominus quam iis qui hæc patiuntur; ac si quidem omnes ante eam decedant, intolerabilis erit luctus: si aliis superstitibus alii immatura morte rapiantur, ne sic quidem solatium parum invenias. Nam de vivis metus assidue animum consciens, dolore de mortuis haud sane levior est: quin, si, mirum quiddam dicere fas sit, etiam gravior. Nam defunctorum mœrorem tempus mitigat: de vivis sollicitudinem perpetuo manere oportet, aut morte sola exstingui. Quod si nec propriis malis sufficimus, quam vitam agemus, aliorum calamitates lugere coacti. Multæ sæpe claris majoribus ortæ, admodum delicatæ educatæ, viro cuipiam præpotenti elocatæ, repente priusquam iis rebus beentur, periculo aliquo tanquam procella ac turbine ingruenti, et ipsæ demersæ, naufragii malorum participes fiunt, et quæ innuptæ mille bonis fruebantur, nuptæ in extremam calamitatem decidunt. At non hæc, inquit, omnibus, aut semper evenire solent. Neque vero ab omnibus remota sunt: nam equidem quoque idem repetam; sed cum partim usu venerunt, tum quibus usui non venissent, eos sui metu cruciarunt: cæterum virgo et experime nto et metu omni sublimior est.

XVIII. *De molestiis quæ cum omni matrimonio conjunctæ sint.*

Idem, *ibid.*— Sed enim si placet, his omissis, quæ natura matrimonio tributa sint, neque a quoquam nolente vitari possint, in presentia perlustremus. Quænam ea sunt? Dolores partus, infantes. Imo vero altius orationem repetamus, et quæ matrimonium antecedant, quantum fas est, cognoscamus: nam accurate soli experti callent. Adest sponsaliorum tempus: itaque protinus cura anceps atque varia, quem virum captura sit, an obscurum, an infamem, an pervicacem, an fallacem et arrogantem, an audacem, an zelotypum, an lividalem quempiam, an barbum, an improbum, an durum, an imbellem. Hæc enim omnia nuptas consequi non est necesse, vereri omnia ac timere necesse est: quippe cum nondum certum sit quem sit sortitura, sed adhuc spe tanquam e sublimi imminente, animus omnia pavet ac formidat, neque horum quidquam est quod non cogitet. Sin dicat aliquis, eam exspectantem contraria, lætari etiam posse: sciat, non tam nos bonorum spem solari, quam malorum metum angere. Nam bona demum cum certo sperantur, voluptatem pariunt; mala, ubi vel suspicio sit, extemplo mentem confundunt ac perturbant. Ut enim mancipia de futuris heris incerta, animo quiescere non possunt; ita et virginum mens, ex quo facta sponsio est, fluctuantis navigii similis est, parentibus in dies alios retinentibus alios exigentibus. Nam heri victorem procum, hodie gratia vincit alius, et hunc rursum exturbat alius. Quia plerumque in ipso matrimonii tanquam limine, qui sponsus speretur, vacuis manibus discedit, puella a parentibus insperato cuipiam tradita.

Nec feminæ solum, sed etiam viri acerbas curas habent. In hos namque perquirere facile est: illius vero quæ assidue intus conclusa teneatur, mores atque formam quo pacto exploraveris? Atque hæc quidem sponsalium tempore. Ut ubi jam præsto est matrimonii tempus, crescit sollicitudo, ac voluptate major metus est, ne ex eo ipso vespere ingrata, et multo exspectatione deterior videatur. Etenim initio laudatam, post contemni, ferendum est: at cum a curriculi carceribus, ut ita dicam, fastidio esse videtur, quando suspici poterit? Neque hic mihi illud commemora. Quid vero, si lepida sit? Nam nec sic quidem cura hac soluta et libera est. Multæ enim corporis venustate admodum conspicuæ, viros suos capere nequiverunt, sed ii, aliis longe se inferioribus addicti, ipsas reliquerunt. Jam ea etiam cura expedita, alia rursum molestia succedit, in dotis pensione; socero, quasi gratis numeret, haud sane comiter reddente, et sponso, qui totum nancisci studeat, cum verecundia exigere coacto, et nova nuptia solutionis dilatione pudefacta, virum quovis improbo debitore magis reverente? quæ mitto in præsentia.

Atenim, hac soluta cura, continuo sterilitatis metus ingruit: præterea autem et prolium frequentiæ anxietas: neque adhuc horum quoquam explorato, utramque in partem jam inde ab initio turbantur. Quod si brevi uterum gestet, rursum cum terrore lætitia: nihil est enim matrimonii bonorum, vacuum terrore: terror, inquam, ne obortu incidente, et quod conceptum est, intereat, et gravida in extremum discrimen veniat. Sin multum temporis intersit, uxor hiscere non audet, quasi sit arbitra ipsa patiendi. Partus autem momento impendente, alvum tanto jam tempore afflictatam, dolores disrumpunt, ac divellunt: qui vel soli omnem matrimonii voluptatem offuscent. Quin et aliæ deinceps curæ eam sol-

Digitized by Google

licitant. Etenim misera et ærumnosa puella, etsi vehementissime iis cruciatibus distenta nihilo his minus formidat, ne pro perfecto et integro, vitiosus atque mutilus infans prodeat, ne pro mare femina; neque enim hæc eas sollicitudo levius tum, quam dolores exercet : quæ non modo in quibus noxam committant, sed etiam in quibus absint a culpa, in his non minus quam in illis viros metuant : in eaque tempestate salutis suæ studio amisso, ne quid viro accedat ingratum verentur.

Jam edito in auras infante, ac primam vocem effato, aliæ rursum curæ excipiunt, incolumitatis atque educationis. Si indole est liberali, ad virtutem comparata; iterum in metu parentes, ne quid sinistrum patiatur, ne immatura morte obeat, ne in vitium aliquod degeneret; nam non solum ex improbis probi, sed etiam ex probis improbi ac flagitiosi fiunt. Quorum si quid eveniat invisum, intolerabilius malum est, quam si hæc ab initio contigissent. Sin omnia in eo præclara, stabilia permaneant, at mutationis timor assidue præsto est, parentum animos versans, magnamque voluptatis partem detruncans. At non omnibus maritis contingit liberos habere. Itaque mihi aliam rursum inquietudinis causam narras. Quare si et susceptis liberis ac non susceptis, et probis ac flagitiosis, variis doloribus atque curis continentur, unde jam porro suavissimam conjugum vitam vocabimus?

Jam si conjugati concordes vitam exigant, formido erit ne irruens mors voluptatem dissipet : imo vero non formido erit, neque id malum metuendum duntaxat fuerit, sed omnino necessitas erit aliquando in actum prodire : nemo enim potuit utrumque uno die exstinctum ostendere. Quod si non contingat, quod superest necessitas erit, vel morte acerbiorem vitam sustinere, seu diu cum ea consuevit, seu parum. Nam ille quo magis periculum fecit, eo majorem habet dolorem; longa consuetudine intolerabile dissidium reddente. Hic priusquam amorem gustaverit ac expleverit, fervente adhuc desiderio, ea spoliatus, idipsum vehementius luget; atque ex contrariis causis, eadem uterque miseria tenetur. Quid jam dicam, quæ interim incidunt, separationes, diuturnas peregrinationes, angores iis conjunctos, morbos? Quid hoc ad matrimonium? Inquit. Certe multæ sæpe ejus opera ægritudinem contraxerunt. Injuriæ enim affectæ et irritatæ partim ira, partim mœrore, gravem febrim concitarunt. Ac quamvis eo præsente nihil ejusmodi patiantur, sed facili perpetuo utantur, peregrinationibus in ea mala rursum coguntur. Sed hæc omnia missa faciamus, nec matrimonium culpemus : at non hoc æque crimen effugere possit. Quodnam? Quod sanum ægro nihilo melius affectum dimittat, sed ad parem decumbenti inquietudinem compellat.

—

XIX. *Matrimonium, licet omnes miserias effugiat, nihil magnum habere*

S. Chrys., *De virginitate*, t. I. Visne hæc etiam cuncta dimittamus, ac quæ fieri nequeant supponamus, et matrimonium domus omnia simul bona complexum? Prolem numerosam, scitos liberos, opes, matremfamilias frugi, formosam, strenuam, consensionem, longævam senectutem; addo et generis claritatem, et potentiæ magnitudinem; nec vel commune hoc naturæ malum eos sollicitet, harum rerum conversionis formido : sed omnis mœroris, omnis metus ac curarum causa proscripta sit, neque aut alia ulla vis, aut mors immatura matrimonium dirimat, sed eam quoque omnes eodem die obeant, aut quod eo longe fortunatius videtur, liberi hæredes supersint, parentem utrumque in extrema senectute simul præmittant : quem tandem finem consequentur? Et quo demum ex hac tanta voluptate accepto emolumento, eo discedent? Nam multos liberos reliquisse, uxorem venustam cum deliciis, cæterisque omnibus quæ jam percensui, tractasse, ad senectam longam evasisse, ecquid nobis ad tribunal illud præsidii afferre possit, in veris æternisque rebus? Nihil. Itaque umbra sunt hæc, atque somnium : quippe cum in perennibus illis sæculis, quæ tum nos excipient, nihil ex his fructus, nihil solatii sperandum sit, qui his potitus est, eodem loco est habendus quo expertes. Neque enim si quis in mille annis noctem unam suave somnium vidit, plus quiddam habere dicendus est, quam qui ejus visi expers fuerit. Imo vero nec quantum volebam locutus sum. Nam nec quantum veris distant somnia, tantum hæc ab illis absunt, sed multo amplius; nec quod in mille annis una nox est, tantumdem hoc ad futurum sæculum est, sed hic rursum etiam plus interest discriminis. At virginitas non est hujusmodi : quin facto grandi quæstu discedit

S. Hieronym., *Adv. Jovin.*, lib. I. — Si nubentibus etiam in carne tribulatio est, dicente Apostolo : *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi* (*I Cor* VII, 28), in qua sola videbantur habere delicias; quid erit reliquum propter quod nubant, cum et in spiritu et in anima et in ipsa carne tribulatio sit?

Illa virginitas hostia Christi est, cujus nec mentem cogitatio nec carnem libido maculavit.

Idem, *Apol. ad Pamm.* — Si per coitum, quod minus est impeditur, id est orare, quanto plus id quod majus est, corpus Christi prohibetur accipere?

Idem, *Ad Nepot.* — Prædicator continentiæ, nuptias non consiliet.

S. Augustin., et habetur 27, quæst. 1, *Nuptiarum.* — In conjugali vinculo, si pudicitia non servatur, damnatio non timetur.

Idem, et habetur, 37. quæst. 2, *Quidquid.* — Quidquid inter se conjugati immodestum, inverecundum sordidumque gerunt, vitium

Digitized by Google

est hominum, non culpa nuptiarum. Jam in ipsa quoque immoderata exactione debiti carnalis, quam eis non secundum imperium præcipit, sed secundum veniam concedit Apostolus, ut etiam propter causam procreandi, si misceantur, et si eos pravi mores ad talem concubitum impellunt, nuptiæ tamen ab adulterio, sive fornicatione defendunt. Neque illud propter nuptias admittitur, sed propter nuptias ignoscitur. Debent ergo sibi conjugati non solum ipsius sexus sui commiscendi fidem, liberorum procreandorum causa, quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas; verum etiam infirmitatis invicem excipiendæ, ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodammodo servitutem, ut etiamsi alteri eorum continentiam perpetua placeat, nisi ex alterius consensu fieri non possit. Non autem datur præsentia sancti Spiritus, tempore quo conjugales actus geruntur.

S. Aug., lib. IV *contra Faustum*. — Matrimonium ex hoc appellatum est, quod non ad aliud debeat femina nubere, quam ut mater fiat.

XX. *Matrimonii triplex bonum.*

Idem, lib. IX *De Genesi ad litteram*, tom. III, part. I. — Connubium tripertitum est: fides, proles, sacramentum. In fide attenditur ne præter vinculum conjugale, cum altera vel altero concumbatur. In prole ut amanter suscipiatur, religiose educetur. In sacramento autem ut conjugium non separetur, et dimissus aut dimissa nec causa prolis alteri conjungatur. Hæc est tanquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fecunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas.

XXI. *Matrimonium indissolubile.*

Idem, *De nuptiis et concupisc.*, lib. I, t. X. — Quoniam sane non tantum fecunditas, cujus fructus in prole est, nec tantum pudicitia cujus vinculum est fides; verum etiam quoddam sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis, unde dicit Apostolus: *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.* (*Ephes.* V, 2.) Hujus procul dubio sacramenti res est, ut mas et femina connubio copulati quandiu vivunt inseparabiliter perseverent, nec liceat, excepta causa fornicationis, a conjuge conjugem dirimi. Hoc enim custoditur in Christo et Ecclesia, ut vivens cum vivente in æternum nullo divortio separetur. Cujus sacramenti tanta observatio est: *In civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.* (*Psal.* XLVII, 2.) Hoc est in Ecclesia Christi, quibusque fidelibus conjugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, ut, cum filiorum procreandorum causa vel nubant feminæ, vel ducantur uxores, nec sterilem conjugem fas sit relinquere, ut alia fecunda ducatur.

S. Gregor., *De pastor.*, admon. 28. — Admonendi sunt conjuges ut suscipiendæ prolis se meminerint, causa conjunctos; et cum immoderatæ admistioni servientes, propagationis articulum in usum transferunt voluptatis, perpendant, quod licet extra non exeant, in ipso tamen conjugio conjugii jura transcendunt. Juxta Segor dicitur, et tamen ad salutem tuta perhibetur, quia conjugalis vita nec a mundo longe divisa est, nec tamen a gaudio salutis aliena. Sed tunc in hac actione vitam suam conjuges quasi in parva civitate custodiunt, quando pro se assiduis deprecationibus intercedunt. — Cum deprecatio funditur Deo, nequaquam talis conjugii vita damnatur. *Fornicatores et adulteros judicabit Deus.* (*Hebr.* XIII, 7.) Admonendi sunt itaque, ut si tentationum procellas cum difficultate salutis tolerant, conjugii portum petant. Scriptum namque est: *Melius est nubere quam uri.* (*I Cor.* VII, 9.) Sine culpa quippe ad conjugium veniunt, si tamen nec dum meliora noverunt. Nam quisquis bonum majus subire proposuit, bonum minus quod licuit illicitum fecit. Scriptum quippe est: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno cœlorum.* (*Luc.* IX, 62.) Qui igitur fortiori studio intenderat, retro convincitur respicere, si, relictis amplioribus bonis, ad minima retorquetur.

Idem, *ibid.* — Admonendi sunt conjugiis obligati, ut cum vicissim quæ sunt alterius cogitant, sic eorum quisque placere studeat conjugi, ut non displiceat Conditori: sic ea quæ hujus mundi sunt agant, ut tamen appetere quæ Dei sunt non omittant: sic de bonis præsentibus gaudeant, ut tamen sollicita intentione mala æterna pertimescant: sic de malis temporalibus lugeant, ut tamen consolatione integra spem in bonis perennibus figant, quatenus dum in transitu cognoscunt esse omne quod agunt, in mansione sciant quod appetunt: nec mala mundi cor confringant, cum spes bonorum cœlestium roborat: nec bona præsentis vitæ decipiant, cum suspecta subsequentis judicii mala contristant.

S. Bernard., *Serm.* — Ordo conjugatorum est qui maxime mare magnum vado pertransit, laboriosum prorsus etiam et periculosum, et longum habens iter, quippe qui nulla viæ compendia captet. Nam quod periculosum sit iter, in eo patet quod tam multos in eo perire dolemus, tam paucos videmus sicut necesse est pertransire. Valde enim difficile est, præsertim diebus istis quibus malitia nimis invaluit, inter undas hujus mundi, voraginem vitiorum, et criminalium peccatorum foveas declinare. At continentium quidem ordo et ponte pertransit: quod iter brevius, et facilius, et securius esse nemo est qui nesciat.

XXII. *In matrimonio spirituali duo partus.*

Idem, serm. 87 *in Cant.*, t. I. — *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Gal.* IV, 19) Attende in spirituali matrimonio duo esse genera pariendi, et ex hoc etiam diversas soboles, sed non adversas: cum sanctæ matres aut prædicando animas, aut meditando intelligentias pariunt spirituales. In hoc ultimo genere interdum exceditur, et seceditur etiam a corporeis sensibus, ut sese non sentiat quæ verbum sentit. Hoc fit, cum

Digitized by Google

mens ineffabilis verbi illecta dulcedine, quodam modo se sibi furatur, imo rapitur atque elabitur a seipsa, ut verbo fruatur. Aliter sane afficitur mens fructificans verbo, aliter fruens verbo. Illic sollicitat necessitas proximi, hic invitat suavitas verbi. Et quidem læta in prole mater; sed in amplexibus sponsa lætior. Chara pignora filiorum; sed oscula plus delectant. Bonum est salvare multos; excedere autem et cum verbo esse multo jucundius. At quando hoc, aut quandiu hoc? Dulce commercium, sed breve momentum, et experimentum rarum.

[Ex conciliis.]

I. *Matrimonium ut sacramentum.*

Concilii Hispaniarum et Lusitaniæ plenarii jussu Leonis papæ, Toleti an. 447 habiti. — Si quis dixerit vel crediderit conjugia hominum quæ secundum legem divinam licet habere, exsecrabilia esse, anathema sit.

Leonis papæ epistol. 15 *dogmatica ad Turribium Asturicensem episcopum de erroribus Priscillianistarum, in qua* 16 *capitula Turribii approbat.* — Septimo loco sequitur, quod nuptias damnant et procreationem nascentium perhorrescunt.

Adriani I epistola an. 785 *ad episcopos Hispaniæ de erroribus Egilæ et Mingentii. Elipandi et Ascarici et surculorum quorumdam ex Priscillianistis.* — Porro, dilectissimi, diversa capitula, quæ ex illis audivimus partibus, id est quod multi dicentes se catholicos esse, communem vitam gerentes cum Judæis et non baptizatis paganis tam in escis quamque in potu et in diversis erroribus, nihil pollui se inquiunt; et illud quod inhibitum est, ut nulli liceat jugum ducere cum infidelibus; ipsi enim filias suas, cum alio benedicent, et sic populo gentili tradentur; et quod sine examine prælati presbyteri, ut præsint, ordinantur; et alius quoque immanis invaluit error perniciosus, ut, etiam vivente viro, mulieres sibi in connubio sortiantur ipsi pseudosacerdotes, simulque et de libertate arbitrii et alia multa, sicut de illis audivimus partibus, quæ longum est dici.

Lucii III decretum contra Albigenses, l. v *Decr., tit.* 7, *c.* 9. — Universos, qui de sacramento corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, vel de baptismate, seu de peccatorum confessione, matrimonio vel reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia vel singuli episcopi per diœceses suas cum consilio clericorum, vel clerici ipsi, sede vacante, cum consilio, si oportuerit, vicinorum episcoporum, hæreticos judicaverint, vinculo perpetui anathematis innodamus.

Professio fidei præscripta Waldensibus ad Ecclesiam reducibus ab Innocentio III. — Sacramenta quoque, quæ in ea celebrantur, inæstimabili atque invisibili virtute Spiritus sancti cooperante, licet a peccatore sacerdote ministrentur, dum Ecclesia eum recipit, in nullo reprobamus, nec ecclesiasticis officiis vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, sed benevolo animo tanquam a justissimo amplectimur, quia non nocet malitia episcopi vel presbyteri neque ad baptismum infantis, neque ad eucharistiam conferendam, vel ad cætera ecclesiastica officia subditis celebrata...Conjugia carnalia esse contrahenda, secundum Apostolum non negamus, ordinarie vero contracta disjungere omnino prohibemus. Hominem quoque cum sua conjuge salvari credimus et fatemur, nec etiam secunda et ulteriora matrimonia condemnamus.

Decreta quædam Nicolai I. Ex responsis ad consulta Bulgarorum. — Sufficiat secundum leges, solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur qui consensus si solus in nuptiis forte defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.

Innocentii III decreta, l. IV *Decr., tit.* 1, *c.* 23 (cf. c. 25.) — Consuluisti nos, utrum mutus et surdus alicui possint matrimonialiter copulari. Ad quod taliter respondemus, quod, cum prohibitorium sit edictum de matrimonio contrahendo, ut quicunque non prohibetur, per consequentiam admittatur, et sufficiat ad matrimonium solus consensus illorum, de quorum quarumque conjunctionibus agitur; videtur, quod, si talis velit contrahere, sibi non possit vel debeat denegari, cum, quod verbis non potest, signis valeat declarare.

Ibid., c 7, *de divortiis.* — Tua fraternitas intimavit, quod altero conjuge ad hæresim transeunte, qui relinquitur, ad secunda vota desiderat convolare: quod utrum possit fieri, per tuas nos duxisti litteras consulendos. Nos igitur consultationi tuæ respondentes distinguimus, licet quidam prædecessor noster sensisse aliter videatur, an ex duobus infidelibus alter ad fidem catholicam convertatur, vel ex duobus fidelibus alter labatur in hæresim, vel decidat in gentilitatis errorem. Si enim alter infidelium conjugum, ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit: et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus: *Si infidelis discedit, discedat: frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi.* (*I Cor.* VII, 15.) Et canonem etiam quo dicitur: Contumelia Creatoris solvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur.

Ibid., c. 8, *de divortiis.* — Utrum pagani uxores accipientes in secundo, vel tertio, vel ulteriore gradu sibi conjunctas, sic conjuncti debeant post conversionem suam insimul remanere, vel ab invicem separari, edoceri per scriptum apostolicum postulasti. Super quo taliter respondemus, quod cum sacramentum conjugii apud fideles et infideles existat, quemadmodum ostendit Apostolus dicens: *Si quis frater infidelem habet uxorem, et hæc consentit*

Digitized by Google

habitare cum eo, non illam dimittat (*I Cor.* III, 11); et in præmissis gradibus a paganis quoad eos matrimonium licite sit contractum, qui constitutionibus canonicis non arctantur : (Quid enim ad nos, secundum Apostolum eumdem, de his quæ foris sunt, judicare?) in favorem præsertim Christianæ religionis et fidei, a cujus perceptione per uxores se deseri timentes viri possunt facile revocari : fideles hujusmodi matrimonialiter copulati libere possunt et licite remanere conjuncti, cum per sacramentum baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur.

Ibid., l. VI, *c.* 14, *Ex parte, de conversione conjugatorum.* — Nos nolentes a prædecessorum nostrorum vestigiis declinare, qui respondere consulti, antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, reliquo inconsulto, ad religionem transire, ita quod reliquus extunc legitime poterit alteri copulari : hoc ipsum tibi consulimus observandum.

Ibid. — Si vero alter fidelium conjugum vel labatur in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem; non credimus quod in hoc casu is, qui relinquitur, vivente altero, possit ad secundas nuptias convolare, licet in hoc casu major appareat contumelia Creatoris. Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum : inter fideles autem verum et ratum existit; quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii sacramentum ut ipsum in conjugibus illo durante perduret.

Quia vero pagani circa plures insimul feminas affectum dividunt conjugalem, utrum post conversionem omnes, vel quam ex omnibus retinere valeant, non immerito dubitatur. Verum absonum hoc videtur, et inimicum fidei Christianæ, cum ab initio una costa in unam feminam sit conversa; et Scriptura divina testatur, quod *propter hoc relinquet homo patrem et matrem et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24) : non dixit tres vel plures, sed duo : nec dixit, adhærebit uxoribus, sed uxori. Nec ulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum, qui mos quandoque, interdum etiam fas censetur, per quem sicut Jacob a mendacio, Israelitæ a furto, et Samson ab homicidio, sic et patriarchæ et alii viri justi, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur. Sane veridica hæc sententia probatur etiam de testimonio Veritatis in Evangelio : *Quicunque dimiserit uxorem suam ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur.* (*Matth.* V, 31.) Si ergo, uxore dimissa, duci alia de jure non potest, fortius et ipsa retenta : per quod evidenter apparet, pluritatem in utroque sexu, cum non ad imparia judicentur, circa matrimonium reprobandum. Qui autem secundum ritum suum legitimam repudiavit uxorem, cum tale repudium Veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente, licite poterit aliam, etiam ad fidem Christi conversus, habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum : in quo casu restitutionem petenti, quamvis de injusta spoliatione constaret, restitutio negaretur; quia, secundum Apostolum, *frater aut soror non est hujusmodi subjectus servituti.* Quod si conversum ad fidem, et illa conversa sequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur. Quamvis quoque secundum evangelicam Veritatem, *qui duxerit dimissam*, mœchatur (*Ibid.*) : non tamen dimissor poterit objicere fornicationem dimissæ, pro eo, quod nupsit alii post repudium, nisi alias fuerit fornicata.

Concilii œcum., Lateran. I *an.* 1123 *canones.* — Conjunctiones consanguineorum fieri prohibemus : quoniam eas et divinæ et sæculi prohibent leges. Leges enim divinæ hoc agentes et eos, qui ex eis prodeunt, non solum ejiciunt, sed maledictos appellant; leges vero sæculi infames tales eos vocant et ab hæreditate repellunt. Nos itaque, patres nostros sequentes, infamia eos notamus et infames esse censemus.

Conc. Later. œcum. II *an.* 1139 *can.* 17.— Conjunctiones consanguineorum omnino fieri prohibemus : hujusmodi namque incestum, qui fere, stimulante humani generis inimico, in usum versus est, sanctorum Patrum instituta et sacrosancta Dei detestatur Ecclesia.

Ibid. — Item rogatio synodi ad potestatem civilem, ut e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud, quod dicitur publicæ honestatis, quorum origo reperitur in collectione Justiniana; tum ut restringat impedimentum affinitatis et cognationis, ex quacunque licita aut illicita conjunctione provenientis, ad quartum gradum juxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquam; ita tamen, ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendæ quatenus civili potestati jus attribuit, sive abolendi sive restringendi impedimenta Ecclesiæ auctoritate constituta vel comprobata; item qua parte supponit, Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis libertatis ac potestatis Ecclesiæ subversiva, Tridentino contraria, ex hæreticali supra damnato principio profecta.

Ibid. — Eos autem, qui religiositatis speciem simulantes, Domini corporis et sanguinis sacramentum, baptisma puerorum, sacerdotium et cæteros ecclesiasticos ordines et legitimarum damnant fœdera nuptiarum, tanquam hæreticos ab Ecclesia Dei pellimus et damnamus et per potestates exteras coerceri præcipimus. Defensores quoque ipsorum ejusdem damnationis vinculo innodamus

Digitized by Google

Concilii Lateran. IV, 1215, *decreta, cap.* 1. *Definitio adversus Albigenses aliosque hæreticos.*—Non solum autem virgines et continentes verum etiam conjugati, per rectam fidem et orationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire.

Confessio fidei Michaelis Palæologi ipsi a Clemente IV an. 1267 *proposita, et ab ipso in concilio œcum. Lugdun.* II, 1274 *Gregorio X oblata.* — Tenet etiam et docet eadem sancta Romana Ecclesia septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet baptisma, de quo dictum est supra; aliud est sacramentum confirmationis, quod per manuum impositionem episcopi conferunt, chrismando renatos; aliud est pœnitentia, aliud eucharistia, aliud sacramentum ordinis, aliud est matrimonium, aliud extrema unctio quæ secundum doctrinam beati Jacobi infirmantibus adhibetur.... De matrimonio vero tenet, quod nec unus vir plures uxores simul, nec una mulier permittitur habere plures viros. Soluto vero legitimo matrimonio per mortem conjugum alterius, secundas et tertias deinde nuptias successive licitas esse dicit: si impedimentum canonicum aliud ex causa aliqua non obsistat.

Ex conc. Trident., sess. 24, *an.* 1563, *sub Pio IV. Doctrina de sacramento matrimonii.* — Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* (*Gen.* II, 24.) — Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, et conjungi, Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba, tanquam a Deo prolata, referens? dixit : *Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* (*Matth.* XIX, 6.) Statimque ejusdem nexus firmitatem, ab Adamo ante pronuntiatam, his verbis confirmavit : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* (*Ibid.*) — Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit. Quod Paulus apostolus innuit, dicens : *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradit pro ea;* mox subjungens : *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* (*Eph.* V, 25 seq.)

Cum igitur matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstet, merito inter novæ legis sacramenta annumerandum, sancti Patres nostri, consilia et universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt; adversus quam impii homines hujus sæculi insanientes, non solum perperam de hoc venerabili sacramento senserunt, sed de more suo prætextu Evangelii libertatem carnis introducentes, multa ab Ecclesiæ catholicæ sensu, et ab apostolorum temporibus probata consuetudine aliena scripto et verbo asseruerunt, non sine magna Christi fidelium jactura : quorum temeritati sancta et universalis synodus cupiens occurrere, insigniores prædictorum schismaticorum hæreses, et errores, ne plures ad se trahat perniciosa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipsos hæreticos, eorumque errores decernens anathematismos.

Canones Trident. de sacramento matrimonii. — 1. Si quis dixerit matrimonium non esse vere, et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.— 2. Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit. —4. Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit. — 5. Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit. — 6. Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. — 7. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere : mœcharique eum qui, dimissa adultera, aliam duxerit; et eam, quæ, dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit. — 8. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad torum, seu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit. — 9. Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, et oppositum, nihil aliud esse, quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit, cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari. — 12. Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit.

Propositio damnata sub Innocentio XI Martii 1679.—*Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere* malitiam et solum esse malam, qui interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

Gregorii IX Decr., lib. IV, *tit.* 5, *c.* 7. —Si conditiones contra substantiam matrimonii inserantur, puta, si alter dicat alteri: Contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas; matrimonii con-

Digitized by Google

tractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu. Licet aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.

Concilii Florentini decreta. Decretum pro Armenis in Bulla Eugenii IV, Exsultate Deo. —Septimum est sacramentum matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, secundum Apostolum dicentem : *Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* (*Ephes.* v, 25.) Causa efficiens matrimonii, regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus. Assignatur autem triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem conjunctionem Christi et Ecclesiæ. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.

Decreta quædam Alexandri III, c. 2. *de conversione conjugatorum, l.* III. *Decr.*—Post consensum legitimum de præsenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium (sicut sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt) dummodo carnalis commistio non intervenerit inter eos : et alteri remanenti (si commonitus continentiam servare noluerit) licitum est ad secunda vota transire, quia cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, et alter in sæculo remanere.

Ibid., c. 7, Ex publico, *eodem titulo.* — Sane quod Dominus in Evangelio dicit, non licere viro, nisi ob causam fornicationis uxorem suam dimittere, intelligendum est, secundum interpretationem sacri eloquii, de his, quorum matrimonium carnali copula est consummatum, sine qua consummari non potest.

Professio fidei Orientalibus præscripta ab Urbano VIII et Benedicto XIV per constitutionem Nuper ad nos. — Pariter veneror, et suscipio Tridentinam synodum, et profiteor, quæ in ea definita et declarata sunt. . . . . septem esse novæ legis sacramenta a Christo Domino nostro instituta ad salutem humani generis, quamvis non omnia singulis necessaria, videlicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium : illaque gratiam conferre : et ex his baptismum, confirmationem et ordinem sine sacrilegio iterari non posse. Item baptismum esse necessarium ad salutem, ac proinde, si mortis periculum immineat, mox sine ulla dilatione conferendum esse, et a quocunque, et quandocunque sub debita materia et forma et intentione collatum, esse validum. Item sacramenti matrimonii vinculum indissolubile esse, et quamvis propter adulterium, hæresim, aut alias causas possit inter conjuges tori et cohabitationes separatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse.

Benedicti XIV. Declaratio cum instructione super duobus respicientibus matrimonia in Hollandia contracta 4 *Nov.* 1741. — Primo scilicet, quod attinet ad matrimonia ab hæreticis inter se in locis fœderatorum ordinum dominio subjectis celebrata, non servata forma per Tridentinum præscripta, licet sanctitas sua non ignoret, alias in casibus quibusdam particularibus, et attentis tunc expositis circumstantiis sacram congregationem concilii pro eorum invaliditate respondisse, æque tamen compertum habens, nihil adhuc generatim et universe super ejusmodi matrimoniis fuisse ab apostolica sede definitum, et alioquin, oportere omnino, ad consulendum universis fidelibus in iis locis degentibus, et plura avertenda gravissima incommoda, quid generaliter de hisce matrimoniis sentiendum sit declarare; negotio mature perpenso, omnibusque rationum momentis hinc inde sedulo libratis, declaravit statuitque, matrimonia in dictis fœderatis Belgii provinciis inter hæreticos usque modo contracta, quæque imposterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino præscripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum, pro validis habenda esse : adeoque si contingat, utrumque conjugem ad catholicæ Ecclesiæ sinum se recipere, eodem quo antea conjugali vinculo ipsos omnino teneri, etiamsi mutuus consensus coram parocho catholico ab eis non renovetur : sin autem unus tantum ex conjugibus, sive masculus sive femina, convertatur, neutrum posse, quandiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire.

Responsum S. congregationis concilii ad episcopum Rosnaviensem, 20. *Aug.* 1780. — Utrumne matrimonia, non observata lege Tridentina, coram ministro hæretico in Hungaria, ab hæreticis quidem inter se sæpe, ubi autem alterutra contrahentium pars est catholica, nonnunquam, inita ac celebrata, pro virtute decreti Tridentini sint nulla et irrita : vel vero provisio recolendæ memoriæ Benedicti Papæ XIV, ad Belgium atque alias ejus provincias data, sit ad matrimonia quoque prædicto modo inita et ineunda per Hungariam extendenda ? Noveris igitur, non unam eamdemque utrorumque habendam esse rationem. Quanquam enim commendata provisio, donec per S. Sedem apostolicam aliter, declaratum non fuerit, tanquam pro non extensa ad Hungariam ab omnibus censenda sit : priora tamen, nempe hæreticorum inter se coram ministro hæretico inita, ita a te oportet dissimulari, ut super eorumdem validitate seu invaliditate ab omni prorsus abstineas nodum fe rendo judicio, verum etiam prolovenda disputatione, ex qua non tam utilitatis fructus, quam offensionis et periculi metus in catholicæ religionis perniciem foret exspectandus.

Digitized by Google

Ibidem. — Verum enimvero, inquis, si hæretici in Hungaria matrimonia inter se etiam in gradibus prohibitis contraherent vigore solius regiæ concessionis, jure merito mihi quæri posse videtur : quidnam de hujusmodi matrimoniorum valore sit pronuntiandum? At nisi Ecclesiæ, cujus auctoritate introducta sunt, legitima impedimentorum dispensatio intercesserit, invalida esse in eadem Benedicti XIV declaratione satis aperte decernitur. Statuit enim, ut vel in ipsis fœderatis Belgii provinciis matrimonia inter hæreticos, etiamsi forma a Tridentino præscripta non fuerit in iis celebrandis observata, pro validis habeantur, manifeste ostendit, si quod aliud subsit canonicum impedimentum, quale est, quod ex gradibus prohibitis enascatur, hujusmodi matrimonia non valere.

Ibid. — Sed tu pergis adhuc, quid si conjugum ejusmodi uterque hæresim ejuret et fidem orthodoxam amplectatur, debetne dispensationem ab episcopo suo accipere et ad redintegrandum matrimonium stringi? Aut si plane nolit, imo separari cupiat, ad alia vota liber pronuntiari? Ad hæc cum juxta responsionem ad II dubium, de quo agitur, jam plane sequitur ut, si in illo per conversionem permanere voluerint, ab eisdem dispensatio petenda sit et ab episcopo concedenda, si necessaria gaudeat facultate, novoque consensu in facie Ecclesiæ pristinum conjugium esse redintegrandum; quod si ab eo resilire obfirmate velint atque ad alias nuptias convolare, in irritum cessis adhortationibus tuis, quas adhibere non prætermittes ad illam redintegrationem suadendam, tum impediri non poterunt, quominus jure suo et libertate utantur.

Ibid. — Quæris tandem, quid, si unus tantum hujusmodi conjugum convertatur, altero in hæresi permanente, cum his dispensatio dari nequeat, quid, inquam, debetne a vinculo, immunis decerni et proinde ad alias nuptias liber declarari? Recte intellexisti, dispensationem, altero tantum converso, altero in hæresi permanente, a te dari non posse, proinde ubi casus hujusmodi contigerit, recurras oportet, ad hanc S. Sedem, quæ pro judicio suo et auctoritate statuet, quid facto opus sit, attentisque circumstantiis, Deo inspirante, modum præfiniet, quo tuto te geras, ut gregi tuo opportune in Domino providere valeas.

Extensio declarationis Benedicti XIV, ad ducatum Cliviensem, 19 Jun. 1793, per decretum S. Congr. Concilii, cum instructione. — Sacræ Congregationi Concilii proposita erant sequentia dubia : 1° An matrimonia contracta inter Catholicos et acatholicos coram ministellis acatholicis ducatus Cliviensis sint valida et licita? 2° An et quomodo parochi catholici ejusdem ducatus licite concedere valeant dimissorias ad ea contrahenda? — 3° An declaratio Benedicti XIV, quod Hollandiam et Belgium, sit extendenda ad prædictum ducatum? Resp. ad 1. Stat sacra congregatio pro valore, sed tamen ait, illicita esse; fieri tamen posse licita ex dispensatione summi Pontificis. Ad 2. Id licite non fieri; licitum tamen fieri ex dispensatione cum justa causa. Ad 3, respondet affirmative. Consulente S. congregatione, Pius VI. d. 19 Junii annuit pro extensione declarationis Benedicti XIV ad ducatum Cliviensem ad formam in omnibus resolutionibus sanctæ congregationis.

Propositio synodi diœcesanæ Pistoriensis damnata a Pio VI, per constitutionem Auctoritatem fidei, 28 *Aug.* 1794. ***De sponsalibus et matrimonio.*** — Propositio, quæ statuit sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum præscripto omnino subjacere; quasi actus disponens ad sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiæ, falsa, juris Ecclesiæ quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes læsiva, disciplinæ ab Ecclesia constitutæ derogans.

Breve Pii VII ad Carolum de Dalberg archiepiscopum Moguntinum, 8 Oct. 1803. — Alterum vero est, sententiam laicorum tribunalium et catholicorum conventuum, a quibus præsertim matrimoniorum nullitas declaratur eorumque vinculi attentatur dissolutio, nullum robur vimque prorsus nullam penes Ecclesiam consequi posse.... Tu ipse ea, qua præstas sapientia vides, ven. frater, gravissimum commissuros scelus suumque sacrum ministerium prodituros esse eos parochos, qui has nuptias sua præsentia probarent, suaque benedictione firmarent. Neque enim illæ nuptiæ dicendæ sunt, sed potius adulterina connubia.

Pii VIII breve, 25 Mart. 1830, ad episcopos Rhenanos de matrimoniis mistis occasione legis regiæ an. 1825 latæ. — Sequitur jam, ut de illorum causa respondeamus, qui matrimonia mista inire ausi fuerint, catholico pastore non præsente. Et hac quidem super re ita nobis censuimus statuendum, ut avertantur, quoad fieri poterit, scandala quæ ex hujusmodi nuptiis oriri denuntiastis, itemque ut catholici illi, qui in conjunctione vivunt eo modo inita, facilius induci possint ad peccatum suum salutaribus pœnitentiæ lacrymis expiandum; denique ut imposterum certa omnibus regula sit, qua de vi matrimoniorum ea ratione contrahendorum dijudicent. Jam vero ad conjunctiones quod attinet, quæ isthic usque ad præsens tempus sine parochi præsentia insitæ sunt, nos brevi delegabimus fraternitatibus vestris necessarias facultates, quarum vi malis exinde ortis, magna saltem ex parte, mederi valeatis. Nunc autem per nostras has litteras volumus et mandamus, ut matrimonia mista, quæ posthac, a die videlicet 25 Martii 1830 in vestris diœcesibus contrahi contingat, non servata forma a Tridentino concilio præscripta, si eisdem nullum aliud obstet canonicum dirimens impedimentum, pro ratis ac veris connubiis habeantur.

Gregorii XVI, breve ad episcopos Bavariæ

Digitized by Google

de matrimoniis mistis, 27 *Maii* 1832. — Post hæc vix est, ut aliqua addamus de aliis longe gravissimis casibus matrimonii inter catholicos et hæreticos contrahendi, in quibus pars acatholica habeat viventem adhuc priorem conjugem, a quo divortio sejuncta fuerit. Nostis, venerabiles fratres, quanta ex divino jure sit firmitas matrimonialis vinculi, quod separari humana auctoritate non potest. Quare matrimonium mistum in ejusmodi casibus non modo illicite fieret, sed nullum prorsus atque adulterinum foret ; præterquam si priores illæ nuptiæ, quas hæretica pars divortio dissolutas esse autumat, irritæ omnino fuissent, propter aliquod, quod illis vere obstiterit, canonicum dirimens impedimentum. Porro in postremo hoc casu non solum servanda erunt ea omnia, quæ supra dicta sunt, sed cavendum insuper, ut novum ipsum matrimonium non permittatur, nisi postquam causa primi connubii ab hæretica parte jam antea initi cognita fuerit, ecclesiastico judicio ad canonum normam exacto, quo connubium idem fuerit irritum declaratum.

Ex Pii IX allocutione habita in consistorio secreto die 21 *Sept.*, 1852, *quæ matrimonium civile concernit.* — Nihil dicimus de alio illo decreto, quo matrimonii sacramenti mysterio, dignitate, sanctitate omnino despecta, ejusque institutione et natura prorsus ignorata et eversa, atque Ecclesiæ in sacramentum idem potestate penitus spreta, proponebatur juxta jam damnatos hæreticorum errores atque adversus catholicæ Ecclesiæ doctrinam, ut matrimonium tanquam civilis tantum contractus haberetur et in variis casibus divortium proprie dictum sanciretur, omnesque matrimoniales causæ ad laica deferrentur tribunalia et ab illis judicarentur, cum nemo ex catholicis ignoret aut ignorare possit, matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicæ legis sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter Christianos viri et mulieres præter sacramentum conjunctionem, cujuscunque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a conjugali fœdere sacramentum separari nunquam posse et omnino spectare ad Ecclesiæ potestatem ea omnia decernere, quæ ad idem matrimonium quovis modo possint pertinere.

II. *Varia impedimenta et officia*, etc.

Ex conc. Eliberitano sub Marcello I, an. 305. — 54. Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum triennio abstineant a communione.

61. Si quis post obitum uxoris suæ sororem ejus duxerit, et ipsa sit fidelis, quinquennio a communione placuit abstinere, nisi fortis velocius dari pacem infirmitas coegerit.

66. Si quis privignam suam duxerit uxorem, eo quod sit incestus, placuit nec in fine dandam esse ei communionem.

67. Prohibendum ne qua fidelis vel catechumena aut comatos aut viros cinerarios habeant, quæcunque hoc fecerint a communione arceantur.

72. Si qua vidua fuerit mœchata, et eumdem postea habuerit maritum, post quinquennium, acta legitima pœnitentia, placuit eam communione reconciliari, si alium duxerit relicto illo, nec in fine dandam ei esse communionem, vel si fuerit ille fidelis quem acceperit, communionem non accipiat nisi post decem annos.

Ex fragment. ejusdem conc., sec. Gratianum. — 5. Qui in Quadragesima aut Pascha cognoverit uxorem suam, et noluerit abstinere ab ea, unum annum pœniteat, aut pretium 25 solidorum ad Ecclesiam tribuat, aut pauperibus dividat ; si per ebrietatem et sine consuetudine acciderit, 40 dies pœniteat. In tribus Quadragesimis anni, et in die Dominico, et in quarta et sexta feria conjugales continere se debent, nec illis diebus copulari ; quandiu gravata fuerit uxor, id est a quo die filius motum fecerit usque ad partum, a partu post 33 diem, si filius, si autem filia, post 56.

Ex conc. Ancyrano, sub Silvestro I, an. 314, *et Epit. Adriani I, an.* 773. — 11. Desponsatas aliis puellas, et ab aliis postea raptas, visum est iis quibus desponsatæ erant reddi, etiamsi vim passæ sunt.

Ex conc. Neocæsariensi, sub Silvestro I, an. 314, *et Epit. Adriani I, an* 773. — 4. Multunibi pœnitere debent.

Ex conc. Laodicen., sub Silvestro I, an. 320. — 52. Non oportet in Quadragesima, aut nuptias, aut natalitia celebrari.

53. Non oportet Christianos euntes ad nuptias plaudere vel saltare, sed venerabiliter cœnare vel prandere sicut Christianos decet.

Ex concil. Nicæno 1, *gener.* 1, *sub Silvestro I, an.* 325, *edit. Arabicæ.* — 21. Nemo fidelium cum patrinis, aut matrinis matrimonium contrahat, qui hoc commiserit, 20 annis pœnitentiam agat, 10 abstineat a communione, alteris 10 licebit intrare in ecclesiam ad audiendum tantum Scripturas, post 20 annos licebit intrare in ecclesiam, et sumere sacram communionem.

23. Neque vir det filio suo in matrimonium eam quam uxor tenuit in baptismo, neque mulier det filiam suam in matrimonium ei quam maritus tenuit in baptismo, quia isti habentur ut fratres et sorores spirituales.

24. Nemo debet duas uxores ducere, nec uxori suæ alteram mulierem per concupiscentiam introducere, qui hoc fecerit, si fuerit sacerdos, prohibeatur ministerio sacrificandi, et communione fidelium, quousque ejiciat domo secundam, et debet retinere primam, etc. Idem judicium est de laicis.

51. Si quis uxorem ducat, et postea inter eos propter aliquam causam non conveniat, et uxor sit in culpa, debet vir patienter eam tolerare et cum ea societatem habere

Digitized by Google

quod si non toleraverit, debet intervenire episcopus, sed si vir quæsivit ut ab ea separetur, non est ei credendum, quin potius velit nolit, cogendus est ut cum ea habitet, quod si hoc facere noluerit, oportet ut separetur a communione, et ingressu ecclesiæ.

53. Ut Christiani uxorem ducant ex quacunque generatione, modo ad fidem veniant, sed non debent Christiani dare filias suas nuptum infidelibus, ne ad errorem maritorum pervertantur.

67. Quicunque duas mulieres in matrimonium simul acceperit, ipse cum secunda excommunicetur.

Ex conc. Gangrensi, sub Silvestro I, an. 325, *et Epit. Adriani I, an.* 773. — 1. Si quis conjugium pro crimine detestatur, anathema sit.

15. Nullus filios suos negligat per occasionem continentiæ.

Ex conc. Carthaginensi III, *sub Siricio, an.* 397. — 12. Placuit ut filii vel filiæ episcoporum, vel quorumlibet clericorum, gentibus vel hæreticis, aut schismaticis matrimonio non jungantur.

Ex conc. Cart. IV, *sub Anastasio, an.* 398. — 13. Sponsus et sponsa cum benedicendi sunt à sacerdote, a parentibus suis, vel paranymphis offerantur, qui cum benedictionem accipiant, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant.

Ex conc. Toletano I, *sub Anastasio, an.* 400. — 17. Si quis habens uxorem fidelem et concubinam habeat, non communicet, cæterum qui non habet uxorem, et pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur, tantum ut unius mulieris aut uxoris, aut concubinæ (ut ei placuerit) sit conjunctione contentus, alias vero vivens abjiciatur, donec desinat, et per pœnitentiam revertatur (4).

Ex fragmentis conc. Toletanorum, sec. Burchardum. — Statutum est a sacro conventu, ut si quis sponsam alterius rapuerit, publica pœnitentia muletetur, et sine spe conjugii maneat, et si ipsa feidem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alii non negetur, quod si post hæc conjungere se præsumpserint, uterque ad satisfactionem anathematizetur.

Ex conc. Milevitano II, *sub Innocent. I, an.* 416.— 17. Placuit ut neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito alteri conjungantur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur.

Ex conc. Chalcedon., gener. IV, *sub Leone I, an.* 451. — 27. Eos qui sibi rapiunt uxores, vel eos qui eis auxilium præstiterint, statuit sancta synodus, si quidem clerici fuerint cadere de proprio gradu, si vero laici fuerint, anath. sint.

Ex conc. Agathensi, sub Symmacho; an. 506. — 25. Sæculares qui conjugale consortium sine culpa graviori dimittunt, vel etiam dimiserunt, et nullas causas dissidii probabiliter proponentes, propterea matrimonia sua dimittunt, ut aut illicita aut aliena præsumant, si antequam apud episcopos comprovinciales dissidii causas dixerint, et prius uxores (quam judicio damnentur) abjecerint, a communione ecclesiastica et sancto populi cœtu excludantur.

Ex conc. Aurelianensi I, *sub Symmacho, an.* 507. — 20. Nec superstes frater torum defuncti fratris ascendat, nec se quisquam amissæ uxoris sorori audeat sociare, quod qui fecerint, ecclesiastica districtione feriantur.

Ex conc. Ilerdensi, sub Joanne I, an. 524, *sec. Burchardum.* —3. Quod non oporteat a Septuagesima usque in octavas Paschæ, et tribus hebdomadibus ante festivitatem S. Joan. Bap. et ab adventu Domini usque post Epiphaniam nuptias celebrare, quod si factum fuerit, separentur.

Ex conc. Arelatensi IV, *vel* V, *sec. Gandavum.* — Viduæ si priusquam continentiam profitentur nubere elegerunt, illis nubant quos propria voluntate velint habere maritos, similiter hæc conditio et de virginibus habeatur, nec extra voluntatem parentum cogantur accipere maritum.

6. Nullum sine dote fiat conjugium, juxta possibilitatem fiat dos, ne publicis nuptiis quisquam nubere vel uxorem ducere præsumat.

Ex conc. Toletano, sub Bonifacio II, an. 531. — 5. Ne quis fidelium propinquam sanguinis sui usquequo affinitatis lineamenta generis successione congnoscit, in matrimonio desideret copulari, nec sine denuntiatione sententiæ, si quis ergo hujus decreti temerator exstiterit, tanto amnosiori excommunicationis tempore, a Christi corpore, et fraternitatis consortio sequestretur, quanto fuerit propinquioris sanguinis contagione pollutus.

Ex conc. Aurelianensi II, *sub Silverio, an.* 536. — 11. Contracta matrimonia accedente infirmitate, nulla voluntatis contrarietate solvantur quod si qui ex conjugibus fecerint, noverint se communione privandos.

Ex conc. Aurelianensi III, *sub Vigilio, an.* 540. — 10. De incestis conjunctionibus qui aut modo ad baptismum veniunt, aut quibus Patrum statuta, sacerdotali prædicatione antea in notitiam non venerunt, contracta hucusque conjugia non solvantur, sed in futurum ne quis sibi sub conjugii nomine sociare præsumat relictam patris, filiam uxoris, relictam fratris?, sororem uxoris, consobrinam aut sobrinam, relictam avunculi aut patrui, quod si qui in hoc incesto adulterio potius quam conjugio fuerint sociati, quandiu se non sequestraverint a communione ecclesiast. repellantur. In episcopi autem discussione consistat de his qui in civitate sua ac territorio consistunt, et tali sunt ordine sociati, utrum ignoranter ad illicita conjugia venerint, an per contumaciam.

Ex conc. Arveniensi sub Vigilio, an. 541.

(4) Concubina hic sumitur pro uxore minus solemniter ducta.

Digitized by Google

— 7. Ne ad nuptiarum ornatum ministeria divina præstentur.

Ex conc. Aurelianensi IV, *sub Vigilio, an.* 545. — 22. Ut nullus per imperium potestatis filiam comprimere audeat alienam, ne conjugium (quod contra parentum voluntatem piam copulatur) velut captivitas judicetur.

27. De incestis si quis post synodi constituta, illicita thori jura præsumpserit, circa eum secundum statuta Epaunensium canonum, a sacerdotibus Ecclesiæ severitas teneatur.

Ex conc. Parisiensi III, *sub Joan. III, an.* 559. — 4. Nullus illicita conjugia contra præceptum Domini sortiri præsumat, id est fratris relictam, nec novercam suam, relictamque patrui, vel sororem uxoris suæ sibi audeat sociare, nec avunculi relictæ, neque nurus suæ vel materteræ conjugio potiatur, pari etiam conditione a conjugio amitæ, privignæ, ac filiæ privignæ conjunctionibus præcipimus abstinere.

5. Sacrarum virginum neque per raptum, neque per competitiones aliquas, quisquam conjugia sortiatur.

6. Nullus viduam neque filiam alterius, extra voluntatem parentum, aut rapere præsumat, aut regis beneficio æstimet postulandam, quod si fecerit, anathemate plectatur.

Ex conc. Turonensi II, *sub Joanne III, an.* 570. — 22. De incestis conjunctionibus censuimus statuta canonum vetera non irrumpi, etc.

Ex conc. Matisconensi II, *sub Pelagio II, an.* 588. — 18. Incestam copulationem in qua nec conjux, nec nuptiæ recte appelari leges sanxerunt, catholica omnino detestatur, atque abominatur Ecclesia, etc.

Ex con. Antisiodorensi, sub Gregorio I, an. 590. — 27. Non licet ut aliquis suam novercam accipiat uxorem.

28. Non licet ut filiam uxoris suæ quis accipiat.

29. Non licet ut relictam fratris sui quis in matrimonium ducat.

30. Non licet duas sorores, si una mortua fuerit, alteram in conjugium accipere.

31. Non licet consobrinam in conjugium accipere, nec qui de ipsis nati fuerint in conjugio socientur.

32. Non licet ut nepos avunculi uxorem accipiat.

Ex conc. Parisiensi VI, *sub Deusdedit, an.* 615. — 14. Si quis relictam fratris, sororem, uxorem, privignam, consobrinam, sobrinam, vel relictam item patrui atque avunculi, vel in religionis habitu deditam, conjugii crediderit consortio violandam, tandiu a communionis gratia segregetur, quandiu ab illicitis conjunctionibus sequestratione manifestissima debeat abstinere.

Ex conc. Rhemensi, sub Honorio I, an. 630. — 11. Si quis infra præscriptum canonibus gradum incestuoso ordine cum his personis quibus a divinis regulis prohibetur, se conjunxerit, nisi pœnitentiam sequestratione testentur, communione priventur, et neque in palatio militiam, neque agendarum causarum licentiam habeant, res eorum ad proprios parentes perveniant, sub ea conditione, ut antequam sequestrentur per nullum ingenium, neque per parentes, neque per emptionem, neque per auctoritatem regiam ad proprias perveniant facultates, nisi præfati sceleris separatione pœnitentiam fateantur.

Ex conc. Toletano XII, *sub Agathone, an.* 681. — 8. Quicunque citra fornicationis culpam, uxorem suam quacunque occasione dimiserit, tandiu ab ecclesiast. communione privatus, et a cœtu omnium Christianorum maneat alienus quandiu societatem relictæ conjugis sinceriter amplectatur et foveat.

Ex conc. Toletano XVII, *sub Sergio, an.* 694, *sec. Garsiam.* — 20. Non oportet cum omnibus hæreticis miscere connubia, et vel filios vel filias dare, sed potius accipere, si tamen se profitentur Christianos futuros esse catholicos.

Ex conc. Romano I, *sub Gregorio II, an.* 721. — 1. Si quis presbyteram duxerit in conjugium, anathema sit.

Si 2. Si quis diaconam in conjugium duxerit, anathema sit.

3, 4. Si quis monacham quam Dei ancillam appelamus, aut commatrem spiritualem in conjugium duxerit, anathema sit.

5, 6, 7, 8, 9. Si quis fratris uxorem, aut neptem, aut novercam, aut nurum suam, aut consobrinam, aut de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema sit.

10, 11. Si quis viduam aut virginem quam sibi non desponsaverit, rapuerit, vel furatus fuerit in uxorem, anathema sit.

14, 15. Adrianus filius Exhilarati, qui post præstitum sacramentum in apostolica confessione Epiphaniam diaconam illicito ausu in uxorem habet, et Epiphania diacona quæ post præstitum sacramentum cum Adriano fuga lapsa est, anathema sit.

16. Si quis eis in tam crudeli actu consensum præbuit, anathema sit.

Ex conc. Ratisponensi, sub Zacharia, an. 742. — 19. Adulteria et incesta matrimonia prohibeantur et emendentur episcoporum judicio.

Ex con. Romano sub Zacharia, an. 743. — 5. Ut presbyteram, diaconam, nonnam, aut monacham, vel etiam spiritualem commatrem nullus sibi præsumat nefario conjugio copulare, qui hoc perpetraverit, anathema sit, et quicunque sacerdotum eos communicare præsumpserit, eorum consortio condemnatus, sacerdotii sui honore privetur.

6. Ut consobrinam, neptem, novercam, fratris uxorem, vel etiam de propria cognatione nullus præsumat in conjugio copulare, si quis in hoc conjugio convenerit, anathema sit.

Ex conc. in Palatio Vernis sub Stephano III, an. 756. — 15. Ut omnes homines laici publicas nuptias faciant tam nobiles quam ignobiles.

Ex conc. Compendiensi, sub Paulo I, an. 757. — 1. Conjuges in consanguinitatis gradu non separentur, in tertio autem,

Digitized by Google

vel ex tertio et quarto misti separentur.

2. In tertio affinitatis gradu, vel in tertio et quarto conjuncti separentur.

3. Si uxor sine viri sui consensu velata est, repetere eam vir potest si velit.

4. Privigna libera, si a vitrico contra suam et suorum voluntatem viro data est, potest illo relicto alteri nubere.

7. Si uxorem quam virginem duxit corruptam quis inveniens alteram ducat et hac item ob eamdem causam relicta, tertiam accipiat.

18. Qui propter inimicitias in aliam regionem dimissa uxore fugit, aliam non ducat.

Ex conc. Forojuliensi, sub Adriano I, an. 791. — 8. Nemini liceat furtim raptimque nuptias contrahere, etc. Sed interventis pactis sponsalibus per aliquam dilationis moram requisiti, quia etiam diligenti cura vicini, vel majores natu loci illius qui possint scire lineam generationem utrorumque, sponsi scilicet et sponsæ; in eo etiam ut sine notitia sacerdotis plebis illius, nullatenus fiat, si vero hoc ordine cuncta peragantur, ac probatum sine fraude testium fuerit, et causa contigerit, quod postea aut ipsi recordati fuerint, qui primum se nescire professi sunt, aut certe per aliorum veracium hominum testimonium inventi fuerint in eo gradu consanguinitatis qui segregari solent, segregentur ab invicem, et agant pœnitentiam, et si fieri potest perseverent utrique innupti, quod si propter incontinentiam, vel certe quod est honestius amore filiorum in id permanere nequeunt, transeant ad secundas nuptias.

9. Nullus præsumat ante annos pubertatis, id est infra ætatem, puerum vel puellam in matrimonium sociare, nec in dissimili ætate, sed coætaneos sibi consentientes.

10. Resoluto (fornicationis causa) jugali vinculo, non liceat viro, quandiu adultera vivit, aliam uxorem ducere, licet sit illa adultera, sed nec adulteræ alium accipere virum, nec vivente, nec mortuo, quem non erubuit defraudare, marito.

Ex conc. Cabilonensi II, sub Leone III, an. 813. — 28. Interrogaverunt nos quidam de affinitate propinquitatum, et in quibus gradibus matrimonia jungenda sint, quibus ad canones currere præcepimus.

29. Quæ in proprio viro, hæc in uxoris parentela de lege nuptiarum regula custodienda est, quia ergo constat eos duos esse in carne una, communis illis utrinque parentela credenda esse.

30. Conjugia servorum non dirimantur, etiamsi diversos dominos habeant, sed in conjugio permanentes, dominis suis serviant, et hoc in illis observandum est, ubi legalis conjunctio fuit, et per voluntatem dominorum.

31. Si qua mulier filium suum desidia, aut fraude aliqua coram episcopo ad confirmandum tenuit, propter fallaciam suam, quandiu vivet agat pœnitentiam, a viro tamen suo non separetur.

Ex conc. Moguntino, sub Leone III, an. 813. — 54. In quarta generatione nullus amplius conjugio copuletur, ubi autem, post interdictum factum, inventum fuerit, separetur.

Ex conc. Romano, sub Eugenio II, an. 826. — 37. Non licere uni viro duas habere uxores, sive concubinam cum uxore.

Ex conc. Moguntino, sub Leone IV, an. 847. — 29. Si quis viduam uxorem duxerit, et postea cum filiastra fornicatus fuerit, seu duabus sororibus nupserit, aut si qua duobus fratribus nupserit, seu cum patre et filio, item si quis relictam fratris, quæ pene prius soror exstiterat, carnali conjunctione violaverit, si quis neptem in conjugium acceperit, si quis novercam, aut matrem suam duxerit, si quis consobrinæ suæ impudice se sociaverit, vel relictæ, sive filiæ avunculi, aut patris filiæ, vel privignæ suæ concubitu pollutus, vel hujuscemodi conjunctionis attactu maculatus fuerit, eos disjungi, et ulterius nunquam conjungio copulari, sed sub magna distinctione fieri volumus.

Ex conc. Ticinensi, sub Leone IV, an. 850. — 9. Monendi a presbyteris sunt patresfamilias, ut filiabus suis tempestive nuptias provideant, et calores ferventis ætatis conjugali lege præveniant, primum scientes qui tales, etsi post corruptelam legitimis viris copulatæ fuerint, non possunt tamen cum sponso pariter solemne benedictionis a sacerdote minus percipere, deinde si in eorum domibus tale nefas acciderit, siquidem, illis nescientibus, pro sola negligentiæ culpa pœnitentiæ subjiciendi sunt; si vero in corruptionis turpitudinem ipsi consenserint major his qui prohibere debuerant pœnitentiæ sarcina, quam ipsis qui perpetrarunt imponenda est, etc. Nullus publice pœnitens usque ad tempus perfectum pœnitentiæ, conjugium contrahere valet.

24. Inventi sunt multi et maxime de rusticis qui adultas feminas, sub parvulorum filiorum nomine in domibus suis introduxerint, et postmodum, ipsi soceri nurus suas adulterasse convicti sunt, idcirco inhibendum decernimus, ut nulli deinceps imperfectæ ætatis puero adulta femina jungatur, sed cum ad ætatem idoneam adolescentes venerint, tunc legitimo possint conjugio copulari.

Ex conc. Wormatiensi, sub Adriano II, an. 868. — 33. Si quis cum duabus fuerit sororibus fornicatus, aut cum his personis, de quibus sacra Scriptura prohibet, si dignam egerit pœnitentiam, et castitatis non valuerit continentiam sustinere, licet ei legitimam in conjugio uxorem accipere, similiter et mulier quæ tali fuerit scelere lapsa, ut fornicationis non perducatur ad chaos, perficiat, sed hoc de laicis viris ac mulieribus solummodo statuimus.

36. Si vir viduam in conjugium duxerit, quæ ex priori marito filiam habuit, et cum eadem filia postmodum concubuerit, conjugium modis omnibus dissolvatur, et vir ille pœnitentiæ subjaceat sanctionibus, ita ut per triennii tempus a sacro corpore Domini nostri Jesu Christi suspendatur et sanguine; carnem non manducet, abstineat a vino, et singulis diebus jejunium celebrare festinet, exceptis festis diebus atque Dominicis, orationibus omni insistere sollicitudine studeat, similiter autem de mulieribus, quæ

Digitized by Google

clanculo patri se in concubitu substernunt, et filio, observandum est, taliter quidem et de his sancimus, qui duabus se absconse sororibus pollutos cognoscunt.

Ex conc. Triburiensi, sub Formoso, an. 895. — 38. Quisquis liber libertam, hoc est ex ancilla per manumissionem, et regalem largitionem liberam factam, legitime in matrimonium duxerit, ulterius habere debebit, tanquam unam ex nobili genere progenitam, excepta fornicationis causa, et quandiu illa vivat, nullam aliam accipiat.

39. Quicunque alienigenam, hoc est alienæ gentis feminam utrorumque consultu propinquorum legitime, vel sua, vel mulieris lege acquisitam in conjugium duxerit, velit, nolit, tenenda erit, nec ultro ab eo separanda, excepta fornicationis causa, etc.

47. Qui spiritualem habet compatrem, cujus filium de lavacro sacri fontis accepit, et ejus uxor commater non est, liceat ei defuncto compatre suo, ejus viduam ducere in uxorem, si nullam habet consanguinitatis propinquitatem.

48. Si quis suæ spiritualis commatris filiam fortuito in conjugium duxerit, consilio maturiori servato habeat, atque honeste legitimo conjugio operam det.

Ex conc. Londinensi II, *sub Paschali II, an.* 1102. — 22. Ut fides inter virum et mulierem occulte, et sine testibus data de conjugio, si ab alterutro negata fuerit, irrita habeatur.

24. Ne conjugati usque ad septimam generationem copulentur, vel copulati simul permaneant, et si quis hujus incestus conscius fuerit, et non ostenderit, ejusdem criminis participem se esse cognoscat.

Ex conc. Cassellano in Hibernia, sub Alexandro III, an. 1171. — 3. Omnes laici qui uxores habere velint, eas secundum jus ecclesiasticum habeant.

Ex conc. Abrincensi in Normannia, sub Alexandro III, an. 1172.—10. Vir ad religionem non transeat, uxore in sæculo remanente, vel conversa, nisi ambo vacandi operibus carnis tempus excesserint.

Ex conc. Londinensi, sub Alexandro III, an. 1175. — 17. Nullus fidelis cujusque conditionis sit occulte nuptias faciat, sed benedictione accepta a sacerdote, publice nubat in Domino, sacerdos qui aliquos occulte conjunxisse inventus fuerit, triennio ab officio suspendatur.

18. Ne aliqui quorum uterque vel alter ad ætatem legibus constitutam, et canonibus determinatam non pervenit, conjungantur, nisi forte aliquando, urgente necessitate interveniente, pro bono pacis conjunctio talis toleretur.

Ex conc. in Dalmatiæ et Diocliæ regnis, sub Innocentio III, an 1199. — 10. Excommunicamus illos qui proprias dimiserunt uxores, vel de cætero dimiserint sine judicio Ecclesiæ, donec ad ipsas revertantur.

Ex conc. Londinensi, sub Innocentio III, an. 1200. — 11. Vir non contrahat cum aliqua consanguinea olim uxoris suæ, nec uxor cum aliquo consanguineo quondam viri sui, et susceptus in baptismo non contrahat cum filia baptizantis, vel suscipientis, ante vel post genita, nec contrahatur aliquod matrimonium, sine trina denuntiatione publica in ecclesia, neque si fuerint personæ incognitæ, etc. Nulli conjugatorum liceat iter remotum peregrinationis arripere, nisi mutuo consensu publicato.

Ex conc. Lateran. univers. XII, *sub Innocentio III, an.* 1215.—51. Clandestina conjugia penitus inhibemus, prohibentes etiam ne quis sacerdos talibus interesse præsumat, etc. Cum autem matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per presbyteros publice proponantur, competenti termino præfixo, ut infra illum qui voluerit et valuerit legitimum impedimentum opponat, etc. Si qui vero hujusmodi clandestina vel interdicta conjugia inire præsumpserint, in gradu prohibito etiam ignoranter soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur.

52. Statuimus ne super hoc recipiantur testes de cætero de auditu, cum jam quartum gradum prohibitio non excedat, nisi personæ graves exstiterint, quibus fides merito sit adhibenda, et ante motam litem testificata, didicerint ab antiquioribus quidem suis non utique uno, sed duobus ad minus.

Ex conc. Oxoniensi sub Honorio III, an. 1222. — 3. 4. *Vid. verb.* EXCOMMUNICATIO.

30. Decani rurales nullam causam matrimonialem de cætero audire præsumant, sed eorum excommunicatio nonnisi viris discretis committatur, quibus assidentibus si commode fieri potest postmodum pronuntietur.

33. Sententia lata pro matrimonio, advocatus qui contra id fecerit, hoc ipso per annum advocatione privatus existat, nisi judex eum in ipsa sententia propter errorem, vel probabilem ignorantiam habeat excusatum.

Ex conc. Londinensi sub Gregorio IV, an. 1237. — 22. Matrimoniales causæ quæ inter cæteras magna diligentia sunt tractandæ, viris providis et fide dignis, et habentibus jurisperitiam vel saltem competens exercitium committantur.

Ex conc. Salisburgensi, sub Nicolao IV, an. 1291. — Quandocunque sponsalia seu matrimonia contrahuntur, non minus quam sex personæ honestæ, ac fide dignæ de vicinia, e saltem parochia amborum, vel alterius contrahentium, aut loci in quo contractus agitur, inter quas ad minus tres virilis sexus habeantur, etc. Quod si secus fuerit attentatum, contrahentes, operam dantes, sive scienter præsentiam exhibentes, et sponte in suis domibus hæc fieri patientes, ipso facto sint excommunicati.

Ex conc. Ravennatensi II, *sub Clemente V, an.* 1311. — 19. Omnes et singuli qui de cætero voluerint matrimonium contrahere, ante contractum matrimonium sive ante sponsalia, per duas Dominicas successive faciant in ecclesiis civitatis, vel loci ubi sponsalia fuerint celebranda, et in ecclesiis parochiarum ad quas debuerint sponsæ traduci, proponi banna, sive edicta per sacerdotes

Digitized by Google

parochiales eorumdem, quod infra octo dies proxime subsequentes, si fit aliquis qui sciat aliquod impedimentum legitimum inter eos qui ad invicem contrahere voluerint, illud opponat, et ipsi presbyteri nihilominus investigent utrum aliquod impedimentum subsistat juxta formam concilii generalis, et ipsi parochiales presbyteri ad requisitionem prædictorum hoc facere teneantur; quod si omissum fuerit ex negligentia vel malitia prædictorum contrahentium, ultra pœnas in prædicto concilio declaratas, non recipiantur ad benedictionem solemnem sponsaliorum per dictos presbyteros, et usque ad satisfactionem condignam, et traductione, et carnali commercio et consortio sint suspensi, et pœna simili puniantur, qui contra interdictum Ecclesiæ nuptias duxerint celebrandas, etc. Omnes sacerdotes, parochiales maxime, Dominica ante Adventum, et Dominica ante Septuagesimam, et Dominica ante octavam Ascensionis Domini studeant publice in missarum solemniis nuntiare, quod nullus celebret nuptias temporibus ab Ecclesia interdictis, scilicet a prima Dominica de Adventu usque post Epiphaniam, et a Dominica de Septuagesima usque ad octavam Paschæ, et a tribus diebus ante Ascensionem usque ad octavam Pentecostes.

Ex conc., Frisingensi, sub Eugenio IV, an. 1440.— Ne quis clandestinis desponsationibus, aut occultis matrimoniis intersit, plebanus autem postquam ipsi constiterit, pro certo, vel probabili fama aliquem clandestine contraxisse, ipsum statim ad publicandum in facie Ecclesiæ, aut jura sua prosequendum coram ecclesiastico judice per subtractionem sacramentorum, extra tamen necessitatis articulum cogere non postponat.

Ex conc. Turonensi, sub Nicolao V, an. 1448.— Ne quis presbyter secularis aut regularis, de cætero clandestina matrimonia celebrare, aut solemnizare præsumat, sub pœna excommunicationis.

13. Insultationes clamores, sonos et alios tumultus fieri solitos in secundis vel tertiis quorumdam nuptiis, quos charivarium vulgo appellant, propter multa et gravia inconvenientia fieri omnino prohibemus sub pœna excommunicationis.

Ex conc. Toletano, sub Sixto IV, an. 1473. — 17. Commistiones carnales, strepitus, choreas, joculationes, et alias solemnitates ac convivia temporibus, quibus solemnia Ecclesiæ interdicuntur, et cessant nuptiales benedictiones, fieri de cætero prohibemus; contra facientes ipso facto excommunicationem incurrant, et clerici qui præfatis nubentibus missam dixerint 10 florenorum pœna puniantur.

18. Desponsationes clandestinas vel occultas fieri omnino prohibemus, et qui sponsalia clandestina contrahere præsumpserint, nisi ad minus quinque testes ibidem adfuerint, ipso facto sint excommunicati, et eisdem contrahentibus nuptiales benedictiones tandiu denegentur, donec à prædicta excommunicatione absolvantur, clerici vero qui tali clandestinæ desponsationi interfuerint, eo ipso ab officio et beneficio per tres menses sint suspensi.

Ex concil. Ratisponensi, sub Clemente VII, an. 1524. — 21. Matrimonia in conspectu Ecclesiæ possunt solemnizari, nullo ab ordinario ad hoc consensu petito, aut quapiam re pro ea exposita, exceptis tamen tota Quadragesima, ultima hebdomada Adventus, festis Paschæ et Pentecostes, et Nativitatis Dominicæ cum octavis, ac diebus Rogationum.

Ex conc. Senonensi, sub Clemente VII, an. 1528. *De moribus.*— 39. Ne in sponsalibus aut nuptiali benedictione fiant risus, cachinnationes, aut alia ridicula verba enuntientur, quinimo moneantur affidati, quatenus jejuni, contriti, confessi, ac cum multa reverentia ad hoc sacramentum accedant, illum abusum qui invaluit, ut benedictio nuptiali et missa celebrentur statim post mediam noctem, tollimus, statuentes quod talia deinceps non fiant, nisi post ortum solem, ac illucentem diem, omnes contrahentes, consulentes, scientes, interessentes, auxiliantes et adjuvantes clandestina matrimonia, excommunicationi subjaceant.

Ex conc. Coloniensi I, *sub Paulo III, an.* 1536, *parte* VII.— 43. *Vide* conc. Senon. 1528, c. 39, quantum fieri potest caveat parochus, ne liberos citra parentum auctoritatem conjungat.

44. Conjunctionem per sacerdotem cum benedictione sacerdotali, ac precibus inter missarum solemnia in templo secundum antiquos canones, et ecclesiasticum ritum fieri decernimus etc. Nec sacerdos ante, quoslibet conjugio jungat, nisi edictis aut proclamationibus tribus publice e suggesto ad populum factis præcedentibus, ob multas ac varias fraudes evitandas.

45. Peregrini et ignoti non conjungantur nisi legitimis testimoniis doceant, se ubi ante versati fuerint, nullis matrimonii vinculis astringi, ipsisque per suum parochum licere per alium parochum copulari.

47. Ludicra illa quæ in templis post conjunctionem sacerdotalem fieri consueverunt, veluti in pulsando sponso atque alia ejusdem generis, penitus tollantur.

Ex conc. Augustensi, sub Paulo III, an. 1548.— 21. Sacerdotem nuptias alibi quam in ecclesia admittere, conjungere aut benedicere prohibemus, nec ante trinas proclamationes tribus diebus sibi succedentibus factas.

Ex conc. Coloniensi II, *sub Paulo III, an.* 1549, *Cens. contra abusus.*— 31. Clandestine contrahentibus tantisper sacramenta negentur, ab excommunicatione a judice competenti absolvantur, atque ita in facie Ecclesiæ sacramenti solemnia celebrent, idem statuimus de incolis et advenis illis de quibus suspicio est eos in facie Ecclesiæ non esse conjunctos, qui aut matrimonii solemnes ritus in Ecclesia celebrent, aut alibi id se fecisse idoneis testimoniis probent.

32. Nemo parochus vel presbyter (sub pœnis et censuris canonicis) ausit sibi non

Digitized by Google

subditos copulare, nisi sit alterutrius parochus proprius, et pastoris alterius dimissorias litteras acceperit, nec nisi in utriusque parochia trinæ proclamationes tribus diebus festis a se invicem distantibus præcesserint.

33. Ne quis alibi quam in ecclesia publice post missam auditam jugendos matrimonio copulet, nec alio tempore quam jura permittant, sub pœna suspensionis ab officio, quam sacerdotes mandatum hoc prætergredientes, incurrant.

Ex conc. Moguntino, sub Paulo III, an. 1549. — 38. Conjunctiones conjugum in conspectu Ecclesiæ, adhibita celebritate, confirmentur, et ante conjunctionem nomine contrahentium, tribus diebus festivis per aliquot dierum intervalla a se distantibus in ecclesia coram multitudine proponi debent. Saltationes lascivæ et commessationes parum sobriæ, si in totum tolli nequeant, saltem ad moderationem Christianis dignam reducantur.

Ex conc. Trident. gener. XVIII, *sub Pio IV, an.* 1562, *sess.* 24, *de reform. matrim.*— 1. Imposterum antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festivis, in ecclesia inter missarum solemnia publice denuntietur, etc. Quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur, quod si aliquando probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem parocho et duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur, deinde ante illius consummationem denuntiationes in ecclesia fiant ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur, etc. Qui aliter contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, etc. Conjuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent, etc. Benedictio a proprio parocho fiat, neque a quoquam nisi ab ipso parocho, vel ab ordinario licentia ad prædictam benedictionem faciendam alii sacerdoti concedi possit, habeat parochus librum in quo conjugum et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat.

6. Decernit sancta synodus inter raptorem et raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium, quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto et libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, et nihilominus raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant, teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit sive non, decenter arbitrio judicis dotare.

7. Vagantes et incertas sedes habentes, ad matrimonium facile non recipiantur, parochi autem illorum matrimoniis non intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint et re ad ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.

9. Præcipit sancta synodus omnibus cujuscunque gradus dignitatis et conditionis existant, sub anathemate quod ipso facto incurrant, ne quovis modo directe, vel indirecte subditos suos, vel quoscunque alios cogant, quo minus libere matrimonia contrahant,

10. Ab adventu Domini usque in diem Epiphan. et a feria quarta cinerum usque in octavam Paschatis inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones ab omnibus observari sancta synodus præcipit.

Sess. 24, *de reformat.* — 20. Causæ matrimoniales et criminales, non decani, archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio visitando, sed episcopi tantum examini, et juridictioni relinquantur.

Ex conc. Mediolanensi I, *sub Pio IV, an.* 1565, parte II. — 65. Denuntiationes quæ matrimonium antecedere debent, festis illis diebus fiunt, quibus Ecclesiæ præcepta servantur, media ea missa ad quam frequentior populus convenire solet, etc. Parochi cum sponsis benedicendum erit id, celebrata missa, cui illi intersint, semper faciant usum autem illum in ecclesia bibendi et frangendi cyathi, et alia id generis quæ indecore fiunt, cum aliqui matrimonio junguntur, amplius ne adhiberi patiantur.

Ex conc. Mediolan. II, *sub Pio V, an.* 1569, *titulo* 1. — 25. Ne animarum curatores, qui in locis finitimis habitant, ubi hæresis impune grassatur, matrimonii quod inter parochiæ suæ, et illorum locorum incolas contrahendum est, secundam denuntiationem faciant, nisi prius ejus qui in locis hæreticorum, aut hæresis nomine suspectis habitat, nomen et cognomen episcopo denuntiarint, ab eoque impetrarint facultatem alias denuntiationes faciendi, matrimoniique celebrandi.

26. Episcopus non ante det parochis facultatem, ut vagos homines matrimonio jungant, quam norit eos et solutos esse, et a catholica communione non alienos, matrimonii denuntiationes a parochis tum demum fiant, cum vir et mulier eorumve parentes, vel ii qui puellæ curam habent id postulaverint ; sique ambo diversis in parochiis habitant, tunc in unius et alterius item parochia fiant.

27. Qui sponsalitia contraxerint, si una ante coierint quam coram parocho et testibus matrimonium inter eos celebratum sit, illius peccati absolutionem episcopo reservatam esse volumus.

28. Ne parochus ullo alio loco quam in ecclesia ipsos sponsos matrimonio jungat, nec patiatur parochus ulla musica instru-

Digitized by Google

menta afferri, cum in ecclesiam sponsi conveniunt.

29. Concubinarii legitime admoniti, si concubinas non ejecerint, contra eos episcopus excommunicatione, aliisque pœnis procedat.

Ex conc. Mediolanensi III, *sub Gregorio XIII, an.* 1573.—17. Matrimoniis denuntiationes imposterum a parocho ne fiant, nisi iis ipsis petentibus aut consentientibus de quorum matrimonio contrahendo agitur, etc. Qui falsum aliquod impedimentum malitiose attulerit, quo futurum legitime matrimonium impediat, si prudens sciensque hoc fecerit excommunicationis pœna afficiatur, etc. Quo die de matrimonio contrahendo denuntiatio ultima facta est; ne eo ipso die, nisi impetrata ab episcopo facultate illud celebretur.

Ex conc. Mediolanensi IV, *sub Gregorio XIII, an.* 1576, *part.* III.— 9. Statas matrimonii denuntiationes Tridentina sanctione præscriptas, episcopus ne facile remittat.

Ex conc. Mediolanensi V, *sub Gregorio* XIII, *an.* 1579, *part.* III.—16. Matrimonii futuri denuntiationibus in Ecclesia de more factis, si forte hoc accidit ut illud duorum mensium spatio post non contrahatur, ne idem antea parochus celebret quam iterum denuntiationes ex conc. Trid. præscripto fecerit edixeritve, etc. Irritum nullumque ab episcopo matrimonium declaretur, quod a parocho loci ubi illud sit, non ab eo qui parochus proprius est contrahentium celebratur.

Ex conc. Avenionensi, sub Clemente VIII, *an* 1594. — 20. Sacerdos facultatem non habens ab ordinario vel proprio contrahentium parocho si matrimonio interesse contrahentesque conjungere attentaverit, graviter puniatur, et quidquid attentatum fuerit irritum declaretur (*Vid. conc. Trid.*, 1562, *sess.* 24, *c.* 7.)

Matrimonium posthac non domi sed in loco sacro celebretur, benedictio insuper sponsorum in missa perficiatur, secundæ nuptiæ non benedicantur.

Ex conc. Narbonensi, sub Paulo V, an. 1609. — 22. Conjuges antequam contrahant vel saltem triduo ante matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur, et ad eucharistiæ sacramentum pie accedant, etc. Matrimonium non domi sed in loco sacro celebretur, ab aurora usque ad meridiem in missa tantum, non contrahent catholici cum hæreticis, etc. Prohibeant episcopi ludos qui impudenter in contemptum secundarum nuptiarum a permultis fieri solent, charivarios vulgo appellatos, contumaces et inobedientes excommunicatione coerceant, etc. Qui semel contraxerint, ad contrahendum de novo non admittantur, nisi certo constiterit de morte alterius cum quo nupserant.

MEDITATIO, CONTEMPLATIO

[Ex SS. Patribus.]

Philo Judæus, *Lib. de erud. gratia.* — Lucem habere in mente bonum est; quod autem quiescit et cessat immotum, imperfectum bonum est. Nam mala quiescere expedit, bona vero moveri. Quid enim prodest cessare bonum tibicinem aut citharistam, aut in universum quemcunque artificem suam artem non exercere? Nam sine actione, sola contemplatio scientibus ad nihil est utilis. Nec enim pancratiasta, pugilve aut luctator ex arena protrusus, ullum fructum e studio suo referet; neque absolutus cursor, si corripiatur a podagra, aut alioqui laboret morbo infesto pedibus. Lumen autem animæ, solari simillimum est scientiæ. Nam sicut oculi splendore, sic mens illustratur sapientia, et usque acutius cernere assuescit, inuncta novis semper contemplationibus.

Origen., *Commentaria in Joan.*, tom. IV. — *Quare pervertistis vias Domini rectas?* (*Act.* XXII, 10.) Bifariam via Domini dirigitur, primum propter contemplationem quæ manifestatur in veritate, absque ulla permistione mendacii; deinde propter actionem, si quis, cum probe perviderit quid agendum, actionem convenientem rationi rectæ suggerenti agenda, in opus produxerit. Ut accuratius vero intelligamus illud, *dirigite viam Domini* (*Joan.* I, 23); opportunum erit citare quod in Proverbiorum libro est dictum : *Ne declinaveris neque ad dexteram, neque ad sinistram.* (*Prov.* IV, 27.) Qui enim in utramlibet inclinat, is amisit illud dirigere, factus non amplius cura et consideratione dignus, quando transgressus fuerit itineris rectitudinem. *Quoniam enim justus Dominus et justitias dilexit, et rectitudines vidit vultus ejus* (*Psal.* X, 8.) illud quod videt illuminat. Hanc ob causam qui est in consideratione et tutela, utilitatem ex hac cura, et protectione capiens, inquit : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* (*Psal.* IV, 7.) Itaque stemus in viis, juxta Jeremiæ dicta (VI, 16), et videntes interrogemus semitas Domini sempiternas; et videamus quænam sit via bona, et ambulemus in ea; perinde atque apostoli qui steterunt et interrogarunt semitas Domini sempiternas : Nempe patriarchas et prophetas quorum litteras cum interrogassent, postea ipsos intelligendo, viderunt viam bonam, nempe Jesum dicentem : *Ego sum via* (*Joan.* XIV, 6), et ambulaverunt in ea. Bona enim via est quæ ad Patrem ducit bonum hominem de thesauro suo proferentem bona, et bonum servum et fidelem. — Cæterum hæc quidem via angusta est vulgaribus, et alioqui carnis amentibus, qui iter per eam facere non possunt; sed eadem etiam pressa et trita est ab his qui vim faciunt ut per eam eant : quoniam non est dicta premens, sed pressa. Nam qui non

Digitized by Google

solverit calceamenta pedum suorum, neque sincere admiserit, quod locus in quo stat, vel etiam per quem ambulat, terra sancta est, is premit viventem viam, et sentientem proprietates facientis iter. Ducet præterea hæc via ad eum qui, vita cum sit, dixit : *Ego sum vita.* (*Joan.* XIV, 6.) Servator namque in quo universa est virtus, variis modis potest intelligi et significari. Hinc illi qui ad finem nondum pervenerit, sed adhuc progreditur ac proficit, est via; illi vero qui omnem mortalitatem deposuerit, vita. Per hanc viam qui ambulat, docetur nihil in illam tollere; quia ipsa panes habet, et quæ ad vitam pertinent; ne virga quidem egens, quod nihil in illa possent hostes; sed neque calceis, quia sancta sit.

S. HILAR, *tract. in psal.* CXVIII, tom. I. — Justificationes sunt quibus Hebræus puer sex annis servus, liber deinceps anno septimo fiet; et post sex annorum fructus, ager otiosus relinquendus est, et cætera in justificationum observantiam constituta, quæ ingentem in se habent futuræ spei meditationem per negotii præsentis effectum. Atque ideo in his meditatur, ut in mandatis exercetur; quia exercitatio usum retinet consuetudinis institutæ; meditatio autem se in id quod nondum obtinuit extendit, ut per meditationem id quod expetit consequatur : quæ meditatio justificationis id consequitur ne sermonum et promissionum subrepat oblivio.

I. *Meditandi materies. Opera lexque Domini.*

Idem., *Tractat. in psal.* CXLII, tom. I. — *Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabar.* (*Psal.* CXLII, 5.) Scit Adam a diabolo captum; et idcirco memor est antiquorum dierum. Scit eum per transgressionem legis constitutæ, et a promissionibus Dei et ab incolatu paradisi excidisse; et ideo memor est operum Dei. Scit non sufficere ex præterito innocentiam, sed beatum esse qui usque in finem innocens esse permanserit; et ideo in factis Dei manuum meditabitur. Facta manuum Dei homo ipse est; qui postquam peccavit, peccati servus effectus est. Talis igitur esse meditatur, qualis ille qui a Deo factus est, fuit ante peccatum. Per quod quia non mortuus sæculi, sed tanquam mortuus sæculi, in obscuris est collocatus, meditabitur semper : et meditabitur semper; quia antiquorum dierum memor, scit per trangressionem legis mortem introisse peccati.

Idem, *in psal.* CXVIII. — *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forsitan periissem in humiliatione mea.* (*Psal.* CXVIII, 92.) Frequenter admonuimus humilitationem id significare, cum tentationibus anima subjecta est, et infirmitati suæ derelicta humilis efficitur. Lex ergo ei meditatio est, et nisi meditatio ei fuisset, forsitan in humiliatione periisset. Non est ergo meditatio legis Dei, cum tribulamur et angustiamur, relinquenda; sed cum variis corporum infirmitatibus affligimur, cum inter persecutionum bella vexamur, constans in nobis debet legis esse meditatio. Urant enim licet in excidium fidei ignes, lacerent quoque ad periculum salutis nostræ flagella, fodiant etiam ad eliciendam impietatis confessionem redempta a Deo corpora ungulæ : dicti tamen prophetici meminisse debemus, ut consortes ipsius simus. Dicamus et nos patientes atque vincentes : *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forsitan periissem in humilitate mea.* Et beatitudinem meditationis hujus in exordio psalmorum Propheta meminit, dicens : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit. Sed in lege Domini fuit voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* (*Psal.* I, 1, 2.) Et vere beatus erit, quisquis in lege Dei meditabitur, quia meditatione in ipsa quoque tribulationum humilatione servabitur.

II. *Antelucana, matutina, nocturna et continua esse debet meditatio.*

Idem, *in psal.* I, tom. I. — *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* (*Psal.* I, 2.) Beatum hunc virum continua legis meditatio et indefessa consummat. Sed forte id humanæ infirmitatis natura non patitur, per quam quiescendum, dormiendum, cibo vacandum est; ob quæ a spe consequendæ beatitudinis etiam necessitate naturalium decidamus, cum aliquando a meditatione diurna atque nocturna, negotii corporalis intercessione sit desinendum. Simile quoque huic dicto Apostoli dictum est : *Sine intermissione orate.* (*I Thess.* V, 17.) Quasi vero non occupanda in res suas naturæ nostræ necessitas possit sine interpellatione temporis semper orare. Meditatio itaque legis non solum in verbis legendis est, sed et in operis religione; neque ut libros tantum et Scripturas recenseamus, sed ut et ea quæ in Scripturis ac libris continentur, gestis rebusque meditemur, et diurna nocturnaque opera legem semper exerceant; ut illud Apostoli est : *Omnia quæcunque facitis, in gloriam Dei facite, sive cum manducatis, sive cum bibitis, sive cum aliud agitis.* (*I Cor.* X, 31.) Per hoc enim efficitur ut sine intermissione oremus : cum opera Deo placita, et in gloriam ejus semper exercita, sancti cujusque viri vita omnis oratio sit; ac sic secundum legem noctu dieque vivendo, vita ipsa nocturna legis erit et diurna meditatio. Sed consummata viri hujus beatitudine, qui impiorum consiliis et peccatorum viis, et pestilentiæ cathedra se abstinens, Dei legem volens die et nocte meditetur; — quantus ei fructus acquisitæ hujus beatitudinis ipsius exspectatione proficiscitur!

Idem, *Tractat. in psal.* CX, tom. I. — *Et prævenerunt oculi mei diluculo, ut meditarer eloquia tua.* (*Psal.* CXVIII, 148.) Qui in maturitate clamore prævenerat, nunc ipsos dies meditationibus prævenit. Vigilat ille

Digitized by Google

diluculo, et ipsum redeuntem lucis ortum orationibus opperitur : nunc prophetarum dictis occupatus, nunc psalmorum hymnis intentus, nunc patriarcharum et sanctorum gestis negotiosus, omni eloquium Dei tempore et assiduitate meditatus.

S. Hilar., *in psal.* lxii, tom. I.—*Si memoratus sum tui supra stratum meum, in matutinis meditabor in te.* (*Psal.* lxii, 7.) Meditationem matutinam recordatio nocturna consummat : et idcirco de luce ad Deum vigilat, quia ex strati, id est lectuli puritate, et fiducia et conscientia orationis est matutinæ. Obrepentes itaque sub secreto noctis cogitationes Dei recordatione compressit : seseque adversum carnis incentiva luctantem, metus nominis Dei sui juvit. Sequitur enim : *Quia fuisti adjutor meus, et in velamento alarum tuarum sperabo.* (*Ibid.*, 8) Dei se meditatione, per quam sibi adjutor est protegente. Non enim ei alia quam placendi Deo cura est, cujus tantum in strato meminit. In eo quoque in matutinis (*pro in matutinis*, rectius *matutinus*), ex nocturna recordatione meditatur, quia adjutor suus est : et sub velamento alarum ejus exsultat, id est tegmine protegentis est tutus.

Idem, *in psal.* cxviii, tom. I. — *Adjuva me, et salvus ero, et meditabor in justificationibus tuis semper.* (*Psal.* cxviii, 117.) Quod meditaturum se in justitiis Dei dicit, et meditaturum semper, nunquid non meditatur, qui et in meditatione speravit? Potest quidem et in præsens vitæ opus accipi, ut quo usque in corpore sit, semper justificationes meditetur; sed nihilominus et in futurum sermo procedit. Scit in cœlo omnes angelos in meditatione justificationum Dei esse. Nihil enim illic otiosum, nihil iners est : omnes virtutes cœlestes in opere ministerii sui permanent. Et cum nobis vita angelorum vivendum sit, potest secundum eos qui semper operantur, nobis quoque æterna justificationum esse meditatio.

III. *Contemplatio non unica ad salutem via.*

S. Greg. Naz., orat. 32, tom. I. — *Ut unus Dominus, una fides, unum baptismum, unus Deus, Pater omnium et per omnia, et in omnibus* (*Ephes.* iv, 5, 6), ita una quædam esset per disputationem et contemplationem ad salutem via, ut qui ab ea exciderent, iidem a toto quoque aberrarent, atque a Deo, ac spe salutis æternæ præcipites ejicerentur, nihil sane periculosius esset, quam vel hujusmodi consilium dare, vel huic parere. At si, ut in rebus humanis multa et diversa sunt vitarum genera et instituta, alia majora, alia minora, alia illustriora, alia obscuriora; sic in divinis quoque, non una salutis ratio est, nec una quædam virtutis via, sed plures; atque hujus pervulgati dicti omniumque linguis celebrati, nimirum, *multas apud Deum mansiones esse* (*Joan.* xiv, 2), nulla alia causa est, quam quod multæ sint viæ eo ferentes, quarum aliæ periculosiores et splendidiores sint, aliæ objectiores et tutiores : cur, tutioribus relictis, ad unam hanc nos convertimus, adeo lubricam et periculosam, ac nescio quo ferentem? An idem quidem cibus non omnibus congruet, sed alius alii, pro diversa ætatum et constitutionum ratione; eadem autem vita, aut disputatio cunctis conducet? Hoc ipse quidem non dixerim, nec dicentibus assentiar. Quare si mihi obtemperandum duxeritis, juvenes et senes, præfecti et subditi, monachi et qui in sodalitio vivitis, supervacaneas et inutiles ostentationes valere jubebitis; atque id potius curabitis, ut per morum probitatem et honestam vitæ rationem, ac sermones periculo vacuos ad Deum appropinquantes, ad alterius sæculi veritatem et contemplationem perveniatis.

IV. — *Meditatio Scripturæ maxime sacerdotibus necessaria.*

S. Ambros., *Exposit. in psal.* cxviii, t. I. — *Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam; quoniam lex tua meditatio mea est.* Cui lex Dei meditatio est, huic præsto sunt misericordiæ, ut vivat in æternum. Quomodo enim beatus quis potest esse sine miseratione divina? *Beatus — autem qui in Domini lege die ac nocte meditatur.* (*Psal.* i, 1, 2.) Sed qui meditatur in lege, eruditur in lege; et quem lex erudierit, Dominus erudivit, qui locutus est legem, ideoque scriptum est : *Beatus quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.* (*Psal.* xciii, 12.) Discamus ergo, et nos in lege meditari, non avocemur sæcularibus illecebris, non occupemur impedimentis; sed semper ad legem Dei simus attenti. Scriptum est enim : *Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium.* (*Psal.* xxxvi, 13.) Hoc in Veteri Testamento. Audi dicentem et in Novo : *Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo.* (*Rom.* x, 8.) Et maxime hanc meditationem sacerdotibus necessariam ostendit ad Titum scribens, quia debet episcopus amplecti eum, *qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.* (*Tit.* i, 9.) Quod utique sollicitæ atque intentæ meditationis est, non perfunctoriæ lectionis. Et ad Timotheum scribens ait : *Attendite lectioni, exhortationi, doctrinæ.* (*I Tim.* iv, 13.) Lectio enim frequens, nec intermissione aliqua destituta, doctrinæ munus operatur.

Nisi quia lex tua meditatio mea est, tunc forsitan periissem in humilitate mea. (*Psal.* cxviii, 92.) Lucebat Propheta ut dies, cui meditatio lex erat; etenim oleum luminis accipiebat ex lege. Denique ne corpore mortis lux diei posset exstingui, ambulabat in lege; ideo ambulabat in lumine. *Alioquin*, inquit, *periissem in humilitate mea.* Humilitas non semper virtutis est, sed etiam afflictionis; hoc est, non semper voluntaria, sed quæ etiam ex necessitate suscipitur, quando aliqua afflictione tentamur. Alioquin nemo perit in humilitate, quæ magis servare consuevit. Ergo quando in afflictionis tempore sumus, et quatimur adversis, meditatio nobis in lege sit, ne imparatos procella tentationis affligat. Athleta

Digitized by Google

nisi exercitio palæstræ prius fuerit assuefactus, non audet subire certamen. Unganus igitur oleo lectionis nostræ mentis lacertos. Sit nobis tota die ac nocte exercitii usus in quadam cœlestium scripturarum palæstra, artusque animorum nostrorum salubris spiritalium ferculorum esca confirmet; ut cum adversarius assistere cœperit, et pulvere nos suæ tentationis asperserit, stemus intrepidi, nitamur non ut in incertum, nec ut aera cædentes. Melius percutimus verberati, si percutienti maxillam alteram præbeamus, si vindictam non requiramus, sed ei qui dixit : *Mihi vindicta, et ego retribuam* (*Rom.* XII, 19), causam vindictæ integram reservemus. Cædimus aerias potestates, si nos ipsos castigare noverimus. Castigabat carnem suam Paulus, ut adversarios verberaret (*I Cor.* IX, 27) : et servituti redigebat corpus suum, ut dominaretur inimicis. Exerceamur igitur indefesso meditationis usu, exerceamur ante certamen, ut simus certamini semper parati; et cum frequentior adversarii ictus ingruerit nunc inopia, nunc rapina, nunc orbitate, nunc corporis ægritudine, nunc mœrore animi, nunc terrore mortis et acerbitate pœnarum, dicat unusquisque nostrum, qui potuerit sustinere ac perpeti : *Nisi quia lex tua meditatio mea est, tunc forsitan periissem in humilitate mea.*

S. AMBROS., *Expos. in ps.* CXVIII, t. I.—Tota die in lege meditare : non perfunctoria tibi debet esse transcursio. Si agrum emere velis, si mercari domum, prudentiorem adhibes, et quid juris sit diligenter consideras : et ne in aliquo forte fallaris, tibi ipse non credis. At nunc tu ipse emendus es tibi; de tuo pretio tractatur : considera quid sis, quod nomen habeas, quid acquiras tibi; non agrum, non pecuniam, non gemmarum monilia, sed Christum Jesum, cui nulla possunt pretia, nulla ornamenta conferri. Adhibe tibi consiliarios, Moysen, Isaiam, Jeremiam, Petrum, Paulum, Joannem, ipsum magnum consiliarium Jesum Dei Filium; ut acquiras Patrem. Cum his tractandum, cum his tota conferendum est tibi, tota meditandum die; sicut meditabatur David, et hæc erat illi sola meditatio. Non sæcularibus animus traducebatur illecebris, non pecuniaria coacervandi patrimonii cupiditate flagrabat; non proferendi limitis, excludendique finitimi anxius curarum æstus studio meditationis intentum reflectebat affectum : quidquid poterat temporis dies habere, hoc totum sola sibi in lege meditatio vindicabat.

Idem, *ibid.* — *Concupivi salutare tuum, Domine; et lex tua meditatio mea est.* (*Psal.* CXVIII, 174.) Alius longævitate vitæ istius delectatur, et concupiscit usque ad depositæ senectutis finem corporis hujus vitam producere. Alii franguntur ægritudinis infirmitate, de quibus nemo potest dicere : *Cum infirmor, tunc potens sum.* (*II Cor.* XII, 10.) Beatos se putant, si inoffensa valetudinis commoditate potiantur, quibus non est infirmitas ad salutem. Horum quoque nemo potest dicere : *Concupivi salutare tuum, Domine;* suam enim magis salutem, quam salutare Dei quærunt, medicis potius quam Scripturis obedientes. Contraria autem studiosis divinæ cognitionis præcepta sunt medicinæ. A jejunio revocant, lucubrare non sinunt, ab omni intensione meditationis abducunt. Itaque qui se medicis dederit, se ipsum sibi abnegat. Qui autem quærit salutare Dei, Christum sequitur, qui dicitur salus Dei : non quæ corporis, sed quæ æterna sunt quærens, cum hoc in corpore conversetur. Qui autem salutem Dei quærit, die utique et nocte meditatur in lege. Jugis illi meditatio est divinorum decretorum, neque aliqua cura corporis hujus avertitur a studio disciplinæ.

Et meditabar in mandatis tuis quæ dilexi nimis. Et levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi nimis; et exercebar in justificationibus tuis. (*Psal.* CXVIII, 47, 48.) Pulcherrimus ordo iste, ut primo meditetur, et eorum præceptorum quæ diligimus sit nobis assueta meditatio. Meditatione enim mandatorum cœlestium operis boni usus inolescit. Nam sicut meditationi verborum finis memoria est, ut quæ meditamur verba teneamus; sic meditationis præceptorum cœlestium intentio vel finis operatio est, actusque directus ad implenda præcepta divina, quæ nisi quis diligat, implere non poterit; nec solum diligat, sed etiam *nimis* diligat.

V. *Contemplationis divinæ gaudium.*

S. CHRYSOST., hom. 1 in illud *Joan.* XX, 10 : *Vidi Dominum*, tom. VI. — *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore.* (*Psal.* II, 11.) Quomodo licet exsultare cum timore, nec simpliciter cum timore, sed etiam cum tremore, qui est timoris vehementia, et immodicæ cujusdam anxietatis signum? Quomodo igitur, inquis, hoc fiet? Ipsa te Seraphim docent, quæ re ipsa tali ministerio funguntur. Nam illa ineffabili gloria Conditoris fruuntur, dum incomprehensibilem ejus pulchritudinem contemplantur. Non dico illam ut est natura, hæc enim incogitabilis est, nec spectari potest, nec figura exprimi, absurdumque est sic de illa opinari : sed quantum concessum est, quantum ex illo splendore possunt illustrari. Quoniam enim assidue famulantur in circuitu solii regalis, in jugi gaudio perseverant, in sempiterna delectatione, in exsultatione finem non habitura, gaudentia, saltantia, citra ullum silentium gloriam canentia. Nam stare in conspectu majestatis illius, deque splendore illinc refulgente illuminari hoc illis est gaudium, hoc illis exsultatio, hoc voluptas, hoc denique gloria. Fortassis sensistis aliquid voluptatis, et cupiditas quædam illius gloriæ vos cepit.

S. HIERONYM., *Contra Vigilantium.* — Hæc in Judæa usque hodie perseverat consuetudo, non solum apud nos, sed etiam apud Hebræos, ut qui in lege Domini meditantur die ac nocte, et partem non habent in terra nisi solum Deum, totius orbis foveantur ministeriis.

S. AUGUST., *De Trinitate.* — Contempla-

Digitized by Google

tio est illa species, quæ rapit omnem animam desiderio sui tanto ardentiorem, quanto mundiorem; et tanto mundiorem, quanto ad spiritualia surgentem, quanto carnalibus desideriis et terrenis affectibus morientem.

S. Prosper, lib. I *De vitæ contemplatione.* — Ille contemplativus qui, facultatibus suis in usus pauperum distributis, simul se exspoliavit mundo, et totis viribus adhæret cœlo, res mundi mundo projecit, et se ipsum Christo devota mente restituit.

S. Gregor., *Moral*, lib. v. — Mens nostra ad contemplanda interna non perducitur, nisi ab his quæ exterius implicant, studiose subtrahatur. Mens nostra nullo modo ad vitam intimæ contemplationis rapitur, nisi studiose prius et terrenorum desideriorum tumultu sopiatur.

Idem, *ibid.* — Contemplari Dei sapientiam non possunt, qui sibi videntur esse sapientes: quia tanto ab ejus lumine longe sunt, quanto apud semetipsos humiles non sunt, quia in eorum mentibus, dum tumor elationis crescit, aciem contemplationis claudit, et unde se lucere præ cæteris æstimant, inde se lumine virtutis privant.

S. Greg., *Mor.*, l. v. — Contemplativa vita merito major est quam activa: quia hæc in usu præsentis operis laborat, illa vero sapore intimo, venturam requiem degustat.

S. Isidor., *De bono*, lib. III. — Utilius est per simplicem actionem ire ad vitam æternam, quam per contemplationis errorem mitti in gehennam. Multos enim Deus ex carnalibus sua gratia visitat, et ad contemplationis fastigium elevat; multosque a contemplatione justo judicio deserit, et lapsos in terrenis operibus derelinquit. Loth enim persona in civitate justus fuit, et in monte peccavit.

S. Bernard., serm. 46. — Contemplationis accessus duo sunt: unus in intellectu, alter in affectu; unus in lumine, alter in fervore; unus in acquisitione, alter in devotione.

Idem, *De consid., ad Eugen.* — Tria sunt qui oculum intelligentiæ confundunt, atque contemplationem veri luminis excludunt; scilicet tenebræ peccatorum, recordatio eorumdem peccatorum, et cura terrenorum actuum. Contra triplicem morbum triplex remedium est. Nam primus ejicitur per confessionem: secundus per orationem; tertius per quietem.

MENDACIUM.

[Ex SS. Patribus.]

S. Hermes, *Pastor.*, lib. II, tom. I. — Veritatem dilige, et omnis sermo verus ex ore tuo procedat, ut spiritus quem Dominus constituit in carne tua, verax inveniatur apud cunctos homines, et Dominus magnificetur, qui dedit spiritum in te; quia Deus verax est in omni verbo, et non est mendacium in ipso. Qui ergo mentiuntur, abnegant Dominum, non reddentes Deo depositum quod acceperunt. Acceperunt enim spiritum sine mendacio. Hunc si mendacem reddunt, coinquinant mandatum Domini, et fraudatores fiunt.

Tertull., *De idololatria.* — Mendacium cupiditatis ministrum.

Origen., *in Epist. ad Rom.* lib. II, tom. V. — Etiam in apostolicis dictis accipiendum est *omnis homo mendax* (*Rom.* III, 4), sive is qui in legis littera sine fide confidit, sive is qui in quibuslibet dogmatibus et litteris gloriatur. Sed objicitur nobis: Si omnis homo mendax est, ipse Paulus quia homo est, erit ergo mendax. Sed et David qui hæc dixit, quia homo fuit, si omnis homo mendax est, erit et ipse mendax, et hoc ipsum falsum quod dicit: *Omnis homo mendax* (*Psal.* CXV, 11), quia mendacem se necessario cum cæteris hominibus ipse pronuntiat: et si mendax est, utique non erit verum quod a mendace dicitur, quia *omnis homo* sit *mendax*. Videtur ergo sermo ejus incurrisse in syllogismum qui dicitur aporus, id est insubstantivus, qui et falsus appellatur. Sed si redeamus ad interiorem Scripturæ intellectum, inveniemus quod omnes prophetæ vel apostoli ex illis sint ad quos sermo Dei fit, sicut scriptum est: *Et factum est verbum Domini ad illum, vel illum prophetam.* Hos ergo ad quos sermo Dei fit, Dominus in Evangelio non homines pronuntiat esse, sed deos, Sic enim dicit: *Quod si illos dicit deos ad quos sermo Dei fit, et non potest solvi Scriptura.* (*Joan.* X, 35.) Quia ergo et ad David tanquam prophetam et ad Paulum tanquam apostolum sermo Dei factus est, sine dubio non erant homines, sed dii ad quos sermo Dei factus est. Igitur quia non erant homines sed dii, verum est quod de hominibus cæteris pronuntiant ad quos sermo Dei non factus est quia *omnis homo mendax* sit.

S. Hilar., *Tractat. in psal.* LXI, tom. I. — *Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris; ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* (*Psal.* LXI, 10.) Vani homines quia aut ipsi vana sperent, aut in eos sperare sit vanum. Mendaces quoque, quia impietatis suæ sensu aut falluntur aut fallunt: et in eo mendaces ut decipiant in stateris, sub justitiæ scilicet nomine injusta peragentes. Nam ubi examen de se moderatæ prudentiæ pollicentur, ibi studia immoderatæ impietatis exercent: errore seipsos quem a cæteris depellere se professi sunt implicantes. Et idcirco *ipsi de vanitate in idipsum*, illo scilicet recidentes, ex quo se excedere gloriantur.

S. Ephrem, *De mendacio*, tom. I. Græce. — Miser atque infelix qui semper mendaciis addictus est; quoniam ab initio diabolus mendax est. Qui autem delectatur menda-

Digitized by Google

ciis, hic in verbis suis omnem perdit auctoritatem : odibilis enim Deo pariter et hominibus redditur. Et quis hominem mendacem non deploret ? Hic enim in nullo opere pronatur, et in quacunque responsione sua suspectus est. Hic rixas et jurgia in monasteriis suscitat, et in communi fratrum cœtu est, ut in ferro rubigo. Cor quidem habet audax, sed pertusum : libenter arcana audit, sed eadem facile revelat, novitque organo linguæ suæ bene constitutos subvertere. Aggreditur facinora, seque eorumdem dissimulat : absque juramento nihil affirmat, et loquacitate sibi persuadere videtur. Versutus ac versipellis est homo mendax. Nullum est hoc majus animi vulnus, nullumque eo dedecus gravius : homo enim mendax ab omnibus rejicitur, et ab omnibus irridetur. Proinde attendite, fratres, ne assuescatis mendaciis.

S. Basil., epist. 207, tom. III. — Mendacem sermonem et artificiose ad aliquorum calumniam instructum ita abominatur, ut qui sciret mendacium ex diabolo ortum esse, Dominumque eos omnes qui mendacium loquuntur, perditurum. (*Psal.* v, 7.

Idem, *De Spiritu sancto*, cap. 1, tom. III.— *Næ* et *Non*, syllabæ duæ sunt; attamen bonorum optimum veritas, et extremus pravitatis terminus mendacium frequenter his minutis verbis comprehenduntur.

S. Gregor., Naz, orat. 30, tom I.—Veritas, ut natura unum, non multa. Verum quippe unum est; mendacium multiplex.

S. Ambros., *Enarrat. in psal.* lxi, tom. I. — Omne mendacium sitim habet, veritas ubertatem quæ in perpetuum perseverat.

1. *Varia mendaciorum genera describuntur.*

Berengaudus, *Exposit. in Apocal., de visione.*, ad calcem tom. II Operum S. Ambrosii. — Quia his temporibus multi sunt qui sine aliqua reverentia Dei omnipotentis pene assidue mentiuntur, placuit nobis ut de hoc vitio aliqua dicamus. Verum prius de levibus mendaciis dicamus, postea de gravioribus. Sæpe æstimatione mentimur æstimantes nos videre quod non videmus, aut audire quod non audimus, aut scire quod non scimus. Sæpe namque cum a longe quosdam prospicimus, fallit nos aspectus noster, et dicimus esse quæ non sunt. Sæpe etiam et obscuris temporibus, cum procul lapides aut arbusta conspicimus, ipsa obscuritate fallimur, et dicimus homines esse aut bestias. Sæpe oblivione fallimur, cum obliviscimur quæ fecimus, et vidimus, aut locuti fuimus; et dicimus nos fecisse, quod non fecimus, aut non fecisse quod fecimus, aut audisse quod non audivimus, aut non audisse quod audivimus, aut vidisse quod non vidimus aut non vidisse quod vidimus, aut dixisse quod non diximus, aut non dixisse quod diximus. Sæpe et cum audimus quod desideramus, dicimus verum esse quod audimus; et sæpe contingit quod falsum sit; et cum audivimus quod nolumus, dicimus falsum esse, quamvis verum sit. Sæpe etiam joco mentimur, ut risum audientibus excitemus. Sæpe vero ex nimia credulitate mentimur; nam cum audivimus quosdam homines, quos veraces existimamus, aliqua narrantes verisimilia, credentes quod audimus, cum ea aliis referimus, dicimus vera esse, quamvis sint falsa; et frequenter cum juramento affirmamus.

Sunt et multi qui gesta Patrum quæ in divinis Scripturis aut legerunt aut audierunt, ex parte obliviscentes; cum ea aliis narrare cœperint, aut quædam mendacia intermiscent, aut ex multis narrationibus unam facere conantur; et sicut qui stannum auro vel argento admiscet, inutilem materiam facit; ita et isti cum ex multis narrationibus unam facere satagunt, mentiendo inutilem reddunt; melius est enim silere quam gesta sanctorum mendaciter proferre. Sunt etiam multi divinis litteris eruditi, qui Judæis ultra quam oportet credentes, quasdam eorum fabulas vanissimas suscipiunt, et suis traditionibus interserunt. Scimus enim quoniam Judæi omnia quæ de Christo in veteri testamento inveniuntur, in pravos sensus pervertere nituntur; ut gloriam nominis Christi apud quoscunque possunt, exstinguant; et non solum prophetias de Christo evertunt, sed et in cæteris locis multas vanissimas et absurdissimas fabulas interponunt. Miror ergo cur inimicis Christi omnisque religionis nostræ creditur; aut ab eis aliqua suscipiuntur, nisi tantummodo ea quæ ab antiquis Patribus probata esse dignoscuntur. Ipsi quippe patrem habent diabolum, qui in veritate non stetit, quia mendax est ipse, et pater ejus; et quoscunque diabolus possidet, mendaces facit.

Sæpe et timore mentimur; nam cum timemus ne a potentioribus aliquæ molestiæ nobis ingerantur, aliquando mendacia excogitamus per quæ liberemur. Sed et viatores quædam mendacia invenire solent, ut a latronibus liberentur. Similiter et servi, et pueri aliqua mendacia interpolare solent, ne vapulent. Sunt etiam multi, qui in extraneis locis positi, egestatis aut alicujus necessitatis causa mentiuntur, ut victum, aut aliqua corporis necessaria sibi acquirant. Sæpe et nos amore atque ira mentimur, laudantes eos quos diligimus ultra modum, et vituperantes eos quibus irati sumus, plus quam oportet, sed ista graviora mihi videntur quam superiora : sunt alia mendacia superioribus similia, quæ longum est prosequi; in talia namque mendacia non solum injusti, sed et justi sæpe dilabuntur; et propter hoc videtur mihi Psalmistam dixisse : *Omnis homo mendax.*

Est et aliud genus mendacii quod absque culpa videretur, nisi Scriptura diceret, quia omne mendacium a malo est. (*I Joan.* II, 21.) Ex quo aliqua in divinis Scripturis invenientur. In Genesi namque scriptum est quod præceperit Pharao obstetricibus Hebræorum, ut masculos interficerent, et feminas reservarent; sed illæ timentes Deum, conservabant mares. Pro qua re cum a Pharaone increparentur dixerunt quod omnes Hebrææ mulieres obstetricandi haberent scientiam, illisque nescientibus, parerent. (*Exod.* I, 16.) Nonne melius fuit

Digitized by Google

mentiendo pueros reservare, quam vera dicendo tot homicidia perpetrare? In Josue quoque scriptum est quod miserit duos exploratores ad explorandam Jericho. At illi ingressi sunt domum cujusdam meretricis nomine Rahab, quæ abscondit eos in interioribus domus suæ, venientibusque persecutoribus eorum dixit quod cum porta clauderetur, in tenebris aufugissent. Atque pro hoc mendacio a persecutoribus eos liberans, ipsa cum tota cognatione sua a mortis periculo liberata est. (*Josue.* II.) Et pro hoc facto a beato Paulo apostolo in Epistola ad Hebræos laudatur ; ait enim : ***Fide Rahab meretrix non periit cum cæteris incredulis, excipiens exploratores cum pace.*** (*Hebr.* XI, 31.) In Regum etiam volumine scriptum est quod David fugiens Absalon filium suum miserit Jerusalem duos exploratores ad explorandos actus ejusdem filii sui. Quod cum audisset Absalon, misit qui eos caperet; at illi fugientes ingressi sunt domum cujusdam viri cujus uxor abscondit eos in puteo quem habebat in vestibulo, posito desuper operimento. (*II Reg.* XV, 32 seq.) Venientibus vero persecutoribus eorum eosque requirentibus, illa respondit : ***Transierunt, gustata paululum aqua.*** (*II Reg.* XVII, 20.) Verum igitur dicendo, eos potuisset perdere, quos mentiendo servavit. Talium itaque mendaciorum maculæ a charitate ex qua procedunt, delentur : quia ***charitas operit multitudinem peccatorum.*** (*I Petr.* IV, 8.)

Nunc de gravioribus mendaciis dicamus; sunt namque infidelitatis mendacia, sunt et blasphemiæ, sunt et alia quæ ex odio procedunt, alia quæ invidia generat, alia quæ avaritia, alia quæ vana gloria; habent nihilominus cætera vitia mendacia sibi convenientia. Infideles quippe Judæi atque ethnici habent plurima mendacia; nam excepto quod Christum negant venisse in carne, habent multos errores quibus decepti pereunt. Sunt et mendacia blasphemiarum, quibus iidem Judæi atque pagani, nec non et hæretici Deum et Ecclesiam ejus, omniaque divina mysteria multis modis blasphemant. Sunt etiam mendacia quæ ex odio procedunt, nam nonnulli pro eo quod odium in cordibus contra proximos gestant, falsa crimina eis innectunt. Et quos non possunt gladio interficere, falsis criminationibus in damnum magnum, sæpe etiam et in mortem præcipitant. Sunt et alia mendacia quæ parit invidia : invidiosi quippe cum vident aliquos aut dignitatibus sæculi, aut sapientia aut aliquibus artibus præpollere, eos despicere et subsannare non cessant, seque ipsos illis præferre; ut ipsi clariores apud eos qui eorum mendaciis credunt, videantur, quam illi quos despiciunt. Sunt et derisionis mendacia, quæ proprie ad invidos pertinent; derident namque semper invidi facta meliorum, et quibus coæquari non possunt, eorum actus suis mendaciis obnubilare quærunt. Sunt enim multi qui eos quos odio habent, aut quibus invident, fingentes se esse amicos, suis callidis suasionibus ad quædam flagitia perpetranda pertrahunt : quos cum in aliquod scelus veluti in foveam præcipitaverint, contra eos versi atrocius quam cæteri persequuntur; et qui videbantur amici, quod fuerint pessimi inimici comprobantur. Habet et avaritia mendacia sua. Quam multi quippe sunt, qui propter aliorum substantiam tollendam, multas fallacias et diversas machinationes componunt; et aliis auferant unde avaritiæ suæ barathro, quod insatiabile est, aliquantulum satisfaciant? Sunt etiam multi, qui pro præmiorum acceptionibus falsi testes contra proximos suos efficiuntur, et eos, mentiendo, aut in servitium præcipitant, aut hæreditatem sive substantiam auferunt, sæpe vero et mortem inferunt.

Sunt alia mendacia quæ gignunt vanam gloriam; sunt enim multi vanæ gloriæ amatores qui, ut magni et egregii ab hominibus habeantur, dicunt se magna quædam fecisse quæ non fecerunt, aut posse quod non possunt, aut possidere quod non possident, aut sapere quod non sapiunt; ut ad celsitudinem, ad quam conscendere nequeunt, sua mendacia eos elevent. Et quia hoc vitium apud quosdam pro nihilo habetur, etiam in monasteriis scimus quosdam hoc vitio esse maculatos. Multi quippe sunt, qui postquam sæculum reliquisse videntur, ut magnos et inclytos se apud simplices quosque, et eos qui in monasteriis educati fuerunt, constituant, dicunt se possessores fuisse magnarum divitiarum, jactant se fuisse præliatores, venatores, et multa alia de se mentiuntur, ut magni apud eos, quos suis mendaciis decipere possunt, habeantur. Ad te ergo loquor, qui talis es; ecce qui in sæculo positus vix simplicem cibum, qui tibi tuisque omnibus sufficeret, per totum annum elaborare poteras, in monasterio positus, possessor thesaurorum, prædiorum, magnarumque divitiarum efficeris ; et qui vix ullam vulpeculam capere poteras, monachus effectus, venator potentissimus factus es; et qui quosdam ex infimis vicinis tuis formidabas, in monasterio positus, præliatorem fortissimum te fecisti. Ecce hoc non fuit sæculum reliquisse, sed acquisisse. Dicis te hominem interfecisse, et homicidii reatum super te imposuisti. Lingua mendax fecit, quod manus non prævaluit. Et vis ut probem quod te mentiendo reum homicidii feceris? Saul, sicut in libro Regum legimus, timore Philisthinorum manu propria semetipsum interfecit. (*I Reg.* XXXI, 4.) Venit quidam homo ad sanctum David, et dixit quod ipse Saulem, qui eum persequebatur, interfecisset; sed ille spiritu prophetiæ mentitum esse eum intelligens, veluti homicidam punire jussit, reatumque homicidii super illum imponens dixit : ***Sanguis tuus super caput tuum; os enim tuum locutum est adversum te, dicens: Ego interfeci Christum Domini.*** (*II Reg.* I, 6.) Scimus autem divites sæculi ad conversionem venientes, graviter peccare, si se de divitiis ac potentia

Digitized by Google

sua jactare cœperint : et si ille reus est qui verum dicit, quanto magis tu qui pene per omnia mentiris?

Sunt etiam alii, qui prope indesinenter mentiuntur, et vix aliquid loqui possunt sine mendacii admistione; qui ad omnia semper quæ audiunt, quædam mendacia confingunt; et dicunt se vidisse quæ non viderunt, et audisse quæ non audierunt, et fecisse quæ non fecerunt. Cumque a veracibus deprehensi fuerint, dicunt non posse quemquam bene vera loqui, qui non possit bene mentiri. O stulte, quam vana est assertio tua! Ecce Christus multa bene et veraciter locutus est, qui nunquam potuit mentiri, cujus vestigia te sequi magis oportuisset, in quantum virtus suppeteret. Similiter apostoli et cæteri prædicatores multa docuerunt et scripserunt sine permistione mendacii. Et Scriptura dicit quia *omne mendacium a malo est.* (*I Joan.* II, 22.) Si mendacium malum est, quomodo malum bene potest proferri? O infelix, quam vicina est tibi ira Dei omnipotentis, quem assiduè sine causa offendere non trepidas! Nam cætera vitia quanquam Domino contraria sint, videntur tamen aliquid corpori conferre. Avaritia quippe, quamvis sit per omnia Deo odibilis, videtur tamen aliquid corpori conferre; quia divitias congregat, ex quibus desideria ejus expleat. Similiter et libido videtur aliquid corpori conferre; quia in perfectione ejus voluptas carnis exstinguitur. Et ebrietas, quamvis Deum offendat, gulæ desideria perficit. Similiter et cætera vitia ad carnis desideria perficienda assumuntur. Sunt etiam quædam mendacia, quæ corpori aliquid videntur adjicere, sicut sunt avaritiæ de quibus superius diximus. Tu autem nihil corpori acquiris, et Deum sine intermissione offendere non metuis. Ecce mendacium tuum leve esset, si tarde accidisset, verum ex juge continuatione gravissimum atque importabile efficitur. Nam sicut lutum levius est quam plumbum; sed ex multiplicatione sua gravius et periculosius fit, ita ut in eo sæpe pecora demergantur; sic et quædam levia peccata ex congerie sua graviora quibusdam quæ gravia existimantur, efficiuntur. Et scito quia sicut ipse dixit : *Deus veritas est* (*I Joan.* v, 6); nihil plus contrarium potest esse veritati quam mendacium. *Horum ergo pars erit in stagno ignis ardentis sulphure, quod est mors secunda.* Quid sit mors secunda, in hoc loco manifeste demonstrat. A supradictis igitur vitiis, ne in mortem secundam incidamus, misericordia Redemptoris nostri nos liberare dignetur.

II. *Nihil mendacio infirmius.*

S. Chrysost., hom. 29, al. 28, *in Joannem*, tom. VIII. — Nihil veritate clarius, nihil fortius, ut mendacio nihil infirmius, etiamsi innumeris se tegat operimentis. Nam facile deprehenditur, et facile diffluit. Veritas contra nuda præstat omnibus qui volunt ejus pulchritudinem intueri. Non vult latere, non periculum timet, non insidias, non gloriam multitudinis ambit, nulli humanarum rerum subjacet, sed omnibus superior multas excipit insidias; manet autem invicta, eosque qui ad se confugiunt, quasi tutissimo muro munitos servat, idque ex potentiæ suæ magnitudine; et occultos insultus evertit, sua vero palam omnibus proponit.

Idem, hom. 58, al. 57, *in Joannem*, tom. VIII. — Ubique mendacium in se ipsum impingit, per ea ipsa queis veritatem oppugnat; ipsamque veritatem clariorem efficit.

III. *Mendacium loquentes quinam sint?*

Idem, *Exposit. in psal.* v, tom. V. — Ne perturberis, o homo, neque obstrepas quando videris aliquos mentientes, rapientes, in bona aliorum invadentes, qui tamen nihil mali patiuntur; hoc enim erit omnino. Talis est quippe Dei natura; aversatur improbitatem, eam semper odit et abhorret. Loquentes autem mendacium hic dicit eos qui male vivunt, eos qui res fallaces persequuntur, eos qui libidini gulæ et avaritiæ sunt dediti. Hæc enim omnia solet appellare mendacia. *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.* (*Psal.* v, 7.) Hominem hic dicit qui cæde delectatur, qui insidiatur, qui est fraudulentus et versipellis, qui aliud habet in ore, aliud in pectore, qui mansuetudinis quidem ac comitatis personam induit, sed se factis lupum ostendit, quo nihil possit esse deterius. Apertus enim inimicus potest facile caveri; qui autem malitiam quidem celat, et utitur malitia, cum non possit facile deprehendi, plurima mala facit. Quocirca Christus etiam, quando illi accesserint, sobrios et attentos nos esse jubet. *Veniunt enim ad vos*, inquit, *in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces.* (*Matth.* VII, 15.)

S. Hier.—Mendaciorum finis interitus est.

S. August., *De mendacio*, tom. VI. — Exceptis jocis quæ nunquam sunt putanda mendacia (habent enim evidentissimam ex pronuntiatione, atque ipso jocantis affectu significationem animi nequaquam fallentis, etsi non vera enuntiantis), exceptis ergo jocis, prius agendum est ne mentiri existimetur qui non mentitur. Quapropter videndum est quid sit mendacium. Non enim omnis qui falsum dicit mentitur, si credit aut opinatur verum esse quod dicit. Inter credere autem atque opinari, hoc distat, quod aliquando ille qui credit, sentit se ignorare quod credit, quamvis de re quam se ignorare novit, omnino non dubitet, si eam firmissime credit; qui autem opinatur, putat se scire quod nescit. Quisquis autem hoc enuntiat quod vel creditum animo, vel opinatum tenet, etiamsi falsum sit, non mentitur. — Quapropter ille mentitur qui aliud habet in animo, et aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enuntiat. Unde etiam duplex cor dicitur esse mentientis, id est duplex cogitatio : una rei ejus quam veram esse vel scit vel putat, et non profert; altera ejus rei quam pro ista profert,

Digitized by Google

sciens falsam esse vel putans. Ex quo fit ut possit falsum dicere non mentiens, si putat ita esse ut dicit, quamvis non ita sit; et ut possit verum dicere mentiens, si putat falsum esse et pro vero enuntiat, quamvis revera ita sit ut enuntiat. Ex animi enim sui sententia, non ex rerum ipsarum veritate vel falsitate, mentiens aut non mentiens judicandus est

IV. *Mentiendi exemplum ex Testamento Novo nullum suppetere.*

S. Augustin., *De mendacio.* — Et ideo de libris Novi Testamenti, exceptis figuratis significationibus Domini, si vitam moresque sanctorum, et facta ac dicta consideres, nihil tale proferri potest, quod ad imitationem provocet mentiendi. Simulatio namque Petri et Barnabæ non solum commemorata, verum etiam reprehensa atque correcta est. Non enim, ut nonnulli putant, ex eadem simulatione etiam Paulus apostolus aut Timotheum circumcidit, aut ipse quædam ritu Judaico sacramenta celebravit; sex ex illa libertate sententiæ suæ qua prædicavit nec gentibus prodesse circumcisionem, nec Judæis obesse. Unde nec illos astringendos ad consuetudinem Judæorum, nec illos a paterna deterrendos censuit. Unde illa verba ejus sunt: *Circumcisus quis vocatus est? non adducat præputium. In præputio quis vocatus est? Non circumcidatur. Circumcisio nihil est, sed observatio mandatorum Dei. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* (*I Cor.* VII, 18. etc.) Quomodo enim potest adduci præputium quod præcisum est? Sed *Non adducat* dixit, non ita vivat quasi præputium adduxerit, id est quasi in eam partem quam nudavit rursus tegmen carnis attraxerit, et quasi Judæus esse destiterit: sicut alibi dicit: *Circumcisio tua præputium facta est.* (*Rom.* II, 25.) Et hoc non tanquam cogens dixit Apostolus, aut illos manere in præputio, aut Judæos in consuetudine patrum suorum; sed ut neutri in alteram cogerentur; potestatem autem haberet quisque manendi in sua consuetudine, non necessitatem.

Ideoque et Timotheus, cum in præputio vocatus esset, tamen quia de Judæa matre ortus erat, et ostendere cognatis suis debebat ad eos lucrifaciendos, non hoc se didicisse in disciplina Christiana, ut illa sacramenta quæ legis veteris essent abominaretur, circumcisus est ab Apostolo; ut hoc modo demonstrarent Judæis non ideo gentes non ea suscipere, quia mala sunt, et perniciose a patribus observata, sed quia jam saluti non necessaria post adventum tanti sacramenti, quod per tam longa tempora tota vetus illa Scriptura propheticis figurationibus parturivit. Nam et Titum circumcideret, cum hoc urgerent Judæi, nisi subintroducti falsi fratres ideo fieri vellent, ut haberent quod de ipso Paulo disseminarent, tanquam eorum veritati cesserit, qui spem salutis evangelicæ in circumcisione carnis atque ejusmodi observationibus esse prædicarent, et sine his nemini Christum prodesse contenderent: cum contra nihil prodesse Christus eis qui eo animo circumcideren'ur, ut ibi esse salutem putarent: unde est illud: *Ecce ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.* (*Gal.* V, 2.) Et hac igitur libertate Paulus paternas observationes observavit, hoc unum cavens et prædicans, ne sine his salus Christiana nulla putaretur.

Petrus autem simulatione sua, tanquam in Judaismo esset, cogebat gentes judaizare: quod verba Pauli ostendunt dicentis: *Quomodo gentes cogis judaizare?* Non enim cogerentur, nisi viderent eum sic eas observare, quasi præter illas salus esse non posset. Petri ergo simulatio libertati Pauli non est comparanda. Et ideo Petrum amare debemus libenter correctum, non autem astruere etiam de Pauli auctoritate mendacium: qui et Petrum coram omnibus in rectam viam revocavit, ne gentes per eum judaizare cogerentur; et ipse suæ prædicationi attestatus est, qui cum putaretur hostis paternarum traditionum, eo quod nolebat eas imponere gentibus, non aspernatus eas ipse more patrio celebrare, satis ostendit hoc in eis, Christo adveniente, remansisse, ut nec Judæis essent perniciosæ, nec gentibus necessariæ, nec jam cuiquam hominum salutares.

S. Gregor., *Moral.* lib. XVIII, cap. 4. — Summopere cavendum est omne mendacium; quamvis nonnunquam sit aliquid mendacii genus culpæ levioris, si quisquam vitam præstando mentitur, sed quia scriptum est: *Os quod mentitur occidit animam;* et, *perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V, 7); hoc quoque mendacii genus perfectiviri summopere fugiunt, ut nec vita cujuslibet per eorum fallaciam defendatur: ne suæ animæ noceant, dum præstare vitam carni nituntur alienæ. Quanquam hoc ipsum peccati genus facillime credimus relaxari, nam si quælibet culpa sequenti solet pia operatione purgari, quanto magis hæc facile abstergitur, quam mater boni operis pietas comitatur. In testamento novo præceptis altioribus manifesta per carnem veritate proficimus: justumque est, ut facta quædam quæ in illo populo umbræ veritatis deservierant, deseramus. Si quis vero per testamentum vetus vult suum tueri mendacium, quia minus illic quibusdam fortasse nocuerit, dicat necesse esse rerum alienarum raptum. Dicat retributionem injuriæ, quæ infirmis illic concessa sunt, sibi nocere non posse. Quæ omnia cunctis liquet, quanta animadversione veritas insequitur, quæ nobis jam suæ significationis umbra postposita, in vera carne declaratur.

Digitized by Google

MENS

Vide verb. ANIMA.

MIRACULA

Ex SS. Patribus.]

I. *Miracula non possunt edere dæmones.*

S. JUSTINUS, *Resp. ad orthodoxos.* — Mos erat dæmonibus ad homines decipiendos sibimetipsis, ut Dei nomen, ita et robur attribuere. Minime autem inesse dæmonibus potestatem ultricem eorum qui non obediunt et adjutricem obedientium, demonstratur ex exitio quod Græcorum religio accepit a Christiana. Manifeste enim declaratum est Græcorum religionem non alia adversus Christianam potestate usam esse, quam quæ hominum manu et gladiis exercetur. Nam si abundaret Græca religio, divina virtute ipsam pereuntem defendente: nequaquam humana potestate usa esset, ut seipsam ab exitio, frustra diis suis exspectatis, servaret: quod quidem maximum argumentum est imbecillitatis dæmonum, eosque nunquam posse divina opera edere ultricia eorum qui non obediunt, et beneficia in eos qui obediunt.

II. *Divinarum virtutum testimonio confirmata est prædicatio.*

S. JUSTIN., Append. — Esse Deum prorsus liquet ex rerum quæ exstant constitutione, et perseverantia. Non enim ea exstarent quæ exstant, nisi Deus prius quam illa exstitisset, qui partes creaturæ omnes utiliter ad commodum universæ creaturæ constituit; ac cognitus nobis est per prædictionem et doctrinam prophetarum, et Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, apostolorumque ejus prædicationem, quæ divinarum virtutum testimoniis confirmata est.

Idem, *Respons. ad orthodoxos. Quæst.* Si ut constaret verum esse cultum qui ab orthodoxis exhibetur, miraculorum gratiam eorum ecclesiis ab initio Dominus concessit; cur postquam has ecclesias, occupato ab hæreticis cultu, orthodoxis reliquerunt, non simul cum orthodoxis etiam divina ab ecclesiis dona abscesserunt, sed erroris cultus in ecclesias invasit, quæ vero a Deo ad incrementum rectæ fidei concessa fuerant, ea etiam sub hæreticis eamdem in ecclesiis efficaciam habuerunt?

Resp. Si per hæreticos vivos aut mortuos divina gratia operaretur miracula, haberet id quod evenit legitimam hærendi causam; sed si qui divina miracula in ecclesiis edunt, sancti sunt apostoli et prophetæ et martyres; divinis operibus Deus mundo testificatur eorum esse ecclesias, per quos miracula eduntur, id est orthodoxorum.

Idem, *ibid.* — *Quæst.* Si Deus conditor est et Dominus creaturæ, quomodo Apollonii effectiones in partes creaturæ robur obtinent! Nam maris impetus, ventorum vim, et murium ac ferarum incursiones, ut videmus cohibent. Et si edita a Domino miracula in sola feruntur narratione; quæ vero ab Apollonio, pleraque in ipsis rebus ostenduntur, quomodo non decipiunt spectantes? Ac si hoc divino permissu contigit, quomodo non dux fuit ad Græcorum superstitionem ejusmodi permissio? Sin minus; quomodo non dæmonum potestate hæc facta sunt? Rursus autem si ea re Deus ut bona delectatus, adjutor fuit illius efficiendæ: cur non per prophetas et apostolos similia edita sunt? Sin autem ut mala displicuit; quare malum aut non statim cohibuit, aut non paulo post abolevit, sed ut vigeat usque in sæculum dierum creaturæ permisit?

Resp. Apollonius, ut naturæ virium peritus et mutuarum quæ illi insunt consensionum et dissensionum, hac scientia effectiones edidit, non divina potestate. Quapropter in omnibus effectionibus opus habuit idonea materia, quæ ad affectionem adimplendam adjuvaret. Noster autem Christus, cum divina sua potestate miracula ederet, minime opus habuit materia, sed ejus præceptum et prædictionem res sequebantur et sequuntur. Atque editas quidem ab Apollonio effectiones, quia scientia naturæ virium ad corporeum hominum usum edebantur, non abolevit Dominus: sed ipsi dæmoni Apollonii statuæ insidenti, qui divinationibus homines seducebat, ut Apollonium tanquam Deum colerent et venerarentur, os occlusit, divinationes ejus compescens. Simul autem cum illo cæterorum etiam dæmonum, qui sub deorum nomine a Græcis colebantur, sustulit potentiam, ut ex rebus ipsis perspicitur. Quare cum in his habeamus divinæ Christi potentiæ argumenta, nefas dicere Christi miracula in nuda posita esse narratione.

Idem. — *Quæst.* Si aquæ omnes sanguis a Moyse factæ, quomodo illud addit Scriptura: *Fecerunt autem et incantatores Ægyptiorum similiter?* (*Exod.* VII.) Vel enim falsum est aquas omnes factas esse sanguinem a Moyse, vel rursus incantatores fecisse similiter. Ac de cæteris eorum miraculis eadem ratio.

Resp. Cum aquæ omnes super terram sanguis factæ fuissent, cogebantur Ægyptii circa flumen fodere puteos et haurire aquam, ac seipsos ex ea et animalia et pecudes aquare. Ex hac aqua, quæ ex puteis hauriebatur, fecerunt incantatores sanguinem; minimoque falsum quod dicitur. Ac facta quidem a Moyse miracula, utpote divina facta virtute, per mutationem fiebant naturæ rei ante oculos positæ, in naturam illius quæ efficiebatur: quæ vero ab incantatoribus, ea operatione fiebant dæmonum qui præstigiis oculos deceperunt spectantium, ut quasi serpentem aspicerent qui serpens non erat, et quasi sanguinem qui non erat sanguis, et quasi ranas quæ ranæ non erant.

Digitized by Google

Alii dæmones excludunt firmissime et vere, ut etiam sæpissime credant ipsi qui mundati sunt a nequissimis spiritibus, et sint in Ecclesia. Alii autem et præscientiam habent futurorum, et visiones, et dictiones propheticas. Alii autem laborantes aliqua infirmitate per manus impositionem curant et sanos restituunt; jam enim et mortui surrexerunt, et perseverarunt nobiscum annis multis. Et quid autem? Non est numerum dicere gratiarum quas per universum mundum Ecclesia a Deo accipiens, in nomine Christi Jesu crucifixi, per singulos dies in opitulationem gentium perficit, neque seducens aliquem, nec pecuniam auferens. Quemadmodum enim gratis accepit, a Deo gratis et ministrat.

III. *Falsa esse hæreticorum miracula, ac meras præstigias.*

S. Irenæus, lib. II *contra hæreses*, cap. 31. — Super hæc arguentur qui sunt a Simone, et Carpocrate, et si qui alii virtutes operari dicuntur: non in virtute Dei, neque in veritate, neque ut benefici hominibus facientes ea quæ faciunt; sed in perniciem et errorem, per magicas elusiones, et universa fraude, plus lædentes quam utilitatem præstantes his qui credunt eis, in eo quod seducant. Nec enim cæcis possunt donare visum, neque surdis auditum, neque omnes dæmones effugare, præter eos qui ab ipsis immittuntur, si tamen et hoc faciunt: neque debiles aut claudos, aut paralyticos curare, vel alia quadam parte corporis vexatos; quemadmodum sæpe evenit fieri secundum corporalem infirmitatem, vel earum quæ a foris occidunt, infirmitatum, bonas valetudines restaurare. Tantum autem absunt ab eo, ut mortuum excitent (quemadmodum Dominus excitavit, et apostoli per orationem; et in fraternitate sæpissime propter aliquid necessarium, ea, quæ est in quoquo loco, Ecclesia universa postulante per jejunium et supplicationem multam, reversus est spiritus mortui, et donatus est homo orationibus sanctorum): ut ne quidem credant hoc in totum posse fieri: esse autem resurrectionem a mortuis, agnitionem ejus quæ ab iis dicitur veritatis.

Quando igitur apud eos quidem error, et seductio, et magica phantasia in speculatu hominum impie fiat; in Ecclesia autem miseratio, et misericordia, et firmitas, et veritas ad opitulationem hominum, non solum sine mercede et gratis perficiatur; sed et nobis ipsis quæ sunt nostra erogantibus pro salute hominum, et ea quibus hi qui curantur, indigent, sæpissime non habentes, a nobis accipiunt: vere et per hanc speciem arguuntur a divina substantia, et benignitate Dei, et virtute spiritali in totum extranei; fraude autem universa, et adinspiratione (*sic*) apostatica, et operatione dæmoniaca, et phantasmate idololatriæ per omnia repleti. Præcursores vero sunt draconis ejus (*Apocal.* XII, 4) qui per hujusmodi phantasiam abscedere faciet in cauda tertiam partem stellarum, et dejiciet eas in terram: quos similiter atque illum devitare oportet, et quanto majore phantasmate operari dicuntur, tanto magis observare eos, quasi majorem nequitiæ spiritum perceperint. Quam prophetiam si observaverit quis, eorum diurnam conversationis operationem inveniet unam et eamdem esse eis cum dæmoniis conversationem.

IV. *Miracula Jesu et Moysis divina virtute patrata.*

Origen., *contra Celsum*, lib. II, tom. I. — Verba Jesu depravat Celsus; neque enim ille dixit unquam, quod ab illo dictum esse affirmat Celsus, venturos qui eadem facerent miracula, licet improbi et præstigiatores. Nam quemadmodum Ægyptiorum incantatorum par non erat potestas mirificæ illi, quæ in Moyse erat, gratiæ; et eorum opera meras esse præstigias; quæ vero Moyses fecit, a divina virtute proficisci comprobavit exitus, ita quæ mira faciunt Antichristi, iique qui se patrandis miraculis pares Jesu discipulis esse venditant, vocantur *signa et prodigia mendacia*, quæ *in omni seductione iniquitatis* vim habent *in eos qui pereunt*: miraculorum autem Christi et ejus discipulorum fructus est, non deceptio, sed animarum salus. Quis enim dixerit deceptione effici, ut emendetur vita, et malitia quotidie magis ac magis minuatur?

Nonnihil in Scriptura videbat Celsus, cum dixit Jesum præmonuisse fore *ut Satanas quidam prodigia faceret*. Sed hinc nimis propere colligit *hoc esse fateri, prodigia hæc nihil habere divinitatis, sed esse sceleratorum hominum opera*. Sic eodem genere concludit, quæ sunt generis longe diversi. Sicut enim lupus et canis, palumbes et columba non ejusdem sunt generis, tametsi corpus et vox nonnihil simile præferre videantur; ita quæ divina potestas effecit, ea sunt hujusmodi, ut cum illis prestigiatorum artificia comparari nequeant. Præterea hæc etiam adversus vafras Celsi argutias dicemus: an mali dæmones præstigiis res miras insolitasque faciunt, et divina beataque natura nullum poterit efficere miraculum? Vita hominum infestatur malis, et bona non accepit? Atque id de omnibus videtur dici debere, ubi quid malum est boni fucatum similitudine, ibi necessario bonum esse malo contrarium. Sic cum per præstigias aliqua fiant, divina virtute aliqua fieri in vita necesse est. Alterum ex altero sequitur: proinde aut utrumque tollendum est negandumque bona et mala esse; aut admisso altero maximeque malo, bonum quoque admissum oportet. Si quis autem ponat quædam per præstigia effici, id autem de divina potestate negaverit, is mihi videtur similis esse illi qui concedens esse sophismata rationesque probabiles, quæ, tametsi veritate vacuæ, veritatis tamen speciem præ se ferant, nullam apud homines veritatem esse contenderet, nullamque dialecticam quæ sophismatis abhorreat.

Quod si quia magorum et præstigiatorum artes aliquid efficiunt ope malorum dæmonum qui, curiosis incantationibus deliniti,

Digitized by Google

hominibus illas artes profitentibus morem gerunt, idcirco divinam virtutem inter homines aliquid operari confitendum est : cur non eorum, qui miracula pollicentur, vitam, mores aliaque ex miraculis consequentia, accurate pensitabimus, afferantne perniciem hominibus, an ad corrigendos mores conferant; quis dæmonibus operam navans, per incantationes arcanaque magica patret miracula, quis contra sanctiori in loco ac puro consistens, animaque et spiritu, et, opinor, corpore divinum accipiens Spiritum, ejusmodi edat prodigia, et utilitatis hominum causa, et ut ad credendum vero Deo animos inflammet? Jam si posita omni de miraculis præjudicata opinione, quæri oportet bonone an malo consilio quis illa fecerit, ut ne aut omnia vituperemus, aut omnia tanquam divina admiremur et admittamus : an non perspicuum est ex Moysis Jesuque miraculis, quibus integræ gentes constitutæ sunt, eos divina potestate fecisse, quæ ab illis facta fuisse Scripturæ narrant? Neque enim malis artibus magicisque præstigiis constituta fuisset gens tota quæ, despectis non solum simulacris falsisque nominibus quæ reliqui homines colebant, sed etiam rebus omnibus creatis, ad Deum rerum omnium principium, principio carentem ipsum assurgit.

S. Cypr. *De unitate Ecclesiæ, — Multi venient in nomine meo dicentes, ego sum Christus, et multos fallent.* (*Marc.* xiii, 21.) Sicut ille Christus non est, quamvis fallat in nomine, ita nec Christianus videre potest qui non permanet in Evangelii ejus et fidei veritate. Nam et prophetare, et dæmonia excludere, et virtutes magnas in terris facere sublimis utique et admirabilis res est, non tamen regnum cœleste consequitur quisquis in his omnibus invenitur, nisi recti et justi itineris observatione gradiatur. Denuntiat Dominus et dicit : *Multi mihi dicent in illa die : Domine, Domine, nonne in tuo nomine prophetavimus, et in tuo nomine dæmonia exclusimus, et in nomine tuo virtutes magnas fecimus? Et* tunc dicam illis : *Nunquam vos cognovi, recedite a me*, qui operamini iniquitatem. (*Matth.* vii, 23.) Justitia opus est ut promereri quis possit Deum judicem. Præceptis ejus et monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem.

V. *Miracula a Christianis edi solita.*

D. Cyprian., epist. 1, *ad Donatum.* — Si tu innocentiæ, si justitiæ viam teneas, si illapsa firmitate vestigii tui incedas, si in Deum viribus totis, ac toto corde suspensus, hoc sis tantum quod esse cœpisti, tantum tibi ad licentiam quantum gratiæ spiritalis augetur. Non enim, qui beneficiorum terrestrium mos est, in capessendo munere cœlesti mensura ulla vel modus est. Profluens largiter Spiritus nullis finibus premitur, nec coercentibus claustris intra certa metarum spatia frenatur. Manat jugiter, exuberat affluenter. Nostrum tantum sitiat pectus et pateat. Quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus. Inde jam facultas datur castitate sobria, mente integra, voce pura, virtute sincera, in medelam dolentium posse venenorum virus exstinguere : animorum desipientium labes, reddita sanitate, purgare, infestis jubere pacem, violentis quietem, ferocientibus lenitatem, immundos et erraticos spiritus qui se expugnandis hominibus immerserint, ad confessionem minis increpantibus cogere ut recedant, duris verberibus urgere, conflictantes, ejulantes, gementes incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cædere, igne torrere. Res illic geritur, nec videtur; occulta plaga, et pœna manifesta. Ita quod esse jam cœpimus acceptus spiritus licentia sua potitur; quod necdum corpus ac membra mutavimus, adhuc carnalis aspectus sæculi nube cæcatur. Quantus hic animi potentatus, quanta vis est, non tantum ipsum esse subtractum perniciosis contactibus mundi, ut quis expiatus et purus nulla incursantis inimici labe capiatur, sed adhuc majorem et fortiorem viribus fieri, ut in omnem adversarii grassantis exercitum imperioso jure dominetur.

VI. *Miracula per Spiritum sanctum.*

S. Basil., *De Spiritu sancto*, tom. III. — Dispensationes circa hominem quæ factæ sunt a magno Deo, et Salvatore nostro Jesu Christo juxta bonitatem Dei, quis negabit per Spiritus gratiam esse adimpletas? Sive velis prisca spectare, patriarcharum benedictiones, auxilium per legem datum, figuras, prophetias, fortiter in bellis gesta, miracula per sanctos edita; sive quæ circa Domini in carne adventum dispensata sunt; per Spiritum gesta sunt.

S. Gregor., Naz., orat. 43. — At Basilius nec precibus quidem *panem e cœlo* fundere, nec fugitivum populum in deserto alere poterat (*Exod.* xvi, 15), nec indeficientem alimoniam *e vasculis*, fontis instar, scaturire (*Psal.* lxxvii, 24), quæ res mira! Ipsomet vacuo replebantur, ut nutricem suam in hospitalitatis præmium aleret (*III Reg.* xvii, 14), nec demum *quinque panibus* multa hominum millia pascere (*Matth.* xiv, 19), quorum reliquiæ quoque ipsæ tales erant, ut pluribus aliis mensis sufficerent. Hæc enim Moysis erant, et Eliæ, et Dei mei a quo ad eos quoque hujusmodi potestas manaverat. Fortasse etiam temporibus illis, atque huic rerum statui conveniebant; quandoquidem *signa infidelibus, non fidelibus* dantur. (*I Cor.* xiv, 22.) Verum quæ his consentanea sunt, et eodem tendunt, ea cum pari fide cogitavit atque perfecit. Aperiens enim verbo et cohortationibus suis locupletum horrea, facit quod est in Scriptura : cibum esurientibus frangit, panibusque pauperes saturat, alitque eos in fame, atque esurientes animas implet bonis. (*Isa.* lviii, 7; *Psal.* xxxii, 9; *Luc.* v, 33.)

VII. *Miracula ante Evangelium vel rara, vel nulla.*

S. Ambros., *Exposit. evang. Lucæ*, lib. v, tom. I. — Dominus sciens neminem sine Evangelio plene credere posse, quia sicut

Digitized by Google

fides a veteri incipit testamento, ita impletur in novo, interrogatus de eo, non verbo aliquo, sed factis se esse signavit. *Ite*, inquit, *nuntiate Joanni quæ audistis, et vidistis : Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* (*Luc.* VII, 22.) Plenum sane testimonium quo Dominum Propheta cognosceret; de ipso enim, non de alio fuerat prophetatum : Quia *Dominus dat escam esurientibus, Dominus erigit elisos, Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos, Dominus diligit justos, Dominus custodit advenas, orphanum et viduam suscipiet, et viam peccatorum exterminabit.* (*Psal.* CXLV, 8, 9.) Qui ista, inquit, faciet, *regnabit Dominus in æternum.* (*Ibid.*, 10.) Ergo non humanæ ista, sed divinæ virtutis insignia sunt, cæcis perpetuæ noctis tenebras aperire, defossorumque oculorum vulnera infusa luce sanare, auditum in aures insinuare surdorum, laxatis soluta membra reformare compagibus, in lucem quoque refuso vigore vivendi revocare defunctos. Hæc ante Evangelium vel rara, vel nulla. Receperit Tobias oculos (*Tob.* XI, 12), unus est in exemplo; et tamen angeli fuit illa medicina, non hominis. Elias mortuum suscitaverit (*III Reg.* XVII, 20): ille tamen rogavit et flevit; hic jussit. Elisæus leprosum mundari fecerit (*IV Reg.* V, 14); non tamen illic valuit præcepti auctoritas, sed figura mysterii. Non defecerit ad escam viduæ esurientis, propheticis se multiplicans farina præceptis (*III Reg.* XVII, 16); unam tamen viduam farina illa, vel potius eadem quoque sacramenti species præfigurata servavit. Sed tamen parva adhuc ista Dominicæ testificationis exempla sunt : plenitudo fidei, crux Domini, obitus, sepultura est. Et ideo cum illa superiora dixisset, addidit : *Beatus*, inquit, *qui in me non fuerit scandalizatus.* (*ibid.*, 23.) Crux enim etiam electis scandalum posset afferre; sed nullum hoc majus divinæ personæ est testimonium : nihil est quod magis esse ultra humana videatur, quam to'o unum se abstulisse pro mundo; hoc vel solo plene Dominus declaratur.

VIII. *Miraculum in elementis, documentum in mysteriis.*

S. Ambros. *Expos. Evang. Luc.*, l. v, t. I.— Sanctus Matthæus recte non prætermittendum putavit æternæ indicium potestatis, ubi imperat ventis. Non est enim humana doctrina, sicut audistis Judæos dicere, verbo imperat spiritibus (*Luc.* IV, 37); sed cœlestis majestatis insigne. Quod turbatum sedatur mare, et divinæ vocis imperio obsequuntur elementa, atque insensibilia sensum accipiunt obsequendi; divinæ mysterium gratiæ revelatur. Quod fluctus mitescunt sæculi, verbo immundus spiritus conquiescit; non alterum altero refellitur, sed utrumque celebratur. Habes miraculum in elementis, habes documentum in mysteriis.

Idem, *De fide*, lib. II, tom II. — Licet homines suscitaverint mortuos; non in sua tamen virtute fecerunt, sed in Christi nomine. Aliud est rogare, aliud imperare, aliud mereri, aliud donare. Elias ergo suscitavit, sed gravit, non imperavit (*III Reg.* XVII, 21, 22.) Eliseus suscitavit configuratus mortuo : suscitavit etiam ipsius mortui corporis tactus (*IV Reg.* XIII, XIV); ut esset typus venturum eum qui missus in similitudinem carnis peccati, etiam sepultus mortuos suscitaret. Petrus quoque cum Æneam curaret, ait : *In nomine Jesu Nazareni, surge et ambula* (*Act.* III, 6); non in suo ait, sed in Christi nomine. *Surge* autem verbum est imperantis; sed fiducia de merito est, non præsumptio de potestate; et de nominis operatione, non de sua virtute præceptionis auctoritas. Quid igitur Ariani dicunt? in nomine Christi et Petrus imperat, et illi nolunt imperasse Dei Filium, sed rogasse. Sed lectum est quia rogavit. Disce distantiam : rogat quasi Filius hominis, imperat quasi Dei Filius. Annon defertis hoc Dei Filio, quod etiam diabolus detulit, et vos majore sacrilegio derogatis? Ille dicit : *Si Filius Dei es, dic lapidi huic ut fiat panis.* (*Luc.* IV, 3.) Ille dicit : *Impera;* vos dicitis: *Obsecra.* Ille credit quod, jubente Dei Filio, elementorum rerumque natura in adversum vertatur : vos creditis quod nisi roget Dei Filius, nec voluntas ipsius impleatur. Et diabolus de potestate æstimandum putat Dei Filium, vos infirmitate. Tolerabiliora sunt tentamenta diaboli, quam argumenta Arii.

Et ego, fratres, cum veni ad vos, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Dei. (*I Cor.* II, 1.) Nihil est Pauli anima ad decertandum acrius; imo potius non illius anima : non enim ipse hoc invenit, sed nihil par gratiæ in illo operanti, quæ omnia vincit. Adduxit prophetiam dicentem : *Perdam sapientiam sapientium* (*I Cor.* I, 9) : ostendit Dei sapientiam, quia per eam quæ stultitia videbatur esse, externam philosophiam prostravit; ostendit quod stultum est Dei, sapientius esse hominibus; ostendit quod non solum per ignaros docuerit, sed etiam ignaros et idiotas vocaverit. Nunc ostendit ipsum quod prædicabatur, et modum prædicationis, satis fuisse ad perturbandum, et non perturbavisse. Non tantum enim discipuli idiotæ sunt, inquit; sed etiam ego qui prædico. *Et ego*, inquit, — *fratres, veni non in sublimitate sermonis, annuntians vobis testimonium Dei.* Quid enim, dic, quæso, si voluisses in sublimitate venire, poterasne? Ego quidem si voluissem, non potuissem; Christus autem si voluisset, potuisset; sed noluit, ut splendidius redderet tropæum. Ideoque superius ostendens hoc illius opus fuisse, ipsiusque voluntatem esse ut sic indocte ejus verbum prædicetur, dicebat : *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare, non in sapientia sermonis.* (*I Cor.* I, 17.) Est autem multo majus, imo infinite majus, quod hoc voluerit Christus, quam quod voluerit Paulus. Non ergo facundiam ostentans, inquit, neque externis

Digitized by Google

armatus sermonibus, annuntio testimonium Dei; nec dixit prædicationem, sed testimonium Dei, quod ipsum satis erat ad avertendum. Mortem enim annuntians circuibat; ideoque subjunxit : *Non enim judicavi me scire aliquid in vobis, nisi Jesum Christum, hunc que crucifixum.* (*I Cor.* II, 2.) Hoc autem dicebat, quia externæ sapientiæ omnino expers erat, ut etiam superius dicebat : *Veni non in sublimitate sermonis.*

Nam quod ipse hoc posset habere palam est. Cujus enim vestimenta mortuos suscitarunt, et umbræ morbos expulerunt, multo magis linguæ facundiam poterat anima suscipere. Nam hoc quidem est discipulorum, illud autem artem omnem superat. Qui ergo artis majora novit, multo magis minora potuerit; sed non permisit Christus, neque enim consentaneum erat. Merito igitur ait : *Non enim judicavi me aliquid scire;* nam et ego hoc volo quod et Christus vult. Mihi autem videtur humilius loqui cum illis, quam cum aliis, ut fastum illorum comprimeret. Illud ergo *judicavi me nihil scire,* ad differentiam externæ sapientiæ dicitur. Non enim veni syllogismos nectens, neque sophismata, neque aliud dicens vobis, quam quod Christus crucifixus sit. Illi namque innumera dicunt, et de innumeris longa verborum studia explicant, ratiocinia et syllogismos apparentes, millia adornantes sophismata. Ego autem veni ad vos nihil aliud dicens, quam quod Christus crucifixus sit, et illos omnes propulsavi, quod virtutis ejus qui prædicatur signum est ineffabile.

Et ego in infirmitate et in timore, et in tremore multo fui apud vos. (*Ibid.*, 3.) Hoc est rursus aliud caput. Non solum enim qui credebant indocti, neque solum is qui loquitur idiota; neque tantum modus doctrinæ est ignorantia plenus; neque tantum ipsa prædicatio satis est ad conturbandum; crux enim et mors erat quod annuntiabatur; sed cum his alia quoque impedimenta erant; pericula, insidiæ, quotidianus timor et quod pellerentur. Infirmitatem namque etiam sæpe vocat persecutionem, ut et alibi : Infirmitatem quæ est in carne mea non aspernati estis; et rursus : *Si gloriari oportet, in infirmitate mea gloriabor.* (*II Cor.* XI, 30.) Quanam? *Præpositus gentis Aretæ regis, Damascenorum urbem custodiebat, volens me comprehendere* (*ibid.*, 32.); et rursum : *Ideo mihi placeo in infirmitatibus.* (*II Cor.* XII, 10.) Deinde dicens quibusnam, subjunxit : *in contumeliis, in necessitatibus* et *in angustiis* (*Ibid.*), et nunc hoc ipsum profert. Cum dixisset enim, *et ego in infirmitate;* non hic substitit; sed infirmitatem illam explicans, *pericula* vocat : rursus adjicit : *in timore et tremore multo fui apud vos.*

Quid dicis? Paulus quoque timebat pericula? Timebat, et valde timebat. Etiamsi enim Paulus esset; at homo erat. Hoc autem non erat Pauli crimen, sed infirmitas naturæ, et propositi encomium, quod mortem et plagas timens, nihil indignum ex timore fecerit. Ita ut qui dicunt illum non timuisse plagas, non modo illum non honorent, sed et multum ex laudibus demant. Nam si non timebat, quæ perseverantia, quæ philosophia in ferendis periculis? Ego vero ideo illum admiror, quod timens, nec modo timens, sed tremens in periculis, semper cucurrit coronatus, et nulli cessit periculo, expurgans orbem, et ubique terrarum et marium prædicationem seminans. *Et sermo meus et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis.* (*I Cor.* II, 4.) Id est, non habens externam sapientiam. Si igitur et prædicatio nihil habuit sophisticæ artis, et qui vocabantur idiotæ; si is qui prædicabat talis erat, aderatque persecutio, et timor et tremor, quomodo superarunt dic mihi? Per divinam virtutem. Ideo cum dixisset, *Verbum et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis;* adjecit, *sed in ostensione Spiritus et virtutis.*

Viden quomodo quod stultum est Dei, sapientius sit hominibus; et quod infirmum fortius. Idiotæ hæc prædicantes, vincti et pulsi, pellentes se vincebant. Undenam? Annon ex eo quod per Spiritum fidem præberent? Nam in confesso est hoc demonstrationem esse. Quis enim, quæso, videns mortuos resurgentes et dæmones pulsos, non admiserit? Sed quia sunt etiam fallaces virtutes, quales præstigiatorum, hanc quoque sustulit suspicionem. Non enim virtutem dixit solum, sed prius *Spiritus,* et tunc *virtutis :* ostendens ea quæ fiebant spiritualia esse. Non ergo imminutio est, quod prædicatio non per sapientiam annuntiata sit; sed maximum ornamentum. Hoc ergo maxime demonstrat eam esse divinam, et radices esse supernas ex cœlis; quapropter subjungit : *Ut fides vestra non sit in sapientia hominum; sed in virtute Dei.* (*Ibid.*. 5.) Viden quomodo clare per omnia ostendat, magnum esse lucrum ignorantiæ, et magnum sapientiæ damnum. Nam hæc quidem ipsius crucem, illa vero Dei virtutem prædicabat; hæc efficiebat ut nihil invenirent eorum quæ oportuisset, et in seipsis gloriarentur. Rursus sapientia multis persuasisset ut humanum esse dogma suspicarentur; hæc vero clare ostendebat divinam illam esse, et ex cœlo descendisse. Cum ergo in sapientia verborum fit demonstratio, sæpe modestiores superantur a pejoribus, quia majori dicendi vi prædíti pejores sunt, et mendacium pellit veritatem. Hic autem non sic. Neque enim in immundam animam ingreditur Spiritus, et ingressus nunquam potest superari, etiamsi invadat omnis dicendi vis. Nam demonstratio per opera et per signa longe clarior est illa quæ fit per verba.

IX. *Miracula cur non fiant ultra istis temporibus?*

S. Chrysost., hom. 6, in *Epist. ad Corinth.* — At illorum fortasse quispiam dixerit : Si prædicationem vincere oporteat, et eloquentia opus non habeat ut ne crux exinaniatur, quare signa nunc cessarunt? Quare? incredulus ne hoc dicis, nec admittis illa

Digitized by Google

facta fuisse apostolorum tempore; an hoc ediscere quærens? Si incredulus dicas, in eo primum immorabor. Si enim tunc non facta sunt signa, quomodo pulsi, vexati, trementes, vincti, et communes orbis hostes facti, omnibusque ad male patiendum expositi, nihil ex se habentes quod alliceret, non eloquentiam, non splendorem, non divitias, non urbem, non gentem, non genus, non exercitium, non gloriam, non aliud quidpiam simile; sed omnia contraria: ignorantiam, vilitatem, paupertatem, odium, inimicitiam, et contra populos integros stantes, taliaque annuntiantes persuadebant? Nam præcepta multum laborem habebant, et dogmata periculis plena erant: ac qui audiebant et persuadendi erant, in deliciis, ebrietate et multis vitiis erant educati. Unde, quæso, persuaserunt? Undè fide digni erant? Nam, ut jam dixi, si absque signis persuaserunt, multo majus videtur miraculum. Ne itaque ex eo quod nunc signa non fiant argumentum ducas tunc etiam non fuisse. Etenim tunc utiliter fiebant, et nunc utiliter non fiunt.

Non necessario sequitur autem ex eo quod nunc verbo tantum suadetur, nunc in sapientia prædicationem esse. Nam qui ab initio Verbum seminabant idiotæ et indocti, nihil ex se dicebant, sed quæ acceperant a Deo, hæc orbi terrarum dederunt. Nos quoque ipsi nunc, non quæ a nobis sunt tradimus; sed quæ ab ipsis accepimus, hæc omnibus dicimus. Neque nunc syllogismis persuademus, sed ex divinis Scripturis, et ex iis quæ tunc facta sunt signis, fidem facimus iis quæ dicimus. Et illi quoque tunc non signis tantum persuadebant, sed etiam disserendo. Verba autem efficaciora a signis reddebantur, non autem a gravitate et eloquentia dictorum. Cur ergo, inquies, tunc utilia signa erant, nunc non item? Supponamus; cum Græco enim disputo, et ideo per hypothesin dico, id quod omnino futurum est; supponamus igitur, et patiatur incredulus saltem ad disputationis tempus assentiri dictis, verbi gratia, quod Christus venturus sit. Cum ergo Christus venerit, et omnes angeli cum eo, et Deus esse ostensus fuerit, omniaque ipsi subjecta esse, annon ipse Græcus credet? Credet utique et adorabit, ac Deum esse dicet, etiamsi admodum pertinax fuerit.

Quis enim videns cœlos apertos, ipsum in nubibus venientem, totumque cœtum supernarum potestatum circumfusum, fluvios igneos manantes, omnes astantes ac trementes, non adorabit, et Deum existimabit? Num ergo, dic quæso, adoratio et cognitio illa Græco in fidem reputabitur? Minime. Quare? quia hoc fides non est. Necessitas quippe, et eorum quæ apparent evidentia id effecit, non voluntatis propositum; sed a magnitudine rerum quæ videntur, pertracta mens fuit. Itaque quanto magis clara, et ad credendi necessitatem adducentia sunt illa, tanto magis fides minuitur. Ideo nunc signa non fiunt. Et quod res ita se habeat, audi quid dicat ad Thomam *Beati qui non viderunt, et crediderunt.* (*Joan.* xx, 29.) Igitur quanto clarius ostensum signum fuerit, tanto magis fidei merces minuitur. Itaque si etiam nunc signa fierent, hoc ipsum eveniret. Quod autem tunc non ultra per fidem illum cognituri simus, significavit Paulus dicens: *Nunc enim per fidem ambulamus, non per speciem.* (*II Cor.* v, 7.) Ut tunc tibi credenti, res illa non imputabitur, quod clara et manifesta sit; ita et nunc si talia signa fierent, qualia antehac. Quando enim illa admiserimus, quæ nullo modo, nullis ratiociniis inveniri possunt, tunc fides est. Ideo gehennam comminatur quidem, sed illa non apparet; nam si appareret, idipsum rursus eveniret. Alioquin vero si signa quæris, nunc etiam signa videbis, etiamsi non ejusmodi sint, prædictiones innumeras de rebus innumerabilibus: orbis conversionem, barbarorum philosophiam, agrestium morum mutationem, pietatis extensionem.

X. *Cur non omnes homines credant?*

S. Chrysost., hom. 6, *in Epist. ad Corinth.* — Quomodo ergo non omnes nunc credunt? quia in pejus res versæ sunt, et nos in causâ sumus. Nam demum ad nos vertitur oratio. Non enim ex signis tunc solum credebant; sed etiam ex vitâ multi ad accedendum inducebantur. Nam ait ille (Christus): *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona,* etc. (*Matth.* v, 16.) *Et erat omnium cor et anima una,* etc. (*Act.* iv, 32) et vitam agebant angelicam. Si nunc ita fieret, totum orbem absque signis converteremus. Interim vero qui volunt salutem consequi, attendant Scripturis. Illic enim hæc præclare gesta invenient, atque his longe plura. Nam ipsi magistri longe illa superabant, in fame, et siti, et nuditate degentes. Nos autem volumus multis frui deliciis, otioque ac licentia. At non illi; imo clamabant: *Ad hanc usque horam esurimus et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus.* (*I Cor.* iv, 11.) — Nos delicias quærimus, ædesque splendidas, et aliam omnem rerum copiam. Quis enim nostrum esurivit unquam propter Verbum Dei? — Quis ex doctoribus ex labore manuum vivens, aliis opem tulit? Quis mortem sustinuit quotidianam? Hinc qui nobiscum sunt, ignaviores fiunt. — Quando igitur alii virtutem non curant, alii qui curam ejus habent, ab acie procul recedunt, quomodo expugnabimus inimicos? Nam etiamsi nunc signa essent, quisnam persuaderetur? aut quis ex externis nobis animum adhiberet, nequitia sic supergrediente. Nam vita recte acta multis videtur esse magis fide digna. Signa enim apud impudentes et malos homines, in pravam aliquam suspicionem venient, vita autem pura ipsum os diaboli abunde obstruere poterit.

XI. *Christi doctrina ex miraculis et ex prædictionum eventu asseritur.*

Idem, *in Epist. ad Cor.* — Vis promissorum et prædictionum vim ediscere, et veritatem eorum quæ præcesserunt, et quæ

Digitized by Google

post futura sunt? Vide mihi catenam auream varie ab initio connexam. Dixit illis (Jesus) quædam de se ipso, et de Ecclesiis, deque futuris rebus; et hæc dicendo miracula edebat. Ex eventu ergo eorum quæ prædicta sunt, perspicua sunt et miracula, et futura, et promissa. Ut autem clarius sit id quod dictum est, ex ipsis rebus illud comprobabo. Suscitavit Lazarum solo verbo, et vivum ostendit. Dixit : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Ecclesiam*) (*Matth.* XVI, 18); et *Qui reliquit patrem et matrem, centuplum accipiet in hoc sæculo et vitam æternam possidebit.* (*Matth.* XIX, 19.) Ergo miraculum quidem est unum, nempe Lazari; prædictiones vero duæ, quarum altera hic ostensa est, altera in futuro erit. Considera ut omnia inter se comparata probantur. Si quis enim non crederet suscitatum fuisse Lazarum, ex prædictione quæ de Ecclesia dicta est, credat miraculo. Nam quod tot ante annos prædictum fuerat, tunc evenit, et finem accepit. Portæ enim inferi adversus Ecclesiam non prævaluerunt. Qui ergo in prædictione veritatem dixit, perspicuum est quod etiam miraculum fecerit. Qui vero miraculum edidit, et qui ea quæ dixerat ad finem deduxit, palam est quod etiam in prædictione futurorum vera dicat; nempe, centuplum recipiet, et vitam æternam possidebit is qui præsentia despicit. Quæ enim jam facta et dicta sunt, in pignora maxima dedit eorum quæ eventura sunt. Hæc itaque omnia et his similia ex Evangeliis colligentes ipsis dicamus, illisque ora obstruamus. Si quis vero dixerit : quomodo ergo tandem non exstinctus fuit error? Hoc dixerimus : vos in causa estis qui adversus salutem vestram seditiones agitatis. Nam Deus res ita dispensavit, ut ne reliquiæ quidem impietatis maneant.

XII. *Miraculum magnum est ipsa tot gentium conversio.*

S. Chrys., *Demonstratio resurrectionis per miracula*, tom. III. — Christus se ipsum quidem ab oculis eorum (Judæorum) subtraxit, (post resurrectionem) sed editis tamen miraculis seipsum ostendit. Non enim minus erat, quam si excitatum a mortuis eum cernerent, quod Petrum dicentem audirent; *In nomine Jesu Christi, surge et ambula.* (*Act.* III, 6.) Atque hoc quidem plurimum valuisse ad resurrectionem astruendam, atque ad fidem faciendam proclivius quam illud prius faciliusque mentibus hominum persuadere potuisse miracula, quæ in ejus nomine facta cernebantur, quam si a mortuis excitatum illum vidissent, inde constabit. Resurrexit et seipsum discipulis Christus ostendit; sed inventus est tamen aliquis et inter illos incredulus Thomas, qui dicitur Didymus, et opus illi fuit, ut in figuram clavorum manus inferret; opus fuit, ut et latus ejus palparet. Quod si discipulus ille, qui tres cum illo annos exegerat, qui Dominicæ particeps mensæ fuerat, qui signa conspexerat et prodigia maxima, qui loquentem illum audiverat, etiam cum illum a mortuis excitatum videret, non prius credidit, quam figuram clavorum et lanceæ vulnera conspexit; quomodo, quæso, totus orbis terrarum creditrus erat, si excitatum illum a mortuis conspexisset? Quis hoc unquam dicere audeat? Neque vero inde tantum, sed etiam alinnde constabit plus ad persuadendum signa valuisse, quam si resurgentem oculis se spectandum præbuisset.

Cum enim Petrum audiissent turbæ claudo dicere : *in nomine Jesu Christi, surge et ambula*, tria millia et quinque millia virorum Christo crediderunt : at discipulus cum suscitatum vidisset, incredulus fuit. Vides aptius ad fidem faciendam resurrectionis hoc fuisse? Nam illud quidem cum proprius discipulus ejus vidisset, incredulus fuit : at hæc cum etiam inimici spectassent, crediderunt. Ita majus hoc illo fuit et evidentius, plusque ad illos alliciendos valuit atque flectendos, ut resurrectioni fidem haberent. Quid dico Thomam? Siquidem ut scias ne cæteros quidem discipulos primo intuitu credidisse, prudenter attende. Noli tamen illos condemnare, dilectissime. Si enim illos Christus non damnavit, neque tu illos damnes : videbant enim rem miram et inusitatam discipuli, primogenitum ipsum a mortuis excitatum : cæterum maxima ejusmodi miracula primo conspectu terrere consueverunt, quousque in fidelium mentibus progressu temporis stabilitatem aliquam acquisiverint, quod etiam tunc discipulis evenit. Postquam enim Christus, qui a mortuis resurrexerat, dixit illis : *Pax vobis. Conturbati*, inquit, *et conterriti existimabant se spiritum videre, et dixit illis Jesus : Quid turbati estis?* (*Luc.* XXIV, 38.) Post hæc cum ostendisset eis manus et pedes, non credentibus illis præ gaudio et mirantibus dixit : *Habetis hic aliquid quod manducetur?* Quod hac ratione vellet illis fidem facere resurrectionis. Non persuadet tibi latus, inquit, neque vulnera? saltem mensa persuadeat.

Ut autem accurate cognoscas idcirco illum dixisse, *Habetis hic aliquid quod manducetur?* ne forte simulacrum esse, vel spiritum, aut phantasma putarent, sed veram ac subsistentem resurrectionem, audi quo pacto Petrus his comprobet resurrectionem. Cum enim dixisset : *Deus illum suscitavit, ac dedit manifestum eum fieri nobis testibus præordinatis*, deinde resurrectionis demonstrationem afferens adjecit : *Qui manducavimus et bibimus cum eo.* Propterea quoque alibi Christus cum mortuam suscitasset, ut fidem faceret resurrectionis, ait : *Date illi quod manducet.* (*Marc.* V, 43.) Cum igitur audis eum præbuisse seipsum vivum per dies quadraginta illis apparentem, et cum illis vescentem, causam manducationis cognosce, non quod cibo nimirum indigeret, illum manducasse, sed quod discipulorum mederi vellet imbecillitati, unde prodigia et signa apostolorum liquet maximam resurrectionis demonstrationem exstitisse. Quapropter ait ipse quoque : *Amen, amen dico vobis, Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse*

Digitized by Google

faciet, et majora horum faciet. (*Joan.* XIV, 12.) Nam quoniam crux cum intervenisset, plurimos scandalizaverat, idcirco pluribus illi miraculis opus fuit. Alioqui enim si cum obiisset Christus, morte præpeditus mansisset, et sepultus, neque resurrexisset, ut aiunt Judæi, neque in cœlum ascendisset, non solum majora postea fieri miracula post crucem non oportuisset, verum etiam ea, quæ prius facta fuerant, opus fuisset exstingui.

Hic mihi diligenter attendite : indubitatæ quippe resurrectionis demonstrationem continent hæc quæ dicimus : quamobrem eadem rursus eloquar. Signa fecit antea Christus, mortuos suscitavit, leprosos mundavit, dæmones ejecit, crucifixus est deinde, atque ut dicunt scelesti Judæi, non resurrexit a mortuis. Quid igitur illis dicemus ? Hoc nimirum : si non resurrexit, quomodo postea in nomine ipsius majora facta sunt signa? Nullus enim ex vivis cum obiisset, majora post obitum fecit. At hic majora et modo et natura fuerunt, quæ consecuta sunt miracula. Siquidem natura fuere majora, cum Christi umbra nunquam mortuos suscitarit, at apostolorum umbra talia multa perfecit. Modo majora fuere signa, quod tum quidem ipse imperans miracula ederet ; post passionem autem servi ejus, augusto et sancto ejus nomine adhibito, majora et sublimiora peragerent, ut amplius et gloriosius virtus ejus effulgeret. Multo quippe majus fuit alterum nomen ipsius usurpantem talia miracula patrare, quam ipsum imperantem. Vides et natura et modo majora fuisse apostolorum signa, dilectissime, quæ Christi resurrectionem secuta sunt? Itaque resurrectionis indubitata est demonstratio. Nam, ut ante dixi, et iterum dicam, si mortem obiisset Christus, et non resurrexisset, signa etiam interire oportuisset ac deleri ; jam vero non modo deleta non sunt, sed et illustriora deinde atque celebriora sunt facta. Si enim Christus non resurrexisset, nunquam alii ejus in nomine talia signa fecissent.

XIII. *Cur post passionem miracula majora?*

S. Chrys., *Demonst. resurr. permir.*, t. III. — Eadem quippe virtus et ante passionem et post passionem edebat miracula ; ac primum quidem per se, deinde vero per discipulos : ut autem evidentior et gloriosior fieret resurrectionis probatio, majora post crucem fiebant et sublimiora prodigia. Unde vero constat, dicet infidelis, edita tum fuisse signa? Unde, quæso, crucifixum Christum fuisse constat? Ex sacris litteris, inquam. Nam et signa tum fuisse facta, et crucifixum fuisse Christum ex sacris litteris constat. Illæ enim et hæc et illa narrant. Quod si tu noster adversarius dicas apostolos signa non fecisse, majorem ipsos sum ostendis virtutem, et gratiam divinam, quam absque signis tantum orbem terrarum potuerint ad pietatem traducere. Hoc enim maximum est et insitatum miraculum, cum pauperes atque mendici, abjecti, illitterati, imperiti, viles, et numero duodecim, tot urbes, gentes, populos, reges, tyrannos, philosophos, oratores, et totam propemodum terram absque signis potuerint ad se pertrahere. An vero cupis etiam nunc fieri signa cernere ? Tibi ego illa et majora prioribus ostendam, non unum mortuum suscitatum, non visum uni cæco restitutum ; sed discussas erroris tenebras quæ totam terram occupaverant ; non leprosum unum mundatum ; sed tot gentes, quæ peccati lepram absterserunt, ac per lavacrum regenerationis mundatæ sunt. Quod signum majus his quæris, mi homo, cum tantam et tam repente factam mutationem conspicias?

Idem, *in Matth.* — Quatuor mirabiles imitatores fecit Deus : De piscatore, primum Ecclesiæ pastorem ; de persecutore, magistrum gentium et doctorem ; de publicano primum Evangelistam ; de latrone, primum cœlicolam.

S. Hieronym., super *Matth.* VII. — Prophetizare, et virtutes facere, et dæmonia ejicere, interdum non est meriti hominis qui operatur ; sed vel invocatio Christi hoc agit, vel ob condemnationem eorum qui invocant, vel utilitatem eorum qui vident et audiunt.

XIV. *Vigilantii argumentatio contra miracula, illorum vis ac potentia.*

Idem., *adv. Vigilantium*, tom. IV. — Argumentatur (Iste) contra signa atque virtutes quæ in basilicis martyrum fiunt, et dicit eas incredulis prodesse, non credentibus ; quasi nunc hoc quæratur quibus fiant, et non qua virtute fiant. Esto signa sint infidelium, qui quoniam sermoni et doctrinæ credere noluerunt, signis adducantur ad fidem ; et Dominus incredulis signa faciebat, et tamen non idcirco Domini suggillanda sunt signa, qua illi infideles erant : sed majori admirationi erant, quia tantæ fuere potentiæ ut etiam mentes durissima edomarent, et ad fidem cogerent. Itaque nolo mihi dicas, signa infidelium sunt : sed responde quomodo in vilissimo pulvere, et favilla, nescio qua, tanta sit signorum virtutumque præsentia. Sentio, sentio infelicissime mortalium, quid doleas, quid timeas. Spiritus iste immundus qui hæc te cogit scribere, sæpe hoc vilissimo tortus est pulvere ; imo hodieque torquetur, et qui in te plagas dissimulat, in cæteris confitetur. Nisi forte in morem gentilium impiorumque Porphyrii et Eunomii, has præstigias dæmonum esse confingas, et non vere clamare dæmones ; sed sua simulare tormenta. Do consilium, ingredere basilicas martyrum (Dæmones torquebantur in eis), ut aliquando purgaberis : invenies ibi multos socios tuos, et nequaquam cereis martyrum qui tibi displicent, sed flammis invisibilibus combureris ; et tunc fateberis quod nunc negas.

XV. *Miraculum quid et quotuplex ; cur modo rara miracula?*

S. August., *Lib. de utilitate credendi*, tom. VIII. — Miraculum voco, quidquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet. In quo genere

Digitized by Google

nihil est populis aptius et omnino stultis hominibus, quam id quod sensibus admovetur. Sed rursus hæc in duo dividuntur : quædam enim sunt quæ solam faciunt admirationem ; quædam vero magnam etiam gratiam benevolentiamque conciliant. Nam si quis volantem hominem cernat, cum ea res nihil spectatori afferat commodi præter ipsum spectaculum, miratur tantummodo. Si quis autem gravi et desperato morbo affectus, mox ut jussum fuerit convalescat, admirationem sanitatis suæ, etiam sanitatis charitate superabit. Talia facta sunt illo tempore quo Deus in vero homine, quantum sat erat, hominibus apparebat. Sanati languidi, mundati leprosi, incessus claudis, cæcis visus, surdis auditus est redditus. Homines illius temporis aquam in vinum conversam, saturata quinque millia quinque panibus transita pedibus maria, mortuos resurgentes viderunt : ita quædam corpori manifestiori beneficio, quædam vero menti occultiore signo, et omnia hominibus majestatis testimonio consulebant : sic in se tunc animas errantes mortalium divina commovebat auctoritas...

Cur, inquis, ista modo non nunt? quia non moverent, nisi mira essent : et si solita essent, mira non essent. Nam diei et noctis vices, et constantissimum ordinem rerum cœlestium, annorum quadrifariam conversionem, decidentes redeuntesque frondes arboribus, infinitam vim seminum, pulchritudinem lucis ; colorum, sonorum, odorum, saporumque varietates, da qui primum videat atque sentiat, cum quo tamen loqui possimus, hebescit obruiturque miraculis : nos vero hæc omnia, non cognoscendi facilitate, quid enim causis horum obscurius? sed certo sentiendi assiduitate contemnimus. Facta sunt igitur illa opportunissime, ut his multitudine credentium congregata atque propagata, in ipsos mores utilis converteretur utilitas.

XVI. *Miraculum omnium maximum quodnam sit?*

Theodoret., *interpret. in Isaiam*, tom. II. — Illi sententiæ, *Non poterunt perdere quemquam in monte sancto meo* (*Isa.* xi, 9), similis est Evangelica vox Domini, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* (*Matth.* xvi, 18.) Montem ergo sanctum appellat sublimitatem et fortitudinem, et immobilitatem divinæ doctrinæ suæ ; et eos qui in ea manserint insuperabiles futuros pollicetur. *Quia repleta est terra cognitione Domini.* Ostendit prædicationis virtutem, repletam dicens universam terram cognitione Domini, ut si aqua multa cooperiat maria. Ac revera maximum et fidem omnem excedens est miraculum ; quasi paucæ guttæ in mare delatæ ejus amaritudinem immutent, et dulcem ejus qualitatem efficiant. Sic enim Evangelicus sermo impietatem orbis sustulit, terramque omnem et mare Dei cognitione replevit.

XVII. *Miracula Christi secundum Matthæum versibus elegiacis* (5)

Hæc quæ mortali Christus cum carne patravit,
Matthæus sacræ prodidit historiæ.
Depulit informem primum de corpore lepram :
Atque tulit famulo centurionis opem.
Inde socru Petri violenta febre levata,
Ventos et fluctus comprimit æquoreos.
Dæmonas in porcos Gerasenis mittit in arvis :
Sustulit et lectum qui resolutus erat.
Profluvium sistit mira virtute cruentum ;
Et redit ad lucem principe nata viro.
Lucem restituit cæcis, Satanaque fugato,
Mutus in assuetos edidit ore sonos.
Solvitur extemplo gravibus manus arida vinclis :
Et presso a Satana voxque sonusque redit.
Bis senos cophinos et millia quinque virorum
Explevit, quinis panibus appositis.
Hinc pedes assequitur, res nunquam audita, carinam :
Et cedit pedibus vis truculenta maris.
Solvitur hoste malo Chananæa matre creata,
Mater ut obnixas misit ab ore preces.
Panibus ex septem turbis septena redundat
Sporta, quaterque fames mille fugata viris.
Divinam formam assumit, solisque videtur
Lumine discipulis clarior ipse suis.
Inde piis precibus flexus, lacrymisque parentis,
Lunæ actum morbo liberat horribili.
His ita patratis, Jerichuntia mœnia linquit,
Et binis aperit lumina clausa viris.
Mox etiam cæcis affusa luce medetur ;
Et claudis pedibus fert miseratus opem.
Sed prius a sacra commercia depulit æde,
Quæstusque impuros, sacrilegamque manum.
Bethania Solymas pergens arescere ficum,
Imperat, hanc omni fruge carere videns.
Denique, dum Lumen moritur, caligo coorta est :
In partes velum scinditur atque duas.
Concutitur tellus, scinduntur saxa dolore ;
Et linquit tumulos excita turba suos.
Hic vero, ut primum lux tertia fulsit in orbe,
Surrexit, tumulo prosiliitque suo.
Discipulisque suis Galilææ rursus in ora,
Spectandum sese non semel exhibuit.

XVIII. — *Christi miracula ad divinæ gloriæ manifestationem.*

S. Leo Magn., serm. 45, tom. . — Cum. dilectissimi, legentes vel audientes Evangelium, quædam in Domino nostro Jesu Christo cognoscitis subjecta injuriis, quædam illustrata miraculis, ita ut in eodem nunc humana appareant, nunc divina resplendeant, nolite quidquam horum ascribere falsitati, tanquam in Christo aut sola sit humanitas, aut sola divinitas ; sed utrumque humiliter adorate ; ut in unitate Verbi et carnis non sit una divisio, nec quia manifesta fuerunt in Jesu signa divina, falsa videantur documenta corporea. Vera et copiosa sunt in ipso utriusque testimonia naturæ, ad hoc ex divini consilii altitudine concurrentia, ut Verbo inviolabili non separato a carne passibili particeps per omnia intelligatur et Deitas carnis, et caro Deitatis. Mens igitur Christiana, fugax mendacii, discipula veritatis, Evangelica utere fideli-

(5) A Gregorio Naz., descripta sunt. — Idem cecinit Christi Miracula secundum tres alios evangelistas (Edit. Morel., tom. II.)

Digitized by Google

ter historia, et quæ visibiliter sunt gesta per Dominum, tanquam ipsa cum apostolis aggregata, nunc spiritali intellectu, nunc corporeo discerne conspectu. Da homini quod de muliere puer nascitur; da Deo quod nec conceptu læditur virginitas materna, nec partu formam servi obvolutam pannis, jacentem in præsepio cognosce; sed annuntiatam ab angelis, declaratam ab elementis, adoratam a Magis formam Domini confitere. Humanum intellige, quod non declinavit nuptiale convivium; divinum approba, quod aquam vertit in vinum. Nostra tibi innotescat affectio, cum mortuo amico fletus impenditur (*Joan.* II, 1); divina potentia sentiatur, cum idem post quatriduanam jam fetidus sepulturam, solo vocis imperio vivificatus erigitur. (*Joan.* XI, 39.) Lutum de sputo et terra fieri, corporei fuit operis; sed illinc superlitos cæci oculos illuminari. (*Joan.* VI, 6.) Non dubium est illius fuisse virtutis, quæ quod principiis naturæ non dederat, ad manifestationem suæ gloriæ reservarat. Veri est hominis fatigationem corpoream somni quiete relevare; sed veri Dei est, vim sævientium procellarum præcepti increpatione compescere. (*Marc.* XIV, 52.) Cibos esurientibus apponere, humanæ benignitatis est, et socialis est animi; sed quinque panibus, et duobus piscibus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis, satiare (*Joan.* VI, 52), quis negare audeat opus esse Deitatis? quæ cooperantibus secum veræ carnis officiis, et se homini et hominem sibi inesse monstrabant.

S. Greg., Mag. *Moralium*, lib. XXVII. — Tunc sancta Ecclesia miraculorum adjutoriis indiguit cum eam tribulatio persecutionis pressit. Nam postquam superbiam infidelitatis edomuit, non jam virtutum signa, sed sola merita operum requirit, quamvis et illa permultos cum opportunitas exigit, ostendit. Ubi omnes fideles sunt, quæ causa exigit ut signa monstrentur?

S. Isidor., *De summ. bono*, lib. I.—Miracula in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus; quia signum fidelibus non est necessarium, qui jam crediderunt, sed infidelibus ut convertantur. Nam Paulus, pro non credentium infidelitate, patrem Publii de infirmitate febrium virtutibus curat; infirmantem vero Timotheum fidelem, non oratione, sed medicinaliter temperare, ut noveris miracula pro incredulis, non pro fidelibus fieri.

XIX. *Miracula piorum in hac vita qualia?*

S. Bernard. serm. 1, *in dedicatione Ecclesiæ*, tom. I. — *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* (*Psal.* LXXXIII, 2.) Mirabilis plane Deus in sanctis suis, non modo in cœlestibus, sed etiam in terrenis. Ubique sanctos habet, et in utrisque mirabilis est, illos quidem beatificans, istos sanctificans. An experimentum quæritis ejus de qua loquimur sanctitatis, et sanctorum vobis istorum miracula desideratis ostendi? Multi certe ex vobis a peccatis et vitiis, in quibus computruerunt tanquam jumenta in stercore suo, exiere viriliter; et quotidie impugnantibus eis potenter resistunt, juxta Apostolum qui de sanctis loquens utique: *Convaluerunt*, inquit, *de infirmitate, fortes facti sunt in bello.* (*Hebr.* XI, 34.) Quid mirabilius, quando is qui prius vix per biduum poterat a luxuria, crapula et commessationibus, et ebrietatibus, et cubilibus, et impudicitiis, cæterisque similibus et dissimilibus vitiis continere, nunc ab eis continet multis annis, tot utique vita sua? Quod majus miraculum, quando tot juvenes, tot adolescentes, tot nobiles, universi denique quos hic video, velut in carcere aperto tenentur sine vinculis, solo Dei timore confixi; quod in tanta perseverant afflictione pœnitentiæ, ultra virtutem humanam, supra naturam, contra consuetudinem? Ipsi, credo, videtis quanta jam possumus invenire miracula, si perscrutari singillatim liceret singulorum exitum de Ægypto, et deserti viam, id est abrenuntiationem sæculi, introitum monasterii, in monasterio conversationem. Quid vero sunt hæc, nisi manifesta inhabitantis in vobis Spiritus sancti argumentum? Nam habitare in corpore animam, probant vitales motus corporis: habitare in anima Spiritum probat vita spiritualis. Illud ex visu et auditu dignoscitur: illud ex charitate et humilitate, cæterisque virtutibus. Vestra est igitur, fratres charissimi, vestra et hodierna festivitas. Vos dedicati estis Domino, vos elegit et assumpsit in proprios.

MISERICORDIA

[Ex SS. Patribus.]

I. *Misericordia quid?*

S. Clemens Alex., *Stromat.*, lib. II, tom. .. — Quoniam affatim miseretur Deus, cum sit bonus, et præcepta dans per legem et prophetas, et jam propinquius per Filii adventum, servans et miserans eos qui misericordiam obtinuerunt; et proprie misereturmajor minoris; homo autem non est homine major, quatenus est homo; est autem Deus homine major in omnibus: si ergo qui est major, miseretur minoris, solus Deus nostri miserebitur. Homo enim justitiæ regulis paret, sua libenter communicans, et ea impertit quæ a Deo accepit, et propter naturalem benevolentiam, et propter præcepta quibus paret. Deus autem nullam habet in nos naturalem habitudinem seu relationem.—Verum enim vero cum natura Deus sit dives, misericordia nostri, propter suam bonitatem curam gerit, qui nec sumus ejus partes, nec filii natura. Et est hoc quidem certe maximum Dei in nos bonitatis indicium, quod cum sic in ipsum nos geramus, et natura simus omnino

Digitized by Google

alieni, nostri tamen curam gerat. Ac naturalis quidem est animantibus in suos fœtus affectio, et quæ ex consuetudine oritur amicitia iis qui sunt ejusdem sententiæ. Est autem in nos copiosa Dei misericordia; qui nihil ad eum attinemus, vel essentia, inquam, nostra, vel natura, vel propria nostræ essentiæ facultate, sed eo tantum quod sumus opus ejus voluntatis. Atque adeo eum, qui sua sponte cum exercitatione et doctrina cognitionem accepit veritatis, vocat ad adoptionem quæ est maximus omnium profectus.

II. *Misericordia Christiana quid differat a philosophica?*

S. Clemens Alexand., *Stromat.*, lib. IV, tom. I. — Misericordia non est, ut existimarunt quidam philosophi, dolor propter alienas calamitates, sed est potius bonum quid, ut dicunt prophetæ : *Misericordiam*, inquit, *volo, et non sacrificium.* (*Matth.* IX, 13.) Misericordes autem vocat, non solum eos qui faciunt opera misericordiæ, sed etiam qui misereri volunt, etsi non possint; quibus scilicet adest operandi propositum. Nonnunquam enim volumus, vel dando pecuniam, vel corpoream adhibendo operam, facere misericordiam, utpote egenti opem ferre, vel ægrotanti inservire, vel ei adesse qui est in aliqua calamitate, nec possumus, vel propter paupertatem, vel morbum, vel senectutem (nam ea quoque morbus est naturalis) exsequi institutum : ea scilicet quæ cupimus, et ad quæ interno animi motu ferimur, non valentes efficere. Eumdem autem honorem consequentur ii qui voluerunt, cum iis qui potuerunt, quorum est voluntas æqualis, etsi alii superent facultatibus.

III. *Misericordiæ Dei multæ.*

Origen., lib. IX *in Epist. ad Rom.*, tom. IV. — Colere Deum eos qui Christo crediderunt, non solum docet Apostolus, sed et obsecrat per misericordiam Dei; ut ostendat per hoc humano generi (quoniam proclive est ad delictum) hujuscemodi hostias Dei miseratione provisas : quibus si unquam lapsus acciderit, per rationabile obsequium et hostias eo modo quo supra diximus immolatas, reparari possit anima ac restitui ad salutem. Quod autem multæ sint misericordiæ Dei, designat Paulus in secunda ad Corinthios, dicens : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum.* (*II Cor.* I, 3.) Audis Deum, sicut Christi Pater est, et sapientiæ pater est, et justitiæ pater est (quæ omnia Christus est), ita esse et misericordiarum patrem. Ergo Christus sicut cætera omnia est, et misericordiæ ipse est, misericordiæ multæ non una : hoc est sicut thesauri sapientiæ et scientiæ in ipso sunt sed non absconditi. (*Col.* II, 3.) Ita et misericordiæ thesaurus id ipso est, sed est absconditus : ne forte si ad subitum et ante tempus proferatur, faciat me et si quis mihi in desidia similis esse voluerit, negligentem. Videbitur ergo præcipue hostia vivens, et sancta, et Deo olacens, corpus esse incontaminatum.

IV. *Misericordiæ vasa quinam sint.*

Idem, *ibid.* — *Volens Deus ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa sapientia vasa iræ apta in perditionem, ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasis misericordiæ.* (*Rom.* IX, 22, 23.) In quo hoc videtur intelligi, quia dum sustinet Deus et patienter fert incredulos et infideles, notam facit hominibus et patientiam et potentiam suam : patientiam dum diu sustinet, si forte resipiscant, et convertantur; potentiam, dum aliquando punit, et flagitia non usquequaque inulta derelinquit. Et rursum *in vasis misericordiæ*, (*ibid.*) hoc est, qui semetipsos emendaverunt ab omni sorde peccati, ex qua *mundus non est quisquam, etiamsi unius diei fuerit vita ejus* (*Job* XIV, 5.) notas facit divitias gloriæ suæ : quæ vasa non irrationabili aliqua, aut fortuita gratia, sed quoniam ipsa a supra dictis sordibus se expurgaverant, præparavit in gloriam.

V. *Misericordia in quo posita, et quam Deo grata.*

S. Basil, serm. 21, tom. III, append. — Misericordia affectio est erga eos qui præter meritum depressi sunt, ab eis qui miseratione moventur proficiscens. Misereamur eum qui ex magnis divitiis in extremam incidit paupertatem, eum qui ex optima corporis habitudine ad summam redactus est debilitatem : eum qui ob pulchritudinem ac elegantiam corporis prægestiebat, sed a fœdissimis ac turpissimis morbis corruptus est.

S. Greg., Naz., orat. 14, tom. I. — Si ex Pauli, atque ipsius etiam Christi sententia et auctoritate, charitas, ut *summa legis et prophetarum finis, præceptorum omnium primum maximumque* (*Matth.* XXII, 36 seq.) censenda est, hujus præcipuam partem in eo sitam esse comperio, ut pauperes amore ac benevolentia complectamur, atque eorum qui nobis cognatione conjuncti sunt, calamitatibus moveamur et doleamus. Neque enim ullus omnino cultus Deo perinde gratus est, ut misericordia, quandoquidem nec aliud quidquam est, quod Deo magis conveniat, utpote, *quem misericordia et veritas præcedant* (*Psal.* LXXXVIII, 15.) et cui *misericordia ante judicium offerenda sit* : (*Ose.* XII, 6.) nec ulla alii rei potius quam benignitati benignitas ab eo rependitur, qui juste remetitur, atque *in pondere et mensura misericordiam ponit.* (*Isa.* XXVIII, 17.)

VI. *Misericordia plenitudo virtutum est.*

S. Ambros., *Expos. Evang. secundum Luc.*, tom. I. — Misericordia communis est usus, ideo commune præceptum : omnibus officiis, omnibus ætatibus necessaria, et ab omnibus deferenda. Non publicanus, non miles excipitur, non agricola vel urbanus, dives et pauper, omnes in commune admonentur ut conferant non habenti. Miseri-

Digitized by Google

cordia enim plenitudo virtutum est. Et ideo omnibus est proposita perfectæ forma virtutis, ne vestimentis alimentisque suis parcant. Misericordiæ tamen ipsius pro possibilitate conditionis humanæ mensura servatur, ut non sibi unusquisque totum eripiat; sed quod habet cum paupere partiatur.

S. Ambros, serm. 41. — Qui cupit de Deo misericordiam promereri, ipse debet prior esse misericors.

Idem, *in Daniel.* XIII. — Nihil tam commendat Christianam animam, quam misericordia.

S. Chrysost, *in Matthæum.* — Deus tristatur non de sua injuria, sed de nostra perditione. Sicut rex benignus audiens criminosas personas, lege quidem compellente, ipse mortis sententiam dictat adversus eas. Tamen, misericordia instigante, lacrymas fundit super ipsas, et vult eas adjuvare, et non potest, contradicente sibi justitia, quoniam misericordia tunc est vere misericordia, si sic facta sit ut justitia per eam non contemnatur. Si autem, contempta justitia, misericordia observetur, ipsa misericordia non est misericordia, sed fatuitas. Justitia enim sine misericordia non est justitia, sed crudelitas; sicut et misericordia sine justitia, non est misericordia, sed fatuitas.

S. Hieronym., *in Isaiam*, lib. VIII. — De omni infirmitate dicendum est, quod absque Dei misericordia, nihil medendi ars valeat.

Idem, *ibid.* — Misericordia est salutis præsidium, fidei ornamentum, propitiatio peccatorum : hæc est quæ justos probat, sanctos roborat, Dei cultores ostentat.

S. August., *Enarrat. in psal.* CII, tom. IV. — *Faciens misericordias Dominus, et judicium eis qui injuriam accipiunt.* (*Psal.* CII, 6.) — Videte quomodo faciat misericordias, non nos relinquens in deserto, non nos relinquens in eremo, donec perveniamus ad patriam : faciat misericordias, sed quibus? *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* (*Matth.* V, 7.) Modo audistis, fratres, cum Evangelium legeretur. Non ergo putet aliquis futuram in se esse misericordiam Dei, si est ipse immisericors. Sed audi quæ sit mensura misericordiæ, ne quasi in amicum sit, et non sit in inimicum. Dictum est : *Diligite inimicos vestros.* (*Ibid.*, 44.) Satiari vis bonis Dei, satiata sit in te misericordia. Plena misericordia, ipsa est perfecta misericordia : ipsa est quæ amat, quæ diligit etiam habentem se odio. Nam quid faciam, inquis? Si cœpero diligere inimicum meum ; injurias accipiam, et injurias perferam, et non me vindicabo, cum adsint leges? Justum est ut vindices te; conceditur; quia justum est : vide utrum non habeas quod in te vindicetur, et vindica. Sic enim dicis, itane me non vindicabo? Quasi Deus justitiam vindictæ reprimat, et non superbiam vindicantis exstinguat. Aut vero adultera illa non erat lapidanda ? aut si lapidaretur, iniquum aliquid fieret? Si inique fieret, inique jussum est : Lex autem jussit, Deus jussit, sed, o vos ultores, videte si non estis peccatores.

Adducta est adultera mulier lapidanda ex lege, sed adducta est ad latorem legis. Sævis qui adduxisti : vide qui sævias et in quam sævias; si peccator in peccatricem, desine sævire, prius confitere : si peccator sævis in peccatricem, relinque illam; novit ille quid de illa sentiat, quid judicet, quomodo sanet. Ex lege sævis? Melius novit quid agat lator legis, ex qua sævis. Jam Dominus eo tempore quo illi oblata est, inclinato capite, scribebat in terra. (*Psal.* CXL, 6.) Tunc scripsit in terra, quando se inclinavit in terram : antequam se inclinaret in terram, non in terra scripsit, sed in lapide. Jam fructuosum aliquid erat terra de Domini litteris paritura. In lapide legem scripserat, significans duritiem Judæorum. (*Exod.* XIV, 12.) In terra scripsit significans fructum Christianorum. Venerunt ergo illi adducentes adulteram, tanquam sævientes fluctus in petram; sed ejus responsione confracti sunt. Ait enim illis : *Qui in vobis sine peccato est, prior in illam lapidem jactet.* (*Joan.* VIII, 7.) Et rursum inclinato capite, scribebat in terra. Et unusquisque jam interrogans conscientiam suam, non comparuerunt. Repulit eos, non infirma mulier adultera, sed adulterata conscientia. Vindicare volebant, judicare cupiebant : venerunt ad petram, absorpti sunt juxta petram judices eorum (*Psal.* CXL, 6.)

Faciens misericordias Dominus; sed quibus? *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur.* (*Matth.* V, 7.) In omnes fac misericordiam quam facturus es justo? In necessitatibus tantum corporalibus: quibus si defuerint supplementa a te, non deerunt a Deo. Quod ergo facis, tibi plus prodest. Das mendico transeunti et petenti; quæris et justum cui des, per quem recipiaris in tabernacula æterna, quia, *qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.* (*Matth.* X, 42.) Mendicus te quærit, justum tu quære. De alio enim dictum est : *Omni petenti te da* (*Luc.* VI, 30), et de alio dictum est : desudet eleemosyna in manu tua, donec invenias justum cui eam tradas. Et si diu non invenitur, diu quære, invenies. Sed quid præstabis? Nonne plus tibi præstatur? *Si nos vobis*, inquit, *spiritalia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus!* (*1 Cor.* IX, 11.) Inde est aliud quod pridem exposuimus in nutu Domini, *quia producit terra fenum jumentis* (*Psal.* CIII, 14), id est carnalia eis qui triturant, quia, *bovi trituranti os non infrenabis.* (*1 Cor.* IX, 9.) Unde vos adhortati sumus, ut in hac re diligentes sitis, cauti, sobrii, opera vestra thesauros vestros deputetis. Nunquid autem hæc, fratres, ideo dicimus, ut ita fiant in nos? Puto in nomine Domini posse esse istam quamvis infirmorum vocem, apostolicam tamen, sed vobis prodest, sicut ait ipse Apostolus : *Non quia quæro datum, sed requiro fructum.* (*Philipp.* IV, 17.) Quam ergo eleemosynam facturus es justo? *Non pascebat vidua, pa-*

Digitized by Google

scebat corvus; quia pascebat qui fecit corvum : Eliam dico. (*III Reg.* XVII, 6, 12.) Non ergo deest unde Deus det suis : tu vide quid emas, quando emas, quanti emas. Emis enim regnum cœlorum; et non est emendi tempus, nisi in hac vita. Et quam vili emas, attende. Tanti tibi valet, quantum habere potueris.

Fac misericordiam iniquo, non tanquam iniquo. Nam ipsum iniquum, in quantum iniquus est, ne suscipias : id est, ne quasi intentione et amore iniquitatis illius suscipias eum. Nam et prohibitum est dari peccatori, et suscipere peccatores. (*Eccli.* XII, 4. etc.) Et quomodo : *Omni petenti te da?* (*Luc.* VI, 30.) Et quomodo, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum?* (*Rom.* XII, 20.) Quasi contraria videntur, sed aperiuntur in nomine Christi pulsantibus, et manifesta erunt quærentibus. *Ne tradas peccatori, et ne suscipias peccatorem :* et tamen, *omni petenti te da.* Sed peccator est qui me petit. Da, non tanquam peccatori. Quando in quo peccator est, hoc tibi placet ut des. Paululum attendat charitas vestra, donec evolvatur res etiam exemplis, multum utilis ad intelligendum. Hoc dixit : cum esurierit nescio quis, si habes unde des, da; si vides dandum esse ad subveniendum, da. Ne pigrescant in hoc viscera misericordiæ, quia tibi peccator occurrit : tibi enim homo peccator occurrit. Cum dico : *Occurrit tibi homo peccator*, duo nomina dixi : hæc duo nomina non superflua sunt : duo nomina, aliud quod homo, aliud quod peccator. Quod homo, opus est Dei; quod peccator, opus hominis est : da operi Dei; noli operi hominis. Et quomodo, inquis, me prohibes dare operi hominis? Quid est dare operi hominis? Peccato i dare propter peccatum, placenti tibi propter peccatum.

Et quis hoc faciet, inquis? Quis hoc faciet? Utinam nemo, utinam pauci, utinam non publice! Qui venatoribus donant, quare donant, dicant mihi? Quare donant venatori? Hoc in illo amat, in quo nequissimus est? Hoc in illo pascit, hoc in illo vestit, ipsam nequitiam publicam spectaculis omnium. Qui donat histrionibus, qui donat aurigis, qui donat meretricibus, quare donat? Nunquid non et ipsi hominibus donant? Non tamen ibi attendunt naturam operis Dei, sed nequitiam operis humani. Vis videre quid honores in venatore, quando illum vestis? Dicatur tibi, Sis talis : amas illum, gaudes ad illum, quodam modo exspoliare te, et illum vestire : noli cum injuria accipere, si tibi dicatur : Tales sint filii tui. Injuria est, inquis, quare injuria est, nisi quia illa iniquitas? Quare injuria, nisi quia illa turpitudo? Non ergo donas, cum donas, fortitudini, sed turpitudini. Quomodo ergo qui venatori donat, non homini donat, sed arti nequissimæ : (nam si homo tantum esset, et venator non esset, non donares, honoras in eo vitium, non naturam) : sic contra, si des justo, si des prophetæ, si des discipulo Christi aliquid cujus indiget; et non ibi cogites quia discipulus Christi est, quia minister est Dei, quia dispensator est Dei, sed cogites ibi aliquod commodum temporale, ut fortasse causæ tuæ necessarius quando fuerit, venalis tibi sit, quia ei aliquid porrexisti; tam tu non dedisti justo, si sic dederis, quam ille non dedit homini, quando dedit venatori.

Res ergo, charissimi, in promptu posita est, et puto quia, etsi obscura fuit, jam manifesta est. Ad hoc Dominus te astrinxit, cum diceret : Qui receperit justum; sufficeret. (*Matth.* X, 41.) Sed quia potest recipi justus alia intentione, cum putatur prodesse posse ad aliquid temporale, forte ad supplendam cupiditatem, forte ad adjuvandum, ut homo circumveniatur, aut opprimatur; quia tale ministerium de illo quæris, forte propterea suscipis : negavit tibi mercedem justi, nisi cum additamento. Ait enim, *qui receperit justum in nomine justi*, id est, ideo recipiens quia justus est; et, *qui receperit prophetam, sed, in nomine prophetæ*, hoc in illo honorans quod propheta est. Ad extremum, *Qui dederit calicem aquæ frigidæ uni ex minimis istis*, tantum in nomine discipulus Christi est, propterea quia dispensator sacramenti est; *Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* (*Ibid.* 14.) Quomodo ergo intelligis, *Qui receperit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet;* sic intellige qui receperit peccatorem in nomine peccatoris, perdet mercedem

Ergo, fratres, exercete misericordiam : non est aliud vinculum charitatis, non est aliud vehiculum quo perducamur ex hac vita ad illam patriam; extendite dilectionem usque ad inimicos : securi estote. Ideo venit Christus, cui tanto ante dictum est : *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem, ut destruas inimicum et vindicatorem.* (*Psal.* VIII, 3.) Quod nonnulli codices *defensorem* habent; sed verius *vindicatorem.* Destruere voluit Dominus vindicatorem, id est eum qui se voluit vindicare, ut non illi dimittantur peccata sua. Quid ergo, inquis, dormiet disciplina? Auferetur omnis correptio? Non auferetur. Quid enim de luxurioso filio facturus es? Non castigabis, non verberabis? Servumque ipsum tuum, si male viventem videris, non pœna aliqua, non verberibus refrenabis? Fiat hoc, fiat; sed animo dilectionis; fac, non animo ultionis. Ubi autem potentiores aliquos injuriosos passus fueris, ubi tibi nec corrigere disciplina licet, nec forte etiam monere, aut præcipere; tolera, securus tolera : audi Evangelium quod modo dictum est : *Beati eritis cum vos persecuti fuerint homines, et dixerint adversus vos omne malum : mentientes propter nomen meum.* (*Matth.* V, 11.) Et ibi addidit propter quid, ne merito tuo accipias maledicta, non causa justificationum Dei. Non enim qui maledictus fuerit, justus est; sed qui justus est, et injuste maledictus : et si injuste maledicitur, præmium illi redditur. Propterea itaque securus esto misericors, extende dilectionem usque ad inimicos : qui forte pertinent ad guberna-

Digitized by Google

tionem tuam, vindica, coerce cum dilectione, cum charitate, attendens salutem æternam, ne cum parcis carni, anima peréat. Fac hoc, et multos passurus es in quos non potes exercere disciplinam, quia non pertinent ad jura gubernationis tuæ : ferto injurias, securus esto: *Faciet enim misericordias Dominus, et judicium omnibus injuriam accipientibus.* Sic in te faciet misericordiam, si misertus fueris : sic eris misericors, ut quod pateris injuriam, non sit impunitum : *Mihi vindicta, et ego retribuam*, dicit Dominus. (*Deut.* XXXII, 35.)

S. AUG., *in psal.* CCII, t. IV. — *Miserator et misericors Dominus, longanimis et multum misericors* (*Psal* CII, 8.) Quid tam longanimum? quid tam multum in misericordia? Peccatur et vivitur; accedunt peccata, augetur vita : blasphematur quotidie, et *facit solem suum oriri super bonos et malos* (*Matth.* v, 245.) Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis : *Longanimis et multum misericors.* Sed observa ne longitudine misericordiæ Dei male utendo, tu tibi thesaurizes quod ait Apostolus, *iram in die iræ.* (*Rom.* II, 5.) Nam hoc ait Apostolus : *An divitias benignitatis et longanimitatis ejus contemnis, ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?* (*Ibid*, 4.) Quod tibi parcit, putas quia places ei? *Hæc fecisti*, inquit, *et tacui, suspicatus es iniquitatem quod ero tui similis.* (*Psal.* XLIX, 21.) Non mihi placent peccata, sed longanimitate quæro recte facta. Si punirem peccatores, non invenirem confessores. Ergo te Deus longanimitate sua parcendo ad pœnitentiam adducit : tu autem cum quotidie dicis, fin tur hodiernus dies, et sic ero et crastino die, non enim cras erit ultimus; et tertio die, et subito venit ira ejus.

Frater, *non tardes converti ad Dominum.* (*Eccli.* v, 8.) Sunt enim qui præparant conversionem, et differunt, et fit in illis vox corvina, cras, cras. Corvus de arca missus non est reversus. (*Gen.* VIII, 7.) Non quærit Deus dilationem in voce corvina, sed confessionem in gemitu columbino. Missa columba reversa est. Quandiu cras, cras? Observa ultimum cras; quia ignoras quod sit ultimum cras; sufficiat quod vixisti usque ad hodiernum peccator. Audisti, sæpe soles audire, audisti et hodie : quam quotidie non corrigeris. Tu enim secundum duritiam cordis tui et cor impœnitens, *thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua.* (*Rom.* II, 5,6.) Non tibi sic videatur Deus misericors, ut non videatur justus. *Misericors et miserator Dominus.* Audio et gaudeo. Ita dicis : audi, et gaude; adhuc addidit : *Longanimis et multum misericors :* et in extremo, et verax. Gaudes ad verba superiora, ad ultimum treme. Sic misericors et longanimis est, ut sit et verax. Cum tibi thesaurizaveris iram in die iræ, nonne experieris justum, quem contempsisti benignum?

S. LEO. Papa, in serm. — Misericordiæ virtus tanta est, ut sine illa, cæteræ etsi sint, prodesse non possint. Quamvis enim fidelis sit, et castus, et sobrius, et aliis majoribus ornatus insignibus, si misericors tamen non est, misericordiam non meretur.

S. GREGOR., MAG., in hom. 5. — Misericordia a misero corde vocata est, eo quod unusquisque intuetur quempiam miserum, et ei compatiens de dolore animus tangitur : ipse cor miserum facit, ut eum a miseria liberet cui intendit.

S. BERNARD., serm. 88, tom. I. — Septem in me video misericordias Domini, quas et vos ipsi facile inveneritis in vobis : prima est, quod a multis peccatis adhuc in sæculo positum custodivit. Prima quidem non inter omnes quas mihi impendit, sed prima inter has septem. Quis enim non videat, quod sicut in multa cecidi, sic et in alia poteram cecidisse peccata, nisi omnipotentis pietas me conservasset? Fateor et fatebor, nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus cecidisset in omne peccatum anima mea. Secunda miseratio quæ non poterit explicari sermone, quam benigna, quam libera, quam gratuita! ego peccabam, et tu dissimulabas : non continebam a sceleribus, et tu abstinebas a verberibus : prolongabam ego multo tempore iniquitatem, et tu, Domine, pietatem tuam. Tertia, quod visitavit cor meum, et invitavit ut amare fierent quæ male dulcia pius erant. Quarta, quod pœnitentem misericorditer suscepisti, ut in eorum numero inveniret, de quibus psalmus : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, etc. (*Ps.* CXXXI, 1.) Quinta, per quam mihi continendi deinceps, et emendatius vivendi præstitisti virtutem, ne recidivum paterer, et esset *novissimus error pejor priore.* (*Matth.* XXVII, 54.) Postquam in his quinque miserationibus a malo liberaveris; in duabus aliis, bona largiris : hæ duæ sunt, gratia promovendi, qua videlicet munus bonæ conversationis indulges; et spes obtinendi, qua donas homini indigno, et peccatori de tua toties experta bonitate usque ad cœlestia speranda præsumere.

Idem, serm. 13 *De diversis*, tom. I. — Magnæ misericordiæ sunt quatuor filiæ, scilicet amissio amaritudinis, subtractio opportunitatis, virtus residendi, et sanitas affectionis.

CASSIOD., lib. II, Epist. 9. — Soli misericordiæ omnes virtutes cedere honorabiliter non recusant.

Digitized by Google

MISSÆ SACRIFICIUM

[Ex SS. Patribus.]

Vid. verb. EUCHARISTIA.

[Ex conciliis.]

I. *De Missæ sacrificio decreta dogmatica.*

Concilii Lateran. IV, *an.* 1215, *decreta, cap* 1. *Definitio adversus Albigenses aliosque hæreticos.*— Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. In qua idem ipse sacerdos est sacrificium, Jesus Christus : cujus corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem, potestate divina : ut ad perficiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Et hoc utique sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus, secundum claves Ecclesiæ, quas ipse concessit apostolis, eorumque successoribus Jesus Christus.

Confessio fidei Michaelis Paleologi ipsi a Clemente IV an. 1267, *proposita et ab ipso in concilio œcumenico Lugdun.* II, 1274, *Gregorio X oblata.* — Hæc est vera fides catholica, et hanc in supradictis articulis tenet et prædicat sacrosancta Romana Ecclesia. Sed propter diversos errores, a quibusdam ex ignorantia, et ab aliis ex malitia introductos, dicit et prædicat, eos qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram pœnitentiam suorum consequi veniam peccatorum. Quod, si vere pœnitentes in charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas pœnis purgatoriis, seu catharteriis, sicut nobis frater Joannes explanavit, post mortem purgari et ad pœnas hujusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, et eleemosynas, et alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta.

Decreta Martini V et concilii Constantiensis quibus damnatur sequens propositio. — Non est fundatum in Evangelio, quod Christus missam ordinaverit

Conc. Florentini decreta. — *Decretum unionis Græcorum in bulla Eugenii IV*, Lætentur cœli. — Item, si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari; et ut a pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, et eleemosynas, et alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverint secundum ecclesiæ instituta.

Professio fidei præscripta Waldensibus ad Ecclesiam reducibus ab Innocentio III (6).— Sacramenta quoque, quæ in ea celebrantur inæstimabili atque invisibili virtute Spiritus Sancti cooperante, licet a peccatore sacerdote ministrentur, dum ecclesia cum recipit, in nullo reprobamus, nec ecclesiasticis officiis vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, sed benevolo animo tanquam a justissimo amplectimur; quia non nocet malitia episcopi vel presbyteri neque ad baptismum infantis, neque ad eucharistiam conferendam, vel ad cætera ecclesiastica officia subditis celebrata. Approbamus ergo baptismum infantium, qui si defuncti fuerint post baptismum, antequam peccata committant, fatemur eos salvari et credimus; et in baptismate omnia peccata, tam illud originale peccatum contractum, quam illa quæ voluntarie commissa sunt, dimitti credimus. Confirmationem ab episcopo factam, id est impositionem manuum, sanctam et venerande esse accipiendam censemus. In sacrificio eucharistiæ, quæ ante consecrationem erant panis et vinum, post consecrationem esse verum corpus et verum sanguinem Domini Notri Jesu Christi firmiter et indubitanter corde puro credimus et simpliciter verbis fidelibus affirmamus, in quo nihil a bono majus vel a malo minus perfici credimus sacerdote; quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris et in virtute Spiritus sancti. Unde firmiter credimus et confitemur, quod quantumcunque quilibet honestus, religiosus, sanctus et prudens sit, non potest vel debet eucharistiam consecrare vel altaris sacrificium conficere nisi sit presbyter a visibili, tangibili episcopo regulariter ordinatus. Ad quod officium tria sunt, ut credimus, necessaria : scilicet certa persona, id est presbyter ab episcopo, ut prædiximus, ad illud proprie officium constitutus, et illa solemnia verba, quæ a sanctis Patribus in canone sunt expressa, et fidelis intentio proferentis; ideo firmiter credimus et fatemur, quod quicunque sine præcedenti ordinatione episcopali, ut prædiximus, credit et contendit, se posse sacrificium eucharistiæ facere, hæreticus et perditionis Core et suorum complicium est particeps atque consors, et ab omni sancta Romana Ecclesia segregandus.

Decretum de sacrificio missæ, cap. 1, *de institutione sacrosancti missæ sacrificii.*— Quoniam sub priori Testamento, teste apostolo Paulo (*Hebr.* VII, 11), propter Levitici sacerdotii imbecillitatem, consummatio non erat, oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes

(6) Habetur in epistola d. IV Id. Maji 1210, missa ad duarum provinciarum episcopos; altera brevior habetur in altera epistola d. Kal. Julii 1210, qua Bernardi primi aliorumque conversio omnibus episcopis nuntiatur, præscribiturque, ut simili professione hæreticos reduces recipiant in sinum Ecclesiæ.

Digitized by Google

quotquot sanctificandi essent, consummare, et ad perfectum adducere. Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur ; quia tamen per mortem sacerdotium ejus exstinguendum non erat in cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit. relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendam repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur ; sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit ; ac sub earumdem rerum symbolis apostolis, quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit ; et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcipit per hæc verba : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* xxii, 19), uti semper catholica Ecclesia intellexit, et docuit ; nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israël immolabat, novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, eripuitque de potestate tenebrarum, et in regnum suum transtulit. Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest : quam Dominus per Malachiam (i, 11) nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit : et quam non obscure innuit apostolus Paulus Corinthiis scribens, cum dicit, non posse eos, qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri (*I Cor.* x, 21) : per mensam altare utrobique intelligens. Hæc denique illa est, quæ per varias sacrificiorum, naturæ et legis tempore, similitudines figurabatur ; utpote, quæ bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur.

Ibid. Sacrificium visibile esse propitiatorium pro vivis et defunctis. — Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit, docet sancta synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde, et recta fide, cum metu et reverentia, contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata, etiam ingentia dimittit. Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens, sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis cruentæ, inquam, fructus per hanc uberrime percipiuntur : tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite, juxta apostolorum traditionem, offertur.

Ibid., cap. 3, *de missis in honore sanctorum.* — Et quamvis in honorem et memoriam sanctorum nonnullas interdum missas Ecclesia celebrare consueverit ; non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit ; unde nec sacerdos dicere solet : *Offerro tibi sacrificium Petre* vel *Paule* ; sed Deo de illorum victoriis gratias agens eorum patrocinia implorat ; ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.

Ibid., cap. 5, *de solemnibus missæ sacrificii cæremoniis.* — Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli ; propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiore, in missa pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

Ibid., cap. 6, *de missa in qua solus sacerdos communicat.* — Optaret quidem sacrosancta synodus, ut in singulis missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiæ perceptione communicarent : quod ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret : nec tamen, si id non semper fiat, propterea missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat, si quidem illæ quoque missæ vere communes censeri debent ; partim quod in eis populus spiritualiter communicet ; partim vero, quod a publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent celebrentur.

Ibid., cap. 8, *de missa vulgari lingua passim non celebranda : et mysteriis ejus populo explicandis.* — Etsi missa magnam contineat populi fidelis eruditionem ; non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem retento ubique cujusque Ecclesiæ antiquo, et a sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre et magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, et non sit qui frangat eis, mandat sancta synodus pastoribus, et singulis curam animarum gerentibus, ut

Digitized by Google

frequentes inter missarum celebrationem vel per se, vel per alios ex iis, quæ in missa leguntur, aliquis exponant; atque inter cætera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis et festis.

Ibid., Can. de sacrificio missæ. —1. Si quis dixerit, in missa non offerri Deum verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit.

2. Si quis dixerit, illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, Christum non instituisse apostolos sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum; anathema sit.

3. Si quis dixerit, missæ sacrificium tantum esse laudis, et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiationem; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis; pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.

4. Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio, in cruce peracto, per missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema sit

5. Si quis dixerit, imposturam esse, missas celebrare in honorem sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit.

8. Si quis dixerit, missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas anathema sit.

9. Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars canonis, et verba consecrationis proferuntur; damnandum esse; aut lingua tantum vulgari missam celebrari debere; aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem; anathema sit.

Decretum de purgatorio. — Cum catholica Ecclesia Spiritu sancto edocta, ex sacris litteris, et antiqua Patrum traditione, in sacris conciliis, et novissime in hoc œcumenica synodo docuerit purgatorium esse; animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari; præcipit sancta synodus episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam, a sanctis Patribus, et sacris conciliis traditam, a Christi fidelibus credi, teneri, doceri, et ubique prædicari, diligenter studeant.

Professio fidei Græcis præscripta a Gregorio XIII per constitutionem 5 Sanctissimus Dominus noster. — Insuper profiteor ac recipio alia omnia, quæ ex decretis sacræ œcumenicæ generalis synodi Tridentinæ, sacrosancta Romana et apostolica Ecclesia, etiam ultra contenta in supradictis fidei symbolis, profitenda ac recipienda proposuit atque præscripsit, ut sequitur: *Apostolicas* (et cætera omnia ut in fidei professione Tridentina).

Ibid. — Pariter veneror, et suscipio Tridentinam synodum, et profiteor, quæ in ea definita et declarata sunt, et præsertim offerri Deo in missa verum, proprium et propitiatorium sacrificium, pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo eucharistiæ sacramento, juxta fidem, quæ semper in Ecclesia Dei fuit, contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus et totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat et sub unaquaque specie, et singulis cujusque speciéi, separatione facta, totum Christum contineri.

Professio fidei Tridentinæ a Pio IV per constitutionem Injunctum nobis, 14 *Nov.* 1564, *ex decreto Tridentino, sess.* 24, *cap.* 12 *de Ref., et sess.* 25. — Profiteor quoque septem esse vere et proprie sacramenta novæ legis a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria: scilicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium: illaque gratiam conferre: et ex his baptismum, confirmationem et ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quæ de peccato originali, et de justificatione in sacrosancta Tridentina synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo eucharistiæ sacramento esse vere, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus et totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. Constanter teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari.

Propositiones 79 *Michaelis Baii aamnatæ ab Innocentio XI.* — Sacrificium missæ non alia ratione est sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate Deo homo inhæreat.

Propositiones 101 *Paschasii Quesnelli damnatæ a Clemente XI constitutione* Unigenitus, 18 *Sept.* 1713. — Eripere simplici populo hoc solatium, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi apostolicæ et intentioni Dei.

Propositiones synodi Pistoriensis a Pio VI damnatæ. — 1° *De applicatione fructus sacrificii.* — Doctrina Synodi, qua, tum profitetur credere sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in liturgia

Digitized by Google

fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum, quam defunctorum; precando Deum peculiariter pro ipsis, dein continuo subjicit: Non tamen quod credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus sacrificii cui vult, imo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem jura Dei, qui solus distribuit fructus sacrificii cui vult, et secundum mensuram, quæ ipsi placet; unde et consequenter traducit velut falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione quod celebret unam missam, specialem fructum ex ea percipiant; sic intellecta, ut præter peculiarem commemorationem et orationem, specialis ipsa oblatio seu applicatio sacrificii, quæ fit a sacerdote, non magis prosit (cæteris paribus) illis pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis aut personarum ordinibus faciendam commendat ac præcipit Ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus, quod velut ex divino præcepto descendens a sacra Tridentina synodo diserte est expressum (sess. 23, cap. 1, *de reform.*; Bened. XIV, constit. *Cum semper oblatas*, § 2); falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wiclelf.

Ibid. — 2° *De modo jungendæ vocis populi cum voce Ecclesiæ in precibus publicis.* — Propositio asserens, fore contra apostolicam praxim et Dei consilia, nisi populo faciliores viæ pararentur vocem suam jungendi cum voce totius Ecclesiæ; intellecta de usu vulgaris linguæ in liturgicas preces inducendæ; falsa, temeraria, ordinis pro mysteriorum celebratione præscripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.

Ibid. — 3° *De participatione victimæ in sacrificio missæ.* — Propositio synodi, qua, postquam statuit, victimæ participationem esse partem sacrificio essentialem, subjungit non tamen se damnare ut illicitas missas illas, in quibus astantes sacramentaliter non communicant; ideo quia isti participant, licet minus perfecte, de ipsa victima, spiritu illam recipiendo; quatenus insinuat, ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur sive nullo astante, sive astantibus, qui nec sacramentaliter, nec spiritualiter de victima participant; et quasi damnandæ essent ut illicitæ missæ illæ, in quibus, solo sacerdote communicante, nemo adsit qui sive sacramentaliter, sive spiritualiter communicet; falsa, erronea, de hæresi suspecta, eamque sapiens.

Ibid. — 4° *De convenienti ordine in cultu servando.* — Propositio Synodi, qua cupere se ostendit, ut causæ tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiæ ordinem spectantium, revocando illam ad majorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo, et elata voce proferendo; quasi vigens ordo liturgiæ ab Ecclesias receptus et probatus aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum, quibus illa regi debet: temeraria, piarum aurium offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens hæreticorum in eam conviciis.

II. *De missæ sacrificio, juris dispositiones et præcepta.*

Ex conc. Nic. gen. I; *sub Silvestro I, an.* 325, *editionis Arabicæ.* — 54. Chorepiscopus si in Ecclesia fuerint pauci sacerdotes debet augere numerum, etc. Ut oratio sit assidua, et non cesset ministerium altaris, destituantur templa oratione et missa, et Christiani non habentes pastorem nomine et opere sint gentiles.

Ex conc. Vasionensi sub Julio I, an. 351. — 2. In omnibus missis sive matutinis, sive quadragesimalibus, sive in illis quæ in defunctorum commemorationibus fiunt, semper sanctus, sanctus, sanctus eo ordine quo ad missas publicas dici debet, etc. Et nomen domini papæ quicunque sedi apostolicæ præfuerit in nostris ecclesiis recitetur.

Ex conc. Rom. IV, *sub Damaso I, an.* 382. — 5. Ex præscripto Nicæni canonis ut ibi ponitur ne diebus festis ante tertiam horam missæ canerentur, aliis vero diebus à media quarta ad nonam facere liceret.

Ex conc. Carthag. IV, *sub Anastasio, an.* 398. — 84. Ut episcopus nullum prohibeat ingredi ecclesiam, et audire verbum Dei, sive gentilem, sive hæreticum, sive Judæum usque ad missam cathecumenorum.

Ex conc. Toletano sub Anastasio, an. 400. — 5. Presbyter vel diaconus vel subdiaconus vel quilibet Ecclesiæ deputatus clericus, si intra civitatem fuerit, vel in loco in quo ecclesia est, aut castello, aut vico, aut villa, et ad ecclesiam, ad sacrificium quotidianum non accesserit, clericus non habeatur, si castigatus per satisfactionem veniam ab episcopo voluerit promereri.

Ex conc. Milevitano, sub Innocentio I, an. 416. — 12. Placuit ut preces vel orationes seu missæ quæ probatæ fuerint in concilio, sive præfationes, sive commendationes, seu manus impositiones ab omnibus celebrentur.

Ex conc. Agathensi, sub Symmacho, an. 506. — 21. Clerici si qui in civitatibus Paschæ, etc. In oratoriis (nisi jubente aut permittente episcopo) missas facere aut tenere voluerint, a communione pellantur.

Missas die Dominico sæcularibus totas tenere speciali ordine præcipimus; ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat, qui si fecerint, ab episcopo publice confundantur.

Ex conc. Aurelianensi I, *sub Symmacho, an.* 507. — 28. Cum ad celebrandas missas in Dei nomine convenitur, populus non ante discedat quam missæ solemnitas compleatur, et ubi episcopus non fuerit, benedictionem accipiat sacerdotis.

Ex conc. Gerundensi, sub Hormisda, an. 517. — 1. Ut institutio missarum sicut in metropolitana ecclesia agitur, ita in omni Tar-

Digitized by Google

raconensi provincia, tam ipsius missæ ordo, quam psallendo vel ministrando consuetudo servetur.

Ex conc. Aurelian. III, *sub Vigilio, anno* 540.—14. In præcipuis duntaxat festivitatibus hora tertia missarum celebratio inchoetur quo facilius intra horas competentes ipso officio expedito sacerdotes possint ad vespertina officia convenire.

De missis nullus laicorum ante discedat, quam Dominica dicatur oratio, et si episcopus præsens fuerit, ejus benedictio exspectetur, sacrificia vero matutina missarum, sive vespertina ne quis cum armis pertinentibus ad bellorum usum spectet, quod qui fecerit, in sacerdotis potestate consistat, qualiter ejus districtione debeat castigari.

Ex conc. Braccarensi I, *sub Joanne III, an.* 563.—2. Placuit ut per solemnium dierum vigilias vel missas omnes easdem et non diversas lectiones in ecclesia legant.

3. Placuit ut non aliter episcopi et aliter presbyteri populum, sed uno modo salutent dicentes, Dominus sit vobiscum, et respondeatur a populo, et cum spiritu tuo, sicut et ab ipsis apostolis traditum, omnis retinet, oriens, et non sicut Priscilliana pravitas permutavit.

4. Placuit ut eodem ordine missæ celebrentur ab omnibus quem profuturus quondam hujus metropolitanæ ecclesiæ episcopus ab ipsa apost. sedis auctoritate suscepit scriptum.

Ex conc. Braccarensi II, *sub Joanne III, an.* 572. —10. Si quis presbyter post hoc edictum nostrum non jejunus, sed quocunque jam cibo præsumpto oblationem consecraverit in altari (hoc est missas defunctorum) continuo ab officio suo privatus a proprio deponatur episcopo.

Ex conc. Matisconensi I, *sub Pelagio II, an.* 582. — 6. Ut archiepiscopus sine pallio missas dicere non præsumat.

Ex conc. Matisconensi II, *sub Pelagio II, an.* 588.—4. Decernimus ut omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris et mulieribus offeratur tam panis quam vini, ut per has immolationes, et peccatorum suorum fascibus careant, et cum Abel vel cæteris juste offerentibus promereantur esse consortes.

6. Nullus presbyter confertus cibo aut crapulatus vino sacrificia contrectare, aut missas privatis, festisque diebus celebrare præsumat, etc. Sacramenta altaris nonnisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario quo cœna Domini celebratur.

Ex conc. Narbon., sub Pelagio II, an 589. —12. Dum missa celebratur nullus presbyter aut Diacon. absque aliqua infirmitate dum missa perficitur egredi de altario audeat, ne diaconus aut subdiaconus vel lector antequam missa consumetur abbas præsumat exuere.

Ex conc. Antisiodor., sub Gregorio I, an. 590. — 8. Non licet in altario in sacrificio divino, mellitum quod mulsum appellant, nec ullum aliud poculum extra vinum cum aqua mistum offerre; quia ad grande peccatum pertinet presbytero illi, quicunque aliud poculum extra vinum in consecratione sanguinis offerre præsumpserit.

10. Non licet super uno altario in una die duas missas dicere, nec in altario ubi episcopus missas dixerit, presbyter in illa die missas dicat.

19. Non licet presbytero aut diacono aut subdiacono post acceptum cibum aut poculum missas tractare, aut in ecclesia, dum missæ dicuntur, stare.

Ex conc. Toletan. IV, *sub Honorio I, an.* 633. — 13. In omnium missarum solemnitate hymnus trium puerorum decantetur, communionem amissuri qui et antiquam hujus hymni consuetudinem nostramque definitionem excesserint.

17. Post orationem Dominicam et conjunctionem panis et calicis, benedictio in populum sequatur, et tunc demum corporis et sanguinis Domini sacramentum sumatur.

Ex conc. Toletan. VI, *sub Theodoro, an.* 646.—2. Cum a sacerdotibus missarum tempore sacra mysteria consecrantur, si ægritudinis acciderit quilibet eventus, quo cœptum nequeat consecrationis expleri mysterium, sit liberum episcopo vel presbytero alteri consecrationem exequi officii cœpti etc.. Nullus tamen post cibum potumque quamlibet minimum sumptum missas facere, nullusque absque patentis proventu molestiæ minister vel sacerdos cum cœperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere: si quis hæc temere præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.

Ex conc. Emeritensi, sub Vitaliano, an. 664. — 19. Pro singulis quibusque ecclesiis in quibus presbyter justus fuerit per sui episcopi ordinationem præesse, pro singulis diebus Dominicis sacrificium Deo procuret offerri, et eorum nomina a quibus eas ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid his sanctis ecclesiis videntur aut visi sunt contulisse, si viventes in corpore sunt ante altare recitentur tempore missæ, quod si ab hac decesserint luce, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur suo in ordine, etc.

Ex conc. Toletan. II, *sub Adeodato, an.* 675. — 14. Ubi temporis vel loci sive cleri copia suffragatur, habeat quisquis ille canens Deo atque sacrificans post se vicini solaminis adjutorem, ut si aliquo casu ille qui officia impleturus accedet, turbatus fuerit, vel ad terram elisus, a tergo semper habeat qui ejus vicem exsequatur intrepidus.

Ex conc. Braccarensi III, *sub Adeodato, an.* 675.— 1. Nulli deinceps licitum sit aliud in sacrificiis divinis offerre, nisi (juxta antiquorum sententiam conciliorum) panem tantum et calicem vino et aqua permistum.

2. Quisquis de cætero sciendo divina vasa vel ministeria, aut in usus suos transtulerit, aut comedere in his vel poculum sibi sumendum elegerit, gradus sui vel officii periculum sustinebit, ita tamen ut si de

Digitized by Google

sæcularibus fuerit, perpetua excommunicatione damnetur : si vero religiosus ab officio deponatur, sub hac quoque damnatione, et illi obnoxii tenebuntur qui ecclesiastica ornamenta, vela, vel alia quælibet indumenta, atque etiam utensilia sciendo in usus suos transtulerint, vel aliis donanda, vel vendenda credid rint.

3. Cum sacerdos ad solemnia missarum accedit, aut per se Deo sacrificium oblaturus aut sacramentum corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi sumpturus, non aliter accedat, quam orario utroque humero circumseptus sicut et tempore ordinationis suæ dignoscitur consecratus, ita ut de uno eodemque oratio cervicem pariter et utrumque humerum premens, signum in suo pectore præparet crucis.

Ex conc. Toletano XII, *sub Agathone, an.* 681. — 5. Quicunque sacerdotum divino altario sacrificium oblaturus accesserit, et se à communione suspenderit, ab ipsa quo se indecenter privavit gratia communionis anno uno repulsum se noverit.

Ex conc. Toletano XVII, *sub Sergio, an.* 694. — 5. Quidam sacerdotes missam pro requie defunctorum promulgatam fallaci voto pro vivis student celebrare hominibus non ob aliud nisi ut is pro quo id ipsum offertur sacrificium, ipsius sacrosancti libaminis interventu, mortis ac perditionis incurrat periculum, si quis hoc perpetraverit a proprio deponatur gradu, et tam ipse sacerdos quam etiam ille qui ad talia peragenda incitasse perpenditur, exsilii perpetui ergastulo religati, excepto in supremo vitæ periculo, cuncti vitæ suæ diebus sacræ communionis eis denegetur perceptio.

Ex conc. Rom., sub Zacharia, an. 743. — 13. Ut nullus episcopus, presbyter, aut diaconus ad celebrandum missarum solemnia præsumat cum baculo introire, aut velato capite altario Dei assistere, si præsumpserit, communione privetur.

14. Ut episcopus aut presbyter dum ingressus fuerit ad missarum solemnia celebranda, nullo modo audeat dicta oratione recedere, aut ab alio episcopo aut presbytero suppleantur missarum solemnia, si qui initium ponit suppleat usque ad finem.

Ex conc. Cabilon. III, *sub Leone III, an.* 813. — 39. In omnibus missarum solemnitatibus pro defunctorum spiritibus loco competenti Dominus deprecetur, etc. Antiquitus enim hunc morem sancta Ecclesia tenet ut et in missarum solemnitatibus et in aliis precibus Domino spiritus quiescentium commendet.

49. In quibus locis et quo apparatu missarum solemnia exceptis basilicis celebrari debeant et utrum celebrari debeant, videant episcopi.

Ex conc. Mogunt., sub Leone III, an. 813. — 43. Nullus presbyter solus missam cantare valet recte, quomodo enim dicet *Dominus vobiscum* vel *Sursum corda*, et alia multa his similia cum alius nemo cum eo sit.

Ex conc. Romano, sub Eugenio II, an. 826. — 53. Ut laici ad missas audiendas in presbyterium non intrent.

Ex conc. Parisiensi, sub Gregorio IV, an. 829. — 47. Plerique presbyteri neglectis basilicis Deo dicatis in domibus et hortis, missarum celebrationes contra divinam auctoritatem et canonicam institutionem facere præsumunt, etc. Unusquique episcoporum hujuscemodi temerariam consuetudinem a parochia sua penitus amoveat, et si quis presbyterorum ab hinc excepto quando in itinere pergitur, et locus basilicæ procul est, et id in altaribus ab episcopo consecratis fieri necessitas compellit, etc. Missarum celebrationes in hujuscemodi illicitis locis post tot tantasque prohibitiones facere attentaverit, dignum est ut gradus sui periculum incurrat, etc

48. Provideat unusquisque episcoporum, ne in sua parochia quisquam presbyterorum missam solus celebrare præsumat, et si hanc definitionem superbiendo transgressus fuerit, canonicæ correctionis subjaceat.

Ex conc. Wormatiensi, sub Adriano II, an. 868. — 4. Calix Dominicus vino et aqua permistus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo quando in calice vinum aqua miscetur, Christo populus adunatur, et credentium plebs ei in quem credidit copulatur et jungitur.

Ex conc. Mogunt., sub Stephano VI, an. 888. — 9. Missarum solemnia non ubique sed in locis ab episcopo consecratis, vel ubi permiserit, celebranda esse censemus; concedimus etiam ut sicubi ecclesiæ fuerint incensæ in capellis missas interdum liceat celebrare, donec ipsæ ecclesiæ restaurari queant, in itinere vero positis si ecclesia defuerit, sub dio seu in tentoriis, si tabula altaris consecrata, cæteraque ministeria ad id officium pertinentia adsunt missarum solemnia celebrari permittimus.

Ex conc. Metensi, sub Stephano VI, an. 888. — 5. In locis non consecratis, id est in solariis, sive in cubiculis propter infirmos vel longius iter, a quibusdam presbyteris sacrificium offerebatur quod omnimodis interdictum est.

Ex conc. Triburiensi, sub Formoso, an. 895. — 18. Nullus deinceps sacerdos sacrum mysterium corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi in ligneis vasculis ullo modo conficere præsumat, ne, unde placari debet, inde irascatur Deus.

19. Ne ullus, sine commistione vini et aquæ, sacra mysteria conficiat, sed duæ partes sint vini, quia major est majestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi, tertia aquæ per quam intelligitur infirmitas humanæ naturæ.

Ex conc. Salegunstadiensi, sub Benedicto VIII, an. 1122. — 4. Presbyter aliquis post gallicantum æstivis noctibus bibens proximo die missam non celebret, hiemalibus similiter, nisi necessitas cogat.

5. Unusquisque presbyter in die non amplius quam tres missas celebrare præsumat.

6. Decretum est sub anathematis interdictione, ne ulterius corporale Dominico cor-

Digitized by Google

pore consecratum, ad exstinguendum incendium in ignem projiciatur.

10. Quidam laicorum et maxime matronæ habent in consuetudine, ut per singulos dies audiant Evangelium, *In principio erat Verbum*, etc. (*Joan.* I.) Et missas peculiares, hoc est de sancta Trinitate, aut de sancto Michaele, hoc ulterius non fiat, nisi suo tempore, et nisi aliquis fidelium audire velit pro reverentia sanctæ Trinitatis, non pro aliqua divinatione, et si voluerint ut sibi missæ cantentur, de eodem die audiant missas, vel pro salute vivorum, aut pro defunctis.

Ex conc. Coyacensi, sub Leone IX, an. 1050. — 3. Presbyteri non sacrificent cum calice ligneo vel fictili, vestes presbyteri sint in sacrificio, amictus, alba, cingulum, stola, dalmatica, manipulus, altaris ara tota sit lapidea, et ab episcopis consecrata, hostia sit ex frumento sana et integra, vinum sit mundum, et aqua munda, ita ut inter vinum, hostiam et aquam, Trinitas sit significata, altare sit honeste indutum, et desuper lineum indumentum, mundum subtus calicem, et desuper corporale lineum mundum et integrum.

Ex conc. Compostellano, sub Victore II, an. 1056. — 1. Sacerdotes omnes, episcopi atque presbyteri missam quotidie celebrent.

Ex conc. Rom., sub Nicolao II, an. 1059. — 3. Nullus missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem.

Ex eod. conc. secund. Gratianum. — Sufficit sacerdoti unam missam in die uno celebrare, quia Christus semel passus et totum mundum redemit.

Ex conc. Rom. V, *sub Gregorio VII, an.* 1078. — 13. Omnis Christianus procuret ad missarum solemnia aliquid Deo offerre.

Ex conc. Pictaviensi, sub Paschali II, an. 1100. — 10. Quicunque sacerdotis concubinarii, sive per pecuniam ordinati missam scienter audierint, excommunicationi subjacere debeant.

Ex conc. Lateran. univers. X, *sub Innocentio II, an.* 1139. — 7. Nullus missas eorum audiat, quos uxores vel concubinas habere cognoverit.

Ex conc. Londinensi, sub Alexandro III, an. 1175. — 4. Invenimus tantum decem præfationes in sacro catalogo recipiendas, in Albis Paschalibus in die Ascensionis, Pentecostes, de Natali, de apparitione Domini, de apostolis, de sancta Trinitate, de cruce, de jejunio Quadragesimæ, de beata Virgine ne quis præfatis præfationibus aliquam omnino præsumat adjicere.

Ex conc. Eboracensi, sub Cœlestino III, an. 1194. — 3. Archidiaconorum sollicitudo provideat ut singulis Ecclesiis, ad verum et probatum exemplar, canon missæ cum omni diligentia corrigatur.

4. *Vid. verb.* POENITENTIA.

5. Ne sacerdos aliquis pro celebratione missarum pretio constituto pactum ineat, sed hoc duntaxat quod offerretur in missa recipiat.

9. Cum ornamentis ministerio congruis ministretur, cum calice argenteo, ubi facultas suppetit sacramentum eucharistiæ conficiatur.

Ex conc. Londinensi sub Innocentio III, an. 1200. — 1. A quolibet sacerdote celebrante verba canonis rotunde dicantur, et distincte, nec ex festinatione retracta, nec ex diuturnitate nimis protracta, non est enim ibi diu immorandum propter insurgentes cogitationes, quæ ut muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti.

2. Non liceat presbytero bis in die celebrare, nisi necessitate urgente, et tunc post primam celebrationem diligentissime absorbeantur stillulæ de calice, et digiti sugantur, vel lingua lambantur et laventur, reservata lotura in vase mundo, ad id specialiter deputato, quæ lotura sumatur post secundam celebrationem, nisi in prima celebratione adsit diaconus vel alius minister honestus qui loturam sumere possit.

4. Nullus sacerdos post lapsum antequam confiteatur ad altare præsumat accedere celebraturus, missæ non injungantur in pœnitentia his qui non fuerint sacerdotes.

Ex conc. Oxoniensi sub Honorio III, an. 1222.

12. Presbyter postquam Dominicum corpus sumpserit in altari, si in eadem die missarum solemnia ipsum celebrare oporteat iterato, vinum calici infusum, vel digitis superfusum sumere non præsumat.

13. Ne sacerdos quispiam missarum solemnia celebret bis in die, excepto die Nativitatis et Resurrectionis Dominicæ, vel in exsequiis defunctorum, videlicet cum corpus alicujus in ecclesia eodem die fuerit tumulandum, et tunc prior missa de die, posterior vero pro defuncto celebretur, etc.

Ex conc. Ravennatensi II, *sub Clemente V, an.* 1311. — 4. De cætero semel in anno, videlicet quarta die Junii, vel in proxima sequenti feria, si festum inciderit in die illa, fiat solemne anniversarium per coepiscopos in tota provincia, pro expiatione animarum fidelium defunctorum patronorum, ecclesiarum benefactorum; ad quod sicut in anniversario episcoporum clerus et populus convocetur, et ipsa die pauperes reficiantur.

9. Ne quis de cætero nisi unam tantum in die celebret missam, nisi in casibus a jure permissis; omnes et singuli parochiani saltem in diebus Dominicis audiant missam integram in sua parochiali ecclesia, a qua prius non recedant quam benedictionem post missam receperint, et quicunque contra fecerit, tertio admonitus excommunicatione percellatur.

Ex conc. Ravennat., tempore interregni, an. 1314. — 13. Si aliquis jam promotus ad sacerdotium, aut in futurum quemquam promoveri contigerit, a die suæ promotionis, aut a die publicatæ hujus constitutionis infra tres menses celebrare debeat primam missam, et deinde prout poterit missarum solemnia frequentare, vel saltem semel in anno, alioquin beneficiis omnibus quæ obtinet in provincia Ravennatensi sit

Digitized by Google

eo ipso privatus si sæcularis est, religiosus vero extunc sit ineligibilis active et passive, et ultimus in choro, et in refectorio habeatur, etc. Quibuslibet diebus Mercurii vel Jovis dicatur specialis collecta in missa pro studentibus. Durante vacatione præsenti sedis Ravennatensis Ecclesiæ in singulis ecclesiis cathedralibus quolibet die, et in aliis ecclesiis collegialis vel conventualibus, saltem semel in septimana una missa celebretur in honorem beatæ Virginis de Spiritu sancto vel de Trinitate.

Ex conc. Ravennatensi IV, *sub Joanne XXII, an.* 1317. — 12. Cum missa celebratur in aliqua ecclesia, nullus alius sacerdos missam celebret in eadem, donec missa præfata fuerit plene completa.

Ex conc. Toletano, sub Joanne XXII, an. 1324.—7. Ne aliquis presbyter pro missis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem, sed grate accipiat, si aliquid per facientem missas celebrari, oblatum sibi charitative fuerit absque pacto et conventione quacunque; qui vero contrarium fecerit a celebratione missæ per annum noverit se suspensum.

8. Nullus absque causa necessitatis, excepto die Navitatis Domini præsumat nisi unam missam celebrare in die; presbyteri missam celebrent, ut frequentius poterunt, et ad minus quater in anno, nisi ex causa rationabili quam propriis episcopis notificare habeant.

Ex conc. Saltzburgensi, sub Urbano VI, an. 1386. — 15. Ne presbyteri peregrini vel ignoti ad missarum solemnia celebranda in publico admittantur, nisi per litteras testimoniales, vel canonice de ipsorum ordinatione ecclesiarum prælatis et rectoribus fiat fides.

Ex conc Salisburgensi, sub Martino VI, an. 1420. — 10. Cum in celebratione missarum levatur hostia salutaris, quilibet Deo devote flectat genua, vel saltem se reverenter inclinet, idem faciens cum eam portat presbyter ad infirmum quam in decenti habitu, superposito mundo velamine ferat manifeste ac honorifice ante pectus, cum omni reverentia et timore, et semper nola parvula et lumine (nisi locorum repugnet distantia, vel temporis qualitas), præcedentibus.

28. Quilibet sacerdos provinc. Salzburg. cujuscunque status vel religionis fuerit, infra octo dies, causa legitima cessante, postquam ei de morte archiepiscopi vel proprii episcopi constiterit, per se vel per alium missam pro defunctis dicat.

31. Nullus sacerdotum novitiorum, illa die qua primam missam celebrare voluerit, aliquos ad convivium invitare, aut invitatos habere, aut procurare per se vel per alium ullo modo præsumat.

Ex conc. Frisingensi, sub Eugenio IV, an. 1440. — 19. Nullus missam sine luminibus celebrare præsumat, nec hostiam ante consecrationem in altum quoquomodo elevare.

Ex conc. Turonensi, sub Nicolao V, an. 1448. — 6. Sacerdotes nisi in locis consecratis missas non celebrent.

Ex conc. Toletano, sub Sixto IV, an. 1473 — 12. Clerici universi postquam in presbyteratus ordinem ascenderint, quater in anno missam devote per se saltem celebrent, nisi de consilio sui prælati duxerint abstinendum; contrarium facientes 30 regalium qualibet vice pœnam incurrant, prælati vero ter in anno ad minus celebrent.

Ex conc. Ratisponensi, sub Clemente VII, an. 1524. — 14. Ordinati in aliena diœcesi ad divina peragenda prius non admittantur, quam ab episcopo vel vicario seu officiali fuerint rite admissi.

17. Presbyteri peregrini et ignoti ad missarum sacrificium non admittantur, nec ultra mensis spatium in consortio presbyterorum tolerentur, nisi exhibeant litteras admissionis alterius ex archiepiscopis vel episcopis, in cujus diœcesim se transtulerint ac documenta et litteras testimoniales sui ordinarii a cujus diœcesi proxime discesserunt.

Ex conc. Senonensi, sub Clemente VII, an. 1528, *de Fide.* — 14. Non liceat in oratoriis privatis quæ in domibus privatorum interdum habentur missas celebrare prætextu dispensationis sedis apostolicæ, nisi prius visis ab episcopis recognitis, et approbatis dictis litteris dispensationis.

15. In capellis ab antiquo etiam, episcoporum auctoritate fundatis, aliæ missæ non celebrentur quam illæ quæ de fundatione exstiterint, et quæ sint missæ quæ ex tenore fundationis dici debeant die Dominico, non dicantur nisi post missam parochialem.

Ex conc. Coloniensi I, *sub Paulo III, an.* 1536, *part.* II. — 11. Prosas indoctas nuperius missalibus cæco quodam judicio invectas prætermittere per nos liceret, videbimur ergo operæ pretium facturi, si missalia perinde ac breviaria pervideri curemus.

12. Recitatio verborum propheticorum aut apostolicorum, quam epistolam vocamus, symbolum fidei, præfatio quæ et gratiarum actio, atque precatio Dominica ob cantorum et organorum concentum non omittantur aut decurtentur, sitque cantus quo presbytero respondetur æqualis nec præcipitatus.

13. Qui legit missam cum reverenda modestia clare, distincte et exerte legat omnia usque ad canonem.

14. Antiphonæ contra mortalitatem seu cladem aut pro pace, satius post finitam missam canantur quam post elevationem consecrati corporis et sanguinis Dominici.

15. Organorum melodia in templis sic adhibebitur, ne lasciviam magis quam devotionem excitet, neve præter hymnos divinos ac cantica spiritualia quidquam resonet.

16. Quæ prisca Ecclesia singulis Dominicis peculiaria fecit observentur; quod si illorum loco alia usurpanda erunt, videbitur quod de resurrectione Domini est, diei Dominico magis convenire.

17. Confessio illa, missæ præambulum, devote cum ministris uno aut pluribus vicissim consistentibus, ac sacerdotis bene-

Digitized by Google

dictionem in verbo Christi recipientibus recitanda.

Ibid., part. VII. — 24. Qui juxta Ecclesiæ ritum singulis Dominicis diebus ad communicandum corpori et sanguini Dominico non se præparant, missæ saltem parochiali hisce aliisque festis diebus intersint, etc. Ne vero populus ab hac missa parochiali, et ab auditione verbi Dei distrahatur, placuit nobis ut si quæ sint aliæ missæ legendæ die Dominico hæ inchoentur primum post verbi prædicationem finitam.

26. Omnes fideles qui in solemnitatibus sacris ad ecclesiam conveniunt, et Scripturas apostolorum et Evangelium audiant.

28. Exsequias ac missas quæ pro defunctis peculiariter dicuntur, malumus in alium diem transferri, quam die Dominico celebrari, nisi tamen plebs diei translatione gravaretur

Ex conc. Augustensi, sub Paulo III, an. 1534. — 18. Canon missæ submissa voce, excepta Dominica oratione, pacis exoptatione, Dei invocatione, et postrema populi salutatione pronuntietur, sub elevatione sacræ hostiæ, antiphonæ ad hoc sacrificium tantum pertinentes cantentur, etc. Ignotos sacerdotes, et qui publicis criminibus infames sunt, aut solum quæstum sectantur, a celebratione hujus sacri repelli jubemus.

Ex conc. Coloniensi II, *sub Paulo III, an.* 1549, *cens. contra abusus.* — 18. Tollatur abusus, quo quidam ubi multæ celebrantur missæ ab altari ad altare discurrunt, nulli sacrificio pene intenti; in oppidis vero et pagis cœmeteria circumambulant, donec detur ad hostiæ elevationem signum, qua vel e longinquo conspecta ac salutata putant se hominis Christiani officio abunde perfunctos.

19. In ecclesiis parochialibus, ubi propter populum in unum collectum, et in minoribus collegiis ac monasteriis dicendæ sunt missæ speciales, sacerdotes eas finiant ante solemnis missæ evangelium, aut ad summum ante actionem, aut ab ejus communione facta incipiant, ne populus in diversa distrahatur, etc. Ubi vero amplæ sunt ecclesiæ, sic in oratoria distinctæ ut in locis diversis, diversus accipiatur populus, poterunt singulis populorum turmis, singulæ missæ celebrari, sub concione autem nulli sacerdotum liceat in ecclesia illa missam celebrare.

Ex conc. Moguntino, sub Paulo III, an. 1549. — 54. Ne quis sacerdos solus ad celebrandam missam accedere præsumat, sed ad minimum uno aut altero quasi teste adhibito.

55. Presbyter qui vespertinam compotationem usque ad intempestam noctem produxerit, et mane adhuc hesternam crapulam eructans celebrare præsumpserit, aut qui hoc sacro mysterio ad superstitiones abuti ausus fuerit, prælati sui arbitrio severe puniatur, similiter et hi qui talem vitæ turpitudinem, levitatem aut negligentiam ad celebrationem missarum attulerint.

56. Ne aliter liceat cuiquam missam celebrare quam præmissa confessione et oblatione emendato, iis quæ hujus sacrificii devotio requirit antea persolutis.

57. Ne deinceps concionis tempore, aut sub solemni missa, aliæ speciales missæ celebrentur, sed aut concionem et solemne sacrum præcedant, aut in aliud tempus differantur.

60. Duma novitiis sacerd. etc. (vid. *Conc. Salisburg.* 1420, c. 31), choreæ et sæculares pompæ omnino omittantur, et convivia non permittantur, nisi inter paucos amicos, et ea sobria tamen, et quæ sine luxu et in timore Domini ineantur.

95. Sacellani nobilium in sacellis castrorum missas celebrare, aut alia sacramenta conferre, aut etiam prædicare non præsumant, nisi super eo auctoritatem et consensum ordinarium obtinuerint, et prius manualem promissionem episcopo seu loci illius archipresbytero fecerint, se in obedientia diœcesani mansuros, et ad synodos et capitula venturos, etc.

Ex conc. Trevirensi, sub Paulo III, an. 1549.—9. Ne quis sacerdos missarum solemnia publica celebrare præsumat, nisi ad minus duobus præsentibus; quod si in privata missa commode fieri non potest, ad minus adsit unus, etc. Jejunus quilibet celebret, et velato capite altari assistere, aut ita ad illud accedere nullus omnino præsumat, qui contrarium præsumpserit excommunicetur, etc. (Vid. *Conc. Mogunt*, 1549, c. 57.)

Ex conc. Trident. gen. XVIII, *sub Julio III an.* 1551, *sess.* 13, *de sanctæ Eucharistiæ sacramento.* — 7. Si necessitate urgente sacerdos (mortalis peccati conscius) absque prævia confessione celebraverit quamprimum confiteatur.

Sub Pio IV, an. 1562, *sess.* 22, *de observandis in celebratione missarum.* — 1 Episcopi omnino prohibeant cujusvis generis mercedum conditiones, pacta et quidquid pro missis novis celebrandis datur, necnon importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, etc.

2. Singulis in suis diœcesibus interdicant, ne cui vago et ignoto sacerdoti missas celebrare liceat.

3. Neminem qui publice et notorie criminosus sit, aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittant.

4. Ne patiantur privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a sæcularibus aut regularibus quibuscunque peragi.

5. Ab ecclesiis musicas eas ubi sive organo sive cantu lascivum aut impudicum aliquid miscetur, item sæculares omnes actiones, vana atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant.

6. Ne sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent, neve ritus alios, aut alias cæremonias, aut preces in missarum celebratione adhibeant, præter eas quæ ab ecclesia probatæ ac frequenti et laudabili usu receptæ fuerint.

Digitized by Google

7. Quarumdam missarum et candelarum certum numerum, qui magis a superstitioso cultu, quam a vera religione inventus est, omnino ab ecclesia removeant.

8. Moneant populum ut frequenter ad suas parochias saltem diebus Dominicis, et majoribus festis accedant.

Ibid., sess. 23, *de reformat.* — 14. Curet episcopus ut presbyteri saltem diebus Dominicis et festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant, missas celebrent.

Ibid., sess. 25, *de Purgator.* — 4. Episcopi in synodo diœcesana, item abbates et generales ordinum possint pro sua conscientia, in Ecclesiis (quibus incumbit onus multarum missarum celebrandarum) statuere circa hæc quidquid magis ad Dei honorem et cultum, atque ecclesiarum utilitatem viderint expedire, ita tamen ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute, legata ea ad pios usus reliquerunt.

Ex conc. Mediolanensi I, *sub Pio IV, an.* 1565, *part.* II. — 5. Nemo clericus vel laicus in suis sæcularibus ecclesiis, capellis vel oratoriis, quamvis ab ordinario probatis, etiamsi jurispatronatus sint, quemquam sæcularem, vel regularem sacerdotem celebrare patiatur, qui scriptam celebrandi facultatem singulis sex mensibus renovandam ab episcopo non impetrarit. Clericis alienæ diœcesis rei divinæ faciendæ facultatem ne permittat episcopus, nisi ostendant litteras testimoniales seu dimissorias ordinarii sui, etc. missæ nec ante auroram, nec post meridiem nisi ex causa jure permissa celebrentur, etc. Nemini sine facultate ab ordinario scriptis impetrata, in oratoriis sodalitatum sæcularium quas confraternitates vocant, aliisve ecclesiis, capellis aut oratoriis sæcularibus, quæ parochialis ecclesiæ finibus continentur missam celebrare liceat Dominicis, et reliquis festis diebus, nisi absoluta concione, etc.

56. Episcopus missam majorem et vesperas, nisi impediatur, paschalibus et aliis majoribus festis diebus cantet, diebus dominicis et festis duplicibus canonicus hebdomadarius id faciat, episcopo et omni qui in Ecclesia dignitate præditus sit, et canonico, die festo solemnem missam celebranti assistat sacerdos, qui assistens dicitur, pluviali indutus, diaconus etiam et subdiaconus eisdem ministrent sacris vestibus induti, etc. Diaconi et subdiaconi qui ex jure statuto, vel consuetudine, certis diebus altari ministrare debent, si defuerint, ejus horæ distributionem ne capiant, quorum vices subeant ii quos chori præfectus jusserit, quibus detur aliqua pars distributionis quæ absentibus est adempta, etc.

Ex conc. Mediolanensi II, *sub Pio V, an.* 1569, *tit.* II. — 2. Missas celebrandi facultas sexto quoque mense renovanda, ea vel longiori temporis spatio arbitratu episcopi concedi, vel semel concessa prorogari possit.

3. Ne in monialium ecclesiis, ac ne in aliis quidem quæ episcopi curæ subjectæ non sunt, sæculari cuiquam sacerdoti missæ sacrum facere liceat, præterquam cui nominatim id ab episcopo concessum est.

4. Ecclesiastica dignitate, aut canonicatu præditus si in ecclesia ubi eam, eumve obtinet, missas conventuales ad episcopi præscriptum celebrare contempserit, vel neglexerit non solum tridui distributionibus mulctetur, verum etiam ab ordinis sui munere suspendatur.

5. Qui ecclesiasticum beneficium obtinet cui id oneris injunctum est, ut rector, vel toto anno, vel certis diebus missam celebret, is singulis mensibus saltem semel missam quæ de defunctis dicitur, pro illis mortuis celebret, qui vel illud dotarint, vel aliquid ei legarint.

6. Cum corpus Jesu Christi sustollendum est in missa conventuali vel parochiali, tum signum sono campanæ detur.

Ex conc. Mediolan. III, *sub Gregorio XIII, an.* 1573. — 1. Festis diebus sacrosancto missæ sacrificio fideles omnes intersint, nec excusentur puellæ nubiles, nec deinceps viduæ ob recentem mariti mortem.

Vide etiam verb. SACRIFICIUM.

MODESTIA, MODERATIO

[Ex SS. Patribus.]

S. CLEMENS Alexand., *Pædag.*, lib. III, tom. I. — Modus est ubique attendendus. Quemadmodum enim est optimum ut labores cibos præcedant; ita supra modum laborare, est et pessimum, et molestum, et morborum causa. Neque ergo oportet esse omnino otiosum, neque penitus labore fatigatum. Sicut enim de alimento diximus, ita etiam dicendum est ubique in omnibus. Non ad voluptatem, luxuriosamque rationem vita agenda est; nec rursus ad contrariam, et quæ nullum habeat temperamentum, sed eam quæ inter hæc medium locum obtinet, estque temperata ac moderata, et pura ab utroque vitio, deliciorum scilicet et parcitatis.

S. BASIL., epist 11, *de perfectione vitæ monast.* tom. III. — Oportet Christianum ea quæ vocatione cœlesti digna sunt, sentire, ac dignam Evangelio Christi vitam degere. Non oportet Christianum animo evagari, neque ulla re a recordatione Dei ejusque placitorum et judiciorum abduci. — Non oportet quemquam vel sui ipsius dominum esse, sed velut a Deo traditum in servitutem fratribus unanimis, ita et sentire omnia, et facere; unumquemque tamen in suo ordine. Non oportet murmurare, nec in rerum necessariarum angustiis, nec in operum labore, quandoquidem unumquodque judicii est eorum, quibus commissa rerum illarum potestas. Nec clamor fieri debet, nec quævis alia species, aut motus ex quo significetur

Digitized by Google

iracundia, aut animi aberratio ab hac persuasione Deum esse præsentem. Oportet vocem usu metiri. Non oportet petulanter aut contemptim cuiquam respondere, aut quidquam facere, sed in omnibus modestiam atque reverentiam erga omnes ostendere. Non oculis innuendum est cum dolo; nec alia quælibet species adhibenda, aut membri motus qui fratri afferat tristitiam, aut contemptum indicet. Ornatus in vestibus aut calceis quæri non debet, quod quidem vana ostentatio est. Viliora quæque adhibenda ad usum corporis. Nihil ultra id quod necessarium est; aut ad magnificentiam insumendum; quod quidem abusus est. Honor exquirendus non est, aut ambiendus primatus. Debet unusquisque cæteros sibi anteferre. Non oportet inobsequentem esse. Non oportet otiosum comedere eum qui occupatur in eorum aliquo, quæ ad Christi gloriam præclare fiunt, vim sibi ipsi facere debet ad studium operis pro viribus conficiendi. Oportet unumquemque, præpositis approbantibus, cum ratione et animi persuasione ita omnia facere, usque ad ipsum etiam esum et potum, ut ad Dei gloriam referenda.

S. Basil., epist. 8. — Modus omnis, ut etiam est in proverbio, optimus est.

S. Gregor. Nazianz., orat. 27, tom. I. — Agnoscamus ut in vestitu, victu, risu, atque incessu, sic in sermone ac silentio modum quemdam ac decorum tenendum esse.

S. Ambros., *De officio ministrorum*, lib. I tom. VI. — Teneamus verecundiam, et eam quæ totius vitæ ornatum attollit, modestia. Non enim mediocre est rebus singulis modum servare, atque impartiri ordinem in quo vere prælucet illud quod decorum dicitur: quod ita cum honesto jungitur, ut separari non queat. Siquidem et quod decet, honestum est; et quod honestum est decet, ut magis in sermone distinctio sit, quam in virtute discretio; differre enim ea inter se intelligi potest, explicari non potest. Et ut conemur aliquid eruere distinctionis, honestas velut bona valetudo est, et quædam salubritas corporis; decus autem tanquam venustas et pulchritudo. Sicut ergo pulchritudo super salubritatem ac valetudinem videtur excellere, et tamen sine his esse non potest, neque ullo separari modo; quoniam nisi bona valetudo sit, pulchritudo esse ac venustas non potest, sic honestas decorum illud in se continet, ut ab ea profectum videatur, et sine ea esse non possit. Velut salubritas igitur totius operis actusque nostri honestas est; et sicut species est decorum, quod cum honestate confusum opinione distinguitur. Nam etsi in aliquo videatur excellere, tamen in radice est honestatis, sed flore præcipuo, ut sine ea decidat, in ea floreat. Quid enim est honestas, nisi quæ turpitudinem quasi mortem fugiat? Quid vero inhonestum, nisi quod ariditatem ac mortem afferat? Virente igitur substantia virtutis, decorum illud tanquam flos emicat, quia radix salva est. At vero propositi nostri radice vitiosa, nihil germinat.

Idem, *ibid.* — Nonne ipsa natura est magistra verecundiæ? Cujus exemplo modestia hominum (quam a modo scientiæ quid deceret appellatam arbitror) id quod in hac nostri corporis fabrica abditum reperit, operuit et texit; ut ostium illud quod ex transverso faciendum in arca illa Noe justo dictum est, in qua vel Ecclesiæ, vel nostri figura est corporis; per quod ostium egeruntur reliquiæ ciborum. Ergo naturæ opifex sic nostræ suduit verecundiæ, sic decorum illud et honestum in nostro custodivit corpore, ut ductus quosdam atque exitus cuniculorum nostrorum post tergum relegaret, atque ab aspectu nostro averteret, ne purgatio ventris visum oculorum offenderet: De quo pulchre Apostolus ait, ***Quæ videntur membra corporis infirmiora, necessariora sunt; et quæ putamus ignobiliora esse membra corporis, his abundantiorem honorem circundamus; et quæ inhonesta sunt nostra, honestatem abundantiorem habent.*** (*I Cor.* XII, 23).

Idem, lib. I *De pœnitentia*, tom II. — Si virtutum finis ille est maximus, qui plurimum spectat profectum, moderatio prope omnium pulcherrima est.

S. Chrysost., hom. 72, al. 73, *in Matth.*, tom. VII. — ***Qui major est vestrum, sit minister vester: qui enim se exaltaverit, humiliabitur; et qui se humiliaverit, exaltabitur;*** (*Matth.* XXIII, 11, 12.) Nihil enim modestia præstantius; ideoque hanc virtutem illis commendat (Christus). Et quando parvulos in medium adduxit, et nunc etiam, ac cum in monte beatitudines efferret, hinc incœpit, in vero superbiam radicitus evellit; cum dicit: ***Qui humiliat seipsum, exaltabitur.*** Vidistin, quomodo ad contrarium ex diametro auditorem impellat? neque enim solum impedit primas amare, sed et extrema sequi jubet. Sic enim optata consequeris, inquit, ideo oportet eum qui primarum sedium cupiditatem pellit, extremum ordinem appetere. Nam ***qui se humiliaverit exaltabitur.***

S. August., *Contra Cresconicum donatistam*, lib. III, tom. IX. — In omnibus tenendus est modus aptus humanitati, congruus charitati, ut nec totum quod potestatis est exseratur, et in eo quod exseritur, dilectio non amittatur; in eo autem quod non exseritur, mansuetudo monstretur. Ubi vero nulla ex divinis humanisve legibus potestas conceditur, nihil improbe atque imprudenter audeatur.

Idem, *Regula.* — In omnibus moribus nostris nil fiat, quod cujusque offendat aspectum, sed quod nostram deceat sanctitatem.

S. Bernard., serm. 18 *De diversis.*, tom. I. — ***Modestia vestra nota sit omnibus hominibus; Dominus prope est.*** (*Philip.* IV, 5.) Quid modestia nostra, nisi mansuetudo et potientia est? Gaudeamus ergo de his quæ exspectamus, quoniam Dominus prope est. Iterum gaudeamus de his quæ sustinemus ut modestia nostra omnibus nota sit. Nimi-

Digitized by Google

rum *tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.* (*Rom.* v, 4.)

S. Bern., serm. 4, *in vigilia Nativitatis Domini, tom.* I.— *Modestia vestra nota sit,* etc. Dignum est enim ut modestia nostra nota sit, sicut Domini Dei nostri modestia cunctis innotuit. Quid enim magis incongruum, quam ut immoderate agat homo, conscius propriæ infirmitatis, quandoquidem apparuit inter homines modestus Dominus majestatis? *Discite,* inquit, *a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* xi, 39), ut possit etiam modestia vestra innotescere cæteris.

Idem, egregie modestiam describit, in epist. 113, *Sophiæ virgini,* tom. I.— Tu noli æmulari in malignantibus et mendicantibus pulchritudinem alienam, ubi perdiderint suam. Nativo quippe et interno se produnt decore nudas, quæ tanto studio et pretio de diversis et variis speciebus ejus quæ præterit figuræ mundi, foris sibi conficere satagunt, unde oculis insipientium appareant speciose. Indignum tibi judica, formam a pellibus murium, et operibus vermium mutuari : tua tibi sufficiat. Ille est verus propriusque cujusque rei decor qui, nulla interjacente materia, per se inest. O quam decenti rubore genas suffundit virgineas ingeniti gemma pudoris! Quæ inaures reginarum huic comparabuntur? Nec inferioris insigne decoris disciplina præfert. O quam compositum reddit omnem puellaris corporis statum, nedum (*al.* necnon) et mentis habitum, disciplina? Cervicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frenat, iram sedat, format incessum. Talibus decet pudicitiæ vestem distingui margaritis. Istiusmodi circumdata varietate virginitas, cui gloriæ merito non præfertur? Angelicæ? Angelus habet virginitatem, sed non carnem : sane felicior, quam fortior in hac parte. Optimus et optabilis valde ornatus iste, qui et angelis possit esse invidiosus.

Modestiæ et verecundiæ cognatio.

Idem, *Tract. de ordine vitæ;* tom. II. — Magna autem est modestia individua verecundiæ socia : quæ cum sit sui juris remissior, nihil usurpans, nihil vindicans, et quodammodo intra vires suas contractior, dives est apud Deum. Verecunda modestia, et modesta verecundia est : quæ nulli insidias machinatur, læsa non irascitur; et cunctos simpliciter respiciens, de nullo sinistrum aliquid suspicatur. Hanc teneamus pueri, hanc diligamus; et ut eam semper habere possimus, fugienda est nobis familiaritas et confabulatio eorum qui turpiter et indisciplinate vivunt. Talium autem infinitus est numerus. Habet sane suos scopulos verecundia, non quos ipsa invehit, sed quos sæpe incurrit, si intemperantium incidamus consortia, qui sub specie jucunditatis venenum infundunt bonis. Hi si assidui sunt, maxime in convivio, ludo, risu ac joco, enervant gravitatem illam virilem, et animos pueriles corrumpunt, atque suis malis assuefaciunt. Caveamus itaque ne dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum. Usus enim cito inflectit naturam. Quam multos stultorum societas decipit? Quid nobis cum fabulis, risu et joco? Nam licet interdum honesta joca suavia sint, tamen ab Ecclesiastica aberrant regula, quoniam quæ in Scripturis sanctis non reperimus, quomodo usurpare possumus? Cavenda sunt enim omnia quæ inflectere possunt gravitatem propositi nostri nostræque professionis. *Væ vobis qui ridetis, quia flebitis vos,* Dominus ait. (*Luc* vi, 24, 25.)

MORBUS SEU ÆGROTATIO, ET MORBUS ANIMI

[Ex SS. Patribus.]

I. *Morbi varii.*

Const. Apost., lib. v, tom. I. — Qui abnegando spem suam, hoc est Jesum Filium Dei, a morte temporaria liberatus est; si cras in lecto incidat in morbum acutissimum ventris, aut stomachi, aut capitis, vel in aliquod vitium insanabile, tabis vel gangrenæ, vel abscessus, vel volvuli, vel aquæ intercutis, vel colici affectus, et celeri exitu e vita discedat; nonne et præsentibus bonis privatus est, et ab æternis excidit; quinimo æternum supplicium subiit, profectus ad tenebras exteriores, ubi fletus et stridor dentium?

S. Clem., hom. 9, t. I. — Multi nescientes unde inspirentur, pravis dæmonum suggestionibus, tanquam animæ suæ considerationi consentiunt. Quapropter ad illos adeundos, qui ipsos servare possent, fiunt seguiores; hosque ab insidiantibus dæmonibus capti ignorant. Itaque per latentes in eorum animabus dæmones datur illis intelligi, se non a dæmone vexari, sed a corporis morbo; exempli gratia, vel ab acri materia, vel a bile, vel a pituita, vel a nimio sanguine, vel ab inflammata cerebri membrana, vel ab alio quopiam. Quod etsi esset, neque ipsum desineret esse dæmonis species. Universalis enim ac terrestris anima, propter omnes cibos penetrans, ex nimio alimento nimis assumpta, ipsa quidem unitur spiritui tanquam affini, hoc est hominis animæ; quod autem in nutrimento crassum est, cum corpore unitum, sicut grave illi relinquitur venenum. Quocirca in omnibus bona est frugalitas.

II. *Morbi animæ et corporis unde nascuntur?*

Philo Judæus, *De confusione linguarum.* — Sensuum orbationes morbique. — aliquando mentem agunt in præcipitia; et hæc quidem a fortuna impendent, vehemen-

Digitized by Google

ter difficilia miseraque, leviora tamen, si conferantur cum malis voluntariis. Quis autem sit horum quoque concentus, rursum per se consideremus. Cum anima nostra tripartita sit, pars ejus mens et ratio, pars ira, pars concupiscentia esse dicitur. Singulæ suis morbis laborant, atque etiam inter se communibus universæ : quoties mens quidem imprudentiæ, timiditatis, luxuriæ, injustitiæ segetes demetit : ira vero immanes furiosasque rabies, et cætera quibus gravida est mala parit : concupiscentia quoque amores semper juveniliter leves, et temere ad quævis corpora et ad quaslibet res advolantes, quocunque immittit. Tunc enim tanquam in navi nautis, vectoribus, gubernatoribus, per dementiam in ejus perniciem consonantibus, etiam qui perdunt una pereunt. Gravissimum enim malorum est, et pene solum insanabile, omnium animæ partium ad peccandum consensus, cum tanquam in publica pestilentia nihil sani fit reliquum, quod ægrotis mederi possit : sed et medici una cum vulgo laborant, eadem qua cæteri lue correpti.

III. *Morbi quatenus mediis naturalibus sanentur.*

Phil. Jud. lib. II *Legis allegoriarum.* — Opinor sanitatem meram quam nullus morbus præcessit in corpore, Deum per semet solum largiri ; liberationem autem a morbo etiam per artem et medicinam : dum sinit et a scientia et ab artifice nos juvari in speciem, ipse sanans vel per hæc, vel citra horum operam. Ad eumdem quoque modum se habet anima. Bona et alimenta largitur ei per se ipsum : per angelos vero et sermones, quidquid ad sanandos morbos pertinet.

IV. *Exploditur error qui morborum causas astris assignat*

Origen., *Comment. in Matth.*, t. III. — Quæramus primum qua ratione Lunaticus esse dicatur, cui a spiritu aliquo immundo, et surdo, et muto, vertigo et tenebræ effunduntur, ab eoque affligitur, et quamobrem morbus ille a magna illa cœlesti, et a sole altera lampade nomen traxit, quam constituit Deus *ut præesset nocti.* (*Gen.* I, 16.) De rerum ergo natura disputent medici, quippe quibus persuasum sit spiritum impurum minime hic esse, sed morbum corporis duntaxat, ac disputantes dicant per quemdam cum lunari lumine, quod humida præditum est natura, consensum et convenientiam, humores in capite contentos moveri ; nos autem qui morbum hunc in ægris a spiritu immundo, muto et surdo genitum videri Evangelio credimus, et iis qui eo prope modo quo Ægyptii incantatores sanationem promittere more illorum soliti sunt, feliciter successisse credi inter ipsos videmus, ne ansam præbeamus Dei operibus ita calumniandis, ut *iniquitatem in excelso loquantur, et ponant in cœlum os suum* (*Psal.* LXXII, 8, 9), dicemus spiritum hunc impurum certas lunæ figuras observare, atque ita operari, ut cum observatum fuerit sub tali lunæ figura affici homines, non mutus et surdus dæmon tanti mali causam habere videatur, sed magna illa cœlestis fax, quæ constituta est ut nocti præsit, neque ullum habet morbi hujus inter homines imperium.

Ac ii quidem omnes *iniquitatem in excelso loquuntur*, quicunque astrorum constitutione morborum omnium, qui super terram grassantur, sive universalium, sive singularium causam contineri pronuntiant ; et ii revera *posuerunt in cœlum os suum*, cum sidera alia malefica, alia benefica esse dicunt ; cum nullum astrum a rerum omnium Deo ad id conditum sit, ut noceat, sicut a Jeremia in Threnis scriptum est : *Ex ore Altissimi egredientur honesta et bona.* (*Thr.* III, 38.) Quemadmodum autem impurus ille spiritus morbum hunc efficiens qui lunaticus appellatur, lunæ figuras observat, ut eum vexet qui sibi certis de causis traditus est, nec dignum se præstitit qui angeli custodiæ committeretur ; ita et alios spiritus ac dæmones aliorum siderum figurationes observare verisimile est, ut non luna duntaxat, sed et alia astra obtrectationibus et conviciis ab iis appetantur qui *iniquitatem in excelso loquuntur.* (*Psal.* LXXII, 8.) Genethliacos certe audire operæ pretium est, insaniæ omnis et furoris a dæmone immissi causam ad lunæ figuras referentes. Constat sane in aquam cadere eos aliquando qui hoc laborant morbo, quem lunaticum appellant ; cadere autem et illos in ignem, rarius quidem, sed nonnunquam tamen manifestum est, et sanatu difficilem esse morbum hunc, adeo ut qui sanandorum dæmoniacorum gratia pollent, aliquando curandi illius spem abjiciant ; aliquando autem cum jejuniis et orationibus, plurimisque laboribus feliciter eum et ex voto sanent. — *Quin et ad illud animum advertamus : hoc genus non ejicitur, nisi in oratione et jejunio* (*Matth.* XVII, 20), ut si in curando aliquo cum ejusmodi malo conflictante opera aliquando a nobis ponenda sit, non exorcismum adhibeamus, neque interrogemus, nec immundum spiritum quasi audientem alloquamur, sed orationi et jejunio vacantes, dum pro ægro preces fundimus, postulata assequamur, et nostro jejunio spiritum immundum ab eo depellamus.

V. *Morbi animi peccata.*

Idem, *ibid.* — Si videre vis quales sint animi morbi, cogita mihi avaros et gloriosos, et puerorum amatores, et si quis est mulierosus : hos enim in turbis videns, et eorum misertus sanavit. Non vero existimandum est omne peccatum morbum esse, sed illud quod toti animo incubuit. Ita enim videre licet avaros totos argento, ejusque conservationi intentos : ambitiosos gloriolæ ; inhiant enim ad laudes vulgi, hominumque ex infima plebe. Simile item senties de cæteris quos nominavimus, et si quid aliud illis affine est. Quoniam igitur ea verba explicantes : *Curavit languidos eorum* (*Matth.* XIV, 14), non omne peccatum esse morbum diximus, consentaneum est ex Scriptura de

Digitized by Google

illorum differentiis verba facere. Ait quidem Apostolus Corinthiis, qui variis erant peccatis dediti, scribens : *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi.* (*I Cor.* II, 30.) Audi si quidem in his nexum texentem, contextumque e variis peccatis facientem, juxta quem hi quidem sunt infirmi, alii autem imbecilles, plus quam infirmi, et alii præter utrosque, qui dormiunt. Qui enim propter animi debilitatem ad quodvis peccatum proni sunt, nec toti alicui certo peccati generi addicti sunt, velut imbecilles, infirmi sunt tantum; qui vero cum Deum amare deberent toto animo, toto corde, et tota mente, argentum pro eo vel gloriolam, vel mulierem, aut pueros amant, patiuntur hi aliquid infirmitate pejus, et imbecilles sunt. Dormiunt autem qui cum debeant animo attendere et vigilare, id quidem non faciunt, sed præ nimia segnitie voluntate nutant et cogitationibus dormitant; qui somniantes carnem polluunt; id quod maximam habet auctoritatem improbant, et gloriam probris incessunt. Hi quidem propterea quod dormiunt, vanas habent rerum imaginationes somniis per quam similes, vera quidem visa non admittentes, inanibus autem imaginationibus decepti; de quibus et id dicitur in Isaia : *Et sicut somniat sitiens, et bibit, et postquam fuerit expergefactus, adhuc sitit, et anima ejus frustra speravit : sic erunt divitiæ omnium gentium; quæcunque militaverunt in Jerusalem.* (*Isa.* IX, 8.)

VI. *Morbi animæ numerantur in Scripturis, et remedia describuntur.*

ORIGEN., *Comment. in Epist. ad Rom.*, lib. II, t. IV. — Hoc ipsum quod dixit (Apostolus) : Qui ex contentione diffidunt quidem veritati, obtemperant autem iniquitati (*Rom.* II, 8), indiscussum non omittamus. In his enim singulis languores quidam animæ ab Apostolo designantur, quorum medelam nullus inveniet, nisi prius morborum cognoverit causas. Et ideo in divinis Scripturis ægritudines animæ numerantur et remedia describuntur, ut hi qui se apostolicis subdiderint disciplinis, ex his quæ scripta sunt agnitis languoribus suis, curati possint dicere : *Lauda, anima mea, Dominum, qui sanat omnes languores tuos.* (*Psal.* CII, 2, 3.) Unus ergo ex cæteris animæ languor, et quidem pessimus, contentio esse intelligenda est, per quam omne opus pravum geritur. Per hanc hæreses nascuntur, per hanc schismata, et omnia scandala in Ecclesiis generantur, dum hi qui apud semetipsos prudentes sunt, et in conspectu suo sapientes (*Isa.* V, 21), quidquid libuerit pro lege defendunt; et inde fit ut diffidatur quidem veritati, obtemperetur autem iniquitati; diffidere porro, porro non credere; vel non obtemperare solet in Scripturis sanctis inveniri, sicut et in hoc loco : quod forte aptius Latinus interpres posuisset, si dixisset : qui non obediunt veritati, sed obediunt iniquitati. Omnis ergo qui alienum a veritate iter ingreditur, nec sequitur eum qui dixit : *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6), diffidit veritati, et inobediens est ei. Sic qui non solum in actibus, sed et in sensibus et in fide errant; quod maxime ex contentione contingit. Sed et qui sapientiæ obsistunt, et justitiæ, ac sanctificationi, Christo diffidunt qui, sicut veritas est, ita et sapientia, ita et sanctificatio est. (*I Cor.* II, 30.) Non obtemperare autem Christo qui justitia est, hoc est obtemperare iniquitati, et his actibus quos sine dubio consequuntur illa quæ scripta sunt *ira et indignatio, tribulatio et angustia.* (*Rom.* II, 8, 9.)

De ira sæpe jam diximus quod interdum ipse qui ex peccati conscientia animæ incutitur cruciatus, ira appelletur : indignatio autem, ipsius iræ tumor quidam significatur, et per singula quæque commotio : ut si, verbi gratia, vulnus aliquod pessimum ira ponamus : hujus autem tumor et distentio, indignatio vulneris appelletur. Tribulatio vero quam subsequitur angustia, non est similis putanda illi tribulationi, de qua dicit Apostolus, quia *tribulatio patientiam operatur.* (*Rom.* V, 3.) Illa enim talis tribulatio angustiam non habet subsequentem, sicut et ipse Apostolus dicit : *Tribulationem patimur, sed non angustiamur.* (*II Cor.* IV, 8.) Imo vero non solum nullam angustiam tribulatio illa sanctorum, sed latitudinem habet. Denique sic dicit justus : *In tribulatione dilatasti me.* (*Psal.* IV, 2.) Hujus latitudinis et Apostolus conscius sibi ad Corinthios scribit : *Non angustiamini in me, sed angustiamini in visceribus vestris.* Et addidit : *Dilatamini et vos.* (*II Cor.* VI, 12, 13.) Idcirco ergo Deus de sanctis suis quos dilatari novit, et habere intra cordis sui domicilium spatia longe lateque diffusa, dicit : *Habitabo in eis et inambulabo.* (*Levit.* XXVI, 12; *II Cor.* VI, 16.) Hoc munus a Deo inter cætera sapientiæ munera accepit et Salomon, sicut scriptum est : *Et dedit*, inquit, *Dominus Salomoni prudentiam multam valde, et latitudinem cordis.* (*III Reg.* IV, 29.) In hac ergo sanctorum cordis latitudine non solum habitat, sed et inambulat Deus. In peccatorum vero cordibus ubi angustiæ sunt, quia locum dederunt diabolo ingrediendi, ingreditur quidem diabolus, sed non ut habitet, neque ut inambulet; angustiæ enim sunt, sed ut lateat tanquam in caverna; est enim serpens. Sic ergo in se infelix anima quam pessimus hic anguis obsederit, serpentino frigore rigens attrahitur, et coarctatur, atque in omnes angustias cogitur; illa vero quæ obtemperat veritati, instar cœli dilatatur, atque diffunditur et solis justitiæ illustratur radiis, et aula sapientiæ ac veritatis efficitur.

VII. *Morbus utilis, cum peccatum refrenat.*

S. BASIL., hom. *in psal.* XLV, t. I. — Ad dæmones perfugiunt increduli et ad idola, veri Dei cognitione ex illata sibi a diabolo confusione spoliati. Sed et qui Deum agnoscunt, in ferendo de rebus judicio errant, dum inscite utilia postulant, ac quædam petunt ut bona, eis sæpe non conducibilia.

Digitized by Google

alia vero ut mala declinant, quæ sibi aliquando multum allatura erant emolumenti. Exempli causa : ægrotat quis? Morbi molestiam fugiens, rogat sanitatem. Amisit pecunias? Ob hanc jacturam maximo angitur dolore. Erit enim utilis sæpenumero vel morbus, cum videlicet peccantem refrenabit. Et nocua est sanitas tum cum ea fruenti fit peccati occasio. Sic et pecuniæ quibusdam jam ad libidinem inservierunt : paupertas vero plurimos ad vitia magnopere propendentes repressit. Neque igitur refugias quæ non oportet; nec confugias ad quem non oportet. Unum porro vitandum tibi est, peccatum videlicet, et unicum ex malis refugium tibi sit Deus. Ne confidite principibus, ne efferamini animo in incerto divitiarum; ne superbialis ob corporis vires, ne humanæ gloriæ prosequamini splendorem. Nihil horum ducit ad salutem : temporaria omnia, omnia fallacia; refugium unicum Deus : *Maledictus homo qui spem ponit in homine* (*Jerem.* XVII, 5), aut in aliqua re humana.

VIII. *Qui hodie floret corpore, cras est morbo dissolutus.*

S. BASIL., *in Hexaemeron*, hom. 5, tom. I.— *Omnis caro ut fenum, et omnia gloria hominis ut flos feni.* (*Isa.* XL, 6.) Vitæ brevitas, et prosperitatis humanæ lætitia hilaritasque haud diu duratura accommodatissimam apud prophetam sortita est similitudinem. Hodie qui floret corpore, qui præ deliciis carnosus est, qui colorem præ ætatis flore efflorescentem præ se fert, qui viget et acer est, et cujus nequit sustinere impetus, hic idem cras miserabilis est, aut tempore marcidus, aut morbo dissolutus.

IX. *Morborum animi ut et corporum tria genera.*

Idem, append., serm. 2, *de doctrina et admonitione*, t. III. — Non ignoratis eos qui præsunt palam omnibus propositos, veluti scopulos in mari proeminentes, furorem fluctuum hæreticorum excipere, qui dum circa eos franguntur, ea quæ retro sunt, non alluunt. Ego quidem quæ optima esse censeo, partim nunc dixi, partim vobis per omnem vitam suadebo. Etiam si enim me corporis infirmitas constringat, (quam prorsus non ignoratis, quanta mihi adsit, a prima ætate, ad hanc usque senectutem enutrita mecum, meque castigans, secundum justum Dei judicium, qui omnia in sapientia moderatur,) tamen quandiu respirabimus, nihil debemus eorum omittere quæ ad ædificationem bonorum pertinent. Vos vero, cum tria sint ægritudinum genera, ei quod insanabile est similes ne videamini, neque ostendatis animi morbum morbo eorum qui corpore ægrotant, consimilem. Etenim in valetudine parva qui laborant, ipsi accedunt ad medicos; qui vero morbis majoribus correpti fuere, medicos accersunt ad se; qui autem in aliquem atræ bilis morbum prorsus immedicabilem lapsi sunt, ne accedentes quidem admittunt : quod cavete ne vobis nunc accidat, si eos qui mente ac ratione præditi sunt fugiatis. Sed erudimini, atque imit amini timore Domini Dei nostri.

Idem, epist. 212, t. III. — profecto unicum habeo malorum solatium, carnis infirmitatem, quæ mihi persuadet non multum temporis me in hac infelici vita mansurum. Te autem in corporis infirmitatibus adhortor, ut constanter et digne Deo qui nos vocavit, te geras : qui si nos viderit cum gratiarum actione præsentia suscipere, aut sedabit dolores, uti in Job, aut magnis patientiæ coronis remunerabitur in futuro post hanc vitam statu

Idem, epist. 236, t. III. — Morbos tanquam certamen suscipiunt justi, coronas magnas ob patientiam exspectantes.

X. *Morbus corporis sobrietas est mentis.*

S. AMBROS, *Hexaemer.*, l. I. — Et certe in nobis est moderari studia, cohibere iracundiam, coercere cupiditates : in nobis est etiam indulgere luxuriæ, adolere libidines, inflammare iracundiam, vel inflammanti aurem accommodare, elevari magis superbia, effundi in sævitiam, quam reprimi humilitate, diligere mansuetudinem. Quid naturam accusas, o homo? Habet illa velut impedimenta quædam, senectutem et infirmitatem. Sed senectus ipsa in bonis moribus dulcior, in consiliis utilior, ad constantiam subeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines fortior. Infirmitas quoque corporis, sobrietas mentis est. Unde ait Apostolus : *Cum infirmor, tunc potens sum.* (*II Cor.* XII, 10.) Itaque non in virtutibus, sed infirmitatibus gloriabatur. Responsum quoque divinum refulsit oraculo salutari; quia virtus in infirmitate consummatur. Illa cavenda, quæ ex nostra voluntate prodeunt, delicta juventutis, et irrationabiles passiones corporis. Quorum igitur nos sumus domini, horum principia extrinsecus non requiramus; nec derivemus in alios, sed agnoscamus ea quæ proprie nostra sunt. Quod enim possumus non facere si nolumus, hujus electionem mali nobis potius debemus, quam aliis ascribere. Ideo etiam in judiciis istius mundi voluntarios reos, non ex necessitate compulsos, culpa constringit, pœna condemnat. Neque enim si per furorem aliquis innocentem peremerit, obnoxius morti est. Quinetiam ipsius divinæ legis oraculo, si quis per imprudentiam intulerit necem, accipit impunitatis spem, refugii facultatem, ut possit evadere. (*Exod.* XXI, 13.) Hoc igitur de eo quod proprie malum videtur, dictum sit. Mala enim non sunt nisi quæ crimine mentem implicant, et conscientiam ligant. Cæterum pauperiem, ignobilitatem, ægritudinem, mortem nemo sapiens mala dixerit, nec in malorum sorte numeraverit; quia nec contraria istis in bonis habentur maximis, quorum alia nobis ex natura, alia ex commoditate accedere videntur.

Digitized by Google

XI. *Quæ sint ægritudines animæ graves?*

S. Ambros., epist. 29 class. I, t. II.—*Anima mea in manibus tuis semper.* (*Ps.* CXVIII, 109). Erit, si non in carne sit, sed in Spiritu : erit, si se terrenis non misceat. Cum enim ad carnalia reflectitur, tunc ei illecebra obrepit corporis, tunc ira et indignatione exæstuat, tunc mœstitia afficitur, tunc supinatur per arrogantiam, tunc dolore affligitur. Hæ sunt ægritudines animæ graves, quibus plerumque ad mortem cogitur; dum oculi ejus cæcantur, ut non videant veræ lumen gloriæ, et divitias æternæ hæreditatis. Quod si eos ad Deum semper intendat, accipiet a Christo fulgorem sapientiæ; ut illuminatum in agnitione Dei habeat obtutum, videat illam spem nostræ vocationis, aspiciat illud quod est bonum, et placitum, et perfectum; sicut habes in Evangelio, ubi dicit Dominus : *Diligite inimicos vestros, ut imitemini Patrem, qui pluit super justos et injustos;* (*Matth.* v, 44 seq.) Quod est utique bonitatis. Et postea concludit, dicens : *Estote perfecti sicut Pater vester, qui in cœlis est, perfectus est.* (*Matth.*, v, 48.) Charitas enim perfecta est, denique plenitudo legis est. (*Rom.* XIII, 10.) Quid autem tam bonum quam charitas, quæ malum non cogitat? Et ideo terras fugito, in quibus invidia est, ubi ambitio, ubi contentio. Boni ergo illius capacem se anima tua præbeat.

Idem *De pœnitentia*, lib. I. — Ægritudo carnis peccatum repellit; luxuria autem carnis culpam adolet.

XII. *In morbis incantationes et ligamina non adhibenda.*

Quod si prætexat curationes aliquas, etc. — *Vid. verb.* Incantatio.

XIII. *Cur obnoxios morbis nos esse voluerit Deus?*

S. Chrysost., serm. 1. *de Anna*, tom. VI. — Nobis qui ratione sumus et anima exornati, necessarium fuit, ut per has infirmitates morbosque modestia et humilitas ingeneraretur, quandoquidem a principio præ cæteris omnibus primus homo fuerit in superbiam elatus. Alioquin si quemadmodum nostra corpora, sic etiam cœlum constitutum fuisset ac senectuti obnoxium, multi Conditorem imbecillitatis accusassent, ut qui minime posset unum corpus in multos annorum circuitus conservare : jam vero præcisa est illis hæc occasio, cum tanto tempore opera ipsius permaneant.

XIV. *Morbi ad remissionem peccatorum imputantur.*

Idem, *De decem millium tal. debitore*, t. III. — Imputantur omnino nobis ad peccatorum veniam recte facta : quemadmodum et fides ad justitiam. *Ei enim qui non operatur, credit autem in eum qui justificat impium, imputatur fides ejus ad justitiam.* (*Rom.* IV, 5.) Cæterum quid allego fidem et recte facta, cum tribulationes quoque imputentur nobis ad peccatorum condonationem? Et hoc declarat Christus per parabolam Lazari, introducens Abraham dicentem, Lazarum accipere consolationem, quia in vita sua mala acceperat. (*Luc.* XVI, 25.) — Si autem tentationes, morbi, infirmitates, et carnis exitium, quæ nec studio, nec voluntate patimur, imputantur nobis ad peccatorum abolitionem, multo magis recte facta, quæ voluntate et studio persequimur.

XV. *Morbi plurimi orientur ex peccato; quidam veniunt ut probatiores reddamur.*

Idem, hom. 34, al. 33, *in Joan.* t. VIII.— Ut plurimum ægrotante anima, nullo afficimur dolore; si vero corpus tantillum laboret, omnem adhibemus operam ut ipsum ab infirmitate liberemus, eo quod illam sentiamus; ideo Deus corpus castigat ob animæ peccata, ut inferioris partis castigatione, superiori valetudinem pariat. — Quid igitur, inquies, an morbi omnes ex peccatis oriuntur? Non omnes, sed plurimi. Quidam enim ex segnitie ortum habent. Nam gula, ebrietas, segnities, hujusmodi morbos pariunt. Unum porro ubique observandum est, ut plagam omnem cum gratiarum actione feramus. Propter peccati etiam inferuntur morbi : nam in libris Regum quemdam videmus ideo podagra laborantem. Veniunt etiam ut probatiores reddamur; hinc Job dicit Deus : *Ne me putes aliter sic tecum egisse, nisi ut justus appareas.* (*Job* XL, 3.) Sed cur cum de his paralyticis agitur, peccata in medium Christus adducit? Nam et illi cujus Matthæus meminit, ait : *Confide, fili, remittuntur tibi peccata;* et huic, *Vide sanus factus es, noli amplius peccare.* (*Joan.* VIII, 11.)

Scio quosdam nunc paralyticum criminari, quod Christum accusaverit, et ideo illa audisse dicunt. Quid ergo paralytico illo dicemus, de quo Matthæus, quid eadem pene audivit? Nam illi quoque dixit, *remittuntur tibi peccata.* Unde palam est eum, non illa de causa hæc audivisse : quod ex sequentibus clarius ediscere licet. Postea enim, inquit, invenit eum in templo Jesus : quod sane pietatis signum erat, non enim forum et ambulacra petebat, neque cibo et desidiæ se dedebat; sed in templo degebat : etiamsi illinc se ab omnibus pellendum exspectaret, nihil ipsi suasit, ut a templo discederet. Cum ergo Christus illum invenisset; postquam cum Judæis locutus fuerat, nihil hujusmodi subindicavit. Quod si hac de re illum accusare voluisset, dixisset illi : Rursus in iisdem persistis, nec ex recuperata valetudine factus es melior? Verum nihil dicit hujusmodi, sed in posterum cautiorem reddit. Cur autem cum claudos et mutilos curat, nihil hujusmodi loquitur? Mihi quidem videtur his quidem morbum in peccatorum pœnam venisse, aliis vero ex corporea infirmitate. Nisi hoc esset, alios quoque eadem de causa allocutus fuisset. Cum enim hic morbus cæterorum omnium sit gravissimus, per eum etiam minoribus remedium præbet. Sicut enim cum alium quemdam curavisset, præcipit ei ut daret gloriam Deo; non illi soli hoc monitum dans, sed per illum omnibus; sic per hos etiam, cæteros

Digitized by Google

omnes hortatur et hæc monita dat singulis.

XVI. *Morbus et ærumnæ non mala sunt.*

S. Chrys., lib. I *ad eos qui scandalizati sunt*, tom. III. — Audi Salomonem qui deliciarum omne genus tentavit, et ait: *Melius est ire ad domum luctus, quam ire domum convivii.* (*Eccle.* VII, 3.) — At mala res est morbus! Unde igitur Lazarus coronam reportavit? Sed mala paupertas! Unde vero Job gloriam est consecutus? At noxiæ afflictiones, frequentes et continuæ: unde autem factum est, ut apostoli celebres et illustres evaderent? Quæ porro via ducit ad vitam? Nonne arcta et angusta? Noli ergo dicere: Cur hoc? ad quid hoc? Sed tam in dispensationibus quam in creaturis Dei, quod silentium præbet lutum figulo, idem et ipse Conditori tuo præbe, mi homo.

XVII. *Animæ morbi quilibet semper curari possunt.*

Idem, *Ad Theodorum lapsum*, I, t. I. — Neque enim solum corporis, sed etiam animæ vulnera inducunt mortem. Attamen eo insipientiæ venimus, ut illa diligenter curemus, hæc negligamus: quanquam corpus insanabili sæpe morbo laboret, nihil tamen de salute desperamus: ac licet medici frequenter dicant, morbo non posse remedium afferri, instamus nihilominus rogantes aliquam vel tantillam afferri consolationem: in morbis autem animæ, quorum nulli insanabiles sunt, quippe qui a naturæ necessitate non procedant, ac si alienæ essent infirmitates perinde negligenter agimus, imo desperamus: atque ubi natura morbi deploratam valetudinem esse suadet, ac si spes esset multa salutis, curam adhibemus; ubi vero nulla desperandi causa, despondemus animum, et ab omni cura absistimus: usque adeo majorem corporis quam animæ rationem habemus. Quapropter ne corpus quidem servare possumus: nam qui quod præcipuum est negligit, et in minoribus omnem sollicitudinem ponit, utraque destruit et perdit: qui autem ordinem servat, et quod prius est maxime curat, etiamsi quod posterius est negligat, per salutem illius hoc etiam conservat. Id vero Christus nobis declarat his verbis: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* (*Matth.* X, 28.)

Nunquid jam tibi persuasum est nunquam de animæ morbis quasi insanabilibus desperandum esse, an vero necesse est et alia adhibere ratiocinia? Quantumlibet enim ipse animum despondeas, nos nunquam de te desperabimus: neque id quod aliis vitio vertimus, ipsi admittemus; licet non par et æquale sit, aliquem de se ipso desperare, aut alium de ipso. Nam qui de alio talem habet opinionem, cito veniam obtinebit; qui autem de se ipso, non item. Quare? Quia ille quidem ejus studium et pœnitentiam in potestate non habet: sed ipse solus obtinet. Nihilo magis tamen ideo de te desperabimus, etiamsi tu millies animum despondeas. Fortasse enim, fortasse, inquam, aliquis ad virtutem regressus, aliqua pristinæ vitæ redintegratio dabitur. Audi sequentia: Ninivitæ, audito propheta vehementer comminante: *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur.* (*Jon.* III, 4.) No ita quidem animo conciderunt, sed etiamsi nulla de Deo exorando spes videretur esse, imo potius contrarium ex oraculo suaderetur, non enim cum distinctione quapiam id dictum fuerat, sed apertum decretum erat; nihilo tamen minus pœnitentiam exhibuere dicentes: *Quis scit num pœnitentiam aget, et exorabitur Deus, et avertetur ab ira furoris sui, et non peribimus? Et vidit Deus opera eorum, quod aversi essent a viis suis malis. Et pœnitebit Deus super malitia, quam dixerat se facturum et non fecit.* (*Ibid.*)

Quod si homines barbari et indocti tantum potuerunt intelligere, multo magis nos id facere oportet, qui divinis dogmatibus eruditi sumus, et multa hujusmodi exempla tam verbis quam operibus exhibita vidimus. *Non enim*, inquit, *sunt consilia mea sicut consilia vestra, neque viæ meæ sicut viæ vestræ. Sed quantum distat cœlum a terra, tantum distant cogitationes meæ a cogitatione vestra, et consilia mea a consiliis vestris.* (*Isai.* LV, 9.) Si vero famulos nostros qui sæpe deliquerint, cum promittunt se meliores futuros, et admittimus, et in pristinum honorem restituimus, imo frequenter majorem ipsis fiduciam damus; multo magis id facturus ille est. Nam si ideo nos fecisset ut supplicio afficeret, jure desponderes animum, ac de salute tua dubitares: si vero non alia de causa, quam bonitate sua motus nos creaverit, ut æternis fruamur bonis, atque ideo omnia agit et operatur a prima usque ad præsentem diem; quid nos ad eam dubitationem impellat? Illum vehementer offendimus, et quantum alius nemo. At ideo maxime præsentibus absistere oportet, et pœnitentiam de præteritis agere, magnamque mutationem exhibere. Neque enim ea quæ perpetrare ausi sumus, illum tam possunt irritare, quam quod nolimus demum resipiscere. Nam peccare quidem humanum est; at in peccatis perseverare, id non humanum est, sed omnino satanisum.

XVIII. *Quot morbis corpus affligitur.*

S. Augustin., *De civit. Dei*, l. XXII, t. VII. — Jam vero de ipso corpore tot existunt morborum mala, ut nec libris medicorum cuncta comprehensa sint, in quorum pluribus ac pene omnibus etiam ipsa adjumenta et medicamenta tormenta sunt, ut homines a pœnarum exitio pœnali eruantur auxilio. Nonne ad hoc perduxit sitientes homines ardor immanis, ut urinam quoque humanam vel etiam suam biberent? Nonne ad hoc fames, ut a carnibus hominum abstinere se non possent, nec inventos homines mortuos, sed non propter hoc a se occisos, nec quoslibet alienos, verum etiam filios

Digitized by Google

matres incredibili crudelitate quam rabida esuries faciebat, absumerent? Ipse postremo somnus qui proprie quietis nomen accepit, quis verbis explicet sæpe somniorum visis, quam sit inquietus; et quam magnis, licet falsarum rerum terroribus, quas ita exhibet, et quodam modo exprimit, ut a veris eas discernere nequeamus, animam miseram sensusque perturbet? Qua falsitate visorum etiam vigilantes in quibusdam morbis et venenis miserabilius agitantur: quamvis multimoda varietate fallaciæ homines etiam sanos maligni dæmones nonnunquam decipiant talibus visis, ut etiamsi eos per hæc ad sua traducere non potuerint, sensus tamen eorum solo appetitu qualitercunque persuadendæ falsitatis illudant. Ab hujus tam miseræ quasi quibusdam inferis vitæ, non liberat nisi gratia Salvatoris Christi Dei ac Domini nostri.

XIX. *Morbus triplex hominis, et ejus remedium.*

S. Bernardus, *Lib. sententiarum*, tom. II. — Triplici morbo laborat genus humanum: principio, medio et fine, id est nativitate, vita et morte. Nativitas immunda, vita perversa, mors periculosa. Venit Christus, et contra triplicem hunc morbum attulit triplex remedium. Natus est enim, vixit, mortuus est: atque ejus nativitas purgavit nostram, mors illius destruxit nostram, et vita ejus instruxit nostram.

XX. *Infirmorum spiritualis cura.*

[Ex SS. Patribus.]

Vid. verb. Unctio extrema.

[Ex conciliis.]

Ex conc. Mogunt., sub Leone IV, an 847. — 26. Ab infirmis in mortis periculo positis per presbyteros pura inquirenda est confessio, non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda, et cum amicorum orationibus, et eleemosynarum studiis pondus pœnitentiæ sublevandum, etc. A quo periculo si convaluerint, pœnitentiæ modum a suo confessore impositum diligenter observent, et ideo secundum canonicam auctoritatem, ne illis janua pietatis clausa, videatur, orationibus et consolationibus ecclesiasticis sacra cum unctione Dei, animati secundum statuta sanctorum Patrum, communione Viatici reficiantur.

Ex conc. Nannetensi, sub Formoso, an. 895. — 4. Cum sacerdos audierit aliquem infirmari in sua plebe, quam citius ad eum pergat, et ingressus cubiculum, aquam benedictam super eum, et per omne cubiculum aspergat cum antiphona *Asperges me*, etc., et versu *Exsurgat Deus*, etc. Deinde dicat orationem, cantet septem psalmos cum precibus pro infirmis; posthæc omnes jubeat extra cubiculum secedere, et appropinquans lecto quo infirmus decumbit, eum blande leniterque alloquatur, ut omnem spem suam in Deo ponat, etc. Ut peccata sua confiteatur, ut emendationem promittat si Dominus vitam concesserit, etc. Cum his et hujusmodi allocutionibus fuerit mens infirmi revelata, data benedictione recedat sacerdos, non post multum reversurus, deque locum ut ægrotus de peccatis suis possit cogitare.

5. Infirmus qui necessitate mortis urgente, confitetur peccata sua, sub ea conditione a sacerdote reconcilietur, ut si ei Dominus vitam donaverit, sanitatemque reddiderit secundum qualitatem delicti omnino pœniteat.

Ex conc. Lateran. univers. XII, *sub Innocent. III, an.* 1215. — 22. Præcipimus medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant et inducant, quod medicos advocent animarum, ut postquam infirmis fuerit de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur.

Ex conc. Ravennat. II, *sub Clemente V, an.* 1311. — 15. Medici quando vocati fuerint ad infirmos, non ulterius redire habeant, nec curare eosdem, nisi prius eis constiterit quod prædicti infirmi medicum advocaverint animarum, et medici contemptores hujus monitionis, tandiu ab ingressu ecclesiæ arceantur, donec de transgressione hujusmodi ad arbitrium ordinarii satisfecerint competenter.

Ex conc. Frisingensi, sub Eugenio IV, an. 1440. — 4. Nullus deinceps nostræ diœcesis clericus vel laicus, quocunque modo vel forma quemquam sua temeritate audeat judicare leprosum, vel ab hominum separare communione, sed suborta fama contra quemquam quod lepræ morbo percussus sit talem nostræ aut vicarii nostri transmittat audientiæ tanquam ad sacerdotem leviticum, etc. Hoc tamen nisi casus sit adeo indubitatus, quod tergiversatione nequeat occultari.

Ex conc. Augustensi, sub Paulo III, an. 1548. — 18. Quando ad infirmos eucharistia defertur, lumen præferri, et campanella fidelibus signum dari præcipimus, caveat tamen presbyter, ut ad infirmum pauciores duabus particulis non deferat, ne populus in redeuntis manibus inane vasculum adoret, etc.

20. Unctionis extremum sacramentum cum litaniis et orationibus a majoribus acceptis, totaque Ecclesia servatis, fidelibus impartiendum jubemus.

Ex conc. Coloniensi II, *sub Paulo III, an.* 1549. *Cens. contra abusus.* — 38. Si quis sacramentum extremæ-unctionis nobis ab apostolo Jacobo tantopere commendatum contempserit, ecclesiastica careat sepultura.

Ex conc. Mediolan. I, *sub Pio IV, an.* 1565, *part.* II. — 8. Extremæ-unctionis sacramentum curet parochus, ut ægroto dum integris est sensibus adhibeatur.

Ex conc. Mediolan. II, *sub Pio V, an.* 1569,

Digitized by Google

Tit. I, 17. Quod Pius V jussit medicos, sub excommunicatione, ab ægrotantis curatione post triduum abstinere, nisi eo tridui spatio de peccatis suis confessus ille sit, id episcopus curet quam diligentissime observari.

Ex conc. Mediolan. III, *Gregorio XIII, an.* 1573. — 9. Dum æger integris est sensibus extrema-unctio ei ministretur, si tamen aliquo casu sensum omnem amiserit, hoc tamen sacramentum ei ministrare licet, si modo adhuc vivat, et dum usum rationis haberet, pii animi significationem dederit.

Ex conc. Mediolan. IV, *sub Gregorio XIII, an.* 1576, *part.* II. — 1. Sacro oleo deficiente, si tempus non patitur, ut aliunde haberi possit, cum oleo consecrato misceatur non consecratum, guttatimque ita infundatur, ut semper quod infunditur minus sit oleo consecrato.

6. Parochus extremæ-unctionis sacramentum, sicut his ministrare debet, adultis scilicet, periculose ægrotantibus, propeque moribundis, senio confectis etiam non ægrotis, in diem morituris; ita istis ne ministret, nempe pueris, rationis usus carentibus, mulieribus in partu laborantibus, ad bellum proficiscentibus, navigantibus, peregrinantibus et iis qui mox ultimo supplicio mulctandi sunt.

Ex conc. Mediolan. V, *sub Gregorio XIII, an.* 1579, *part.* I. — 12. Ne pueris qui nondum ullum rationis usum habent, sacramentum unctionis ministretur; parochus si per errorem aliud oleum quam quod infirmorum est ad ægrotum ungendum unquam adhibuerit, etiamsi chrismatis aut catechumenorum sit, ut erratum emendet, olei sacri quod proprium infirmorum est unctionem eidem adhibeat, tuncque sacramenti formam iteret.

Ex conc. Aquensi, sub Gregorio XIII, an. 1585. — 8. Ne nocturno tempore afferatur eucharistia, nisi ægro mortis periculo instante.

11. Juxta constitutionem Innocent III; Medici, etc. (Vid. *conc. Lateran.* 1215, c. 22; *Mediolan.* 1569, c. 17.) Jubemus autem medicos, excommunicatione iis proposita, quam jure ipso subeant, si secus fecerint, transacto quatriduo ab illorum curatione abstinere.

Ex conc. Avenionensi sub Clemente VIII, an. 1594. — 21. Caveat parochus ne in administranda extrema-unctione negligentiam, ullamve moræ culpam contrahat, curabit parochus ut sacræ unctionis oleum honorifice debitaque reverentia gestet, cruce præeunte ut moris est, etc. (Vide *Conc. Mediolan.* 1576, cap. 6.)

57. Medicis tam physicis quam chirurgicis præcipimus, etc. (*conc. Aquens.* 1585, c. 11), quod si qui medicorum præmissa non observaverint, ultra pœnas in constitutione Innocentii III contentas quas incurrunt perpetuo infames erunt, et gradu medicinæ omnino priventur, etc. Nullus medicinæ doctor creari possit, nullive quomodolibet medendi facultas a quovis collegio et universitate conceditur, nisi omnia in constitutione Pii V contenta medio juramento, coram notario publico, et testibus in manibus ordinarii observaturum se esse promittat.

Ex conc. Narbonensi, sub Paulo V, an. 1609. — 5. Cum primum infirmum intra parochiam sciverit parochus, illum invisat, horteturque ad sacrum pœnitentiæ et altaris sacramentum suscipiendum, eidemque de peccatis suis pœnitenti et confesso, illud rogatus citissime deferat, dato campanæ signo, ut populus accedat illud idem comitaturus, sit vero parochus indutus superpelliceo est stola veloque serico ab humeris pendente, quo vasculum dicti sacramenti obtegatur, et ita compositus, necnon baldachino, si fieri possit, super eodem portato, præcedente lumine a clerico tintinnabulum pulsante, duas in dicto vase (una saltem intra tabernaculum relicta) ad ægrotum accedendo, etc. Psalmos, eundo, et redeundo, mediocri voce proferat, parochi indulgentias 40 dierum quas super hoc concedimus publicent, et ad orandum pro infirmo hortentur. (Vide *conc. August.* 1548, c. 18.)

16. (Vide *conc. Mediolan.* II, an. 1569, c. 17.) sub interminatione divini judicii, inhibemus medicis remedia ordinare, per quæ ad peccatum mortale invitari possit ægrotus.

23. Extremæ-unctionis sacramentum, non illis solum conferant parochi, de quorum salute corporis nulla omnino est spes, sed illis etiam in quibus vitæ discrimen esse judicabit, et ut intersint, dum tale sacramentum confertur, indulgentias quadraginta dierum (quas interessentibus ter *Pater* et *Ave* pro ægroto recitantibus conferimus) intelligibili voce publicent.

MORBUS LINGUÆ, SEU MALEDICENTIA

[Ex SS. Patribus.]

S. Ephrem, *De morbo linguæ*, tom. II. Græce. — Diversæ in cunctis hominibus sparsæ reperiuntur cupiditates, ut unusquisque aliquod certamen habeat, in quo mentem assidue exerceat. Sunt enim qui gulæ luxuique sunt dediti, et ab adulterio abhorrent. Alii avaritiæ student, et corporis voluptates spernunt. Quidam ornatum vestium negligunt, et luxuria diffluunt. Nonnulli vino delectantur, et a superbia sunt alieni. Alii a fornicationibus remoti sunt,

Digitized by Google

sed occultam in animo simulationem fovent. Sunt qui vestium ornatum damnant, et obtrectatione gaudent. Sunt quidam vitio aliquo superiores, cum in alio interim toti volutentur. Nonnulli ab una aliqua sunt labe remoti, et in alia fœdissime versantur. Quidam dum laqueum unum evaserunt, in alio sunt vitiorum cœno sepulti. Multa enim ac infinita sunt vitiorum genera, decipiunturque paulatim homines : et ex perexiguis indiciis res magnæ noscuntur. Cumque hominem circumvenire studet inimicus, in quod vitium proclivior inclinet ejus natura, eo ipsum implicat : ut dum suis ipse gaudet vinculis, ne exsolvi quidem velit. Probe enim novit callidus et versutus hostis, quibus ac qualibus nos vinculis obstringat, et si quem invitum in suas casses conjecerit, fore ut celeriter confractis illis, mens iterum in libertatem se vindicet. Quapropter jucunda ac grata unicuique vincula injicit, in quibus libentius conquiescat. Potest enim mens nostra ex inimici se laqueis eximere. Nunc vero iisdem obstricti gaudemus, ipsaque captivitate superbimus. Qui enim invidiæ vinculis constringitur, quoniam a libidine alienus est, se liberum plane existimat; et qui calumniæ vitio obnoxius est, quia rapinas ac furta odit, nullo se prorsus modo victum esse arbitratur. Sua quemque latent vincula; et laqueos sibi paratos ignorat, ebriorum instar, qui vino perfusi, nec se vinciri sentiunt, neque objectos sibi laqueos præ ebrietate vident.

At benignissimus Dominus hoc veluti jugum aliquod, variis quasi occasionibus, omnibus imponit, dum singulis pro ratione virium, onera partitur. Tempore quo tabernaculum ab Hebræis constructum est, a cunctis tam pauperibus, quam divitibus aliquid ad participationem salutis offerebatur. Pro sua quisque facultate munus afferebat : alius aurum, alius margaritas, alius lapides pretiosos; pauper pipilos, ac pelles compositas; mulieres opulentæ sericum, viduæ lanam tinctam. Atque ita universus tabernaculi apparatus, et divitum simul ac pauperum muneribus conflatus, omnes commendavit. Suscipiebat enim singulorum vota Dominus tam pauperum quam divitum, volens in eo ostendere, se quemadmodum ea quæ ad tabernaculi constructionem quisque pro suis facultatibus obtulerat, accipiebat; ita et pro cujusque opere preces ac vota singulorum, absque ulla personarum respectu, suscipere. Dominus enim diversis nos occasionibus ad salutem perducere studet, quemadmodum inimicus variis nos modis perimere conatur. Et quemadmodum latro vel unico confessionis verbo factus est civis paradisi; ita uno verbo blasphemiæ redditur quis reus gehennæ.

Lepra maculata est, instar nivis, Maria, ut damnaretur propter unum maledicentiæ verbum; et quamvis esset alioquin prophetissa, pœnam tamen subiit morbi linguæ. Quo igitur supplicii genere digni sunt illi, qui sunt sine ullo delectu contumeliosi? Et cum id quod erat Maria diceret, veritas tamen reprobata est, quod maledico animo loqueretur; ita quoque si quis alicui jure maledicat, ipsius justitia est injustitia referta. Vel enim hominem jure coargue, vel ne clanculum maledicas; vel increpa libere, vel ne occultis insectare contumeliis. Pro nihilo enim habetur justitia, cum admiscetur illi dolus et improbitas : quemadmodum et improbatur illa sanctitas, quæ impuritatem sibi conjunctam habet. Inutilis quoque ea est castitas, quæ permiscetur libidinibus. Vana est et illa fides quæ prestigiis ac vaticinationibus obstricta est. Inanis illa est concordia, in qua cernitur simulatio. Nullius est illa beneficentia quæ comitem sibi habet superbiam. Nihili fit jejunium, si detractio adsit. Despicitur et charitas, si zelo vel æmulatione turbetur. Res naturales attendens, disce ab iis quæ scripta sunt. Veritatis pulchritudo deformis redditur, quando super improbitate extenditur. Quin et cibus interficit, in quo aconitum latitat. Caro licet munda, communis immundaque habetur, eo quod sacrificiis et immolationibus coinquinatur.

Ex iis igitur quæ manifesta sunt, latentia atque occulta intelligi debent. Descriptione enim Mariæ, exemplum veritatis nobis exhibuit. Nam aperte corpus illius lepra occupavit, quia clam lepra peccati animam suam infecerat. Ex manifesto malo, peccatum innotuit quod latebat. Ex teterrima ipsius lepra docemur, quam grave ac detestabile vitium sit obtrectatio. Corpus, quod lepra infectum cernebatur, velut speculum quoddam fuit animæ, quæ non perspiciebatur, cujus indicabat maculam. Ex illa carnis corruptione, patefactum est quomodo hominis maledici ac detractoris corrumpatur animus. Per hominem exteriorem, hominem suum interiorem intellexit. Nam sicut illa defecerat a fratre suo; ita et ab ipsa proprium corpus defecit, ut ex semetipsa charitatem addisceret. Discamus igitur et nos hinc concordiam et mutuam benevolentiam; et agnoscamus, quemadmodum ob corporis mutationem doluit illa, sic illi, quod a proprio fratre alienior facta esset, indignatum fuisse Deum. Ideoque corpus hominis ob varia peccata, variis sæpe morbis affici et immutari videmus. Membra enim corporis ei redduntur inimica, quia ipse ab amicis se alienari permittit; atque ut discat ex illa corporis contrarietate concordiam et pacem fovere cum aliis. Pervulgatum est totis castris, Mariam repente lepra correptam esse, quod linguam in mitissimum fratrem, qui pro ipsa deprecabatur Dominum, exacuisset. Unde justus ultor meritas de prophetissa, propter ejus linguæ petulantiam, pœnas sumpsit : susurrationes enim et detractiones abominatur, quibus homines insipientes delectantur.

Plurimis licet signis atque miraculis claruisset Moyses, ubi modice lingua lapsus est, e terra promissionis excidit (*Num.* xx, 12.) Magnum et horrendum mare viam ei præcludere non potuit; sed verbum unicum inique ab eo prolatum, velut murus

Digitized by Google

aliquis ipsi obstitit, ne ulterius progredi posset. Si Moysen, qui Dei instar factus erat, vel solum verbum exclusit a terra promissionis; quanto magis nos lingua nostra, quam exacuimus ac stringimus, a regno Dei arcebit? Ignis sanctus justos devoravit sacerdotes qui, cum sancta tractarent, actionibusque ac functionibus illis sacerdotalibus sancti essent, verbis tamen polluti erant (*Levit.* x, 2.) Si tales, tantique viri talia sunt perpessi, quomodo hoc vitium quasi parvum lingua nostra contemnit? Quapropter conviciis ac maledictis fratres nostros insectari desinamus. Terra nunc prætermissis impiis atque impuris, devoravit maledicos. Mare Ægyptios absorbuit, et terra contumeliosos et susurrones. Dux exercitus, famis tempore, verbum iniquius protulit, propter quod meritas pœnas luit, cum populi pedibus conculcaretur in porta (*IV Reg.*, VII, 29) Ex hoc proximo subitoque judicio, de futuro tibi sit exploratum, juxta verbum Salvatoris qui dixit: *De verbo otioso rationem reddes* (*Matth.* XII, 36.)

Variis igitur occasionum laqueis miserandum mortalium genus invadit inimicus. Alii enim, tanquam ære gravati alieno, detinentur: alii tanquam fidejussores trahuntur; ipsaque natura et experientia docemur, alios aliorum occasione ac nomine perire, et qui nihil ulli debent, non minus quam debitores, demergi. Quo quidem exemplo, justorum et injustorum patefiunt debita. In propriis quippe rebus, contingit ut justus sit innocens; at in alienis, reus invenitur. Nam si quis, eo præsente, veritatem ipsam irrideat, aut virum aliquem justum maledictis insectetur, ipse autem ad ea conticescat; hoc ejus silentium ipsi vertetur in crimen. Audiendo enim talem, et non reprehendendo, maledicta ejus comprobare videtur tanquam vera, atque hoc ex magnorum etiam principum intelligi licet potestate. Si quis enim vel jure in regem peccantem invehatur, qui præsentes sunt, ea quæ adversus regem dicuntur, audire renuant. Si quis autem adesse pergat et audire, jam idem in utrumque supplicium constituitur; unusque propter vitium linguæ, alter propter auditum damnatur. Narrat aliquid obtrectator, et tu illi præbes aurem; et quam ille suo ore inferre studet necem, tu eam aurium tuarum sinu excipis acerbissimumque mendacii fermentum in animo tuo commisces.

Unde mors principium habuit? Nonne per aures Evæ, dum eam serpens alloqueretur, aditum sibi patefecit? (*Gen.* III, 6.) Potest enim improbus et malignus, per os loquentis, tacentem occidere: et quem proprio lædere nequiret ore, per auditum interficit; quemque opere insontem videt, cogitationibus perimit. Dæmones ipsos clamoribus veritatem confitentes. (*Luc.* IV, 35.) Salvator noster obmutescere jussit: neque enim ipse, qui erat veritas, ipsorum opera sibi fidem habere voluit, sed quæ vera sunt per veros prædicatores nuntiari. Cur apostoli dæmonem, a quo laudabantur, audire renuerunt? (*Act.* XVI, 18.) Nonne hleo ne mundæ et castæ eorum aures, impuris illorum vocibus contaminarentur? Si laudes diaboli, velut maxima probra vitarunt homines sancti, quis obtrectationes probare poterit? Versipellis inimicus specie veritatis decipere solet eum a quo toleratur. Ideo Salvator ne vera quidem a dæmonibus audire voluit. Eadem etiam pluvia irrigantur herbæ malæ et bonæ: cum sit ejusdem rationis aqua, et quidem bona natura in herbarum tamen vitium influit. Et serpens, quamvis dulcissimis vescatur, subito ea in amaritudinem vertit, quam si in aliquem effuderit, væ illi. Sic ex veritate mendacium confingitur, velut cicuta mortifera; nam sub verborum ejus dulcedine amaritudo latet exitiosa.

Ad fallendos simplices, linguæ dulcedinem antiquus serpens adhibet; cujus rei exemplum tibi sit Iscariotes, qui sub oris osculo, et lingua pacem simulante, dolum occultans, adversus Dominum, qui scrutator est cordium, molitus est proditionem. Quod si in ipsum Creatorem talis visus est mendax; in te qualis erit? O insipiens! quis mendace scelestior, nisi is, qui suas ultro aures verbis illius accommodat? Seipsum morti obtulit Salvator, et sermonibus mendacii aurem nequaquam præbuit. Os suum aperiens, acetum cum felle gustavit, qui scelesti verba auribus excipere recusavit. Os proditori osculandum exhibuit, et deceptori responsum dare noluit. Sic et tu os tuum mendaci osculandum præbe, aures vero nequaquam. Nam si tuum illi os præbueris, osculum illum condemnabit; sin aures ei accommodaveris, jam te verborum gustus occidet. Melius autem fuerit, si odorem pariter et gustum veneni evitaveris. Cur fumum celerrime fugis, mendacem autem cum voluptate auscultas? A fetore abhorres, et apud maledicum sedes? Singula corporis membra decenter a rebus noxiis tibi servanda sunt. Si corpus a fornicatione alienum sit, os tuum a detractione custodi. Os enim, quod mœchari nequit, mentiri sane et obloqui potest. Si unum a membris tuis valeat, et aliud langueat, totus laboras uno membro laborante. Exemplum a militibus cape. Nonne totum corpus militis ferreo thorace munitur? Accidit autem et illud ob laxiorem constitutionem lædi: nam si per tenuem aliquam rimulam telo aditus patefaciat, strenuo militi mortem affert; quanto magis per apertas aurium fores morti ingressus dabitur? Magna siquidem est auris porta: quippe per quam mors in mundum ingressa, cunctas devoravit gentes, et insatiabilis adhuc remanet. Seris igitur ac vectibus obstruendæ tibi sunt aurium fores, ne maledicentia et obtrectatio subintrare possint.

Ne detractionis vitium parvum ducas, et tanquam interficere non valeat. Ex volucrum aucupio disce quæ parva videntur, non ideo contemnenda. Contingit enim, ut avis in laqueum incidens, minima capiatur unguicula, et alarum vires franguntur ac debilitantur ob unguem vilem; et cum

Digitized by Google

totum sit corpus extra laqueum, totum tamen in eo retinetur. Divinus quoque Apostolus unam et eamdem in homicidas et maledicos, luxuriosos atque adulteros sententiam statuit (*I Cor.* VI, 10.) Nemo, inquit, istorum, regnum cœlorum possidere potest; et æque ait istos, justi judicii tempore, cœlesti hæreditate privandos.

Ut autem cunctos manere supplicium intelligas, qua de causa Chanaan in maledictionem æternam incidit? Nonne ideo quia justum irrisit? Neque enim ob aliud facinus grave damnatus est; sed ob levem irrisionem, in horrendam illam sententiam incurrit, et propter petulantiam linguæ tam acerbas pœnas dedit. Mundæ erant cogitationes ejus, sed os ejus ipsum perdidit. Si ob modicum risum, in tantam ille calamitatem decidit; quis non pertimescat irrisionesque ac ludibria fugiat, ex quibus exsecrationes et maledicta ejusmodi emanant? Justus enim ille, Chanaan a benedictionibus excludens, tradidit illum maledictionibus; descripsitque in eo judicium futurum, quod subituri sunt qui ludibriis atque irrisionibus delectantur. Si diabolus, prætextu dilectionis et charitatis, suggerit alicui ut se exhilaret, ac risu oblectetur; et Chanaan dum se exhilaret et risu gauderet, maledictionem sibi conciliavit. De malis ac damnis, quæ in ludibriis et irrisionibus latitant, sapientissimum audi Salomonem ea explicantem: *Qui*, inquit, *irridet hominem, exprobrat factori ejus* (*Prov.* XIV, 31.) Hominis enim derisio in Creatorem vergit. Tu quod in risu videtur, simpliciter spectas, quid autem in eo fraudis ac doli reconditum sit, nescis.

Justus. Noe dolum agnovit, eumque ignoranti Chanaan non patefaciens, illum a benedictione exclusit; ut vel ex eo, cognita risus pernicie, fratrem irridere desinas. Semei maledicta protulit; rursusque Apostolus horrendam in maledicos sententiam pronuntiavit. Nos itaque quid lucri sibi faciant maledici consideremus. Semei, non ob adulterii aut furti crimen, perniciem sibi conciliavit (*II Reg.* XVI, 9): sed quod maledictis sit usus, ex quibus consuitur calumnia, per quam et quæ gesta sunt aperiuntur, et quæ non gesta finguntur. Animus enim dolore etiam stimulatus, quemcunque sermonem gignit improbum, atque sic animus affectus Semei conviciis innocentem regem affecit, illum ut Saulis interfectorem accusans, qui frequentius Saulem a morte liberaverat. Et quia falso crimine eum incusabat, merito a justo judice damnatus est. Constitutus erat ei a Salomone terminus, quem transire non poterat, ac quem se servaturum receperat; ut vero illum transiliit in mendacium, processere promissa. Ita per mendacium, calumniæ nota justo inusta fuerat, ut dignas facti sui pœnas merito calumniator lueret; ut qui linguam in hominem innoxium exacuerat, qua velut gladio eum occiderat, acutum quoque gladium contra in se sit expertus: (*III. Reg.* II, 46) ut et in hoc et in futuro sæculo sibi exitium consciverit, æternumque sibi supplicium præparaverit. Quis igitur a maledictis non abhorreat, ne duplici supplicio muletetur?

Quin et eodem judicio Apostolus luxuriosos et maledicos ac homicidas et adulteros condemnavit. Nam Esau primogenitis propter intemperantiam se spoliavit. (*Gen.* XXV, 38.) Habes et tu promogenita tua, quæ ne occasione luxus atque intemperantiæ deperdas, caveto. Magnus enim ille vir, nulla re magna se perdidit, sed vili se dedecoravit. Si veritatem amiseris, stultus ac similis Esau fies. Rem admirandam audi: quomodo verba factis præstiterint, ipsaque fides naturam ac generationis ordinem superaverit. Primogenituræ donum, quod videtur auferri non posse, sermo subingrediens ademit. Et quæ Esau naturaliter sibi vindicabat, ea fidei studio assecutus est Jacob. Fides et jusjurandum unanimiter generationis vim demonstrans. Et primogenita, quæ per carnem conceduntur, spiritaliter accepta sunt: quæque jusjurandum exuit, ea fides suscepit. O rem admiratione dignam, quæ inter primogenituræ venditorem, emptoremque consecuta est! Nam qui ea se spoliavit, quasi sensus videtur fuisse expers; et qui eadem se vestiit, innocens purusque permansit. Sed quomodo Esau primogenita exuit, quæ deponi nequeunt? aut quomodo ille Jacob induit, quæ adjungi non possunt? Quod si mercaturam istam pueri illi adeo supra naturam exercuerunt ut omnino explicari convenienter nequeat, quis quæstionem illam aggredi audebit, quæ ineffabilis unigeniti generatio continetur?

Dic mihi rursum, cur Jacob primogenitura a Manasse ablata, transtulerit in Ephraim? Nonne ideo ut major illi gloria decusque inde accresceret? Plena est enim primogenitura signis admirabilibus, et mysteriis eximiis atque innumerabilibus. In ea descriptum continetur baptisma; in ea fides obsignata est; in ea nostra designatur fortitudo: in ea gloriosæ virginitatis figura repræsentatur. Hanc pretio Jacob mercatus erat, et gratis eam Ephraim tribuit. Et in hoc neque Manasses culpandus est, neque Ephraim in admiratione habendus: sed potius donantis auctoritas et potestas, in quem non cadit reprehensio, suspicienda est. Quis igitur gentium primogenituram reprehendere tentabit? Quod si Judæi id facere voluerint, reprehendant primum quod Manasse adempta sit. Qui enim illam ab eo abstulit non peccavit, ut suam in hoc potestatem ostenderet. Ademit autem illam ipsis, quia peccaverant: ut justum suum in eo judicium declararet. Quod si a nemine coargui jure possit Jacob, quamvis a Manasse, qui non peccaverat, primogenituram abstulerit; quomodo quisquam ipsum reprehendere audebit, qui primogenituram abstulit? Si igitur jurisjurandi vis tanta fuit, ut ab Esau potuerit auferre primogenita, cum enim jurasset solum, noluit perjurii notam incurrere: quibus tradetur suppliciis, qui non solum, jurejurando sese obstringit, sed et perjuriis jusjurandum violat? Si Esau ab

Digitized by Google

iis quæ cum damno suo pepigerat, recedere noluit : quomodo tu pacta quæ pro salute tua fecisti, rumpere audebis? Si Herodes, quæ in suam promiserat perniciem, servavit : et tu a fœderibus quæ æternæ vitæ gratia pepigisti, resilies?

Et quemadmodum oratio sese insinuans primogenituræ munus abstulit, ita et convicium subintrans, cæde actionem contaminare potest. Lingua enim non minus nocet quam gladius. Et cogitatio impudica inquinat ut adulterium. Occulta simulatio, laquei instar, insidias tendit. Et perversum consilium quovis veneno perniciosius est suscipientibus. Si enim Esau solo sermone primogenitura se sua exuit, eamque deperdidit : quanto amplius et facilius servus inutilis temperantiam amittit? Et vanitatem diligendo atque mendacium, quærendo veritatem quis sui promissi despicit, verbisque fidem abnegando, tenebris obducitur, exuendo se iis quæ ad fidem pertinent, sicut contra verbis fidem profitens, fide se vestit? Sermo interea dum exercetur, ad effectum se operis producit : improbaque deliberatio, non minus quam opus malum damnatur. Aspectus illicitus improbum opus arguit. Iracundia perinde atque gladius ferit : bestialisque invidia haud secus quam telum vulnerat. Exitii foveam calumnia struit. Cogitationes malas fugiamus : cogitata enim non aliter ac facta censentur. Bonis cogitationibus incumbamus, quibus operum proposita est merces apud eum, qui consilia cordium explorat.

Idem, tom. I. — Qui alios lubens maledictis incessit, se iis quæ in alios confert, obnoxium declarat : qui enim in alterum est contumeliosus seipsum condemnat; carnalis enim est, et mundi laqueis implicatus. Homo maledicus utroque et odii et susurrationis morbo laborat. Qui autem talis est, fratricida, et crudelis et immitis censetur. Cui vero timor Dei semper ob oculos versatur, et qui mundo est corde, aliorum ignominia non gaudet, nec de occulta cujuspiam turpitudine lætatur, neque in aliorum lapsu atque ruina conquiescit. Vere ergo miser ac deplorandus est ille qui maledictis et conviciis in proximum conferendis assuescit. Quid autem hoc scelere gravius? Unde et sanctus Apostolus nefaria impiorum opera prohibens, etiam maledicos iis annumerat : *Neque maledici*, inquiens, *neque rapaces regnum Dei possidebunt.* (*I Cor.* VI, 10.)

S. Ephem, *De morbo ling.*, tom. II. — Beatus ac felicissimus, qui maledictis et contumeliis proscindendo proximum, linguam suam non maculat, nec lingua maledica sibi cor contaminat; sed cum nos omnes norit alicui vitio obnoxios, aliena maledicentia non delectatur, verum ab hoc crimine abhorret quam maxime. Qui enim alterum maledictis non incessit, se ipsum inculpatum servat : is nullum offendiculum incurrit, nec conscientia illius coinquinatur. Qui maledicentiæ et contumeliæ spiritum vitat, ab improborum se contudine servat, exercitusque dæmonum superat. Qui linguam in aliorum infamiam non exacuit, thesaurum, quo spoliari nequit, tutum sibi vindicat. Qui non flectitur ad maledicendum aliis, fratricidio is non redditur obnoxius, et apud alios non male audiet. Qui contumeliæ spiritu non capitur, is vere novit se hominem ex carne constare, et se ipsum purum immaculatumque conservat. Qui maledicorum familiaritatem fugit, inter angelos versabitur. Cujus aures et lingua maledicentiæ veneno non sunt infectæ, is medicamento charitatis plenus est. Qui labia sua maledictis atque contumeliis non polluerit, illius os fructum Spiritus sancti redolet. Vere ergo beatus, iterumque beatus ille est, qui a maledicentia se integrum custodierit.

S. Clemens Alex., *Admonitio ad gentes*, lib. II, cap. 5. — Oportet ipsum quoque subrisum doceri et castigari, et si ob res turpes excitatus fuerit, erubescere potius videri quam subridere, ne videamur per consensum collætari; si autem de rebus molestis, convenit potius tristiores videri quam lætari. Illud enim est levitatis humanæ non rationis indicium, hoc autem exhibet crudelitatis existimationem.

Idem, *ibid.* — Absit ut irrideamus quemquam : unde primum incipit contumelia, inde lites, pugnæ et inimicitiæ erumpunt.

Tertull., *De idololatria*, c. 14. — Nomen Christianum blasphematur; — desinamus, et non blasphemabitur. Imo dum sumus, blasphemetur in observatione, non in exorbitatione disciplinæ; dum probamur, non dum reprobamur; ob blasphemiam martyrii ad finem, quæ tunc me testatur Christianum, cum propter eam detestatur. Benedictio est nominis, maledictio custoditæ disciplinæ. *Si hominibus*, inquit, *vellem placere, Christi servus non essem.* (*Gal.* I, 10.) Sed idem alibi jubet : *Omnibus placere curemus, quemadmodum ego*, inquit, *omnibus per omnia placeo.* (*II Cor.* V, 9.) Nimirum Saturnalia et Kalendas Januarias celebrans, hominibus placebat; an modestia et patientia, an humanitate et integritate?

S. Basil., hom. *in psal.* XXXIII, tom. I. — *Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum.* (*Psal.* XXXIII, 14) Si vis in diebus esse bonis, si diligis vitam, præceptum vitæ perfice. Qui enim, inquit, diligit me, præcepta mea servabit. Primum autem præceptum est prohibere linguam a malo, et labia ne loquantur dolum; peccatum enim quod per linguam admittitur, omnium fere familiarissimum est, atque multiplicem formam habet. Iratus es? Jam lingua præcurrit. Concupiscis? etiam ante omnia linguam habes quasi quamdam lenam et conciliatricem, peccati adjutricem; ac verborum lenocinio proximos subducentem. Quin etiam lingua armorum loco tibi est ad iniquitatem; tum ex corde non loquitur, sed fraudulenta proponit. Et quid opus est verbis persequi omnia linguæ peccata? Vita nostra referta est linguæ delictis. Verba obscena, scurrilitas, stultiloquium, alia non convenientia, obtrectationes, otiosus sermo,

Digitized by Google

perjuria, falsa testimonia, omnia hæc mala, et his adhuc plura, linguæ sunt opificia. Qui vero adversus Dei gloriam os aperiunt, et iniquitatem in Excelsum effutiunt, per quid aliud, nisi per linguæ instrumentum impietatem perficiunt? Quoniam igitur *ex tuis verbis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis* (*Matth.* XII, 37), prohibe linguam tuam a malo, nec thesauros lingua mendaci efficias vanos. Insuperque prohibe labia tua, ne loquantur dolum : hoc est totum organum ad sermonis munus tibi concessum a prava operatione coerceas. Est autem dolus occultum maleficium, sub officiorum specie proximo illatum.

S. BASIL., epist. 75, *ad Neocæsar.*—Delator tribus personis calumniæ noxam aspergit. Lædit eum quem calumniatur, eos coram quibus loquitur, et seipsum.

S. CHRYSOST., *Ad illuminandos*, catches. 1, tom. I. — Nullum illi (dæmoni) ita opportunum organum ad fraudem perniciemque nostram, ut intemperans lingua et os non obturatum. Hinc nobis lapsus plurimi, hinc nobis crimina. Quam facile sit ore labi, sic quidam declaravit : *Multi cecidere gladio, sed non tot quot lingua.* (*Eccli.* XXVIII, 22.) Ipseque rursum quam gravis sit hujusmodi lapsus indicavit his verbis : *Lapsus de pavimento potius, quam lapsus de lingua.* (*Eccli.* XX, 13.) Id est melius est labi, conterique corpus, quam hujusmodi verbum proferre, quod possit animam nostram perdere. Neque lapsus tantum memorat, sed hortatur ut magnam sollicitudinem geramus, ne supplantemur his verbis : *Fac ori tuo januam et vectes*; non ut vere januas et vectes paremus, sed ut cum magna cautela absurdis verbis linguam claudamus.

Idem, hom. 2 *in Matth.*, tom. VII.—Annon turpe omninoque ridiculum est, dum servum habentes, illo ut plurimum utimur ad res necessarias; nos ore membro nostro, non perinde uti atque servo; sed contra, ad inutilia et superflua negotia; atque utinam ad superflua tantum, sed etiam illo utimur ad contraria et noxia nihil utilitatis habentia. Si enim nobis ea quæ loquimur utilia essent, etiam Deo procul dubio placerent. Nunc autem ea omnia loquimur quæ diabolus suggesserit, modo ridentes, modo urbana loquentes, modo maledicta et contumelias proferentes, modo jurantes, mentientes, pejerantes; nunc ferocientes, nunc futilia et anilibus fabulis leviora, quæ nihil ad nos attinent, in medium afferentes. Quis enim vestrum, quæso, psalmum unum recitare rogatus, id dicere possit, vel aliam quampiam divinæ Scripturæ partem? Nemo sane. Neque illud solum grave est; sed quod circa spiritualia desides, circa satania igne sitis ferventiores. Nam si quis vos interrogare velit de diabolicis canticis, de meretriciis et lascivis carminibus, multos inveniet qui hæc accurate sciant, et cum voluptate magna pronuntient. Sed quæ defensio ad talem criminationem?

S. HIERONYM., *ad Nepot.*— Discat detractor, dum te videt non libenter audire, non facile detrahere.

Idem, epist. 10, *ad Furiam.* — Falsus rumor cito opprimitur; et vita posterior judicat de priore. Fieri quidem non potest ut absque morsu hominum vitæ hujus curricula quis pertranseat; malorumque solatium est bonos carpere, dum peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum. Sed tamen cito exundans flamma deficientibus nutrimentis paulatim emoritur.

S. AUGUST., *Enarr. in psal.* CXL, tom. IV. — Abstinuisti linguam a perjurio : jam justus es. Attende cætera, noli jam superbire. Nihilne peccas in lingua? non prolaberis in verbum durum? sed quid magnum dicis? Quid magnum? *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* (*Matth.* V, 22.) Contremiscit jam tota illa superbia. Ecce jam non valde facit unde Deus videatur impietate aliqua blasphemari; non irruit in aliquem lædendum, non facit alteri quod pati non vult : quid de lingua? quis illam domat? sed ecce jam et ipsam frenasti, quanquam quis tantus, ut hoc omnimodo perficiat? Sed ecce jam et ipsam frenasti : quid facis de cogitationibus? Quid facis de tumultu et caterva rebellantium desideriorum?

S. GREGOR., *Moral.*, lib. XXXI, cap. 16. — Qui a statu patientiæ ante linguarum vulnera corruit, ipse sibi testis est quia contra manifestæ percussionis gladios non subsistit.

S. BERNARD., *Serm. de diversis. De triplici custodia manus, linguæ, et cordis.* — *Lingua eorum, gladius acutus.* (*Psal.* LVI, 5.) Gladius equidem anceps, imo triceps est lingua detractoris. Nec vero ejusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Christi corpus, et membrum de membro : nec jam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoque nocentior est spinis quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit; seu etiam clavis ferreis, quos sanctissimis manibus illis et pedibus consummata Judaicæ gentis iniquitas infixit. Nisi enim hujus, quod nunc pungitur et transfoditur, corporis vitam sui vitæ corporis prætulisset, nunquam illud pro isto mortis injuriæ, crucis ignominiæ tradidisset. Et dicimus : Levis est res sermo; tenera, mollis et exigua caro, lingua hominis : quis sapiens magni pendat? Levis quidem res sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat. Leviter transit, sed graviter urit : leviter penetrat animum, sed non leviter revocatur. Facile volat, atque ideo facile violat charitatem. Vilis res est musca moriens, sed exterminat oleum suavitatis. (*Eccle.* X.) Tenerum membrum lingua, attamen vix teneri potest : substantia quidem infirmum atque exiguum, sed usu magnum et validum invenitur. Modicum membrum est; sed nisi caveas, magnum malum. Tenuis est et lata, aptissimum vacuandis cordibus instrumentum, sicut multorum mihi inter vos conscientias arbitror attestari; nisi forte omnes tam perfecti su-

Digitized by Google

mus, ut nunquam nobis post longas confabulationes inventa sit mens quodammodo vacua, meditatio minus devota, sicca magis affectio, et holocaustum orationis non adeo pingue propter verba sive quæ diximus, sive etiam quæ audivimus; verba tamen.

Facile enim lingua labitur, nec minus facile illabitur cordi : ita ut multis inter loquendum minus profuerit, quod propriam cohibuerint, dum non caverint alienam. Utilis est frater qui tibi loquitur, sapiens est, religiosus ac timens Deum; plus dico, angelus est, et angelus lucis : etiamsi, cave tibi ne audias unde laudaris. Nec personam tibi velim suspectam esse, sed linguam, præsertim in sermocinatione communi. Bona quidem columbæ simplicitas; sed in hac parte, serpentis quoque astutiam non omittas. Maria ne angelicum quidem verbum sine discussione præteriens, *Cogitabat qualis esset ista salutatio.* (*Luc.* II, 29.) Tu quoque, qui crebris saltem experimentis solerter advertisti quantum noceant verba; non desipies, si sollicitus fueris (quandoquidem interesse necesse est collocutioni) non modo ori circumspectionem, sed et auri nihilominus adhibere cautelam. Non miremini quod huic gradui proficientium diutius immoremur : plures si quidem inter nos proficientes esse credimus, quam perfectos.

S. Bern., *in Cantica canticorum*, serm. 24. — Omnis qui detrahit, — seipsum prodit vacuum charitate : deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi ut ei cui detrahit, veniat in odium vel contemptum ipsis apud quos detrahit? Ferit ergo charitatem in omnibus qui se audiunt lingua maledica; et quantum in se est, necat funditus et exstinguit : non solum autem, sed et in absentibus universis, ad quos volans verbum forte per eos qui præsentes sunt, pervenire contigerit.

MORS, MORTUI

[Ex SS. Patribus.]

Constitut. Apost., lib. V, tom. I. — Si voluisset (Deus) omnes homines esse immortales, id facere potuerit ; ostendit per Enochum et Eliam, quos mortis periculum facere non permisit. Et quod pro voluntate potestatem habuerit mortuos excitandi singulis sæculis, tum per se, tum per alios, id manifestum fecit ; quando filium viduæ per Eliam, et filium Sunamitidis per Eliseum resuscitavit. Persuasum autem habemus obitum non esse mercedem supplicii, cum et sancti illum subierint, imo et ipse sanctorum Dominus Jesus Christus, vita fidelium ac resurrectio mortuorum.

Ibid., lib. VII, tom. I. — Qui Deo crediderunt, licet obierint, mortui non censentur : ait quippe Salvator Sadducæis : *De resurrectione autem mortuorum non legistis quod scriptum est : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob ? Non est igitur Deus mortuorum sed vivorum.* (*Matth.* XXII, 31. *Exod.* III, 6 ; *Luc.* XX, 38.) Igitur eorum qui apud Deum vivunt, nec reliquiæ pretio ac honore carent. Etenim propheta Eliseus, postquam morte sublatus est, suscitavit mortuum a prædonibus Syriæ trucidatum ; tetigit enim corpus ejus ossa Elisei, et excitatus vixit ; quod certe non accidisset, nisi corpus Elisei sanctum esset. Et Josephus, ille castus, Jacobum post mortem in lecto positum complexus est. (*Gen.* L, 1.) Et Moyses (*Exod.* XIII, 19) ac Jesus filius Nave (*Jos.* XXIV, 32.) deferebant reliquias Josephi, hoc non arbitrati esse inquinamentum. Quocirca et vos episcopi, ac reliqui, sine religione ac metu contingite mortuos, nec putetis vos ideo pollui, nec eorum reliquias abominemini ; et declinate ab hujusmodi observationibus stultis ; ac ornate vos sanctitate atque continentia ; ut participes immortalitatis, ac regni Dei consortes officiamini, atque promissionem Dei capiatis, requiescentes perpetuo per Jesum Christum Salvatorem.

I. *Quandonam vere victa erit mors ?*

S. Irenæ, lib. V, *contra hæreses*. — *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelam, et mortale hoc induere immortalitatem, Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors aculeus tuus ? Ubi est mors victoria tua ?* (*I Cor.* XV, 53.) Hæc autem juste dicentur tunc, quando mortalis hæc et corruptibilis caro, cirea quam et mors est, quæ et quodam dominio mortis pressa, in vitam conscendens, induerit incorruptelam et immortalitatem. Tunc enim vere erit victa mors, quando ea quæ continetur ab ea caro exierit de dominio ejus.

II. *Mors nostra non comparanda belluarum morti.*

Athenagoras, *De resurrect. mort.*, ap. S. Justin. — Ad quam (resurrectionem) respicientes corporis dissolutionem, ut vitæ egestati et corruptioni obnoxiæ consequentem, exspectamus ; et post eam, corruptionis expertem speramus permansionem ; nec brutorum morti nostram adæquantes, nec immortalium permansioni hominum permansionem, ne, si ita faciamus, hominum naturam et vitam imprudentes rebus disparibus adæquemus.

III. *Mors vulgi judicio violenta, ad beatam vitam aditus est.*

S. Clemens Alexand., *Stromat.*, lib. IV, tom. I, — *Qui seminat in suam carnem, ex carne metet corruptionem : qui autem seminat in Spiritum, ex Spiritu metet vitam æternam.* (*Gal.* VI, 8) Miseris autem hominibus, quod præbetur per sanguinem Domino martyrium, videtur esse veræ vitæ principium ; et nec honores post mortem eorum qui sancte vixerunt, nec supplicia eorum qui injuste et libidinose se gesserunt, volunt intelligere, non ex nostris solum dico Scripturis (nam omnia fere mandata hæc

Digitized by Google

indicant), sed nec suorum sermonibus, volunt aures præbere.

IV. *Mortis meditatio quid prosit ?*

S. Clem. Alex., *Strom.* l. IV, tom. I. — Corporis ab anima separatio, quam toto vitæ tempore meditatur philosophus, gnosticam quamdam parit animi alacritatem, ut possit facile ferre mortem naturæ, quæ est solutio vinculorum animæ a corpore. *Mihi* enim *crucifixus est mundus*, inquit (*Galat.* VI, 14); vivo autem cum sim in carne, ut si in cœlo versarer.

Tertull., *De anima.* — Et si varii exitus mortis, ut est multimoda conditio causarum, nullum ita dicimus lenem, ut non vi agatur. Ipsa illa ratio operatrix mortis, simplex licet, vis est. Quid enim, quæ tantam animæ et carnis societatem, tantam a conceptu concretionem sororum substantiarum, divellit ac dirimit ?

Idem, *De patientia*, cap. 8. — Cum constet de resurrectione mortuorum, vacat dolor mortis, vacat et impatientia doloris. Cur enim doleas si periisse non credis ? — Profectio est quam putas mortem. Non est lugendus qui antecedit, sed plane desiderandus. Id quoque desiderium patientia temperandum. Cur enim immoderate feras abiisse, quem mox subsequeris ? Cæterum impatientia in hujusmodi et spei nostræ male ominatur et fidem prævaricatur; et Christum lædimus cum evocatos quosque ab illo, quasi miserandos non æquanimiter accipimus.

Idem, *De spectac.*, cap. 1. — Christianum expeditum morti genus, ad hanc obstinationem abdicatione voluptatum eruditur, quo facilius vitam contemnant, amputatis quasi retinaculis ejus, ne desiderent quam jam supervacuam sibi fecerint.

Origen., hom. 17 *in Jerem.* — *Ego autem non laboravi, subsequens post te, et diem hominis non concupivi.* (*Jerem.* XVII, 16.) Est quædam dies hominis; est quædam dies Domini, id est dies resurrectionis quam omnis sanctus desiderat. — Frequenter cum cœperimus mortis limine urgeri, ad eos qui nos visitant fratres lassas manus attollimus, dicentes : Roga mihi aliquod vitæ spatium. Ista memorantes non diem sanctum Domini, sed diem hominis desideramus. Quapropter longæ vitæ amore deposito, et desiderio humanæ diei, quæramus illam diem videre in qua participes ejus beatitudinis quæ in Christo est efficiamur.

S. Cyprian., epist 32, *ad Antonianum.* — Placuit, examinatis causis singulorum, — in exitu subveniri, quia exomologesis apud inferos non est, nec ad pœnitentiam quis compelli potest, si fructus pœnitentiæ subtrahatur. Si infirmitas urserit, cum solatio pacis et communicationis abscedit, neque enim præjudicamus Domino judicaturo, quo minus, si pœnitentiam plenam et justam peccatoris invenerit, tunc ratum faciat quod a nobis fuerit hic statutum. Si vero nos aliquis pœnitentiæ simulatione deluserit, Deus qui non irridetur, et qui cor hominis intuetur, de his quæ nos minus perspeximus judicet, et servorum sententiam Dominus emendet.

Idem, *Tract. de mortal.* — Mori plane timeat, sed qui ex aqua et spiritu non renatus, gehennæ ignibus mancipatur : mori timeat qui non Christi cruce et passione consetur : mori timeat qui ad secundam mortem de hac morte transibit : mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, ut cruciatus ejus et gemitus interim differatur. Multi ex nostris in hac mortalitate moriuntur, hoc est multi ex nostris de sæculo liberantur. Mortalitas ista ut Judæis et gentibus et Christi hostibus pestis est, ita Dei servis salutaris excessus est.

Idem, *ibid.* — Identidem cogitandum est renuntiasse nos mundo, et tanquam hospites et peregrinos istic interim degere. Amplectamur diem qui assignat singulos domicilio suo; qui nos istinc ereptos et laqueis sæcularibus exsolutos paradiso restituit et regno cœlesti. Quis non peregre constitutus properaret in patriam regredi ? Quis non ad suos navigare festinans, ventum prosperum cupidius optaret ut velociter caros liceret amplecti ? patriam nostram paradisum computamus, parentes patriarchas habere jam cœpimus; quid non properamus et currimus ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus ? Magnus ille charorum numerus exspectat; parentum, fratrum, filiorum copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, et adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum conspectum et complexum venire, quanta et illis et nobis in commune lætitia est ! Qualis illic cœlestium regnorum voluptas sine timore moriendi, et cum æternitate vivendi ! Quam summa et perpetua felicitas ! Illic apostolorum gloriosus chorus : illic prophetarum exsultantium numerus, illic martyrum innumerabilis populus, illic virgines remunerati misericordes; cum his cito esse, ut cito ad Christum pervenire contingat optimus.

S. Basil., hom. *in psal.* XXXIII, tom. I. — *Mors peccatorum mala.* (*Psal.* XXXIII, 22.) Nam est quædam mors justorum, natura non mala, sed bona. Qui enim Christo commoriuntur, in bona morte versantur : et qui mortui sunt peccato, bona ac salutari morte mortui sunt. At vero peccatorum mors mala est. Excipit enim illos supplicium, juxta atque divitem purpura et bysso indutum, et singulis diebus splendide epulantem. *Et qui oderunt justum delinquent.* (*Luc.* XVI, 19.) Qui quod in delictis vivunt, odio habent justum : quippe moribus justi tanquam regulæ rectitudine, ista ita redarguuntur, melioris scilicet comparatione. Et quoniam in peccatis vivunt, odio prosequuntur justum, propter objurgationum timorem : et quia oderunt, iterum sese peccatis involvunt. Multæ enim sunt causæ, ob quas justus odio habeatur, nimirum illa redarguendi libertas. Odio enim habent redarguentem in portis, et sermonem sanctum abominantur. Ambitio item prioris lo-

Digitized by Google

ci, principatusque cupiditas, multorum odia in præstantiores concitarunt. Nonnumquam etiam ignorantia famæ justi, et quis sit justus. *Mors peccatorum mala.*

S. Ephrem, serm. *De compunct.* — Ingens gaudium est, dum anima separatur a corpore, universis justis : magnus vero dolor atque tristitia cunctis impiis atque torpentibus. Graviter tunc cordis dolore excruciantur, qui hic dum viverent salutis suæ curam neglexerunt; adeo quidem ut etiam pœnitentiæ cruciatus ipsum quoque mortis timorem excedat.

S. Greg. Nyss., *De anima et resurrect.* — Oportet eos qui in carne vivunt, quam maxime secundum virtutem vivendo, quodammodo expediri ab effectu carnis, ne post mortem alia morte rursus opus habeamus, quæ reliquias carnalis glutinis separet, excernat et expurget : sed tanquam vinculis circum animam ruptis, nulla corporea molestia eam ad se attrahente, celer et expeditus ei cursus ad bonum contingat.

V. *Quot casus inopinati mortem afferunt.*

S. Gregor. Naz., orat. 40, tom. I—At vero salutis tuæ negotium semper age. — Si semper hodiernum diem præteriens, crastinum observes, paulatim differendo, non animadvertis te a pravo illo deludi, ut ita fert illius consuetudo. Da mihi præsens, inquit, futurum Deo : mihi juveniles annos Deo seniles : mihi voluptates, Deo corpus effetum, nullisque usibus aptum. Verum quanto in periculo versaris ! Quot quamque inopinati rerum casus ! Vel bellum oppresserit, vel terræmotus obruerit, vel morbus exstinxerit, vel mica panis, res vilissima, transverse per fauces currens ; (quid enim hominis interitu facilius, quantumvis ob divinam imaginem glorieris ?) Vel immodica crapula, vel ventus in præceps agens, vel equus sessorem secum abripiens, vel pharmacum de industria ad insidias comparatum, fortasse etiam pro salutari pestiferum inventum, vel inhumanus judex, vel inexorabilis carnifex, vel denique quidpiam eorum quæ celerem mortem, atque omni ope et auxilio validiorem, efficiunt.

Idem, orat. 10 — Tota vita nihil aliud sit, quam mortis meditatio.

S. Amb., serm. 42. — Tantis malis hæc vita repleta est, ut comparatione ejus mors remedio putetur esse non pœnæ.

Idem, *Hexaemeron*, lib vi, cap. 1. — Attende tibi ne cum auro abundaveris in multitudine exaltes te corde, et obliviscaris Dominum Deum tuum. Quid enim habes, homo, quod non acceperis ? Nonne hæc omnia *sicut umbra prætereunt ?* (*Psal.* cxliii 4) Nonne tu ipse es cinis ? Respice in sepulcra hominum. — Discerne inopes ac potentes. Nudi omnes nascimur, nudi morimur. Nulla discretio inter cadavera mortuorum, nisi forte quod gravius fœtent divitum corpora luxuriæ distenta. Quem audisti pauperum crudelitate defunctum ? Prodest illi inopia sua ; exercet corpus, non opprimit.

S. Chrysost, lib. ii *De fide resurrect*, tom. II. — Non formidabilis mors, nec amara egentibus, nec gravior divitibus, nec injusta senioribus, nec ignava fortibus, nec perpetua fidelibus, nec improvisa sapientibus. Quam multi enim vitam solo mortis titulo consecrarunt, quantos vivere puduit, mori profuit ! Morte unius plerumque accepimus maximos populos liberatos : morte imperatoris fugatos exercitus hostium, quos vivus vincere nequivisset.

Morte martyrum religio defensa, cumulata fides, Ecclesia roborata est : vicerunt mortui, victi persecutores sunt. Itaque quorum vitam nescimus, horum mortem celebramus. Unde et David prophetice gloriatus in suæ mentis excessu : *Pretiosa*, inquit, *in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* (*Psal.* cxv, 15.) mortem maluit præferre, quam vitam. Ipsa mors martyrum præmium vitæ est. Quid plura ? Unius morte mundus redemptus est. Potuit enim Christus non mori si voluisset ; sed neque refugiendam mortem quasi ignavam putavit, neque melius nos quam moriendo servasset. Itaque mors ejus vita est omnium. Morte ejus signamur, mortem ejus orantes annuntiamus, mortem ejus offerentes prædicamus, mors ejus victoria est, mors ejus sacramentum est, mors ejus annua solemnitas mundi est. Quid præterea de ejus morte dicamus, cum divino probemus exemplo quia immortalitatem mors sola quæsivit, atque ipsa se mors redemit ? Non igitur mœrenda mors, quæ causa salutis est publicæ ; non fugienda mors quam Dei Filius non dedignatus est, non refugit. Non solvendus ordo naturæ ; quod enim commune est omnibus, exceptum in singulis esse non potest. Et mors quidem in natura non fuit, sed conversa est in naturam ; non enim a principio Deus mortem instituit, sed pro remedio dedit. Revera enim mors divino operi necessaria non fuit, cum in paradiso positis bonorum omnium jugis successus affluaret ; sed prævaricatione damnata in labore diuturno, gemituque intolerando, vita hominum cœpit esse miserabilis ; debuitque dari finis malorum, ut mors restitueret quod vita amiserat.

VI. *Mortis tempus cur nobis incertum sit ?*

S. Chrysost., hom. 4. *in Epist. ad Hebr., cap.* ii, tom. XII. — Diem mortis nobis Deus fecit incertum ; neque nobis aperuit an hodie, an cras, an post totum annum, an post multos annos sit adfuturus, ut propter incertam exspectationem, nos in virtute perpetuo contineamus. Et dixit quidem quod simus excessuri ; quando autem minime.

VII. *Mors post adventum Christi non timenda.*

Idem, *ibid.*, tom. XII — *Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, hoc est diabolum.* (*Hebr.* ii, 14.) Hic ostendit (Apostolus) quod est mirabile, nempe

Digitized by Google

quod per quam vicit diabolus, per eam victus fuit, et quæ erant ei arma valida adversus orbem terræ, nempe mors, per eam illum Christus feriit. Hic ejus qui vicit magnam indicat potentiam. Vides quantum bonum mors fecerit. *Et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* (*Hebr.* II, 15.) Cur, inquit, horretis? Quid timetis eam quæ est abolita, planeque et inanis et otiosa? Non est amplius terribilis, sed est conculcata, contempta, vilis et abjecta, et plane nullius pretii. Quid est autem, *eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti?* Quid hoc est? Quod qui mortem timet, est servus, et sustinet omnia ne moriatur. Aut illud, quod omnes erant servi mortis, et quod ea nondum esset abolita, ejus dominatu tenebantur. Aut quod in perpetuo metu viverent homines, semper exspectantes se morituros, et mortem formidantes, nullius voluptatis sensum poterant accipere cum hic semper eis adesset metus. Hoc enim subindicavit, dicens, *per totam vitam.*

Hic ostendit eos qui affliguntur, qui expelluntur, qui privantur patria ac fortunis, et aliis omnibus, jucundius ac liberius degere, quam ii qui olim degebant in deliciis, quam ii quibus nihil acciderat ejusmodi, quam quibus erant huic metui obnoxii et servi; ipsi autem sunt ab eo liberati, et irrident quod illi horruerant. Idem enim nunc est; ut si quispiam eum qui est vinculis ducendus ad mortem, et hoc semper exspectat, multis impinguet deliciis: talo quidpiam mors erat olim. Nunc autem ut si quis metu illo ejecto cum deliciis, denuntiet esse certandum; et proponat certamen, ut non amplius ad mortem, sed ad regnum adducat, ex quibusnam esse volueris? Ex iisne qui in carcere impinguantur, interea quotidie proferendam exspectantes sententiam, an ex iis qui multum decertant, et lubentes laborant ut sint redimiti regni diademate? Vides quomodo eorum eroxit animum, eosque suspensos tenuit et excitavit?

Ostendit autem non solam cessasse mortem; sed per eam illum quoque qui adversum nos semper bellum gerit implacabile, diabolum, inquam, esse fractum et prostratum. Nam qui mortem non timet, est extra diaboli tyrannidem. Si enim pellem pro pelle, et omnia dabit quis pro anima sua (*Job* II, 4), quando etiam ipsam ausus fuerit despicere, cujusnam jam erit servus? Nullum timet, nullum formidat: est omnibus magis liber. Qui enim animam suam despicit, multo magis alia. Quando autem talem animam invenerit diabolus, nihil ex iis quæ sua sunt in ea poterit efficere. Quid enim, pecuniæne minabitur detrimentum, et infamiam, et exsilium a patria? Sed hæc parva sunt apud eum, qui ne animam quidem suam habet pretiosam, ut ait beatus Paulus. Vides quod mortis expulsa tyrannide, simul etiam confregit vires diaboli. Nam qui de resurrectione scit plurimum philosophari, quomodo timeat mortem, quomodo horreat de cætero? Ne ergo tristitia afficiamini dicentes: Cur hæc et illa passi sumus? Sic enim fit clarior victoria; nec fuisset clara, nisi morte mortem solvisset. Hoc est autem admirabile, quod per ea ipsum vicerit per quæ erat fortis et potens, ubique ostendens quanta sibi suppetat facultas, et ad res gerendas solertia. Ne prodamus donum quod nobis fuit datum. *Non enim accepimus*, inquit, *spiritum timoris, sed spiritum virtutis, et charitatis, et modestiæ.* (*I Tim.* I, 7.) Stemus ergo fortiter mortem irridentes.

S. Chrys., ecloga *De morte*, hom. 31, tom. XII. — Multa quidem, charissimi, animus noster cognoscere jam et comprehendere festinat; ac inprimis quidem consummationis tempus. Idcirco eos qui intempestiva illa curiositate laborant, reprimens Paulus, inquit: *De temporibus autem et momentis, fratres, non indigetis ut scribamus vobis.* (*I Thess.* V, 1.) Quid enim hinc, die mihi, lucri fuerit? Ponamus sæculi consummationem post viginti annos futuram, post annos triginta, post centum: quid hoc ad nos? Annon uniuscujusque consummatio est vitæ suæ terminus? Quid curiose scrutaris et turbaris pro communi fine? Sed quemadmodum in aliis, relictis propriis, pro communibus solliciti sumus, atque omnia potius quam sua quisque curamus; ita et omittentes suum quisque finem curare, communem et generalem finem discere volumus. Quod si intelligere velitis quare finis nobis absconditus sit, et quare sicuti fur in nocte venial, ego quidem, ut mihi videtur, bene hæc habere dicam. Nemo sane virtutis ullam curam tota vita sua susciperet, si finem suum sciret, sed cognito quisque ultimo die suo, postquam innumera mala ante perpetrasset, tunc demum ad pœnitentiam veniens, ita decessisset. Si enim nunc timore incertitudinis cunctorum animos concutiente, omnes universam anteactam vitam in malitia consumentes, ad extrema demum suspiria pœnitentiæ sese tradunt; si de isto quoque admodum essent persuasi, quis unquam virtutis curam haberet?

Quin, si unusquisque nosset omnino se crastino die moriturum, nihil audere ante diem illum refugeret; sed quos vellet, occideret, et inimicis vicem rependendo seipsum recrearet, atque ita refocillato prius animo suo, mortem exciperet. Præterea, neque ipsi strenui viri mercedem aliquam haberent, contra adversa confidentes, quippe qui, morte nondum præsente, facile audaciam sumerent. Ignavissimus etiam quisque in ignem ingrederetur, si quem fide dignum reperisset securitatis promissorem. Qui enim ex unoquoque periculo interitum præstolatur, et novit victurum se, siquidem non perperam sibi consulat; moriturum vero, si talia audeat, maximum alacritatis suæ et præsentis vitæ contemptus judicium protulerit. Qui namque revera philosophatur, et futurorum spe erigitur, nec mortem reputabit mortem; sed ante oculos mortuum jacere videns, non ita affectus erit sicuti plerique, dum coronas animo versat. Et sic-

Digitized by Google

ut agricola frumentum cernens dissolvi, non idcirco desperat, nec tristis efficitur; ita justus quoque recte factis abundans, et quotidie regnum exspectans, si mortem ob oculos positam videat, non angitur animo sicut vulgus, non tumultuatur, nec turbatur. Novit enim quod iis qui recte vixerunt, mors sit commutatio cum melioribus, et ad præstantiora perfectio, cursusque ad coronas. Idcirco sepulcra ante civitates sunt, sepulcra ante agros, et ubique schola humilitatis nobis proponitur, ut assiduo nostræ admoneamur imbecilitatis.

Cur vita functum ita defles? An quod malus esset? Atqui propter hoc gratias agere oportet, quod vitia ipsius impedita sint. At frugi et bonus erat: et ob hoc lætandum, cito esse ablatum illum, antequam malitia mutaret intellectum. Sed juvenis erat: et hac de causa gratias age, Deumque, qui ipsum accepit, lauda. Sicut namque eos, qui ad magistratum vocantur, multi cum fausta precatione comitantur; ita sanctos vita decedentes, velut ad majorem vocatos honorem, cum multa deducere oportet fausta acclamatione. Non enim dico, ne hoc defunctos omnino lugeatis, sed ne immodice id faciatis. Si namque cogitaverimus eum qui decessit mortalem fuisse, et a Deo ipsum ablatum esse, solatium non mediocre capiemus. In his namque indignari est eorum qui ipsa natura majus aliquid requirunt. Homo natus es et mortalis: quid igitur doles, quod quæ secundum naturam sunt, acciderint? Anne doles quod comedens nutriaris? Quærisne ut absque alimento vivas? Ita etiam in morte est: cum mortalis natus sis, immortalitatem ne quæras. Semel hoc definitum est et statutum. Verum cum Deus vocat aut accipere aliquid a nobis vult, ne velut improbi famuli, ea quæ Domini sunt suffuremur. Sive enim pecuniam acceperit, sive honorem et gloriam, sive corpus, sive animam ipsam, sua accepit: etsi filium tuum accipit, non tuum filium accepit, sed proprium servum suum.

Sed filium, inquis, perdidi unicum, multis divitiis innutritum, præclaram spem ostendentem, illum qui mihi in hæreditatem succedere debebat. Et quid hoc? Noli ingemiscere, sed gratias Deo age, et eum qui accepit laudibus celebra: sic enim nihil Abrahamo, quoad hoc, inferior eris. Sicuti enim ille Deo jubenti dedit, sic tu quoque illo accipiente, non ingemuisti. Si enim filium mori cernens, gratias benignissimo Deo egeris, non minus recipies mercedem, quam ille qui filium abduxit ut immolaret. Ac si ploratus et luctus discusseris, omnesque ad Dei laudes excitaveris, infinita a cœlo et terra præmia percipies, hominibus te admirantibus, plaudentibus angelis, et Deo coronante.

Et quomodo fieri potest, dicit aliquis, ut illum non defleam, a quo jam non amplius pater appellor? Quid dicis? Numquid enim amisisti puerum? nunquid filium perdidisti? Imo vero acquisivisti et firmius obtinuisti. Non enim patris appellationem perdidisti, sed ut amplius etiam voceris, adeptus es: quia non filii mortalis, sed immortalis deinceps pater vocaberis. Nec ideo quia tibi non adest, perdidisse te illum existimare debes. Neque si peregre abiisset, a te etiam quoad nomen familiæ una cum corpore separatus esset. Non iste est, puer ille qui jacet, sed ille qui ad cœlos evolavit, cursuque contendit. Si igitur oculos videas depressos, os contractum, corpusque immobile, ne ita cogites: istud quidem os non amplius loquetur, oculi isti jam non videbunt, nec amplius pedes isti ambulabunt: sed os quidem istud melius loquetur, majora videbunt oculi, pedes supra nubes elevabuntur, et corpus hoc quod corrumpitur, induet immortalitatem, majoreque cum magnificentia filium meum recipiam.

Recordare Abrahami patriarchæ, qui filium suum Isaac non quidem morientem vidit, sed, quod acerbius erat et gravius, ipsemet eum interficere jubebatur, nec mandato huic contradixit, nec indigne ferebat, nec denique tale quid locutus est. An ob id patrem me fecisti, ut me filii interfectorem faceres? Melius fuisset ab initio non dedisse, quam postquam dederis, tali modo ipsum denuo sustulisse. Eumne accipere vis? Quare mihi præcipis ut eum jugulem, dexteramque meam contaminem? nonne mihi per hunc filium orbem terrarum nepotibus impleturum te promisisti? Quomodo igitur fructus dabis, cum radicem tollas? Quis talia vidit, quis unquam audivit? deceptus sum ac circumventus. Nihil tale dixit neque cogitavit. Non adversatus est imperanti, non poposcit facti rationem; sed postquam audivisset hæc verba: Accipe carissimum filium quem diligis Isaac, eumque in holocaustum, supra unum montium, quem dixero tibi, offer; tanta animi alacritate mandatum implevit, ut plura etiam, quam præcepta essent, præstaret. Nam et uxorem hoc celavit, et servos latuit, infra montem ipsos relinquens. Tecum igitur perpende, quantum erat solum cum solo filio loqui, nemine præsente, cum viscera jam magis incaluissent, et vis amoris esset vehementior. Quis sermo hoc satis explicare possit?

Deduxit puerum rursum, pedes implicavit, lignis imposuit, et gladium arripuit, vulnus inferre paratus erat. Quo modo et qua ratione dicam, non ab eo, solus ipse novit, qui hæc operatus est: oratio hoc explicare nulla valet. Quomodo manus non obstupuit? Quomodo nervorum robur solutum non est? Quomodo ipsum non confudit filii aspectus? Et erat simul videre hunc patrem esse, et sacerdotem, hostiamque absque sanguine offerri, holocaustum sine igne. Etenim filium occidit, et non occidit. Non occidit manu, sed occidit animi alacritate; ut omnes posthac doceret et filiorum naturam, et opes omnes, atque adeo ipsam animam Dei mandatis posthabendam esse. Considera enim mihi generosum viri animum, quod filium jussit mactare illum unigenitum, charissimum illum, illum qui præ-

Digitized by Google

ter spem ei datus esset. Quot insurgentes sibi habuerit cogitationes, sed omnes tamen ille subegit, omnesque ipsum magis extimuerunt, quam regem satellites; soloque aspectu universas compescebat, nec mutire quidem harum ulla audebat; sed ita composite consistebant, ut ipsum ornarent potius quam timore percellerent.

Et contemplare mihi constantiam. Natura cum armis suis humi prosternebatur, et ipse stabat, manum extendens, non habentem coronam, sed gladium corona qualibet splendidiorem; et angelorum applaudebat turba, et Deus ex cœlis laudum præconium tribuebat. Quid, quæso, huic æquale fuerit tropæo? — Si filios improbos non facile contemnere solent parentes, sed hos quoque luctu prosequuntur, hic cum filius esset germanus, unigenitus et charissimus, atque ab ipso patre mactari deberet, quis eximiam illius animi moderationem verbis assequi poterit? O beatam dexteram, quali gladio digna es habita! O gladium admirandum, in qualem usum paratus fuit, et quale peregit ministerium, qui typo subserviit, quomodo cruentatus, et quomodo non cruentatus est? Nescio enim quid dicam, adeo horrendum mysterium erat. Non attigit filii collum, neque penetravit sancti illius jugulum, neque rubuit justi sanguine: quin potius attigit et penetravit et rubuit, et immersus est, et non est immersus.

Forte extra me raptus esse vobis videor, qui tam pugnantia loquor. Certe extra me raptus fui, mecum reputans justi illius miraculum, sed pugnantia tamen non loquor. Nam manus quidem justi gladium infixit in jugulum filii, sed Dei manus non passa est, etiam impactam pollui sanguine pueri. Nec enim Abraham tantum tenebat ensem, sed etiam Deus. Atque ille quidem impellebat ex animi sententia; hic vero cohibuit voce. Considera vero: dixit: Occide, et continuo armabatur, dixit: Ne occidas, et protinus exarmabatur. Elegit enim potius non appellari pater, ut servum bonum et gratum se ostenderet. Et quoniam reliquit sua propter Deum; ideo Deus cum illis, ei etiam sua largitus est, et animi promptitudinem in præceptum statuit. — Quapropter rogo atque obtestor, si quando filium aut filiam amiseris, o homo, ne ita indecenter plores, et te ipsum dilanies; sed animo tuo reputa Abrahamum filium suum occidisse, nec lacrymasse, aut asperum etiam verbum emisisse. Et Job quidem indoluit, sed tantum quantum patrem filiorum amantem dolere consentaneum erat; sicut quod nos nunc facimus, inimicorum potius et hostium est.

Sed ignoro inquis, quonam abiverit. Quare enim, dic mihi, ignoras? sive enim recte vixerit, sive secus, manifestum est quo sit abiturus. Idcirco, inquit plango, quia peccator e vita discessit. Ut propter hoc vel maxime gaudere oportet, quod in peccatis præpeditus sit, nec malitiam auxerit; et juvare quantum fieri potest, non lacrymis, sed orationibus et supplicationibus, eleemosynis atque orationibus. Non enim frustra hoc excogitatum est: nec temere qui altari assistit, dum horrenda mysteria peraguntur, clamat pro omnibus in Christo dormientibus, et pro iis qui memorias celebrant illorum: sed Spiritus sancti ordinatione hæc fiunt. Nam si Jobi illius liberos patris victima purgavit, quid dubitas, nobis quoque pro defunctis offerentibus, aliquid solatii illis accessurum? Ne igitur morientes temere deploremus, — sed tota vita nostra, iisque pro viribus succurramus. Procuremus ipsis auxilii aliquid, modice quidem, auxilium tamen feramus. Qui vero istud et quomodo? preces nimirum fundentes, et cæteros ut orationes pro ipsis faciant, hortantes, assidue denique pauperibus pro iisdem dantes eleomosynas. Habet res hæc aliquod solatium. Audi enim Deum dicentem: *Protegam civitatem hanc, propter me, et propter David servum meum.* (IV. *Reg.* XIX, 33.) Quod si sola justi memoria tantum potuit, si etiam opera pro ipso fiant, quid non poterunt? Non frustra hæc lege statuta sunt ab apostolis, ut sub horrendis mysteriis defunctorum fiat commemoratio. Noverunt multum ipsis lucri inde oriri, multum emolumenti. Quando enim populus universus stat, manus in cœlum extendens, cœtus item sacerdotalis, horrendumque sacrificium proponitur, quomodo Deum non placaremus pro istis orantes? Non igitur malum est mori, sed mori male.

Vultis ut charitati vestræ dicam undo mortem timeamus? Non vulneravit nos amor regni, nec futurorum desiderium nos accendit: quoniam omnia alioqui præsentia despiceremus. Qui enim semper gehennam metuit, nunquam mortem extimescet. Concedite mihi nunc, fratres, ut libere vobis loquar. — Dicam, si placet, causam ob quam mortem pavere solemus. Vitam accuratam non agimus, nec bonam conscientiam habemus. Quod si esset, nihil metu nos percelleret, non mors, non pecuniæ jactura, nec quidam aliud ejusmodi. Redde me securum de cœlesti regno, et si voles, hodie occidas, et gratiam tibi pro cæde habebo; quoniam cito ad illa bona me transmittis. Sed injusta morte occumbere timeo, inquis. Quid ais, quæso te, injuste mori times, sed juste mori velles? Et quis ita miser est atque ærumnosus, qui cum injuste occidi liceat, juste mallet? Si enim timenda sit mors, eam certe timere oportet quæ juste nos invadit: cum immerito occisus, per hoc omnium sanctorum consors fiat. Plerique enim eorum qui grati Deo fuerunt, injustam sustinuerunt mortem: et primus Abel. Neque enim hic quidquam in fratrem peccaverat, neque Cainum læserat, sed quia Deum colebat, ideo occisus est. Deus vero id permisit. Igitur vel quia eum amabat, vel quia oderat. Perspicuum est quod quia amabat, coronamque ei splendidiorem facere ex iniquissima illa cæde, intendebat. Videsne quod non injuste mori, sed in peccatis vita defungi timere oportet? Abel injuste occisus est, Cain gemens et

Digitized by Google

contremiscens vitam agebat Uter ergo, quæso te, beatior erat, ille ne qui cum justitia obiit, an qui in peccatis vivebat? Illene qui injuste mortuus est, an qui juste puniebatur?

Ne igitur morientes temere defleamus, sed eos qui in peccatis moriuntur. Hi lamentationibus, hi planctu et lacrymis sunt digni. Quæ enim, quæso te, spes est, si quis cum peccatis eo discedat, ubi peccata deponere non licet? Quandiu enim hic erant, magna forte spes erat ipsos pœnitentiam acturos, et meliores futuros; postquam vero in infernum abierunt, ubi nihil commodi ex pœnitentia percipere est; *in inferno* enim, ait, *quis confitebitur tibi?* (*Psal.* VI, 6.) Quomodo luctu digni non sunt? Defleamus itaque eos, qui hoc modo ex vita decedunt, non prohibeo; defleamus, sed non præter decorum : non crines evellentes, non nudantes brachia, nec unguibus faciem lacerantes; sed modeste exiguas lacrymas emittentes. Prodest vero hoc nobis. Qui enim illum hoc pacto luget, multo magis ipse operam dabit, ne in eadem incidat. Iterum vero, cum mortuum per forum videris deferri, filios orphanos sequi, plangere uxorem viduam, famulos plorare, amicos tristes incedere, rerum præsentium considera vanitatem, quodque ab umbra et somniis illæ nihil differant. Considera mihi magnorum et splendidorum hominum ædes, quomodo jam usque ad solum dirutæ sint. Cogita quanta olim potuerint, quodque jam ipsorum ne memoria quidem relicta sit.

Ostende mihi illum extentum, febri afflictatum, animo deficientem, et tunc sermonem tecum conseram, et dicam : Ubi nunc sunt illi qui magna cum arrogantia, tot sequentibus famulis, in foro fastuose et insolenter sese inferebant? Qui sericis induti, et unguenta spirantes, alentes parasitos, et perpetuo scenæ affixi? Ubi nunc cœnarum illarum magnificentia, turba musicorum, assentatorum obsequium, immodicus risus, animæ quies, cogitationis diffusio, vita mollis, otiosa et luxu perdita? Omnia abierunt et avolarunt. Quid ex corpore factum est quod tanta cura, tam exquisita munditia abundabat? Abi ad sepulcrum, contemplare pulverem, cineres, vermes, loci deformitatem; contemplare et amare ingemisce. Atque utinam ad pulverem tantum ejusmodi damnum pertingeret! Jam vero a sepulcro et his vermibus transferas mentem ad vermem illum immortalem, ad stridorem dentium, ad exteriores illas tenebras, ad ignem inextinctum, ad acerbas illas et intolerabiles pœnas, ad infinita denique sæcula. Hic enim et bona et molesta finem habent, et hunc celerrimum. Ibi vero utraque cum æternis sæculis durant : qualitate autem tantum differunt ab iis quæ nunc sunt, ut dici non possit. Quid igitur multus ille ornatus? Quo multa illa mollities abiit? Quo famulorum obsequium, pecuniarum item possessionumque abundantia? Quisnam ventus irruens omnia exsufflavit? Quid vero sibi vult superfluus ille et inutilis circa funera sumptus, qui magnum quidem funerantibus damnum, defuncto vero nullum affert emolumentum? Quando Dominum audis nudum a mortuis resurrexisse, desiste a tua in funere curando insania.

S. August., *De patientia*, tom. VI. — Debitas pœnas, insuper quærunt et martyrum glorias? Cum etiamsi pro vero Christi testimonio persecutionem paterentur, recto illis diceretur : Væ iis qui perdiderunt patientiam. Quomodo enim justum præmium patientiæ redditur, si et impatiens passio coronatur? Aut quomodo innocens judicabitur, cui dictum est : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* (*Matth.* x, 19), si homicidium committit in se ipso, quod committere prohibetur in proximo?

Idem, *De Civitate Dei*, lib. I, cap. 11. — Mala mors putanda non est, quam bona vita præcesserit : neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem.

Idem, *De cura gerenda pro mortuis*, tom. VI. — Non sunt prætermittendæ supplicationes, quas faciendas pro omnibus in christiana et catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus, quorumque sub generali commemoratione suscepit Ecclesia; ut quibus ad ista desunt parentes, aut filii, aut quicunque cognati vel amici, ab una eis exhibeantur pia matre communi.

Idem, *ibid.* — Non existimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, pervenire, nisi quod pro eis, sive altaris, sive orationum, sive elemosynarum sacrificiis solemniter supplicamus : quamvis non pro quibus fiunt, omnibus prosint; sed iis tantum, quibus dum vivunt comparatur ut prosint. Sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, ut nullus eorum prætermittatur ad quos hæc beneficia possint et debeant pervenire.

S. Bern., *in transitu S. Malachiæ.* — Pessima quidem mors peccatorum, quorum et nativitas mala, et vita pejor. Sed pretiosa est mors sanctorum, pretiosa plane tanquam finis laborum, victoriæ consummatio, vitæ janua, et perfectæ securitatis ingressus.

Digitized by Google

N

NATIVITAS DOMINI

[Ex SS. Patribus.]

S. Ephrem., serm. *de Nativ. Domini*, t. III. — Utinam fortunatis illis temporibus vixissem ad hominum reparationem divinitus præfinitis! Utinam diem auspicatissimis Christianæ reipublicæ fastis notandum, et ad annuntiandam universo mundo felicitatem designatum vidissem! Utinam factum foret, ut cœlesti militiæ Deum magnifice laudanti socius adjungerer! At quoniam indignus plane sum ut tantum mihi honoris tribueretur, hoc mihi nunc saltem detur, ut illuc me charitatis ardore conferam, ubi nova ista lux cæcis mortalibus eluxit, atque angelos comitari, eorumque gaudii ac voluptatis participem fieri, tum aliqua de incarnati Verbi laudibus, majori qua fieri potest animi puritate contexere liceat.

Quem prophetæ multo antea venturum promiserant, suis tandem cytharis celebrarunt; quem pontifices ardentissimis exspectaverant votis, plaudentes magnificaverunt, reges, e quibus continuato generationis ordine descendit, coronas et sceptra detulerunt formosissimo virginum regi, e Virgine genito, qui cum Rex regum sit, regno omnes donavit; cum summus sit Pontifex, veniam omnibus impertivit, cum Dei Agnus, mensam fidelibus exquisitissimam præparavit.

En, Domine Jesu, regales urbes certatim confluunt, tibi coronas aureas oblaturæ. Bethleem, Cana, Nazareth, Bethania, Sichem, et reliquæ civitates, quæ te excipere promeruerunt, te præ cunctis Regem consalutare gestiunt. Prima tibi coronides ab ea, in qua editus es, urbe decernitur. Duo tibi dat diademata, quæ te genuit Mater, quæque te excepit spelunca. Reliquæ deinde urbes, quas tenent coronas ad pedes abjiciunt tuos. Quod enim supremæ tuæ majestati deferunt munus id a te acceperunt; unde nihil sumis, quod non prius impertiveris.

Tua te adoret Genitrix, tuoque capiti diadematis ornamentum superimponat, ceu Salomoni propria quondam imposuit mater; etsi hic cæteroquin ethnicam pravitatem secutus, suæ honorem dignitatis depresserit. At tu Davidicam, ex qua profectus es, sobolem amplissime decoravisti: tu ipsius thronum magnifice elevasti, familiam longe lateque propagavisti, et ejus citharam ubique provexisti. Eadem tua parens inclyta in omnium ore diutissime vigeat; qui te gestavit uterus benedictione repleatur. Josephum nemo digne laudare poterit, quem tu, vere et naturalis æterni Patris Fili, patrem adoptivum habere non recusasti; tu, pastor amantissime, qui missus ad quærendas quæ perierant oves tandiu laboravisti, donec inventas ad ovile reduceres. Quod tantum conceperim Filium, (sic enim virginem Mariam secum allocutam fuisse credibile est,) id me præ omnibus qui salutem adepti sunt, mirifice recreavit; quod ipsum genuerim, me supra omnes sanctitate eminentes viros decoravit. Ingrediar modo in virentia paradisi pomaria, ibique Deum laudabo, ubi Eva misere concidit. Hoc fortasse non parvi momenti erit, cum in Matrem me elegerit, seque mihi in Filium esse dignatus fuerit, quoniam ipsi præ omnibus aliis mulieribus placui.

Bethleem tibi gratias agat quas potest maximas, quandoquidem in ea urbe nasci voluisti, et coronam Micheæ vaticinio jampridem prænuntiatam tibi inectat. Huc prophetæ, regesque adsint, festumque diem solemniter agant; ac præ cæteris et Moyses gaudeat, qui insignem hunc partum sub obscuris ænigmatibus adumbravit, et Isaias qui læta mysteria detexit, et Salomon qui parabolas posteriati reliquit. Quem in lucem editi infantulum ex invisibilis Patris sinu prodisse, eumque esse quem tot præclarissimi asseruere viri, constanter profiteor, meque supra omnes angelorum choros collocandam confido, ut scilicet in suplimi cælorum vertice illius perpetuo laudibus vacem, cujus gloria cœlos replet, et cujus majestatem, modo sub præsepii humilitate attenuatam, universus orbis circumplecti non valet. Hujus itaque partus magnitudinem infimis pecudum custodibus angeli nuntiarunt. Te novum atque vitæ fontem superi sitientibus mortalibus aperuere, quem tamen siccis eorum labiis oblatum ne leviter quidem attigerunt. O fontem uberrimum dulcissimumque ab Adamo minime degustatum, qui novissime in duodecim rivulos discissus est, per quos salubres toti humano generi defluxere humores! Tibi interim, speciosissime Puer, coronam aliam justus cordatusque conjux Josephus porrigit; ille nimirum quem olim dubium, hærentem exagitatumque angelus eidem in somniis apparens confirmavit; ille qui te ex Ægypto subduxit, dignus propterea cujus dignitatem amplifices, eo vel maxime, quod summa hominis integritas, præclarum dedit divinæ tuæ innocentiæ ac sanctitatis testimonium.

Optarem, Deus sapientissime, ut mihi, si liceat, indicares, quonam pacto, quave de causa ex virginitatis utero egressus sis. Certe, ni fallor, tuam Nativitatem Adæ compactio præfiguravit; iste si quidem de intacta et nondum aratro excisa terra formatus fuit; tu pari prope ratione ex intemeratis filiæ David sponsæ Josephi visceribus, secreto virili commercio, procedere voluisti. In

Digitized by Google

sacra regum geneseos historia sola virorum exprimuntur nomina, quin ulla feminarum mentio fiat; cum nullo pacto consentaneum foret ut earum genealogia describeretur. Qua de re puerum sub matris nomine conscribi non decuit. Filius David Joseph Davidicam sibi desponsavit filiam, ex qua prolem sine semine habuit, quæ Mariæ pariter proles fuit, licet ipsa nunquam virum cognoverit; et sic ex utroque tribus ipsorum sobole ditata est augustissima, quæ *Filius David* in laudata regum genesi apposite nuncupatur. Turpe profecto erat Christum ex viri semine procreari; nec honestum, ut idem ex femina citra conjugium nasceretur. Edidit Maria infantem, qui non sub ipsius, sed sub Josephi nomine scriptus est, licet ex hujus semine non derivatus. Ortus est sine Josepho Josephi filius, qui Davidis filius simul et parens exstitit.

Cum de tam sublimi mysterio sermonem Moises institueret, sponsam Virginem uxoris vocabulo appellavit, sponsum vero qui ab ipsa religiose abstinuit, conjugem dixit, ne videlicet quis Davidicum genus exstinctum suspicaretur; sine viro enim qui fieri potuisset ut Christus filius Davidis haberetur? Quare conveniens fuit ut Virginis sponsus conjugis personam gereret. Ipse pariter Dominus ex progenie David se ortum fassus est, dum ejusdem filius vocari non repugnavit. Jam vero si Christus, viri a sua stirpe longe dissiti Filius nominatur, eo quia in ipso sibi Deus complacuerit, quis veram Jesu Christi secundum carnem nativitatem in controversiam adducere audeat, dum Christus ex filia David conceptus, et in gremio filii David enutritus, in civitate David adoratus fuit?

Hæc omnia dum tacitus contemplor, improviso quodam studio rapior sciendi quidnam egerit, aut in quo occupata Virgo fuerit, cum Dei nuntius Gabriel ipsam adiit. Eam quidem orantem invenisse verisimillimum est, quemadmodum et Danielem identidem orantem reperit. Orationem fausta solent nuntia subsequi, quibuscum conjunctissima familiaritas cognatioque intercedit, qua sese mutuo recreant et inflammant. Id quam constet, clare conspexerunt pauci, quos Noaci arca excepit, viri quibus columba, orationis gratia, prospera nuntiavit. Abrahami fiduciam oratio auxit, et Ezechiæ tribuit, quod assiduis suspiriis postulaverat. Eadem spem centurionis inflammavit. Ipsa Simeon voti compos factus est, et Zacharias in ipsa thuris oblatione desperatam prolem se obtinuisse accepit. Fausta quæque in oratione, veluti tutissimo in portu conquiescunt, cum sit eorum omnium basis et fundamentum. Quare angelica annuntiatio in Mariæ oratione gaudiorum omnium causam deprehendit. Hinc Gabriel, ea salvare jussa, inquit: *Ne timeas.* (*Luc.* 1, 30.) Animadvertendum vero est archangelum sub venerandi senis forma missum esse, ne tam casta, tamque verecunda puella juvenili turbaretur aspectu, nec timore ullo corriperetur. Ad binos optimos senes, et ad Virginem delegatus legitur Gabriel, quorum ingenia erant arcte inter se connexa, et in voluntate prope simillima: virgo nempe, sterilis Zacharias, et fidelis Daniel. Hic postremus nasciturum brevi Dominum prophetica prius mente concepit; alter vocem clamantis in deserto edidit; Maria denique Dei altissimi Verbum ad lucem produxit.

S. Ephrem., *Orat. in Mat.*, t. III, Græce.

Christe, Verbum Patris cœlestis, qui homo pro nobis factus es sine mutatione, et in Bethlehem hodie natus es, et factus nobis via, et janua, per quam ad Genitorem tuum ingrediamur: tu, Domine, gratiam tuam et misericordias tuas immitte nobis, ac suscipe a nobis peccatoribus servis tuis thymiama hoc, quod in odorem suavitatis tibi offerimus, et redde atque remitte nobis pulchras petitiones nostras auxilio a thesauris tuis refertas: et ignosce, atque dimitte nobis omnia illegitima quæ commisimus; et concede nobis securitatem et pacem tuam, cum lætitia in hac colenda die tuæ Nativitatis, et in omnibus diebus vitæ nostræ, et requiescere fac fideles defunctos in cœlestibus mansionibus, ut tam nos, quam ipsi referamus tibi, et Patri, et Spiritui tuo sancto laudes, gloriam et honorem. Amen.

Idem, *Cantic. in Nativ. Domini*, t. III. —

Vigiles ecce exsultant hodie, quod vigil venit ut nos vigilare faciat.

Hac nocte ergo quis dormiet, in qua mundus totus vigilat?

Quia suis peccatis Adam induxit somnum mortis in mundum.

Descendit vigil, ut non vigilare faciat a servitute peccati.

At ne vigilemus ut feneratores, qui de argento quod fenerati sunt cogitant,

Noctuque multum vigilant ad computandum sortem et fenus.

Nec ut fures vigilemus, qui somnum in terra defodiunt suum;

Totaque ipsorum vigilantia in id incumbit, ut dormientibus suspiria pariant.

Nec vigilemus ut prodigus, qui crapulæ deditus cecidit in pauperiem;

Ejusque vigilantia peperit illi cruciatum, quod moderate non vixerit.

Nec vigilemus ut mercator, qui noctu micat digitis,

Ut suum computet talentum, an duplo triploque sit auctum.

Nec vigilemus ut dives, cujus somnum excusserunt divitiæ;

Canesque ejus dormiunt, et ipse vigilans suas opes observat a furibus.

Nec vigilemus ut avidus, cujus somnum absorbuit aviditas;

Illique finis cum instet, assideatque pulvino, tamen sollicitus est in annos.

Diabolus enim vigilantiam pro vigilantia venditat, ac docet,

Ut bonis quidem dormiamus operibus, malis vero impense vigilemus.

Judas quoque Iscariotes tota nocte vigil abit,

Tamen sanguinem vendidit innocentem, qui totum mundum redemit.

Digitized by Google

Scribæ etiam filii tenebrarum tota nocte vigilabant;

Vigilarunt tenebrosi, ut tenebras obducerent lumini illi immenso.

At vos, ut luminosi, vigilate satagite in hac nocte luminosa,

Quæ colore etsi nigra, virtute gloriosa est ac splendida.

Ne decipiamur ergo, dilectissimi, quod vigilamus;

Nam qui pro meritis non vigilat, expedientius illi est ut non vigilet.

Qui digne non vigilat, eius vigilantia dormire est;

Et qui pure non vigilat, ejus vigilantia contrà se est.

Vigilantia quoque invidi est illi urceus detrimenti;

Ejusque vigilantia est mercimonium derisione plenum et contemptu.

Iracundus si vigilat, ab iracundia ejus perturbatur vigilantia;

Eritque ipsius vigilantia furore referta et blasphemiis.

Loquax si vigilat, os ejus vector fiet,

Ad vulnera quia infligenda sollicitum; ad orationes vero effundendas pigrum.

Prudens ac discretus unum e duobus sibi eligit.

Aut enim dormit suaviter, aut vero sancte vigilat;

In nocte pura quidem purus ortus est, qui nos pueros reddere venit:

Nihil impurum admittatur, quod vigilantiam nostram conturbet.

Semita aurium pura reddatur, conspectus oculorum pudicus exhibeatur,

Cogitatio cordis sancta fiat, loquela oris purificetur.

Quis sat est ad laudandum Filium veritatis, qui nobis ortus est;

Quem in suis generationibus videre desiderarunt justi?

Adam exspectavit illum, cum sit Dominus Cherubim,

Ipseque poterat illum ad arborem reducere vitæ.

Abel quoque desideravit, ut suo veniret tempore,

Ut pro agno quem obtulit Agnum Dei videre possit.

Eva exspectavit illum, quia nudatio plurimum ipsam angebat;

Illeque solus poterat pro foliis induere eos gloria quam amiserant.

Turris quam plures exstruxerunt, unius designabat mysterium,

Quod descensurus erat ædificare turrim qua ad cœlum scanderetur.

Arca quoque animalium, typum Domini referebat,

Quod ipse ædificaret Ecclesiam, in qua protegerentur animæ.

Phaleg, in cujus diebus terra divisa est in septuaginta linguas,

Exspectavit illum, qui terram linguis divisit apostolis suis.

Terra, quam diluvium inundaverat, Dominum suo designabat silentio,

Qui descendit, et aperuit baptismum quo ad cœlum feratur.

Seth, Enos, Cainan et Enoch, qui filii Dei cognominati sunt,

Filium Dei exspectarunt, ut illi per gratiam fierent fratres.

Paulo minus, quam annos mille vixit Mathusalem,

Exspectans Filium, ut vitam sibi tribueret quæ nunquam deficiat.

Ipsa gratia conatu quodam pro illis deprecata est,

Ut eorum tempore veniret Dominus, ipsorumque levaret necessitates.

Spiritus enim sanctus, qui in illis secreto rogabat,

Indicavit eis, quod eodem Spiritu viderent Salvatorem quem desiderabant.

Anima justorum in eo fructu vitæ inesse medicamen præsensit,

Optavitque, ut suis diebus veniret, ut ejus gustaret dulcedinem.

Enoch exoptavit eum, cumque in terra eum videre non potuisset,

Fide et operibus est actus, ut ascenderet in cœlum videre illum.

Quis calumniari poterit gratiam, quia donum, quod magno labore consequi non potuerunt priores,

Gratis consecuti sunt posteriores?

Ipsum quoque Lamech exspectavit, ut veniens sua pietate illum levaret,

Ab operibus manuum, laboribus, ac terra quam justus maledixit:

Cumque vidisset ipse Lamech, quod Noe filius suus mysteria filii gereret,

Loco Domini remoti, solatium est eum mysterium proximum.

Ut illum videret, et Noe exoptavit quia ejus prægustavit opem.

Etenim si typus ejus animalia servavit, archetypus ipse quam vitam dabit?

Ipsum exspectavit hic Noe, et experientia didicit, per ipsum arcam stetisse.

Si ergo typus ejus ita salvat, archetypus ipse quanta præstabit?

Spiritu præsensit Abraham, quod Filii longe distaret Nativitas,

Quare, loco ipsius personæ, diem ipsius videre desideravit;

Ut illum videret Isaac, impense desideravit; nam salutare prægustavit ejus:

Si ergo typus ejus ita salvat, archetypus ipse quanta præstabit?

S. Gregor. Nyss., *in diem natalem Christi*, t. III.—*Buccinate*, inquit David, *in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ.* (*Psal.* LXXX, 4.) Cœlestis autem doctrinæ instituta omnino sunt instar legis apud eos qui audiunt. Quamobrem, quoniam adest insignis dies solemnitatis nostræ, nos item observemus legem, et efficiamur sacræ celebritatis buccinatores. Legalis autem tuba, ut declarat Apostolus, est oratio. Incertum enim inquit tubæ clangorem esse non oportere, sed sonis distinctum, ut ea quæ dicuntur perspicua sint. (*I Cor.* XIV.) Edamus igitur et nos, fratres, clarum aliquem sonum qui non minus exaudiatur, quam si ederetur cornea

Digitized by Google

tuba. Quandoquidem et lex in umbræ figuris ante depingens veritatem, in tabernaculorum celebritate tubis ut caneretur mandavit. (*Lev.* XXIII.) Et præsens celebritatis argumentum, veræ tabernaculi exstructionis mysterium est. In hac enim humanum ei tabernaculum figitur, qui propter nos formam hominis induit. In hac tabernacula nostra, quæ morte corruerant, instaurantur ab eo qui ab initio construxerat ædificium. Nos etiam ea verba Psalmi cum vocali Davide plaudentes dicamus : *Benedictus qui venit in nomine Domini.* (*Psal.* CXVII, 26.) Quomodo autem venit? non navigio, aut curru aliquo, sed incorrupta virginitate in vitam humanam trajecit. Hic Deus noster, hic Dominus illuxit nobis, ut diem hanc solemnem constitueret in condensis usque ad cornua altaris.

Quod autem mysterium, fratres, in iis quæ dicta sunt, contineatur, neutiquam ignoramus; scimus enim universas res procreatas esse veluti templum quoddam Domini, a quo procreatæ sunt. Verum quia, superinducto peccato, obstructa erant ora illorum qui a malitia victi fuerant, et exsultationis vox obticuerat, et dies festos celebrantium consensus distractus erat, cum humana natura cum beatarum mentium natura in celebrando non conveniret, idcirco venerunt prophetarum et apostolorum tubæ quas lex corneas vocat, quia ex vero unicorni confectæ sunt. Hæ Spiritu sancto inflatæ continuum veritatis sonum protulerunt, ut auribus eorum qui propter peccatum obsurduerant patefactis, per condensationem tabernaculi inferioris cum eximiis et præstantibus illis virtutibus, quæ ad altare supernum astant, concinentem, una solemnitas celebraretur. Divini enim illius altaris cornua sunt eximiæ et præstantes cœlestis naturæ Virtutes, et Principatus, et Potestates, et Throni, et Dominationes, quibuscum per tabernaculi excitationem in celebritate conjungitur humana natura, renovatione corporum condensata. Nam condensari et ornari, et indui idem est, ut illi, qui hæc intelligunt, interpretantur. Agite igitur, ad spiritalem choream animos nostros excitemus, nobisque chori ducem, et principem, et coryphæum Davidem proponamus, et una cum illo dulcem illam emittamus vocem, quam ante cecinimus. Sic igitur rursum repetamus : *Hæc est dies quam fecit Dominus; exsultemus et lætemur in ea.* (*Psal.* CXVII, 24.) In hac tenebræ incipiunt minui, et crescente splendore, noctis termini contrahuntur.

Idem, *cur humanæ vitæ non ab initio, sed ab extremis temporibus, Dominus apparuerit?* — In adventu Domini dies augetur, et nox imminuitur. Mihi enim videor eam sic loquentem audire : Considera, homo, qui hæc aspicis, ex iis quæ videntur, ea tibi aperiri quæ recondita sunt. Vides noctem ad summam longitudinem pervenisse, et cum progredi ulterius nequeat, consistere ac regredi? Cogita exitiosam peccati noctem, quæ malis omnibus artibus aucta ad summum malitiæ cumulum venerat, hodie recisam esse, ne longius serperet, atque illuc deinceps redigi, ut plane deficiat ac deleatur. Vides uberiores lucis radios, et solem solito sublimiorem? Cogita veræ lucis præsentiam Evangelii radiis totum orbem terrarum illustrare. Quod autem humanæ vitæ non ab initio, sed ab extremis temporibus Dominus apparuerit, hanc merito fortasse causam quispiam existimabit, quod qui militiam ut tolleret humanam vitam erat ingressurus, exspectavit necessario, ut omne ab inimico satum propagatumque peccatum germinaret, ac tum demum, ut legitur in Evangelio, radici securim admovit. (*Matth.* III.) Nam et qui præstant medendi facultate, dum febris adhuc corpus exurit, et ex causis morbum efficientibus paulatim intenditur, obsecundant morbo, quoad vis ad summum pervenerit, nec cibi subsidium ullum ægrotanti præbent : at ubi malum constiterit, patefacto jam toto morbo, tunc artem adhibent. Sic animorum ægrotantium medicus exspectavit dum malitiæ morbus, quo natura hominum victa laborabat, se totum aperiret, ne latens aliquid incuratum remaneret, si curaret id solum quod cerneretur. Itaque nec Noe tempestate, cum omnis caro in iniquitate corrupta esset, adventu suo medicinam attulit, quia nondum Sodomitici sceleris germen pullulaverat : nec tempore eversionis Sodomorum Dominus advenit, quoniam in humana natura multa adhuc mala latitabant. Ubi enim impius Pharao? Ubi indomita Ægyptiorum malitia?

Nec tunc igitur tempus fuit, ut reparator universi, tempore, inquam, Ægyptiorum malorum, huic vitæ se commisceret : sed oportebat, ut Israelitarum iniquitas patefieret. Oportebat et regnum Assyriorum, ut superbia Nabuchodonosor, adhuc latitans, in vita ostenderetur. Oportebat ut piorum cædes, tanquam scelerata spinosaque planta, ex mala diaboli radice prodiret. Oportebat ut Judæorum prophetas occidentium, et a Deo missos lapidibus obruentium, ac Zacharia tandem inter templum et altare interfecto, piaculum admittentium rabies detegeretur. Ad sceleratorum germinum numerum adde et infantium ab Herode patratam cædem. Cum igitur malitiæ vis se totam effudisset, multisque luxurians modis crevisset in animis eorum qui singuli scelere insignes exstiterant : tunc Deus, ut ad Athenienses Paulus ait, ignorantiæ tempora despiciens, in diebus ultimis advenit : quando non erat intelligens, nec requirens Deum (*Psal.* XIII) : quando cuncti declinaverant, et facti erant inutiles (*Rom.* III) : quando conclusa erant omnia sub peccato (*Galat.* III) : quando iniquitas abundabat : quando vitiorum tenebræ ad summum usque terminum venerant. (*Isa.* IX.) Tunc apparuit gratia; tunc veræ lucis enituit radius; tunc in tenebris et umbra mortis sedentibus ortus est justitiæ sol; tunc humanam carnem indutus multa serpentis capita pede contrivit, ad terramque allidens conculcavit.

Digitized by Google

Audis Isaiam clamantem : Puer *natus est nobis, et filius datus est nobis.* (*Isa.* IX, 6.) Disce ab eodem propheta quomodo natus sit puer, quomodo datus sit filius. Num juxta naturæ legem? Minime vero, inquit; legibus enim naturæ non paret qui naturæ Dominus est. Quomodo igitur natus est puer? dic. *Ecce*, inquit, *Virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel.* (*Isa.* VII, 14.) Quod, si interpreteris, significat, *Nobiscum Deus.* O rem admirandam! Virgo mater efficitur, et permanet virgo. Cernis novum naturæ ordinem. — Eadem enim et mater et virgo est. Nec virginitas partum ademit, nec partus virginitatem solvit. Decebat enim, ut qui vitam humanam introibat ut homines integros incorruptosque servaret, ab incorrupta sibi deserviente integritate initium duceret.

Si vere pastores sumus, et propriis gregibus invigilamus, ad nos utique spectat angelorum vox quæ magnum hoc gaudium nuntiat. (*Luc.* II.) Oculos igitur in cœlestem exercitum intendamus, tripudium spectemus angelorum, divinum ipsorum cantum audiamus. Quinam plaudentium sonus? *Gloria*, clamant, *in altissimis Deo.* Cur divino numini quod in altissimis cernitur, gloriam tribuunt? Quoniam, inquiunt, *et in terra pax.* (*Ibid.*, 14.) Ob hoc spectaculum gaudio perfusi sunt angeli : *in terra pax.* Quæ prius detestabilis erat, quæ spinis ac tribulis plena solitudo, quæ damnatorum exsilium, quæ belli regio, hæc pacem suscepit? O rem admirabilem : *Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit!* (*Psal.* LXXXIV, 12.) Talem dedit hominum terra fructum suum. Et hæc fiunt pro bona in hominibus voluntate. Deus humanæ naturæ commiscetur, ut ad sublimitatem divinam hominem tollat. His auditis, in Bethlehem proficiscamur, novum spectaculum contemplemur. —

Ad Virginem missus est Gabriel qui ei divinæ voluntatis arcanum aperiret. His autem faustissimis verbis usus est : *Ave, gratia plena, Dominus tecum.* (*Luc.* I, 28.) Contraria hæc est oratio illis vocibus, quas prima mulier audivit. Tunc enim illa doloribus propter peccatum damnata est. (*Gen.* III.) Nunc autem in hac per gaudium dolor expellitur. In illa molestiæ partum præcesserunt. Huic partum lætitia prænuntiat. *Ne timeas*, inquit, quoniam omnibus mulieribus timorem affert partus exspectatio, dulcis partus promissione timor eximitur. *In utero*, inquit, *concipies, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* (*Matth.* I, 21.) Quid autem Maria? Audi pudicam virginis vocem. Angelus partum nuntiat. At illa virginitati inhæret, et integritatem angelicæ demonstrationi anteponendam judicat; nec angelo fidem non habet, nec a proposito recedit suo. Interdixi, inquit, mihi, consuetudine viri. *Quomodo istud* erit mihi *quoniam virum non cognosco?* (*Luc.* I, 34.) — Licet angelus sis, licet e cœlo venias, licet id quod ostenditur naturam superet humanam, tamen me virum cognoscere nefas est. Quomodo sine viro mater ero? Josephum enim sponsum novi, sed virum non cognosco. Quid ad hæc auspex Gabriel? Quem thalamum statuit puro impollutoque connubio? *Spiritus sanctus*, inquit, *superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* (*Ibid*, 35.) O beatum uterum illum qui bonitatis ac puritatis præstantia ad se traxit animi bona! In reliquis enim omnibus vix animus purus Spiritus sancti præsentiam capit : hic autem caro fit Spiritus receptaculum. Sed et *virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quid significat arcanus hic sermo? *Christus Dei virtus est et sapientia*, ut ait Apostolus. (II *Cor.* I, 24.) Virtus igitur Altissimi, quæ Christus est, per adventum Spiritus sancti formatur in Virgine. Quemadmodum enim umbra ad precedentium corporum figuram effingitur, sic forma et indicium divinitatis Dei in virtute ipsius qui paritur ostendetur, et imago, et signum, et adumbratio, et splendor exemplaris per admirabilem rerum affectionem demonstrabitur. —

Sed oculos ad mirabilia cœlorum spectacula tollamus. Ecce enim non prophetæ solum et angeli gaudium hoc nobis denuntiant, verum etiam cœli rebus suis admirandis Evangelii gloriam prædicant. Ex Juda, ut ait Apostolus, propheta Christus ortus est. (*Rom.* IX.) Sed ejus ortu non illuminatur Judæus. Peregrini et a testamentorum promissione benedictioneque patrum alieni sunt; Magi cognitione populum Israëlitam antevertunt, et cœlestem agnoscentes lucem, et in spelunca Regem non ignorantes. Hi munera afferunt; illi insidias struunt. Hi venerantur, illi persequuntur. Hi gaudent invento quem exquirebant; illi nuntiato ipsius ortu, reformidant. *Videntes* enim, inquit, Magi *stellam supra locum ubi erat puer, gavisi sunt gaudio magno valde.* (*Matth.* II, 10.) *Herodes autem audiens turbatus est, et omnis Hierosolyma cum illo.* (*Ibid.*, 3.) Hi et tanquam Deo thus offerunt, et auro dignitatem Regiam colunt, et prophetica quadam gratia per myrrham mortis dispositionem significant. Illi vero cunctos infantes unum in locum coactos internecione tollendos censent. Quod eos mihi non solum crudelitatis, verum etiam summæ dementiæ videtur coarguere.

Idem, *de infantium cæde.* — Quid enim sibi vult ista puerorum trucidatio? Cur ausi sunt homicidæ se tanto scelere obstringere? quoniam novum quoddam, inquiunt, mirandumque cœli portentum regis indicium Magis nuntiavit. Quid igitur tum? aut portendenti signo fidem habes ut vero, aut, quod rumore jactatur, vanum putas? Si talis est, qui cœlos sibi fecerit inservire, prorsus est supra manum tuam. Sin autem in potestate tua est, ut ille vel vivat, vel moriatur, eum frustra pertimescis. Qui enim id agit, ut imperio tuo subditus ipse sit, cur ei parantur insidiæ? Cur horrendum illud mandatum transmittitur? Cur impia fertur sententia, ut miseri infantes trucidentur? Quid peccarunt? Quid morte, aut supplicio dignum

Digitized by Google

admiserunt? Crimen unum duntaxat habent, quod nati sunt et in lucem editi. Et propterea necesse fuit ut civitas carnificibus compleretur? Ut cogeretur matrum multitudo et infantium populus, ut adessent etiam patres, et generis propinquitate conjuncti ad sævum facinus congregarentur?

Quis oratione calamitatem describat? Quis acerbitatem enarrans, oculis aspiciendam proponat mistam illam lamentationem, luctuosum questum puerorum, matrum, propinquorum, patrum ad minas carnificum miserabiliter exclamantium? Quis dicendo, possit exprimere carnificem gladio contra puerum irruentem, et torvo trucique vultu contuentem, verbisque crudelibus alloquentem, una quidem manu corripientem infantulum, altera vero gladium adigentem? Matrem porro ex altera parte filium ad se trahentem, objicientemque cervicem suam acuto gladio, ne miserum filium carnificis manu necatum propriis oculis intueretur? Quis explicet ea quæ patres agunt, revocationes, suspiria, postremos filiorum complexus? præsertim cum idem a multis fiat eodem tempore? Quis variam multiplicemque calamitatem, et conduplicatos puerperarum dolores partus exponat, et acerrimas quas admovebat natura faces? Quomodo puer infelix et uberi simul inhæreret, et per viscera lethalem plagam acciperet? Quomodo misera mater simul infantis ori subderet ubera, et sinu sanguinem ejus exciperet? Manus autem impetu sæpenumero carnifex uno gladii ictu filium et matrem consauciabat, et unus sanguinis rivus ex matris plaga, et ex mortifero vulnere filii mistus decurrebat.

Jam vero, cum nefaria Herodis sententia non solum nuper geniti necarentur, sed etiam illi qui alterum agebant annum, raperentur ad mortem, scriptum est enim eum jussisse bimulos et minores interfici. (*Matth.* II.) Videre erat matres non paucas, quæ eo temporis spatio duos filios enixæ fuerant. Quodnam igitur rursum in his spectaculum cernebatur, cum duo carnifices circa matrem unam essent occupati, unusque prope currentem filium ad se raperet, alter autem lactentem adhuc infantulum e gremio matris evelleret? Quid tum faciat mater infelix, cum natura bifariam in filios divellatur, et utroque filio maternis visceribus ex æquo faces admovente, nesciat utrum ex carnificibus prius sequatur, cum unus ex hac, alter ex illa parte pueros ad cædem trahat? Procurrat-ne ad nuper genitum, confusos indistinctosque gemitus emittentem? At inhibetur ab altero jam loquente, balbutientique lingua matrem inclamante. Quidnam agat? quo se vertat? Utrius voci voce sua respondeat? Utrius gemitum gemitu excipiat suo? Utrius defleat necem, cum uterque naturæ stimulis æque miseram ferial? Sed amoveamus aures ab hisce questibus, et ad lætiora dieique festo magis convenientia cogitationem convertamus, licet Rachel, ut inquit Propheta (*Jer.* XXXI), clamans filiorum cædem deploret. In die enim festo, ut ait sapiens Salomon, malorum decet oblivisci.

Quæ autem nobis celebrior dies hac esse potest, in qua malas diaboli tenebras discutiens justitiæ sol per naturam nostram illucet mundo? In qua, qui cecidit, excitatur? Qui hostis factus est, in gratiam recipitur? Qui ejectus est revocatur? Qui e vita excidit ad vitam redit? Qui servitutem servivit, regni dignitatem assequitur? Qui mortis vinculis constrictus est, ad regionem viventium revertitur? Nunc, ut Propheta testatur (*Psal.* CVI), æreæ mortis portæ confringuntur, ferrea comminuuntur vincula, quibus antea genus hominum in mortis custodia detinebatur. Nunc, ut cecinit David, recluditur porta justitiæ. (*Psal.* CXVII.) Nunc per totum orbem una voce festum celebrantium clamor exauditur.

NATIVITAS MARIÆ (7)

[Ex SS. Patribus.]

S. Ephrem., *De laudib. Dei Genitricis Mariæ*, t. III. — Quicunque, fratres charissimi, miram illam, ac prorsus inauditam rationem, qua unigenitus Dei Filius nostræ reconciliationis mysterium peracturus, novem integris mensibus virginea in alvo delituit : quaque fragilis nostræ mortalitatis natura ad immensam divinitatis gloriam gustandam fuerit roborata, humanæ imbecillitatis viribus perscrutandam sumat, cogetur profecto tanti facinoris excellentia perterritus obmutescere.

Divinorum propterea arcanorum missa vestigatione dum pauca de sanctissimæ Dei Genetricis laudibus dicere aggredior, primo in limine maxima ipsius verecundia occurrit, quam Deus olim Moisi in monte Horeb sub rubi imagine præmonstravit. Nullum ista detrimentum passa est, sive cum Verbum in illius uterum descendit, sive cum expleto novem mensium cursu ad lucem prodidit.

In hac Christi Domini nativitate duplex prodigium admirari subit; Christus ex virgineis visceribus nullo hominis commercio labefactatis egreditur : Christi præcursor Joannes præter communem naturæ ordinem nascitur. Virgo Deum parit; sterilis Virginem. Mariæ uterus divina præsentia sanctificatur; exsultat Joannes de Christi præ-

(7) Les SS. Pères, à l'exception de S. Bernard (*Voy* col. 443), ayant peu traité la question de *la nativité de la Ste-Vierge*, nous donnons ici plusieurs textes à sa lonange, quoique sans rapport direct avec le mystère.

Digitized by Google

sentia, qua adhuc in utero clausus fruitur. (*Luc.* I, 41.)

Qui cœli nequit latitudine commensurari, en modo exiguis jacet in cunis : qui mare pedum vestigiis concludit, en brevibus præsepii angustiis coarctatur : qui cœlos suæ gloriæ magnitudine complet, nunc totam in specu majestatem contraxit.

Hujus faciem Moyses olim videre gestiit ; ipsam tamen perfecte intueri non potuit. Huc modo adsit, eumque arctis sub fasciis vagientem intuens, obstupescet. Nemini mortalium tunc temporis fas erat videre Deum, et vivere ; nunc vero qui ipsum viderint, tristem interitum evitabunt.

Occultissimum Moyses rubi mysterium stupens mirabatur, id Magi Regem gloriæ proni adorantes manifestissime declararunt.

Vox e rubo Moysi perlata ipsum admonuit, ne calceatis ad sacrum collem pedibus accederet ; stella vero Magos ad præsepe Dominicum tacite invitavit.

Moyses etsi Deum facie ad faciem allocutus fuerit, non ideo tamen divinæ naturæ præstantiam intueri potuit, at Magi Deum sub mortalibus exuviis clare conspexerunt.

Quemadmodum ergo diversæ inter se speluncæ, invicem quodammodo cohærere dicuntur, ita et Moises Magis Persidis principibus æquiparari non immerito potest. Id qui fieri valeat, ex Deo, uti sapientissimo mysteriorum auctore, petendum est. Satis hoc dixisse erit, quod nisi eos Dominus suæ magnitudinis promulgatores statuisset, nunquam ex impuris eorum manibus obsequia ac munera suscepisset.

Moyses mysteria adumbrabat, eadem Dominus implevit. Insolitus Moisi splendor ex divina allocutione resultavit, suamque faciem velamine contexit, ne in ipsam vulgares omnium oculi libere defigerentur. Pari quoque ratione Dominus noster carnem assumpsit, ut sub corporearum rerum symbolis hominibus appareret

Signum magnum apparuit in terra nostra, in ipsam etenim universorum Conditor delapsus est : mortalem Deus formam accipiens, communem nobiscum vitam agere voluit ; supremus omnium Dominus se ad vilem servi conditionem effingens, quod à suæ majestatis dignitate abhorrebat, idipsum sibi imponere non recusavit.

Quis ergo angelorum regem non in ædium regalium magnificentia, sed in humili pastorum stabulo, muta inter animantia natum contemplans, admiratione non corruat? Non sunt hæc, fratres charissimi, non sunt captiosa quædam humani ingenii sophismata, aut inanes eloquentiæ ostentationes, de quibus ambigere aut suspicari liceat.

At vero operæ pretium me heic facturum existimo, si hujusce præclari operis seriem paulo altius repetam, ne quid gloriæ Mariæ Virgini debitæ silentio prætermisisse arguar. Illuxerat jam lætissimus ille universo orbi dies ad humani generis reparationem prælinitus, cum extemplo Dei nuntius Gabriel ad Virginem delegatur ; ad quam ingressus, ipsi Dei verbi prius consalutatæ legationis negotium declarat. Rei novitate perculsa Virgo primo perturbatur : deinde timore posito, ab angelo quærit : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Cui angelus : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* (*Luc.* I, 34, 35.) Quibus illa cognitis, ne diutius divinæ voluntati obsisteret, subdidit : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* (*Ibid.*, 38.)

Ex quo itaque Maria Virgo supremis Dei decretis obtemperavit, Verbum statim in ipsius uterum descendit, quin virginalis pudor frangeretur, aut minimus corpori dolor accederet. Quapropter speciosus in splendore suo, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.*, I, 9) exinanivit semetipsum, ut quod Adam per inobedientiam destruxerat, ipse per humilitatem resarciret.

Sileat quicunque audit Dominicæ Nativitatis sacramentum, et angelicam legationem devota fide veneretur, non curiose vestiget ; neque enim divinæ omnipotentiæ difficile fuit reparationis opus pro nobis susceptum ex nobis inchoare.

Maria ergo hodie cœlum pro nobis facta est divinitatem portans, quam Christus absque eo, quod a paterna gloria recederet, intra angustos uteri limites conclusit, ut homines ad altiorem dignitatem extolleret. Hanc solam ex universo virginum cœtu elegit, ut nostræ esset salutis instrumentum.

In ipsa terminum habuere justorum ac prophetarum omnium vaticinationes. Ex ipsa splendentissimum illud sidus prodiit, quo duce populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.

Diversis Maria nominibus potest aptissime nuncupari. Ipsa namque templum est Filii Dei, qui ex eadem alio plane modo egressus est, ac fuerat ingressus ; cum enim ingressus esset in uterum sine corpore, corpore indutus erupit.

Ipsa est mysticum illud cœlum novum, in quo Rex regum tanquam in sua sede inhabitavit, ex quo in terram delapsus est, terrenam quamdam speciem et similitudinem præ se ferens.

Ipsa est vitis fructificans suavitatem odoris ; cujus fructus quoniam ab arboris natura admodum discrepabat, necesse fuit ut suam ab arbore similitudinem mutuaret.

Ipsa fons est de domo Domini egrediens ; ex quo sitientibus fluxerunt aquæ vivæ, quas si quis primis duntaxat labiis gustaverit, non sitiet in æternum.

Errat autem, dilectissimi, quisquis hodiernam reparationis diem cum altera creationis comparari posse arbitratur. Initio namque terra condita est ; hodie renovata ; initio ob Adami crimen maledicta est in opere suo, hodie vero pax illi et securitas restituta. Initio protoparentum delicto in omnes homines mors pertransiit ; hodie vero per Mariam translati sumus de morte ad vitam. Initio serpens Evæ auribus occupatis, inde virus in totum corpus dilatavit ; hodie Ma-

Digitized by Google

ria ex auribus perpetuæ felicitatis assertorem excepit. Quod ergo mortis fuit, simul et vitæ exstitit instrumentum.

Qui sedet super Cherubim, en modo muliebribus brachiis sustentatur; quem totus non capit orbis, Maria sola complectitur; quem throni, dominationes metuunt, puella fovet; cujus sedes in cœlis, en virgineis genibus insidet; cujus pedum scabellum terra est, eamdem puerilibus premit vestigiis.

O felicem fortunatumque Adamum qui, nascente Domino, amissum decus splendoremque recuperavit! Felicissimos mortales, qui cum essent vasa iræ apta in interitum, proprio vestem figulo contexuerunt! Felicissimos iterum dicam quibus cordium nostrorum ignem fasciis involutum licuit intueri!

Tanta fecit Deus ad unius hominis stultitiam corrigendam. Quia servus propria superbia deciderat, Dominus eum sua erexit humilitate.

Agamus itaque, fratres charissimi, gratias Deo Patri, qui ut servos redimeret suum tradidit Filium. Jesum quoque summis laudibus celebremus, qui altas hominum cicatrices tam feliciter sanavit. Utriusque demum Spiritum pie veneremur, qui datus est nobis ut vitam habeamus, et abundantius habeamus.

S. Ephrem, *De laud. Dei gen. Mariæ*, t. III. — Inviolata integra, planeque pura ac casta Virgo Dei Genitrix Maria, regina omnium, spes desperantium, Domina nostra gloriosissima, eademque optima ac præcellentissima : sublimior cœlitibus, candidior solis radiis atque fulgoribus : honoratior Cherubim, et multis oculis claris spiritibus perspicacior. Sanctior Seraphim, et incomparabiliter reliquis omnibus supernis exercitibus gloriosior. Unica spes patrum, gloria prophetarum, præconium apostolorum, honor martyrum, lætitia sanctorum et lumen probatissimorum Abraham, Isaac, et Jacob : decus Aaron, splendor Moysis et Gedeonis vellus ; cœtus hierarcharum ; omniumque sanctorum ac virginum corona ob immensum fulgorem atque splendorem inaccessa. Thuribulum aureum ; lucerna clarissima, urna pulcherrima cœli mannam gestans : tabula scriptam legem mortalibus afferens ; arca vera, charta divinissima, princeps omnium prudentissima ac sagacissima, et lucifera Virgo : consolatrix sanctissima, et dux universorum, sacratissima puella. O rube ardens incombuste, et prædium patens, viridansque Aaronis virga. Virga enim vere exstitisti : et flos, Filius tuus. E radice quippe David ac Salomonis germinavit Christus Creator noster, Deus et Dominus omnipotens, ac solus altissimus. Tu Deum genuisti et hominem, virgo ante partum, virgo in partu, et virgo post partum. Claves illas portæ orientalis semper clausæ non excussit Deus Creator tuus, in virginali tuo utero sine semine carnem indutus ; teque, ô clarissima, talem præservans, qualis ante partum fueras. Per te reconciliati sumus Christo Deo nostro, Filio tuo dulcissimo. Tu, peccatorum et auxilio destitutorum unica advocata es, atque adjutrix. Tu portus naufragantium tutissimus : tu, mundi solatium. Tu orphanorum susceptio : tu, captivorum redemptio atque liberatio : tu, ægrotantium exsultatio, mœstorumque consolatio, et omnium salus. Tu, monachorum ac solitariorum stabilimentum, et spes sæcularium. Tu virginum gloria, corona ac gaudium. Tu, mundi lætitia, ô Domina princeps, atque regina præstantissima et perquam benedicta, puella honoratissima, et dominarum Domina purissima atque castissima, sub tuum præsidium confugimus, o sancta Dei Genitrix ; sub alis pietatis atque misericordiæ tuæ, protege et custodi nos. Miserere nostri, qui sordibus peccatorum conspurcati sumus ; qui sceleribus atque delictis quam plurimis Creatorem Deum nostrum, et judicem universorum offendimus ; ne adversus nos insolescat, ac glorietur Satanas perniciosissimus ; ne in nos insurgat detestandus inimicus noster ; ne servos tuos a tui spe excidere cognoscamus ; neve calumnietur nos detrectantium lingua. Non nobis est alia, quam in te fiducia, o Virgo sincerissima! Ex ulnis siquidem maternis tibi, Domina nostra, dediti sumus miseri, tuique clientes appellati : ne igitur a maligno Satana ad inferni portas abduci nos sinas. Tu enim noster es portus ; ô Virgo intemerata, et præses pia auxiliatrix! Sub tua denique tutela, et protectione tuti sumus : quare ad unicum confugimus, crebrisque te lacrymis, ô beatissima Mater, imploramus, tibique procidimus suppliciter, clamantes ac deprecantes, ne dulcis Filius tuus, Salvator noster, et vitæ omnium dator, ob plurima quæ commisimus scelera, e medio tollat nos, miserabilesque animas nostras instar leonis diripiat, aut sicut ficum sterilem, nos excidat. Cæterum obsecramus ut ad Christum securi pervenire possimus, aulasque illas beatorum subire, ubi non sunt lacrymæ, neque luctus, non vexatio, molestia, non calamitas, non mors, non cruciatus, non locorum angustiæ : sed lætitia inexhausta, voluptas justorum maxima, deliciæ infinitæ, exsultatio et jubilatio, gloria et splendor. Reple deinceps os meum gratia dulcedinis tuæ, o Domina ; et illumina mihi mentem. O gratia plena, move linguam meam et labia, ad laudes tibi alacriter, lætoque animo decantandas, et præsertim dulce illud melos angelicum longe celebratissimum, quod Angelus Gabriel in Nazareth, servili habitu, ad te Virginem, Matremque Dei mei integerrimam, clamans cecinit : salutationem, inquam, maxime congruentem atque decentem, et dignissimam mundi salutem, cunctarumque animarum medelam atque tutelam. Dignare me servum tuum humilem laudare te, Virgo sacrata, ac suaviter dicere : Ave, præclarum et electum vas Dei. Ave, Domina Maria, gratia plena. Ave, inter mulieres Virgo beatissima. Ave, stella fulgidissima, ex qua Christus processit. Ave, lux splendidissima, Mater et Virgo. Ave, quæ admirabiliter Regem omnium peperisti. Ave, per

Digitized by Google

quam clarissimus Sol justitiæ nobis illuxit. Ave, Regina ac Domina cunctis sublimior. Ave, canticum Cherubim ac Seraphim, et hymnodia angelorum. Ave, pax, gaudium, consolatio, et salus mundi. Ave, humani generis lætitia, ave, patrum præconium et decus prophetarum, ave pulchritudo martyrum et sanctorum corona. Ave, piorum gloria, et laus in solitudine degentium. Ave, præclarissimum cœlestis hierarchiæ ornamentum. Ave, pulchra hymnographorum omnium oratio. Ave, præstantissimum universi orbis terræ miraculum. Ave, terrigenarum omnium oblectamentum. Ave, Paradise deliciarum, totiusque amœnitatis et immortalitatis. Ave, lignum vitæ, gaudium et voluptas. Ave, lilium convallium, et vallis fidelium, mundique salus. Ave, portus tranquillissime, et a fluctibus procellisque agitatorum liberatrix desideratissima. Ave, periclitantium opitulatrix. Ave, progenitoris illius Adam resurrectio. Ave, jucunda libertas. Ave, omnium parens. Ave, fons gratiæ, et totius consolationis. Ave, peccatorum refugium atque diversorium. Ave, laborantium propitiatorium. Ave, profugium in Jerosolymis. Ave, throne Creatoris nostri gloriosissime. Ave, ævi splendor illustrissime ac fulgentissime. Ave, spes omnium proborum, rebus adversis afflictorum. Ave, dulce conversorum solamen atque præsidium. Ave virorum pariter atque mulierum regina et patrona. Ave, Dei et hominum mediatrix optima. Ave, totius terrarum orbis conciliatrix efficacissima. Ave, Domina nostra fœdus pacemque fidelibus tuis impetrans, et sceptrum cunctis imperans. Ave, gloria et lætitia omnium sacerdotum. Ave, Virgo, solitariorum solatium. Ave, regina supernorum civium et Domina angelorum. Ave, porta cœlorum, et scala ascensusque omnium. Ave, portarum cœlestis paradisi reseramentum. Ave, nostra consolatrix : quæ mœrores sedasti, et oppressorum molestias leniisti, cunctasque oppressiones sustulisti. Ave, clavis regni cœlestis. Ave, portus tutissime in hac vita navigantium. Ave, animæ nostræ spes fida et optima. Ave, firma salus universorum Christianorum ad te sincere ac vere recurrentium. Ave, lumen lucidissimum quo mundus illustratur. Ave, Mater alma Christi Filii Dei vivi. Ave, nostra omnium protectio insignis, et gloria. Ave, quæ nullo spatio comprehensum, tuo sinu ac ulnis comprehendisti. Ave, quæ Christum, vitæ datorem educasti : Christum, inquam, misericordissimum omnium Creatorem, dulcissimum Dominum nostrum Jesum, educatorem atque cultorem totius mundi, benignissimum humani generis amatorem, et Patrem cunctorum omnipotentem : cui convenit omnis honor, gloria, decus et potentia in perpetuum ; laus et jubilatio, atque magnificentia, una cum æterno Patre, et sancto Spiritu : nunc et semper, et in infinita sæcula sæculorum. Amen.

S. Ephrem, *Ad sanctissimam Deiparam*, t. III, Græce. — Immaculata et intemerata, incorrupta et prorsus pudica, atque ab omni sorde ac labe peccati alieniss'ma, Virgo Dei sponsa ac Domina nostra ; quæ Deum et hominem mundo mirifica ac gloriosa conceptione tua peperisti, Deumque Verbum hominibus miro modo conciliasti ; et rebellem humani nostri generis naturam cœlestibus consociasti : unica spes desperantium, oppressorum auxilium, et ad te recurrentium præsentaneum sublevamen, omniumque denique Christianorum firmum præsidium : me maximum peccatorem, enormibusque meis cogitationibus, verbis, ac factis effectum vilissimum, atque adeo fallaces voluptatum illecebras animo plane servili atque abjecto amplexatum, ne averseris, obsecro : quin potius sicut mitissimi ac clementissimi Dei mater es, ita me peccatorem benignissime suscipe, et meam sordidissimam, impurisque labiis meis expressam orationem clementer admitte : nec non dulcem quidem Filium tuum, meum autem Dominum ac Deum maternis pietatis tuæ visceribus amanter libenterque exora : ut ipse mihi quoque illius inexhaustæ misericordiæ suæ viscera reserare dignetur : et postpositis innumerabilibus peccatis meis ad salutarem me pœnitentiam convertat, suaque me rectius complere mandata faciat. Adesto mihi nunc, et semper, o Virgo Dei Genitrix, mater misericordiæ, benigna et clemens, in præsenti quidem vitæ cursu fervens protectrix atque auxiliatrix, hostiles quoscunque impetus a me avertens, et in via salutis me constituens ; ac in extremo vitæ articulo miseram meam animam conservans, et tenebrosos atque horrendos pessimorum dæmonum aspectus ab ea procul repellens ; in tremendo autem die judicii, ab æterna me damnatione liberans ; et postremo, in numerum justorum me referens, atque inaccessæ tui Filii et Dei gloriæ me hæredem efficiens. Quod utinam, per piam intercessionem tuam, atque patrocinium, Domina mea, sanctissima Dei mater, mihi, et omnibus humiliter ad te recurrentibus, et spem totam in te figentibus post hoc exsilium concedatur, gratia, miseratione, et benignitate unigeniti tui Filii, Domini et Dei, ac Salvatoris nostri Jesu Christi : quem decet omnis gloria, honor, potentia, et adoratio, cum æterno ejus Patre, et sancto ac vivifico Spiritu ; nunc et semper, et in æterna sæcula sæculorum. Amen.

Idem, precatio 1 *ad sanctissimam Dei Matrem*. — Sanctissima Domina, Dei Genitrix, sola purissima anima et corpore, sola tota facta domicilium universarum gratiarum sanctissimi Spiritus, atque inde etiam ipsas incorporeas virtutes sine ulla comparatione antecellens puritate, ac sanctitate animæ et corporis ; respice in me exsecrandum, atque impurum, fœdatumque in anima et corpore meæ vitæ mollis, et voluptuosæ inquinamentis : expurga meam mentem pravis affectionibus deditam. Purifica me, et corrige meas aberrantes, cæcutientesque cogitationes ; compone, atque erudi sensus meos. Eripe me a servitute tyran-

Digitized by Google

nicæ, pessimæ, ac turpissimæ consuetudinis impurarum præoccupationum, atque affectionum. Refrena omnem in me iniquitatem dominantem, et concede sobrietatem, ac discretionem obtenebratæ, et miserrimæ menti meæ, ut corrigat proprios errores et lapsus : ut a peccati tenebris liberatus, dignus fiam ut laudem, atque hymnis celebrem secure Te, solam veram Matrem veri luminis Christi Dei nostri, quia sola, cum ipso, et per ipsum, benedicta, et glorificata permanes ex universa visibili, atque invisibili creatura, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

S. Ephrem, prec. 2 *ad Deiparam*.—Virgo Domina, Deipara, benedicta Dei Genitrix, benedictissima Mater Dei, Deo gratissima, supra omnes benedicta ; vas divinitatis unigeniti Filii immortalis, et invisibilis Patris, inclina aurem tuam, atque exaudi verba emissa a labiis meis sordidis et impuris. Ecce enim corde contrito, atque humili mente, ad tuam misericordiam confugi. Noli igitur me infelicem despicere, neque sinas, ut ipse, indignus famulus tuus, peream in finem, sed maternis tuis orationibus usa, sana animam meam miseram, quæ pravis meis affectibus attrita est, quam malus inimicus voluptuosis criminibus atterens in terram pessumdedit. Ideo omni confusione plenus sum, ac minime audeo, neque fidenti vultu, plurimorum criminum remissionem, atque immedicabilium vulnerum meorum medelam et humanissimo Deo meo possum exposcere. Pollui enim templum corporis, ac fœdis cupiditatibus illud miserum in modum inquinavi, omnesque sensus illicitis actionibus depravavi. Unde extollere manus ad cœlum minime audeo, quas contaminavi pravis operibus, neque ad preces labia aperire, quæ conviciis in proximum, ac calumniis fœdavi. Idcirco, Domina purissima, ante tuas misericordias inexplicabiles, me ipsum projicio ipse miser, et decoctor. Non est enim mihi alia spes aut perfugium, nisi tu, et sola mea consolatio, ac cita defensio, animæ meæ exsultatio, mœroris solutio, captivitatis liberatio, mortalium cum Deo conjunctio, nostrum propitiatorium et subsidium, lapsorum resurrectio, meæ animæ revocatio corporisque, meorum peccatorum redemptio, arescentis cordis mei divina aspersio, tenebricosæ meæ animæ lampas lucidissima, nuditatis meæ vestis, meorum genituum solamen, mearum calamitatum commutatio In te etenim spero, in te glorior: ne longe arceas a nobis tuum patrocinium, sed auxiliare, et protege, et adesto porro in perpetuum. Delectatur tuis precibus unigenitus tuus Filius, et quanto magis ipse, qui inter servos annumerari voluit, servabit gratiam ac proprium decretum tibi, qui sibi ministra fuisti inexplicabilis generationis. Quare etiam gaudet tuis intercessionibus, propriam existimans gloriam, et tuas veluti debitas petitiones adimplet. Solum me infelicissimum ne despicias atque actionum mearum fœditates immensæ tuæ misericordiæ obicem ne ponant: Dei Genitrix, meum decus desiderabilissimum. Nihil enim est tuo auxilio firmius tropæum. Tibi igitur omnino immaculata, et mediatrix mundi, pœnitenti corde supplico ; tuum promptum in necessitatibus præsidium, post Deum salutare, et securum, et fortissimum patrocinium invoco, ego delictorum complurium reus, ex profundo cordis mei. Bonitatis et misericordiæ amatrix, miserere mei pleni fœditatis et pigritiæ, ac miseram hanc, vilemque precationem suscipe; et si pigre negligenterque obtuli tibi, nihilominus acceptum me maternis tuis precibus fac Filio tuo, reddendo dignum me regno cœlorum laudantem, ac benedicentem Patri, et Filio, et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Idem, prec. 3 *ad Dei Genitricem*. — Virgo, Domina Dei Genitrix, quæ Salvatorem Christum, et Dominum nostrum in utero portasti, in te spem meam omnem repono, et in te confido, quæ sublimior es omnibus cœlestibus potestatibus. Tu me purissima divina tua gratia tuere, meam vitam guberna, atque ad sanctam voluntatem Filii tui et Domini nostri iter ostende. Tu mihi largire remissionem culparum. Sis mihi perfugium, protectio, atque defensio, et manuductrix transferens ad vitam æternam. In terribili vero meæ mortis hora, Domina, ne derelinquas me, sed ad adjuvandum me festina, et eripe a dæmonum crudeli tyrannide: etenim, penes te posse est, utpote quæ es vere Mater Dei, et omnia potens. Suscipe, omnium mitissima, sanctissima Domina, Dei Mater, dona pretiosa et tibi soli convenientia, a nobis indignis famulis tuis, quæ electa es ex omnibus generationibus, et terrenis rebus sublimior visa es. Quoniam per te Filium Dei cognovimus, per te fuit Dominus virtutum nobiscum, dignique facti sumus sancto illius corpore et sanguine. Beata tu es in generationibus generationum, Deo gratissima, Cherubim splendidior, et Seraphim gloriosior. Et nunc omnibus laudibus celebrata, sanctissima Dei Genitrix, ne cesses intercedere pro nobis famulis tuis indignis, ut ab omnibus dæmonis insidiis, atque ab omnibus damnis nos eripiamur, et procul a vulneribus conservemur cujuscunque aggressionis venenatas sagittas ejaculantis : quin etiam usque in finem tuis precibus custodi nos, a damnatione securos ut tuo patrocinio atque auxilio salvati, gloriam et laudem, et gratiarum actionem, adorationemque semper demus soli Deo in Trinitate, et omnium rerum Conditori. Domina benigna et nobilissima, Mater Dei boni, optimi, omnemque bonitatem excedentis, respice ad preces indigni atque inutilis servi tui, ac tuo misericordi oculo, et secundum magnam misericordiam inexplicabilium viscerum tuorum fac mecum, et noli respicere mea delicta, seu in verbo, seu in opere, seu secundum quemlibet sensum, voluntaria, atque involuntaria, scienter et ignoranter: totumque me renova efficiendo templum

Digitized by Google

sancti vivificantis et principalis Spiritus, qui inhabitavit, obumbravitque in tuo utero immaculato, Altissimi virtus. Tu enim es afflictorum auxiliatrix, patrona pericli tantium, salus fluctuantium, in procella portus, adjutrix ac susceptrix versantium in necessitatibus. Concede servo tuo compunctionem, cogitationum tranquillitatem, serenitatem mentis, animum temperatum, sobrietatem intelligentiæ, spiritum humilem, convenientem sanctitati, ac sobrium constitutione, morem circumspectum atque compositum, judicium præ se ferens interioris animæ, simul et modestiam pacemque quam Dominus noster propriis discipulis largitus fuit. Perveniat oratio mea ad templum sanctum tuum, et ad habitaculum gloriæ tuæ. Distillent oculi mei fontes lacrymarum, ut abluas me propriis lacrymis, abstergasque fletuum meorum imbribus, expurgando me ab affectionum sordibus. Meorum delictorum chirographum dele, dissipa nubes tristitiæ meæ, cogitationum nebulam et perturbationem, affectuum procellam, et turbinem procul remove a me, et me custodi imperturbatum et hilarem: dilata cor meum, spiritali latitudine exhilara, et concede mihi lætitiam inexplicabilem, gaudiumque continuum, ut vias rectas mandatorum Filii tui recto cursu conficiam et irreprehensibili conscientia, atque inoffensa conversatione procedam. Concede vero etiam puram orationem mihi precanti ante te, ut pura mente ac fixa cogitatione mediter assidue, inexplebili animo, nocte ac die, divinarum Scripturarum eloquia, et psalmum dicam in confessione, et lætitia cordis orem ad gloriam, et honorem, et magnificentiam unigeniti Filii tui, et Domini nostri Jesu Christi, quem decet omnis gloria, honor, atque adoratio.

S. Bernard., serm. 1, *in Nativitate Beatæ Mariæ*, t. II. — *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* (*Eccli.* xxiv, 23.) Natalem beatissimæ Virginis Matris celebramus, de qua vita omnium accepit natalem. Nata est hodie Virgo, de qua salus omnium voluit nasci; ut natis ad mortem, daret ad vitam posse renasci. Nata est hodie mater nova, quæ primæ matris maledictionem dissolvit; ut per istam benedictionem hæreditate possideant, qui per illam sub præjudicio maledicti æterni fuerant nati. Prorsus nova mater, quæ novitatem attulit filiis inveteratis, vitiumque sanavit tam ingenitæ, quam superadditæ vetustatis. Prorsus nova mater, quæ tam novo miraculo parit, ut pariat, et virgo sit; ipsumque pariat, qui omnia matremque ipsam inter omnia creavit. Mirabilis quidem novitas fecundæ virginitatis, sed longe mirabilior novitas editæ prolis. Nulli enim incredibile jam erit virginem permansisse quæ peperit, qui Deum agnoverit esse qui natus fuit. Nullatenus siquidem cum injuria maternæ nasceretur integritatis, qui etiam corrupta redintegrare consuevit : nec veritas assumpti corporis potentiæ præjudicavit Creatoris, quo minus servaret sibi quod pluribus dedit creaturis. Multas nempe creaturas invenies nasci sine corruptione gignentium, et quadam voce sua Creatori super inviolabili partu suo perhibere testimonium.

Sed loquatur mater ipsa, quæ sui conscia est mysterii, et nos edoceat quomodo vel quid ipsa genuerit. Loquatur autem non novæ assertionis argumento, sed antiquo prophetiæ oraculo : quia, ut ait Petrus apostolus, etiam *miraculis firmior* testis est *propheticus sermo.* (*II Petr.* i, 19.) Quid enim minus patet calumniæ, aut suspicionem admittit falsitatis, quam testimonium divinitus de nondum natis prolatum? Longe igitur antequam nasceretur Maria, vocem ipsius assumebat Spiritus qui in ea futurus erat, et tam divinitatem Filii, quam integritatem Matris, opus videlicet suum, contra blasphemias impiorum defendebat, et in persona ipsius, si modo communem intellectum sequimur, quod nunc audistis, dicebat : *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Quod enim personæ *Sapientiæ*, id est ipsius Filii, tribuit hæc verba contextus lectionis, sicut ipsi scitis, qui regulas nostis Scripturarum, nihil huic præjudicat intellectui, quominus, sicut alia multa, possint aptari personæ quoque Virginis Matris. Sed neque illud ignoratis quod satis superque suppetant alia testimonia, familiarius ac manifestius huic negotio servientia; sed non erit fraudanda exspectatio vestra de his quæ lectio proposuit hodierna. Respondeat ergo Maria blasphemiis tam pro se, quam pro Filio; cunctasque hæreses solo interimat verbo et dicat : *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* (*Eccli.* xxiv, 23.) Ac si aperte dicat : Partus quidem meus non habet exemplum in sexu mulierum, sed habet similitudinem in naturis rerum. Quæris quomodo virginitas genuit Salvatorem? Sicut flos vitis odorem. Si corruptum inveneris florem, pro eo quod dedit odorem, violatum crede pudorem, quia edidit Salvatorem. Quid potes calumniari in proprietate similitudinis? Quid enim aliud est virginitas, quam flos inviolati corporis? Quid aliud est Filius virginitatis, quam suavitas odoris?

NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ

[Ex SS. Patribus.]

Petr. Damian., serm. 1 *in Nativ. Joan. Baptistæ*, t. II.— Hodie, dilectissimi, dies illuxit insignis, tanto cæteris diebus sanctior, quanto sanctiorem hominem terris effudit. In hac siquidem die natus est ille

Digitized by Google

sanctorum splendor, justorum gloria, lætitia angelorum, excellentissimus homo, consanguineus Christi, amicus sponsi, sponsæ præparator. Unus est, et secundum non habet, qui choris intertextus angelicis, sublimioris coronæ titulis universitatis humanæ transcendit ascensum. Denique *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.* (*Matth.* xi, 11.) Felix homo, qui feliciter cœlorum perambulans officinas, cursu velocissimo sequitur Redemptorem, nec alicujus intercluditur fastidio dignitatis, quem summæ felicitatis immensitas largius irroravit. Lætantur angeli, et utriusque naturæ numerositas admiratur hominem sic ingressum abyssum luminis, et in æternæ divinitatis pelagus absorptum, ut ipsam reverberet angelicæ puritatis originem. Eleventur omnes, et meritorum prærogativis ante consistorium majestatis exsultent ; non erit tamen qui ad Baptistæ Joannis privilegium audeat aspirare. Age, jam aggrediamur virtutum insignia, quæ Deus majestatis in amico suo gloriosa cumulatione signavit : sic enim ab ortu vitæ usque ad occasum, cum hominibus conversatus est, ut forma vitæ, morum informatio habeatur. Et licet hic sermonis aurei non retulit pulchritudo, tentabimus tamen rerum veritatem qualicunque stylo perstringere, illud sapientis attendentes, prudentibus viris non placere phalerata sed fortia.

Primus ejus honor est gloria in annuntiatione. Non est dissimulanti silentio transeundum, quam solemni glorificatione pueri hujus in hunc mundum nuntiatur ingressus. Adest angelus Gabriel, et a superiori cœlorum cardine Domini fortitudo descendens, stat a dextris altaris incensi ; nec quilibet angelus, sed ille sublimior, qui B. Virgini nuntium attulit singulare : et electus est, ut nuntiaret militem, qui regem nuntiare debebat. Astat sacerdos sacerdotalibus indutus, et multiplici vestimentorum varietate cœlestium sacramentorum præfigurans imaginem, purgationem peccatorum mystici sanguinis aspersione præsignat. Consistit coram arca fœderis, etc.

Secundus honor est, sanctificatio in ventre matris ; tertius est excellentia in exsultatione ; quartus vero, gaudium in nativitate ; quintus est singularitas in conversione et conversatione, intra teneritudinem annorum ; sextus est novitas in prædicatione ; septimus est dignitas in baptismate ; Octavus est prima revelatio de Trinitate. Nonus est testimonium sapientiæ.

Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, misit ad eum discipulos suos et responsum est eis : *Cæci vident* (*Ibid.*. 5), et cætera, quæ veritatis Evangelicæ prosequitur copiosa narratio. Recedentibus autem nuntiis, ne forte in eorum præsentia adulationem redolere videretur, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne : *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* (*Ibid.*, 7.) O mira testificatio Redemptoris ! Quis ingressus est mundum vel in aliquo non cognovit? Quis est, quem vel ventosa felicitas, vel adversitas turbida, vel cujuslibet peccati aura tenuior non inflexit? Ad extremum subinfertur, quod terram excedat, transeat cœlum, ipsumque verticem angelicæ dignitatis attingat. *Inter natos*, inquit, *mulierum, non surrexit major Joanne Baptista.* (*Ibid.*, 11.) Quid vis amplius? De nullo alio dici potuit, dicit Augustinus, quod dictum est de Joanne. Non opponas mihi evangelistam inter cæteros apostolos magis dilectum ; non apostolorum principem omnibus apostolis antelatum ; non vas electionis ad cœli tertii secreta translatum ; nec apostolicus splendor audeat occurrere præcursori ; quia jam omnes isti adolescentiæ metas excesserant, cum a Veritate prolatum est : *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.* Considera mansiones regni, et universum ordinem humanæ generationis obambula, solumque Joannem tam nobis, quam veteribus videbis esse præpositum.

Decimus est, assertio matris Ecclesiæ. Texitur ora chlamyde, unguentumque profusum in capite extremam quoque vestimenti fimbriam inundanter infundit.

Forsitan mihi disponis opponere, quia sic ista habet propria, ut cætera sanctorum communia non attingat. Audi ergo : Joannes patriarcha, imo patriarcharum finis et caput ; Joannes propheta, imo plus quam propheta ; quia quem venientem nuntiat, digito demonstrat : Joannes angelus, sed et inter angelos electus, Salvatore testante qui dicit : *Ecce mitto angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam.* (*Ibid.*, 10.) Joannes apostolorum primus et princeps ; quia *Fuit homo missus a Deo* (*Joan.* i, 6) : Joannes evangelista, sed et Evangelii primus messor, prædicans Evangelium regni : Joannes virgo, imo virginitatis insigne, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum : Joannes martyr, sed et martyrum lumen ; inter nativitatem, mortemque Christi, constantissimi forma martyrii. Præterea, quia vox clamantis in deserto, quia præco Verbi, quod judicis præcursor. Illud quoque relinquo, quia usque ad Joannem lex et prophetæ, qui Joannes ipse est Elias, lucerna sit ardens et lucens, quod amicus sponsi, sponsæ præparator. Silentio transeo, quod sic novem angelorum ordinibus insertus est, ut etiam ad Seraphim apicem transferatur. Verum hoc laboriosi operis est, et sensus nostri paupertas non sufficit. Sufficiant hæc ad præsens, quæ dicta sunt de laude Joannis ad gloriam Redemptoris, qui est Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Petr. Damian., serm. 3.—Perpendite, fratres mei, quam admirabilis, imo quam angelica vita B. Joannis erat, quam certe magnifica cunctis opinione claruerat, qui cum nullis signum virtutis ostenderet, Christum tamen illum esse omnis populus æstimaret, Luca testante, qui ait : *Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus.* (*Luc.* iii, 15.) Quæ enim religio, quæ perfectio, quæ denique

Digitized by Google

virtus, quod sanctitatis genus reperitur in aliquo sanctorum, quod in Joanne quasi prærogativæ cujusdam non teneat principatum? Sunt siquidem sancti eremitæ, et anachoretæ, sed quis sibi vivendi regulam in silvestri melle, et incomestibili locustarum esca præfixit? Cui porro ad asperitatem vestium non sufficiant saga cilicina caprarum? Iste pellicea zona præcinctus, pilis induitur camelorum. Enimvero sunt sancti abrenuntiatores, et sæculum relinquentes; sed iste puerilis adhuc indolis, cum necdum didicisset civiliter vivere, deserta penetrans, decrevit solitarius habitare: nec dignatus est patri in sacerdotali dignitate succedere, ut verum, summumque omnium sacerdotem, libera potuisset voce prædicare. Prophetæ vaticinantur futurum Salvatoris adventum, apostoli, cæterique doctores testantur impletum; Joannes autem illum præsentem ostendit cui totius sæculi, et antiqui scilicet et moderni, prædicatio militavit. — Inter purpuratos etiam martyrum choros B. Joannes in magisterii cathedra præsidet, quia pro testimonio veritatis strenuus bellator occubuit, omniumque pro Christo certantium dux factus, vexillum triumphale martyrii cœlo primus invexit. Beatus itaque Joannes omnium sanctorum particeps factus est choris, quia nulla sibi virtus defuit sanctitatis: imo tanto insignius inter omnes sanctorum ordines emicat, quanto auctori omnium per incomparabile meritum sublimius appropinquat.

S. Bernard., serm. 1 in *Nativ. Joan. Baptistæ*, t. II. *Ah! Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum!* (*Jer.* I, 6.) Fratres, si Jeremias sicut ex lectione audistis hesterna, ne prædicationis susciperet officium, verecundius quam justius minorem causabatur ætatem; quanto rectius ego sensum causarer minorem? Si sanctum ex utero, et quem manifeste divina mittebat electio, ætas deterrebat infirmior; mihi quæ frons esse potest ad loquendum, cui nec ad sanctitatem suffragatur conscientia, nec ad sermonis facultatem suppetit scientia? Illi erat timori pueritia sua, mihi non erit puerilitas mea? Verumtamen, tu puer propheta Altissimi, de quo sermonem hodie nostri debet locus officii, puerilitatem nostram non pateris excusatam haberi, quin saltem gestiamus more puerorum de te quoquomodo balbutire, qui etiam in materia leviori, plena necdum didicimus verba formare. Tuum erit, o vox Verbi, vox sapientiæ, tibi devotæ solvere vinculum linguæ, qui necdum loquens, usum loquendi muto potuisti patri reformare. Nec sine fenore magno rediit intercepta facultas loquendi, cui simul accessit gratia prophetandi, ut videlicet uterque parens aliquid sibi gauderet prærogatum de prærogativa Filii.

Qui enim propheta, et plus quam propheta futurus erat, imo ante prophetare quam profari, prius Deum quam seipsum sentire cœperat, parentes quoque suos prophetas faciebat; et in eos qui in se transfuderant carnis substantiam, Spiritus sui et gratiæ superabundantiam refundebat. Nam et Elizabeth, postquam exsultavit in gaudio infans in utero ejus, tunc et ipsa prophetavit repleta Spiritu sancto: quia necdum loquens filius, matri tamen occultam Domini præsentiam exsultatione manifesta revelavit. Salutabat Salvatorem motu quo poterat, et in occursum Domini præcursor impiger erumpere gestiebat. Plane incomparabilis gratia, inæstimabilis divinæ virtutis potentia. Vox Mariæ dum auribus Elizabeth insonat, ad cor Joannis penetrat, qui abstrusus intra materna latebat viscera, spiritum ejus animat, gaudioque salutari vegetat: et cui virtus naturæ vix adhuc totam infuderat animam, virtus vocis Mariæ pleniorem infudit prophetiam, adeo ut etiam de plenitudine filii copiose videatur in Matrem refundi. Vere *gratia plena Maria*: Manifeste Deus totius gratiæ in ea erat, de cujus munificentia, tam copiosa, tam magnifice, principaliter in matrem, de matre in Joannem et de Joanne in parentes gratiæ largitas profluebat. Flumina prorsus de ventre Mariæ fluebant aquæ vivæ, et fons vitæ et gratiæ oriebatur de medio paradisi, ad irriganda ligna paradisi.

Idem, serm. 2. — *A diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud.* (*Matth.* XI, 12.) Merito igitur læta nobis est ejus nativitas, cujus tam fausta sunt tempora, ut regnum Dei jam exinde nobis expositum sit ad diripiendum, quibus utique justitia non sufficiebat ad promerendum. Merito multi in nativitate ejus gaudent, sicut promittebat angelus; sub quo tanta felicitate mutatus est temporum status, ut regnum Dei quod ante mella innocentium obtinebat justitia, nunc pœnitentium invadat et possideat violentia. Quid enim debuit aliud dici pœnitentia peccatorum, nisi violentia in regnum cœlorum? Annon violentia est rapere virtute quod non erat concessum naturæ; ut qui natura erant filii iræ et gehennæ, labore improbo qui omnia vincit, intrudant se in hæreditatem sanctorum et consortium gloriæ? Annon plane violentus Deo strenuus ille luctator patriarcha Jacob qui, ut scriptum est: *Contra Deum fortis fuit* (*Gen.* XXXII, 28), et invaluit qui cum eo luctatus usque mane, constanter et obnixe tenebat rogantem dimitti: *Non dimittam te*, inquiens, *nisi benedixeris mihi.* (*Ibid.*) Dico quia cum Deo luctatus est, Deus siquidem erat in angelo cum quo luctatus est.

NATURA

[Ex SS. Patribus.]

Philo Jud., *Lib. de Abraham.* — Qui pietatis et summæ virtutis sectator factus, Deum sequi studuit, et præceptis ejus obe-

Digitized by Google

dire : ratus non ea tantum præcipi, quæ ipsi soli vel verbo aliquo vel facto indicabantur ; sed et illa quæ natura multo clarius docet per visum inter cæteros sensus veracissimum, multo certiorem quam auditus est. Quisquis enim naturæ ordinem contemplatur, et eximiam quamdam hujus mundi rempublicam, vel silentibus præceptoribus, discit sub legibus, et in pace vivere, componens se ad exemplar pulcherrimum.

Philo Jud., *Lib. de victimis.*—Seni menses intersunt vernum inter autumnaleque. Post vernum fruges maturescunt, quando fructus arborei se proferre incipiunt, qui mox post autumnale maturescunt, quando sunt sementis initia. Sic natura, sempiternis orbibus in sese recurrentibus, alia post alia dona mortalibus per vices cumulat. Ii admonent nos temperantiæ inter omnes virtutes utilissimæ, quam comitantur facilitas, simplicitas, frugalitas, hostes cupiditatis et intemperantiæ. Panis enim alimento contentus esse potest sectator sapientiæ habiturus sanum corpus et mentem sobriam. Cupediæ vero, placentæ, bellaria, commentaque alia curiosa pistorum et coquorum, gustui præ cæteris sensibus, inerudito illiberalique servientium ad nihil honestum et spectatu vel auditu dignum, sed ad miseri ventris desideria, conciliant morbos tum corpori, tum animo plerumque insanabiles.

Idem, *Lib. de fortitudine.* — Vero judicio nemo egenus videtur qui contentus est naturæ divitiis nunquam deficientibus : primum aëre quo indesinenter alitur, respirans noctu et interdiu, deinde largis fontibus amnibusque, tam torrentibus quam perennibus, sponte potum copiosum subministrant bis ; item arboribus varios fructus ad cibum quotannis porrigentibus. Nam hi certe desunt nemini, sed passim omnibus præsto est magna eorum abundantia. Quod si qui, contemptis naturæ divitiis, sectantur istas quas vulgus sic nominat, malunt sequi cæcum ducem quam videntem, et infirmo baculo innixi, vitare non possunt quin procidant. Dixi quas opes corpori suggerat naturæ munificentia ; dicam et alias augustiores, quæ non omnibus contingunt, sed solis divinis viris et vere venerabilibus.

Eas opes sapientia porrigit per rationales, morales, naturales contemplationes atque dogmata, ex quibus virtutes proveniunt, quæ luxum ejiciunt ex animo, et frugalitatis amorem excitant, ad quantam Dei similitudinem. Nam et Deus nulla re indiget, sibi ipse sufficiens ; at malus vir requirit plurima, semper quæ desunt appetens, propter cupiditatem insatiabilem quam ipse quasi ignem fovens, ad parva æque atque magna lucra contendit. Contra bonus paucis contentus, in naturæ mortalis immortalisque situs collimitio, corpus quidem habet egestati obnoxium, animum vero divitem, aspirantem ad immortalitatem

Justin, *Appendix quæst. et resp. ad orthodox.* — Si ad asserendam corporis resurrectionem, seminis exemplo, in Epistola ad Corinthios, ut apto et commodo, usus est Apostolus ; quomodo qui frustatim dissecantur, aut comburuntur, resurgent : cum semina post sectionem aut ustionem non germinent, sed omnino intereant ?

Resp. Cum natura perficiat quæ ex seminibus nascuntur, ut demensa facultate a Deo donata ; necesse est ut apta sint semina ad ea efficienda, quæ ex ipsis nascuntur. Quare si urantur, aut concidantur, inutilia fiunt naturæ ad effectionem eorum, quæ ex ipsis nascuntur. Deus autem non habet demensam potestatem : quapropter nihil ei non idoneum est ad ea quæ vult efficienda omnia : nec dissectione aut adustione corporum prohibetur, quominus eorum efficiat resurrectionem. Non enim lege et mensura naturæ operatur Deus, sed summa potestate voluntatis, quam nulla difficultas moratur in iis quæ vult efficiendis. Usus est autem Apostolus seminum exemplo, adstruendæ causa resurrectionis mortuorum, ut ex collatione fidem faciat resurrectionis doctrinæ ; quia quemadmodum minime dubitamus, quin semen germinaturum sit, quamvis illud in terra mortuum esse, et naturam seminis amisisse videamus ; ita non debemus mortuorum resurrectionem increduli rejicere. Nam Deus qui dedit naturæ, ut semine operetur germen, multo ipse potest a morte excitare defunctos.

Origen., lib. II *De principiis*, t. I. — Deus cum in principio crearet ea quæ creare voluit, id est rationabiles naturas, nullam habuit aliam creandi causam nisi propter se ipsum, id est bonitatem suam. Quia ergo eorum quæ creanda erant, ipse exstitit causa ; in quo neque varietas aliqua, neque permutatio, neque impossibilitas inerat, æquales creavit ac similes, quos creavit, quippe cum nulla ei causa varietatis ac diversitatis existeret. Verum quoniam rationabiles ipsæ creaturæ, — arbitrii facultate donatæ sunt ; libertas unumquemque voluntatis suæ vel ad profectum per imitationem Dei provocavit, vel ad defectum per negligentiam traxit.

Idem, hom., 35, tom. III.— Nisi esset nobis natura insitum id quod justum est judicandi, nunquam Salvator diceret : *Quare autem a vobismetipsis non quod justum est judicatis ?* (*Luc.* XII, 57.)

Idem, lib. III, *in Epist. ad Rom.*, tom. III. — Consequenter mihi videntur vere sensisse hi qui legem Moysi legem scriptam appellant.

S. Cyril. Hierosol., catéches. 2, *de pœnitentia.* — Latro qui gratiam non exspectat, usque ad insolentiam devenit ; si vero veniam speret, ad pœnitentiam sæpe decurrit. Quid vero, serpens potest deponere senectutem ; nos peccatum non deponemus ? Ac terra quidem spinosa, cum pulchre exculta fuerit, in frugiferam transmutatur : nobis autem salus irreparabilis futura est ? Natura itaque est capax salutis, verum ad hoc requiritur arbitrii voluntas.

S. Gregor. Nyss., lib. I *contra Eunomium*,

Digitized by Google

tom. II. — Huc usque apud omnes qui suscipiunt evangelicæ prædicationis simplicitatem, sententia illa obtinet nulli necessitati divinam naturam subjacere.

S. Greg. Myss., *Contra Eunomium.* — Manifestum est omni illi qui sobrie rerum naturam considerare ingreditur, nullam rem esse quæ ivinæ illi et beatæ vitæ commensuretur. Nam natura divina non continetur tempore, sed ab illa tempus est : creatura vero a certo et noto initio, ad præfixam sibi metam per temporalia intervalla decurrens fertur, adeo ut ejus quidem, quemadmodum sapiens alicubi Salomon ait, liceat principium, finem, et medium invenire, temporariis quibusdam sectionibus et divisionibus seriem eorum, quæ in ipsa sunt, designantia. At suprema illa et beata natura quam nullum temporis spatium comitatur, nihil habet quo mensuretur et contineatur. Omnia enim quæ facta sunt, propriis quasi ambitibus, divinæ sapientiæ arbitratu descripta, tanquam terminis quibusdam congruenti modo, ad hujus universitatis decorem, et concinnam coagmentationem, comprehenduntur ; quocirca licet humanæ imbecillitati ratio eorum quæ in creatis rebus apparent, sit investigabilis, attamen omnia conditoris potentia finita, et certis limitibus circumscripta esse, et intra metas creaturæ contineri, minime dubium est. At vero vis efficiens rerum, quæ in seipsa rerum creatarum naturam circumscribit, termino circumscribente caret, omnemque intelligendi vim, quæ ad principium divinæ naturæ pervenire contendit, intra seipsam concludit et terminat; quippe transcendens omnem curiositatem et conatum qui ad terminum ejus, quod interminatum est, penetrare nititur. Omnis enim ascensus et mentis contentio, post temporis rerumque temporalium intervalla, tantum duntaxat evehetur, ut videre possit ejus quod quæritur, imperscrutabilem rationem, ita ut terminus et modus humanarum cogitationum, motionis et actionis, videatur esse tempus, et ea quæ in tempore sunt, quæ supra hæc posita sunt cogitationibus nostris investigabilia et impenetrabilia manent, utpote procul sejuncta ab omnibus illis quæ in humanam cogitationem cadere possunt. Ea enim quibus neque figura est, neque locus, neque magnitudo mensura temporaria, neque aliud quidpiam ex his quæ animo comprehendimus, si intelligentia mentis assequi velit, necessario tempora, et in his res creatas, secundum cognatam et insitam sibi consuetudinem quæret et apprehendet, ab incomprehensibili illa natura procul et undique aberrans.

S. Basil., *Commentar. in Isaiam proph.*, tom. I. — Ne multum sis sollicitus de futuro; sed de præsentibus ad tuum commodum statue, et his utere. Quid enim percepturus es emolumenti ex habita prænotione? Utique si quid futurum est boni, etiamsi non prænoveris, eveniet. Sin autem quid molesti tibi prodest mœrore ac tristitia in antecessum confici? Legem accepisti in auxilium. Magna quidem inerat tibi opportunitas vel ab ipsa natura ad bonum; sed id perficiens Deus, tibi insuper legi quoque concessit adminiculum.

Idem, hom. *Quod mundanis adhærenaum non sit.* — Lasciva cubilia, impurique complexus, et omnia rabiosæ atque insanientis animæ opera nonne naturæ sunt detrimentum plane evidens, et pernicies clara, et dotum quæ cuique vere propriæ sunt abalienatio ac imminutio, cum corpus tenuetur in complexibus, et alimento congruentissimo atque ad conservanda membra accommodatissimo spolietur? Itaque unumquemque illorum qui cubilibus impudicis volutantur, statim post facinus, cum œstrum elanguit carnis, mensque, detestabili fine obtento eorum quæ tentavit, recollegit sese tanquam ex ebrietate aut tempestate quadam, et ubinam sit, considerandi otium nacta est, incontinentiæ suæ valde admodum pœnitet. Sentit enim corpus et imbecillius factum esse, et ad munera necessaria obeunda pigrum ac prorsus debile. Hoc igitur cum ipsi quoque pædotribæ intelligerent, continentiæ legem in palæstris sanxerunt, adolescentium corpora à voluptatibus tuta servantem, eisque certantibus ne aspicere quidem elegantes formas permittentem; si vellent capita sua coronis exornare, quod incontinentia risum in luctatione afferat, non coronam.

S. Chrysost., hom. 9, *Ad populum Anthiochen.* t. II. — *Naturæ rerum elegans descriptio* — Considera mihi legislatoris sapientiam : in hieme longam noctem esse jussit, quando molliora semina, et magis frigescere indigentia, nec calidiorem radium tolerant : postquam vero aucta fuerint, una cum ipsis crescit rursum dies, et tunc fit longior, quando jam viget fructus. Hoc vero non seminibus tantum, sed etiam corporibus opportunum. Quoniam hieme nauta, gubernator et viator, miles et agricola multum domi sedent, gelu constricti, et otii tempus est in hieme, plus temporis in noctes impendi Deus constituit, ne dici longitudo superflua sit, nihil hominibus facere valentibus. Quis anni partium ordinem dicere possit ? Quomodo et hæ tanquam virgines quædam in gyro saltantes, cum multa ratione sibi mutuo succedunt, et paulatim sine strepitu ad contrarias mediæ transire non cessant? Propterea nec ab hieme nos excipit æstas, nec ab ipsa statim hiems, sed medium ver interpositum est, ita ut sensim et paulatim succedentibus, densata corpora nostra æstati sine tristitia abducat : quoniam enim subitaneæ in contrarium mutationes nocumentum et morbum pariunt extremum, dispensavit Deus ab hieme quidem ver nos excipere, a vere porro æstatem, ab æstate autumnum, et sic hiemi transmittere. Itaque innocuæ et procedentes paulatim mutationes, ex contrariis anni tempestatibus per medias nobis adveniunt.

Quis igitur tam miser et ærumnosus, qui cœlum quidem, cernens vero mare et terram, tempestatum anni temperiem tam di-

Digitized by Google

ligenter moderatam, et concussum diei et noctis ordinem, hæc sponte fieri putet, nec adoret eum, qui hæc omnia cum sapientia congrua disposuit? Habeo quod dicam, et his majus: non enim magnitudo tantum et pulchritudo, sed et ipse creationis modus omnium conditorem demonstrat: quoniam enim condenti et creanti omnia ab initio non aderamus, neque, si adfuissemus, quomodo fiebant scire poteramus, invisibili virtute cuncta componente, ipsum creationis modum optimum nobis magistrum esse fecit, supernaturali consequentia componens omnia quæ fiebant. Forte quod dixi obscurius est; igitur necesse hoc rursum manifestius dicere. Omnes utique fateantur naturæ consequentiam esse ut aqua super terram, sed non terra ab aquis feratur. Terra quippe cum sit densa, dura et non cedens, atque solida, facile potest aquarum naturam sustinere; aqua vero, cum liquida sit et mollis, teneraque et diffluens, et omnibus cedens occurrentibus, nullum corpus unquam sustinere valeret, etiamsi levissimum sit. Nam sæpe lapillo incidenti parvo cedit et refugit, ipsumque ad profundum transmittit. Cum videris igitur non lapillum parvum, sed terram omnem super aquas ferri, neque submergi, admirare potentiam supra naturam mirabiliter operantem. Et unde hoc manifestum, quod terra, super aquas feratur? Propheta hoc dicit: *Ipse super maria fundavit eum, super flumina præparavit eum.* (*Psal.* XXIII, 2.) Et rursum: *Qui fundavit terram super aquas.* (*Psal.* CXXXV 5.) Quid dicis? lapillum exiguum aqua in superficie ferre non potest, et terram tantam gerit, et montes, et colles, et urbes, et plantas, et homines, et bruta; et non submergitur?

Et quid dico, non submergitur? quomodo inferius circumstante sibi aqua, tanto tempore non est dissoluta, nec lutum omnia facta sunt? Si enim lignorum natura, parum temporis aquis immorata, corrumpitur et dissolvitur? Quid dico, lignorum natura? Quid ferro validius esse possit? Sed hoc sæpe mollescit, cum semper in aquis manet, et merito: quippe et ipsum a terra substantiam habet. Propterea multi fugitivorum servorum postquam compedes et catenas pertrahentes fugerunt, ad rivos aquarum venientes et vinctos aquis pedes immittentes, et sic mollius ferrum facientes, facile lapide percutientes diffringunt. Igitur ferrum quidem mollescit, ligna putrefiunt, et lapides corrumpuntur ab aquarum natura: terræ vero magnitudo tanto tempore aquis imposita, non est submersa, nec dissoluta, nec perdita. Et quis hæc non obstupescat, et admiretur, nec cum fiducia dicat, non esse naturæ opera, sed Providentiæ naturam excedentis? Ideo quidam dicit: *Qui suspendit terram super nihilo.* (*Job* XXVI, 7.) Alius vero quidam: *In manu ipsius fines terræ.* (*Psal.* XCIV, 4). Item, *Super maria fundavit eum.* (*Psal.* XXIII, 12.) Et hæc quidem contraria esse videntur, multam tamen habent consonantiam. Qui enim dixit, *Super maria fundavit eum*, idem dixit atque is qui ait quod super nihilo terram suspenderit. Super aquas enim consistere æquale est ac super nihilo suspendi. Ubi igitur suspensa et statuta est? Audi eumdem dicentem: *In manu ipsius fines terræ.* Non quod manus habeat Deus, sed ut discas, ipsius potentiam omnibus providentem esse, quæ terræ corpus continet et portat?

Si dictis non credis, iis quæ vides crede: et in alio quippe elemento hanc mirabilem operationem invenire licet. Ignis enim natura alta petit, et in sublime semper salit, et a natura ut exsiliat habet; et licet infinita cogant et urgeant, ad inferiora deferri non patitur. Nonnunquam enim facem accensam capientes, et in caput inclinantes, ignis impetum inferius ferri non cogimus; sed et sic in superiora recurrit, et in sublime inferne festinat: in sole vero totum contrarium Deus fecit. Ipsius enim radios ad terram convertit, et lucem fecit inferius vergere; tantum non dicens illi per figuram, inferius prospice, et hominibus luce: propter illos enim factus es. Et lucernæ quidem flamma hoc pati non potest: sidus vero tam magnum et admirabile ad inferiora vergit et ad terram respicit, contra quam ignis, propter ejus qui jussit potentiam.

Vis et aliud tale commemorem? Dorsa cœli hujus nobis conspicui aquæ undique comprehendunt, et neque defluunt, neque excedunt; licet non talis sit aquarum natura, sed in concava quidem facile concurrant: cum autem sit corpus convexum, undique defluunt, et neque modica earum pars in tali posset loco subsistere. Sed ecce hoc miraculum in cœlis factum est, et hoc ipsum rursus insinuans, Propheta dicebat: *Laudate Dominum, aquæ quæ super cœlos estis.* (*Psal.* CXLVIII, 4.) Et neque aqua solem exstinxit, neque sol tanto subtus vadens tempore, superpositam aquam exsiccavit. Vis te in terram iterum reducamus, et quod miroris ostendamus? Non cernis hoc mare undis et violentis flatibus plenum? Sed hoc mare spatiosum, et magnum, et furens, infirma continetur arena. Et considera Dei sapientiam: non permisit ipsum quiescere, neque manere sedatum, ne id esse naturæ ipsius ordinem existimes, sed intra terminos manens clamat, turbatur, vehementer resonat, et inenarrabilem in altitudinem fluctus excitat: cum autem ad littus et arenam pervenerit, dissolutum rursum ad ipsum revertitur, per hæc utraque te docens, quod non naturæ opus est ipsum intra proprios fines manere, sed virtutis ejus qui ipsum cohibet. Propterea enim infirmum ipsius murum fecit, non ligna, non lapides, non montes his littoribus circumposuit, ut non his elementum in ordinem cogi putes. Hoc igitur et ipse aliquando Judæis improperans dicebat: *Me non timebitis, qui arenam mari terminum constitui, et non transcendet?* (*Jerem.* V, 22.)

Non autem hoc solum, o homo, est admirabile, quod magnum et mirabilem fecerit hunc mundum, quod supra naturæ consequentiam ipsum compegerit, sed quod etiam ex contrariis ipsum constituerit, calido et

Digitized by Google

frigido, sicco et humido, igne et aqua, terra et aere: et contraria hæc elementa, ex iis quibus hoc totum consistit, inter se pugnantia, à sese non sunt consumpta: non ignis supervenit, et accendit omnia: non aqua superveniens orbem submersit. Sed in corporibus quidem nostris hæc fiunt, et bile crescente nascitur febris, et totum animal lædit: et pituita superabundante, plurimi nascuntur morbi, et animal corrumpunt. In hoc autem universo nihil horum accidit, sed unumquodque manet tanquam quodam freno et vinculo, Conditoris voluntate, proprios custodiens terminos, et horum pugna mundo toti pacis fit causa. Annon hæc et cæco sunt manifesta, et valde imprudentibus intelligibilia, quod providentia quapiam facta sint et contineantur? Quis enim tam stultus est et stupidus, qui tantam molem cernens, tantam pulchritudinem, tantam compositionem, talium continuam elementorum pugnam, et contrarietatem, et perseverantiam, non intra se ipsum ratiocinetur, et dicat: Nisi providentia quædam esset, corporum magnitudinem cohibens, nec permittens totum dissilire, nec permanere, nec durare potuisset? Tantus anni tempestatum ordo, tanta noctis et diei convenientia, tot irrationalium genera animalium, plantarum, seminum, et herbarum tenorem suum servant, et nihil in præsentem diem neque intercidit, neque penitus consumptum est. Non hæc vero tantum, sed et alia multo his plura et profundiora dici poterant, et de ipsa disseri creatura; sed in crastinum illa differentes, dicta diligenter retinere, et in alios afferre studeamus.

S. Chrys, hom. 10 *ad pop. Anth.*, t. II. —Deus non tantum mirabilem et magnum fecit mundum, sed et corruptibilem et marcescibilem, et ipsius imbecillitatis multas inseruit demonstrationes. — Etenim creaturam mundi pulchram ipsam et magnam fecit, et rursum corruptibilem constituit. Et hæc utraque Scripturæ docent: hic quidem, cœlorum pulchritudinem narrans, sic inquit: *Cœli enarrant gloriam Dei* (*Psal.* xviii, 1); et rursum: *Qui constituit cœlum velut cameram, et extendit ipsum quasi tabernaculum in terra* (*Isa.* xl, 22); et rursum: *Qui continet circuitum cœli.* (*Eccli.* xliii, 13.) Alter vero demonstrans, etsi pulchrum et magnum, tamen corruptibile esse, sic inquit: *Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur.* (*Psal.* ci, 26.) Et iterum de sole inquit idem David: *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo: exsultabit ut gigas ad currendam viam.* (*Psal.* xviii, 6.) Vidisti quomodo sideris pulchritudinem simul et magnitudinem tibi ante oculos posuit? Sicut enim ex thalamo quodam sponsus apparens, sic et sol sub auroram radios mittit, et tanquam quodam croceo velo cœlum ornans, et roseas faciens nubes, et sine offensa currens totum diem, nullo cursum obstaculo interrumpit.

Vidisti igitur ipsius pulchritudinem? Vidisti magnitudinem? Vide et imbecillitatis ejus demonstrationem. Etenim et hoc demonstrans sapiens quidam dicebat: *Quid lucidius sole? et hic deficit.* (*Eccli.* xvii, 10.) Nec ex hoc tantum ipsius imbecillitatem videre datur, sed etiam in nubium concursibus. Nube igitur sæpius subtus currente, radios immittens, et nubem discindere conatus, non prævaluit, cum esset nubes crassior, nec ipsi cedere vellet. Sed semina, inquit, nutrit: atqui non ipse nutrit solus, sed et terræ indiget ac roris, et pluviarum atque ventorum, et bonæ tempestatum anni distributionis; nisi hæc omnia concurrerint, superfluus fit solis usus. Hoc vero Dei non est, ad ea facienda quæ vult, aliis indigere; Dei enim maxime proprium non indigere. Ipse enim non sic e terra semina protulit, sed tantum jussit, et omnia germinaverunt. Et rursum ut discas non elementorum naturam, sed ipsius mandatum omnia facere; ipsaque elementa, quæ non erant, producere, Judæis nullius ope manna demisit. *Panem*, inquit, *cœli dedit eis.* (*Psal.* lxxvii, 28.) Et quid dico solem ad fructuum vegetationem mutat onemque aliis indige e elementis, cum et multis ad sui constitutionem egeat, nec ipse sibi sufficere possit? Quippe ut vadat, cœlo indiget, tanquam pavimento quodam supposito; et ut luceat, aeris puritate et tenuitate. Quod si hic præter modum densetur, ille lucem suam ostendere non potest; et ne omnibus sit intolerabilis, neque cuncta comburat, frigiditate rursus eget ac rore.

Cum ipsum igitur reliqua vincant elementa, et ipsius impotentiam emendent; vincant quidem sicut nubes, et muri, et alia quædam corpora ipsius lucem abscondentia; corrigant autem ipsius intemperantiam, sicut rores et fontes, et aeris frigiditas: quomodo hic Deus esse potest? Deum enim non indigere necessarium est, et nulla re opus habere, et omnium omnibus bonorum esse auctorem, et a nemine prohiberi, sicut scilicet de Deo ait Paulus et Propheta Isaïas, hic quidem ex ipsius persona dicens: *Cœlum et terram ego impleo, ait Dominus.* (*Jerem.* xxiii, 24.) Et rursum: *Deus appropinquans ego sum, et non Deus a longe:* et rursus David: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* (*Psal.* xv, 1.) Paulus autem ipsius copiam nullius indigentem demonstrans, et ostendens hæc ambo maxime Dei esse, nullo indigere, et omnibus omnia subministrare, sic inquit: *Deus qui fecit cœlum, et terram, et mare, nullius indigens, ipse vitam omnibus præbens, et spiritum, et omnia.* (*Act.* xvii, 24.)

Licebat quidem et alia percurrere elementa, cœlum, aerem, terram, mare, et ipsorum imbecillitatem demonstrare, et quomodo proximo quoque indiget, et sine hoc perit et corrumpitur. Etenim terra, si deficiant eam fontes, et humiditas tum a mari, tum a fluviis infusa, tosta brevi disperdetur: reliqua vero elementa altero alterum indigent, et aer sole, sicut sol aere: sed ne

Digitized by Google

prolixiorem faciamus sermonem, ex dictis multas volentibus occasiones dedisse satis fuerit. Si enim omni creatura sol admirabilior, tam imbecillis et inops esse jam apparet, multo magis aliæ mundi partes : quod eo dixi ut laboriosis illa præberem colligenda ; ipse de Scripturis iterum vobis disseram, demonstrans non solem tantum, sed et totum mundum corruptibilem esse. Cum enim elementa sese mutuo consumant, et solis quidem potentiam superveniens major frigiditas castiget, hanc autem vicissim calor invalescens consummat, et contrarias qualitates et dispositiones alterum in altero faciant et patiantur elementa : certum est hæc magnæ corruptionis argumentum præbere, et corpus esse quæcunque videntur.

Cum igitur solem videris exorientem, Creatorem admirare : quando ipsum se eclantem et evanescentem videris, naturæ imbecillitatem disce, nec ipsum ut Deum adores. Idcirco enim non ex hoc solo elementorum naturæ imbecillitatis demonstrationem Deus inseruit, sed et hominibus servis suis, ut eis imperarent, mandavit : ut si nec ex aspectu ipsorum servitutem cognoscas, ab imperantibus discas omnia conserva tua esse. Ideo Jesu Nave dicit : *Stet sol contra Gabaon, et luna contra vallem Ælon* (*Jos.* x, 12; *Isa.* xxxviii, 8; *IV Reg.* iii, 22). Et iterum prophela Isaias ipsum in contrarium retrogredi fecit sub Ezechia rege; et Moses quoque aeri, et mari, et terræ, et petris imperavit : Eliseus aquarum naturam mutavit; tres pueri ignem vicerunt. Vides quomodo utrinque nobis Deus providit, per elementorum quidem pulchritudinem nos in divinitatis suæ cognitionem inducens; per infirmitatem vero non permittens in illorum cadere adorationem?

S. Augusr., *Confess.*, l. iii.—Flagitia quæ sunt contra naturam, ubique et semper repudianda, atque punienda sunt, qualia Sodomitarum fuerunt, quæ si omnes gentes facerent, eodem criminis reatu divina lege tenerentur, quæ non sic fecit homines ut se illo uterentur modo. Violatur quippe ipsa societas quæ cum Deo nobis esse debet, cum eadem natura cujus ipse auctor est, libidinis perversitate polluitur.

Idem, epist. 18, *Cælestino*., tom. II. — Sane quoniam te novi, accipe hoc quiddam grande et breve. Est natura per locos et tempora mutabilis, ut corpus. Et est natura per locos nullo modo, sed tantum per tempora, etiam ipsa mutabilis, ut anima. Et est natura quæ nec per locos, nec per tempora mutari potest, hoc Deus est. Quod hic insinuavi quoquomodo mutabile, creatura dicitur : quod immutabile, creator. Cum autem omne quod esse dicimus, in quantum manet dicamus, et in quantum unum est, omnis porro pulchritudinis forma unitas sit ; vides profecto in ista distributione naturarum, quid summe sit, quid infime, et tamen sit; quid medie, majusque infimo, et minus summo sit. Summum illud est ipsa beatitas : infimum, quod nec beatum esse potest nec miserum : quod vero medium, vivit inclinatione ad infimum, misere; conversione ad summum, beate vivit. Qui Christo credit, non diligit infimum, non superbit in medio; atque ita summo inhærere fit idoneus, et hoc est totum quod agere jubemur, monemur, accendimur.

NEGLIGENTIA

[Ex SS. Patribus.]

S. Ephrem, t. III, *Ad animam negligentem.* — Anima, ne concidas, neque nimium angaris; etsi peccatorum multitudine obruaris, noli ad te ipsam ignem desperando attrahere. Ne dixeris : Projecit me Dominus a facie sua. Non enim placet Deo sermo hujusmodi, cum ipse ad te clamet, et dicat : *Populе meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te, aut quid molestus fui? Nunquid qui cecidit, non resurget? Aut qui aversus est, non convertetur?* (*Jerem.* ii, 8.) Audis, o anima, benignitatem Domini. Non enim sub manu principis, aut ducis alicujus es vendita, tanquam damnata. Noli affligi quod absumpseris divitias tuas. Noli erubescere conversionem, sed dicito potius : *Surgam, et ibo ad patrem meum.* (*Luc.* xvi, 18.) Surge ergo, et vade. Ipse te excipiet, et non exprobrabit tibi : imo potius super tua conversione gaudebit. Exspectat te : tu autem noli erubescere sicut Adam, neque abscondas te a facie Dei. Propter te Christus crucifixus est, et te a se repellet? Absit! novit quippe quis sit qui affligit nos, et non sit qui succurrat, nisi solus ipse. Novit Christus, hominem in ærumnis esse positum. Non ergo pusillanimes simus aut desides, quasi jam igni destinati. Non opus habet Christus, ut in ignem mittat : neque lucrum sibi computat, suppliciis nos tradere. Vis autem nosse quomodo se habeat tormentorum ratio? Quando a facie Dei exagitabitur peccator, clamorem ejulatus ejus non sustinebunt fundamenta orbis. Scriptum quippe est : *Dies illa, dies tenebrarum et caliginis : dies nubis et turbinis : dies tubæ et clangoris.* (*Joel* ii, 2.) Nam, si reus quispiam a principe duobus, vel quinque, aut decem annis, exsilio damnetur; quem putas planctum, quam confusionem, quæ suspiria habebit homo ille? Verumtamen hac ipse adhuc recreatur consolatione, quod præstituti temporis finem exspectet. An autem cupimus peccatorum quoque tempus agnoscere? Censebimusne exsilium illud annorum duntaxat viginti, sive quinquaginta, vel centum aut ducentorum? At quis poterit computare annorum qui nullo dierum termino concludetur? Hei, hei, subitaneum et insperatum est ejusmodi tempus : neque enim sustineri potest ira comminationis super peccatores. Intellexisti peccantium angustias? Noli igitur confusione noxia in ullam necessitatem et pressuram incidere : non enim ante illam comminationem subsistere poteris. Pecca-

Digitized by Google

torum pondere prægravata es? Non ideo confundaris clamare ad Dominum : accede, ne verearis. Stadium in propinquo est. Exsurge, omnemque sæculi materiam excute. Imitare filium illum prodigum, qui postquam omnia dilapidasset, confidenter ad patrem rediit. Pater vero eum sic captivum pluris fecit, quam prodige consumptas ab eo divitias. Ita qui confidenter accesserat, ingenue ingressus est : et qui nudus advenerat, stola amictus apparuit; quippe pro mercenario recipi optaverat, in Domini ordinem restitutus est. Cæterum ad nos hic spectat sermo. Audis quippe quanta secura filii fiducia præstiterit? Consideras Patris clementiam? Sic ergo et tu, anima : omni rubore deposito, pulsa. Necessitatem tuam intueris? Persiste ad ostium, et plane accipies quantum opus habebis, secundum illud Scripturæ dictum : *Propter importunitatem tamen ejus surget, et dabit illi quantum indigebit.* (*Luc.* II, 8.) Non te rejicit, non tibi male consumptam substantiam improperat, o homo : thesauros enim habet indeficientes. Cunctis prompte ac lubens elargitur, juxta apostolicam illam vocem, a Deo postulari jubentis, *qui dat omnibus affluenter, et non improperat.* (*Jac.* I, 5). In portu resides? Fluctus respice, ne subitanea tempestas superveniens in maris te profundum corripiat : tuncque cum suspiriis dicere incipias : *Veni in* profundum *maris, et tempestas demersit me : laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.* (*Psal.* LXVIII, 3.) Vere etenim abyssus maris infernus est, secundum illam sententiam Domini affirmantis, magnum chaos inter justos et peccatores firmatum esse. Cave igitur, ne in illud chaos teipsum immerseris. Imitare filium illum prodigum : desere regionem fame tabescentem : recede a porcorum ærumna : desiste ab esu siliquarum, quibus exsatiari nequiveras. Veni igitur cum precibus et comede manna indeficiens, angelorum nimirum escam. Veni ut contempleris gloriam Dei, illustreturque ab ea facies tua. Veni, et in paradiso deliciarum commorare. Relinque paucos annos, ut æternitatem consequaris, non te conturbet istius sæculi vita longior : nam prorsus brevis et quasi nulla est. Ab Adam quippe usque ad tempus præsens, omne interpositum ævum, velut umbra quædam præteriit : paratum ergo te præbe, atque ad iter expeditum. Noli te ipsum superfluis gravare curis. Hiems prope est : tectum illud occupare festina, quod nos quoque persequimur per gratiam Christi, amen.

Negligentiæ damna.

S. BERNARD., serm., 14, *de diversis*, t. I. — Contra negligentiam timor exsurgit : nimirum ipse est quo concutitur anima, discutitur conscientia, excutitur sopor lethalis, incutitur sollicitudo. Denique *qui timet Deum, nihil negligit* (*Eccli.* VII, 19), sed veretur omnia opera sua. Cæterum ut gravior sit conflictus, squama squamæ jungitur, et comitantia sunt in humano corde negligentia sui, et curiositas cæterorum. Triplex enim, ut ait sapiens, incommodum ejicit de domo inhabitantem, fumus, stillicidium, mala uxor. Quando vero hæc deerunt negligenti? Propria quippe qui negligit, fumum non abigit, uxorem non corrigit, tectum non reficit. Fumant peccata, nullo misericordiæ studio, nullis lacrymarum undis exstincta; et fumus ille teterrimus et intolerabilis. Malignatur voluntas, ipso neglectu quotidie deterior semetipsa. Stillat superni judicis indignatio ex defectu utique charitatis, quæ sola operit multitudinem peccatorum

NOMEN MARIÆ

[Ex SS. Patribus.]

S. HIERONYM., *Epist. ad Pammachium.* — Si manichæum nominare pollutio est; quid erit nominare Mariam nisi sanctificatio?

S. EPIPHAN., serm. *de laud. Virg.* — Lucis æternæ mater.

S. GERMANUS, Constant. — Quomodo corpus nostrum vitalis operationis signum habet respirationem, o sanctissima Deipara! sanctissimum nomen tuum quod in ore servorum tuorum versatur in omni tempore, hoc vitæ non modo est signum, et lætitiæ, sed etiam ea conciliat, et procurat.

Idem, orat. 6, *in Annunt. Virginis.* — Dei matris nomen sit mihi ultimus linguæ loquentis motus; ut illud velut olivæ ramum in ore ferens, avolem, et requiescam.

RICHARDUS A SANCTO LAURENTIO. lib. I, *de laud. Virg.* — Peccator es, ad nomen Mariæ confugias; ipsum solum sufficit ad medendum; nulla enim pestis sic hæret, quæ ad nomen Mariæ non cadat continuo.

RUPERTUS, *in Cantic.* IV. — Prædicabitur de te quod sis Mater Christi, proinde Regina cœlorum, quia totum possides Filii regnum.

Idem, l. I *in Cant.* — Beata Virgo in multis subobscuris arcanis mentem apostolorum illuminavit.

ARNOLDUS Carnot., *Tract. de laud. Virg.* — Christus est Dominus, Maria Domina, constituta quippe est super omnem creaturam; et quicunque Jesu curvat genu, matri quoque pronus supplicat.

S. CHRYSOLOGUS, serm. 142. — Dignitas Virginis annuntiatur ex nomine : nam Maria, Latine *domina* nuncupatur

Idem, serm. 148. — Nomen hoc prophetiæ germanum est, hoc renascentibus salutare, hoc virginitatis insigne, hoc prudentiæ decus, hoc indicium castitatis.

JOAN. DAMASC., serm. 4 *de fide*, c. 15. — Vere facta Domina omnium creaturarum, cum Creatoris omnium facta est mater.

Idem, serm. 6 *de B. Virg.* — Mentes Christianorum sacrosanctum nomen tuum, o Virgo, perpetim decantatum confirmat.

ALBERTUS MAGN., *in Luc.* I. — Si adversitates tribulationum te jactent, et superan-

Digitized by Google

tes te, quasi prosternant, invoca Mariam.

S. Bernard., hom. 2 *super Missus est.* — Nomen virginis Mariæ, quod interpretatum maris stella dicitur, et matri virgini convenienter aptatur.

Idem, *ibid.* — Ipsa est nobilis illa stella ex Jacob orta, cujus radius universum orbem illuminat; cujus splendor et præfulget in supernis, et infernos penetrat, terras etiam perlustrans et calefaciens magis mentes quam corpora.

Idem, *ibid.* — Ipsa est præclara et eximia stella, super hoc mare magnum et spatiosum, necessario sublevata micans meritis illustrans exemplis.

Petrus Blesensis, serm. 28. — Ecclesia, audito nomine Mariæ genua terræ infigit, quia præ nominis reverentia, quasi mare confragosum sonant vota populorum.

S. Anselm., *Lib. de excell. Virg.* — Velocior est nonnunquam salus memorato nomine Mariæ quam invocato nomine Jesu.

B. Alanus, *in Cantic.*, cap. 1. — Cujus nomen præconisatur in mundo nisi Virginis hujus? Cujus laus celebratur in ore populi fidelis, nisi virginis Mariæ? unde eleganter fama et gloria nominis ejus, oleo effuso comparatur.

S. Franc., *De gratia Novi Testam.*, tract. 6. — Post singulare illud dilecti Filii tui, o Maria, non aliud nomen cœlum et terra nominat, unde tantum gratiæ, tantum spei, tantum suavitatis piæ mentes concipiant.

Idiota. — Tantæ virtutis est et excellentiæ hoc nomen, ut cœlum rideat, terra lætetur, angeli congaudeant cum Maria nominatur.

Idem. — Dedit tibi, Maria, tota Trinitas nomen; ut in nomine hoc omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum.

S. Anton. Paduan. — Nomen virginis, Mariæ, jubilus in corde, mel in ore, melos in aure.

S. Bonaventura, *Psalt. Virg.* — Beatus qui diligit nomen tuum, Virgo Maria! gratia tua animam ejus confortabit; tanquam fontibus irrigatum in eo fructum propagabit.

Idem, *ibid.* — Gloriosum et admirabile est nomen tuum; qui illud retinent non expavescunt in puncto mortis.

Idem, *Specul. Virg.*, c. 8. — O celeberrimum nomen Mariæ quomodo posset nomen tuum non esse celebre, quod etiam nominari non potest sine nominantis utilitate.

Idem, *ibid.* — Ipsa est cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo, ipsa est lucerna Ecclesiæ ad hoc illuminata a Deo, ut per ipsam a tenebris mundi illuminaretur Ecclesia.

Idem, *ibid.* — Pax multa observantibus nomen tuum, Mater Dei.

Thomas a Kempis, serm. 4 *ad novit.*, — Expavescunt cœli Reginam spiritus maligni, et diffugiunt, audito nomine ejus.

O

OBEDIENTIA

[Ex SS. Patribus.]

S. Ignat., *Epist. ad Ephes.* — In Dei sententiam concurrite. Etenim Jesus Christus inseparabilis nostra vita, Patris est sententia; ut episcopi per terræ terminos definiti ex Jesu Christi sunt sententia. Unde decet vos in episcopi sententiam concurrere: nam memorabile vestrum presbyterium dignum Deo ita coaptatum est episcopo, ut chordæ citharæ, ut consoni per concordiam, melos Dei recipientes in unitate, cantetis voce una per Jesum Christum Patri; quo et vos audiat et agnoscat ex iis quæ operamini membra esse vos Filii ipsius.

S. Irenæi, lib. IV *contra hæreses.* — Agnitionem accepit homo boni et mali. Bonum est autem obedire Deo, et credere ei, et custodire ejus præceptum; et hoc est vita hominis: quemadmodum non obedire Deo, malum; et hoc est mors ejus. Magnanimitatem igitur, præstante Deo, cognovit homo et bonum obedientiæ, et malum inobedientiæ. Uti oculus mentis utrorumque accipiens experimentum, electionem meliorum cum judicio faciat, et nunquam segnis, neque negligens, præcepti fiat Dei; et id quod aufert ab eo vitam, id est non obedire Deo, experimento discens quoniam malum est, neque tentet quidem illud unquam; quod autem conservatorium vitæ ejus est, obedire Deo, sciens quoniam bonum est, cum omni intentione diligenter custodiat. Propter hoc etiam duplices habuit sensus, utrorumque agnitionem habentes, ut electionem meliorum cum disciplina faciat. Disciplinam autem boni quemadmodum habere potuisset, ignorans quod est contrarium? Firmior est enim et indubitata subjacentium apprehensio, quam ea quæ est ex suspicione conjectura. Quemadmodum enim lingua per gustum accipit experimentum dulcis et amari, et oculos per visionem discernit quod est nigrum ab albo, et auris per auditum differentias sonorum scit, sic et mens per utrorumque experimentum disciplinam boni accipiens, firmior ad conservationem ejus efficitur, obediens Deo; inobedientiam quidem primum respuens per pœnitentiam, quoniam amarum et malum est; deinde ex comprehensione discens, quale sit quod contrarium est bono et dulcedini, ne tentet quidem unquam inobedientiam gustare Dei. Si autem utrorumque eorum cognitionem, et duplices sensus cognitionis quis defugiat, latenter semetipsum occidit hominem.

Tertull., *Lib. de pœnitentia.* — Audaciam existimo de bono divini præcepti disputare. Neque enim quia bonum est idcirco auscultare debemus, sed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obsequii, prior est ma-

Digitized by Google

jestas divinæ potestatis. Prior est auctoritas imperatoris, quam utilitas servientis.

S. Cyprian, *Contra Demetrium.* — Ipse de servo tuo exigis servitutem, et homo hominem parere tibi compellis : et cum sit vobis eadem sors nascendi, conditio moriendi, corporum materia consimilis, animarum ratio communis; tamen nisi tibi pro arbitrio tuo serviatur, imperiosus et nimius servitutis exactor, flagellas et crucias; et non agnoscis miser Dominum Deum tuum, cum sic exerceas ipse in hominem dominatum.

S. Hilar., *Enarr. in psal.* 1. — *In lege Domini voluntas ejus.* Plures intra legem metus cohibet; paucos vero voluntas constituit in lege: quia timoris est, non audere timenda negligere; perfectæ vero religionis est præscriptis velle parere.

S. Ephrem, *De obedientia*, t. I, Græce. — Beatus qui vera et minime simulata præditus est obedientia, quoniam hic imitator est optiminostri præceptoris, qui *obediens factus est usque ad mortem.* (*Philip.* II, 8.) Vere igitur qui obedientiæ fruitur possessione, beatus est, quia cum Domini sit imitator, etiam cohæres illius efficitur. Qui obedientiam obtinet, vinculo charitatis cum omnibus conjungitur. Qui obtinet obedientiam, magnam possessionem obtinet, magnasque sibi divitias accumulavit. Qui obediens est, omnibus gratus est, ab omnibus laudatur, et ab omnibus probatur. Vir obediens cito exaltatur, et celeriter progressus magnos efficiet; vir obediens præcipientibus non resistit et jubentibus non adversatur, reprehensus non irascitur : ad omne opus bonum promptissimus est; ab iracundia non facile capitur : si reprehendatur, non commovetur, et si contumeliis afficiatur, nequaquam exscandescit. In calamitatibus gaudet, et in tribulationibus gratias agit. De loco in locum non transmigrat, et ex una in aliam mansionem non se transfert. Admonitus non perturbatur; ad quem destinatus est locum, in eo manet, et tædio non afficitur. Patrem non despicit, et fratrem nequaquam spernit. Monasticæ vitæ rationem non carpit. Recreationes et otia fugit, ac locorum herisque amœnitates minime sectatur, sed secundum sanctum Apostolum, in quo vocatus est loco, in eo manet. Multi igitur ut apparet, sunt fructus obedientiæ. Quamobrem beatus est qui possidet illam.

Idem, t. II, Græce. — Circa tempus etiam noli esse negligens : nam quibusdam inimicus suggerit desiderium suscipiendi habitus præter tempus; ut frater vim cupiditatis non ferens, stadium fugiat. At tu, charissime, quippe qui Deo placere studeas, patientem te præbe atque longanimem : cum dicat Apostolus : *Sed et si potes fieri liber, magis utere.* (*I Cor.* VII, 21.) Generationes porro antiquas respice; et vide quo pacto sancti omnes per longanimitatem et patientiam adepti sint repromissionem. Consolemur ergo et cohortemur nos ipsos quotidie, ut eorum cohæredes inveniamur in regno cœlorum. Primum quidem patriarcha Jacob nonne quatuordecim inservivit annos propter Rachel, Laban Syro in Mesopotamia, in calore diei et gelu noctis? Similiter autem et Joseph dilectus, nonne multis annis servivit in terra aliena? Sicut scriptum est : *Et erat Joseph septemdecim annorum, dum oves pasceret cum fratribus suis.* (Gen. XLI, 46.) Rursusque ait : *Triginta annorum erat Joseph, quando stetit in conspectu regis Pharaonis.* Similiter vero et Moyses servus Domini quadraginta annis incola fuit ac peregrinus in terra Madian. Et filii Israel post annos quadraginta in terram ingressi sunt promissionis. Item et Daniel vir præclarus una cum tribus fuerit, qui fornacis ignem rorem per fidem effecerunt, servitutem et tribulationes atque opprobria in terra aliena pertulerunt, quare et salvati sunt.

Idem, *ibid.* — Nos autem ne minimam quidem molestiam sufferre volumus : nam quia non credimus, patientia longe recedit a nobis. Sic enim dolori te ipsum tradidisti, ac si ob alienum deperditum depositum in captivitatem abiisses. Alacritatem tibi ipsi adhibe in Domino, et viriliter age tanquam fidelis : ne quando præ multa tristitia firmitatem ac robur animi deperdas, et in fine te pœniteat. Perpende igitur animo, charissime, eos qui in exsilio, et in metallis, atque acerba servitute torquentur : et subditus esto præfecto tuo in Domino. Quod si humano more potius servitutem reputas, quam propter Deum sustines : quis, obsecro unquam pro rege ignominia affectus, non potius injuriam pro gloria arbitratur? Verum sæpe forte dicturus es, quod res laborem in se atque molestiam contineat. Hei mihi peccatori et servo inutili! Si laborem propter Dominum sufferre nolumus, quorsum e sæculo eximus? Quis, dilectissime, dignus est, ac sic felix, ut pro eo patiatur qui pro ipso est passus? Exigua, charissime, præstas, et magna reportas. Patientia porro nobis est necessaria, ut Dei voluntatem facientes, promissiones ejus consequamur. *Qui enim in finem usque perseveraverit, hic salvabitur.* (*Matth.* X, 22.)

S. Basil., hom. 12, *in principium Prov.*, tom. II. — Eximia est obedientiæ merces. Obediamus igitur benigno Patri, certamina nobis atque exercitia ex Spiritus oraculis proponenti : qui more peritorum venatorum in locis difficilem aditum habentibus, vult quasi catuli alicujus cursum experiri.

Idem, *Regul. brev. tractatæ*, t. I. — *Prophetias nolite spernere; omnia probate; quod bonum est tenete : ab omni specie mala abstinete vos.* (*Thess.* V, 20-22.) Quamobrem si quidpiam dicitur secundum mandatum Domini, etiamsi mortis minas ingerat, obediendum est : sin autem aliquid præter mandatum est, aut mandatum lædit, etiamsi angelus ex cœlo, aut aliquis ex apostolis præcipiat, etiamsi promittat vitam, etiamsi mortem minitetur, nullo modo obtemperandum est, cum Apostolus dixerit : *Licet nos ipsi, aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* (*Gal.* I, 8.)

S. Gregor. Naz., orat. 19, t. I. — Ne quis,

Digitized by Google

cum sine periculo alium sequi liceat, præire cum periculo expetat : nec obedientiæ lex quæ tam terrena quam cœlestia tuetur atque conservat, infringantur : neque committamus, ut præfectorum multitudo in dissolutam sine ullis præfectis vivendi licentiam recidat.

S. Greg. Naz., orat. 19, *Deo et principibus obsequendum.* — Submittamus nos tum Deo, tum alii aliis, tum iis qui imperium in terra gerunt : Deo quidem omnibus de causis, alii autem aliis, propter charitatis fœdus ; principibus denique propter ordinem publicæque disciplinæ rationem; idque tanto etiam magis, quanto facilioribus illis ac benignioribus utimur. Grave ac periculosum est ignoscendi assiduitate clementiam exhaurire, ne alioqui illorum acerbitatis pœnæ a nobis expetantur, ut qui ventis invectis tranquillitatem sustulerimus, et luci caliginem induxerimus, mellique absinthium admiscuerimus. Jam vero inter cæteras nostræ doctrinæ leges, hanc quoque habemus cum primis laudandam, et a Spiritu qui id, quod præstare possumus, cum eo quod pulchrum et honestum est, exploravit, legeque sanxit præclare constitutam, qua ut *servi* hæris suis, et *uxores* viris, et *Ecclesia* Christo, et *discipuli* magistris ac pastoribus obtemperare jubentur, ita nobis etiam præscribitur ut *sublimioribus potestatibus pareamus, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* (*Rom.* xiii, 1), ut qui pendendo tributo simus obnoxii; nec committamus ut ob scelera nostra legem odio habeamus, ac vindicem gladium exspectemus; quin potius id agamus, ut par timorem purgati, laudem a potestate consequamur.

S. Chrysost., hom. 23 *in Epist. ad Rom.*, t. IX. — Ostendens (Apostolus) hoc omnibus imperari sacerdotibus, etiam et monachis, nec sæcularibus tantum, hoc ab exordio declarat dicens : *Omnis anima potestatibus sublimibus subdita sit.* (*Rom.* xiii, 1.) Etsi apostolus esses, etsi evangelista et propheta, etsi quivis alius. Neque enim hæc subjectio pietatem subvertit. Nec simpliciter dixit, obediat, sed subdita sit. Primum autem jus talis constitutionis cum fidelibus ratiociniis convenit, quod a Deo hæc præcepta fuerint. Non est enim potestas nisi a Deo. Quid dicis ? Omnisne princeps a Deo ordinatus est ? Non hoc dico, inquit. Neque enim de singulis principibus mihi nunc sermo est, sed de re ipsa. Nam quod principatus sint, et quod alii imperent, alii subjecti sint, neque omnia casu ac temere ferantur, populis quasi fluctibus hinc et inde circumactis, divinæ esse sapientiæ dico. Ideo non dixit : Non enim est princeps nisi a Deo ; sed de re ipsa loquitur dicens : *Non enim est potestas nisi a Deo ; quæ vero sunt potestates, a Deo ordinatæ sunt.* (*Ibid.*)

S. August., *De bono conjugali*, t. VI. — Majus bonum est obedientiæ quam continentiæ. Nam connubium nusquam nostrarum Scripturarum auctoritate damnatur, inobedientia vero nusquam absolvitur. Si ergo proponatur virgo permansura, sed tamen inobediens, et maritata quæ virgo permanere non posset, sed tamen obediens, quam meliorem dicamus ? Minus laudabilem quam si virgo esset, an damnabilem sicut virgo est ? — Recte plane quæritur, non utrum omnimodis obediens obedientiori comparanda sit ; quia et illa nuptialis castitas est, et ideo bonum est, sed minor quam virginalis. Tanto ergo minor in bono obedientiæ, quanto major in bono castitatis si altera alteri compararetur, quæ præponenda sit judicat, qui primo ipsam castitatem et obedientiam comparans, videt omnium virtutum quodam modo matrem esse obedientiam.

S. Gregor., *Moralium*, l. xxv, c. 10. — Obedientia victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisque Deum citius placat, quanto ante ejus oculos repressa arbitrii sui superbia, gladio præcepti se immolat.

S. Bernard., *Exhortat. ad milites templi*, cap. 13. — Nec studium bonæ actionis, nec otium sanctæ contemplationis, nec lacrymæ pœnitentis extra Bethaniam accepta esse potuerunt illi qui tanti habuit obedientiam, ut vitam quam ipsam perdere maluerit, *factus obediens Patri usque ad mortem* (*Philip.* ii, 8.)

Idem, *Tract. de præcepto et dispensatione*, cap. 7. — Novit verus humilisque obediens et minima non contemnere, et maxime curare quæ maxima sunt ; intimo quodam devoti sincerique animi sapore discernens : quibus de mandatis ei qui præest, suis quodammodo factis respondeat cum Propheta : *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* (*Psal.* cxviii, 4.)

Idem, *ibid.*, cap. 6.— Cæterum subjectus hujusmodi obedientiam quæ voti finibus cohibetur, moverit imperfectam. Nam perfecta obedientia nescit legem, terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis : et ad omne quod injungitur spontanea, vigore liberalis alacrisque animi, modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur.

Idem, epist. 7, *ad Adam. mon.* — Non dico a subditis mandata præpositorum esse dijudicanda, ubi nil juberi deprehenditur divinis contrarium institutis, sed necessariam assero et prudentiam, qua advertatur, si quid advertatur, et libertatem quæ et ingenue contemnatur.

Idem, serm. 41, *Obedientiæ regulæ.*—Bona præcipit Deus, ut faciamus ; a malis jubet ut abstineamus. Hujus præcepti sancta et incommutabilis auctoritas, non valet quoquomodo refelli, quia illius est charactere consignata, qui dicit : *Ego Dominus et non mutor.* (*Malac.* iii, 6.) Si ergo homo ille quem imposuit Dominus super capita nostra, aliter sentire voluit *ponens tenebras lucem, et lucem tenebras* (*Isa.* v, 20), vel præcipiat bona relinquere,

Digitized by Google

vel malis adhærere; audacter refutandum est præcipientis imperium, et libera voce dicendum : *Obedire oportet magis Deo quam hominibus.* (*Act.* v, 29.) Hæc est specialis obedientia ad Deum quæ nunquam est hominibus arbitrio temperanda, sed incommutabili conservanda proposito. Certam igitur regulam tene, ut nec imperio prælatorum bona relinquas, vel facias mala. Inter summe vero mala, et summe bona, quædam media sunt ad alterutrum se habentia, et boni malique nomen assumunt. Media sunt ambulare, sedere, loqui, tacere, comedere, jejunare, vigilare, dormire, et si quæ sunt similia : quæ si pastoris licentia fiant, summam exspectant retributionem. In his igitur mediis subditi et obedientes esse debemus ad nutum præpositorum, nihil interrogantes propter conscientiam : quia in his nullum præfixit opus Deus, sed prælatorum derelinquit imperio disponenda. Non autem te moveat magister imperitus, indiscreta potestas, sed memento quia *non est potestas nisi a Deo, et qui resistit potestati, resistit Dei ordinationi.* (*Rom.* XIII, 2.) Hæc est propria hominis obedientia quam homini debemus, qui homini subditi sumus. Communis est etiam ista inter Deum et hominem; quia quidquid obedientiæ prælatis exhibetur, ei exhibetur; *me audit.*

S. Bernard., epist. 385, *ad quosdam noviter conversos.* — Ejus exemplo (Christi) deliciæ nobis fugiendæ sunt, et bonum obedientiæ toto mentis ac corporis conatu est amplectendum, ut qui in obedientia recessimus a Deo, per obedientiæ legem redire mereamur.

Idem, serm. 2 *in Circumc. Domini.* — Sed jam tibi in ipsa obedientiæ via aliqua fortassis dura et aspera occurrere possunt, ut accipias interdum præcepta nonnulla, quæ licet salubria sint, minus tamen suavia videantur. Hæc si moleste cœperis sustinere, si dijudicare prælatum, si murmurare in corde, etiamsi exterius impleas quod jubetur, non est hæc virtus patientiæ, sed velamentum malitiæ. Necesse est ergo ut illucescat dies patientiæ, per quam omnia dura et aspera tacita amplectaris conscientia, te magis dijudicans et durius arguens, cui nimirum displicent quæ ad salutem sunt, et in cogitatione tua semper partem magistri, quoad potes, adversus temetipsum juvans teque in omnibus accusare, ipsum vero magis excusare laborans.

Idem, serm. 19 *in Cant.*, c. 1, 2. — *Oleum effusum nomen tuum, propterea adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Quid est *nimis?* Valde, vehementer, ardenter. Vel certe magis ex obliquo vos qui nuper venistis tangit spiritualis sermo : vestram illam (quam et nos frequenter reprimere conati sumus) minus discretam vehementiam, imo intemperantiam prorsus nimium obstinatam redarguens. Non vultis esse communi contenti vita. Non sufficit vobis regulare jejunium, non solemnes vigiliæ, non imposita disciplina, non mensura quam vobis partimur in vestimentis et alimentis; privata præfertis communibus. Qui vestri curam semel nobis credidistis, quid rursum de vobis vos intromittitis? Nam illam, qua toties Deum conscientiis vestris testibus offendisti, propriam scilicet voluntatem vestram ecce nunc iterum magistram habetis, non me. Illa vos naturæ docet non parcere, rationi non acquiescere, non obtemperare seniorum consilio vel exemplo, non obedire nobis. An ignoratis quia *melior est obedientia quam victimæ.* (*I Reg.* XV, 22.) Non legistis in regula nostra, quod quidquid sine voluntate vel consensu Patris spiritualis sit, vanæ gloriæ deputabitur, non mercedi.

Idem, serm. 2, *in fest. S. Andreæ.* — Sola est charitas quæ obedientiam gratam facit et acceptabilem Deo.

[Ex conciliis.]

Ex conc. Nicæno gener. I, *sub Sylvestro I, an.* 325. — *Secundum Julium I.* — 10. Omnes qui adversus Patres armantur infames esse censemus.

13. Infames esse censemus omnes qui suam aut Christianam prævaricantur legem aut canonicam postponunt auctoritatem.

Ex conc. Carthaginensi, secund. Gratian. — 5. Ut laici contemptores canonum excommunicentur, clerici honore priventur.

Ex conc Milevitano, sub Innocentio I, an. 416. — 13. Oportet eos qui putaverint spretis majoribus aliquid præsumendum, competenter esse ab omni conc. coercendos.

Ex conc. Epaunensi, sub Symmacho, an. 509. — 40. Si quis sanctorum antistitum qui statuta præsentia subscriptionibus propriis firmaverunt, necnon et quos eorum, Deus esse voluerit successores, relicta integritate, observationes excesserit, reum se Divinitatis pariter et fraternitatis judicio futurum esse cognoscat.

Ex conc. Ilerdensi, sub Joanne I, an. 524. — 10. Qui jubente sacerdote pro quacunque culpa ab ecclesia exire contempserit, pro noxa contumaciæ, tardius recipiatur ad veniam.

Ex conc. Antissiodorensi, sub Gregorio I, an. 590. — 4. Si quis ad id quod constitutum est conservandum negligens inventus fuerit, et hoc observare distulerit, aut eos qui ipsum audire neglexerint, celaverit, aut suppresserit, anno a consortio fratrum, vel ab omnium Christianorum communione habeatur extraneus.

Ex conc. Hispalensi II, *sub Bonifacio V, an.* 619. — 8. Eorum status qui contra episcopum suum vel patronam ecclesiam nituntur, decidi potius quam conservari convenit.

Ex conc. Cabilonensi, sub Vitaliano, an. 663. — 2. Canonum statuta ab omnibus intemerata serventur.

Ex conc. Gangrensi, sub Sylvestro I, an. 325, *et Epitome Adriani I, an.* 773. — 3. Si quis servum pro religione, Dominum suum contemnere docet, anathema sit.

16. Ne filii parentes, occasione Christianitatis despiciant.

Ex conc. Arelatensi IV, *sub Leone III,*

Digitized by Google

an. 813. — 13. Ut comites judices, seu reliquus populus obedientes sint episcopo.

Ex conc. Meldensi, sub Sergio II, *an* 845. — 13. Si quis publicus divinæ legis prævaricator, vel pro manifestis criminibus erga ecclesiastica justa et rationabilia judicia contemptor repertus fuerit, si monitionibus episcopalibus obtemperare distulerit, anathematizetur.

78. Ut capitula ecclesiastica a domino Carolo Magno imp. necnon et a domino Ludovico Pio Augusto promulgata obnixe observari præcipiantur, sicut et legalia observanda esse noscuntur.

79. Quicunque quæ a divino Spiritu per Pontificalem auctoritatem et regiam majestatem promulgata et prolata atque confirmata sunt, contumaci atque rebelli animo contraire præsumpserit, si ecclesiastico ordine quælibet persona fuerit honorata synodali auctoritate gradus proprii amissione mulctetur, si autem in sæculari habitu qualibet potestate vel dignitate fuerit sublimata persona, honore quo in republica fruitur, sine retractatione a regia majestate privetur.

Ex conc. Constantinop. univ. VIII, *sub Adrian. II, an.* 869. — 1. Sanctiones Ecclesiæ catholicæ et apost. per traditionem a sanctis omnique laudis præconio celebrandis apostolis, tum ab orthodoxis œcumenicisque et provincialibus conciliis, aut a quovis Deiloquo Patre et doctore Ecclesiæ acceptas, servandas custodiendasque profitemur.

Ex conc. Ravennat. II, *sub Clemente V, an.* 1311. — 21. Prohibemus ne quis clericus sæcularis vel religiosus de cætero contra prælatum suum, se debeat superbe erigere, sed in iis quæ Dei sunt maxime debeat humiliter obedire, qui contrafecerit, et tertio monitus non destiterit, durante contumacia postquam publice denuntiatus fuerit, ab omnibus et in omnibus evitetur, et ab officio et beneficio donec resipuerit, et plenarie satisfecerit, et ad mandata prælatorum suorum redierit, sit suspensus.

Ex conc. Ravennat. III, *tempore interregni, an.* 1314. — 6. Quicunque monitus a prælato seu prælatis superioribus suis in iis quæ spectant ad correctionem, contumaciter renuerit obedire, sit ipso facto suspensus, quam quidem suspensionem si sustinuerit per mensem animo indurato, sententiam excommunicationis incurrat.

Ex conc. Salisburgensi, sub Martino V, an. 1420. — 13. Nulla rerum perditio aut metus corporis nec legitime probatus subditi inobedientiam mandatum prælati exsequi non curantis, valeat excusare.

Ex conc. Moguntino, sub Paulo III, an. 1549. — 48. Constitutiones Ecclesiæ, sive ex consuetudine serventur, sive tradantur scriptis canonibus, libenter fideles complectantur.

OPERA MISERICORDIÆ

[Ex SS. Patribus.]

S. Isidor., lib. III *De summo bono*, c. 64. — Graviter in Deum delinquunt, qui divitiis a Deo concessis, non in rebus salutaribus, sed in usibus pravis utuntur. Nesciunt impertire pauperibus, oppressis subvenire despiciunt, et inde magis augent delicta, unde redimere debuerunt. Hoc habet tantum bonum possessio præsentium rerum, si vitam reficiat miserorum : Præter hoc tentatio est mundi lucrum, tantoque majora supplicia in futurum dabunt quanto et ipsa majora sunt. *Potentes enim potenter tormenta patientur.* (*Sap.* VI, 7.) Terrena omnia servando amittimus, largiendo servamus. Patrimonium enim retentum perit, manet autem erogatum. Diu enim cum rebus nostris durare non possumus, quia aut nos illas moriendo deserimus, aut illæ nos viventes deserunt. Pro diversitate usus alii de rebus mundanis pereunt, quas cupidius rapiunt, alii vero salvantur, dum in eorum pulchritudine Conditoris pulcherrimam providentiam laudantes mirantur, vel dum pro misericordiæ operibus ex eis cœlestia bona mercantur. Misericordia a compatiendo alienæ miseriæ vocabulum sortita est. Nullus autem in alio misericors esse potest, qui prave vivendo in se misericors non est. Quid enim sibi nequam est, cui bonus erit ? Nulla scelera eleemosynis posse redimi, si in peccatis voluntarie quis permanserit. Tunc autem fructus eleemosynarum indulgentiam consequitur, quando ab scelerum opere desinitur. Verum est, quod peccata omnia misericordiæ operibus expurgantur, sed si jam caveat peccare, qui misericordiam impertitur. Cæterum nulla est delicti venia, quando sic procedit misericordia, ut eam sequantur peccata. Non est eleemosyna, quæ gloriæ magis causa, quam misericordiæ impertitur intuitu. Quali intentione ab unoquoque largitur, taliter et apud Deum recipitur. Qui ergo hic de bono opere laudem præsentem appetit, spem perdit, et gloriam mercedis in futuro non recipit. Dum causa jactantiæ pauper pascitur, etiam ipsum misericordiæ opus in peccatum convertitur. Intantum eleemosynarum opera peccata exstinguunt, atque intantum ad regnum sæculi futuri proficiunt, ut etiam judex cœlestis in futuro judicio veniens, in dextera consistentibus dicat : *Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et*

Digitized by Google

dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus eram, et cooperuistis me. (*Matth.* XXV, 35.) Quibus etiam bene promittit, dicens : *Venite benedicti Patris mei, percipite præparatum vobis regnum.* (*Ibid*, 34.) His autem, quos nulla præcedentia eleemosynarum facta sequuntur, æterni judicis voce sic dicitur : *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere.* (*Ibid*, 42.) Quibus juste dicitur : *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* (*Luc.* XVI, 19.) Qui hic misericordiam non impertit, pietatis fructum non invenit : exemplo ardentis divitis, qui in inferno ad tenuissima petenda compulsus est, qui hic tenuissima negare studuit. Quid tribui subtilius, quid districtius petere poterat? Guttam aquæ ardens petiit, qui micas panis negavit. Sero dives oculos aperuit, quando Lazarum pauperem requiescentem vidit, quem jacentem ante januas videre despexit. Non solum qui esurienti et sitienti et nudo beneficium largitatis impendit, vel si quid aliud indigenti largitur, sed et qui inimicum diligit, et qui lugenti affectum compassionis et consolationis impertit, aut errantem fratrem charitative corrigendo, ad viam veritatis revocat, aut in quibuslibet necessitatibus consilium dat, eleemosynam procul dubio facit. Nam et doctrinæ vel disciplinæ bonum, eleemosyna est, et misericordia carnali eminentior est. Quicunque egens poscit, etiamsi indigentem se simulet, ex toto illi corde commiserari oportet. Et licet ille fortasse falsam indigentis speciem præferat, is tamen, qui simpliciter impertit, fructum misericordiæ non amittit. Quantumvis quis sit egens, nullus tamen, unde tribuat indigenti, excusationem inopiæ potest obtendere, quando ex præcepto Salvatoris etiam calicem aquæ frigidæ præcipiamur indigenti præbere. (*Matth.* X, 42.) Nam si aliud non habentes, id ipsum benigne tribuamus, mercedem procul dubio non amittimus. Cæterum si amplius possumus, et egestatem simulando minus largimur, non egentem, sed Deum fallimus, cui conscientiam nostram abscondere non possumus. Duæ sunt eleemosynæ : una corporalis, scilicet egenti dare quidquid potueris; altera spiritualis, dimittere a quo læsus exstiteris. Harum prima adhibenda est miseris, secunda malis. Erit ergo, quod semper impartias, etsi non pecuniam, saltem vel gratiam. Non est eleemosyna cum murmuratione præbenda, ne, comitante tristitia, merces pereat dispensata. Tunc autem bene tribuitur, quando cum mentis hilaritate præbetur. Unde et Apostolus : *Hilarem*, inquit, *datorem diligit Deus.* (*II Cor.* IX, 7.) Metuendum est itaque, ne pauper aut cum tædio nostra oblata suscipiat, aut ne omnino prætermissus, mœrens tristisque recedat. De rapinis alienis eleemosynam facere, non est officium miserationis, sed emolumentum magnum sceleris. Unde et Salomon : *Qui offert*, inquit, *sacrificium de rapina pauperum, tanquam si quis victimet filium in conspectu patris sui.* (*Eccli.* XXXIV, 24.) Qui enim injuste tollit, juste nunquam distribuit, nec bene alteri præbet, quod ab alio male extorquet. Magnum scelus est, rem pauperum præstare divitibus, et de sumptibus inopum acquirere favores potentum, arenti terræ aquam tollere, et flumina, quæ non indigent, irrigare. Nonnunquam largitas divitum prodiga, non ad utilitatem, sed ad elationem effunditur, comparata hypocritis, qui non ad ædificationem docent audientium, sed ad suæ gloriæ exaggerandum cothurnum. Reprehensibilis est superflua effusio largitatis. Nam qui modum servat, avarus nulli est, sed omnibus largus est. Dispensator non debet esse prodigus, sed discretus; largiri enim debet quantum oportet, ut tenendo mensuram in uno sufficiat pluribus.

S. Gregorius Nyss., *Lib. de beatitudinibus.* — Ac misericordia, ut eam aliquis definitione comprehensam interpretari et explicare possit, voluntaria tristitia est, quæ conflatur ob incommoda aliena. Quod si non plene, quid per eam intelligatur, expressimus, forsitan alia ratione magis dilucide ac planius explicari possit : Misericordia est erga eos, qui ob res aliquas tristes ac molestas sese discruciant, cum dilectione conjuncta affectio. Quemadmodum enim inhumanitas et feritas ab odio causam et originem habent, sic ex dilectione quodammodo misericordia enascitur, nec aliunde existeret, nisi ex hac; at si quis plene misericordiæ proprietatem exquisiverit, intentionem et vehementiam inveniet diligendi affectionem cum affectu tristitiæ commistam. Nam participationem quidem bonorum omnes similiter appetunt et amici et inimici; at ut incommodorum, et rerum tristium atque acerbarum participes esse velint, eorum duntaxat proprium est, qui dilectione tenentur. Atqui ex omnibus rebus, quæ per vitam coluntur et exercentur, constat rem præstantissimam esse dilectionem. Dilectionis autem intentio atque incrementum, misericordia est. Et post pauca : Ergo misericordia, ut definitio quidem ostendit, benevolentiæ mater est, dilectionis pignus, vinculum omnis amicæ affectionis. Hac vero cautione atque securitate, quid in vita firmius et tutius excogitari possit?

S. Chrysostomus, hom. 32, *in Epistolam ad Hebræos.* — In ædificia cœlestia studeamus nostras evacuare pecunias, nec fabris, nec structoribus, nec operariis opus habebimus. Manus namque pauperum tales domos ædificant; claudi, cæci, vel debiles isti sunt, qui domos illas ædificant, et non mireris. Siquidem per istos nobis et regnum cœleste providetur, per istos etiam fiduciam accepimus apud Deum. Eleemosyna quippe artifex magna consistit, et auxiliatrix eorum, qui ipsam faciunt. Amica namque Dei consistit, et semper ei propinqua est, pro quibuscunque voluerit, facile gratiæ munus impetrat, tantum si a nobis non lædatur, si nullam patiatur injuriam. Injuriam autem patitur,

Digitized by Google

cum ex rapinis eam volumus operari. Si vero fuerit munda, magnam præstat confidentiam tribuentibus eam, intervenit etiam pro delinquentibus. Tanta est ejus virtus, tantaque potentia. Sed etiam vincula peccatorum ipsa dissolvit, fugat tenebras, exstinguit ignem, mortificat vermem, expellit stridorem dentium. Huic cum multa fiducia portæ cœli aperiuntur, et veluti regina intrante, nullus janitorum, nullus custodum, qui portis assistunt, audet dicere : Quæ tu es, vel unde? sed omnes eam e regione suscipiunt. Sic etiam misericordia; regina namque est vere regina; similes faciens homines Deo. *Estote*, inquit, *misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est.* (*Luc.* VI, 36.) Pennata namque est et valde levis, habens alas aureas et volatum, qui angelos ipsos deceat. Scriptum est enim : *Pennæ tuæ, sicut pennæ columbæ deargentatæ, et collum ejus in fulgore auri.* (*Psal.* LXVII, 14.) Sicut columba quædam nitens, et aurea venustate decorata, miles et affabiles oculos habens, per cuncta pervolat, sic et misericordia nitet magno decore festiva; nihil est illis oculis melius. Pulcher quidem est pavo, sed in illius comparatione deformis apparet. Ita enim hæc avis quædam pulchra est et mirabilis, ab ipso initio per tempora cuncta perdurans, et multa divina gloria decoratur. Virgo est, habens alas aureas, circumspecta per omnia, venusteque succincta, vultum habens candidum atque suansuetum; pennata est et levis, et semper ante solium regale consistit. Quando judicamur, repente subvenit, et nos a suppliciis liberat imminentibus, alis suis nos contegens. Hanc amplius desiderat Deus, quam sacrificia numerosa; multa de illa loquitur, sic eam diligit. Scriptum est enim : *Viduam et pupillum et pauperem suscipiet Dominus.* (*Psal.* CXLV, 9.) Ex ejus vocabulo Deus desiderat appellari *misertor et misericors, Deus longanimis, et multum misericors, et verax.* (*Psal.* CII, 8.) Misericordia namque Dei super omnem terram. Ista est, quæ salutem humano generi contulit. Si enim non misereretur nostri Deus, irent prorsus cuncta perditum. Ipsa nos quippe, cum inimici essemus, reconciliatos reddidit, ipsa plura bona perfecit, ipsa Filio Dei persuasit, ut fieret servus, et exinaniret semetipsum. Hanc igitur æmulemur, per quam nos constat esse salvos. Hanc diligamus, hanc pecuniis præponamus universis, et sine pecuniis vel divitiis habeamus animam misericordem. Nihil ita exprimit Christianum, sicut misericordia; nihil sic et fideles et infideles simul admirantur, sicut quando nos vident eleemosynas impendere. In multis enim et nos indigemus misericordia. Nam et ad Dominum clamamus : *Secundum magnam misericordiam tuam miserere nostri.* (*Psal.* L, 3.) Nos ergo initium faciamus, quanquam nos non facimus initium, quandoquidem jam nos ipse antecessit, et suam in nobis misericordiam reddidit manifestam, saltem posteriores sequamur. Si enim homines ejus, qui misericors est, etiam si innumera peccata commiserit, miserentur, multo amplius Deus. Adverte Prophetam dicentem : *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini.* (*Psal.* LI, 10.) Tales ergo efficiamur, sicut oliva fructifera, ex omnibus partibus misericordias germinemus. Non enim sufficit olivam esse, sed opus est eam esse fructiferam. Sunt enim misericordes, sed modica per totum annum tribuentes, aut per singulas septimanas, aut si quando forte fortuna progrediuntur. Isti olivæ quidem sunt, sed non fructiferæ, quin etiam aridæ, et quandoquidem miserentur, olivæ sunt, quoniam vero non large, neque magnifice, non sunt fructiferæ. Nos efficiamur olivæ fructiferæ. Sæpius jam dixi, et nunc quoque dico, quoniam non mensura vel quantitate datorum judicatur misericordiæ magnitudo, sed ex voluntate largientis. Scitis enim illius viduæ factum. (*Marc.* XII, 42.) Commodum quippe est, hoc proferre semper exemplum, ut neque pauper de opere suo desperet, respiciens ad viduam duo minuta conferentem, neque dives glorietur, cum de magnis parva largitur. Obtulerunt quidam etiam setas, et pilos, et capillos, in templi constructionem, et spreti penitus non sunt, sed hi, si aurum habentes capillorum munera deportassent, maledicti protinus exstitissent. (*Exod.* XXXV, 23, 26.) Si vero istud tantum habentes obtulerunt, acceptabiles in suo munere facti sunt. Propterea et Cain culpatus est, non quia abjecta obtulit, sed quia omnium, quæ habebat abjectiora obtulit Deo. (*Gen.* IV sec. LXX.) *Maledictus*, inquit Scriptura, *qui habet meliora, et sacrificat corrupta Deo*, non absolute dixit : qui sacrificat corrupta Deo, sed qui habet, inquit et avaritia compellente revocatur. Si igitur quisquam non habet, omni culpa caret, liber est, magis autem mercedem facile conquirit. Quid enim duobus minutis abjectius, vel quid capillis vilius, (*Luc.* XXI, 2) vel quid inferius parva similagine? Et tamen invenies ista similiter approbata, sicut vitulos et aurum, quod divites obtulerunt. Secundum quod quis habet, secundum hoc acceptabilis efficitur, non secundum quod non habet. Quantum habet manus tua, inquit, benefacito. Propterea obsecro, ut evacuemus cum alacritate substantias nostras in pauperes, etiam si parva sint, quæ habemus, mercedem similem consequemur illis, qui plura videntur offerre. Vel potius majorem, quam illi, qui offerunt multitudinem talentorum. Si hæc igitur faciamus, inæstimabiles Dei thesauros adipiscimur, si tamen non solum audiamus, verum etiam faciamus, si non tantum laudemus, sed etiam ipsis operibus ostendamus.

S. CHRYS., hom. 9 *de pœnitentia.* — Age, quartam proferamus pœnitentiæ viam. Et quænam ea est? Eleemosyna regina illa virtutum, homines celerrime ipsorum in cœlorum axes adducet, advocati optimi loco fungens. Magna res eleemosyna : præcidit aerem, transit lunam, solis radios cædit, ad ipsum venit cœlorum culmen, ipsos pertransiens

Digitized by Google

cœlos et angelorum populos decurrens, archangelorumque choros, et omnes superiores potestates, ipsi assistit regali throno. Quod ex ipsa disce Scriptura : *Corneli, eleemosynæ*, inquit, *et orationes tuæ ascenderunt in conspectu Dei.* (*Act.* x, 4.) Tametsi multa habueris peccata, advocatrix eleemosyna est, ne timeas. Nulla enim super omnibus virtutibus huic sese opposuerat. Christum requirit, quem ipsa lucrifecit propriis in manibus bajulans. Ipsius enim Domini est vox : *Si quis fecerit uni ex minimis his, mihi fecit.* (*Matth.* xxv, 40.) Ita ergo quotquot talia habueris peccata, eleemosyna tua omnibus est gravior. Aut non intellexistis in Evangelio decem virginum parabolam, quod eleemosynam non habentes, virginitati indulgentes, a nuptiis exclusæ sunt? Abeuntes, inquiunt, *emite vobis a vendentibus* (*Ibid.*, 9.) Qui namque sunt mercatores olei hujus? Pauperes ad eleemosynam sedentes, et quanti emitur? quanti libuerit. Pretium non appono, ne objicias inopiam. Quanti potest, tanti eme. Habes denarium, eme cœlum, non quod venale sit cœlum, sed quod clemens sit Dominus. Non habes denarium, da calicem frigidæ aquæ. Inquit enim : *Quicunque dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ propter me, non perdet mercedem suam.* (*Matth.* x, 42.) Mercatura negociatioque cœlum est, atque ipsi pigritamus. Da panem, et accipe paradisum; parva da et magna suscipe. Da mortalia, et immortalia recipe. Da corruptibilia, et incorruptibilia accipe. Si celebritas adesset, epulum habens, atque in ea ciborum abundantia, multaque parvo emerentur, num substantiam vendentes, cunctaque postponentes, in partem ejus negociationis veniretis? Et ubi quidem corruptio, tanto studio laboratis, ubi immortalis est negotio, pigritatis, atque adeo conciditis. Da inopi, quamvis tu tacueris orare pro te, respondebunt infinita. Eleemosyna tua stante et declinante, pretium redemptionis animæ eleemosyna est. Præterea pelves et lavacra cum aqua sunt, quo manus, laves qua vestes aqua : sic et eleemosyna, quo per eam animæ manus diluas. Ne inopiam proferas. Vidua in ultimo cœnaculo Eliam hospitabatur, ac paupertas non affuit impedimento, sed eximio cum gaudio suscepit eum, quare et dignos recepit fructus, et metens eleemosynæ spicam legit. (*III Reg.* xvii, 9.) Sed fortasse auditor dicet : Da et mihi Eliam. Qui quæris Eliam? Dominum Eliæ do tibi, nec ipsum cibas : Eliam si inveneris, quo modo hospitaberis? Christi Domini sententia est : *Quicunque uni ex minimis fecerit, mihi fecerit.* (*Matth.* xxv, 40.) Si forte rex quempiam de populo appellaverit, atque ad servos dixerit : Reddite gratias huic meo nomine quamplures, qui me inopia laborantem nutrivit, qui mihi beneficia in tempore permulta contulit, cum certatim quisque pecunias ejus omnes apprehenderit, cui rex gratias dederit? Si ergo in hominem regem tantum honoris res ipsa tribuit, cogita Christum in illa die ad angelos dicentem : Hic me in terra suscepit hospitio, hic mihi innumera contulit beneficia, hic me peregrinum existentem confovit inducens. Cogita de cætero fiduciam, inter angelorum populus gaudium. Igitur cui testimonium Christus perhibet, non fiduciam super angelos habuerit? Magna igitur res eleemosyna, fratres. Hanc amando faciamus, cui nihil æquale; potens est enim peccata alia delere, judiciumque propulsare. Te tacente, infinita pauperum ora gratias referunt; imo vero minus verbo aut ore necesse est, rebus ipsis clamantibus. Tam adeo exuberans, tamque magnum est eleemosynæ bonum, et ipsi pigritamus et concidimus? Da panem pro posse; non habes panem, da denarium, da vel frigidæ aquæ calicem : atqui neque id habes, vel malis oppresso compatere, atque appensam mercedem habes.

S. Chrysostomus, in hom. *de misericordia et duabus mulieribus viduis.* — Tria sunt, quæ in misericordiæ opere optanda sunt Christiano, ut possit facere, ut velit, ut compleat. Ut possit, id est ut substantia faciendi non desit; ut velit, hoc est voluntas adsit, qua faciat, quia substantia non deest, qua fiat. Tertium est, ut compleat, id est quæ possit et velit, sine dilatione perficiat : his enim tribus opus tantum tamque præclarum impletur. Nam sunt, qui possunt facere, sed nolunt; sunt qui volunt, et non possunt; sunt et qui volunt et possunt, sed differendo non faciunt. Cæterum qui potest facere, oret, ut velit, et qui vult facere, oret, ut possit, et qui in utroque paratus est, det operam, ut misericordiam instanter efficiat, ne, quod vult et potest, differendo non compleat. Est enim misericordia salutis præsidium, fidei ornamentum, propitiatio peccatorum. Hæc est, quæ justos probat, sanctos roborat, Dei cultores ostentat, cujus exercitium lætum efficit Dominum, placatum exhibet Christum, dum cernit subsidiis hujusmodi foveri pauperem, inopem sublevari. Hæc misericordia cum a cunctis impleri præcipitur, tum maxime ab his, qui signati sunt, ut dent quam accipiant, tribuant quam sumant, donent aliis, qua ipsi indigeant.

S. Ambros., *in I Tim.* iv, 8, ea D. Pauli verba exponens : *Pietas ad omnia utilis est*, etc. — Si quis ergo, quia misericordia magna res est, lubricum tamen carnis patiatur, hujusmodi quid fiet? sine dubio vapulabit, quia illud oportuit fieri, et hoc minime prætermitti. Si autem solum corporis habuit exercitium, perennes pœnas patietur, sicut in Evangelio Dominus repromisit. Omnis enim summa disciplinæ nostræ in misericordia et pietate est.

Idem, *in Luc.* iii. — Singulis quoque generibus hominum conveniens tribuit sanctus Baptista Joannes responsum, unum omnibus, ita : Publicanis, ne ultra præscriptum exigant, militibus, ne calumniam faciant, ne prædam requirant. Docens idcirco stipendia constituta militiæ, ne, dum sumptus quæritur, prædo grassetur. Sed hæc et

Digitized by Google

alia officiorum præcepta, propria singulorum misericordiæ communis est usus. Ideo commune præceptum omnibus officiis, omnibus ætatibus necessaria, et ab omnibus deferenda. Non publicanus, non miles excipitur, non agricola vel urbanus, dives et pauper, omnes in commune admonentur, ut conferant non habenti. Misericordia enim plenitudo virtutum est. Et ideo omnibus est proposita perfectæ formæ virtutis, ne vestimentis alimentisque suis parcant. Misericordiæ tamen ipsius pro possibilitate conditionis humanæ mensura servatur, ut non sibi unusquisque latum eripiat, sed quod habet, cum paupere partiatur.

Opera misericordiæ sunt duplicis generis.

S. Augustinus, *De moribus Ecclesiæ catholicæ*, cap. 27. — Homo igitur, ut homini apparet, anima rationalis est, mortali atque terreno utens corpore. Partim ergo corpori, partim vero animæ hominis bene facit, qui hominem diligit. Ad corpus quod pertinet, medicina nominata est, ad animam autem disciplina. Sed medicinam nunc voco, quidquid omnino corporis vel tuetur, vel instaurat salutem. Ad hanc itaque pertinent non ea tantum, quæ ars eorum exhibet, qui proprie medici nominantur, sed etiam cibus et potus, tegmen et tectum, defensio denique omnis atque munitio, qua nostrum corpus adversus etiam externos ictus actusque servatur. Nam et fames et sitis et frigus et æstus, et quidquid extrinsecus graviter infligitur, salutem, de qua nunc agitur, manere non sinunt. Quare illa omnia, quibus hujusmodi malis incommodisve resistitur, qui officiose atque humaniter præbent, misericordes vocantur, etiam si sapientes usque adeo sint, ut jam nullo animi dolore turbentur. Nam quis ignoret, ex eo appellatam esse misericordiam, quod miserum cor faciat condolentis alieno malo? Et quis non concedat, ab omni miseria liberum esse debere sapientem, cum subvenit inopi, cum esurienti cibum præstat, potumque sitienti, cum vestit nudum, cum peregrinum tecto recipit, cum oppressum liberat, cum denique humanitatem suam usque ad sepulturam porrigit mortuorum? Etiamsi id faciat mente tranquilla, nullis aculeis doloris instinctus, sed adductus officio bonitatis, misericors tamen vocandus est. Huic enim nihil obest nomen, cum absit miseria.

Idem, *ibid.*, cap. 28 : Quod autem attinet ad disciplinam, per quam ipsi animo sanitas instauratur, quæ si absit, nihil ad depellendas miserias salus ipsa corporis valet, difficillima omnino res est. Atque ut in corpore dicebamus, aliud esse morbos et vulnera curare, quod pauci homines bene facere possunt, aliud autem, famem sitimque sopire, et cætera in quibus subvenire hominem homini vulgo passimque conceditur, sic in animo sunt quædam, in quibus excellentia illa et rara magisteria non admodum desiderantur, ut cum hortamur et monemus, ut hæc ipsa indigentibus exhibeantur, quæ corpori exhibenda esse diximus. Cum enim hæc facimus, ope corpori, cum autem docemus, ut fiant, disciplina animo subvenimus. Sunt vero alia, quibus multimodi variique morbi animorum magna quadam et prorsus ineffabili ratione sanantur. Hæc tamen disciplina, de qua nunc agimus, quæ animi medicina est, quantum Scripturis ipsis divinis colligi licet, in duo distribuitur, coercitionem et instructionem. Coercitio timore, instructio vero amore perficitur, ejus dico, cui per disciplinam subvenitur; nam qui subvenit, nihil horum duorum habet, nisi amare. Qui ergo diligit proximum, agit, quantum potest, ut sanus corpore, sanusque animo sit. Sed cura corporis ad sanitatem animæ referenda est. Agit ergo his gradibus, quod ad animum pertinet, ut primo timeat, deinde diligat Deum. Hi mores sunt optimi, per quos nobis etiam ipsa provenit, ad quam omni studio rapimur, agnitio veritatis.

Idem, *Enrichid. ad Laurentium*, cap. 72. — Non solum qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro vel incluso visitationem, captivo redemptionem, debili subvectionem, cæco deductionem, tristi consolationem, non sano medicinam, erranti viam, deliberanti consilium, et quod cuique necessarium est indigenti, verum etiam et qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat, et qui emendat verbere, in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, et tamen peccatum ejus, quo ab eo læsus est aut offensus, dimittit ex corde, vel orat, ut ei dimittatur, non solum in eo quod dimittit atque orat, verum etiam in eo quod corripit, et aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat. Multa enim bona præstantur invitis, quando eorum consulitur utilitati, non voluntati, quia ipsi sibi inveniuntur esse inimici, amici vero eorum potius illi, quos inimicos putant, et reddunt errando mala pro bonis, cum reddere mala Christianus non debeat pro malis. Multa itaque sunt genera eleemosynarum; quæ cum facimus, adjuvamur, ut dimittantur nobis nostra peccata.

Idem, serm. 203 *de tempore*. — Multa genera sunt miserationum, quæ cum facimus, adjuvamur, ut dimittantur nobis nostra peccata. Sed ea nihil est majus, qua ex corde dimittimus, quod quisque peccavit.

S. Gregorius, *in Job* xxxi, 16, scribens libro xxi *Moral.* cap. 12. — *Si negavi, quod volebant pauperibus, et oculos viduæ exspectare feci.* Per hæc dicta vir sanctus ostenditur non solum ad inopiam pauperibus, sed etiam ad habendi desiderium deservisse. Sed quid si ipsa vellent pauperes, quæ fortasse accipere non expediret? An quia in Scriptura sacra dici pauperes humiles solent, ea sola æstimanda sunt accipere pauperes, quæ humiles petunt? Et procul dubio oportet ut incunctanter detur, quidquid

Digitized by Google

cum vera humilitate requiritur, id est quod non ex desiderio, sed ex necessitate postulatur. Petentem se viduam exspectare noluit, ut non solum ex munere, sed ex celeritate quoque muneris bonorum operum merita augeret. Unde alias scriptum est : *Ne dicas amico tuo, vade et revertere, et cras dabo tibi, cum statim possis dare.* (*Prov.* III, 28.) Sed nonnulli solent exterius multa largiri : communis autem vitæ gratiam repellentes, habere pauperes socios in domestica conversatione refugiunt. Unde beatus Job ut non solum se insinuet exterius multa præbuisse, sed apud se quosque inopes etiam in domestica conversatione recepisse, protinus adjungit : *Si comedi buccellam meam solus et non comedit pupillus ex ea.* (*Job* XXXI, 17.) Scilicet pietati se præjudicium facere æstimans, si solus comederet, quod Dominus omnium communiter creasset. Quæ profecto communio conversationis esse cum talibus intra domesticos parietes debet, ex quibus æternæ proficiant merita retributionis. Unde sanctus vir non quemlibet, sed ad manducandum, socium pupillum se habuisse perhibet, sed tanta hæc pietatis viscera, utrum a semetipso habuerit, an conditoris sui gratia sit consecutus, innotescit : *Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum.* (*Ibid.* 18) Miseratio etenim et si ejus fuerit arbitrii, ut cum ipso proficeret, liquet tamen, quia ejus arbitrii non fuit, ut cum ipso de utero exiret. Constat ergo quia suæ virtuti nihil tribuit, qui profecto testatur, quia hoc ex Conditoris munere accepit. Bonum igitur quod a Conditore habuisse se intimat, liquet procul dubio, quia ad laudem Conditoris narrat, indicans ab ipso se accepisse, ut pius esset, a quo accepit, ut esset, quia sicut suo opere in utero conditus non fuit, ita nec sua virtute ab utero pius fuit.

S. GREG. XXI *Mor.*, cap. 13. — Quod pauperem non despexit, virtutem humilitatis exhibuit; quod autem operuit, pietatis. Duæ quippe istæ virtutes ita sibimet connexæ esse debent, ut vicario semper opere fulciantur, quatenus nec humilitas, cum veneratur proximum, largitatis gratiam deserat nec pietas, cum largitur, intumescat. Erga indigentiam itaque proximi humilitatem pietas fulciat, humilitas pietatem, ut cum indigentem, rebus necessariis naturæ tuæ consortem videris, nec per impietatem desinas tegere, nec per superbiam negligas venerari, quem tegis. Nam sunt nonnulli, qui mox, ut ab egenis fratribus fuerint necessaria postulati, post dona largituri, in eos prius contumeliosa verba jaculantur. Qui etsi rebus ministerium pietatis perficiunt, verbis tamen gratiam humilitatis perdunt, ita ut plerumque videatur, quia illatæ jam injuriæ satisfactionem solvunt, cum post contumelias dona largiuntur. Nec magni est operis, quod postulata tribuunt, quia ipso donationis suæ munere vix eumdem excessum sermonis regunt. Quibus bene per Ecclesiasticum librum dicitur : *Omni dato non des tristitiam verbi mali.* (*Eccli.* XVIII, 15.) Et rursum : *Adde verbum super datum bonum et utraque cum homine justificato* (*ibid.*, 17), videlicet ut datum exhiberi debeat per pietatem, et bonum verbum tribui per humilitatem. At contra alii egenos fratres non student rebus fulcire, cum possint sed blandis tantum sermonibus fovere. Quos vehementer Jacobi prædicatio sancta reprehendit, dicens : *Si autem frater aut soror nudi sunt, et indigent victu quotidiano dicat autem aliquis ex vobis illis : Ite in pace, calefacimini et saturamini, non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid vobis proderit?* (*Jac.* II, 15.) Quos Joannes quoque apostolus admonet, dicens : *Filioli mei, non diligamus verbo, nec lingua, sed opere et veritate.* (*I Joan.* III, 18.) Dilectio namque nostra semper exhibenda est et veneratione sermonis, et ministerio largitatis.

Idem, *ibid.*, c. 14.—Multum vero ad edomandam dantis superbiam valet si, cum terrena tribuit, verba sollicite magistri cœlestis penset qui ait : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* (*Luc.* XVI, 9.) Si enim eorum amicitiis æterna tabernacula acquirimus, dantes procul dubio pensare debemus, quia patronis potius munera offerimus, quam egenis dona largimur. Hinc per Paulum dicitur : *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.* (*II Cor.* VIII, 14.) Ut videlicet sollicite perpendamus, quia eos, quos nunc inopes cernimus, abundantes quandoque videbimus, et qui abundantes aspicimur, si largiri negligemus, quandoque inopes erimus. Qui itaque nunc temporale subsidium pauperi tribuit, ab eo postmodum perpetua recepturus, ut ita dicam, quasi ad frugem terram excolit, quæ quod acceperit, uberius reddit. Restat ergo, ut nunquam elatio surgat ex munere, quando videlicet dives ex eo, quod pauperi tribuit, agit, ut in perpetuum pauper non sit. Beatus igitur Job, ut diligenter ostenderet, humilitas atque misericordia quanta in eo fuerit, consideratione sociata, ait : *Si despexi prætereuntem, eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem, si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est.* (*Job* XXXI, 19.) Ac si aperte diceret : In amore proximi, uno eodemque ordine et superbiæ vitium, et impietatis premens, prætereuntem quempiam, et humiliter aspiciens non despexi, et misericorditer calefeci. Quisquis enim super eum, cui aliquid tribuit, fastu se elationis extollit, majorem culpam intrinsecus superbiendo peragit, quam extrinsecus largiendo, mercedem, litque ipse bonis interioribus nudus, cum nudum despicit vestiens, eoque agit, ut seipso deterior fiat, quo se indigenti proximo meliorem putat. Minus quippe inops est, qui vestem non habet, quam qui humilitatem. Unde necesse est, ut cum naturæ nostræ consortes exteriora non habere conspicimus, quam multa nobis desint bona interiora, pensemus, quatenus sese super

Digitized by Google

inopes cogitatio nostra non elevet, cum solerter videt, quia nos tanto verius, quanto et interius indigentes sumus. Et quia sunt nonnulli, qui pietatis suæ viscera tendere usque ad incognitos nesciunt, sed solis, quos per assiduitatem notitiæ didicerint, miserentur, apud quos nimirum plus familiaritas, quam natura valet, dum quibusdam necessaria, non quia homines, sed quia noti sunt, largiuntur, bene nunc per beatum Job dicitur : *Si despexi prætereuntem, eo quod non habuerit indumentum.* Ignoto enim proximo misertum se indicat, quem prætereuntem vocat, quia videlicet apud piam mentem plus natura valet, quam notitia. Nam et unusquisque, qui indiget, eo ipso, quo homo est, et jam incognitus non est. Sequitur : *Si levavi super pupillum manum meam etiam cum viderem me in porta superiorem.* Mos apud veteres fuit, ut ad portam seniores sederent, qui certantium jurgia judiciaria examinatione discernerent, quatenus urbem, in qua concorditer oporteret vivere, discordes minime intrarent. Unde et per prophetam Dominus dicit : *Constituite in porta judicium.* (*Amos* v, 15.) Hoc itaque loco quid portæ nomine exprimitur, nisi id quod agebatur in porta? Sicut enim pugnare castra dicimus, pro eo, quod pugnatur ex castris, ita judicium, quod in porta agi consueverat, porta nominatur. In porta ergo se superiorem videt, qui se melioris partis esse in judicio æquitatis merito conspicit. Beatus igitur Job, quia nec tunc contra pupillum manum exercuit, cum se etiam per justitiæ meritum potentiorem vidit, nobis timoris regulam insinuans, dicit : *Si levavi super pupillum manum cum viderem me in porta superiorem.* Ac si patenter dicat : Neque tunc utilitatis meæ negotia virtute contra pupillum exsequi volui, quando me in judicio etiam ex justitia potiorem vidi.

Septem opera misericordiæ, tum corporalia, tum spiritualia.

Clemens Alex., lib. I *Stromat.* in princ. — Jam autem cernitur ipse servator, qui ex redundanti copia, pro ejus, qui accipit viribus, quæ ex exercitatione servis augentur, facultates distribuerat, reversus cum eis rationem ponere, quando iis quidem, qui ejus pecuniam auxerant, qui in modico fuerant fideles, exceptis, eos super multa constituturum pollicitus, in Domini gaudium jussit ingredi; ei autem, qui pecuniam ad fœnerandam creditam occultaverat, et eam ipsam, quam acceperat, absque ullo emolumento reddebat : *Serve*, inquit, *nequam* et ignave, oportebat *te pecuniam meam dare nummulariis, et ego veniens eum recepissem.* (*Matth.* xxv, 27.) Propter hæc servus inutilis *ejicietur in tenebras exteriores. Tu ergo fortis esto*, ait quoque Paulus, *in gratia, quæ est in Christo Jesu et quæ audiisti a me per multos testes, ea committe fidelibus hominibus, qui quidem idonei erunt alios quoque docere.* (*II Tim.* II, 1.) Et rursus : *Stude te ipsum Deo probum exhibere operarium, inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis.* (*Ibid.*) Si ambo ergo verbum prædicant, hic quidem scripto, ille vero voce, quomodo non sunt ambo admittendi, qui effecerunt, ut fides operetur per dilectionem? A culpa autem ejus, qui quod est optimum, non elegit, Deus est prorsus alienus, et minime ejus causa. Jam vero illorum quidem munus est, verbum fœnerari; horum autem, probare, et aut accipere, aut non. Judicium autem in ipsis judicatur. Sed prædicandi quidem scientia, est quodammodo angelica, utrovis modo juvans, seu per manum, seu per linguam operetur, quoniam qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Et paulo post : *Operamini*, inquit Dominus, *non cibum, qui perit, sed qui manet in vitam æternam.* (*Joan.* VI, 27.) Sumitur autem nutrimentum et per cibos, et per verba, et revera beati sunt pacifici, qui eos, in hac vita et errore ab ignoratione oppugnantur, contraria docendo transmovent, et traducunt ad pacem, quæ est in verbo, et vita, quæ est ex Deo, et eos, qui esuriunt justitiam, panis distributione nutriunt.

S. Chrysostom., hom. 3 *in Gen.* — Nihil ita gratum est Deo, et ita curæ, ut animarum salus, sicut clamat Paulus, dicens : *Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* (*I Tim.* II, 4.) Et iterum Deus ipse ait : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat.* (*Ezech.* XVIII, 25.) Et propter hoc etiam creaturam hanc omnem produxit, et nos formavit, non ut pereamus, neque ut suppliciis nos torqueat, sed ut salvet, et ab errore liberatis regno frui nobis concedat. Talem igitur habentes Dominum, tam misericordem, tam benignum, tam mansuetum, cum nostræ, tum fratrum nostrorum salutis curam geramus. Nam et hoc nostræ salutis argumentum erit et occasio, si non solum pro nobis ipsis solliciti, sed et proximo utiles fuerimus, ipsum ad viam veritatis manuducentes. Et ut sciatis, quantum bonum sit, cum salute nostra et alios lucrari, audi prophetam ex persona Dei dicentem : *Qui educit pretiosum a vili, quasi os meum erit.* (*Jer.* XV, 19.) Quid hoc est? Qui ab errore ad veritatem, ait, manuduxerit, vel a peccato ad virtutem proximum induxerit, pro virili humano me imitatur. Etenim ipse, cum Deus sit, propter nihil aliud nostram induit carnem, et alia omnia humana sustinuit, et crucem quoque suscepit, nisi ut nos peccato obnoxios a maledicto liberaret. Et hoc quoque Paulus clamat, dicens : *Christus nos redemit a maledicto legis, factus pro nobis maledictus.* (*Gal.* III, 13.) Si igitur ipse, qui Deus est ineffabilis essentiæ, ob misericordiam ineffabilem hæc omnia propter nos et salutem nostram suscepit, cur non et nos erga fratres justi sumus, agnoscentesque eos, ut membra nostra, et eripientes ex diaboli faucibus, in viam virtutis inducimus? Nam ut anima corpore melior est, ita his, qui indigentibus pecunias et facultates suppediant, majoribus præmiis digni sunt hi, qui admo-

Digitized by Google

nendo et continue docendo, in viam rectam supinos et desides inducunt, monstrando eis divinarum virtutum fragrantiam, et vitiorum malevolentiam. Hæc omnia, cum sciamus, præ omnibus aliis hujus vitæ curis, de salute animarum loquamur proximis, eamdem illis sollicitudinem ingerentes.

S. Chrys., hom. 10 *in Gen.* — Cujus studium est docere proximum, is non tam illi benefacit, quam sibi ipsi magnam mercedem parat, duplicique augetur lucro, dum majorem a Deo retributionem assequitur, et dum fratrem docere aggreditur, docendo interim sibi ipsi memoriam eorum, quæ audivit, renovat. Igitur cogitantes tantum lucrum vestrum, ne invideatis fratribus vestris, sed a vobis discant, quæ nunc a nobis dicuntur.

S. Augustin., lib. I *De Civ. Dei*, cap. 13. — Non ideo tamen condemnanda et abjicienda sunt corpora defunctorum, maximeque justorum atque fidelium, quibus tanquam organis et vasis ad omnia bona opera, sanctus usus est Spiritus. Si enim paterna vestis et annulus, ac si quid hujusmodi, tanto charius est posteris, quanto erga parentes major exstitit affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multo familiarius atque conjunctius, quam quælibet indumenta, gestamus. Hæc enim non ad ornamentum vel adjutorium, quod exhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. Unde et antiquorum justorum funera officiosa pietate curata sunt, exsequiæ celebratæ, et sepultura provisa, ipsique, dum viverent, de sepeliendis vel etiam transferendis suis corporibus filiis mandaverunt. (*Gen.* xxiii, 2 et seq.) Et Tobias sepeliendo mortuos, Deum promeruisse, teste angelo, commendatur. (*Tob.* ii, 7, 9.) Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus, religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat, quod unguentum pretiosum super membra ejus effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit. (*Joan.* xii, 3, 5.) Et laudabiliter commemorantur in Evangelio, qui corpus ejus de cruce acceptum, diligenter atque honorifice tegendum sepeliendumque curarunt. (*Joan.* xix, 40, 41.) Verum istæ auctoritates non hoc admonent, quod insit ullis cadaveribus sensus, sed ad Dei providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem resurrectionis astruendam. Ubi et illud salubriter discitur, quanta possit esse remuneratio pro eleemosynis, quas viventibus et sentientibus exhibemus, si neque hoc apud Deum perit, quod exanimis hominum membris officii diligentiæque persolvitur. Sunt quidem et alia, quæ sancti patriarchæ de corporibus suis vel condendis vel transferendis, prophetico spiritu dicta intelligi voluerunt.

S. Gregorius, hom. 17 *in Evang.* — Pensemus ergo, qui unquam per linguam nostram conversi, qui de perverso suo opere nostra increpatione correpti, pœnitentiam egerunt, quis luxuriam et lustra eruditione deseruit, quis avaritiam, quis superbiam declinavit? Pensemus, quod lucrum Dei fecimus nos, qui accepto talento, ab eo ad negotium missi sumus. Etenim dicit : *Negotiamini, dum venio.* (*Luc.* xix, 13.) Ecce jam venit, ecce de nostro negotio lucrum requirit. Quale ei animarum lucrum de nostra negotiatione monstrabimus? Quot ejus conspectui animarum manipulos de prædicationis nostræ segete illaturi sumus? Ponamus ante oculos nostros illum tantæ districtionis diem, quo judex veniet, et rationem cum servis suis, quibus talenta credidit, ponet. Ecce in majestate terribili, inter angelorum atque archangelorum choros videbitur. In illo tanto examine, electorum omnium et reproborum multitudo deducetur, et unusquisque, quid sit operatus, ostendetur. Ibi Petrus cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus, conversum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas post se Achaiam, ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam, in conspectum sui judicis conversam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes, cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. Cum tot pastores cum gregibus suis ante æterni pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus, qui pastorum nomen habuimus, et quos ex nutrimento nostro debeamus ostendere, non habemus? Hic pastores vocati sumus, et ibi gregem non ducimus.

S. Bernardus, serm. 36 *in Cant.* — Videar forsan nimius in suggillatione scientiæ, et quasi reprehendere doctos, ac prohibere studia litterarum. Absit! Non ignoro, quantum Ecclesiæ profuerint et prosint litterati sui, sive ad refellendos eos, qui ex adverso sunt, sive ad simplices instruendos. Denique legi : *Quia tu repulisti scientiam, repellam et ego te, ut non funguris mihi sacerdotio.* (*Osee* iv, 6.) Legi : *Qui docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* (*Dan.* xxii, 3.) Et paulo post : Est autem (quod in se est) omnis scientia bona, quæ tamen veritate subnixa sit, sed tu, qui cum timore et tremore tuam ipsius operari salutem pro temporis brevitate festinas, ea scire prius ampliusve curato, quæ senseris viciniora saluti. Nonne medici corporum, medicinæ portionem diffiniunt, eligere in sumendis cibis quid prius, quid posterius, et quemadmodum quidque sumi oporteat? Nam etsi bonos constat esse cibos, quos Deus creavit, tu tamen ipsos tibi, si in sumendo modum et ordinem non observes, reddis plane non bonos. Ergo quod dico de cibis, hoc sentite et de scientiis. Sed melius mitto vos ad magistrum. Non est enim nostra ista sententia, sed illius, imo et nostra, quoniam veritatis. *Qui se, inquit, putat aliquid scire, nondum scit, quomodo oporteat scire.* (*I Cor.* viii, 2.) Vides, quoniam non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit? Vi-

Digitized by Google

des, inquam, quomodo fructum et utilitatem scientiæ in modo sciendi constituit? Quid ergo dicit modum sciendi? Quid, nisi ut scias, quo ordine, quo studio, quo fine quæque nosse oporteat? Quo ordine? ut id prius, quod maturius ad salutem. Quo studio? ut id ardentius, quod vehementius ad amorem. Quo fine? ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad ædificationem tuam vel proximi. Sunt namque, qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant, et turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi, et turpis vanitas est. Qui profecto non evadent subsannantem satyricum, et ei, qui ejusmodi est, decantantem :

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.
PERSIUS., *Satyr.* I.

Et sunt item, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causa, pro pecunia, pro honoribus, et turpis quæstus est. Sed sunt quoque, qui scire volunt, ut ædificent, et charitas est. Et item, qui scire volunt, ut ædificentur, et prudentia est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut benefaciant. Denique *intellectus bonus omnibus facientibus eum.* (*Psal.* CX, 10.) Reliqui omnes audiant : *Scienti bonum et non facienti, peccatum est ei.* (*Jac.* IV, 17.) Ac si per similitudinem dicat : Sumenti cibum, et non digerenti, perniciosum est ei. Cibus siquidem indigestus, et qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, et corrumpit corpus, et non nutrit. Ita et multa scientia ingesta stomacho animæ, quæ est memoria, si decocta igne charitatis non fuerit, et sic per quosdam artus animæ, mores scilicet atque actus, transfusa aque digesta, quatenus ipsa de bonis, quæ noverit, vita attestante et moribus, bona efficiatur : Nonne illa scientia reputabitur in peccatum, tanquam cibus conversus in pravos noxiosque humores? Et initio sermonis 37 : Non tamen dico contemnendam aut negligendam scientiam litterarum, quæ ornat animam, et erudit eam, et facit, ut possit etiam alios erudire. Sed duo illa (nosse Deum et seipsum) oportet et expedit, ut præcedant, in quibus summa salutis constituitur.

Maxime notanda in operibus misericordiæ corporalibus.

S. AMBROS., serm. 18, qui est idem cum hom. 6 Basilii, in ditescentes avaros. — Quod si difficile tibi putas, o homo, magnificentiam divinæ largitionis imitari, imitare terram; si levare sursum oculos non potes, saltem ea, quæ deorsum sunt, et in pedibus tuis, intuere. Affer tu fructum sicut terra; noli esse deterior insensibili elemento. Illa enim fructus, quos affert, non suis usibus vindicat, sed suis ministrat obsequiis. Tu vero fructus illius solus invadis, et tibi soli concludis. Quod si tantum aviditatis te morbus astringit, ut tua velis facere omnia, accipe et ad hoc salutare remedium : Beneficium largientis, præbenti magis permanet, quam suscipienti. Nam misericordia quidem ad indigentem pervenit, gratia autem multiplicatæ mercedis permanet tribuenti. Esurienti dedisti panem; ille quidem pastus est et refectus, sed ad te redit, quod dedisti, cum fructibus et usuris. Quod si difficile putas, considera frumentum, quod seminatur in terra, si non ad seminantis potius, quam ad suscipientis, lucra cedit, ita etiam, dum cibus tribuitur indigentibus, cum multo fenore divinæ gratiæ restituetur in posterum. Sit ergo tibi finis agriculturæ hujus initium cœlestium sationum. *Seminate enim*, inquit, *vobis ad justitiam.* (*Ose.* X, 12.) Quid ergo afflictaris? quid temetipsum excrucias, luto et lateribus concludens humanæ vitæ subsidia? Scriptum non legis : *Melius est nomen bonum super divitias multas?* (*Prov.* XII, 1.) Si ergo et tu gloriam ex divitiis quæris, cognosce quia melius est mille filiorum, quos per misericordiam filios acquisieris, patrem vocari, quam mille aureorum dominum dici. Facultates namque relinquentur hic, etiam si nolumus; bonorum vero operum conscientia nobiscum pariter pergit ad Deum. Et considera, quanta tibi tum erit gloria, cum te omnis ille populus, qui ex promptuariis tuis pastus est et refectus, pro tribunali, magni illius et justissimi judicis caterva constipante circumdabit, pastorem te suum, ac tutorem pium, et misericordem patrem omni gratiarum voce testabitur. Quod si magistratus in theatris mimis et athletis et gladiatoribus, aliisque hujusmodi generibus hominum totum pene patrimonium suum largitur ac prodigit, ut unius horæ favorem, vulgi nimirum, acquirat, nihil sibi ulterius profuturum, tu dubitas et cunctaris munificus esse in hujusmodi largitionibus, in quibus judex residet Deus, faventium et acclamantium vulgus est angeli, ubi omnes qui a sæculo fuerunt sancti, laudatores et prædicatores tui sunt; ubi laus et favor non simul cum die cessat; sed cum sæculis permanet, ubi corona tibi non auri, sed justitiæ dabitur, ubi non honores unius urbis, sed cœlorum regna mereberis? Et hæc omnia acquiruntur, per misericordias pauperum, per dispensationes indigentium, in quibus cibi corruptibilis pretio, incorruptibilem regni cœlorum gloriam æternamque mercaris. Et post panca : Sicut ii, qui per insaniam mente translati sunt, non jam res ipsas, sed passionis suæ phantasias vident, ita etiam mens avari semel vinculis cupiditatis astricta, semper aurum, semper argentum videt, semper reditus computat. Gratius aurum intuetur, quam solem videt. Ipsa ejus oratio et supplicatio ad Dominum, aurum quærit, et vellet atque optaret, ut omnia ei in aurum converterentur. Vos autem fratres, si mihi auscultatis, reserate aditus promptuariorum vestrorum, et largior divitiis vestris atque fluentior exitus procuretur, quam dudum fuerat quæsitus ingressus, tanquam affluentissimus fluvius ad segetes rigandas multis derivationibus

Digitized by Google

trahitur per omnem terram misericordiæ affluentia. An nescitis; quia puteorum aqua, si frequentius hauriatur, et salubrior efficitur, et abundantior, quod si otiosa remanserit et immobilis, inutilior et corruptior sit, si moveatur et operetur, communem omnibus et utilem proferet fructum? Mete ergo uberes pecuniæ tuæ fructus, orationes dico pauperum, intercessionemque sanctorum, qui pro te, officiorum tuorum memores apud justum judicem Deum dignis operum tuorum allegationibus postulent. Caveamus exemplum divitis istius, qui dum præsentes divitias concludit, et de futuris sollicitudinem gerit, divitiis pariter abreptus et vita, protrahitur ad tribunal horriticum, in quo accusatrix quidem hujus assistit ipsa illa, quæ et totius vitæ ejus comes exstitit, avaritia, defensor vero et intercessor nusquam ullus apparet. (*Luc.* XII, 16.) Circumspectat namque sanctorum multitudinem divinis tribunalibus assistentem, et intentis ac sollicitis oculis circumlustrat, si quem forte videat charum sibi ac familiarem in hac vita obsequio suo factum, nec usquam tamen ullum invenit. (*Luc.* VII, 2.) Nullus est, qui dicat: *Domine, dignus est, cui ignoscas; dilexit enim gentem nostram et Ecclesiam ipse ædificavit.* (*Act.* IX, 39) Nullæ viduæ, quæ procedentes et flentes rogent Petrum, ostendentes vestimenta sua, quæ eis largitus est dives. Nullus ergo miserebitur ei, qui non est misertus. Scriptum est enim: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* (*Matth.* V, 7.) Et iterum: *Date, et dabitur vobis.* Et: *Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis.* (*Luc.* VI, 38.)

Et paulo post: Non oportebat te gratias agere Deo, exsultare, et lætari, quod non ipse mendicans alienas circuis fores, sed alii ante tuas januas sedent, a te misericordiam postulantes? Tu vero difficilis es ad præbendum, contristaris ac declinas, ne quis tibi paulo molestior, cogente necessitate paupertatis, existat, quasi non potuisset fieri, ut esses unus ex iis, qui ante januam tuam fame perditi jacent, et tu quidem satis digne. Nam volo, mente, ac proposito pauper es, et totius boni egenus. Cum enim non habes charitatem, cum tibi desit humanitas, desit fides, desit spes in Deo, cum tibi desit misericordia, quid te egestuosus! quidve mendicius? Pars tua cum tineis et muribus horreorum tuorum rosoribus erit. Qui utique, si talia non videres, si non corrumpi ea cerneres et consumi, quis tibi suadere posset aliquid inde largiri? Sed ais: Quid injustum est, si cum aliena non invadam, propria diligentius servo? O impudens dictum, propria dicis? quæ? ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti? Quando in hanc ingressus es lucem, quando de ventre matris existi, quibus, quæso, facultatibus, quibusque subsidiis stipatus ingressus es? Adventum tuum in hunc mundum disce ab apostolo Paulo, dicente: *Nihil enim intulimus in hunc mundum, sed nec auferre quidem, quid possumus; habentes autem victum et vestitum, his contenti simus.* (*I Tim.* VI, 7) Terra communiter omnibus hominibus data est, proprium nemo dicat, quod e communi plus, quam sufficeret, sumptum, et violenter obtentum est. Verumtamen nudus ex ventre matris existi; nudus nihilominus reverteris in terram. (*Job* I, 21.) Et si quidem terræ elementum putas fortuito substitisse, impius es, qui ignoras conditorem Deum; si vero agnoscis beneficium largitoris, gratus esto Creatori, et require apud temetipsum rationem, cur plus tibi, quam cæteris præstitit. Nunquid iniquus est Deus, ut nobis non æqualiter distribuat vitæ subsidia, et tu quidem esses affluens et abundans, aliis vero deesset, et egerent? An idcirco magis, quia et tibi voluit benignitatis suæ experimenta conferre, et alium per virtutem patientiæ coronare; tu vero susceptis Dei muneribus, etsi in sinum tuum redactis, nihil te putas agere iniquum, si tam multorum vitæ subsidia solus obtineas? Quis enim tam injustus, tam avidus, tam avarus, quam qui multorum alimenta, suum non usum, sed abundantiam et delicias facit? Neque enim minus est criminis, habenti tollere, quam cum possis et abundes, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines; nudorum indumentum est, quod tu recludis; miserorum redemptio est et absolutio, pecunia, quam tu in terra defodis. Tot ergo scias invadere bona, quot possis præstare, quod velis.

S. Ambros., *apud Gratianum*, dist. 86. — Pasce fame morientem; quisquis enim pascendo hominem servare poteris, si non pascas, fame occidisti.

Idem, lib. I *Officior.*, cap. 30. — Sed jam de beneficentia loquamur, quæ dividitur etiam ipsa in benevolentiam et liberalitatem. Ex his igitur duobus constat beneficentia, ut sit perfecta. Non enim satis est bene velle, sed etiam benefacere. Nec satis est iterum benefacere, nisi id ex bono fonte, hoc est, ex bona voluntate proficiscatur. Hilarem enim datorem diligit Deus. Nam si invitus facis, quæ tibi merces est? Unde apostolus generaliter inquit: *Si volens hoc ago, mercedem habeo, si invitus, dispensatio mihi credita est.* (*I Cor.* IX, 17.) In Evangelio quoque multas disciplinas accepimus justæ liberalitatis. Pulchrum est igitur bene velle, et eo largiri consilio, ut prosis, non ut noceas. Nam si luxurioso ad luxuriæ effusionem, adultero ad mercedem adulterii largiendum putes, non est beneficentia ista, ubi nulla est benevolentia. Officere enim istud est, non prodesse alteri, si largiaris ei, qui conspiret adversus patriam, qui congregare cupiat tuo sumptu perditos, qui impugnent Ecclesiam. Non est probabilis liberalitas, si adjuves eum, qui adversus viduam et pupillos gravi decernit jurgio, aut vi aliqua possessiones eorum eripere conatur. Non probatur largitas, si quod alteri largitur, alteri quis extorqueat, si injuste quærat, et juste dispensandum putet, nisi forte, ut ille Zachæus, reddas quadruplum prius ei, quem

Digitized by Google

fraudaveris, et gentilitatis vitia, fidei studio et credentis operatione compenses. Fundamentum igitur habeat liberalitas tua. Hoc primum quæritur, ut cum fide conferas, fraudem non facias oblatis, ne dicas te plus conferre, et minus conferas. Quid enim opus est dicere? Fraus promissi est, in tua potestate est largiri, quod velis. Fraus fundamentum solvit, et opus corruit. Nunquid Petrus ita indignatione efferbuit, ut Ananiam exstingui vellet, vel uxorem ejus? Sed exemplo eorum noluit perire cæteros. Nec illa perfecta est liberalitas, si jactantiæ causa magis, quam misericordiæ, largiaris. Affectus tuus nomen imponit operi tuo. Quomodo a te proficiscitur, sic æstimatur. Vides, quam moralem judicem habeas? Te consulit, quomodo opus tuum suscipiat, mentem tuam prius interrogat : *Nesciat*, inquit, *sinistra tua, quid faciat dextera.* (*Matth.* VI, 3.) Non de corpore loquitur, sed etiam unanimus tuus, frater tuus, quod facis, nesciat, ne, dum hic quæris mercedem jactantiæ, illic remunerationis fructum amittas. Perfecta autem est liberalitas, ubi silentio quis tegit opus suum, et necessitatibus singulorum occulte subvenit, quem laudat os pauperis, et non labia sua. Deinde perfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore commodatur, ut primum opereris circa domesticos fidei. Grandis culpa, si sciente te fidelis egeat, si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, ærumnam perpeti, qui præsertim egere erubescat, si in causam ceciderit, aut captivitatis suorum, aut calumniæ, et non adjuves, si sit in carcere, et pœnis et suppliciis propter debitum aliquod justus excrucietur (nam etsi omnibus debetur misericordia, tamen justo amplius); si tempore afflictionis suæ nihil a te impetret, si tempore periculi, quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia tua valeat, quam vita moriturus. De quo pulchre Job dixit : *Benedictio perituri in me veniebat.* (*Job* XXIX, 13.) Personarum quidem Deus acceptor non est, quia novit omnia. Nos autem omnibus quidem debemus misericordiam. Sed quia plerique fraude eam quærunt, et fingunt ærumnam, ideo ubi causa manifestatur, persona cognoscitur, tempus urget, largius se debet profundere misericordia. Non enim avarus Dominus est, ut plurimum quærat. Beatus quidem qui dimittit omnia, et sequitur eum. Sed et ille beatus, qui quod habet, ex affectu facit. Denique duo æra viduæ illius, divitum muneribus prætulit, quia totum illa, quod habuit, contulit; illi autem ex abundanti partem exiguam contulerunt. (*Luc.* XXI, 3, 4; *Marc.* XII, 43, 44.) Affectus igitur divitem collationem aut pauperem facit, et pretium rebus imponit. Cæterum Deus non vult simul effundi opes, sed dispensari; nisi forte ut Elisæus, qui boves suos occidit, et pavit pauperes ex eo, quod habuit ut nulla cura teneretur domestica, sed relictis omnibus, in disciplinam se prophetica daret. (III *Reg.* XIX, 19.) Est etiam illa probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius est enim, ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deposcere, aut alicui postulare subsidium necessitati, non tamen ut illi ditiores eo fieri velint, quod tu potes conferre inopibus. Causa enim præstat, non gratia. Neque enim propterea te Domino dicasti, ut tuos divites facias, sed ut vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, et pretio miserationis peccata redimas tua. Putant se parum poscere? pretium tuum quærunt; vitæ tuæ fructum adimere contendunt. Et accusat, quod eum divitem non feceris, cum te illo velit æternæ vitæ fraudare mercede. » Et post quædam : « Consideranda etiam in largiendo ætas atque debilitas, nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales, ut senibus plus largiaris, qui sibi labore jam non queunt victum quærere. Similiter et debilitas corporis, et hæc juvanda promptius. Tum si quis ex divitiis cecidit in egestatem, et maxime si non vitio suo, sed aut latrociniis, aut proscriptione, aut calumniis, quæ habebat, amisit. Sed forte dicat aliquis : Cæcus uno loco sedet et præteritur, et juvenis validus frequenter accipit. Verum est, quia obrepit propter importunitatem. Non est illud judicii, sed tædii. Nam et Dominus ait in Evangelio, de eo qui jam clauserat ostium suum, si quis ostium ejus procacius pulset, quia surgit et dat illi propter importunitatem. » (*Luc.* XI, 7 et seq.)

S. Ambros., lib. II *Officior.* cap. 21.—« Adjuvat hoc quoque ad profectum bonæ existimationis si de potentis manibus eripias inopem, de morte damnatum eruas, quantum sine perturbatione fieri potest, ne videamur jactantiæ magis causa facere, quam misericordiæ, et graviora inferre vulnera, dum levioribus mederi desideramus. Jam si oppressum opibus potentis, et factione magis quam sceleris sui pretio gravatum liberaveris egregiæ convalescit opinionis testimonium. Commendat plerosque etiam hospitalitas. Est enim publica species humanitatis, ut peregrinus hospitio non egeat; suscipiatur officiose, pateat advenienti janua. In officiis autem hospitalibus omnibus quidem humanitas impartienda est, justis autem uberior deferenda honorificentia. Quicunque enim justum receperit in nomine justi mercedem accipiet, ut Dominus pronuntiavit. (*Matth.* X, 41.) Tanta autem est apud Deum hospitalitatis gratia, ut ne potus quidem aquæ frigidæ a præmiis remuneratibnis immunis sit. Vides, quia Abraham Deum recepit hospitio, dum hospites quærit? Vides, quia Loth angelos suscepit? Qui scis, an et tu, cum suscipis hospitem, susciptas Christum? Licet in hospite sit Christus, qui Christus in paupere est, sicut ipse ait : *In carcere eram, et venistis ad me; hudus eram, et operuistis me.* (*Matth.*, XXV, 36.) Suave est igitur non pecuniæ, sed gratiæ studere. » Et post pauca : « Pulchra liberalitas, erga ipsos quoque pauperes mensuram tenere, ut abundes pluribus, non conciliandi favoris gratia ultra

Digitized by Google

modum fluere. Quidquid ex affectu puro ac sincero promitur, hoc est decorum : non superfluas ædificationes aggredi, nec prætermittere necessarias. Et maxime sacerdoti hoc convenit, ornare Dei templum, » etc.

S. Ambros., l. II, *Offic.* c. 25.—Quid autem tibi prodest favere diviti? An quia citius amantem remuneret? His enim favemus frequentius, a quibus referendæ vicem speramus gratiæ. Sed eo magis infirmo et inopi nos studere convenit, quia pro eo, qui non habet, remunerationem speramus a Domino Jesu, qui sub specie convivii generalem virtutis edidit formam; ut his potius nostra conferamus beneficia, qui nobis ea non possunt repræsentare, dicens, ad convivium atque epulas, non eos, qui divites sunt, sed pauperes invitandos (*Luc.* XIV, 12.) Divites enim rogari videntur, ut ipsi quoque nobis reddant convivium. Pauperes (quia non habent, quod restituant) cum acceperint, remuneratorem nobis faciunt Dominum, qui se pro paupere obligandum obtulit. Ad ipsum quoque sæculi usum, collatio beneficii facta in pauperes, magis quam in locupletes, plus juvat, quia dives dedignatur beneficium, et pudet eum debitorem esse gratiæ. Quinetiam id, quod collatum est sibi, meritis suis arrogat, quod vel ut debitum acceperit, vel ideo datum sit, eo quod is, qui dedit, reddendum sibi a divite uberius existimaverit. Ita in accipiendo beneficio, eo ipso quod acceperint divites, dedisse se magis quam accepisse existimant. Pauper vero etsi non habeat, unde reddat pecuniam, refert gratiam In quo certum est, quod plus reddat, quam acceperit. Pecunia enim nummo solvitur, gratia nunquam exinanitur. Reddendo vacuatur pecunia, gratia autem et habendo solvitur, et solvendo retinetur. Deinde quod dives refugit, pauper fatetur, quod sit obligatus debito, sibique subventum, non honori suo delatum, putat, donatos sibi arbitratur filios, vitam redditam, servatam familiam. Quanto igitur melius, apud bonos, quam apud ingratos, locare beneficium? Unde Dominus ad discipulos ait : *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam* (*Matth.* XL, 9), qua velut falce pullulantem in pectoribus humanis succidit avaritiam. Petrus quoque claudo (qui ex utero matris suæ portabatur) ait : *Argentum et aurum non habeo, sed quod habeo, do tibi. In nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula.* (*Act.* III, 5) Itaque pecuniam non dedit, sanitatem dedit. Quanto melius est, salutem habere sine pecunia, quam pecuniam sine salute? Surrexit claudus, quod non sperabat, pecuniam non accepit, quam sperabat. Sed hæc vix in sanctis Domini reperiuntur, ut divitiæ contemptui sint.

Idem, lib. III *Officiorum*, cap. 6.—Non vincat honestatem utilitas, sed honestas utilitatem. Hanc dico utilitatem, quæ æstimatur secundum vulgi opinionem. Mortificetur avaritia, moriatur concupiscentia. Sanctus in negotiationem introisse se negat, quia pretiorum captare incrementa, non simplicitatis, sed versutiæ est. Et alius ait : *Captans pretia frumenti, maledictus in plebe est.* (*Prov.* XI, 26.) Et post pauca : Cur ad fraudem convertis naturæ industriam et indulgentiam? Cur invides usibus hominum publicos partus? Cur populis minuis abundantiam? Cur affectas inopiam? Cur optari facis a pauperibus sterilitatem? Cum enim non sentiant beneficia fœcunditatis, te auctionante pretium, te condente frumentum, optant potius nihil nasci, quam te de fame publica negotiari. Ambis frumentorum indigentiam, alimentorum penuriam, uberes soli partus ingemiscis, fles publicam fertilitatem, horrea frugum plena deploras, exploras, quando sterilior proventus sit, quando exilior partus, votis tuis gaudes arrisisse maledictum, ut nihil usquam nasceretur. Tunc messem tuam venisse lætaris, tunc tibi de omnium miseria congeris opes, et hanc tu industriam vocas, hanc diligentiam nominas, quæ calliditatis versutia, quæ astutia fraudis est; et hoc tu remedium vocas, quod est commentum nequitiæ. Latrocinium hoc, an fœnus appellem? Captantur tanquam latrocinii tempora, quibus in viscera hominum durus insidiator obrepas. Augetur pretium tanquam sorte cumulatum fœneris, quo periculum capitis acervatur. Tibi conditæ frugis multiplicatur usura, tu frumentum quasi fœnerator occultas, quasi venditor auctionaris. Quid imprecaris male omnibus; quia major futura sit fames, quasi nihil frugum supersit, quasi infecundior annus sequatur? Lucrum tuum, damnum publicum est. Joseph sanctus omnibus aperuit horrea, non clausit, nec pretia captavit annonæ, sed perenne subsidium collocavit; nihil sibi acquisivit, sed quemadmodum fames etiam in posterum vinceretur, provida ordinatione disposuit. Legisti, quemadmodum hunc frumentarii pretii captatorem exponat in Evangelio Dominus Jesus, cujus possessio divites fructus attulit, et ille quasi egens dicebat : *Quid faciam? non habeo, quo congregem. Destruam horrea mea et majora faciam* (*Luc.* XII, 17), cum scire non posset, utrum sequenti nocte anima sua ab eo repeteretur. Nesciebat, quid faceret, quasi ei alimenta deessent, hærebat ambiguo. Non capiebant horrea annonam, et ille se egere credebat. Recte igitur Salomon : *Qui continet*, inquit, *frumentum, relinquet illud nationibus* (*Prov.* XI, 26), non hæredibus, quoniam avaritiæ emolumentum ad successorum jura non pervenit. Quod non legitime acquiritur, quasi ventis quibusdam ita extraneis diripientibus dissipatur. Et addidit : Captans annonam, maledictus in plebe est; benedictio autem in capite ejus qui participat. Vides ergo, quod largitorem frumenti esse deceat, non pretii captatorem. Non est igitur ista utilitas, in qua plus honestati detrahitur, quam utilitati adjungitur.

Idem, *ibid.*, c. 7. — Sed et illi, qui peregrinos urbe prohibent, nequaquam probandi : expellere eo tempore, quo deberent juvare, separare a commerciis communis parentis, fusos omnibus partus negare,

Digitized by Google

inita jam consortia vivendi averruncare, cum quibus fuerint communia jura, cum his nolle in tempore necessitatis subsidia partiri? Feræ non expellunt feras, et homo excludit hominem? Feræ ac bestiæ communem putant omnibus victum, quem terra ministrat. Illæ etiam conformem sui generis adjuvant: homo impugnat, qui nihil a se alienum debet credere, quidquid humani est. Quanto ille rectius, qui cum jam provecta processisset ætate, et famem toleraret civitas, atque (ut in talibus solet) peterent vulgo, ut peregrini urbe prohiberentur, præfecturæ urbanæ curam cæteris majorem sustinens, convocavit honoratos, et locupletiores viros poposcit, ut in medium consulerent, dicens: Quam immane esset peregrinos ejici, quam hominem exueret, qui cibum morienti negaret. Canes ante mensam impastos esse non patimur, et homines extrudimus? Quam inutile quoque tot populos mundo perire, quos dira conficeret tabes, quantos urbi suæ perire, qui solerent adjumento esse, vel in conferendis subsidiis, vel in celebrandis commerciis, neminem fame aliena juvari, protrahere ut plurimum diem posse, non inopiam repellere, imo tot cultoribus exstinctis, tot agricolis occidentibus, occasura in perpetuum subsidia frumentaria. Hos igitur excludimus, qui victum nobis inferre consueverunt? Hos nolumus in tempore necessitatis pascere, qui nos omni ætate paverunt? Quanta sunt, quæ ab ipsis nobis hoc ipso tempore ministrantur? *Non in solo pane vivit homo.* (*Matth.* IV, 4.) Nostra illic familia, plerique etiam nostri parentes sunt. Reddamus, quod accepimus. Sed veremur, ne cumulemus inopiam. Primum omnium misericordia nunquam destituitur, sed adjuvatur. Deinde subsidia annonæ, quæ his impartienda sunt, collatione redimamus, reparemus auro. Nunquid his deficientibus, non alii nobis redimendi cultores videntur? Quanto vilius est pascere, quam emere, cultores? Ubi etiam reparas? Ubi invenias quam reformes? Adde: si invenias quem ignarum, et alieni usus, numero possis substituere, non cultui. Quid plura? Collato auro, coacta frumenta sunt. Ita nec abundantiam urbis minuit, et peregrinis alimoniam subministravit. Quantæ hoc commendationis apud Deum fuit sanctissimo seni? Quantæ apud homines gloriæ? Hic magnus vere probatus, qui vere potuit imperatori dicere demonstrans provinciæ totius populos: Hos tibi omnes reservavi, hi vivunt beneficio tui senatus, hos tua curia jam morti abstulit.

S. Gregorius Nazianzenus, in oratione de funere patris: Quis pauperibus, hoc est, naturæ pari honore præditæ, contemptissimæ patri vel animo condolentior, vel manu liberalior ac munificentior? Sic enim haud dubie quasi alienorum bonorum procurator de bonis suis existimabat, pauperum inopiam, quantum poterat, sublevans, nec superflua duntaxat, sed necessaria quoque in eam rem insumens, (id quod hominis amicissime erga pauperes affecti clarissimum est argumentum), partemque dans, non septenam duntaxat, sicut Salomonis lex ferebat, sed ne octavo quidem accedente, sordidi tamen parcique animi specimen ullum edens, verum libentius sua profundens, quam alii amplificent, vinculum et electionem tollens, hoc est, ut quidem interpretor, illiberalitatem, atque ejus, qui stipem accepturus est, explorationem, sitne videlicet ea dignus, an indignus, nec murmuris verbum cum largitione conjungens. Quo vitio plerique laborant, qui quamvis largiantur, nequaquam tamen prompte et libenter tribuunt; quod quidem erogatione ipsa majus est et excellentius. Multo enim præstat, ob eos, qui opem merentur, immerentibus quoque porrigere, quam dum metuimus, ne in indignos beneficium conferamus, dignis etiam misericordiæ officia denegare. Atque eo pertinere videtur, quod Scriptura inquit, panem in aquam quoque mittendum esse, utpote nec defluxurum, nec periturum apud justum harum rerum ponderatorem, sed eo perventurum, ubi omnia nostra collocabuntur, ac tempestive occurrent, utcunque aliter existimemus.

S. Chrysostomus, hom. *De misericordia et duabus viduis*, quæst. 13, auctorit. 8. — Nullus miser est, nisi qui misereri noluerit, quia nec quisquam misereri desiderans, poterit non habere, quod tribuat, nullus petentem pauperem poterit inanem relinquere, nisi qui ei noluerit commodare. Non enim misericordiæ definita sunt pretia, aut nisi quis multum dederit, acceptabile esse, quod datur, non poterit, et inopes tantum a quoquam exposcunt, quantum, qui poscuntur, dare non possunt, aut ex modico multum, aut de exiguo plurimum dare quispiam cogitur, cum libenter ex modico modicum attributum divina pietas gratulëtur. Dominus divitum et viduæ operationes expendens, non quantum quisque obtulerit; sed quanto quis fecerit, singulorum animos et facultates ostendit, et viduam in opere perfecto laudavit. Certabat enim animo cum divitibus vidua, cum locupletibus pauper, mediocris cum opulentissimis, fide ac devotione certabat, sed vincit animo, devotione superat, denique invenitur potior, melior conspicitur, major omnibus a judice pronuntiatur. Amen, inquit, dico vobis, vidua ista plus omnibus fecit. (*Luc.* XII, 43.) Provocaris, Christiane, provocaris, et a vidua in certamen deduceris.

Idem, hom. 30 *in I Cor.* — Mendicis quid esse vilius potest? Sed illi tamen ipsi, usum Ecclesiæ, templorum foribus admoti, pulcherrimum quemdam, et ornamentum maximum præstant, ut his sine plenitudo Ecclesiæ perfecta esse non possit. (*Act.* VI, 1.) Quod et Apostoli principio statim intelligentes, ut cætera quidem omnia, ita isthuc quoque viduæ ut essent, præclare constituerunt, tantam in ea re diligentiam collocantes, ut illis ministros septem præficerent. Neque vero mendicus quisquam ferro manuve admotis sic accurate putrida vulnera secat, ut pauper egena manu porrecta

Digitized by Google

stipem flagitando vulnerum cicatrices tollit. Et quod mirum, citra dolorem, citra suspirium pulcherrimam conferunt medicinam. Neque minus ille, per silentium, soloque conspectu, pro templi foribus mendicus sedens, suadendo potest, quam, qui populum moderamur, et pro concione quotidie declamamus. Quid enim aliud nos vobis inculcamus quotidie docendo, nisi ut ne altum sapias, o homo? Res est subito inclinans, et omnigenis casibus quam maxime obnoxia hominum natura, ad senectam juventus festinat, dilabitur gratia in deformitatem, ad imbecillitatem robur decrescit, sanitas in languorem deficit, in contemptum gloria, divitiæ in penuriam, honor in despectum abit, præcipiti flumini nec usquam consistenti, sed ad prona continuo et per omnia ruenti, nostra similia sunt. Hæc et his plura mendicus ille, non verbis et oratione ad hoc concinnata, sed reipsa et vero vultu (quod genus hortationis potentissimum est) assidue contestatur.

S. Chrysostomus, hom. 21 *in Epist. ad Romanos.* — Ne scrutemur pauperes curiose. Quam multi divites erant temporibus prophetæ Elisæi, et tamen sola Sunamitis hospitalitatis fructum vindemiavit. (*IV Reg.* IV, 1.) Quemadmodum et Abraham suo tempore largiter ac prompte fecit. Et profecto potissimum est, quod quis admiretur, quod ista fecerit, cum ignoraret, qui essent, qui advenerant peregrini. Itaque neque tu pauperes curiose inquiras. Propter Christum enim illos suscipis. Quod si perpetuo curiose scrutaturus es pauperes, fiet, ut sæpenumero probatum coram Deo virum prætergrediare, mercedemque quam ex eo habiturus eras, perdat. Atqui etiam is, qui reprobum recipit sine culpa erit, imo et mercedem habebit. *Prophetam enim in nomine prophetæ recipiens, mercedem prophetæ accipiet* (*Matth.* X, 41), qui vero intempestiva sua curiositate præcipuum quemquam neglexerit, pœnas etiam dabit. Ne scruteris igitur curiose pauperum vitam atque negotia; nam extremæ illud insolentiæ est, pro uno pane totam hominis miseri vitam curiose inquirere. Nam etiam si homicida, si latro, aut aliud hujusmodi fuerit, an non videtur tibi vel pane, vel modico argento dignus? Et tamen Dominus tuus solem suum illi producit; tu vero quotidiano cibo indignum judicas? Dominus tuus diligit, labiisque osculando excipit eum, qui statim sanguinem illum suum pretiosum fusurus erat; tu vero pauperem neque plane dignaris, neque legem, quam Christus dedit, revereris? Per hæc enim, quæ recensui, satis ostendit, quod non solum pauperes, sed et eos, qui nos ad mortem usque impellunt, adversari non oporteat. Ne dicas igitur mihi, quod vel hoc, vel illud operatus sit mali, sed perpende, quid Christus fecerit, qui ad crucem usque proditorem suum osculo, quo tradendus erat, emendare studebat. Et in fine: Non succurris paupertati? Quid et conteris? Non erigis jacentem? ut quid et dejicis? Non tollis pauperis tristitiam? Quid et auges? Non das pecuniam? Cur verbis etiam conviciaris? Non audisti, quantam daturi sint pœnam qui pauperes non pascunt? Quibus supplicii s condemnandi sint? *Ite*, inquit, *in ignem præparatum diabolo et angelis illius.* (*Matth.* XXV, 42.) Si ergo non pascentes ita condemnabuntur, quam putas pœnam dabunt, qui non solum non pascunt, sed et conviciantur? Quantum patientur supplicium? quantam gehennam? Ne itaque tanta mala erga nos ipsos incendamus, donec facultas est, malum hunc morbum corrigamus, linguæque frenum imponamus, non solum non conviciantes, sed et consolantes tam verbis quam factis, quatenus multa nobis recondita in futurum misericordia, promissa bona apprehendamus.

S. Gregorius Magn. in III parte *Curæ pastoralis*, admonitione 22. Admonendi sunt, qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur, ut sciant sollicite, quod ea, de qua sumpti sunt, cunctis hominibus terra communis est, et idcirco alimenta quoque omnibus communiter profert. Incassum ergo se innocentes putant, qui commune Dei munus sibi privatum vendicant, qui cum accepta non tribuunt, in proximorum nece grassantur, quia tot pene quotidie perimunt, quot morientium pauperum apud subsidia abscondunt. Nam cum quælibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur, justitiæ debitum potius solvimus, quam misericordiæ opus implemus. Unde et ipsa veritas, cum de misericordia caute exhibenda loqueretur, ait: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* (*Matth.* VI, 1.) Cui quoque sententiæ etiam Psalmista concinens, dicit: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum.* (*Psal.* CXI, 9.) Cum enim largitatem impensam pauperibus præmisisset, non hanc vocare misericordiam, sed justitiam maluit, quia quod a communi Domino tribuitur, justum profecto est, ut, qui accipiunt, eo communiter utantur. Hinc etiam Salomon ait: *Qui justus est, tribuit, et non cessabit.* (*Prov.* XXI, 26.) Admonendi sunt quoque, ut sollicite attendant, quod ficulnea, quæ fructum non habuit, contra hanc districtus agricola queritur, quod etiam terram occupavit. Terram quippe ficulnea sine fructu occupat, quando mens tenacium hoc, quod prodesse multis poterat, inutiliter servat. Terram ficulnea sine fructu occupat, quando locum, quem exercere alius per solem boni operis valuit, stultus per desidiæ umbram premit. Hi autem dicere nonnunquam solent: Concessis utimur, aliena non quærimus, etsi digna misericordiæ retributione non agimus, nulla tamen perversa perpetramus. Quod idcirco sentiunt, quia videlicet aurem cordis a verbis cœlestibus claudunt. Neque enim dives in Evangelio, qui induebatur purpura et bysso, qui epulabatur quotidie splendide, aliena rapuisse, sed infructuose propriis usus fuisse perhibetur, eumque post hanc vitam ultrix gehenna suscepit, non quia aliquid illiciti gessit, sed quia immoderato usu totum se licitis tradidit. Admonendi sunt tenaces,

Digitized by Google

ut noverint, quod hanc primam injuriam faciunt Deo, quia danti sibi omnia, nullam misericordiæ hostiam reddunt. Hinc etenim Psalmista ait : *Non dabit Deo placationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ.* (*Psal.* XLVIII, 8.) Pretium namque redemptionis dare, est opus bonum prævenienti non gratiæ reddere. Hinc Joannes exclamat, dicens : *Jam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor, quæ non facit fructm bonum, excidetur, et in ignem mittetur* (*Luc.* v, 9). Qui ergo se innoxios, quia aliena non rapiunt, æstimant, ictum securis vicinæ prævideant, et torporem improvidæ securitatis amittant, ne, cum ferre fructum boni operis negligunt, a præsenti vita funditus quasi ex viriditate radicis exsecentur

Idem, part. III, *Cur. pastoralis*, admon. 21. — Admonendi sunt, qui jam sua misericorditer tribuunt ut a cœlesti Domino dispensatores se positos subsidiorum temporalium agnoscant, et tanto humiliter præbeant, quanto et aliena esse intelligunt, quæ dispensant. Cumque in illorum ministerio, quibus accepta largiuntur, constitutos esse considerant, nequaquam eorum mentes tumor sublevet, sed timor premat. Unde et necesse est, ut sollicite perpendant, ne commissa indigne distribuant, ne quædam quibus nulla, ne nulla quibus quædam, ne multa quibus pauca, ne pauca præbeant, quibus impendere multa debuerunt, ne præcipitatione hoc, quod tribuunt, inutiliter spargant, ne tarditate petentes nocive crucient, ne recipiendæ hic gratiæ intentio subrepat, ne dationis lumen laudis transitoriæ appetitio exstinguat, ne oblatum munus conjuncta tristitia absorbeat, ne in bene oblato munere animus plus quam decet hilarescat, ne sibi quidquam, cum totum recte impleverint, tribuant, et simul omnia, postquam peregerint, perdant. Ne enim sibi virtutem suæ liberalitatis deputent, audiant, quod scriptum est : *Si quis administrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus.* (*I Petr.* IV, 11.) Ne in benefactis immoderatius gaudeant, audiant, quod scriptum est : *Cum feceritis hæc omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus : quæ debuimus facere, fecimus.* (*Luc.* XVII, 10.) Ne largitatem tristitia corrumpat, audiant, quod scriptum est : *Hilarem enim datorem diligit Deus.* (*II Cor.* IX, 7.) Ne ex impenso munere transitoriam laudem quærant, audiant, quod scriptum est : *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua* (*Matth.* VI, 6), id est, piæ dispensationi nequaquam se gloria vitæ præsentis admisceat, sed opus rectitudinis, appetitionem ignoret favoris. Ne impensæ gratiæ vicissitudinem requirant, audiant, quod scriptum est : *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne forte te ipsi reinvitent, et fiat tibi retributio.* (*Luc.* XIV, 12.) Ne quæ præbenda sunt citius, sero præbeantur, audiant, quod scriptum est : *Ne dixeris amico tuo, vade et revertere, et cras dabo tibi, cum statim possis dare.* (*Prov.* III, 28.) Ne sub obtentu largitatis ea, quæ possident, inutiliter spargant, audiant, quod scriptum est : *Sudet eleemosyna in manu tua.* Ne cum multa necesse sunt, parva largiantur, audiant, quod scriptum est : *Qui parce seminat, parce et metet.* (*II Cor.* IX, 6.) Ne cum pauca oportet, plurima præbeant, et ipsi postmodum nimie inopiam tolerantes, ad impatientiam erumpant, audiant, quod scriptum est : *Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.* (*II Cor.* VIII, 13.) Cum enim dantis animus ferre inopiam nescit, si multa sibi subtrahit, occasionem contra se impatientiæ exquirit. Prius namque præparandus est patientiæ animus, et tunc aut multa sunt, aut cuncta largienda, ne, dum minus æquanimiter inopia irruens fertur, et præmissæ largitatis merces pereat, et adhuc mentem deterius murmuratio subsequens perdat. Ne omnino nihil eis præbeant, quibus conferre aliquid parvum debent, audiant, quod scriptum est : *Omni petenti te tribue.* (*Luc.* VI, 30.) Ne saltem aliquid præbeant, quibus omnino conferre nihil debent, audiant, quod scriptum est : *Da bono, et noli recipere peccatorem. Benefac humili, et non dederis impio.* (*Eccli.* XII, 4.) Et rursum : *Panem tuum et vinum super sepulturam justi constitue, et noli ex eo manducare et bibere cum peccatoribus.* (*Tob.* IV, 18.) Panem enim suum et vinum peccatoribus præbet, qui iniquis subsidia, pro eo quod iniqui sunt, impendit. Unde et nonnulli hujus mundi divites, cum fame crucientur Christi pauperes, effusis largitatibus nutriunt histriones. Qui vero indigenti etiam peccatori panem suum, non quia peccator, sed quia homo est, tribuit; nimirum non peccatorem, sed justum pauperem nutrit, quia in illo non culpam, sed naturam diligit. Admonendi sunt etiam, qui jam sua misericorditer largiuntur, ut sollicite custodire studeant, ne, cum commissa peccata eleemosynis redimunt, adhuc redimenda committant. Ne venalem Dei justitiam æstiment, si, cum curant pro peccatis nummos tribuere, arbitrentur se posse inulte peccare. *Melior quippe est anima quam esca, melius corpus quam vestimentum.* (*Matth.* VI, 25.) Qui ergo escam aut vestimentum pauperibus largitur, sed tamen animæ vel corporis iniquitate polluitur, quod minus est justitiæ, obtulit, et quod majus est culpæ, commisit; sua enim Deo dedit, et se diabolo.

S. GREGOR. Turon., *De gloria Confessorum*, cap. 108. — Sic et quodam loco in portu maris gestum fuisse multorum confirmat relatio. Quidam pauper et senex marsupiis oneratus, venit ad littus maris, et accedens ad portum, petere eleemosynam a naucleris cœpit. Atque illi, qui primus carinæ erat, importunior adsistebat, dicens : Da mihi aliquid. Tunc ille commotus ait : Absiste, quæso, decrepite, et noli a nobis quærere quidquam; nihil enim hic aliud præter lapides habemus. At ille ait : Si la-

Digitized by Google

pides dicis esse, quæ in tuis ditionibus navis hæc continet, omnia vertantur in lapides, et statim cunctum navis onus, quod mandi potuit, in saxum conversum est. Ego enim ex his et dactylos vidi, et olivas adspexi marmore duriores. Nam cum in lapidis duritiam conversa fuissent, nunquam tamen colorem, quem habuerunt, perdiderunt, nisi eadem forma eademque species erat. Dominus autem navis pœnitentia motus, inquisitum senem nunquam potuit reperire, et sicut ferunt, per multas civitates de iis, quæ in saxum mutata fuerant, ad videndum direxit, ut scilicet exemplum esset omnibus, ne similia perpetrarent. Ecce quid agis impudens avaritia : fecisti hominem pauperem, qui non porrigendo pauperi, putavit se posse fieri ditiorem.

De spiritualibus operibus misericordiæ specialiter tractatur.

S. Augustinus, *Enchirid. ad Laurent.*, cap. 73. — Postquam in fine præcedentis capitis dixisset, multa esse genera eleemosynarum, quæ cum facimus, adjuvamur, ut dimittantur nobis nostra peccata; sed ea, inquit, nihil est majus, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccavit. Minus enim magnum est, erga eum esse benevolum, sive etiam beneficum, qui tibi mali nihil fecerit. Illud multo grandius et magnificentissimæ bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas, et ei, qui tibi malum vult, et, si potest, facit, tu bonum semper velis, faciasque cum possis, illius memor exempli, qui in cruce pendens, pro suis exorat persecutoribus, suosque admonuit, dicens : *Diligite inimicos vestros, benefacite eis, qui vos oderunt, et orate pro eis, qui vos persequuntur.* (*Matth.* v, 44.) Sed quoniam perfectorum sunt ista filiorum Dei, quo quidem se debet omnis fidelis extendere, et humanum animum ad hunc affectum orando Deum, secumque agendo luctandoque perducere, tamen quia hoc tam magnum bonum tantæ multitudinis non est, quantam credimus exaudiri, cum in oratione Dominica dicitur : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* vi, 12), procul dubio verba sponsionis hujus implentur, si homo, qui nondum ita profecit, ut jam diligat inimicum, tamen quando rogatur ab homine qui peccavit in eum, ut ei dimittat, dimittit ex corde, quia etiam sibi roganti vult utique dimitti, cum orat et dicit : Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, id est sic dimitte nobis debita nostra rogantibus nobis, sicut et nos dimittimus rogantibus debitoribus nostris.

Et cap. 74 : Jam vero qui eum, in quem peccavit, hominem rogat, si peccato suo movetur, ut roget, non est adhuc deputandus inimicus, ut eum diligere sit difficile, sicut difficile erat, quando inimicitias exercebat. Quisquis autem roganti et peccati sui pœnitenti non ex corde dimittit, nullo modo existimet a Domino sua peccata dimitti, quoniam mentiri Veritas non potest. Quem vero lateat Evangelii auditorem sive lectorem, quis dixerit : *Ego sum veritas?* (*Joan.*, xiv, 6.) Qui cum docuisset orationem, hanc in ea positam sententiam vehementer commendavit, dicens : *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* (*Matth.* vi, 14.) Ad tam magnum tonitruum qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est, et tamen potens est ille etiam mortuos suscitare.

Idem (*Lib. I hom.*, hom. 6.) — Potes mihi dicere : Non habeo, quod tribuam indigenti, non possum jejunare frequenter, et a vino et carnibus abstinere non possum. Nunquid potes mihi dicere charitatem te habere non posse? Ipsa est, cujus possessio tanto plus augetur, quanto amplius erogatur. Dimitte ergo, quod tenebas, ne adversus te ille teneat aliquid, cui non habes, quod dimittas. *Dimittite, et dimittetur vobis, date, et dabitur vobis.* (*Luc.* vi, 37.) Scitote, fratres charissimi, quia duæ sunt eleemosynæ, una cordis, alia pecuniæ. Eleemosyna cordis est, dimittere ei, a quo læsus es. Nam dare aliquid indigenti aliquando quæris, et non habes. Indulgere peccanti quantum volueris, redundabit tibi. Aurum et argentum, vestem, frumentum, vinum et oleum potest fieri, ut aliquoties non habeas, unde pauperibus tribuas, ut autem omnes homines diligas, et hoc aliis, quod tibi ipse velis, et inimicis tuis indulgeas, nunquam te poteris excusare. Quia si in cellario vel in horreo non habes, quod dare possis, de thesauro cordis tui potes proferre, quod tribuas. Et quod omnibus hominibus, etiamsi sola sit bona voluntas, sufficiat, et eleemosyna cordis multo major sit, quam elemosyna corporis, quis est, qui vel umbram excusationis possit prætendere? Et illud attendite, fratres, quia charitatis eleemosyna sine terrena substantia sufficit sibi, illa vero, quæ corporaliter datur, si non benigno corde tribuitur, omnino non sufficit. Et quia sicut ipsi videtis, fratres charissimi, ad remissionem omnium peccatorum, si substantia terræ non fuerit, charitas et dilectio inimicorum satis abundeque sufficiunt, nulla nobis excusatio de hac re in die judicii remanebit, nec dicere aliquis poterit, non se habuisse, unde sua peccata redimeret. Et ideo omnes homines studeamus toto corde diligere, orantes, ut, qui boni sunt, meliores fiant, et in opere bono permaneant, qui mali sunt, cito se corrigant timentes illud, quod Dominus comminatus est, dicens : *Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.* (*Matth.* vi, 15.) Sed magis cum ipsius adjutorio laboremus, ut illud in nobis possit impleri : *Date, et dabitur vobis; dimittite, et dimittetur vobis.* (*Luc.* vi. 37.) Cum ergo secundum præfatam Domini sententiam, quæ dixit : *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester cœlestis peccata vestra*, in potestate nostra positum sit qualiter in die judicii judicemur, dimittamus omnibus inimicis nostris, ut libera conscientia possi-

Digitized by Google

mus in oratione Dominica dicere : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.*, VI, 12.)

Et homilia 29 : Ex illa eleemosyna, qua ignoscis homini, nihil perdis. Ecce statim veniam petit, ignovisti, nihil amisisti. Charitate ampliordomum redisti. Illud aliud genus eleemosynarum, ubi jubemur erogare indigentibus, grave videtur, quia, quod quisque dederit, hoc ipso quod dabit, non habebit.

S. Aug., hom. 40. — « Si mordet conscientia fragilitatis, et in hoc sæculo ubique abundant iniquitates, dic ergo, *dimitte nobis debita nostra*. Sed quod sequitur, vide; noluisti enim dimittere peccatum fratri tuo, et dicturus es : Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. An non es dicturus? Si non es dicturus, nihil es accepturus, si falsum es dicturus. Ergo dic, et verum dic : Quomodo dicturus es verum, qui fratri tuo noluisti laxare peccatum ? Illum admonui, modo consulo. O quisquis es, si tamen es, qui dixisti fratri tuo : Dimitte mihi, quod in te peccavi, si dixisti ex toto corde tuo, si vera humilitate, non ficta charitate, quomodo Deus videt in corde, unde dixisti, sed ille noluit tibi dimittere, noli esse sollicitus. Servi estis ambo, habetis Dominum, conservo tuo debes, noluit tibi dimittere, interpella Dominum amborum. Quod tibi dimiserit Dominus, si potest, exigat servus. Dico aliud : Admonui ergo eum, qui noluit dimittere fratri suo, cum petat ille dimitti, ut sibi faciat, quod nolebat, ne, quando orat, non accipiat quod desiderat. Admonui et illum, qui petivit veniam peccati sui a fratre suo, et non accepit, ut in eo, quod non impetravit a fratre suo, securus sit de Domino suo. Est et illud, quod moneam : Peccavit in te frater tuus, et noluit tibi dicere : Dimitte mihi, quod peccavi in te. Si abundant verba ista, utinam Deus eradicet illa de agro suo, hoc est, de cordibus vestris. Quam multi enim, qui sciunt se peccasse in fratribus suis, et nolunt dicere, dimitte mihi. Non erubuerunt peccare, et erubescunt rogare. Ipsos ergo imprimis admoneo, quicunque habetis discordiam cum fratribus vestris, et revocatis ad vos et consideratis vos, et justum judicium fertis in vobis, intus in cordibus vestris, et invenietis vos non debuisse facere quod fecistis, non debuistis dicere quod dixistis. Petite veniam, fratres, a fratribus vestris, facite fratribus, quod ait Apostolus, *donantes vobis ipsis, sicut et Deus in Christo donavit vobis* (*Ephes.* IV, 32), facite, nolite erubescere veniam petere. Proinde omnibus dico viris et feminis, minoribus et majoribus, laicis et clericis, dico et mihi ipsi. Omnes audiamus, omnes timeamus, si peccavimus in fratres nostros. » Et post pauca : « Sunt personæ humiles per ordinem sæculi hujus, a quibus, si petamus veniam, extolluntur in superbiam; hoc est, quod dico, aliquando dominus peccat in servum suum, quia si ille dominus est, ille servus, ambo tamen alieni servi sunt, quia ambo Christi sanguine redempti sunt. Tamen durum videtur, ut etiam jubeam, hoc præcipiam, ut si forte dominus homo peccat in servum suum injuste litigando, injuste cædendo, dicat ille : Ignosce mihi, da mihi veniam. Non quia non debet facere, sed ne ille incipiat superbire, si pœniteat eum. Quid ergo? Ante oculos Dei pœniteat, ante oculos Dei puniat cor suum, et si non potest dicere servo suo, quia non oportet : Da mihi veniam, blande illum alloquatur. Blanda enim appellatio, veniæ est postulatio. Forte cogitando loquimini, et dicitis vobis : Volo concordare, sed ille me læsit, ille in me peccavit, et non vult veniam postulare. Quid ergo dicturus sum? Vade ad illum, et tu pete veniam. Absit! Nolo mentiaris. Nolo dicas : Da mihi veniam qui te nosti non peccasse in fratrem tuum. Quid enim prodest tibi, cum tu fueris tuus accusator? Quid expetis tu tibi ignosci ab eo, quem non læsisti, aut in quo non peccasti? Nihil tibi prodest, nolo facias, nosti, bene discussisti, scis quia in te peccavit, non tu in illum. Scio, inquit. In ista tuta scientia, sit tua scientia. Noli venire ad fratrem tuum, qui in te peccavit, et ultro ab illo petere veniam. Debent inter vos esse alii pacifici, qui illum objurgent, ut a te prius veniam petat, tu tantum paratus esto ignoscere, prior paratus esto ex toto corde dimittere. Si paratus es dimittere, jam dimisisti. Habes adhuc, quod ores. Ora pro illo, ut petat a te veniam, quia scis ei nocere, si non petat. Ora pro illo, ut petat, dic Domino in oratione tua : Domine scis me non peccasse in illum fratrem meum, sed illum potius peccasse in me, et obesse illi, quod peccavit in me, si veniam non petat a me. Ego bono animo peto, ut ignoscas ei. Ecce dixi vobis, quod maxime per istos dies jejuniorum vestrorum, observationum quoque vestrarum continentiæ vestræ mecum agere debeatis, ut cum fratribus vestris concordetis. Gaudeam et ego de pace vestra, qui contristor litibus vestris, ut omnes donantes vobismetipsis, si quis habet adversus aliquem querelam, securi agamus pascha, securi celebremus ejus passionem, qui nihil cuiquam debebat, et pretium pro debentibus solvit : Dominum Jesum Christum dico, qui in neminem peccavit, et prope in illum omnis mundus peccavit, nec exegit supplicia, sed promisit præmia. Habetis ipsum testem in cordibus vestris, quia, si in aliquem peccavimus, vero corde veniam postulemus, si aliquis in nos peccavit, veniam dare parati simus, et pro inimicis nostris oremus, non exspectemus vindicari fratres. Quid est vindicari, nisi malo alieno pasci? Scio quotidie venire homines, genua figere, fronte terram concutere, aliquando vultum suum lacrymis rigare, et in ista tanta humilitate ac perturbatione dicere : Domine, vindica me, occide inimicum meum. Plane ora, ut occidat inimicum tuum, et salvet fratrem tuum. Occidat inimicitias, salvet naturam. Sic ora, ut vindicet te Deus, pereat, qui te persequebatur, sed maneat, qui tibi reddatur. »

Digitized by Google

S. Aug., serm. 203 *De temp.* — «Non potest peccator misericordiam a Deo sperare, qui misericordiam non facit peccantibus in se. Ergo dimittat homo temporale debitum, ut mereatur recipere æternale bonum. Si animas nostras cupimus peccatorum sordibus emundari, misericordiam in nos peccantibus non negemus, ut in die retributionis ad promerendam Dei misericordiam, misericordiæ operibus adjuvemur. Quomodo misericordiam a Deo exspectat vel sperat, qui crudelis est in conservos suos? Si quis cupiat Deum sibi misereri, ita et misereatur debitoribus suis. Certissime indulgentiam sperare poterit, qui illis indulgere novit. Ad misericordiæ opus optime nos in Evangelio Dominus exemplo roboravit, ubi ait: *Estote ergo misericordes, sicut pater vester cœlestis misericors est* (*Luc.* VI, 36), *qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* (*Matth.* V, 7, 45.) *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum.* (*Eccli.* XVI, 15.)

Et paulo post : « Igitur ex nostro judicio judicat nos Deus. Quodammodo in potestate nostra est, quomodo judicemur a judice. Si misericorditer judicemus in nos delinquentibus, misericorditer judicat Deus de nobis in se peccantibus. Intendamus ergo in exemplum illius, sicut doctor gentium nos admonens, ait : *Donate vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut Deus in Christo donavit vobis, ita et vos facite* (*Col.* III, 13), hoc est, quomodo Deus in Christo nobis peccata donavit, sic etiam nos, qui in nos peccant, dimittamus. Item alibi idem Apostolus ait : *Nulli malum pro malo reddentes.* (*Rom.* XII, 17.) Et alio loco: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* (*Ibid.*) Sciendum est certissime, quod unusquisque talem indulgentiam accepturus est a Deo, qualem et ipse dederit proximo suo. Tunc oratio pro peccatis nostris ad aures omnipotentis Dei cito perveniet, si delinquentium preces in nostris auribus acceptabiles erunt. Qui clementer peccantibus ignoscere novit, clementiam divinæ pietatis certissime accipiet. Unde et scriptum est : *Qui pronus est ad misericordiam, benedictus a Domino* (*Prov.* XXI, 9.) Sic enim remittitur nobis, ut nos remiserimus eis, qui nobis quacunque malignitate nocuerunt. Multa itaque genera sunt miserationum, quæ cum facimus, adjuvamur, ut dimittantur nobis nostra peccata. Sed ea nihil est majus, qua ex corde dimittimus, quod quisque peccavit. »

S. Gregorius magn., lib. IV *Dialog.*, cap. 60, eoque ultimo. — Sed inter hæc sciendum est, quia ille recte sui delicti veniam postulat, qui prius hoc, quod in ipso delinquitur, relaxat. Munus enim non accipitur, nisi ante discordia ab animo repellatur, dicente Veritate : *Si offers munus tuum ante altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens, offeres munus tuum.* (*Matth.* V, 23, 24.) Qua in re pensandum est, cum omnis culpa munere solvatur, quam gravis est culpa discordiæ, pro qua nec munus accipitur. Debemus itaque ad proximum, quamvis longe positum, longeque disjunctum, mente ire, eique animum subdere, humilitate illum ac benevolentia placare, ut scilicet conditor noster, dum tale placitum nostræ mentis adspexerit, a peccato nos solvat, qui munus pro culpa sumit. Veritatis autem voce attestante didicimus, quia servus, qui decem millia talenta debebat, cum pœnitentiam ageret, absolutionem debiti a Domino accepit. Sed quia conservo suo centum sibi denarios debenti, debitum non dimisit, et hoc est jussus exigi, quod ei fuerat jam dimissum. (*Matth.* XVIII, 24.) Ex quibus videlicet dictis constat, quia si hoc, quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, et illud rursus exigitur, quod nobis jam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus. Igitur dum per indulti temporis spatium licet, dum judex sustinet, dum conversationem nostram is, qui culpas examinat, exspectat, conflemus in lacrymis duritiam mentis, formemus in proximis gratiam benignitatis. Et audenter dico, quia salutari hostia post mortem non indigebimus, si ante mortem Deo ipsi hostia fuerimus.

ORATIO,

[Ex SS. Patribus.]

S. Ignat., *epist ad Ephes.* — Nemo erret: nisi quis intra altare sit, privatur pane Dei. Si enim unius atque alterius precatio tantas vires habet, quanto magis illa quæ episcopi et totius Ecclesiæ? qui in conventum non venit, hic jam superbia elatus est, et seipsum separavit atque judicavit. Scriptum est enim : *Superbis Deus resistit.* (*Jac.* IV, 6.)

Idem, *ibid.* — Date operam ut crebrius congregemini ad gratias Deo agendas, et ad eum laudandum. Quando enim sæpius in idem loci convenitis, labefactantur vires Satanæ, et concordia vestræ fidei solvitur exitium quod ille infert.

S. Herm., *Pastor.*, lib. I, tom. I. — Omnis rogatio humilitate eget. Jejuna ergo et percipies a Domino quod postulas.

S. Justin., apolog. I *adversus hæreticos.* — Nos autem postquam eum qui fidem suam et assensum doctrinæ nostræ testatus est, sic abluimus, ad eos qui dicuntur fratres,

Digitized by Google

deducimus, ubi illi congregati sunt, communes preces et pro nobismetipsis, et pro eo qui illuminatus est, et pro aliis ubique omnibus intento animo facturi, ut veritatis cognitionem adepti, hac etiam gratia dignemur ut rectam operibus vitam agentes et præceptorum custodes inveniamur, quo salutem æternam assequamur. Invicem osculo salutamus, ubi desiimus precari. Deinde ei qui fratribus præest panis affertur, et poculum aquæ et vini : quibus ille acceptis, laudem et gloriam universorum parenti per nomen Filii et Spiritus Sancti emittit, et Eucharistiam, sive gratiarum actionem, pro his ab illo acceptis donis prolixe exsequitur. Postquam preces et Eucharistiam absolvit, populus omnis acclamat : *Amen*. Amen autem Hebræa lingua idem valet ac Fiat. Postquam vero is qui præest, preces absolvit, et populus omnis acclamavit, qui apud nos dicuntur Diaconi panem et vinum et aquam, in quibus gratiæ actæ sunt, unicuique præsentium participanda distribuunt, et ad absentes perferunt.

Atque hoc alimentum apud nos vocatur *Eucharistia*, cujus nemini alii licet esse participi, nisi qui credat vera esse quæ docemus, atque illo ad remissionem peccatorum et regenerationem lavacro ablutus fuerit, et ita vivat ut Christus tradidit. Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus ; sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster et carnem et sanguinem habuit nostræ salutis causa : sic etiam illam, in qua per precem ipsius verba continentem gratiæ actæ sunt, alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostræ per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli in commentariis suis, quæ vocantur Evangelica, ita sibi mandasse Jesum tradiderunt : eum scilicet accepto pane, cum gratias egisset, dixisse : *Hoc facite in meam commemorationem. Hoc est corpus meum* (*Luc.* XXII,19) ; et poculo similiter accepto, actisque gratiis dixisse : *Hic est sanguis meus* (*Marc.* XIV,24) ipsisque solis tradidisse.

S. Clemens Alex., *Stromat.*, lib. VII. — Est precatio cum Deo conversatio et colloquium ; et licet tacite loquamur ne labra quidem aperientes, intus clamamus : omnem enim intrinsecus paratam collocutionem Deus exaudit perpetuo.— Et caput et manus in cœlum extendimus,— et una cum verbo corpus a terra abducere conantes, erectam et elevatam animam desiderio meliorum cogimus in sancta progredi, magno animo carnis vinculum despicientes. Nonnulli certas ac definitas horas constituunt precationi, ut tertiam, sextam, nonam : at is qui est cognitione præditus et spiritualis, per totam orat vitam dum cum Deo studet versari. Reliquit autem, ut semel dicam, omnia quæ non sunt utilia, cum eo jam pervenerit, ut jam hinc acceperit consummationem ejus quod agitur ex charitate. Si conversationis cum Deo occasio est precatio, accedendi sane ad Deum nulla est prætermittenda occasio. Est omnis locus vere sacer et sacrum tempus, in quo Dei accipimus notionem et cogitationem. Sceleratis hominibus oratio, non solum in alios, sed etiam in seipsos est perniciosissima. Siquidem etiamsi quæ prospera dicunt, postquam petierint acceperint, ipsa hæc lædunt eos qui acceperunt, ut qui sint usus eorum nescii, ea quæ videntur, non quæ sunt, bona petunt. Spiritualis autem eorum quæ possidet stabilitatem, ad ea autem quæ eventura sunt aptitudinem, eorum vero quæ est accepturus, petet æternitatem.

Idem, *ibid.*— In omni loco, vir spiritualis orabit, sed non ut aperte populo appareat. Quin vero et inter ambulandum, et in sermone, et quiete, et lectione, et iis quæ fiunt ex ratione, omni modo precatur. Quin si in ipsius animæ penetralibus solum cogitaverit, atque inenarrabilibus gemitibus Patrem invocaverit, ille prope adest eo adhuc loquente.

Idem, *ibid.* — Spiritualis, propter insignem sanctitatem, est paratior non assequi si petat, quam assequi si non petat ; precatio quidem est ei universa vita, et cum Deo conversatio ; et quod vult assequitur. Justo enim dicit Deus : *Pete et dabo tibi.* (*Marc.* VI, 22.) Si ergo sunt utilia, accipiet protinus ; inutilia autem nunquam petet, et ideo non accipiet : ita quod vult erit.

Tertull., *Lib. de Oratione*, c. 9.— Quam temerarium est, aut diem sine oratione transigere, dum cessas fratri satisfacere ; aut orationem perseverante iracundia, perdere ! Nec ab ira solummodo, sed ab omni omnino confusione animi, libera esse debet orationis intentio, de tali spiritu emissa, qualis est spiritus ad quem mittitur. Neque enim agnosci poterit a Spiritu sancto, spiritus inquinatus, aut tristis a læto, aut impeditus a libero : nemo adversarium recipit ; nemo nisi comparem suum admittit.

Minutius Felix, *Octav.* — Litabilis hostia bonus animus, et pura mens, et sincera conscientia ; igitur qui innocentiam colit, Domino supplicat ; qui justitiam, Deo libat ; qui fraudibus abstinet, propitiat Deum ; qui hominem periculo surripit, optimam victimam cædit. Hæc nostra sacrificia, hæc Dei sacra sunt. Sic apud nos religiosior est ille qui justior.

Origen., *in Jerem.*, hom. 14. — In Oratione dicimus : *Deus omnipotens, da nobis partem cum prophetis, da cum apostolis Christi tui.* Hæc loquentes, non sentimus quod petimus : re enim hoc dicimus ; fac nos sic odio haberi ut odio habiti sunt prophetæ ; et da nobis verba talia super quæ persecutionem patiamur : da in istas incidere calamitates quas apostoli sustinuerunt. Dicere quippe : *Da mihi partem cum prophetis et apostolis*, nolentem pati id quod prophetæ et apostoli, injustissimum est.

S. Cyprian., epist. 1, *ad Donat.* — Sit tibi vel oratio assidua vel lectio : nunc cum Deo

Digitized by Google

loquere, nunc Deus tecum : ille te præceptis suis instruat, ille disponat, quem ille divitem fecerit, nemo pauperem faciet. Penuria jam nulla esse poterit, cui semel pectus cœlestis sagina saturavit.

S Cypr., epist. 57, *ad Cornelium*.—Incumbamus gemitibus assiduis, et deprecationibus crebris. Hæc sunt enim nobis arma cœlestia, quæ stare et perseverare fortiter faciunt. — Utrobique pro nobis semper oremus, pressuras et angustias mutua charitate relevemus. Et si quis istinc nostrum prior divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus et sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio.

Idem, *De oratione Dominica*. — Quando stamus ad orationem, vigilare et incumbere ad preces toto corde debemus; cogitatio omnis carnalis et sæcularis abscedat; nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet quod precatur. Ideo et sacerdos ante orationem, præfatione præmissa, parat fratrum mentes dicendo, *Sursum corda;* ut dum respondet plebs : *Habemus ad Dominum*, admoneatur se nihil aliud quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra adversarium pectus, et soli Deo pateat. Obrepit enim frequenter hostis Dei, et subtiliter fallens preces nostras a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde et aliud in voce, quando intentione sincera Dominum debeat non vocis sonus, sed animus et sensus orare. Quæ autem segnitia est alienari, et rapi ineptis cogitationibus et profanis, cum Dominum deprecaris; quasi sit aliud quod magis debeas cogitare quam quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri a Deo postulas, cum te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui cum rogas; quando tu ipse memor tui non sis? — Hoc est quando oras Deum, majestatem Dei negligentia orationis offendere. Hoc est vigilare oculis et corde dormire; cum debeat Christianus, sicut scriptum est ex persona Ecclesiæ loquentis in cantico, *et cum dormit oculis, corde vigilare*. (*Cant.* v, 2.)

S. Hilar., *in psal.* i. — *Sine intermissione oramus*, cum per opera Deo placita et in gloriam ejus semper exercita, sancti cujusque viri vita omnis oratio fit : ac sic secundum legem noctu dieque vivendo, vita ipsa nocturna legis erit et diurna meditatio.

Idem, *in psal.* liv. — *Ne despexeris deprecationem meam*. (*Psal.* liv.) Despiciuntur orationes diffidentes, sæculi curis anxiæ, et rerum corporalium desideriis implicatæ, bonorum operum fructibus infecundæ. Hæc igitur despicabiles sunt orationes, de quibus per Isaiam prophetam : *Et cum extenderitis manus vestras ad me, avertam oculos meos ab eis*. (*Isa.*, i, 15.) Et causam continuo subjecit : *Manus vestræ sanguine plenæ sunt*. (*ibid.*). Ubi ergo operatio iniquitatis exstabit, illic despicitur oratio deprecantis.

Idem., *in psal.* cxviii. — Silentium a nobis orandi Dominus exigit, ut ex secreto cordis precemur, neque in eo vocis potius esset officium quam mentis. — Ergo contrarium Evangelicis institutis videtur hoc quod ait propheta : *Clamavi ex toto corde meo* (*Psal.* cxviii, 145.) Sed scit Propheta clamorem potius cordis oportere esse, non vocis : et idcirco de corde clamat. Non hic elatæ vocis sonus est, sed clamor fidei, clamor mentis, usque ad thronum Dei offerendus. Ille enim ad Deum toto corde clamat, qui magna postulat, qui cœlestia precatur, qui æterna sperat, qui innocentis timoris vivit officiis.

Idem, *ibid.* — Non statim clamorem suum sperare ausus est perficere in salutem. Prius fuit ut auditione dignus esset, prius fuit ut justificationes inquireret. Merenda fuit auditio, adhibenda inquisitio : et salus post illa speranda. Nos vero salutem tanquam debitum postulamus : et veluti Deo sit hanc præstare necesse, primis ab eo precibus oramus; atque utinam cordis clamore loqueremur. Labia tantum nostra, sensu peregrinante, quod nesciunt murmurant et officium corporis mens in res alias occupata non sequitur. Propheta vero cum post tot preces antea ut salvus orasset, salutis ipsius stipendium docet, dicens : *Et custodiam mandata tua*.

Idem, *in psal.* cxliv.— *Voluntatem timentium se faciet*. (*Psal.* cxliv, 19.) Non turbidorum voluntates, neque vitiosorum cupiditates Deus faciet, sed timentium se. Per metum innocentes, per fidem honestas, per reverentiam verecundas, et voluntates non otiosas, neque mutas, neque sperare aliquid a se quodam contemptu silentii dedignantes, sed quas eloquatur oratio, et ideo subjecit : *Et orationem eorum exaudiet*. (*Ibid.*)

S. Ephrem., *De oratione*, t. III. — Magna enim vero armatura oratio, thesaurus inficiens, divitiæ nunquam exhaustæ, portus tranquillus, tranquillitatis fundamentum, et innumerorum bonorum radix et fons, et mater est oratio, et ipso regno potentior. Sæpe itaque ei qui diademate cingitur, febri laboranti, atque in lecto jacenti, atque æstuanti circumsteterunt medici, satellites, famuli, duces; sed neque medicorum ars, neque præsentia amicorum, neque medicaminum affluentia, non supellectilis sumptuositas, non pecuniarum abundantia, neque aliud quodcunque rerum humanarum levamen afferre potest morbo instanti; si vero quis apud Deum confidentiam habens adveniat et corpus solum tangat, puramque pro ipso fundat deprecationem, omnem morbum a corpore fugat : et quod præstare non potuerunt opes, et fumulorum multitudo, et scientiæ peritia, et regni amplitudo, hoc potuit unius pauperis sæpe, atque indigentis oratio. Orationem dico non frigidam hanc et negligentiæ plenam; sed illam, quæ longo studio fit, cum animi dolore, cum mente erecta. Ipsa enim est, quæ ad cœlum ascendit, et tanquam aquæ, quoad quidem in loco æquali, planoque feruntur, et lato spatio fruuntur, minime in altum assurgunt : cum vero illas manus canalibus adstringentes ex inferiore loco circumvallant, ac comprimunt in arctum

Digitized by Google

coactæ jaculo quovis vehementiores in sublime feruntur.

Eodem etiam modo mens humana, quousque fruitur multa licentia, diffunditur atque affluit; cum vero rerum necessitas funditus illam in angustias redigit, bene compressa, puras copiosasque preces in altum emittit. Atque ut intelligas, eas maxime exaudiri posse orationes, quæ in angustia funduntur, audi quid dicat Propheta : *Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me.* (*Psal.* cvi, 6.) Calefaciamus igitur conscientiam, affligamus animam delictorum memoria. Affligamus non ut in angustias religamus; sed ut sobrietati assuescere, ac vigilare, et ipsa cœlestia assequi faciamus. Nulla res tam fugat socordiam et negligentiam, quam dolor, ac tribulatio ex omni parte colligens mentem, et ad seipsam convertens. Qui sic comprimitur, atque orat, multam post orationem voluptatem in suam animam introducere poterit : et quemadmodum nubium concursus in principio quidem tenebricosum aerem; postquam vero promiscuas nives demiserit, pluviam deponens, totum aerem tranquillum efficit, atque hilarem; eodem etiam modo tristitia, quoad intus versatur, nostram cogitationem tenebris offundit; postquam autem per verba orationis cum ipsis lacrymis evacuata fuerit, atque extra effluverit, magnam inducit hilaritatem divini auxilii, veluti radio quodam in mentem orantis immisso. At quis est frigidus complurium sermo? Nulla in re confidere possum, ait: turpitudinis plenus, os aperire ne possum quidem. Pietas hæc satanica est, socordiæ hi prætextus sunt : vult enim diabolus portas reditionis ad Deum claudere. Nulla in re confidis? Hoc magna confidentia est, hoc ipsum, putare se nullam in se confidentiam habere; sicut summum dedecus est, et crimen condemnatione dignum, putare confidentiam habere. Quamvis enim multis bonis operibus abundes, quamvis nullius mali tibi conscius sis, existimes vero posse confidere, totam orationem vanam reddidisti. At contra licet innumerabilium criminum pondere in conscientia opprimaris, et hoc solum tibi suadeas omnium esse infimum, multum apud Deum confidere poteris. Quin neque hoc ipsum humilitatis est, ut ille, qui peccator est, se esse peccatorem putet : humilitas enim est, cum quis multorum atque ingentium criminum sibi conscius, nihil magnum sensit de se ipso : cum quis secundum Paulum existens, et potens dicere : *Nihil mihi conscius sum.* (*I Cor.* iv. 4.) Dicit etiam rursus : *Christus Jesus venit peccatores salvos facere, quarum primus ego sum.* (*I Tim.*, i, 15.) Hoc est humilitas, eum qui propter egregia opera sublimis est, humilem cogitationem habere de se ipso : sed nihilominus Deus propter inexplicabilem suam misericordiam, non solum qui de se humiliter sentiunt, verum etiam qui candide sua scelera confitentur, admittit atque amplexatur, placidusque fit, et benevolus erga eos qui hoc modo affecti sunt.

Atque ut scias quantum bonum sit, nihil magnum de se cogitare, currus duos in mente finge : junge justitiam cum negligentia, et peccatum cum humilitate, et videbis currum iniquitatis præoccupare justitiam, non ob propriam virtutem, sed propter vim humilitatis sociæ : et illum rursus detrimento affectum non propter justitiæ imbecillitatem, sed ob pondus gravitatemque socordiæ. Sicut enim humilis animi cogitatio propter excedentem suam sublimitatem peccati gravitatem vincit, et prior ad Deum ascendit; sic etiam negligentia ob pondus suum, gravitatemque potest etiam expeditissimam justitiam superare, eamque facillime ad ima detrahere. Quod hic currus sit magis præceps quam ille, in memoriam revoca Pharisæum et publicanum. Conjunxerat Pharisæus justitiam et vecordiam, sic dicens : *Gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, velut etiam hic publicanus.* (*Luc.* xviii, 10.) O amentiam! Non satis fuit ipsius vecordiæ universum hominum genus, verum etiam cum prope publicanum maneret, multa cum vecordia insultavit. Quid igitur ille? Non opprobria repulit, non questus est de accusatione, sed accepit dictum libenti animo, et adversarii telum versum est ei in pharmacum et medelam, et convicium in encomium, et accusatio in coronam. Adeo bona res est humilitas, tam magnum est lucrum, non morderi a jurgiis aliorum, neque efferari ad proximi injurias, est enim etiam ex ipsis fructum capere bonum magnum atque eximium, quod quidem in publicano contigit. Recipiendo enim injurias deposuit peccata, ac dicendo : *Propitius esto mihi peccatori* (*ibid.*, 13), descendit justificatus ab illo, et verba superaruut opera, sermonesque actiones vicerunt. Etenim ille quidem proponebat justitiam, jejunia, ac decimas; hic autem nuda verba protulit, atque omnia delicta deposuit. Non enim verba duntaxat audivit Deus, verum etiam mentem respexit, qua illa proferebat : cumque humilem animi sensum, contritumque invenisset, misertus est, ac bonitate usus.

Hæc dico, non ut peccemus, sed ut animam bene constituamus. Nam homo publicanus, infimum nequitiæ genus, non abjecte de se sentiendo, sed bonum animum solum gerendo, et confitendo peccata, ac fatendo quod erat, tantam sibi benevolentiam captavit apud Deum, quantum qui eximia bona patrantes, nihil autem de se ipsis magnum sentientes, trahunt in se auxilium. Idcirco hortor, oro ac deprecor, assidue Deo ut confiteamur. Etenim non duco te spectandum a tuis conservis, neque cogo ad revelandum hominibus peccata. Aperi conscientiam coram Deo, ipsi vulnera ostende, et ab ipso remedia exposce : ostende ei qui non improperat, sed medetur : utut enim silentio tegas, videt ille omnia. Dic igitur ut lucrum reportes : dic ut hoc deponens, abeas eo purus a delictis, atque ab intolerabili illa publicatione libereris. Tres pueri in camino manebant, animamque posuerunt propter

Digitized by Google

Domini confessionem: nihilo tamen minus post talia ac tanta bona opera aiunt: *Non possumus aperire os. Confusio et opprobrium facti sumus servis tuis.* (*Dan.*, III, 33.) Quid igitur aperit os? Ut hoc ipsum dicamus, inquiunt, *Non possumus aperire os*, atque hoc ipso Dominum attrahamus. Orationis vis vim exstinxit ignis, leonum iram frenavit, bella dissolvit, pugnas sedavit, procellas sustulit, dæmones expulit, cœli portas aperuit, vincula mortis solvit, morbos fugavit, violentias excussit, urbes quassatas restituit, ac superne illatas plagas, atque hominum insidias, omnesque omnino molestias interemit. Orationem autem rursum dico, non quæ simpliciter in ore consistit, sed illam quæ ex profundo mentis exsurgit. Quemadmodum quippe arbores quæcunque in profundum radices mittunt, quamvis innumeris subsint ventorum incursibus, neque franguntur, neque evelluntur, radicibus tenaciter in terræ profundo adhærentibus; sic pariter preces ex intima mente emissæ, secure radicatæ, non in altum extenduntur, tum nullo cogitationis impetu evertuntur. Ideo etiam Propheta ait: *De profundis clamavi ad te, Domine.* (*Psal.* CXXIX, 1.) Ipsi gloria in sæcula. Amen.

S. Ephrem., *De oratione*, t. III. — Vere beatum est non peccare; peccantes autem, non desperare, sed dolere de peccatis ut ejusmodi dolore rursus beatitudine potiantur. Bonum igitur fuerit semper orare et nunquam deficere, quemadmodum ait Dominus. Et rursus Apostolus: *Sine intermissione orate* (*Luc.* XVIII), hoc est, noctu et diu, et quacunque nora; neque solum postquam ecclesiam es ingressus, alias autem horas negligas: verum sive opereris, sive dormias, sive iter facias, sive comedas, sive bibas, sive decumbas, cave orationem tuam intermiseris. Nescis enim quando veniet qui animam tuam est repetiturus. Ne exspectes diem Dominicum, aut festum, locive differentiam. Sed ut inquit prophela David: *In omni loco Dominationis.* (*Psal.* CII, 22) Sive igitur in ecclesia fueris, sive domi tuæ, sivo in agro: et si oves pascas, et si ædificia construas, et si in symposio verseris, ab oratione cave desistas; et quandocunque poteris, genua flecte; quando vero non potueris, mente Deum invoca, et vespere et mane, et meridie; quod si orationem operi præmiseris, et surgens e lecto, primorum motuum tuorum initia ab oratione duxeris, aditus peccato in animam non patebit.

Oratio temperantiæ est custodia, iracundiæ frenum, animi elati repressio, et ad modestiam revocatio, odii ob acceptas injurias purgatio, invidiæ destructio, impietatis correctio. Oratio, corporum robur, rei familiaris administratio, recta juris legumque constitutio, regni potentia, trophæum belli, tutela pacis. Oratio virginitatis sigillum est, fides nuptiarum, viatorum præsidium, dormientium custos, evigilantium confidentia, agricolarum fertilitas, navigantium salus. Oratio reorum patrona, vinctorum relaxatio, mœrentium consolatio, lætantium jucunditas, lugentium solamen, celebritas festi natalitii, conjugum corona, morientium sepultura. Oratio cum Deo est colloquium, par cum angelis honor, proborum promotio, ab improbis aversio, et peccantium emendatio. Oratio Jonæ prophetæ balenam pro domo concessit; Ezechiam ex portis mortis ad vitam reduxit; ipsisque tribus pueris in Babylone flammam ignis in flatum roris convertit. Oratione, Elias cœlum clausit, ne plueret annis tribus et mensibus sex. Videtis, fratres, quid quantumque valeat oratio? Neque enim est alia in tota vita humana pretiosior oratione possessio. Ab hac nunquam vos separari patiamini: ab hac nunquam recesseritis: verum sicut Dominus noster ait: *Oremus, ne in vanum fiat labor noster.* (*Matth.* VI.) Quando autem steteritis orantes, remittite, si quid adversus aliquem habueritis, ut et Pater vester cœlestis remittat delicta vestra. Videte, dilecti quoniam in vanum laboramus orantes, si habuerimus inimicitiam adversus aliquem. Et iterum Dominus ait: *Si obtuleris munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia habet quis aliquid adversum te; relinque munus tuum ante altare, et vade primum reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offer munus tuum.* (*Matth.* V, 23, 24.) Perspicuum est igitur, nisi hoc prius feceris, nihil eorum omnium quæ obtuleris, gratum acceptumque fore: sed si mandatum Domini compleveris, tunc audacter Dominum deprecare, dicens: remitte mihi, Domine, debita mea, sicut ego remisi fratri meo, præceptum tuum implens, ego quantumvis infirmus dimisi. Cui respondebit humani generis amator: Si dimiseris, et ego dimitto; si ignoveris, et ego tua tibi ignosco: etenim potestatem habeo in terris remittendi peccata, Remittite et remittetur vobis. Videtis benignitatem Dei, incomparabilem? cernitis bonitatem Domini immensam? Audistis breviter salutem animarum vestrarum.

S. Basil., *Hom. in psal.* XXVIII, t. I.—*Et in templo ejus omnes dicent gloriam* (*Ps.* XXVIII, 9.) Audiant hæc psalmi verba ac revereantur, qui prolixos habent sermones. Quid dicit Psalmus? Qui in templo Dei est, non convicia, non res vanas, non verba obscenis rebus referta profert: sed in templo ejus quisque dicit gloriam. Adstant sancti angeli, qui hæc verba describant; adest Dominus qui animum ingredientium intuetur. Preces uniuscujusque manifestæ Deo sunt, quis ex affectu, quis scite exquirat cœlestia, quis perfunctorie et extremis labris verba pronuntiet, cor vero ipsius procul a Deo sit. Quod si orat, carnis sanitatem, opesque corporeas et humanam gloriam efflagitat. Horum autem nihil petendum est, ut Scriptura docet; sed *in templo ejus unusquisque dicit gloriam. Cœli enarrant gloriam Dei.* (*Psal.* XVIII, 1.) Deum gloria adicere Angelorum munus est. Hoc unum est totius cœlestis exercitus officium, referre Creatori gloriam. Creatura omnis, tum silens, tum loquens, tum cœlestis, tum terrena dat

Digitized by Google

gloriam Conditori. Miserabiles vero homines postquam, ædibus suis relictis, ad templum concurrerunt, quasi quidpiam consecuturi emolumenti; tamen Dei verbis aures non præbent, suam ipsorum naturam non sentiunt, præoccupati peccato non affliguntur: non mœrent dum reminiscuntur peccatorum, non timent judicium, sed arridentes, et inter se jungentes dextras, precationis domum in locum immodicæ loquacitatis vertunt, aspernati psalmum declarantem ac dicentem: *In templo ejus unusquisque dicit gloriam.* Tu vero non modo non loqueris, sed alteri etiam es impedimento, qui eum tibi reddas attentum, atque per tuum tumultum sonum majorem edas quam Spiritus doctrina. Cave ne quando abeas una cum iis qui impia et contumeliosa verba in Dei nomen evomunt, condemnatus, cum debuisses mercedem pro rerum divinarum celebratione recipere. Habes psalmum, habes prophetiam, præcepta evangelica, apostolorum prædicationes. Lingua psallat, mens eorum quæ dicta sunt, scrutetur intelligentiam, ut psallas spiritu, psallas item et mente. Deus enim minime indiget gloria; sed te vult esse dignum qui gloriam consequare. Quapropter quod seminat homo, hoc et metet. Semina glorificationem, ut coronas honoresque et laudes in regno cœlorum metas. Hæc non abs re per digressionem dicta sunt in hunc locum: *In templo ejus unusquisque dicit gloriam*, quod sunt qui loquendi finem in Dei templo nunquam faciant, ac inutiliter ingrediantur. Utinam inutiliter, non cum detrimento!

S. Basil., *Constitut. monast.*, t. II. — Cum oras, cave alia pro aliis exposcas, et Dominum irrites; non pecunias, non humanam gloriam, non potentiam, non aliud quidquam rerum fluxarum, sed pete regnum Dei, et cunctas res corpori necessarias tibi ille suppeditaturus est, quemadmodum ipse Dominus ait: *Quærite regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* (*Matth.* VI, 33.) Duplex est autem, charissime, orandi modus. Alter quidem situs est in glorificatione cum humilitate; alter vero qui huic inferior est, in petitione. Cum ergo oras, nolito confestim ad petitionem accedere: sin aliter, in tuam voluntatem id criminis infers, quod necessitate adactus preces Deo adhibeas. Cum igitur ingrederis precari, relinque teipsum, uxorem, liberos; desere terram, transcende cœlum, derelinque omnem visibilem ac invisibilem creaturam, et incipe a glorificatione conditoris universorum, et ubi ipsi dederis gloriam, ne vagare mente huc et illuc, neque Græcorum more enarres fabulas, sed carpe de sanctis Scripturis, et dic: Domine, benedico tibi, clementi et toleranti malorum, qui me quotidie peccantem fers patienter, et omnibus nobis pœnitentiæ agendæ facultatem præbes. Idcirco enim taces, ac nos sustines, Domine, ut tibi generis nostri salutem moderanti tribuamus gloriam: qui modo terrendo, modo admonendo, modo per Prophetas, postremum per adventum Christi tui nos visitasti. Tu enim finxisti nos, non autem ipsi nos, tu es Deus noster. (*Psal.* XCIX, 3.)

Cum autem oro viribus ex Scripturis glorificaveris, laudaverisque Deum, tum ordire humiliter, ac dic: Equidem non sum dignus, Domine, qui loquar coram te, quoniam valde peccator sum, et licet nullius mali tibi conscius sis, tamen ita te oportet dicere. Nemo enim sine peccato est, nisi solus Deus. Nam cum peccata multa committamus, tamen ne intelligimus quidem eorum maximam partem. Quapropter dicit Apostolus: *Nihil mihi conscius; sed non in hoc justificatus sum* (*I Cor.* IV, 4), hoc est, committo multa peccata, nec tamen ea cognosco. Unde ait quoque Propheta: *Delicta quis intelliget?* (*Psal.* XVIII, 13.) Quare non mentiris, cum te ipsum dicis peccatorem. Etenim si ita esse noveris, etiam in hoc ipso peccas, quod dicis: *Non sum peccator*: sed dic potius: Pecco ego magis quam cæteri peccatores, qui violem illud præceptum, quod sic jubet: *Cum omnia recte feceritis, dicite: Servi inutiles sumus; quæ enim debuimus facere fecimus?* (*Luc.* XVII, 10.) Sic semper cogitare te oportet, *inutilis sum.* Ac rursus tecum reputa illud: *Humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.* (*Philip.* II, 3.) Precare igitur Deum cum timore et humilitate.

Ubi ergo protuleris humilitatis verba, dixerisque: Gratias ago tibi, Domine, quod patienter pertulisti peccata mea, et usque ad hoc tempus me reliquisti inultum: equidem jam pridem eram dignus, qui innumera supplicia paterer, expellererque e conspectu tuo, sed clementissima tua benignitas sustinuit me patienter; gratias, inquam, ago tibi, tametsi non possum grates clementiæ tuæ debitas persolvere; et ubi duas glorificationis et humilitatis partes absolveris, tum demum quod debes petere, pete; non divitias uti jam dixi, non gloriam terrenam, non corporis sanitatem. Ipse enim finxit te, ipsique curæ est salus tua, nec ignorat qua ratione prosit unicuique sive bona, sive mala valetudo; sed quemadmodum jussus es, pete regnum Dei. (*Matth.* VI, 33.) Nam ipse, ut prius dixi, providebit corporis tui necessitatibus. Etenim rex noster maximæ est dignitatis, atque augustissimus, et indigne fert, si quis parvum quiddam ab ipso petat, si quis nostrum res haud convenientes ab eo efflagitet. Cave igitur ne orando in te convertas illius indignationem, sed pete tibi ipsi digna rege Deo. Cum autem exposcis digna Deo, ne desisteris, donec accipias.

Deus corda novit precantium, quid igitur, inquit, petitione nostra opus est Deo! Nonne novit quibus indigemus! Quid ergo necesse est petere? Novit quidem Deus quibus opus habemus, et omnia corporalia nobis fruenda abunde suppeditat; et cum bonus sit, pluit super justos et injustos, vultque solem suum super bonos et malos oriri (*Matth.* V, 45), prius etiam quam a nobis rogatus sit; sed fidem, et virtutis opera et regnum cœlorum nisi cum labore et perseverantia multa efflagitaveris ea nequaquam consequere. Oportet

Digitized by Google

tet enim prius desiderare · tum ubi desideraveris, omnesque vires tuas adhibueris, ita ex animo quærendum in fide et patientia, neque committendum, ut ulla in re a propria conscientia condemneris, tanquam qui aut negligenter, aut oscitanter roges, et ita demum, cum Deus voluerit accipies, quandoquidem quæ tibi expediant, melius ipse intelligit quam tu. Et fortasse ea de causa differt largitionem, ut hac arte te erga ipsum perseverantem reddat, intelligasque quid sit donum Dei, ac cum tremore custodias quod datum est. Quidquid enim multo labore ab aliquo comparatum est, id custodire conatur, ut ne hoc deperdito, perdat quoque multum suum laborem, neve contempto Dei munere, æterna vita indignus efficiatur. Quid enim Salomoni profuit cito sapientiæ donum accepisse, cum ipsum amiserit!

Itaque animo ne concidas : si illico non essequaris postulata. Si benignus Deus intellexisset futurum fuisse, ut donum illico acceptum a te non amitteretur, necdum rogatus ad id conferendum paratus fuisset. Nunc autem tibi prospiciens, hoc facit. Si enim qui talentum acceperat, idque integrum servaverat, propterea tamen quod ex ipso nullum quæstum comparaverit, condemnatus est, quanto magis condemnabitur qui ipsum perdiderit? Nos igitur horum haud ignari, sive citius, sive serius quidpiam receperimus, pergamus gratias Domino rependere : quando Dominus quæcunque facit, ea omnia pro nostra salute dispensat, tantum nos ne ex animi demissione flagitare desinamus. Idcirco enim Dominus protulit parabolam de vidua illa, quæ judicem iniquum flexit perseverando, ut nos quoque per perseverantiam petita consequamur. Ex eo enim et nostra fides, et dilectio erga Deum ostenditur, si re etiam non illico impetrata, nihilominus tamen grates ipsi perseveranter exsolvamus. Itaque ei semper agamus gratias, ut digni habeamur qui sempiterna ipsius bona recipiamus.

S. Greg. Naz., orat. 14, t. I.— Pulchra res oratio et vigilia : hujus rei fidem tibi faciat Jesus, *ante passionem vigilans precibusque incumbens.* (*Matth.* xxvi, 36.)

S. Ambros., *de obitu Theodos. imperat.* — Dilexi et ideo prosequor eum (Theodosium) usque ad regionem vivorum ; nec deseram donec fletu, precibus inducam virum quo sua merita vocant, in montem Domini sanctum, ubi perennis vita, nullus dolor, nulla consortia mortuorum, vera regio viventium.

S. Chrysost., serm. 5 *de Anna*, t. IV.— Sæcularibus negotiis precationes crebras interponens, vitam tuam hoc pacto munias: quod si feceris, etiamsi plurimæ procellæ ingruant, sive tentationes, sive mœstitiæ, sive cogitationes molestæ, sive quidvis aliud, nihil dejicere poterit domum tam crebris precationibus ligatam, atque munitam. Dices : Qui fieri potest ut homo sæcularis, forensibus negotiis affixus, tribus horis diei precetur, et ad ecclesiam currat? Potest et facile est : licet enim ad ecclesiam currere non sit commodum, potest inibi in foro, curiæque vestibulo hærens, nihilominus precari : ad hoc enim mente magis opus est quam voce, animi contentione magis quam manuum extensione : nec tam refert quo corporis habitu id facias, quam quo animæ affectu, quandoquidem et ipsa Anna non ob intensam vociferationem, sed ob internum cordis clamorem exaudita est. Dicit enim Scriptura : *Vox ejus non audiebatur et Dominus exaudivit eam.* (*I Reg.* I, 13.) Hoc et alii multi sæpe fecerunt, et clamante intus Magistratu, minante, exasperato, furente ipsi pro foribus curiæ stantes, postquam se sacro signo munissent, et pauca in animo precati, introgressi ad eum, mutaverunt hominem ac mitigaverunt, et mansuetum ex aspero reddiderunt : neque illis aut locus, aut tempus, aut silentium ad precandum fuit impedimento

Hoc etiam tu facito : ingemisce amare, in memoriam revoca tua peccata, suspice in cœlum, dic in mente : *Miserere mei, Deus*, et absolvisti precationem. Qui enim dicit, *Miserere*, confessionem offert, et peccatum suum agnoscit : lapsorum enim est misericordiam requirere. Qui dicit, *Miserere mei*, remissionem delictorum accepit : qui enim misericordiam consecutus est, non punitur. Qui dicit, *Miserere mei*, regnum cœlorum obtinuit : quem enim Deus miseratur, non a pœna solum liberat, sed futurorum etiam bonorum possessione dignatur. Ne igitur excusationes quæramus dicendo non esse propinquam precationis ædem : nos enim ipsos si sobrii fuerimus, templa Dei facit gratia Spiritus, ut magna undique nobis precandi facultas adsit. Neque enim talis est apud nos divinus cultus, qualis quondam apud Judæos erat, multum habens sensibilium cæremoniarum, multaque operatione indigens. Illic precaturum oportebat ad templum ascendere, turturem emere, ligna et ignem ad manus habere, arrepto cultro altari assistere, aliaque multa præcepta perficere : hic nihil tale, sed ubicunque fueris, præsto tibi est et altare et culter et victima; tu ipse et altare et sacerdos et victima es.

Idem, *ibid.* — Ubicunque enim fueris, potes erigere altare, si sobriam modo voluntatem afferas, nec te aut locus, aut tempus impedit, sed etiamsi nec genua flectas, nec pectus tundas, nec manus ad cœlum tendas, si mentem solum afferas fervidam, nihil tibi ad precationem deerit. Licet etiam mulieri colum tenenti, aut telam texenti mente suscipere in cœlum, et ardenti pectore Deum invocare : licet etiam viro in foro versanti, aut iter facienti attente precari : alteri itidem in officina sedenti ac coriasuenti animam ad Dominum erigere : licet servo obsonanti, ac sursum deorsum cursitanti vel in culina ministranti, si non licet adire ecclesiam, precationem intentam ex imo pectore ciere : non pudet loci Deum. Unum postulat, mentem ferventem animam-

Digitized by Google

que modestam. Et ut scias non habitu aut locorum temporumve opportunitate esse opus, sed animo probo ac vigili; Paulus supinus in carcere jacens, non erectus stans; neque enim compes lignea permittebat; quoniam magna alacritate precabatur jacens, carcerem concussit, ejusque fundamenta commovit, et custodem terruit, ac mox initiatum ad mysteria sacra perduxit. Rursum Ezechias ille non erectus stans, neque genibus flexis, sed supinus in lecto cubans ob infirmitatem, versa ad parietem facie, quoniam ardenter et temperanti animo Deum invocavit, sententiam adversus se latam revocavit, magnam sibi gratiam conciliavit, et in pristinam restitutus est sanitatem. Nec solum magnis et sanctis viris hoc contigisse videas, sed malis etiam. Nam et latro ille, non stans in oratorio, aut genua flectens, sed in cruce distensus, paucis verbis regnum cœlorum impetravit : alius in lacum cœnosum conjectus, alius in foveam bestiis objectus, alius ceti alvo conclusus, invocato Deo, mala instantia discusserunt, divinamque sibi conciliarunt benevolentiam.

Hoc sermone hortor ut continue frequentetis ecclesias, et domi cum magna quiete precemini per otium, genua flectentes, manusque attollentes. Quod si tempus aut locus nos in multitudine hominum deprehendat, non est ob hoc à consuetis orationibus cessandum, sed — precamini et invocate Deum, certi nihilominus tali precatione optata vos impetraturos. Non hæc ideo dixi ut applaudatis et laudetis, sed et opere ea præstetis, utque tam nocturnum quam diurnum et operandi tempus votis ac precationibus occupetis. Quod si res nostras sic disposuerimus, et præsentem vitam tuto transigemus, et cœleste regnum assequemur.

Sed et cum clamavero, exclusit orationem meam. (*Thren.* III, 8.) Omnipotens Deus quid nobis profuturum esse valeat sciens, dissimulat exaudire dolentium vocem, ut augeat utilitatem, ut purgetur vita per pœnam, et quietis tranquillitas, quia hic inveniri non valet, alibi quæratur. Sed hanc dispositionis gratiam nonnulli etiam fidelium ignorant.

S. Hieronym., lib. II *in Thren.* II. — *Vociferabor, et non est qui judicet;* non est enim qui judicet quando judicare dissimulat ipse *qui est:* quia causam nostram contra adversarium, præter eum qui judicet non est; nec tamen hoc sine judicio est, quod judicium differtur; quia et cum hæc beatus Job diceret, et sancti viri merita et adversarii pœna crescebat.

S. August., *Tract. De septem vitiis.* — Non omnino virtute caret qui pro vitio suo sanando orat; quia nisi aliquatenus quod perdidit sentiret, quod patitur non doleret. Prius ergo excitamur ut velimus; postea oramus ut amplius possimus. Contra superbiam orare nemo potest, nisi qui vel in desiderio humilitatem habet; nec contra invidiam, nisi qui saltem in affectu benignitatem possidet, sic mansuetudine contra iram; sic desiderio, contra acediam supplicamus; contra avaritiam orantes, indulgendi desiderio accendimur; contra gulam supplicantes continentiæ appetitu inflammamur : postremo nisi amor castitatis in desiderio esset, nemo contra turpes luxuriæ delectationes orationem funderet.

S. Gregor. Mag., l. II, hom. 27, t. I. — Ecce videmus, fratres charissimi, quam multi ad solemnitatem martyris (*sancti Pancratii*) convenistis, genua flectitis, pectus tunditis, voces orationis ac confessionis emittitis, faciem lacrymis rigatis. Sed pensate, quæso, petitiones vestras; videte si in nomine Jesu petitis, id est si gaudia salutis æternæ postulatis. In domo enim Jesu, Jesum non quæritis, si in æternitatis templo importune pro temporalibus oratis. Ecce alius in oratione quærit uxorem, alius petit villam, alius postulat vestem, alius dari sibi deprecatur alimentum. Et quidem cum hæc desunt, ab omnipotenti Deo petenda sunt. Sed meminisse continuo debemus quod ex mandato ejusdem nostri Redemptoris accepimus: *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* (*Matth.* VI, 33.) Et hæc itaque a Jesu petere, non est errare, si tamen non nimie petantur. Sed adhuc, quod est gravius, alius postulat mortem inimici, eumque quem gladio non potest persequi, persequitur oratione. Et vivit adhuc qui maledicitur, et tamen is qui maledicit, jam de morte illius reus tenetur. Jubet autem Deus ut diligatur inimicus (*Matth.* V, 44), et tamen rogatur Deus ut occidat inimicum. Quisquis itaque sic orat, in ipsis suis precibus contra Conditorem pugnat. Unde et sub Judæ specie dicitur : *Fiat oratio ejus in peccatum.* (*Psal.* CXCVIII, 7.) Oratio quippe in peccatum, est illa petere quæ prohibet ipse qui petitur.

Idem, *ibid.* — Hinc veritas dicit : *Cum statis ad orandum, remittite si quid habetis in cordibus vestris.* (*Marc.* XI, 25.) Quam virtutem remissionis apertius ostendimus, si unum testimonium Testamenti veteris proferamus. Certe cum Judæa conditoris sui justitiam culpis exigentibus offendisset, Prophetam suum ab oratione Dominus prohibens dicit : *Non assumas laudem et orationem pro eis. Si Moyses et Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum.* (*Jer.* VII, 6; XV, 1.) Quid est quod intermissis relictisque tot patribus, soli Moises et Samuel ad medium deducuntur, quorum mira obtinendi virtus ostenditur, dum nec ipsi posse intercedere dicuntur; ac si aperte Dominus dicat : Nec illos audio, quos propter magnum petitionis suæ meritum minime contemno. Quid ergo est quod Moises et Samuel cæteris patribus in postulatione præferuntur, nisi quod hi duo tantummodo in cuncta Testamenti veteris serie etiam pro inimicis suis leguntur exorasse? Unus a populo lapidibus impetitur, et tamen pro lapidatore suo Dominum deprecatur (*I Reg.* XII, 23) : alter ex principatu dejicitur, et tamen petitus ut exoraret, fatetur dicens : *Absit a me hoc peccatum in*

Digitized by Google

Domino, quominus cessem orare pro vobis. Si Moyses et Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum. (*Jer.* xv, 1.)Ac si aperte dicat : Nec illos modo pro amicis audio, quos magnæ virtutis merito, orare etiam pro inimicis scio. Virtus ergo veræ orationis, est celsitudo charitatis.

S. Bernard, serm. 4 *in Quadragesima*, t. I. — Verumtamen sicut periculum est si oratio fuerit nimis timida, sic in contraria parte non minus,et imo majus periculum est si forte fuerit temeraria.De his qui sic orant, audi quid loquatur ad prophetam Dominus. *Clama*, inquit, *ne cesses ; quasi tuba exalta vocem tuam* (*Isa.* lviii, 1), etc. *Quasi tuba*, inquit, quia in spiritu vehementi increpandi sunt temerarii. Me etenim quærunt qui semetipsos nondum invenerunt. Nec hoc dico ut peccatoribus auferam orandi fiduciam, sed volo eos orare tanquam gentem quæ peccatum fecerit, non justitiam. Orent pro indulgentia peccatorum suorum in animo contrito, et spiritu humilitatis, quemadmodum publicanus ille : *Deus*, inquit, *propitius esto mihi peccatori.* (*Luc.* xviii, 13) Temeritatem enim dico, quando is in cujus conscientia peccatum adhuc aut vitium aliquod regnat, ambulat in magnis et mirabilibus super se, minus sollicitus pro periculo animæ suæ. Tertium periculum est, si sit oratio tepida, et non ex viva affectione procedens. Timida quidem oratio cœlum non penetrat, quia restringit animum timor immoderatus, ut oratio non dicam non ascendere, sed nec procedere queat. Tepida vero in ascensu languescit et deficit, eo quod non habeat vigorem. Nam temeraria ascendit, sed resilit; resistitur enim ei : nec tantum non obtinet gratiam, sed et meretur offensam. Quæ vero fidelis et humilis, et fervens oratio fuerit, cœlum sine dubio penetrabit, unde certum est quod vacua redire non poterit.

De externis gestibus orantium.

C. Tertull. ; *Apologet. adversus gentes*, cap. 30. — Illuc (in cœlum) suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de pectore oramus, precantes sumus omnes semper pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam; imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, et quæcunque hominis et Cæsaris vota sunt. Hæc ab alio orare non possum, quam a quo scio me consecuturum, quoniam et ipse est, qui solus præstat, et ego sum, cui impetrare debetur, famulus ejus, etc. Sic itaque nos ad Deum expansos ungulæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, bestiæ insiliant; paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani. Hoc agite boni præsides; extorquete animam Deo supplicantem pro imperatore. Hic erit crimen, ubi veritas et Dei devotio est.

S. Augustinus, *Lib. de cura pro mortuis agenda*, cap. 5. — Orantes de membris sui corporis faciunt, quod supplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, et si quid aliud visibiliter faciunt, quamvis eorum invisibilis voluntas, et cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat his indiciis, ut humanus ei pandatur animus, sed his magis seipsum excitat homo ad orandum gemendumque humilius atque ferventius. Et nescio quomodo, cum hi motus corporis fieri, nisi motu animi præcedente, non possint, eisdemque rursus exterius visibiliter factis, ille interior invisibilis, qui eos fecit, augetur, ac per hoc cordis affectus, qui, ut fierent isti, præcessit, quia facta sunt, crescit. Verumtamen si eo modo quisque teneatur, vel etiam ligetur, ut hæc de suis membris facere nequeat; non ideo non orat interior homo, et ante oculos Dei in secretissimo cubili ubi compungitur, sternitur.

Hieronym., *dialog. adversus Luciferianos.* — Indubitata ad Deum fides ardue reperitur. Verbi gratia dictum sit, ut, quod volumus, perspicuum fiat : ad orationem assisto; non orarem; si non crederem, sed, si vere crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lacrymis rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, jacerem ad Domini mei pedes, eosque fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem certe trunco crucis, nec prius amitterem, quam misericordiam impetrarem; nunc vero creberrime in oratione mea aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubescenda sunt; gero. Ubi est fides ? Siccine putamus orasse Jonam ? sic tres pueros ? sic Danielem inter leones? sic certe latronem in cruce ?

Idem; *Vita Pauli eremitæ.* — Introgressus speluncam Antonius, vidit genibus complicatis, erecta cervice, extensisque in altum manibus, corpus exanime. Ac primum et ipse vivere eum credens, pariter orabat. Postquam vero nulla, ut solebat; suspiria precantis audivit, in flebile osculum ruens, intellexit, quod etiam cadaver sancti, Deum, cui omnia vivunt, officioso gestu precabatur.

Idem , *Lib. de viris illustribus*, sive *Catalog. scriptorum ecclesiasticorum, de Jacobo fratre Domini.* — Hegesippus vicinus apostolicorum temporum, in quinto commentariorum libro de Jacobo narrans ait : Suscepit Ecclesiam Hierosolymæ post apostolos frater Domini Jacobus, cognomento Justus ; multi siquidem Jacobi vocabantur. Hic de utero matris sanctus fuit, vinum et siceram non bibit, carnem nullam comedit, nunquam attonsus est, nec unctus unguento, nec usus balneo. Huic soli licitum erat ingredi Sancta sanctorum. Siquidem vestibus laneis non utebatur, sed lineis, solusque ingrediebatur templum, et flexis genibus pro populo deprecabatur, in tantum, ut camelorum duritiem traxisse ejus genua crederentur.

Damascenus, lib. iv *De orthodoxa fide*, cap. 13. — Non simpliciter et fortuito ad Orientem adoramus, sed quia ex visibili et

Digitized by Google

invisibili, id est intellectuali et sensibili conflati sumus natura, duplicem adorationem conditori nostro offerimus, ut et mente psallimus, et corporalibus labiis, et baptizamur aqua, et spiritu, et dupliciter Domino unimur, mysteriis participantes, et gratia spiritus. Quia igitur Deus est lux intelligibilis, et sol justitiæ, et Oriens in Scripturis nominatur Christus (*Zach.* III, 8; VI, 12; *Malach.* IV, 2); dedicandus illi Oriens est ad adorationem. Nam omne præstantius magisque bonum, Deo offerendum, a quo omne bonum benigne largitur. Dicit autem divinus David: *Regna terræ, cantate Deo, psallite Domino, qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem.* (*Psal.* LXVII., 34.) Et quia dicit Scriptura: Plantavit Deus paradisum in Eden ad orientem, ubi hominem, quem plasmavit, posuit (*Gen.* II, 8), quem transgredientem, exsilio mulctavit, et e regione paradisi ipsum habitare fecit ab occidente videlicet. Antiquam igitur patriam requirentes, et ad ipsam suspirantes, Deum adoramus. Et Mosaicum tabernaculum ad orientem habebat velum, et propitiatorium, et tribus Juda, ut honorabilissima, ad orientem castra ponebat, et in famigerato Salomonis templo porta Domini ad orientem statuebatur. Verum etiam et Christus crucifixus, ad occidentem respiciebat. Et sic adoramus ad ipsum suspirantes. Et assumptus, ad orientem ferebatur et sic ipsum apostoli adoraverunt. Et sic veniet, quemadmodum intuebantur ipsum euntem in cœlum (*Act.* I, 11), ut angeli dixere ad apostolos, et ut ipse Dominus dixit: *Quemadmodum fulgur egreditur ab oriente et pervenit usque ad occidentem, sic erit adventus Filii hominis.* (*Matth.* XXIV, 27.) Ipsum igitur exspectantes, ad orientem adoramus. Non scripta autem est hæc apostolorum traditio; nam multa sine scripto nobis tradita sunt.

De certis horis orationis.

CLEMENS pont. et mart., lib. VIII *Constitut. Apostolic.*, cap. 40. — Preces vestras facite diluculo, tertia hora, sexta, nona, vespere, et in galli cantu; diluculo gratias agentes, quoniam illuminavit nos Dominus expulsa nocte, et inducto die; hora tertia, quoniam illa hora Dominus sententiam Pilati accepit; sexta, quoniam tunc crucifixus est; nona, quoniam omnia commota sunt, crucifixo Domino, perhorrescentia impiorum audaciam, et non ferentia ignominiam Domini; vespere gratias agentes, quod dedit nobis noctem diurnorum laborum requietem; in galli cantu, quoniam illo tempore nuntiatur adventus diei ad exercenda opera lucis.

TERTULL., *Apologet. adv. gentes*, cap. 2. — Plinius secundus, cum provinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cætero ageret, consuluit tunc Trajanum imperatorem, allegans præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de sacris eorum comperisse, quam cœtus antelucanos ad canendum Christo et Deo, et ad confœderandam disciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, et cætera scelera prohibentes. Tunc Trajanus rescripsit, hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos vero puniri oportere.

S. CYPRIANUS, *De oratione Dominica.* — In orationibus celebrandis invenimus observasse cum Daniele tres pueros in fide fortes et in captivitate victores (*Dan.* VI, 10), horam tertiam, sextam, nonam, sacramento scilicet Trinitatis, quæ in novissimis temporibus manifestari habebat. Nam et prima hora in tertiam veniens, consummatum numerum trinitatis ostendit. Itemque ad sextam quarta procedens, declarat alteram trinitatem. Et quando a septima nona completur, per ternas horas trinitas perfecta numeratur, quæ horarum spatia jam pridem spiritualiter determinantes adoratores Dei statutis et legitimis ad precem temporibus serviebant, et manifestata postmodum res est, sacramenta olim fuisse, quod ante sic justi precabantur. Nam super discipulos hora tertia descendit Spiritus sanctus (*Act.* II, 15), qui gratiam Dominicæ repromissionis implevit. Item Petrus hora sexta in tectum superius ascendens (*Act.* X, 9), signo pariter et voce Dei monentis instructus est, ut omnes ad gratiam salutis admitteret, cum de emundandis gentilibus ante dubitaret. Et Dominus hora sexta crucifixus (*Luc.* XXIII, 44), ad nonam peccata nostra sanguine suo abluit, et ut redimere et vivificare nos posset, tunc victoriam suam passione perfecit. Sed nobis, fratres dilectissimi, præter horas antiquitus observatas, orandi nunc et spatia et sacramenta creverunt. Nam et mane orandum est, ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur, quod olim Spiritus sanctus designabat, in Psalmis dicens: *Rex meus et Deus meus, quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam; mane assistam tibi, et contemplabor te.* (*Psal.* V, 4, 5.) Et iterum per prophetam loquitur Dominus: *Diluculo vigilabunt ad me, dicentes: Eamus et revertamur ad Dominum Deum nostrum.* (*Ose.* VI, 1.) Recedente item sole ac die cessante, necessario rursus orandum est. Nam quia Christus sol verus, et dies est verus, so e ac die sæculi recedente, quando oramus et petimus, ut super nos lux denuo veniat, Christi precamur adventum, lucis æternæ gratiam præbiturum.

S. ATHANAS., in libro *De virginitate sive de meditatione.* — Meditare in sacris Scripturis; habe psalterium, et psalmos disce. Oriens sol videat librum in manibus tuis. Post tertiam synaxes conficies, quoniam ea hora delixum est lignum crucis. Sexta hora absolves deprecationes cum psalmis, ploratu et supplicationibus, quoniam hac hora pependit Filius Dei in cruce. Nona hora rursum in hymnis et glorificationibus eris, cum lacrymis et confessione peccatorum tuorum Deo supplicabis, quoniam hac hora Dominus in cruce pendens reddidit spiritum suum.

S. BASILIUS MAGN., serm. 1 *de institutione monachorum*, qui alias est sermo 4 *Exercitament. pietatis.* — Cum autem ad orationem

Digitized by Google

nulla non vitæ pars opportuna habenda sit, quia tamen datis quibusdam intervallis ab illa psalmodiæ genuque flexionis acri contentione nonnunquam est interquiescendum, is est maxime horarum modus tenendus, qui a veteribus o im sanctis viris ad orationem descriptus est. Etenim eximius ille David ait: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiæ tuæ* (*Psal.* CXVIII, 62), quem sane Paulus quoque et Sila secuti reperiuntur, cum in carcere positi, circiter mediam noctem Deum ambo collaudarent. (*Act.* XVI, 25.) Addit deinde idem Propheta: *Vespere, mane, et meridie.* (*Psal.* LIV, 18) Quin et Spiritus sancti adventus circiter horam diei tertiam fuit, sicut ex Actis accepimus, quo tempore cum propter variam illam linguarum efficacem vim Pharisæi discipulos irriderent, negavit Petrus, eos ebrios esse, qui ea loquerentur: siquidem horam illam tertiam fuisse. (*Act.* II, 15) Porro nona Dominicæ passionis memoriam refert, illius, quæ vitæ nostræ causa suscepta est. Verum quoniam item hoc est apud eumdem David: *Septies in die laudem dixi tibi super judicia justitiæ tuæ* (*Psal.* CXVIII, 164); tempora autem illa, quæ diximus, neutiquam septenarium orationis numerum conficiunt, bipartito dividenda meridiana oratio est, ita videlicet, ut pars una cibum præcedat, altera subsequatur, quo perpetua hæc nobis formula sit Deum septies per singulas dierum conversiones laudibus celebrandi.

S. BASIL., *Regul. fus. disp.*, interrog. 37. — Neque vero tamen, quanquam hanc assidue, atque adeo omnibus momentis adhiberi oportere gratiarum actionem, et lex ipsa præcepit, et nos eam vitæ nostræ necessariam esse, cum natura, tum ratione docuimus, propterea illæ statis temporibus præscriptæ orationes negligendæ veniunt, quas observari in conventibus solemne est et quotidianum. Siquidem ea re a nobis necessario hujusmodi tempora delecta sunt, quod in eorum singulis peculiaris quædam Dei in nos beneficiorum est commemoratio. Ac matutinum quidem, ut primi animi ac mentis nostræ motus consecrentur Deo, neque ullius rei curæ ante aditum ad nos demus, quam nos in cogitatione de Deo oblectaverimus, sicut scriptum est: *Memor fui Dei, et delectatus sum.* (*Psal.* LXXVI, 2.) Neque corpus prius ad functionem muneris alicujus moveamus, quam illud fecerimus, quod dictum est: *Orabo ad te, Domine; mane exaudies vocem meam. Mane adstabo tibi.* (*Psal.* V, 4, 5.) Tertia vero hora, ut in ea ad orationem surgatur, fratresque omnes in unum congregentur, licet diversis in locis, alii in aliis operibus sint occupati, idque ea re, ut admoniti doni Spiritus, quod circiter hanc ipsam horam apostolis datum fuit, uno eodemque animo cuncti illum venerentur, ab eoque petant, ut et ipsi digni sint, qui sanctificationem suscipiant, simulque ut salutaris sibi doctrinæ, et recti itineris dux esse et auctor velit, illum imitantes qui dixit: *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.* (*Psal.* L, 12-14.) Et alio in loco: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam* (*Psal.* CXLII, 10), atque ita denuo ad intermissa opera redeatur. Quod si fors aliquos vel propter operum, vel propter locorum naturam eo tempore abesse longius contigerit, quam ut una cum reliquis præsto esse possint, ii ubicunque fuerint, ea necessario ibi exsequi decent, quæ communiter statuta sunt, nihil hæsitantes omnino: *Quia ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo*, inquit Dominus, *ibi in medio eorum sum.* (*Matth.* XVIII, 20.) Porro sexta hora, sanctorum exemplo, necessariam esse orationem judicavimus, apud quos est: *Vespere et mane et meridie narrabo, et annuntiabo, et exaudiet vocem meam.* (*Psal.* LIV, 18.) In qua quidem, ut liberemur ab incursu et dæmonio meridiano, nonagesimus etiam psalmus recitetur. De nona vero, quod ea ad orationem nobis necessaria sit, id apostoli ipsi declaraverunt in *Actis*, in quibus est, quod Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. (*Act.* III, 1.) Completo vero jam die, pro iis omnibus, quæ in eo data nobis fuerint, feliciterve nobis evenerint, gratiarum actio succedat, eorumque, quæ vel per consensum, aut secus contra animi sententiam prætermissa sint, confessio, ac sicubi latens delictum aliquod admissum fuerit verbis, operibusve, aut etiam corde, pro his omnibus oratione adhibita, veniam nobis a Deo comprecabimur. Siquidem ad similia peccata iterum evitanda, valde utilis est præteritorum consideratio. Idcirco David dicit: *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* (*Psal.* IV, 5.) Tum autem primis se jam noctis intendentibus tenebris, sequetur petitio, ut quies, quam sumus capturi, in offensa et ab omni perturbatione ac vitio libera sit, qua hora etiam necessario nonagesimus recitari psalmus debet. De tempore autem dimidiæ noctis, quod id ad orationem necessarium sit, traditum nobis est a Paulo et Sila in Actis. Scriptum est enim sic: *Circiter autem mediam noctem Paulus et Silas laudabant Deum.* (*Act.* XVI, 25.) Atque hoc quidem etiam concentor psalmorum confirmat, sic dicens: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiæ tuæ.* (*Psal.* CXVIII, 62.) Post antevertendum diluculum est, et ad orationem surgendum, cavendumque, ne dies nos in lectulo dormientes opprimat, et ille imitandus, qui dixit: *Prævenerunt oculi mei diluculum, ut meditarer eloquia tua.* (*Psal.* CXVIII, 148.) Porro ex his omnibus quæ diximus, statis temporibus, nullum ab iis prætermitti debet, quorum vitæ propositum est, ut quæ acturi sunt, omnia ad laudem Dei et Christi ejus referant. Atque utilis etiam, meo quidem judicio, hæc in orationibus et psalmorum decantationibus, quæ certis tempo-

Digitized by Google

ribus fiunt, diversitas est atque varietas, ob eam causam, quod in perpetua similitudine et æqualitate rerum animo nescio quo modo torpedo quædam plerumque oboritur atque tædium, eaque re aliud agens, ad futiles et vagas cogitationes aberrat. In vicissitudine autem varietateque cum psalmodiæ, tum singularum horarum orationis, et studium ipsum renovatur, et attentio instauratur.

S. August., *De hæresibus ad Quodvultdeum*, hæres. 57. — Psallianorum postremam ponit Epiphanius hæresim, quod nomen ex lingua Syra est. Græce autem dicuntur εὐχίται, ab orando sic appellati. Tantum enim orant, ut eis, qui hoc de illis audient, incredibile videatur. Nam cum Dominus dixerit: *Oportet semper orare, et non deficere* (*Luc.* XVIII, 1), et Apostolus: *Sine intermissione orate* (*I Thess.* v, 17), quod sanctissime sic accipitur, ut nullo die intermittantur certa temporâ orandi, isti ita nimis hoc faciunt, ut hinc judicentur inter hæreticos nominandi.

S. Chrysostom., hom. 59, *ad populum Antioch.* — « Dies lucescit, imo vero ante diem gallus cantavit, et nunc sicut domini, stertunt servi, januæ clausæ, omnes mortuis similes sunt dormientes; mulio tintinnabula concutit. Illic cujusmodi nihil, sed omnes statim cum reverentia somnum deponentes, exsurgunt, excitante eos prælato, et consistunt, sanctum constituentes chorum, et statim manus extendentes, sacros hymnos decantant. » Et post pauca: « Neque cithara, neque fistulæ, nec ullum alliud musicum instrumentum talem emittit vocem, qualem audire licet in profunda quiete et solitudine, sanctis cantantibus illis. At et ipsa cantica commoda, et in Deum charitate plena. *In noctibus*, inquit, *extollite manus vestras ad Deum.* Et: *De nocte vigilavit spiritus meus ad te, Deus, quoniam lux præcepta tua super terram.* (*Psal.* CXXXIII, 2.) Et Davidica cantica, multos moventia fontes lacrymarum. Quippe cum cantet, dicens: *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* (*Psal.* VI, 7.) Et iterum: *Quia cinerem tanquam panem manducabam.* (*Psal.* CI, 10.) Et iterum: *Quid est homo, quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum? Homo vanitati similis factus est, et dies ejus sicut umbra prætereunt.* (*Psal* CXLIII, 3, 4.) Et: *Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, vel cum multiplicata fuerit gloria domus ejus.* (*Psal.* XLVIII, 17.) Et rursum: *Qui habitare facit unius moris domo.* (*Psal.* LXVII, 7.) Et: *Septies in die laudavi te super judicia justitiæ tuæ* (*Psal.* CXVIII, 164.) Et iterum: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiæ tuæ.* (*Ibid.*) Facto autem die quisque nostrum alterum vocat, egressorum rationem agit, in forum educit, assistit magistratui, tremiscit, et pœnas metuit. Alius in tabernaculo, ad suum alius opus. Illi vero cum rursum matutinas orationes celebraverint et hymnos, ad Scripturarum lectionem convertuntur. Sunt autem et qui libros transcribere docti, assignatum quisque sumens habitaculum, semper agit quietem, nugante nemine, nemine quidquam dicente. Tertiam, sextam, nonam, et vespertinas orationes celebrant. Et in quatuor partes diem dispartiti, dum singulæ partes implentur, psalmodiis et hymnis Deum venerantur. »

S. Hieronymus, *in Daniel.* VI. — Tria autem sunt tempora, quibus Deo flectenda sunt genua, tertiam horam, sextam, et nonam, ecclesiastica traditio intelligit. Denique tertia hora descendit Spiritus sanctus super apostolos. Sexta volens Petrus comedere, ad orationem ascendit in cœnaculum. Nona Petrus et Joannes pergebant ad templum.

Idem, *ad Eustochium de custodia virginitatis*, epist. 22. — Quanquam Apostolus orare nos semper jubeat (*I Thess.* v, 17), et sanctis etiam ipse sit somnus oratio, tamen divisas orandi horas debemus habere, ut, si forte aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoque et vesperam, nemo est qui nesciat. Nec cibi sumantur, nisi oratione præmissa, nec recedatur a mensa, nisi referatur Creatori gratia. Noctibus bis terque surgendum, revolvenda, quæ de Scripturis memoriter retinemus. Egredientes de hospitio armet oratio; regredientibus de platea oratio occurrat antequam sessio, nec prius corpusculum requiescat, quam anima pascatur. Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat crucem.

Idem, *ibid.*, *in Epitaphio Paulæ matris*, epist. 27, de monasteriis virginum, quas illa fundaverat, agens. — Mane, hora tertia, sexta, nona, vespere, noctis medio, per ordinem psalterium cantabant.

Beda, *in Luc.* XVIII. — Dicebat autem et parabolam ad illos, quoniam *oportet semper orare, et non deficere.* Dicit et Apostolus: *Sempergaudete, sine intermissione orate* (*I Thess.* v, 16, 17.) Quis autem potest ita semper orare, et sine defectu vel intermissione precibus insistere, ut nec alimentum sumendi, aut dormiendi tempus habeat? Aut ergo dicendum est, eum semper orare, et non deficere, qui canonicis horis quotidie juxta ritum ecclesiasticæ traditionis, psalmodiis, precibusque consuetis Dominum laudare et rogare non desistit, et hoc esse, quod Psalmista dicebat: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* (*Psal.* XXXIII, 2.) Aut certe omnia quæ justus secundum Deum gerit et dicit, ad orationem esse reputanda. Quia enim justus sine intermissione, quæ justa sunt, agit, per hoc sine intermissione justus orabit, nec unquam ab oratione cessabit, nisi justus esse desistat.

S. Isidor., *De offic. ecclesiast.* lib. I, c. 19. — Horam tertiam et sextam et nonam, Daniel et tres pueri supplicationibus devoverunt, scilicet, ut ab ortu diei in tempus supplicationis tres horæ porrectæ, Trinitatis nobis reverentiam declararent, pariliter a tertia ad sextam, atque inde ad nonam, per

Digitized by Google

paria lucis intervalla ratis dimensionibus terminata, Trinitas ter in die rogata coleretur. Illud etiam occurrit ad probationem venerabilis Trinitatis, quod Spiritus sanctus hora tertia, hoc est, suo loco et numero et tempore, descendit ad terras, impleturus gratiam quam Christus promisit. Nam et sexta hora Christus passus, in nonam patibuli cruciamenta porrexit. Tali enim sacramento legitimis ad precem temporibus, per ternas horas Trinitatis perfectio aut laudatur celebritatibus, aut precibus impetratur, et si computetur diurna celebritas, per quaternarium usque in vespertinum officium, hoc est, quater ternis significatur, quia mundus quadrifario divisus, in Trinitate salvatur. Siquidem et in nocte stationes et vigiliæ militares in quatuor partes divisæ, ternis horarum spatiis secernuntur, ut et in ipsis nocturnis mundialibusque officiis Trinitatis mysterium veneretur.

S. Isid. l. 1 *De offic.*, c. 20. — Vespertinum diurni finis officium diurnæ et alternæ lucis occasus est, cujus ex Veteri Testamento solemnis celebratio est. Denique hoc tempore veterum sacrificia offerri, adolerique altario aromata et thura, mos erat. Testis est hymnidicus ille, regio ac sacerdotali perfunctus officio, dicens : ***Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.*** (*Psal.* cxl, 2.) In Novo quoque Testamento eo tempore Dominus et Salvator noster, cœnantibus apostolis, mysterium sui corporis et sanguinis initio tradidit, ut tempus ipsum sacrificii, vesperum ostenderet sæculi. (*Luc.* xxii, 19.) Proinde in honore ac memoria tantorum sacramentorum, his temporibus adesse nos decet Dei conspectibus, et personare in ejus cultibus, orationum nostrarum illi sacrificium offerentes, atque in ejus laudibus pariter exsultantes. Vesperum autem nominatur a sidere, quod Vesper vocatur, et decidente sole exoritur. De quo propheta dicit : ***Et Vesperum super filios hominum consurgere facis.*** (*Job* xxxviii, 32.)

Idem, *ibid.*, c. 21. — De Completis autem celebrandis, id etiam in Patrum invenitur exemplis, David propheta dicente : ***Si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.*** (*Psal.* cxxxi, 3.) Quis non stupeat, tantam in Dei amore animi devotionem, ut somnum sibi, sine quo utique corpora humana deficiunt, penitus interdixerit, donec locum ac templum Domino fabricandum in pectore suo rex et propheta reperiret? Quæ res nos debet fortiter admonere, ut si ipsi locus Domini esse volumus, ei tabernaculum ejus aut templum cupimus haberi, in quantum possumus, exempla sanctorum imitemur, ne de nobis dicatur, quod legitur : ***Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.*** (*Psal.* lxxv, 6.)

Idem, *ibid.*, c. 23. — De matutinorum antiquitate et auctoritate, testis est idem David propheta, dicens : ***In matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus.*** (*Psal.* lxii, 7.) Et alibi : ***Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.*** (*Psal.* cxviii, 146.) Diluculo autem proinde oratur, quod resurrectio Christi celebretur. Matutina autem luce radiante, Dominus et Salvator noster ab inferis resurrexit, quando cœpit oriri fidelibus lux, quæ, moriente Christo, occiderat peccatoribus. Si quidem et eo tempore cunctis spes futuræ resurrectionis creditur, cum justi et omnes ab hac temporaria morte, quasi a sopore omni resurgentes, evigilabunt.

Idem, *ibid.*, c. 22. — Antiqua est vigiliarum devotio familiare bonum omnibus sanctis. Isaias denique propheta exclamat ad Dominum, dicens : ***De nocte vigilat spiritus meus ad te, Deus, quia lux præcepta tua sunt super terram.*** (*Isa.* xxvi, 9.) Item David et regio et prophetico sanctificatus unguento, ita canit : ***Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiæ tuæ.*** (*Psal.* cxviii, 148.) Hoc namque tempore vastator angelus transiens, primogenita Ægyptiorum percussit (*Exod.* xii, 29); unde et nos vigilare oportet, ne periculo Ægyptiorum admisceamur. Iisdem etiam horis venturum se esse in Evangelio Salvator asseruit, unde et ad vigilandum auditores suos exsuscitans, dicit : ***Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes.*** (*Luc.* xii, 37.) ***Et si vespertina*** (inquit) ***hora venerit, et si media nocte, et si in gallicantu, et invenerit eos vigilantes, beati sunt servi illi. Itaque et vos estote parati, quia nescitis, qua hora Filius hominis venturus est.*** (*Luc.* xi, 37.) Siquidem nec verbis solum docuit vigilias, sed etiam confirmavit exemplo. Nam testatur Evangelium, quia erat Jesus pernoctans in oratione Dei. (*Luc.* vi, 12.) Paulus quoque et Silas in custodia publica circa medium noctis orantes, hymnum audientibus cunctis, vincti dixisse memorantur; ubi repente terræ motu facto, et concussis carceris fundamentis, et januæ sponte apertæ, et omnium vincula sunt soluta. (*Act.* xvi, 25, 26.) Unde oportet his horis psallendi orandique frequentiam nos in sanctis habere officiis, finemque nostrum, vel si advenerit sub tali actu, exspectare securius. Est autem quoddam genus hæreticorum, superfluas existimantium sacras vigilias, et spiritali opere infructuosas, dicentium jura temerari divina, qui noctem fecit ad requiem, sicut diem ad laborem. Qui hæretici Græco sermone Nyctazontes, hoc est, somniculosi vocantur.

Idem, *ibid.*, c. 131. — Studeant summopere canonici prædictas horas vigilantissima cura custodire, et in his divinum officium humiliter ac devote persolvere.

S. Anselmus Cantuar. archiepisc., *in I Thess.* v. — *Sine intermissione orate*, id est, ut nullo die intermittatis certa tempora orandi. Sed et continuum cordis desiderium, continua oratio est. Nunquid enim sine intermissione possumus genu flectere, corpus prosternere, vel manus levare, ut de hoc nobis dicatur, sine intermissione orate? Sed qui

Digitized by Google

nunc vult intermittere orare, non intermittat desiderare. Sic enim orabat Moyses, cui tacenti dixit Dominus : *Quid clamas ad me?* (*Exod.* XIV, 15.) Clamabat enim corde, quamvis nihil diceret ore. Ita jugo desiderium et incessabilis amor assidua est oratio sanctorum.

De Assiduitate orationis.

S. CYPRIANUS, *De oratione Dominica.*—Cum Christum habeamus apud Patrem advocatum pro peccatis nostris, quando peccatores pro delictis nostris petimus, advocati nostri verba promamus. Nam cum dicat, quia, quodcunque petierimus a Patre in nomine ejus, dabit nobis (*Joan.* XVI, 23), quanto efficacius impetramus quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione? Sit autem orantibus sermo et precatio cum disciplina, quietem continens et pudorem. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare; placendum est divinis oculis et habitu corporis, et modo vocis. Et post pauca : Qualia autem sunt, fratres dilectissimi, orationis Dominicæ sacramenta, quam multa, quam magna, breviter in sermone collecta, sed in virtute spiritaliter copiosa? ut nihil omnino prætermissum sit, quod non in precibus atque orationibus nostris cœlestis doctrinæ compendio comprehendatur. Ibidem : Nec verbis tantum, sed et factis Dominus orare nos docuit, ipse orans frequenter et deprecans, et quid facere nos oporteret, exempli sui contestatione demonstrans, sicut scriptum est : Ipse autem fuit secedens in solitudinem, et adorans. (*Marc.* I, 35). Et iterum : *Exivit in montem orare, et fuit pernoctans in oratione Dei.* (*Luc.* VI, 22.) Quod si ille orabat, qui sine peccato erat, quanto magis peccatores oportet orare? Et si ille per totam noctem jugiter vigilans continuis precibus orabat, quanto nos magis in frequentanda oratione debemus nocte vigilare? Orabat autem Dominus, et rogabat non pro se; quid enim pro se innocens precaretur? sed pro delictis nostris, sicut et ipse declarat, cum dicit ad Petrum : *Ecce Satanas expetivit ut vos vexaret, quomodo triticum; ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* (*Luc.* XXII, 31.) Et postmodum pro omnibus patrem deprecatur, dicens : *Non pro his autem rogo solis, sed et pro illis, qui credituri sunt per verbum ipsorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* (*Joan.* XVII, 20.) Magna Domini propter salutem nostram benignitas pariter et pietas, ut non contentus, quod nos sanguine suo redimeret, adhuc amplius et rogaret. Quando autem stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare et incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis et sæcularis abscedat, nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet, quod precatur. Ideo et sacerdos ante orationem præfatione præmissa, parat fratrum mentes, dicendo : Sursum corda, ut, dum respondet plebs : Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud se, quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra adversarium pectus, et soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei, tempore orationis adire patiatur; obrepit enim frequenter et penetrat, et subtiliter fallens, preces nostras a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, et aliud in voce, quando intentione sincera Dominum debeat non vocis sonus, sed animus et sensus orare. Quæ autem segnitia est, alienari et rapi ineptis cogitationibus et prophanis, cum Dominum deprecaris, quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quam quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri a Deo postulas, cum te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui, cum rogas, quando tu ipse memor tui non sis? Hoc est, ab hoste in totum non cavere, hoc est, quando oras Deum, majestatem Dei negligentia orationis offendere, hoc est, vigilare oculis, corde dormire, cum debeat Christianus, et cum dormit oculis, corde vigilare, sicut scriptum est ex persona Ecclesiæ loquentis in Cantico canticorum : *Ego dormio, et cor meum vigilat.* (*Cant.* V, 2.) Quapropter sollicite et caute Apostolus admonet, dicens : *Instate orationi vigilantes in ea* (*Col.* IV. 2), docens scilicet et ostendens, eos impetrare, quod postulant de Deo posse, quos Deus videat in oratione vigilare. Orantes autem, non infructuosis, nec nudis precibus ad Deum veniant; inefficax petitio est, cum precatur Deum sterilis oratio. Nam cum omnis arbor non faciens, fructum, excidatur et in ignem mittatur, utique et sermo non habens fructum, promeri Deum non potest, qui nulla est operatione fœcundus. (*Matth.* III, 10; VII, 19.) Et ideo Scriptura divina instruit, dicens: *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna.* (*Tob.* XII, 8.) Nam qui in die judicii præmium pro operibus et eleemosynis redditurus, est, hodie quoque ad orationem cum operatione venienti benignus auditor est. Sic denique Cornelius centurio cum oraret, meruit audiri : Fuit faciens multas eleemosynas in plebem, et semper orans Deum. Huic circa horam nonam orantidstitit angelus, testimonium reddens sui operis, et dicens: *Corneli, orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt ad memoriam coram Deo.* (*Act.* X. 4.) Cito orationes ad Deum ascendunt, quas ad Deum merita nostri operis imponunt. Sic et Raphael angelus Tobiæ oranti semper, et semper operanti, testis fuit, dicens : *Opera Dei revelare et confiteri, honorificum est. Nam quando orabas tu et Sara, ego obtuli memoriam orationis vestræ in conspectu claritatis Dei.* (*Tob.* XII, 12.)

S. AMBROSIUS, lib. III *De virginibus.*—Oratio quoque nos Deo crebra commendet; si enim Propheta dicit : *Septies in die laudem dixi tibi* (*Psal.* CXVIII, 164), qui regni erat necessitatibus occupatus, quid nos facere oportet, qui legimus : *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem?* (*Matth.* XXVI, 41.) Certe solemnes orationes cum gratiarum actione sunt deferendæ, cum e sommo surgimus, cum prodimus, cum cibum paramus sumere, cum sumpserimus, et hora incensi, cum denique cubitum pergimus. Sed etiam in ipso cubili volo psalmos cum oratione Dominica frequenti contexas vice, vel cum

Digitized by Google

evigilaveris, vel antequam corpus sopor irriget, ut te in ipso quietis exordio rerum sæcularium cura liberam, divina meditantem somnus inveniat. Denique etiam ille, philosophiæ ipsius qui nomen invenit, quotidie, prius quam cubitum iret, tibicinem jubebat molliora canere, ut anxia curis sæcularibus corda mulceret. Sed ille, sicut is, qui laterem lavat, sæcularia sæcularibus frustra cupiebat abolere. Magis enim se oblinebat luto, qui remedium a voluptate quærebat. Nos autem terrenorum vitiorum colluvione detersa, ab omni inquinamento carnis mentium interna mundemus. Symbolum quoque specialiter debemus, tanquam nostri signaculum cordis, antelucanis horis quotidie recensere. Quo etiam, cum horremus aliquid, animo recurrendum est. Quando enim sine militiæ sacramento miles in tentorio, bellator in prælio?

S. Ambros., serm. 93, al. 92, *in Natali sanct. martyr. Nazarii et Celsi.* — Oratio quæ castitatis, justitiæ, eleemosynarum operibus adjuvatur, excedit mundum, penetrat paradisum, evolat usque ad ipsum summæ majestatis, angelo conferente, conspectum, sicut quodam loco vox testatur angelica : *Et cum tu, inquit, orares ego obtuli orationem tuam in conspectu claritatis Dei.* (*Tob.* XII, 12.) Beata anima, charissimi, cujus votum, cujus compunctionis incensum, cujus supplicationis holocaustum, nulla infidelitate, fumidum, nullo carnalis illecebræ fœtore pollutum, nulla sævitia cruentum, nulla odii simultate maculatum, sed fide igneum, conscientia nitidum, sinceritate cordis odoriferum, concordia et charitate perfectum, usque ad Dei vultum per cœlestium nuntiorum defertur obsequia.

S. Augustinus, serm. 226. — Oratio justi clavis est cœli. Ascendit precatio, et descendit Dei miseratio. Licet alta sit terra, altum cœlum, audit tamen Deus hominis linguam, si mundam habeat conscientiam.

Idem, serm. 230 *De tempore.* — Oratio refectio est jejuniorum, advocat gratiam Spiritus sancti. Oratio duritiam cordis mollit, austeritatem temperat, jejunium dulcificat. Sicut enim sine potu non est plena refectio, sic et jejunium sine oratione non potest animam perfecte nutrire. Quid autem oratio, etc., ut supra quæstione præcedenti. A. 3.

Idem, epist. 121, *ad Probam*, cap. 8. — Propter hanc adipiscendam vitam beatam, ipsa vera vita beata nos orare docuit non in multiloquio, tanquam eo fiat, ut exaudiamur, quo loquaciores sumus, cum eum oremus, qui novit, sicut ipse Dominus ait, quid nobis necessarium sit, priusquam petamus ab eo. (*Matth.* VI, 8.) Unde mirum videri potest, quamvis multiloquium prohibuerit, cur nos sic orare adhortatus sit, qui novit, quid nobis necessarium sit, priusquam petamus ab eo, ut diceret : *Oportet semper orare, et non deficere* (*Luc.* XVIII, 1, 2), viduæ cujusdam proposito exemplo, quæ de suo adversario cupiens vindicari, judicem iniquum sæpe interpellando flexit ad audiendum, non justitia nec misericordia permotum, sed tædio superatum, ut hinc admoneremur, quanto certius nos exaudiat misericors et justus Dominus Deus sine intermissione orantes, quando illa nec ab iniquo et impio judice potuit assidua interpellatione contemni, et quam libens atque placatus bona desideria impleat eorum, a quibus aliena peccata novit ignosci, si, quo cupiebat, illa pervenit, quæ voluit vindicari. Ille quoque, cui amicus de via venerat, nec quod ei apponeret, habebat, ab amico sibi tres panes cupiens commodari (*Luc.* XI, 5), quibus fortasse ipsa Trinitas unius substantiæ figurata est, jam cum suis servis domientem petitor instantissimus et molestissimus excitavit, ut daret ei, quantos volebat, magis et ipse vitando tædium, quam benevolentiam cogitando, ut hinc intelligeremus, si dare cogitur, qui cum dormiat, a petente excitatur invitus, quando det benignius, qui nec dormire novit, et dormientes nos excitat, ut petamus. Hinc est et illud : *Petite, et accipietis, quærite, et invenietis, pulsate, et aperietur vobis.* (*Matth.* VII, 8.) *Omnis enim qui petit accipit, et quærens invenit, et pulsanti aperietur. Aut quis est ex vobis homo, a quo filius suus panem petit, nunquid lapidem porrigit ei? Aut si piscem petit, nunquid serpentem porrigit illi? aut si ovum petit, nunquid porrigit ei scorpium? Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis dabit bona petentibus se?* (*Luc.* XXI, 10) Cum ergo secundum tria illa, quæ commendat Apostolus, fides significetur in pisce, vel propter aquam baptismi, vel quod in hujus sæculi fluctibus integra est, cui contrarius est ille serpens, qui, ut non crederetur Deo, venenosa fraude persuasit; spes in ovo, quia vita pulli nondum est, sed futura est, nec jam videtur, sed adhuc speratur. *Spes enim, quæ videtur, non est spes* (*Rom.* VIII, 24), cui contrarius est scorpius, quoniam qui sperat æternam vitam, quæ retro sunt, obliviscitur, et in anteriora se extendit, cui noxium est, retro respicere; scorpius autem ex ea parte cavendus est, qua venenatam et aculeatam caudam retrorsum habet. Charitas in pane. Major enim horum charitas, et in cibis utique vincit cætera panis utilitas, cui contrarius est lapis, quoniam dura corda respuunt charitatem, sive aliud aliquid congruentius ista significent, tamen qui novit bona data dare filiis suis, petere nos et quærere et pulsare compellit. Quod quare faciat, qui novit, quid nobis necessarium sit, priusquam petamus ab eo movere animum potest, nisi intelligamus, quod Dominus et Deus noster non voluntatem nostram sibi velit innotescere, quam non potest ignorare, sed exerceri in orationibus desiderium nostrum, quo possimus capere, quod præparat dare. Illud enim valde magnum est, sed nos ad accipiendum parvi et angusti sumus. Ideo nobis dicitur : *Dilatamini, ne sitis jugum ducentes cum infidelibus.* (*II Cor.* VI, 13.) Tanto quippe illud, quod valde magnum est, quod nec oculus vidit, quia non est color,

Digitized by Google

nec auris audivit, quia non est sonus, nec in cor hominis ascendit, quia cor hominis illuc debet ascendere, sumemus capacius, quanto id et fidelius credimus, et speramus firmius, et desideramus ardentius.

S. Aug., ep. 121, *ad Prob.*, c. 9. — In ipsa ergo fide et spe et caritate continuato desiderio semper oramus. Sed ideo per certa intervalla horarum et temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus, quantumque in hoc desiderio profecerimus, nobis ipsis innotescamus, et ad hoc agendum nos ipsos acrius excitemus. Dignior enim sequetur effectis, quem ferventior præcedit affectus. Ac per hoc et quod ait Apostolus : *Sine intermissione orate* (*I Thess.* III, 17); quid est aliud, quam beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo, qui solus eam dare potest, sine intermissione desiderare? Semper ergo hanc a Domino Deo desideremus, et oremus semper. Sed ideo ab aliis curis atque negotiis, quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit certis horis ad negotium orandi mentem revocamus, verbis orationis nos ipsos admonentes in id, quod desideramus, intendere, ne quod tepescere cœperat, omnino frigescat, et penitus exstinguatur, nisi crebrius inflammetur. Unde et illud, quod idem Apostolus ait : *Postulationes vestræ innotescant apud Deum* (*Philip.* IV, 6); non sic accipiendum est tanquam Deo innotescant, qui eas et antequam essent, utique noverat, sed nobis innotescant apud Deum per tolerantiam non apud homines per jactantiam. Aut forte etiam innotescant angelis, qui sunt apud Deum, ut quodammodo eas offerant Deo, et de his consulant, et quod eo jubente implendum esse cognoverint, sicut oportere ibi cognoverint, hoc nobis vel evidenter, vel latenter apportent. Dixit enim angelus homini : *Et nunc quando orabas tu et Sara, ego obtuli orationem vestram in conspectu claritatis Dei.* (*Tob.* XII, 12.)

Idem, *ibid.*, c. 10.—Quæ cum ita sint, etiam cum diu orare vacat, id est cum alia bonarum et necessariarum actionum non impediuntur officia, quamvis et in eis, ut dixi, desiderio illo semper orandum sit, non est improbum nec inutile. Neque enim, ut nonnulli putant, hoc est orare in multiloquio, si diutius oretur. Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam et de ipso Domino scriptum est, quod pernoctaverit in orando, et quod prolixius oraverit, ubi quid aliud, quam nobis præbebat exemplum, in tempore precator opportunus, cum Patre exauditor æternus? Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas et raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat atque hebetetur, intentio. Ac per hoc etiam ipsi satis ostendunt, hanc intentionem, sicut non est obtundenda, si perdurare non potest, ita si perduraverit, non cito esse rumpendum. Absit enim ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseverat intentio. Nam multum loqui, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis. Multum autem precari, est ad eum, quem precamur, diuturna et pia cordis excitatione pulsare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus, quam sermonibus agitur, plus fletu, quam affatu. Ponit autem lacrymas nostras in conspectu suo, et gemitus noster non est absconditus ab eo, qui omnia per verbum condidit, et humana verba non quærit.

Idem, *ibid.*, c. 11.— Nobis ergo verba necessaria sunt, quibus commoneamur et inspiciamus, quid petamus, non quibus Dominum seu docendum seu flectendum esse credamus. Cum ergo dicimus : *Sanctificetur nomen tuum* (*Luc.* XI, 2), nos ipsos admonemus desiderare, ut nomen ejus, quod semper sanctum est, etiam apud homines sanctum habeatur, hoc est, non contemnatur, quod non Deo, sed hominibus prodest. Et in eo quod dicimus : *Adveniat regnum tuum*, quod, seu velimus, seu nolimus, utique veniet, desiderium nostrum ad illud regnum excitamus, ut nobis veniat, atque nos in eo regnare mereamur. Cum dicimus : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*, nobis ab illo precamur ipsam obedientiam, ut sic in nobis fiat voluntas ejus, quemadmodum fit in cœlestibus ab angelis ejus. Cum dicimus : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, per id quod dicitur Hodie significatur, hoc tempore, ubi vel illam sufficientiam petimus, a parte, quæ excellit, id est, nomine panis totam significantes, vel sacramentum fidelium, quod in hoc tempore necessarium est, non tamen ad hujus temporis, sed ad illam æternam felicitatem assequendam. Cum dicimus : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, nos admonemus et quid petamus, et quid faciamus, ut accipere mereamur. Cum dicimus : *Ne nos inferas in tentationem*, nos admonemus hoc petere, ne deserti ejus adjutorio, alicui tentationi vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti. Cum dicimus : *Libera nos a malo*, nos admonemus cogitare, nondum nos esse in eo bono, ubi nullum patiemur malum. Et hoc quidem ultimum, quod in Dominica oratione positum est, tam late, tamque evidenter et manifeste patet, ut homo Christianus in qualibet tribulatione constitutus, in hoc gemitus edat, in hoc lacrymas fundat, hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet operationem. His enim verbis res ipsas memoriæ nostræ commendare oportebat.

Idem, *ibid.* Nam quamlibet alia verba dicamus, quæ affectus orantis vel præcedendo formet, ut clareat, vel consequendo attendit, ut crescat, nihil aliud dicimus, quam quod in ista Dominica oratione positum est, si recte et congruenter oramus. Quisquis autem id dicit, quod ad istam Evangelicam precem pertinere non possit, etiam si non illicite orat, carnaliter orat quod nescio quemadmodum non dicatur illicite, quando qui-

Digitized by Google

dem spiritu renatos, nonnisi spiritaliter decet orare. Qui enim dicit, verbi gratia : *Clarifica te in omnibus gentibus, sicut clarificatus es in nobis, et prophetæ tui fideles inveniantur* (*Eccli.* XXXVI), quid aliud dicit, quam : *Sanctificetur nomen tuum?* Qui dicit : *Deus virtutum converte nos et ostende faciem tuam, et salvi erimus* (*Psal.* LXXIX, 8), quid aliud dicit, quam : *Veniat regnum tuum?* Qui dicit : *Itinera mea dirige secundum verbum tuum, et ne dominetur mei omnis iniquitas* (*Psal.* CXVIII, 133), quid aliud dicit, quam : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra?* Qui dicit : *Paupertatem et divitias ne dederis mihi* (*Prov.* XXX, 8), quid aliud dicit, quam : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie?* Qui dicit : *Memento, Domine, David et omnis mansuetudinis ejus.* (*Psal.* CXXXI, 1), aut : *Domine, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala* (*Psal.* VII, 4), quid aliud dicit, quam : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris?* Qui dicit : *Aufer a me concupiscentias ventris, et desiderium concubitus, ne apprehendat me* (*Eccli.* XXIII, 6), quid aliud dicit quam : *Ne nos inferas in tentationem?* Qui dicit : *Erue me de inimicis meis Deus, et ab insurgentibus super me libera me* (*Psal.* LVIII, 2), quid aliud dicit, quam : *Libera nos a malo?* Et si per omnia precationum sanctarum verba discurras, quantum existimo, nihil invenies, quod non ista Dominica contineat et concludat oratio. Unde liberum est, aliis atque aliis verbis, eadem tamen in orando dicere, sed non debet esse liberum alia dicere. Hæc et pro nobis, et pro nostris, et pro alienis, atque pro ipsis inimicis sine fluctu dubitationis oranda sunt, quamvis alius pro isto, alius pro illo, sicut se habent propinquitates necessitudinum, in corde orantis oriatur aut extollat affectus. Qui autem dicit in oratione, verbi gratia : Domine, multiplica divitias meas, aut : da mihi tantas, quantas illi vel illi dedisti, aut : honores meos auge; aut : fac me in hoc sæculo præpotentem atque clarentem, vel si quid hujusmodi est, et hæc dicit, eorum habens concupiscentiam, non id attendens, ut ex his secundum Deum prosit hominibus, puto cum non evenire in oratione Dominica, quo possit hæc vota coaptare. Quamobrem pudeat saltem petere, quæ non pudet cupere, aut si et hoc pudet sed cupiditate vincit, quanto melius hoc petitur, ut etiam ab isto cupiditatis malo liberet, cui dicimus : *Libera nos a malo?*

S. Aug, ep. 121, *ad. Prob.*, c. 14.—Nonnullis impatientibus Dominus Deus, quod petebant, concessit iratus, sicut contra Apostolo negavit propitius. Nam legimus, Israelitæ, quid et quomodo rogaverint et acceperint, sed expleta concupiscentia, impatientia est graviter castigata. (*Num.* XI, 13.) Dedit et regem petentibus secundum cor eorum, sicut scriptum est, non secundum cor suum. (*1 Reg.* VIII, 10-18.) Dedit etiam, quod diabolus postulavit, ut probandus ejus famulus tentaretur. (*Job* I, 8 seq.) Exaudivit rogantes et immundos spiritus, ut in multas sues legio dæmonum mitteretur. (*Luc.* VIII, 30.) Hæc scripta sunt, ne forte se quisque magni pendat, si fuerit exauditus, cum aliquid impatienter petit, quod non impetrato plus prosit, aut se abjiciat, et de divina erga se miseratione desperet, si non exaudiatur, cum forte aliquid petit, quo accipiendo affligatur atrocius, vel a prosperitate corruptus penitus evertatur. In talibus ergo, *quod oremus sicut oportet, nescimus.* (*Rom.* VIII, 26.) Unde si aliquid contra, quam oramus, acciderit, patienter ferendo, et in omnibus gratias agendo, hoc potius oportuisse, quod Dei, non quod nostra voluntas habuit, minime dubitare debemus. Nam et hujusmodi exemplum præbuit nobis ille mediator, qui, cum dixisset : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste*, humanam in se voluntatem ex hominis susceptione transformans, continuo subjecit : *Verum non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater.* (*Matth.* XXVI, 39.) *Unde non immerito per unius obedientiam justi constituuntur multi.* (*Rom.* V, 19.)

Idem, serm. 5 *de verbis Domini.* — Si vis habere justitiam, esto mendicus Dei, qui te paulo ante ex Evangelio, ut peteres, quæreres, pulsares, monebat. Mendicum suum sciebat, et ecce paterfamilias et magnus dives, divitiarum scilicet spiritalium et æternarum, hortatur, et dicit tibi : Pete, quære, pulsa. Qui petit, accipit; quærens invenit; pulsanti aperietur. (*Matth.* VII, 7, 8.) Hortatur, ut petas, negabit, quod petis? Attende a contrario similitudinem vel comparationem de illo divite iniquo, hortantem nos ad orationem, quando ait Dominus (*Luc.* XVIII, 2, 5) : Erat quidam judex in civitate, qui nec Deum timebat, nec hominem reverebatur. Quædam vidua interpellabat eum quotidie, et dicebat : Vindica me. Nolebat ille per tempus, illa interpellare non desinebat, et fecit tædio, quod nolebat beneficio. Sic enim a contrario nos admonuit (*Luc.* XI, 5, 8), ut petamus : Venit, inquit, ad amicum suum, cui hospes venerat, et cœpit pulsare et dicere : Hospes mihi venit, commoda mihi tres panes; respondit ille : Jam requiesco, et mecum servi mei requiescunt; ille non cessat, adstat, pulsat, et tanquam amicus ab amico mendicat. Et quid ait? Dico vobis, quia surgit, et non propter amicitiam ejus, sed propter improbitatem dat illi, quantos voluerit. Non propter amicitiam, quia amicus ejus sit, sed propter improbitatem. Quid est, propter improbitatem? Quia pulsare non destitit, quia et cum esset negatum, non se averti. Ille, qui nolebat dare, quod petebatur, fecit, quia illa in petendo non defecit. Quanto magis dabit Deus bonus, qui nos hortatur, ut petamus, cui displicet, si non petamus; sed cum aliquando tardius dat, commendat dona, non negat. Diu desiderata, dulcius obtinentur; cito autem data, vilescunt : Pete, quære, insta. Petendo et quærendo crescis, ut capias. Servat tibi Deus, quod non vult cito dare, ut

Digitized by Google

et tu discas magna magne desiderare. Inde oportet semper orare, et non deficere. Sed petitur et a nobis; mendici enim Dei sumus, ut agnoscat ille mendicos suos, agnoscamus nos nostros.

S. Chrysostom., lib. I *De orando Deum.*— Quemadmodum sol lucem præbet corpori, sic animæ lumen est precatio. Proinde si cæco damnosum est, non intueri solem, quanto gravius damnum est homini Christiano, si non assidue deprecetur, neque Christi lucem orando in animum suum inducat? Jam vero quis non obstupescat et admiretur, tantam benignitatem ac benevolentiam, quam in nos homines declarat Deus? qui mortalibus tantum honoris largiatur, ut dignos nos habuerit, qui cum ipso colloquamur, nostraque vota apud ipsum deponamus. Nam vero profecto cum Deo confabulamur, quoties vacamus deprecationi, per quam simul et angelis copulamur, et societatem, quam cum brutis animantibus habebamus, procul effugere videmur. Angelorum enim opus est, deprecatio, superans interim etiam illorum dignitatem, si tamen majus est angelorum dignitate, colloquium miscere cum Deo. Atqui quod id sublimius sit, ipsi nos docent, multo quidem cum tremore vota sua offerentes, cæterum nobis exemplum præbentes, unde sciamus ac discamus quod, quisquis Deum adit, multo cum gaudio, multoque rursum cum tremore id facere oporteat. Tremore quidem, dum metuimus, ne videamur indigni, qui Deum precibus alloquamur; rursus gaudio repleamur, reputantes honoris magnitudinem, quod Deus mortalium genus tanta ac tali sua cura dignatus sit, ut assiduo divino colloquio frui liceat, per quod etiam illud assequimur, ut et mortales temporarii esse desinamus, natura quidem mortales, sed colloquia convictuque, quem agimus cum Deo, ad immortalem vitam transeuntes. Etenim si qui cum Cæsare miscent sermones, familiariterque cum eo versantur, et hoc honoris ab illo sunt adepti, non possunt esse pauperes, multo minus fieri potest, ut, qui Deum deprecantur, cum eo familiariter colloquentes, animas habeant mortales. Nam mors animæ est impietas, ac vita pugnans cum lege divina. Ex quo consequitur, animæ vitam esse Dei cultum, ac vitam eo cultu dignam. Porro vitam piam, ac Dei cultu dignam, miris modis oratio conciliat, conciliatam auget, ac ceu thesaurum recondit animis nostris. Neque enim fieri potest, non potest, inquam, fieri, ut, qui postulant a Deo pudicitiam, justitiam, mansuetudinem ac benignitatem, non assequantur id, quod petunt. *Petite enim, inquit Dominus, et dabitur vobis, quærite, et invenietis, pulsate, et aperietur vobis. Quisquis enim petit, accipit, et qui quærit, invenit, et pulsanti aperietur.* (*Matth.* VII, 7, 8.) Et rursus alibi: *Quis est, inquit, ex vobis, a quo si filius petat panem, det illi lapidem? aut si piscem postulet ille, porrigat ei serpentem? Quod si vos, cum sitis mali, nostis bona munera dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctum his, qui nunc ab ipso petunt?* (*Luc.* XI, 11.) Talibus quidem dictis, ac tali spe provocavit nos ad orandum universorum Dominus. Nos vero decet obtemperantes Deo, semper omnem vitam in laudibus Dei precibusque transigere, majore studio curam agentes divini cultus, quam vitæ nostræ. Sic enim contigerit, semper vivere vitam homine dignam. Quisquis enim non orat Deum, nec divino colloquio cupit assidue frui, is mortuus est, et vita carens, expersque sanæ mentis. Nam hoc ipsum evidentissimum est argumentum amentiæ, non intelligere magnitudinem hujus honoris, nec amare deprecandi studium, nec hoc habere persuasum, quod animæ mors sit, non provolvi ad Dei genua. Quin insuper quod oporteat quavis morte tristius existimare, si quis deprecatione privetur, pulchre nos docet Daniel ille propheta magnus, qui maluerit emori, quam triduo duntaxat arceri ab orando. Nec enim hoc ab eo exigebat rex Persarum, ut impietatem admitteret, tantum illud observabat, si quis intra triduum quidquam petere deprehenderetur ab ullo deorum aut hominum, præterquam ab ipso. Sed propheta (*Dan.* VI, 7), ne tantulum quidem temporis sustinuit ab orando cessare, propterea quod nisi Deus propensus sit in nos, nihil omnino bonorum in animas nostras venire possit, Dei vero propensio simul adjuvat labores nostros, hosque pulchre sublevat, si conspexerit nos amare precandi studium, si continenter orare Deum, si viderit expectantes omnia bona nobis illinc defluxura. Itaque cum videro quempiam non amantem orandi studium, nec hujus rei fervida vehementique cura teneri, continuo mihi palam est, eum nihil egregiæ dotis in animo possidere. Rursus ubi quem conspexero, insatiabiliter adhærentem cultui divino, idque in summis damnis numerantem, si non continenter oraverit, conjecto, talem omnis virtutis firmum esse mediatorem, ac Dei templum. Etenim si vestitus hominis, si pedum incessus, si risus dentium declarat, qualis sit, quemadmodum sapiens dixit Salomon (*Eccli.* XIX, 27), multo magis deprecatio cultusque Dei signum est totius justitiæ, cum sit ornatus spiritualis ac divinus multam pulchritudinem ac decorem concilians mentibus nostris, dum uniuscujusque vitam componit, nec sinit quidquam sordidum aut absurdum dominari nostro animo, dum persuadet revereri Deum, et honorem, quem illi debemus præstare, dum docet universam mali spiritus imposturam rejicere, turpes et absurdas cogitationes profligans, denique dum cujusque mentem constabilit in contemptu voluptatum. Nam hæc superbia sola decet eos, qui Christum venerantur, videlicet, nulli servire turpitudini, sed mentem servare in libertate morumque puritate. Arbitror itaque cunctis esse manifestum, quod simpliciter impossibile sit, absque precationis præsidio cum virtute degere, cumque hac hujus vitæ cursum peragere. Etenim

Digitized by Google

qui fiat, ut quisque virtutem exerceat, nisi continenter adeat, et supplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem suppeditat ac largitur hominibus? Rursum qui fiat, ut aliquis concupiscat esse temperatus ac justus, nisi lubens cum eo consuetudinem et colloquium habeat, qui cum hæc, tum his etiam plura exigit a nobis? Quin et illud paucis demonstrare volo, quod etiam si nos peccatis refertos precatio deprehenderit, celeriter purgatos reddit. Quid itaque majus aut divinius obtingere possit, quam deprecatio, cum hanc animis ægrotantibus pharmacum quoddam esse liqueat? Et paulo post : Jam vero quod animam peccatis obnoxiam deprecatio facile puram reddit, docet nos publicanus ille, qui petit a Deo remissionem peccatorum, et impetravit. (*Luc.* XVIII, 13, 14.) Docet et leprosus, qui simul ut procidit ad pedes Dei, mundatus est. (*Matth.* VIII, 3.) Quod si Deus corpus morbo corruptum celeriter sanavit, multo magis animam, quæ morbo tenetur, humaniter sanabit. Etenim quanto pretiosior est anima corpore, tanto magis consentaneum est, hanc Deo majori curæ futuram. Quam innumera recenseri possint exempla tum vetera, tum nova, si quis velit omnes enumerare, qui deprecationis beneficio servati sunt. Verum aliquis forsitan ex numero, qui socordiæ segnitiæque dediti nolunt attente ac diligenter orare, persuasurus sit in hoc Deum illa verba dixisse : *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est.* (*Matth.* VII, 21.) Atqui ego si crederem solam precationem ad salutem nostram sufficere, non injuria sermonem hunc nobis objiceret aliquis. Nunc cum profitear, deprecationem caput esse bonorum omnium basim ac radicem vitæ frugiferæ, non est, quod quisquam illis verbis abutatur ad excusationem suæ socordiæ. Neque enim sola temperantia potest homini salutem afferre, si cætera desint bona, neque cura pauperum, neque benignitas, neque quidquam aliorum, quæ cum virtute geruntur, sed oportet ut omnia simul concurrant in animas nostras. Cæterum precatio, ceu radix et basis, omnibus cæteris substernitur. Neque secus ac navem et domum, ea quæ substrata sunt, valida reddunt, ac ne solvatur, continent, ita nostram vitam orandi studium et continet, et ubique firmam reddit, adeo ut absque hoc nihil nobis boni possit contingere, neque quod ad salutem conducat. His de causis Paulus tanto studio non cessat huc adhortari nos, dicens : *Deprecationi instate, vigilantes in ea cum gratiarum actione.* (*Col.* IV, 2.) Atque alibi jubet, ut citra intermissionem oremus in omnibus gratias agentes : *Hæc est enim*, inquit, *voluntas Dei.* (*I Thess.* V, 17.) Ac rursus alio in loco : *Orate omni tempore in spiritu, in hoc ipsum vigilantes cum omni instantia et obsecratione.* (*Ephes.* VI, 18.) Adeo multis ac divinis vocibus ad orandum nos assidue provocat ille apostolorum Princeps. Decet igitur nos ab illo doctos, cum precatione vitæ cursum peragere, atque hac mentem assidue rigare, siquidem hoc omnes homines, non minus opus habemus, quam arbores aquarum humore. Neque enim valent illæ fructus producere, nisi bibant humorem radicibus, neque nos pretiosis pietatis fructibus poterimus esse gravidi, nisi precibus irrigemur. Quapropter oportet, et stratis relictis, divino cultu prævenire solis exortum, et cum ad mensam accedimus, et cum nos ad nocturnam quietem recipimus, quin potius oportet, singulis horis unam precationem offerre Deo, ut orandi cursus, diei cursum æquet. Cæterum hyberno tempore decet etiam noctis maximam partem precibus impendere, ac flexis genibus, multo cum tremore instare deprecationi, hoc ipso nos beatos existimantes, quod Dei cultui vacamus. Dic mihi, qua fronte solem intueberis, nisi prius adoraveris, qui lumen illud dulcissimum oculis tuis mittit? Quo pacto frueris mensa, nisi prius adoraveris eum, qui tibi tantum bonorum largitur ac suppeditat? Qua spe trades te ipsum nocturno tempori, qualibus cum insomniis putas tibi rem fore, nisi te ipsum præmunieris orando, sed incustoditus ad somnum accesseris? Nimirum contemptibilem captuque facilem te ipsum præbebis sceleratissimis spiritibus, qui continenter obambulant, observantes nos, ut, si quem deprehenderint nudatum deprecationis præsidio, protinus abripiant. Si nos conspexerint deprecatione communitos, illico resiliunt, non aliter quam prædones ac facinorosi, ubi conspiciunt militis gladium in caput suum vibrari. Quod si contingat aliquem esse nudum precationis præsidio, hic avulsus deportatur a dæmonibus, et in calamitates variaque mala impellitur. Oportet igitur, ut hæc omnia metuentes, precibus et hymnis semper nos ipsos circumvallemus, ut Deus omnium misertus, dignos efficiat regno cœlorum per unicum Filium suum.

S. Chrys., lib. II. — *De orando Deum*, cum multa summatim repetivisset ex superiori libro, inter alia sic ait : Jam vero si quis dicat, animæ nervos esse deprecationem, mea quidem sententia, videbitur verum dicere, nimirum quemadmodum corpus nervis cohæret, currit, vivit, stat, et compactum est, adeo ut, si nervos incideris, universam corporis harmoniam dissolveris, itidem animæ per sanctas preces sibi constant, et compinguntur, ac pietatis cursum facile peragunt. Quod si te ipsum destitueris precatione, perinde feceris, ac si piscem ex aquis extraxeris. Ut enim pisci vita est aqua, ita tibi deprecatio, per hanc datur velut ex aquis subvolare, cœlumque transcendere, ac proximum fieri. Itaque quæ hactenus dicta sunt, sufficiunt ad declarandum, quanta sit vis sanctæ deprecationis. Sed fortasse præstiterit, ut ad divinas Scripturas veniam, ut ex ipsius Christi verbis discamus opes, quas deprecatio comparat his, qui student per omnem vitam in ea versari. Dicebat autem, inquit, eis etiam

Digitized by Google

parabolam huc spectan'em, quod oporteat semper orare. (*Luc.* XVIII, 1.) Si is, qui nunquam cogitarat quidquam humanitatis cuiquam præstare, subito mutatus, misertus est viduæ rogantis, quantam erga nos Dei sollicitudinem e cœlo deportabit deprecatio? Ad hæc quantum valeat, ac possit sancta precatio, vel hinc cognoscas licebit, si consideres, quantum bonorum singulis diebus, ac singulis horis accipiant hi, qui jugiter Deo supplicant. Quem enim fugit, quod solis, lunæ stellarumque lumen, quod cœli temperiem, ac variam alimentorum copiam, quod opes, quod vitam, denique quod alia innumerabilia bona cuncta ex æquo mortalibus largitur Deus, justis pariter atque impiis, videlicet ob immensam suam humanitatem, qua afficitur erga nos? (*Matth.* v, 45.) Porro si nec rogantes, nec postulantes, tanta quotidie misericordia prosequitur ac refocillat, quantis bonis probabile est fruituros eos, qui omnem vitam precibus et obsecrationibus vacarunt? Age jam et illud exponamus vobis, quam multis sanctis datum sit, deprecationis præsidio servare non solum gentes ac civitates, verum etiam orbem universum. Deprecatio incendii vim exercuit, leones mites reddidit, hoc quidem in Daniele, illud vero in tribus pueris, per quos nimirum declaratum est omnibus, quod, quoscunque deprehenderit in periculo constitutos, facile exsurgentibus malis eripiat deprecatio, salutis causa, immortalitatis animæ conciliatrix, Ecclesiæ murus, qui rumpi non possit, munimentum inconcussum, dæmonibus quidem formidabile, piis vero, nimirum nobis, salutiferum.

S. CHRYS., hom. 5, *de incomp. Dei natura contra Anomœos.* — Aptissima arma oratio est, thesaurus certe perpetuus, divitiæ inexhaustæ, portus quietus, occasio tranquillitatis, denique auctor, parens, fons, et radix bonorum omnium et innumerabilium oratio est, atque etiam regia ipsa facultate potior et superior. Et paulo post: Vis orationis vim ignis exstinxit, impetum leonum cohibuit, bella composuit, prælia removit, tempestates sustulit, dæmonia expulit, cœli fores aperuit, vincula mortis disrupit, languores ejecit, offensas repressit, urbes terræ motu nutantes firmavit, plagas cœlitus irruentes, insidias hominum, mala denique omnia delevit oratio. Orationem autem, ut iterum dicam, non eam commendo, quæ frustra in ore habeatur, sed quæ ab imis animi prodeat. Ut enim arbores, quæ radicem altius miserint, quamvis summum ventorum excipiant impetum, non frangi aut evelli possunt, cum planta et firmissima stirpe innitantur, sic orationes, quas animus de suo imo reddiderit, per quam tute affixæ, efferunt sese in excelsum, nulloque perverluntur aggressu cogitationum. Unde Propheta insignis ait: *De profundis clamavi ad te, Domine.* (*Psal.* CXXIX, 1.) Nihil penitus nos dolore afficere poterit, si orationem intentam exquisitamque habeamus; quidquid enim acciderit, facile per orationis facultatem repellemus. Nec mirum si casus humanos tollere vires possunt orationis, quando et ipsam peccatorum naturam exstinguunt, et compendio excidunt ac delent.

Idem, hom. 71, *ad populum Antioch.* — At si fide quidem opus est, quid est opus jejunio? quoniam et illud cum fide non modicam inducit fortitudinem; multam enim affert disciplinam, et angelum ex homine reddit, et cum incorporeis pugnat virtutibus, sed non per se; opus enim est et oratione; et oratione primo. Nam aspice, quot ex ambobus bona nascuntur. Orans enim et, ut oportet, jejunans, non multis eget; qui vero multis non eget, nunquam fiet avarus, et ad eleemosynam magis est aptus. Jejunans levis est alatus, et cum solertia orat, et improbas exstinguit concupiscentias, Deum placat, et insurgentem animum humiliat. Propterea et apostoli fere semper jejunabant. Orans cum jejunio, geminas habuit alas, et ipsis quidem ventis leviores; nec enim oscitat, et distenditur, et orans languescit, quod multi patiuntur, sed est igne vehementior et terra superior, et propterea talis maxime dæmonibus est infestus et hostis. Nihil enim fortius homine legitime orante. Nam si sævum principem quemdam, qui neque Deum timebat, nec hominem reverebatur (*Luc.* XVIII, 2), placare potuit mulier, multo magis Deum alliciet, qui ei jugiter assistit, vincit ventrem, et delicias eliminat.

Idem, hom. 79, *ad populum Antioch.* — Si beatus David cum esset rex, et innumeris immersus curis, et undique distractus, septies in die Dominum rogabat (*Psal.* CXVIII, 164), quam nos veniam habuerimus et excusationem, tantum habentes otii, nec ipsi continue supplicantes, et hæc cum tantum lucri capere debeamus? Impossibile enim, impossibile, hominem congruo precantem studio, Deoque continue supplicantem, unquam peccare. Et paulo post de Anna Samuelis matre loquens: Nonne poterat et sine oratione Deus præbere? nonne sciebat et ante orationem mulieris desiderium? Sed si ante petitionem dedisset, non apparuisset mulieris studium, non virtus fuisset manifesta, non inde præmium possedisset. (*I Reg.* I, 10 seq.) Opus est itaque, nos et mensam petentes, et desistentes, Deo gratias agere. Ad hoc enim paratus, nunquam in ebrietatem decidet aut insolentiam, nunquam crapula disrumpetur, sed orationis exspectationem pro freno sensibus habens impositam, cum debita modestia ex omnibus appositis sumet, et multa quidem animam, multa vero benedictione corpus implebit. Mensa namque ab oratione sumens initium, et in orationem desinens, nunquam deficiet, sed fonte largius omnia nobis afferet bona. Ne tantum itaque prætermittamus emolumentum. Absurdum est enim, servos quidem nostros, si quam appositorum partem a nobis accipiant, nobisque gratias agere, et cum benedictione recedere; nos autem tot bonis potientes, nec tantum honoris Deo reyendere. Propterea namque

Digitized by Google

multa tam in communibus, quam in privatis rebus, præter sententiam nobis eveniunt, quoniam non circa spiritualia primum, tum vero circa sæcularia studium exhibemus. Neque mihi quispiam dicat, quod nequit homo sæcularis, affixus foro, continue per diem orare, et ad Ecclesiam concurrere; potest enim et quam facillime. Nam licet in ecclesiam non sit facile concurrere, illic ante fores constitutus, et affixus tribunali, potest orare. Si mentem namque mundam habeas ab immundis motibus, licet in foro sis, sive in via, sive in foro constitutus, sive in mari, sive in diversorio, sive in officina positus, sive sis ubicunque, Deo poteris invocato petitionem obtinere. Et domi quidem orari potest; sic autem ut in ecclesia, non potest, ubi tanta patrum multitudo, ubi clamor ad Deum unanimiter emittitur. Non ita Dominum per te solum orans, audiris, ut cum fratribus tuis. Hic enim majus aliquid est, puta unanimitas et consonantia, charitatisque vinculum, et sacerdotum orationes. Propterea namque sacerdotes præpositi sunt, ut multitudinis orationes, cum sint infirmiores, hisce potentiores adjungentes, pariter cum illis in cœlum ascendant. Si namque Petrum Ecclesiæ adjuvit oratio, et illum ex carcere columnam eduxit (*Act.* xii, 5), quo modo tu ipsius potentiam contemnis? Sicut enim charitatis virtus interdum non arcetur, ita nec orationis efficacia, sed sicut illa inter se distantes conjungit, itidem et hæc, et procul positos plurimum adjuvare potest. Et paulo post : Bonum est igitur, sanctorum oratione frui, sed cum et nos simus cooperatores; quod si non adfuerit, nihil aliorum prodest auxilium, verum et cum illo perimus. Quid enim Judæis profuit Jeremias? Nonne ter ad Deum accesssit, et ter audivit : *Ne ores, neque petas pro populo isto quoniam te non exaudiam?* (*Jer.* vii, 16.) Quid Sauli profuit Samuel ad ultimum usque diem orans, et pro eo lugens? Quid autem et Israelitis profuit? Nonne dicebat : *Mihi autem absit peccare pro vobis orare cessanti?* (*I Reg.* xii, 23) Nonne cuncti perierunt? Nam Deum audi dicentem per prophetam : *Si steterint Noe, Job, et Daniel, non liberabunt filios suos et filias, quoniam invaluit eorum malitia.* (*Ezech.* xiv, 14.) Quid ergo? Nihil prosunt orationes? Prosunt et quam plurimum, sed cum nos quoque cooperamur. Et si vis dicere, quantum contulerint, cogita mihi Cornelium et Thabitham (*Act.* x, 4; ix, 40), audi quoque Deum dicentem : *Protegam civitatem istam propter me, et propter David puerum meum.* (*IV Reg.* xix, 34; xx, 6.) Sed quando? Tempore justi Ezechiæ. (*IV Reg.* xxv, 4.) Alioquin si malorum quoque valebant preces, quare Nabuchodonosor regi quoque Deus hoc non dixit, sed civitatem tradidit? quoniam invaluerat peccatum. Et hic ipse rursum Samuel pro Israelitis oravit et obtinuit (*I Reg.* vii, 9); sed quo tempore? Cum et ipsi Deo grati fuerunt, tunc hostes in fugam verterunt. Et quid est, ait ille, mihi opus alienis orationibus, cum ego gratus sim? Quod ais homo? Paulus non dixit : Mihi non est opus oratione, licet orantes eo digni non essent : imo nec ipsi pares, et tu dicis : Quid mihi opus est oratione? Petrus non dixit : Quid mihi opus est oratione? ait enim : *Oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo*, et statim liberavit eum ex vinculis (*Act.* xii, 5), et tu dicis : Quid mihi est opus oratione? Propter hoc et indiges, quoniam indigere non te credis. Nam si Deus nostrum in orationibus torporem et negligentiam exquirat, et quod in ejus conspectu positi et orantes, neque tantum ei præbemus honorem, quantum dominis servi, quantum ducibus milites, quantum amicis amici; amicum enim alloquens, hoc cum attentione facis : Deo autem pro peccatis occurrens, pro totque criminibus veniam petens, et rogans tibi remissionem fieri, torpes, et genibus tuis humi prostratis, circa forum et domum mentem tuam vagari frequenter dimittis, ore tuo frustra nugante et incassum, nec hoc semel et bis, verum et frequenter patimur. Si hoc tantum exquirere Deus voluerit, nunquid veniam habebimus? nunquid excusationem assequi poterimus?

S. Gregor., hom. 27 *in Evang.* — Si omne, quod petimus in nomine Filii, dat nobis Pater : quid ergo est, quod Paulus ter Dominum rogavit, et exaudiri non meruit, sed dictum est illi : *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur?* (*II Cor.* xii, 9.) Nunquid ille tam egregius prædicator in Filii nomine non petiit? Quare autem non accepit, quod petiit? Quomodo ergo verum est, quia quidquid petierimus Patrem in nomine Filii, dat nobis Pater, si auferri a se angelum Satanæ petiit Apostolus in nomine Filii, et tamen, quod petiit non accepit? Sed quia nomen Filii Jesus est, Jesus autem Salvator vel etiam Salutaris dicitur, ille ergo in nomine Salvatoris petit, qui illud petit, quod ad veram salutem pertinet. Nam si id, quod non expedit, petitur, non in nomine Jesu petitur Pater. Unde et eisdem apostolis, adhuc infirmantibus, Dominus dicit : *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo.* (*Joan.* xvi, 24.) Ac si aperte diceretur : Non petistis in nomine Salvatoris, qui nescitis quærere æternam salutem. Hinc est, quod et Paulus non exauditur, quia si liberaretur a tentatione, ei non prodesset ad salutem. Ecce vidimus, fratres charissimi quam multi ad solemnitatem martyris convenistis, genua flectitis, pectus tunditis, voces orationis ac confessionis emittitis, faciem lacrymis rigatis. Sed pensate, quæso, petitiones vestras; videte si in nomine Jesu petitis, id est, si gaudia salutis æternæ postulatis. In domo enim Jesu Jesum non quæritis, si in æternitatis templo importune pro temporalibus oratis. Ecce alius in oratione petit uxorem, alius petit villam, alius postulat vestem, alius dari sibi deprecatur alimentum. Et quidem cum hæc desunt, ab omnipotente Deo petenda sunt. Sed meminisse continuo debemus, quod ex mandato ejusdem nostri

Digitized by Google

Redemptoris accepimus : *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus et hæc omnia adjicientur vobis.* (*Matth.* VI, 33.) Et hæc itaque a Jesu petere, non est errare, si tamen non nimis petantur. Sed adhuc, quod est gravius, alius postulat mortem inimici, eumque, quem gladio non potest persequi persequitur oratione. Et vivit adhuc, cui maledicitur, et tamen is, qui maledicit, jam de morte illius reus tenetur. Jubet autem Deus, ut diligatur inimicus (*Matth.* V, 44) : et tamen rogatur Deus, ut occidat inimicum. Quisquis itaque sic orat, in ipsis suis precibus contra Conditorem pugnat. Unde et sub Judæ specie dicitur : *Fiat oratio ejus in peccatum.* (*Psal.* CVIII, 7.) Oratio autem in peccatum est, illa petere, quæ prohibet ipse, qui petitur. Hinc Veritas dicit : *Cum statis ad orandum, remittite, si quid habetis in cordibus vestris.* (*Marc.* XI, 25.) Quam virtutem remissionis apertius ostendimus, si unum testimonium Testamenti Veteris proferamus. Certe cum Judæa Conditoris sui justitiam, culpis exigentibus, offendisset, prophetam suum ab oratione Dominus prohibet, dicens : *Non assumas laudem et orationem pro eis.* (*Jer.* XI, 14.) *Si Moyses et Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum.* (*Jer.* XV, 1.) Quid est, quod intermissis relictisque tot patribus, soli Moyses et Samuel ad medium deducuntur, quorum mira virtus obtinendi ostenditur, dum nec ipsi posse intercedere dicuntur? Ac si aperte Dominus dicat : Nec illos audio, quos propter magnum petitionis suæ meritum minime contemno. Quid est ergo, quod Moyses et Samuel cæteris patribus in postulatione præferuntur, nisi quod hi duo tantummodo in cuncta Testamenti Veteris serie etiam pro inimicis suis leguntur exorasse? Unus a populo lapidibus impetitur, et tamen pro lapidatoribus suis Dominum deprecatur. Alter ex principatu ejicitur, et tamen petitus, ut exoraret, fatetur dicens : *Absit a me hoc peccatum in Domino, quo minus cessem orare pro vobis.* (*I Reg.* XII, 23.) *Si Moyses et Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum.* (*Jer.* XV, 1.) Ac si aperte dicat : Nec illos modo pro amicis audio, quos magnæ virtutis merito, orare etiam pro inimicis scio. Virtus ergo veræ orationis, est celsitudo charitatis. Et tunc quisque quod recte petit, adipiscitur, cum ejus animus in petitione, nec inimici odio fuscatur.

S. Greg *in psal.* VI.—Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Ideo tibi dicit : *Regnum Dei vim patitur, et violenti rapiunt illud.* (*Matth.* XI, 12.) Esto ergo sedulus in oratione, esto in precibus importunus, cave, ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire, quem rogas, esto raptor, ut regnum cœlorum accipias ; esto violentus, ut vim etiam ipsis inferas cœlis. Quid hac rapina locupletius? quid hac gloriosius violentia? Bona violentia, qua Deus non offenditur, sed placatur ; proximus non læditur, sed juvatur ; peccatum minuitur, non multiplicatur. Bona, inquam, violentia, qua non quæritur lucrum cito periturum, sed regnum acquiritur sine fine mansurum.

S. Isidor, lib. III *De summo bono*, cap. 7.—Hoc est remedium ejus, qui vitiorum tentamentis exæstuat, ut, quoties quolibet tangitur vitio, toties se ad orationem subdat, quia frequens oratio vitiorum impugnationem exstinguit. Tamen perseveranter intendere oportet animum nostrum orando atque pulsando, quousque importunas desideriorum carnalium suggestiones, quæ nostris obstrepunt sensibus, fortissima intentione superemus, ac tandiu insistere, quousque persistendo vincamus. Nam negligentes orationes, nec ab ipso homine impetrare valent, quod volunt. Quando quisque orat, sanctum ad se Spiritum advocat. At ubi advenerit, continuo tentamenta dæmonum, qui se mentibus humanis immergunt, præsentiam ejus ferre non sustinentes effugiunt. Oratio cordis est, non labiorum. Neque enim verba deprecantis Deus intendit, sed orantis cor aspicit. Quod si tacite cor oret, et vox sileat, quamvis homines lateat, Deum latere non potest, qui conscientiæ præsens est. Melius est autem cum silentio orare corde sine sono vocis, quam solis verbis sine intuitu mentis. Nunquam est sine gemitu orandum. Nam peccatorum recordatio mœrorem gignit. Dum enim oramus, ad memoriam culpam reducimus, et magis tunc reos nos esse cognoscimus. Ideoque cum Deo assistimus, gemere et flere debemus, reminiscentes, quam gravia sunt scelera, quæ commisimus, quamque dira inferni supplicia, quæ timemus. Mens qualem se in oratione offert, talem post orationem se conservet. Nam nihil proficit oratio, si denuo committitur, unde jam iterum venia postuletur. Ille enim precis desideratum effectum sine dubio percipit, quæ, quod orando ablui postulat, delinquendo non iterat. Mens nostra cœlestis est, et tunc orando Deum bene contemplatur, quando nullis terrenis curis aut erroribus impeditur. Apta est enim ad bonum in sua natura, in aliena vero turbatur. Pura est oratio, quam in suo tempore sæculi non interveniunt curæ ; longe autem est a Deo animus, qui in oratione cogitationibus sæculi fuerit occupatus. Tunc ergo veraciter oramus, quando aliunde non cogitamus. Sed valde pauci sunt, qui tales orationes habeant. Et licet in quibusdam sint, difficile tamen est, ut semper sint. Mens, quæ ante orationem vacans a Deo, in illicitis cogitationibus occupatur, dum in orationem venerit, confestim illi imagines rerum, quas nuper cogitavit, occurrunt, aditumque precis obstruunt, ne se mens libera ad cœleste desiderium erigat. Purgandus est itaque primum animus, atque a temporalium rerum cogitationibus segregandus, ut pura acies cordis ad Deum vere et simpliciter dirigatur. Nam re vera tunc impetranda divina munera credimus, quando simplici affectu assistimus, cum oramus. Multis modis interrumpitur orationis intentio, dum

Digitized by Google

se per incuriam vana mundi ingerunt in cujuscunque orantis animo. Tunc autem diabolus magis cogitationes curarum sæcularium humanis mentibus ingerit, quando orantem aspexerit. Duobus modis oratio impeditur, ne impetrare quisque valeat postulata, hoc est, si aut quisque adhuc mala committit, aut si delinquenti sibi debita non dimittit. Quod geminum malum, dum quisque a semetipso absterserit: protinus securus studio orationis incumbit, et ad ea, quæ impetrare precibus cupit, mentem libere erigit. Qui lædituri, non desistat orare pro se lædentibus alioquin juxta Domini sententiam peccat, qui pro inimicis non orat. (*Matth.* v, 44.) Sicut nullum proficit in vulnere medicamentum, si adhuc ferrum in eo sit, ita nihil proficit oratio illius, cujus adhuc dolor in mente, vel odium manet in pectore. Tantus debet esse orantis erga Deum affectus, ut non desperet precis effectum. Inaniter autem oramus, si spei fiduciam non habemus. Petat ergo, ut Apostolus ait, *unusquisque in fide nihil dubitans* (*Jac.* I, 6); nam qui dubitat, similis est undæ maris, quæ a vento fertur atque dispergitur. Diffidentia nascitur impetrandi orata, si se adhuc animus sentiat circa peccandi affectionem versari. Non enim potest habere precis certam fiduciam, qui adhuc in præceptis Dei pigritat, et peccandi recordatione delectatur. Qui a præceptis Dei avertitur, quod in oratione postulat, accipere non meretur, nec impetrat ab illo bonum, quod poscit, cujus legi non obedit. Si enim id, quod Deus præcipit, facimus: id, quod petimus, sine dubio obtinemus. Nam sicut scriptum est: *Qui avertit aurem suam, ne audiat legem, oratio ejus exsecrabilis erit.* (*Prov.* XXVIII, 9.) Multum apud Deum utraque sibi necessario commendatur, ut oratione operatio, et opere fulciatur oratio. Unde etiam Jeremias ait: *Levemus corda nostra cum manibus ad Deum.* (*Thren.* III, 41.) Cor enim cum manibus levat, qui orationem cum opere sublevat. Nam quicunque orat, et non operatur, cor levat, et manus non levat. Quisquis vero operatur, et non orat, levat manus, et cor non levat. Sed quia operari necesse est et orare, bene juxta utrumque dictum est: *Levemus corda nostra cum manibus* ad Dominum, ne de negligentia mandatorum corde reprehendamur, dum salutem nostram obtinere aut sola oratione, aut sola operatione contendimus. Postquam bonum opus agimus, lacrymæ orationum fundantur, ut meritum actionis humilitas impetret precis. Culpabiliter manus ad Deum expandit, qui facta sua orando jactanter prodit, sicut Pharisæus in templo jactanter orabat, seque magis, quam Deum de operibus justis laudari volebat. Quorumdam oratio in peccatum convertitur, sicut de Juda proditore scribitur. Qui enim jactanter orat, laudem appetendo humanam, non solum ejus oratio non delet peccatum, sed etiam ipsa vertitur in peccatum. Sic Judæi et hæretici, qui licet jejunare et orare videantur, eorum tamen oratio non delet peccatum, nec ad purgationis proficit meritum, sed mutatur potius in peccatum. Ideo interdum oratio electorum in pressuris eorum differtur, ut impiorum perversitas augeatur. Verum, dum justi temporaliter audiuntur, pro eorum fit salute, qui eos affligunt, ut, dum illis temporali remedio subvenitur, pravorum oculi ad conversionem aperiantur. Unde et trium puerorum frigidus ignis fuit, ut Nabuchodonosor Deum verum agnosceret. Sicut et Propheta in Psalmis ait: *Propter inimicos meos eripe me.* (*Psal.* LXVIII, 19) Proinde tardius exaudiuntur quorumdam orationes, ut, dum differuntur, fortius excitati, majoribus præmiis cumulentur, exemplo pruinarum et repressione messium, in quibus quanto tardius sata semina exeunt, tanto ad frugem cumulatius crescunt. Quoties orantes non cito exaudimur, nostra nobis facta in oculis proponamus, ut hoc ipsum, quod differtur, divinæ reputetur justitiæ et culpæ nostræ. Interdum, quod perseveranter orantes, non cito exaudimur, utilitatis nostræ est, non adversitatis; sæpe enim multos Deus non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad salutem. Multi orantes non exaudiuntur, quia, providendo illis Deus meliora, quam petunt, reservat, sicut contingere solet parvulis, qui ne in scholis vapulent, Deum exorant, sed non datur illis postulationis effectus, quia impeditur talis auditio ad profectum. Non aliter quibusdam contingit electis. Deprecantur enim Deum pro nonnullis vitæ hujus commodis vel adversis. Providentia vero divina temporaliter eorum desiderio minime consulit, quia meliora illis in æternum promittit. Oratio privatis locis opportunis funditur, magisque obtentum impetrat, dum Deo tantum teste depromitur. Proprium autem hypocritarum est, offerre se in oratione videntibus, quorum fructus est, non Deo placere, sed gloriam ab hominibus comparare. (*Matth.* VI, 5.) Non in multiloquio exaudiuntur homines a Deo, quasi plurimis eum verbis conentur inflectere. Neque enim conciliat eum multiplex orantis sermo, sed pura sinceraque orationis intentio. Bonum est, corde semper orare, bonum etiam, et sono vocis Deum spiritalibus hymnis glorificare. Nihil est, sola voce canere sine cordis intentione, sed, sicut ait Apostolus: *Cantantes in cordibus vestris*, hoc est, non solum voce, sed et corde *psallentes.* (*Ephes.* V, 19) Unde et alibi: *Psallam spiritu, psallam et mente.* (*I Cor.* XIV, 10.) Sicut orationibus regimur, ita psalmorum studiis delectamur. Psallenti etiam utilitas tristia corda consolatur, gratiores mentes facit; fastidiosos oblectat, inertes exsuscitat, peccatores ad lamenta invitat. Nam quamvis dura sint carnalium corda, statim ut Psalmi dulcedo insonuerit, ad affectum pietatis animum eorum inflectit. Dum Christianum non vocis modulatio, sed tantum verba divina, quæ ibi dicuntur, debeant commovere, nescio tamen, quo pacto modulatione

Digitized by Google

canentis major nascitur compunctio cordis. Multi enim reperiuntur, qui cantus suavitate commoti, sua crimina plangunt, atque ex ea parte magis flectuntur ad lacrymas, ex qua psallentis insonuerit dulcedo suavissima. Oratio in præsenti tantum vita pro remedio peccatorum effunditur, psalmorum autem decantatio perpetuam Dei laudem demonstrat in gloriam sempiternam, sicut scriptum est : *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* (*Psal.* LXXXIII, 5.) Cujus operis ministerium quicunque fideliter intentaque mente exsequitur, quodammodo angelis sociatur

[Ex conciliis.

Oratio publica sive officium divinum.

Ex canon. apostolorum Clementis I, an. 93, *et epitome Adriani I, an.* 773. — 12. Si quis cum damnato clerico, veluti cum clerico oraverit, damnetur.

Ex conc. Laodiceno, sub Silvestro I, an. 320. — 19. Oportet seorsum primum post episcoporum sermones catechumenorum orationem peragi, et postquam exierint catechumeni, eorum qui pœnitentiam agunt fieri orationem, cum ii sub manum accesserint et secesserint, fidelium preces sic ter fieri, unam quidem scilicet primam silentio, secundum autem et tertiam per pronuntiationem impleri, deinde sic pacem dari, et sic sanctam oblationem perfici, solis autem ministris altaris liceat ingredi ad altare, et ibi communicare.

Ex conc. Nicæno gener. I, *sub Silvestro I, an.* 325. — 20. Quoniam sunt quidam in die Dominico genua flectentes, et in dieb. Pentecost. ut omnia in universis locis consonanter observentur, placuit sancto concilio stantes Domino vota persolvere.

64. Ut in omnibus horis diurnis et nocturnis, in principio et in fine orationis fiat memoria episcopi, et oretur pro salute ejus, et ut in oratione ejus adjuvetur populus.

Ex conc. Rom IV, *sub Damaso, an.* 382. — 6. Jubetur in fine cujusque psalmi apponi *Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto.*

Ex conc. Carthagin. III, *sub Siricio, an.* 397. — 23. Nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet, et quicunque sibi preces aliunde describit non eis utatur, nisi prius eas cum instructionibus fratribus contulerit.

Ex conc. Gerundensi, sub Hormisda, an. 517. — 10. Placuit nobis ut omnibus diebus post matutinas et vespertinas, oratio Dominica a sacerdote proferatur.

Ex conc. Toletano IV, *sub Honorio I, an.* 633. — 9. Quisquis sacerdotum vel subjacentium clericorum, orationem Dominicam quotidie aut in publico aut in privato officio prætermerit, propter superbiam iudicatus, ordinis sui honore privetur

Ex conc. Toletano IV, *sub Honorio I, an.* 633. — 2. Placuit ut omnes sacerdotes qui catholicæ fidei unitate complectimur, nihil ultra adversum aut dissonum in ecclesiasticis sacramentis agamus, etc. Unus ergo ordo orandi atque psallendi à nobis per omnem Hispaniam atque Galliciam conservetur, unus modus in missarum solemnitatibus, unus in vespertinis officiis, nec diversa sit ultra in nobis ecclesiastica consuetudo, quia una fide continemur et regno.

Ex conc. Toletano V, *sub Honorio I, an.* 636.— 1. A die Iduum Decembr. Litania triduo ubique annua successione peragatur, et indulgentia delictorum lacrymis impetretur, quod si dies Dominica intercesserit, in sequenti hebdomada celebretur.

Ex concil. Toletano VI, *sub Honorio I, an.* 638. — 2. Hi dies litaniarum, qui in synodo præmissa, sunt instituti, eod. tempore quo jussi sunt excoli, annuo recursu, omni observatione habeantur celeberrimi.

Ex conc. Toletano XVII, *sub Sergio, an.* 694. — 6. Decernimus ut deinceps per totum annum in cunctis 12 mens. per universas Hispaniæ et Galliarum provincias pro statu Ecclesiæ Dei, pro incolumitate principis nostri atque salvatione populi, et indulgentia totius peccati, et a cunctorum fidelium cordib. expulsione diaboli, exomologeses votis gliscentibus celebrentur.

Ex conc. Moguntino, sub Leone III, an. 813. — 33. Placuit ut litania major observanda sit a cunctis Christianis, diebus tribus sicut sancti Patres nostri instituerunt, non equitando, nec pretiosis vestibus induti, sed discalceati cinere et cilicio induti, nisi infirmitas impedierit.

Ex conc. Rhemensi I, *sub Leone III, an.* 813. — 2. Ut orationem quam Dominus noster Jesus Christus discipulos suos orare docuit verbis suis discerent, et sensu bene intelligerent, quia illa ignorare nulli Christiano licet.

Ex conc. Aquisgran., sub Gregorio IV, an. 836. — 10. De litania majore atque de rogationibus decretum est, juxta morem Romanum, VIII Kal. Maii illam celebrationem secund. consuetudinem nostræ Ecclesiæ non omittendam.

Ex conc. Tullensi sub Nicolao I, an. 859. — 14. Placuit omnibus qui ad hoc universale conc. confluxerunt, ut pro se invicem omnes dum adviverent preces in ejusm. frequentarent, scilicet ut singuli pro cunctis per singulas hebdomadas feria quarta missam celebrarent; post vocationem autem cujuslibet eorum, superstites obtineant, ut pro eo qui decesserit in sedibus septenæ missæ totidemque vigiliæ Domini persolvantur, presbyteris autem monasteriorum sive villarum totidem vigiliæ dependantur, exitus autem uniuscujusque vicissim piis currentibus litteris innotescat, præsentes etiam abbates in tam profutura societate recepti, cad. se conditione junxerunt.

Ex conc. Metensi, sub Stephano VI, an. 888. — 9. Precando rogaverunt episcopi

Digitized by Google

orare pro domino rege Arnulpho, et triduanum in proximo celebrare jejunium, ubi cum litaniis et magna corporis afflictione precaremur.

Ex conc. Londinensi, sub Innocentio III, an. 1200. — 1. Omnes horæ et omnia officia aperte et distincte dicantur, ita quod ex festinatione nimia non præcidantur, vel syncopentur.

Ex conc. Oxoniensi, sub Honorio III, an. 1222. — Divinum officium nocturnum pariter et diurnum, secund. quod Deus dederit, studiose celebretur et devote, universa quoque ecclesiast. sacramenta, et præcipue baptismatis et altaris, verba quoque canonis præsertim in consecratione corporis Christi plene et integre proferantur.

Ex conc. Salisburg., sub Martino IV, an. 1281. — 16. Per præsentis anni decursum in instanti adventu Domini inchoandum, in singulis cathedralibus, conventualibus, parochialibus ecclesiis psalmus, *Domine quid multiplicati sunt*, cum oratione Dominica, et versu *Fiat pax*, etc., et collecta, *Deus a quo sancta*, etc., clerus in missa post tertiam *Agnus Dei*, quotidie semel dicat, quatenus Dominus noster Jesus Christus pacem in populo suo multiplicatis intercessoribus largiatur.

Ex conc. Ravennat. II, *sub Clemente V, an.* 1311. — 17. Omnes abbates, priores conventus, et monachi ord. sancti Benedicti in responsoriis et aliis divinis officiis se debent de cætero conformare.

Ex conc. Turonensi, sub Nicolao V, an. 1448. — 1. Quilibet sacerdos singulis diebus non solemnibus, dicat officium mortuorum, ad minus cum tribus lectionibus, maxime cum pro fidelibus defunctis celebrabit.

Ex conc. Senonensi, sub Clemente VII, an. 1528. *De moribus.* — 1. De suffraganeorum nostrorum consilio et assensu in primis districte injungimus, ut per cathedrales, collegiatas, parochiales et alias quascunque ipsius nostræ provinciæ ecclesias fiant preces tam publice quam privatim quibus avertatur ira Dei, ut de peccatis nostris meritam non sumat ultionem.

Ex conc. Augustensi, sub Paulo III, an. 1548. — 31. Sacerdotes, tam religiosi quam sæculares pro imperat. ac aliis principibus catholicis, in missis, orationibus, et concionibus suis devotissime precentur.

Ex conc. Mediolan. II, *sub Pio V, an.* 1569, *tit.* 1. — 16. Oratio quæ 40 horarum dicitur, ne ulla in ecclesia extra ordinem constituatur sine episcopi concessu.

Ex conc. Mediolanensi IV, *sub Gregorio XIII, an.* 1576, *part.* 1. — 23. Orationis vespertinæ signum disjunctis campanæ ictibus detur, ubi vero in vicis et pagis ob campanæ exiguitatem sonus ita difficilius exanditur, non intermisso, sed continenti sono per horæ quadrantem illius significationem fieri, si ita sensuerit, jubeat episcopus, etc. Nimbis procellisve imminentibus, sicut ecclesiasticæ consuetudinis est, campanis sonetur tum ad tempestatem ut divina, quæ ex solemni prece, sacraque benedictione illis inest depellendam, tum ad Dei misericordiam implorandam.

Ex conc. Avenionensi, sub Clemente VIII, an. 1594. — 45. Quadraginta horarum oratio fiat in conspectu sanctiss. Sacramenti quod e tabernaculo expositum in majori aliove altari, si ita expedierit, palam collocetur, nocte appetente nulli mulieri liberum sit in Ecclesia manere, absque episcopi licentia non fiat.

Ex conc. Narbonensi, sub Paulo V, an. 1669. — 40. Ut omnibus unitas sit in Ecclesia quæ una est, a quibuscunque ecclesiasticis tam metropolitanæ, cathedralium, collegiatarum, aliarumque ecclesiarum officium recitari in choris et ecclesiis decantari præcipimus et mandamus juxta ritum, ordinem, modum et formam a felicis memoriæ Pio Papa hujus nominis, V. præscriptam.

ORDO, SACERDOTIUM

[Ex SS. Patribus.]

1. *Hierarchia.*

S. Clement., epist. 1 *ad Cor.*, t. I. — Unusquisque vestrum, fratres, in suo statu gratias Deo habeat, in bona conscientia degens, non transgrediens, præscriptam muneris sui regulam, in honestate. Non ubique, fratres, offeruntur sacrifia jugia, vel votiva, vel pro peccato et delicto, sed Hierosolymis tantum; atque illic non in omni loco fit oblatio, sed ante templum ad altare; prius facta a summo sacerdote et prædictis ministris oblati inspectione ac probatione. Qui ergo præter id quod voluntati ejus consentaneum est, aliquid faciunt, morte mulctantur. Videtis, fratres quo majori cognitione digni sumus habiti, eo periculo magis obnoxii sumus.

Apostoli nobis evangelizaverunt a Domino Jesu Christo; Jesus Christus a Deo. Missus igitur est Christus a Deo, et apostoli a Christo: et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis et certo persuasi per resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, et in fide confirmati per verbum Dei cum sancti spiritus plenitudine ac securitate, egressi sunt annuntiantes adventurum esse regnum Dei. (*I Thess.*, I, 5.) Prædicantes igitur per regiones ac urbes, primitias earum, spiritu cum probassent, in episcopos et diaconos eorum qui crediturі erant, constituerunt. Neque hoc nove: a multis enim temporibus de episcopis et diaconis scriptum fuerat. Sic enim alicubi dicit Scriptura: *Constituam episcopos eorum in justitia et diaconos eorum in fide.* (*Isai* LX, 17.)

Sacerdotum electio et probatio.

Constitut. Apostol., lib. VI, can. 23, t. I. —

Digitized by Google

Baptisma, sacrificium, sacerdotium, cultum certo loco addictum, aliter mutavit (Christus) : si quidem pro quotidiana lavatione, unum solummodo baptisma dedit, quod in ipsius mortem peragitur ; et pro una tribu, jussit ex unaquaque gente optimos ad sacerdotium eligi ; et non inspici an corpora labem contraxerint, sed quæ sit eorum qui deliguntur religio ac vita. Pro sacrificio cruento, rationale, incruentum et mysticum instituit, quod in mortem ejus propter symbola celebratur, sacrificium corporis et sanguinis Domini : denique pro cultu ad locum quemdam adstricto, præcepit et æquum censuit, ut a solis ortu usque ad occasum in omni loco dominationis suæ eum laudibus prosequamur.

II. *Sacerdotii tremenda dignitas.*

S. Ephrem., serm. *de sacerdotio*, t. III,— O miraculum stupendum ! O potestas ineffabilis ! O tremendum sacerdotii mysterium, spirituale ac sanctum, venerandum et irreprehensibile, quod Christus in hunc mundum veniens, etiam indignis impertitus est. Genu posito, lacrymis atque suspiriis oro, ut hunc Sacerdotii thesaurum inspiciamus, thesaurum, inquam, his qui eum digne et sancte custodiunt. Scutum siquidem est refulgens et incomparabile, turris firma, murus indivisibilis, fundamentum solidum ac stabile, a terra ad axem usque cœli pertingens. Quid dico, fratres, excelsos illos axes contingi ? Imo in ipsos cœlos cœlorum sine impedimento atque labore ascendit, et in medio angelorum simul cum spiritibus incorporeis facile versatur. Quid dico, in medio supernarum virtutum ? Quin et cum ipso angelorum Domino, atque Creatore, datoreque luminum, familiariter agit. Et quantum vult, confestim quæ postulat, facile, et suo jure quodammodo impetrat.

Quemadmodum et propheta Isaias sonora voce reboat, dicens : Quoniam de vertice montium vocem suam daturi sunt homines in gloriam et laudem altissimi Dei. Hac quoque impietas e terra sublata est : hac et continentia in terris commoratur. Hac et diabolus e cœlo decidens subactus est. Lascivi vasa facti sunt sanctificata ; et fornicatores, casti et impolluti ; insipientes veritatis et justitiæ duces facti sunt ; et improbi, boni ac pii. Per hanc et mortis potentia destructa est, et inferni vires propalam deperditæ ; ipsaque Adæ maledictio exterminata atque soluta ; et cœlestis thalamus apertus est et adornatus. Per hanc quoque humana natura in incorporeorum convertitur virtutem. Quid dicam ? aut quid laudibus efferam ? Excedit quippe orationem atque intellectum, omnemque cogitationem donum dignitatis sacerdotalis. Et sicut arbitror, hoc est, quod Paulus, quasi in stuporem mentis actus, innuit, exclamans : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus !* (*Rom.*, XI, 33.) Altivolans e terra in cœlum nostra postulata Deo celerrimo defert, et Dominum pro servis deprecatur.

Intendamus igitur mentem, fratres, clare ac liquido ad mysticam hanc formidabilemque narrationem ; quoniam absque venerando sacerdotio, remissio peccatorum mortalibus non conceditur. Attendite, fratres : Vos etenim pietatis amatores estis, qui lumen doctrinæ contemplamini. Hæc sunt, quæ prius de mysterio sacerdotii commemoravimus. Palmes, vitis, et granum frumenti, necnon sacerdotium, inter se conveniunt. Palmes et frumentum sunt velut pedissequæ ; at sacerdotium est liberum. Cæterum ubi tria hæc ut simul sint, inter sese concordiam inierint : tum supra thesauros offert Regi unumquodque virtutem propriorum fructuum in odorem suavitatis. Palmes præcedit sanguinem ; similiterque frumentum, panem. Sacerdotium vero audacter e terra sursum in cœlum volitat, donec ipsum contueatur invisibilem : procidensque instanter pro servis orat Dominum, lacrymas et gemitus conservorum deportans ; proprioque similiter Domino ferventem deprecationem simul et pœnitentiam offerens, misericordiam, et indulgentiam a rege misericorde postulat, ut Spiritus sanctus pariter descendat sanctificetque dona in terris proposita ; cumque oblata fuerint tremenda mysteria immortalitate plena, præside sacerdote orationem pro cunctis faciente, tunc animæ accedentes, per illa tremenda mysteria macularum purificationem accipiunt.

Cernitis, Deo dilecti, quomodo hæc duo non operentur in terra, nisi cœleste advenerit suffragium, sanctificetque dona. Vides, homo, illustrem miraculi editionem, cernis sacrum gradum, quam facile sordes animarum eluat. Benedicitur Salvator, qui fecit in terris superillustre hoc et purgativum donum, in gratia sacerdotes illuminans, ut sicut luminaria in mundo luceant. Populus qui ante nos erat, cornu olei ferens, ad sacerdotium promovebatur : nos vero servi inutiles Dei benedicti, non cornu, non oleum sensibile sumimus : sed ipse, qui est brachium excelsum atque tremendum, e cœlo descendens, suum nobis per impositionem manuum donat Spiritum, qui ignis instar venit super apostolos. O potestas ineffabilis, quæ in nobis dignata est habitare per impositionem manuum sacrorum sacerdotum ! O quam magnam in se continet dignitatem formidabile et admirabile sacerdotium ! Felicem illum qui in hac ipsa dignitate administrat pure et irreprehensibiliter. Petrus dictus Cephas, qui aliquando captus est ad littus maris, quique a magno testimonium accepit Pastore : quia *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* (*Matth.* XVI, 18.) per sacerdotium et claves regni cœlorum accepit, tanquam dignus. Similiter autem et Paulus, qui prius quidem persecutor erat, hoc quoque charismate habitus, dignus celer universum terrarum peragravit orbem, prædicans annuntiansque resurrectionem mortuorum.

Cæterum revertamur ad justum Abel, qui

Digitized by Google

in principio creationis sacerdos factus est; discamusque ex ipso, quando in principio victimam suam sacrificavit Deo, nonne ignis e cœlo descendens, ipsius sacrificium devoravit? Quando autem obtulit Deo de primogenitis gregis sui, ut inquit Scriptura, respexit e cœlo Deus sanctus in oblationem Abel; in sacrificium vero Cain respicere non bene ei complacuit. Rursus autem et Noe qui in arca salvatus est, quando cessavit aqua, sedit que supra in montibus Ararath, hujus quoque fuit muneris particeps, obtulitque Deo sacrificium pure in odorem suavitatis; unde et cum ipso pactum statuit Redemptor, de non amplius diluvio inducendo super terram, sanctam quoque ei dans benedictionem ut cresceret et multiplicaretur. Aspicis mirabile sacerdotii opificium. Vides primum sacerdotem Abel, in priori creatione, quo pacto ignis cœlitus in terram deciderit, propter irreprehensibile ejus sacrificium. Cernis iterum Noe sacerdotem venerandum; in secunda creatione, quomodo pactum cum ipso statuerit Deus. Hoc quoque et Abraham reputatus est dignus, ut illius fieret particeps, Deoque offerret dilectum Isaac, et sacrificaret viscera propria. Ibi ostendit ei Deus miraculum magnum, Christi scilicet generationem in planta Sabec, in ictu incrementum, ipsamque benedictionem, qua ipse benedixit: *In semine enim tuo*, inquit, *benedicentur omnes tribus terræ.* (*Gen.* XXVI.) Quin et hoc ipso munere divinus Moyses habitus dignus, ascendit in montem Sina ad Deum; accepitque legem, unde facies quoque ejus glorificata est, ut videretur sole pulchrior: similiterque Aaron hoc eodem dignatus, legatione pro peccatis populi ad Deum functus est; *Moyses enim et Aaron in sacerdotibus ejus.* (*Psal.* XCVIII, 6.) Similiter etiam Phinees in hoc vere honorabili sacerdotio, mortem a populo illo cohibuit. Elias quoque eodem amictus, in igne exauditus est, sacerdotesque infamiæ jugulavit gladius.

Discamus igitur, fratres, quoniam magna est et multa, immensa ac infinita ipsius sacerdotii dignitas. Gloria Unigenito, gloria et soli bono, illud suis præbenti discipulis per sanctum suum Novum Testamentum, ut et ipsi nobis per impositionem manuum suarum super dignos exemplum demonstrent. Cuncti ergo honoremus, cuncti hac venerandi sacerdotii dignitate decoratos prædicemus beatos; certo scientes, quod si quis amicum regis amet, hunc ipsum multo amplius a rege amari. Quocirca amemus sacerdotes Dei, siquidem amici ipsius sunt boni, et pro nobis ac mundo deprecantur. Honora sacerdotes, Christi mandatum explens, quod dicit: Quoniam *qui prophetam* cum gaudio *recipit in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet.* (*Matth.* VIII, 41.) Quod an indignus sacerdos est, ignoras dignus-ne si de illo qui sit tanta dignitate, tu ob præceptum ipsius Christi, cave despexeris. Et enim sicut fulgidissimum aurum licet luto contaminatum non percipit detrimentum, neque speciosissima margarita est contactu quarumdam immundarum specierum; ad eumdem modum nec sacerdotium ab ullo sordidum redditur, quantumvis etiam indignus sit is qui illud suscepit. Porro si quis ad hanc dignitatem velut dignus repertus sit, in eaque sancte et irreprehensibiliter ambularit, vitam et coronam immarcescibilem sibi ipse conciliat: sed si indignè quis hanc ipsam sibi usurpare sit ausus, tenebras is sibi exteriores, judiciumque absque misericordia consciscit.

En aliud tibi exemplum, o homo, ne tu indigne audeas et arroganter obrepere ad dignitatem sacerdotii; cum non bene sibi complaceat Deus purus in arroganter ordinatis. Nosce quid miseri illi sint passi, qui olim restiterunt Moysi et Aaron, suaque temeritate ausi sunt impudenter atque præfracte sacrificare Deo (*Lev.* IX, 10): nonne ignis e cœlo devoravit omnes qui ad illam dignitatem ascendere supra se sunt ausi? Rursus autem et Maria prophetissa Dei, quod brevi quodam sermone, Moysi de sacerdotio improperaret, talem ei reprehensionis notam statuit Altissimus, ut tota le prosa septem diebus ejiceretur extra castra. Idcirco hæc nunc, o fratres, pure administrate, imitantes Moysen, et Aaron, atque Eleazarum. Considera pios sacerdotes, quomodo in ipso sacerdotio, sacrilega hostium castra sint ulti. Hoc possidens Moyses, manus ad Deum sustulit, percussitque Amalec plaga incurabili. Hoc quoque circumamictus Abraham, reges in fugam vertit. Hoc ornatus Melchisedech, Abrahæ benedixit electo benedictione eximia. Dignatus es, frater, dignitate sacerdotii? Stude complacere illi qui te elegit, ut sis ipsi miles cum puritate et justitia, ac sapientia divina, illustrique virginitate. Esto fervens æmulator, ut temperans Joseph, et castus ut Josue, hospitalis ut Abraham, paupertatis amator ut Job, indulgens ut David, et mitis ut Moyses. Errantem reducito, claudum confirma, erige cadentem, succurre infirmis, et alia his similia.

Ego vero obstupesco, fratres dilecti, ad ea, quæ soliti sunt quidam insipientum audere, qui impudenter ac temere sese conantur ingerere ad manus sacerdotii assumendum, licet non adsciti a gratia Christi, ignorantes miseri quod ignem et mortem sibi accumulent. Non dico tibi, homo, non solum sacerdotium temere non assumendum, sed neque cæterorum quidpiam ex vasis vere venerandi cultus divini contingendum: siquidem legisti quid passus sit Oza, eo quod arcam Dei tetigisset. Hujus tu semper memineris, dilecte frater, horribilis videlicet verbi Dei excelsi, quod ore Isaiæ prophetæ pronuntiatum est: Super quem requiescam ego, nisi super mansuetum, humilem, tranquillum et trementem sermones meos? (*Isa.* LXVI, 2.) Hujus, inquam, semper memineris vocis, et attende ut possideas thesaurum, animum tranquillum, quo possis spiritaliter in metropolim Jerusalem supernam ascendere, spiritaliaque sacrificia Regi Deo inaccessibili offerre, ubi

Digitized by Google

texuntur coronæ immarcescibiles et incorruptibiles, ibique tu coram angelis a Christo coroneris corona immortalitatis, ipseque cum supernis choris hymnum victoriæ decantantes sanctissimæ Trinitati in sæcula sæculorum. Amen.

III. *Sacerdotii officia.*

ORIGEN., homil. 5 *in Levit.*, t. II.— *Sacerdotis qui offeret et repropitiabit illud, ipsius erit.* (*Levit.* VII, 9.) Discant sacerdotes Domini, qui ecclesiis præsunt, quia pars eis data est cum his quorum delicta repropitiaverint. Quid autem est repropitiare delictum? Si assumpseris peccatorem et monendo, hortando, docendo, instruendo, adduxeris eum ad pœnitentiam, ab errore correxeris, a vitiis emendaveris, et effeceris eum talem, ut ei converso propitius fiat Deus pro delicto, repropitiasse diceris. Si ergo talis fueris sacerdos et talis fuerit doctrina tua, et sermo tuus, pars tibi datur eorum quos correxeris : ut illorum meritum tua merces sit, et illorum salus tua gloria. An non et Apostolus hæc ostendit ubi dicit quia, *quod super ædificaverit* quis, *mercedem accipiet?* (1 *Cor.* III, 14.) Intelligant igitur sacerdotes Domini, ubi eis data portio est, et in hoc vacent atque his operam dent. Non se inanibus et superfluis actibus implicent, sed sciant se in nullo alio partem habituros apud Deum, nisi in eo quod offerunt pro peccatis ; id est, quod a via peccati converterint peccatores.

Sacerdos peccatores consoletur, nedum sit acerbus.

S. GREGOR. Nyss., *In eos qui alios acerbe judicant*, tom. II.— Inventam ovem (Christus) non verberavit. Hoc et aliis exemplis nos commonet ne homines pro perditis ac desperatis habeamus, neve eos in periculis versantes negligamus, aut segnes simus ad ferendum auxilium, sed eos a recta vivendi ratione deflectentes, et errantes reducamus in viam, eorumque lætemur reditu, atque ipsos cum bene pieque viventium multitudine conjungamus. Tam alienus autem a cædendi acerbitate sacerdos esse debet, quam promptus et paratus ad excolendam humanitatem, ut etiamsi Dominus aliquem, uti plantam inutilem exscindere jubeat, ipse tanquam insitor debeat supplicare ut ignoscat parumper, ac sententiam differat. Sic enim monet oratio de ficu. Noli igitur esse tam facilis ad amputandum et exscindendum to, qui Dominum, ne id faciat, debes obsecrare, neque tam celeriter desperandum existima. Diligentiam adhibito, reprehensionibus circumfodito, cohortationibus foveto, tanquam in sinu, documentorum quasi aquarum copia irrigato, præceptis ut vallo communito tuum esto placare judicis animum. Demus operam ut eodem nomine, quo Dominus, appellemur, is enim dicitur consolator, dum hominum generi patrem propitium reddit.

S. GREGOR. Nazian., orat. 2, t. I. — Quemadmodum in corpore aliud principatum tenet, ac velut præsidet, aliud subest et regitur ; ad eumdem quoque modum Deus, vel æquitatis lege, quæ meritum cujusque perpendit, vel etiam providentiæ, per quam omnia inter se velut devinxit, hoc in ecclesiis constituit, ut alii pascantur et pareant (quibus videlicet id utilius est) ac tum sermone, tum opere ad officium dirigantur ; alii autem ad *Ecclesiæ perfectionem pastores* ac *magistri sint* (*Ephes.* IV, 11), nimirum qui virtute, conjunctioneque et familiaritate apud Deum, vulgo sublimiores sunt, rationem animæ ad corpus, aut mentis ad animam obtinentes ; ut hæc duo, hoc est, et id quod deficit, et id quod redundat, inter se, velut in membris, composita et compacta, spiritusque compage connexa et colligata, unum corpus, omni ex parte perfectum, atque ipso Christo, qui caput nostrum est, omnino dignum existant.

Ad Ecclesiæ regimen per gradus est ascendendum.

Idem, *ibid.* — Nec vero alienum ac præposterum est, multos ex iis qui divinarum rerum studio dediti sunt, e subditorum classe atque ordine ad imperium evehi, nec ab usitatis philosophiæ legibus remotum, ac cum probro et dedecore conjunctum ; quemadmodum nec probo nautæ proretam esse, nec proretæ, qui ventos recte et cum laude observarit, clavum regendum suscipere : aut, si lubet, forti ac strenuo militi cohorti præesse, et ei qui cohorti recte præfuerit, exercitum ducere, totiusque belli principatum suscipere. Sed neque, id quod homines quidam plane improbi et absurdi, quique aliorum res propriis affectibus perpendunt, existimare fortasse queant hujusce honoris gradus ob alterius cupiditatem me puduit. Non enim ita, vel divinæ sublimitatis, vel humanæ pusillitatis ignarus sum, quin magnum esse existimem omni procreatæ naturæ, ad Deum qui solus clarissimus et splendidissimus est, naturamque omnem, tum materia constantem, tum a materia secretam, puritate superat, vel quoquo modo appropinquare.

Difficile parere, difficilius imperare christianis maxime, et prima pastoris cura.

Idem, *ibid.* — At vero homini, cum difficile sit scire parere, tum multo difficilius esse videtur scire hominibus imperare, ac præsertim in hoc nostro imperio, quod in lege divina situm est, et ad Deum ducit : cujus quo majus est fastigium, majorque dignitas, eo etiam majus periculum est, prudenti utique homini et cordato. Quippe cui primum illud curandum erit, ut argenti atque auri instar, omni ex parte versatus, atque in omnibus temporibus et rebus, nusquam adulterinum aut subæratum quiddam tinniat, nihilque deterioris materiæ flammaque acriori dignæ, in seipso gestet : nam alioqui tanto gravius malum fuerit, quanto pluribus imperarit. Siquidem major est ea improbitas, quæ ad multos serpit, quam ea quæ in uno defixa hæret.

Quid primo cavendum pastori.

Idem, *ibid.* — Quod igitur primum ca-

Digitized by Google

vendum est, ne admirandæ virtutis mali pictores existimamus, aut, ut rectius loquar, pictorum non fortasse malorum, multorum quidem certe; malum exemplar : aut a paræmia non longe recedamus, aliis mederi tentantes; cum ipsi ulceribus scateamus.

Parum est Pastorem non esse malum, illi opus est summa virtute, in ea semper proficiat.

S. Greg. Nyss., *In eos qui alios acerbe judicant.* — Deinde ut etiam sese aliquis ab omni peccati labe purum conservet, aut quam maxime; haud tamen scio idne ei sufficiat, qui alios ad virtutem erudire parat. Neque enim ab eo qui hanc curam suscepit hoc solum requiritur, ut malus non sit, malum enim esse, plerique etiam e vulgo turpissimum censent; verum etiam ut virtute præstet, juxta illud Scripturæ præceptum, quo *declinare a malo et bonum facere* jubemur. (*Psal.* xxxvi, 27.) Nec ut vitiosas animæ notas duntaxat expungat, verum ut meliores etiam inscribat, ita ut magis virtute antecellat, quam honore ac dignitate superet; nec modum sibi ullum honeste vivendi atque altius ascendendi constituat; nec lucro potius, id quo arripuit quam damno, id quo effugit deputet : verum quod præ pedibus est, gradum ad id quod deinceps sequitur esse arbitretur : nec virtute vulgus anteire, magnopere amplum atque illustre judicet : verum detrimento ducat, si a suscepti muneris dignitate absit : sicque se comparet, ut quod ex virtute gerit ad legis divinæ normam, non autem ad alios, sive mali illi sint, sive nonnihil in virtute processerint, expendat : nec virtutem, quæ Deo optimo maximo, a quo omnia, et in quem omnia debetur, exigua lance ponderet. (*Rom.* xi, 35.)

Quantacunque scientia et virtute quis sit instructus præesse aliis reformidet, cum regere animas sit ars artium.

Idem, *ibid.* — Sed sit sane aliquis non modo a vitiorum contagione purus, verum ad summum etiam virtutis fastigium evectus, haud equidem video quanam scientia instructus aut quibus viribus fretus hujusmodi præfecturam intrepide suscipere queat. Nam profecto ars quædam artium, et scientia scientiarum, mihi esse videtur, hominem regere, animal omnium maxime varium et multiplex. Id porro hac demum ratione quispiam perspexerit, si animarum curandarum rationem cum corporum medicina contulerit, quantoque hæc nostra laboriosior quam illa sit expenderit ac tum materiæ natura, tum artis facultate, tum actus fine præstantior. Illius enim labor circa corpora versatur, fragilemque hanc et humi labentem materiam, omnino tandem interituram eaque, quæ fert ipsius conditio perpessuram etiamsi artis subsidio dissidium illud, quo laborant nunc superet. Eam enim aut morbi vis, aut tempus exstinguet, naturæ legi cedentem nec fines suos excedentem.

De animarum salute quantum pastoribus certamen, ob varium curandorum indolem.

Idem, *ibid.* — Nobis autem qui de animæ salute periclitamur; quæ beata et immortalis est, atque immortalibus vel suppliciis, vel laudibus, ob vitium aut virtutem afficietur; quantum tandem certamen propositum esse, quantaque arte opus esse existimandum est, ut recte curemus, aut ipsi curemur, et vitam in melius commutemus ac terram spiritui addicamus? Non enim eædem rationes, nec iidem animorum impetus sunt maris et feminæ, senectutis et adolescentiæ divitis et pauperis, hilaris et mœrentis, sani et ægrotantis, principum et subditorum, eruditorum et indoctorum, audacium et timidorum, mansuetorum et iracundorum, munere suo præclare fungentium, et cadentium.

Quod si accuratius rem expendas, quantum intervallum inter conjugatos et cælibes interjectum reperies? Ex his rursus, quantum inter eremitas et cœnobitas, qui permisti communiter degunt, discriminis erit? Quantum inter eos, qui in contemplatione longe processerunt, et eos qui duntaxat rectum vitæ iter tenent? Quantum rursus inter urbanos et rusticos, inter simplices et callidos, inter eos qui in rebus publicis gerendis versantur, et quietis studiosos, inter eos quorum res in deterius mutatæ sunt, et eos qui prospero cursu feruntur, nec duriore unquam fortuna conflictati sunt? Horum enim singuli cupiditatibus nonnunquam et affectibus magis inter se differunt, quam corporum figuris et lineamentis; aut si mavis, elementorum, et ex quibus constamus, mistionibus et temperamentis; ac proinde nec facile regi, gubernarique possunt.

Quin potius, quemadmodum non eadem medicamenta, nec eadem alimenta corporibus quibusvis adhibentur, sed alia aliis, habita videlicet vel sanitatis eorum vel adversæ valetudinis ratione : eodem quoque modo animæ diversa ratione ac disciplina curantur. Ii porro curationis testes sunt, qui morbis hujusmodi vexantur. Alios sermo ducit; alii exemplo componuntur. Alii calcaribus opus habent, alii freno. Nam qui segnes sunt, atque ad bonum ægre impelluntur, hi verborum stimulis excitandi sunt; qui vero spiritu, quam par sit, ferventiores sunt, atque effrenato quodam animorum impetu feruntur, velut equulei generosi procul a meta currentes, hos utique orationis freno coercere ac cohibere præstiterit.

Aliis laudatio utilitati fuit, aliis reprehensio, utraque videlicet tempestive adhibita; aut contra detrimento, non tempestive, et cum ratione adhibita. Alios cohortatio ad officium dirigit, alios objurgatio; atque hæc rursus alius, si palam arguantur; alios, si remotis arbitris admoneantur. Sunt enim qui privatas admonitiones contemnant, publica autem reprehensione ad officium revocentur; sunt rursus qui liberius reprehensi, pudorem omnem abstergant, contraque occulta objurgatione meliores reddantur, iisque quos vicem suam dolere perspiciunt, hoc muneris vicissim rependant, ut eorum admonitionibus pareant.

Digitized by Google

Variæ pastorum formæ, ad lucrandas animas.

S. Greg. Nyss., *In eos qui alios acerbe judicant.* — Quidam etiam ad minima usque ac levissima observandi sunt; nimirum qui eo quod peccata sua obscura et incognita esse putant, (quandoquidem id moliuntur,) tanquam sapientiores, animis inflantur; in quibusdam rursum ad nonnulla connivere satius fuerit, ita ut videntes non videamus, et audientes non audiamus, quemadmodum dici solet, ne alioqui eos nimis crebris objurgationibus tanquam fluctibus obruentes, ad desperationem incitemus, ac dissoluto tandem pudore, quod persuasionis pharmacum est, ad quodvis facinus audaciores reddamus. Quin etiam cum nonnullis ita agendum est, ut non irascentes irascamur, non contemnentes contemnamus, non desperantes desperemus; quatenus videlicet eorum natura id requirit. Alii rursus lenitate et humilitate curandi sunt, atque alacri animo una cum illis meliorem spem induendo. Alios vincere, ab aliis vinci plerumque utilius fuerit, atque aliorum opes et potentiam, aliorum inopiam et calamitatem, vel laudare, vel deprecari.

Eadem iisdem non semper sunt utilia.

Idem, *ibid.* — Neque enim quemadmodum in virtute ac vitio res se habet, ut illa quidem semper pulcherrima et omnibus utilissima sit, hoc autem turpissimum et perniciosissimum sit; eodem modo medicinæ quoque nostræ ratio ea est, ut unum idemque medicamentum iisdem semper vel saluberrimum sit, vel periculosissimum : verbi gratia acerbitas aut clementia, aut unumquodque aliorum, quæ modo a nobis enumerata sunt. Verum aliis hoc medicinæ genus bonum atque utile fuerit, aliis autem rursum contrarium medendi genus; prout opinor, vel res, vel occasio tulerit, vel ægrotantium denique mores admiserint. Quæ quidem omnia sermones distinguere, atque ita exacte perspicere, ut tota medendi ratio in summam colligatur, impossibile est, quantacunque cura et diligentia ingeniique sagacitate quisquam polleat, in rebus tamen ipsis et experimentis curatrici rationi et medico perspicua fiunt.

Verbi prædicatio, primum pastoris munus quam difficile.

Idem, *ibid.* — Jam ipsam verbi distributionem, ut quod nostrorum omnium primum est, postremo loco dicam, divini, inquam, verbi et excelsi distributionem, quam omnes hac ætate profitentur, si quis est alius qui præfidenti animo suscipiat, aut cujusvis ingenii esse censeat, hunc ego solertiæ nomine admiror, ne dicam stultitiæ. Mihi quidem res minime vulgaris, parvique spiritus esse videtur, verbi, perinde ac tritici, mensuram tempestive cuique dare, et dogmatum nostrorum veritatem cum judicio dispensare. Hoc est, ea omnia quæ sacra philosophia de mundis, vel de mundo disseruit, de materia, de anima, de mente, et intelligentibus naturis, tam melioribus, quam deterioribus, de providentia omnia constringente atque gubernante, tum quæ modo rationi consentanea evenire videntur, tum quæ modo terrenæ atque humanæ rationi repugnante accidere videntur.

Quidam lacte sunt alendi; alii firmiori cibo indigent.

Idem, *ibid.* — Summopere necesse est antistitem simul et simplicem esse quantum ad eam quam, ad res omnes adhibere debet, rectitudinem; et rursum quam maxime varium ac multiplicem, quantum ad id attinet ut uniuscujusque animum sibi adjungat, apteque et apposite omnes alloquatur. Quidam enim lactis alimonia opus habent, hoc est, simplicioribus et elementaribus doctrinis, nimirum qui puerili animi habitudine sunt, recensque, ut sic dicam, compacti, nec virilem sermonis cibum ferunt : quem si quis ipsis præter vires admoverit, ejus pondere oppressi fortasse atque obruti, animo ad id quod transmissum est, attrahendum sibique accommodandum haud satis virium habente, quemadmodum nec corpore in cibis materia constantibus, pristinas etiam eorum vires labefactabit. Alii, quod sensus ad verum a falso internoscendum ac secernendum exercitatos habeant, ac proinde sapientia ea quæ inter perfectos exponitur, sublimiorique et firmiori cibo indigeant, si quis lac illis propinet, oleribusque, hoc est, infirmiorum cibo, eos alat, molesto animo id laturi sint; ac merito sane, utpote nihil Christiani roboris colligentes, nec laudabile illud augmentum capientes, quod sermo divinus affert, eum qui pulchre alitur, in virum perficiens, atque ad spiritualis ætatis mensuram ducens.

Et *ad hæc quis idoneus?* Non enim plerisque similes sumus, qui *veritatis doctrinam adulterant* (*II Cor.* xi, 16, 17) ac *vinum aquæ miscent.* (*Isa.* i, 22); hoc est doctrinam *cor hominis exhilarantem* (*Psal.* ciii, 15), cum vili et vulgari, humique serpente, et evanida, frustraque et temere fluente, ut ipsi ex hac cauponandi ratione obiter aliquid elucrentur, aliisque alio modo cum iis qui ad ipsos accedunt, verba faciunt, omnibusque assentantur, ventriloqui sane quidam et vaniloqui, voluptatibus suis servientes, verbis e terra prolatis et in terram pessum euntibus; ut maximam apud vulgus gloriam, et nominis celebritatem consequantur, maximis ipsos damnis afficientes, aut etiam omnino perdentes, atque innoxium simpliciorum animarum cruorem effundentes, de manibus nostris aliquando requirendum.

Duci præstat quam alios ducere; juniorum sacerdotum temeritas et stultitia.

Idem, *ibid.* — Quin potius illud scimus, melius esse aliis qui artis peritia præstent, salutis nostræ habenas concedere, quam imperitos aliorum aurigas esse, atque aurem potius æquam submittere, quam imperitam linguam movere. Hæc cum nobiscum ipsi non pessimis fortasse consiliariis, benevolis,

Digitized by Google

quidem certe, collocuti, præstabilius esse duximus, cum quæ dicenda et facienda essent, nesciremus, ea addiscere, quam nescientes docere. Præclare enim cum eo agitur, cui vel in profundam senectutem canus sermo veniat, eamque vim habens, ut recenti adhuc in pietate animæ adjumento esse possit. Nam certe alios docere aggredi, priusquam ipsi satis edocti simus, ac figulinam, ut dici solet, in dolio discere, hoc est in aliorum animabus pietatem meditari et exercere, valde stultorum aut temerariorum hominum esse mihi videtur ; stultorum, si ne inscitiam quidem suam agnoscunt : temerariorum, si cum eam cognitam habeant, hoc tamen negotium aggredi non verentur.

Diu discendum priusquam docendi munus suscipiatur.

S. Greg. Nyss., *In eos qui alios acerbe judicant.* — Quod si cuipiam eorum dicamus leniter ad hunc modum, ac disserendo, eum provehentes : Dic mihi, vir admirande, vocasne aliquid saltare, et tibia canere? Maxime vero, inquiet. Quid sapientiam, et sapientem esse, quod nos divinarum humanarumque rerum scientiam definimus? Id quoque concedet. Age vero censes-ne artes illas sapientia meliores et sublimiores esse, an hanc potius illis? Mihi quidem non est dubium, quin hanc omnibus etiam præstantiorem esse dicturi sint, atque hactenus æqui et candidi judices sint. Utrum igitur saltationis quidem et cantus tibiarum doctrina quædam et disciplina est, ad idque et diuturno tempore, et plurimis laboribus ac sudoribus opus est, atque interdum etiam mercedem persolvere oportet, et perductores adhibere, longasque peregrinationes suscipere, cæteraque omnia facere et pati, quibus artis peritia comparatur ; sapientiam autem, quæ omnibus præest, ac bona omnia complexu suo tenet, adeo ut ipse quoque Deus, quamvis permultis nominibus vocetur, hoc tamen nomine impensius quam ullis aliis delectetur, rem usque adeo levem et protritam esse existimabimus, ut ad hoc, ut quispiam sapiens sit voluntas sola requiratur? Magnæ profecto stultitiæ hoc fuerit. Si hæc ad eos dicamus, erroremque paulatim repurgemus, aut alius quispiam doctiorum et prudentiorum, hoc nimirum illud fuerit supra petras seminare (*Luc.* viii, 6), atque in aures non audientium loqui. Itane hactenus quidem sapientes sunt, ut inscitiam suam cognitam habeant? (*Eccli.* xxv, 12) Ac mihi commodum esse videtur illud Salomonis de ipsis usurpare : *Est malum quod vidi sub sole, virum qui sibi sapiens esse videtur* (*Eccle.* x, 5), et, quod pejus est, alios erudiendos suscepit, qui ne inscitiam quidem suam persentit.

Mali pastoris periculum, bonorum vero paucitas.

Idem, *ibid.* — Sed fortasse tantum quidem est hoc opus, tamque molestum et laboriosum cordi sensu prædito, et mœrenti, ac vere *tinea ossium* viro prudenti (*Prov.* xiv, 30.) Verum parvum est periculum, aut casus levis et contemnendus? At enimvero magnum mihi terrorem injiciunt hinc beatus Oseas adversus nos *sacerdotes* et præfectos *judicium esse* dicens, quia *laqueus speculæ facti sumus, et quasi rete extensum super Itabyrium* (*Ose.* v, 1, 2), quod ab iis fixum est, qui humanas animas venantur, minitansque se facturum, ut malos prophetas demetat, ac judices eorum igne absumat, seque paulisper contineat, ne reges et principes ungat (*Ose.* vi, 5, 7) : quoniam *sibi ipsis, ac non per ipsum regnarunt.* (*Ose.* viii, 4.) Hinc autem divinus Micheas : *Sion in sanguinibus ædificari* non ferens, utrumvis sanguinem intellexeris et *Jerusalem in injusticiis, præfectis* nimirum *ejus in muneribus judicantibus*, et *sacerdotibus ejus mercede respondentibus*; et *prophetis in pecunia divinantibus* (*Mich.* iii, 10 seq.), pro quibus rebus quid futurum? Nempe ut *Sion quasi ager aretur*, et *Jerusalem ut pomorum custodia sit*, et *mons domus in nemus silvæ* reputetur. Simul etiam eorum qui *officio recte funguntur*, paucitatem deplorans, quæ tanta sit ut vix alicubi *stipula* aut *racemulus* supersit : quippe cum *princeps* etiam *postulet, et judex ad gratiam loquatur* (*Mich.* vii, 1, 3), atque iisdem propemodum verbis cum magno Davide utens : *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus* (*Psal.* xi 1); hincque fore denuntians, ut bona eos deserant, tanquam a tinea consumpta.

Sacerdotes despicientes Dominum, et boni pastoris imago.

Idem, *ibid.* — Malachiam autem quonam modo dignum fuerit præterire, nunc quidem et graviter et acerbe sacerdotes accusantem ac probris incessentem, ut Domini nomen despicientes, quibusque in rebus adjungentem ; in eo nempe, quod *pollutos panes ad altare* afferant (*Malac.* i, 6 seq.), cibos non primitias, et quæ ne ducum quidem ulli offerrent, aut, si offerrent, infamia afficerentur, ea tamen factis votis omnium Regi offerant, hoc est claudа, et ægra, et corrupta, prorsusque profana et despuenda. Nunc autem divini cum levitis pacti eos submonentem, (erat autem illud vitæ et pacis), ac timore timere Dominum, et a facie nominis ejus pavere. *Lex veritatis*, inquit (*Malac.* ii, 5 seq.), *erat in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus. In pace rectum iter tenens ambulavit mecum, et multos convertit ab iniquitate, quoniam labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus.* Causa autem quam præclara simul et formidanda! *Quia angelus Domini omnipotentis est.* Atque maledictiones quidem eas quæ deinceps sequuntur, vitandi mali ominis causa, prætereo ; veritatem autem pertimesco. Quod vero dictu moderatius simul et utilius est : *An dignum est*, inquit (*Malac.* ii, 13), *ut respiciam ultra ad sacrificium vestrum, aut suscipiam acceptabile de manibus ventris?* tanquam scilicet maxime stomachatus, ac sacrificium ipsorum ob ipsorum improbitatem repudians.

Digitized by Google

Horrendæ contra sacerdotes minæ.

S. Greg. Nyss., *In eos qui alios acerbe judicant.* — Nam Zachariæ quidem quoties memini, *falcem* perhorresco, atque item ea quæ ipse adversus sacerdotes contestatur (*Zach.* v, 1); atque ea quidem quæ de insigni illo Jesu, magno sacerdote, subindicat (*Zach.* III, 1 seq.); quem cum sermone suo sordida et indigna veste exuisset, splendidam et sacerdotalem postea ipsi imponit; et quæ etiam angelum ad Jesum dicentem ac mandantem inducit; ea, inquam, ut ad majora fortasse et sublimiora quam multorum sacerdotum captus ferat, tendentia, silentio commendentur; nisi quod a dextris etiam ipsius diabolus stabat, ut ei obsisteret : res, meo quidem judicio, non parva, nec parvo metu et cautione digna.

Pastorum delicta et pœna.

Quæ autem, reliquos pastores studiose accusando et insectando ait, ecquis tam audax est, tamque adamantino animo, qui ea audiens non contremiscat, et se ipso moderatior reddatur? *Vox*, inquit, *lugentium pastorum, quia afflicta est magnificentia eorum. Vox rugientium leonum, quia hæc passi sunt.* (*Zach.* XI, 3.) Ipsos quoque propemodum luctus, velut jam præsentes, audit, atque una cum iis qui cruciantur, luget. Ac paulo post acrius adhuc et vehementius: *Pascite*, inquit, *oves occisionis, quas qui possidebant, jugulabant, nec pœnitentia ducebantur; et qui vendebant eas, dicebant : Benedictus Dominus, quia divites facti sumus; et pastores earum nihil doloris ob eas capiebant. Propterea non parcam ultra super habitantes terram, dicit Dominus omnipotens.* (*Zach.* XI, 5, 6.) Ac rursus : *Framea, suscitare super pastores.* (*Ibid.*, 7.) Et : *Percutite pastores, oves extrahite et inducam manum meam super pastores.* Et rursus : *Iratus est furor meus super pastores, et super agnos visitabo* (*Zach.* X, 3); jam scilicet ipsos quoque populi præsides in comminatione adjungens. Tanto studio in hac oratione insidet, nec a minis facile abduci potest. Itaque vereor ne ipse quoque in odium incurram, omnia ordine commemorans.

Pœnæ iterum et minæ in sacerdotes seu pastores.

Idem, *ibid.* — Quo tandem modo Ezechielem feremus, illum, inquam, magnorum mysteriorum et visionum conspectorem et interpretem? Quomodo quæ pastoribus præcipit, hoc est ne vitium gladiumque ipsi supervenientem silentio dissimulent? Quod nimirum hoc nec ipsis, nec iis qui peccant utile futurum sit : contra autem, prævidere ac prænuntiare, utrisque utilitatem allaturum sit; si illi quidem dixerint, hi autem audierint; sin minus, at iis certe qui denuntiarint. Quo item modo alium eum impetum, quem in pastores facit, nunc in his verbis : *Væ super væ erit, et nuntius super nuntium, et visio a propheta requiretur, et lex a sacerdote peribit, et consilium a senioribus.* (*Ezech.* VII, 26.) Nunc rursum in his : *Fili hominis dic ipsi : Tu es terra non compluta, nec pluvia venit super te in die iræ, cujus præfecti in medio ejus velut leones rugientes, rapientes rapinas, devorantes animas in potentia* (*Zach.* XXII, 24 seq.) Et nonnullis interjectis : *Sacerdotes ejus contemnebant legem meam, et polluebant sancta mea : inter profana et sancta*, inquit, *nihil discriminis statuebant, sed omnia unum eis erant, et sabbatis meis oculos suos operiebant, et in medio eorum coinquinabar.* Consumpturumque se, et parietem, et eos qui eum liniunt, minatur (*Ezech.* XIII, 15), hoc est, eos qui peccant, et eos qui peccantium delicta obtegunt : quod malorum principum et sacerdotum est, ac domum Israelis in transversum agentium, secundum corda sua abalienata in cupiditatibus suis.

Mitto quæ de iis disserit, *qui seipsos pascunt*, etc. Vide *Ezech.* XXXIV, 2 seq.

Digna luctu prælatorum improbitas, eorum pœna, mors.

Idem, *ibid.* — Sed ne omnium voces, atque omnes prophetas enumerans, sermonem in longum protraham, postquam unius adhuc Jeremiæ, antequam formaretur, cogniti, et ab ipsa vulva sanctificati (*Jer.* I, 5), mentionem fecero, reliquos omnes præteribo. Quærit quidem hic capiti aquam, et oculis fontem lacrymarum, ut Israelem pro dignitate lugeat : non minus autem antistitum etiam improbitatem deplorat. Ac Deus quidem sacerdotes coarguens, his ad eum verbis utitur : *Sacerdotes non dixerunt, ubi est Dominus? Et qui legem meam complectebantur, nesciebant me : et pastores impie agebant adversum me.* (*Jer.* II, 8.) Ipse autem rursum ait : *Pastores stulte egerunt, et Dominum non quæsierunt : ac propterea grex universus non intellexit, et dispersi sunt.* (*Jer.* X, 21.) Atque alio loco : *Multi pastores demoliti sunt vineam meam; contaminaverunt partem meam desiderabilem; adeo ut in inviam solitudinem redacta sit.* (*Jer.* XII, 10.) Mox in malos pastores rursum invehitur : *Væ pastoribus qui disperdunt et dispergunt gregem pascuæ meæ. Ideo hæc dicit Dominus ad eos qui pascunt populum meum : Vos dispersistis gregem meum, et ejecistis eos, et non visitastis. Ecce ego ulciscar super vos, secundum malitiam studiorum vestrorum.* (*Jer.* XXIII, 1, 2.) Quin etiam pastores ululare, atque arietes ovium plangere jubet, quoniam impleti sunt dies eorum ut interficiantur. (*Jer.* XXV, 34.)

Præscriptæ pastoribus regulæ ab Apostolo, et ab ipso Christo.

Idem, *ibid.* — Verum quid antiqua colligo? Quotusquisque est, qui si ad canones eos et regulas seipsum exigat, quas Paulus de episcopis et presbyteris constituit, nempe ut sobrii et pudici sint, non vinolenti, non percussores (*I Tim.* III, 2, 3), ad docendum idonei, irreprehensibiles in omnibus rebus (*Tit.* I, 7), atque hujusmodi, ut ab improbis attingi nequeant, non seso a canonum rectitudine permultum abesse comperiet? Quid ea referam quæ Jesus discipulis suis, ad prædicationem eos mittens, præscribit? Quorumne singula expli-

Digitized by Google

cum, hæc summa est, ut virtute tales sint, atque ita expediti ac modesti, et ut uno verbo dicam, cœlestes, ut non minus ob eorum vitam et mores, quam ob sermonem atque doctrinam Evangelium currat?

Mihi vero timorem incutiunt etiam Pharisæi probris onerati, et Scribæ redarguti; quibuscum nos virtute longe superiores esse debeamus, quemadmodum nobis præceptum est, si modo cœlorum regnum consequi cupimus, turpe profecto fuerit, si ipsis etiam pejores inveniamur; adeo ut ipsi quoque, *serpentes* appelleamur, *et genimina viperarum, et duces cæci, culicem colantes, et camelum deglutientes, et sepulcra externe quidem pulchra, interne autem sordida, et paropsides* in speciem *mundæ* (*Matth.* XXIII, 12 seq.), aliaque omnia, quæ illi et sunt et nominantur. In his ego cogitationibus dies noctesque versor : hæc medullas etiam meas eliquant, et carnes conficiunt, nec me audacem esse sinunt, ac sublata facie incedere. Hæc animum meum dejiciunt, et mentem contrahunt, et linguæ vinculum injiciunt, faciuntque ut non de præfectura, nec de corrigendis et gubernandis aliis cogitem, id quod exuberantis cujusdam facultatis est, sed quomodo ipse venientem iram effugere, atque avitii rubigine nonnihil meipsum abradere queam.

Quid requiratur in pastoribus.

S. GREG. NYSS., *In eos qui alios acerbe judicant.* — Purgari prius oportet, deinde purgare; sapientia instrui, atque ita demum alios sapientia instruere; lux fieri, et alios illuminare; ad Deum appropinquare, et ita alios adducere; sanctificari, et postea sanctificare; cum manibus ducere, cum prudentia consilium dare.

Pavenda sacerdotis munia et dignitas.

Idem, *ibid.* — Quando igitur hæc erunt? inquient homines ad omnia celeres, nec satis cauti, facile ædificantes et diruentes? Quando *lucerna supra candelabrum?* (*Matth.* V, 15), ubi *talentum?* (*Matth.* XXV, 15.) Sic enim gratiam vocant. Hæc ii qui amicitia quam religione fervidiores sunt. Quando hæc erunt, et quæ mea est ratio, quæritis, viri fortissimi? Ne extrema quidem senectus huic rei præstituta, longum tempus censeri debet. Senectus enim cum prudentia conjuncta imperitæ juventuti præstat, et considerata tarditas inconsultæ temeritati, et breve regnum, diuturnæ tyrannidi; quemadmodum et exigua portio maximi pretii, multis vilibus et periculosis opibus, et parum auri multis plumbi libris, et parva lux densissimis tenebris.

Alioqui verendum est, ne lubrica hæc celeritas, præcepsque studium seminibus illis non absimile sit, quæ *in petras ceciderunt; et quia terræ altitudinem non habebant* (*Matth.* XIII, 5), statim exorta, ne primum quidem solis calorem ferre potuerunt; aut etiam fundamento in arena jacto, quod pluviæ ac ventis ne tantillum quidem resistit. *Væ tibi, civitas,* ait Salomon, *cujus rex junior est* (*Eccli.* X, 16); idemque, *Ne sis celer in verbis* (*Prov.* XX, 29) : minorem scilicet rem esse asserens celeritatem in verbis, quam ferventem in actione festinationem. Et quis est, qui contra hæc omnia celeritatem potius quam securitatem et utilitatem exposcat? Quis est qui veritatis propugnatorem, unius dieculæ spatio, velut e luto statuam fingit : illum, inquam, qui cum angelis stabit, cum archangelis glorificabit, ad supernum altare sacrificia transmittet, cum Christo sacerdotio fungetur, figmentum instaurabit, imaginem exhibebit, superno mundo opificem aget, et ut quod majus est dicam, deus erit, aliosque deos efficiet?

Sacerdotes qualem zelum habere debeant.

S. AMBROS., *Exposit. in psal.* CXVIII, t. I. — Cæsa jacebant viginti quatuor millia populorum : tendebat pœna in omnes, nec ullus finis exitii. Arripuit Siromasten Phinees, duos occidit interdicta sibi consuetudine copulatos, redemit omnes, indignationem Domini mitigavit, dedit victoriam quibus negabat salutem. (*Num.* XXV, 11 seq.) Quam salutaris est igitur Dei zelus! — Veni et nunc Phinees, arripe gladium verbi, interfice perfidiam, jugulato hæresim; ne propter eam populus universus intereat. Urget ira cœlestis, percute ipsam vulvam impietatis, generatoriumque perfidiæ; ne partus formetur infelix, ne adulterina conceptio diffundat seminarium prævaricationis et sceleris; ut Dominus tecum statuat testamentum pacis, et testamentum gratiæ, testamentum promissionum cœlestium. Zelum habere debet sacerdos, qui incorruptam servare studet Ecclesiæ castitatem; et ideo princeps sacerdotum dicit : *Zelus domus tuæ devoravit me.* (*Joan.* II, 17.) Et Phinees sacerdos erat, et filius sacerdotis. Bonus zelus, et utilis in sacerdote : præcipue ne negligens, ne remissus sit. Melius est ut unius, aut duorum damnatione plurimi liberentur, quam duorum absolutione plures periclitentur. Exquisivit, inquit (Psalmista), *me zelus domus tuæ.* (*Psal.* LXVIII, 10.) Sicut enim ante in Adam devoraverat hominem mors prævalens; ita zelus devoravit quem vivificavit in Christo. Zelum habuit Elias, et ideo raptus ad cœlum est. *Zelans,* inquit, *zelavi Dominum.* (*III Reg.* XIX, 10.) Zelum habuit Mathathias Butanus, qui adversus sacrilegia Antiochi excitavit Dei plebem. Zelum qui habent, omnes sibi inimicos suos putant qui sunt hostes Dei, quamvis patrem, fratres, sorores. De omnibus dicit : (*In hostes facti sunt mihi,* sicut David ait. (*Psal.* CXXXVIII, 22.) Quid multa? Apostolus quoque Domini hoc declaratus est nomine, ut Judas zelotes diceretur, sicut legimus in Evangelio. (*Luc.* VI, 15.)

IV. *Sacerdotii difficultates et pericula.*

Hoc ministerium aliis antecellit

S. CHRYSOST., lib. II *de Sacerdotio,* t. I. — *Petre,* inquit (Christus), *amas me plus his? pasce oves meas.* (*Joan.* XXI, 17.) Atqui poterat sic eum alloqui : Si amas me, jeju-

Digitized by Google

nia exerce, humi cuba, vigilias cole, injuria affectis patrocinare, esto pupillis quasi pater et matri eorum quasi maritus. Nunc vero his prætermissis omnibus, quid ait? *Pasce oves meas.* Illa enim, quæ supra dixi, ex subditis multi facile præstare possint, non viri solum, sed etiam mulieres. At cum de Ecclesiæ præfectura, deque concredenda tot animarum cura agitur, recedat a magnitudine tanti negotii totus femininus sexus, imo etiam virorum pars maxima. Agantur in medium qui magno intervallo cæteris omnibus antecellunt, et qui secundum animi virtutem cæteris tanto sublimiores sunt, quanto universa Hebræorum gente Saül secundum corporis procerilatem; imo et longe majori spatio. Ne mihi enim hic humerorum proceritatis mensura quæratur : sed quanta est inter bruta et rationabiles homines differentia, tantum inter pastorem et eos qui pascuntur sit intervallum, ne quid amplius dicam : nam de multo majoribus periculum est. Siquidem qui oves perdidit, aut lupis rapientibus, aut furibus instantibus, aut peste quadam, aut alio contingente casu, aliquam fortasse veniam a Domino gregis impetraverit, sin pœnas ille exigat, pecunia tantum mulctatibur. At ille cui homines, rationabilis Christi grex, concrediti sunt, primo quidem pro ovium pernicie, non pecuniarum, sed animæ suæ jacturam facit. Deinde multo majus graviusque certamen habet. Non cum lupis ipsi pugna est, nec de furibus metuit, neque ut pestem abigat a grege sollicitus est. Sed quibuscum bellum sit, et adversum quos lucta ineunda? Audi beatum Paulum dicentem: *Non est nobis lucta adversus sanguinem et carnem, sed adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi rectores tenebrarum sæculi hujus, adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* (*Ephes.* VI, 12.) Vidistine inimicorum multitudinem ingentem, phalanges feroces, non ferro munitas, sed quibus sufficit ad omnigenam armaturam ipsa natura? Vis et alium exercitum videre, trucem et immanem, huic gregi insidiantem? Ipsum quoque ex eadem specula conspicies. Nam qui de supra dictis verba fecit, is ipse et hos nobis hostes indicat, his verbis : *Manifesta sunt opera carnis : quæ sunt fornicatio, adulterium, immunditia, impudicitia, idolorum servitus, veneficium, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, detractiones, susurri, animi tumores, dissensiones, et alia his plura.* (*Gal.* V, 19; *I Cor.* XII, 20.) Neque enim omnia enumeravit, sed ex his nobis cætera reliquit intelligenda.

Sacerdotium res plena difficultatum ac periculorum.

S. Chrysost., *De sacerd.*, l. II, t. I.—Si mitius agas cum eo, qui magna sectione opus habenti plagam infligas, partem vulneris abstulisti, partem reliquisti; sin requisitam sectionem prorsus adhibueris, sæpe ille doloris impatientia animum despondens, omnibus confertim rejectis, tum medicina, tum ligamine, seipsum præcipitem dabit, contrito jugo, ac confracto vinculo. — Quocirca multa opus est pastori prudentia, ac sexcentis oculis, ut undique animæ statum circumspiciat. Quemadmodum enim multi in arrogantiam extolluntur, et in salutis suæ desperationem incidunt, quod acerbiora remedia pati nequeant: ita sunt et alii, qui quod pares peccatis suis pœnas luere nolint in neglectum vertuntur, multo deteriores evadunt, majoremque peccandi licentiam usurpant. Nihil itaque horum sine examine relinquendum est, sed, omnibus rite exploratis, episcopus congruenter, quæ ad se pertinent, proferat oportet; ne vanam sollicitudinem adhibeat. Neque hac in re tantum, sed etiam in abscissis Ecclesiæ membris conjungendis, multis illum negotiis distendi videas. Nam ovium quidem pastor gregem habet sequentem quocunque duxerit : quod si quæ oves de recta via deflectant, salubrique relicto pabulo, sterilia atque abrupta loca depascant, satis est si altius clamet, et eas repetat, et ad gregem reducat. At si quis a recta fide aberraverit, magnum pastori opus incumbit, magna eget perseverantia atque patientia. Neque enim potest vel vi retrahere, vel metu cogere, sed suasione oportet ad veritatem reducere, unde initio excidit. Generoso itaque indiget animo, ne viribus deficiat, neu de errantium salute desperet, ut frequenter hæc cogitet et loquatur : *Nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis.* (*II Tim.* II, 25.) Propterea Dominus discipulos sic alloquebatur : *Quisnam fidelis servus et prudens?* (*Matth.* XXIV, 45.) Nam qui seipsum exercet, in se solum utilitatem circumscribit : pastoralis autem officii lucrum ad universum populum manat. Sane qui pecunias egenis distribuit, aut alias læsis patrocinatur, in aliquo proximis prodest, tanto minus tamen quam sacerdos, quanto intervallo anima corpori præstat. Jure itaque Dominus curam gregis, amoris erga se argumentum esse dixit.

Tremendum esse sacerdotium magis quam in veteri lege.

Idem, *ibid.*, l. III. — Sacerdotium in terra peragitur, sed cœlestium ordinum classem obtinet : et jure quidem merito. Non enim homo, non angelus, non archangelus, non alia quæpiam creata potestas; sed ipse Paracletus hoc officium ordinavit, qui manentibus in carne auctor fuit ut angelorum ministerium animo conciperent. Idcirco sacerdotum obeuntem ita purum esse decet, ac si in cœlis inter potestates illas collocatus esset. Terribilia namque erant quæ gratiam præcesserunt; qualia erant tintinnabula, mala punica, lapides in pectore positi, et alii insuper humerali, mitra, cidaris, poderes, lamina aurea, Sancta sanctorum, ingens intus quies. At si quis ea, quæ ad gratiam spectant, consideret, terribilia illa atque horrifica, parva esse comperiet : ac quod de lege dictum est, hic quo-

Digitized by Google

que verum deprehendet, nempe, *non glorificatum est quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam.* (*II Cor.* III, 10.) Cum enim videris Dominum immolatum et jacentem et sacer lotem, etc. Hoc itaque terribilissimum mysterium quis tandem, nisi admodum insaniat vel mete captus sit, despicere queat? An ignoras humanam animam ignem sacrificii hujusmodi nunquam gestare potuisse, sed omnes funditus perituros fuisse, nisi magnum adesset gratiæ Dei auxilium?

Magnam esse sacerdotii potestatem et dignitatem.

S. Chrysost. lib. II *De sacerdotio.* — Si quis enim secum reputet quantum illud sit, nempe hominem carne et sanguine involutum, prope beatam illam et immortalem naturam constitui, tunc probe intelliget quanto honore Spiritus gratia sacerdotes ornaverit. Nam per eos hæc peragantur, aliaque his nihilo inferiora, quæ ad dignitatis salutisque nostræ rationem spectant. Etenim qui terram incolunt in eaque commorantur, ad ea quæ in cœlis sunt dispensanda commissi sunt, potestatemque acceperunt, quam neque angelis, neque archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est, *quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata et in cœlo, et quæcunque solveritis in terra, erunt soluta et in cœlo.* (*Matth.* XVIII, 18.) Habent quidem ii, qui in terra imperant, potestatem ligandi, verum corpora solum : hoc autem vinculum ipsam attingit animam, cœlosque transcendit, ac quæcunque inferne sacerdotes faciunt, eadem Deus superne confirmat, servorumque sententiam ipse Dominus ratam facit. Quid enim aliud illis dedit, quam omnem cœlestium potestatem? Nam *quorum*, inquit, *remiseritis peccata, remittuntur; et quorum retinueritis, retenta sunt.* (*Joan.* XX, 23.) Quæ major hac potestas fuerit? Omne judicium dedit Pater Filio : videoque ipsum omne ipsis traditum a Filio esse. Ac si enim jam in cœlos translati essent, atque humanam naturam exsuperassent, a nostris affectibus liberati ita in tantum imperium evecti sunt. Ad hæc, si imperator subditorum cuipiam, hunc honorem contulerit, ut quos libuerit possit in carcerem conjicere, indeque erucre : ille admirandus, et conspicuus apud omnes habetur; at is qui a Deo tanto majorem potestatem accepit, quanto cœlum terra pretiosius est, et quanto animæ corporibus, ita exiguum monnullis videtur honorem accepisse, ut cogitari possit, quempiam hoc sibi concreditum donum despicere. Apage insaniam. Insania namque manifesta est, tantum principatum despicere, sine quo neque salutem neque promissa bona consequi possumus. Nam si non potest quis intrare in regnum cœlorum, nisi per aquam et spiritum regeneratus fuerit (*Joan.* III, 5); et, qui non manducat carnem Domini, nec bibit ejus sanguinem, æterna vita privatur. (*Joan.* VI, 53); hæc autem omnia non aliter quam per sanctas illas manus, sacerdotum nempe, perficiuntur; quis sine illarum opera, aut gehennæ ignem effugere, aut repositas assequi coronas poterit? Hi namque sunt, hi sunt, quibus concrediti sunt spirituales partus, et generatio per baptismum.

Magnum esse sacerdotum munus.

Idem, *ibid.* — Per hos Christum induimus, et cum Filio Dei sepelimur, membra beati illius capitis efficimur; ita non modo principibus et regibus formidabiliores, sed patribus etiam venerabiliores nobis jure fuerint. Illi enim ex sanguinibus exque voluntate carnis nos genuerunt; hi vero illius, quæ ex Deo est generationis nobis auctores sunt, beatæ nempe illius regenerationis, veræ libertatis, et illius quæ secundum gratiam est, adoptionis. Corporis lepram purgare : imo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum, Judæorum sacerdotibus licebat : et tamen nosti quanta tunc esset pro sacerdotali dignitate concertatio. Hi vero non lepram corporis, sed immunditiam animæ, non purgatam probandi, sed prorsus purgandi potestatem acceperant; ita ut qui ipsos contemnunt, longe sceleratiores et graviore supplicio digniores sunt ipso Dathan et sociis ejus. Illi enim etsi principatum ad se non spectantem sibi vindicarent; attamen miram quamdam de illo opinionem habebant, ut ex magno illius desiderio palam faciebant : hi vero postquam sacerdotium tantopere ornatum est, tantumque accepit incrementum; contra quam illi, sed tamen longe graviora ausi sunt. Neque enim par est contemptus, non competentem sibi honorem ambire, et tanta bona despicere : sed tanto gravius hoc illo est, quantum est inter fastidium et admirationem intervallum. Quis ita miser fuerit, ut tot bona despiciat? Neminem dixerim, nisi quis diabolico stimulo concitetur. Verum eo jam redibo, unde digressus sum. Neque enim in puniendo solum, sed etiam in benefaciendo, majorem sacerdotibus quam parentibus, potestatem dedit Deus : tantaque est inter utrosque differentia, quanta inter præsentem et futuram vitam. Nam illi quidem in hanc vitam, hi in futuram gignunt. Atque illi ne corporalem quidem interitum a liberis amoliri possunt, non ingruentem morbum depellere, hi vero ægram et mox interituram animam sæpe servarunt; aliis remissiorem pœnam reddentes; alios prorsus labi non sinentes; idque non doctrinæ tantum atque monitionum, sed etiam orationum auxilio. Neque enim tantum cum nos regenerant, sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt. Nam *infirmatur*, inquit, *quis in vobis; inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum; et excitabit eum Dominus; et si peccata fecerit, remittentur ei.* (*Jac.* V, 14.) Insuper naturales parentes, si viros quosdam principes et potentes eorum liberi offenderint, opem ipsis nullam afferre possunt; sacerdotes vero non principes, non reges, sed ipsum Deum iratum illis sæpe reconciliarunt. An postea quispiam ausit

Digitized by Google

nos superbiæ accusare? Ego enim ex jam dictis, tantam puto religionem auditorum animos occupasse, ut non ultra eos qui fugiunt; sed eos qui suopte motu accedunt, et tantum sibi ambiunt honorem, arrogantiæ et audaciæ damnent. Nam si ii quibus civitatum magistratus concrediti sunt, nisi admodum prudentes ac vigilantes fuerint, sæpe rempublicam se ipsosque simul in perniciem dederunt: qui Christi sponsam ornandam suscipit, quanta tibi videtur potestate indigere tum sua, tum superne data, ut non peccet?

Ipsum etiam Paulum formidasse sacerdotium.

S. Chrys., l. II *De sacerd.*— Nemo Christum magis quam Paulus dilexit, nemo majus quam ille studium exhibuit, nemo majore gratia dignatus est. Attamen tot fultus præclaris dotibus, adhuc timebat, tremebatque, tum principatus hujusmodi, tum subditorum causa. *Timeo*, enim inquit, *ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua; ita corrumpantur sensus vestri a simplicitate quæ est in Christo* (*II Cor.* XI, 3); ac rursum: *In timore et tremore multo factus sum ad vos.* (*I Cor.* II, 3.) Homo in tertium cœlum raptus (*II Cor.* XII, 2), atque arcanis Dei communicans, totque perpessus mortes, quot dies post susceptam fidem vixerat; homo qui data per Christum potestate uti noluit, ne quis credentium scandalizaretur. Si igitur ille qui majora quam præcepta Dei ferrent, præstaret, et nusquam quæ sua erant quæreret, sed quæ subditorum, ita formidolosus erat, cum ad principatus magnitudinem respiceret, quid faciemus nos qui sæpe nostra quærimus, qui Christi mandata non solum non superamus, sed majori ex parte transgredimur? *Quis infirmatur*, inquit, *et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* Talem esse oportet sacerdotem; imo non talem solummodo: parva enim hæc sunt, imo nihil, his comparata quæ jam dicturus sum; quænam hæc? *Optabam*, ait, *anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.* (*Rom.* IX, 3.) Si quis possit, hanc emittere vocem; si quis ea præditus sit anima, quæ ad hujusmodi votum accedere possit, is jure possit argui si fugiat. At si quis tantum ab hac virtute remotus sit, quantum nos sumus; non cum fugerit, sed cum munus susceperit, odio dignus est.

Cupiditas principatus expellenda ex animo sacerdotis.

Idem, *ibid.* — Grave quippe est, grave admodum hunc honorem appetere. Id vero dico, non cum beato Paulo decertans, sed verbis ejus maxime consentiens. Quid enim ait ille: *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* (*I Tim.* III, 21.) Ego vero non opus, sed auctoritatem et potentiam desiderare grave dico esse. Hancque concupiscentiam toto studio ab animo deturbandam, neque vel initio retinendam censeo, ut cum libertate omnia facere possit. Nam qui non concupiscit in hac potestate splendere, is sane deturbari non formidat. Si non formidet, cum ea, quæ Christianos decet, libertate omnia facere poterit. Itaque qui inde deturbari metuunt ac formidant, duram multisque incommodis refertam sentient servitutem, atque in hominum ipsiusque Dei offensionem incurrere sæpe coguntur. Non sic autem anima affecta esse debet. Sed quemadmodum in præliis strenuos milites videmus alacriter pugnare, fortiterque cadere; ita et eos qui ad hoc ministerium accedunt, par est et sacerdotio fungi, et a principatu dejici, eo modo quo Christianos viros decet; cum sciant talem depositionem, non minorem quam ipsum principatum, referre coronam. Quando enim quis, ut nihil indecorum vel dignitati non consentaneum sustineat, simile quidpiam patitur, et se injuste deponentibus supplicium et majorem sibi mercedem procurat. Nam *Beati*, inquit, *estis cum exprobraverint vos et persecuti fuerint; et dixerint omne malum verbum adversum vos mentientes, propter me; gaudete et exsultate quia multa est merces vestra in cœlis.* (*Matth.* V, 11.) Et hæc cum a comministris, vel per invidiam, vel ad aliorum gratiam, vel per inimicitiam, vel alia quadam non recta ratione quis ex loco suo movetur. Cum autem ab adversariis id patitur, nulla puto esse oratione opus, ad lucrum demonstrandum quod malitia sua ipsi colligunt. Id ergo undique circumspiciendum, et accurate explorandum est, ne qua desiderii illius scintilla ardens lateat. Optandum quippe est eos, qui initio hoc morbo liberi fuere, ubi ad hujusmodi dignitatem pervenerint, illum effugere posse. Quod si quis antequam honorem illum assequatur, hanc sævam immanemque feram penes se nutriat dici nequit in quantam fornacem illum nactus se conjiciat. Nos autem, ne vero putes modestiæ causa ullatenus apud te mentiri velle, magna hujusmodi cupidine tenemur; quæ res una cum aliis omnibus non parum nos exterruit et in hanc fugam vertit. Quemadmodum enim corporum amatores, quandiu licet cum amatis versari, graviorem morbi cruciatum habent, cum autem procul illis abducuntur, tunc insaniam excutiunt; sic et qui principatus istius cupidine tenentur, cum penes illum sunt, nalo lerendo sunt impares; ubi vero spem amittunt, cum exspectatione ipsam cupidinem exstinguunt.

Sapientissimum oportere esse sacerdotem

Idem, *ibid.* — Hæc una causa est non mediocris; quæ licet sola esset, nos ab hac dignitate arcere posset. Verum et alia additur hac non minor. Quæ illa? Vigilantem oportet episcopum esse, perspicacem et innumeris undique præditum oculis, utpote qui non sibi solum, sed tantæ multitudini vivat. Nos vero segnes sumus et remissi et nostræ saluti vix sufficientes. Hoc vel tute fateare, qui maxime omnium, amicitiæ causa, mala nostra obtegere conaris. Ne mihi enim hic jejunium alleges, vel vigilias vel humi cubationem et reliquam corporis macerationem: nam quantum ab his virtu-

Digitized by Google

tibus absimus non ignoras. Etiamsi vero a nobis accurate excolerentur, nihil hæc nos tanta animi segnitie præditos ad hanc præfecturam juvarent. Homini quippe in domuncula quadam incluso et sua solum curanti, hæc magnam afferrent utilitatem; sed in tantam multitudinem scisso et cujusque subditorum peculiarem sollicitudinem gerenti, quid id lucri afferat ad illorum profectum nisi animum virilem ac fortissimum obtineat.

Præter abstinentiam alia requiri.

S. Chrys., l. II *De sacerd.*— Neque mireris si cum tanta tolerantia alterum postulo fortis animi experimentum. Nam delicatum cibum, potum, lectum despicere, multis facile esse videmus; maxime vero iis, qui natura agrestiores, et a teneris sic educati sunt, ac multis item aliis, corporis temperamento atque consuetudine laborum hujusmodi asperitatem mitigantibus. At contumeliam, damnum, molestum verbum, dicteria ab inferioribus, tum temere, tum in ipso judicio prolata, querimonias frustra et temere, tum a principibus, tum a subditis oblatas, non multi ferre possunt sed unus fortasse vel alter. Videreque est etiam viros fortes ad hæc ita ceu vertigine captos, ut vel immanissimis belluis ferius exasperentur : hos vero maxime a sacerdotii septis arcemus. Antistitem quippe nec inedia afflictari, nec nudis pedibus incedere, id sanæ Ecclesiæ cœtui nihil afferet detrimenti : furor autem animi et illi et proximo magnas parit calamitates. Atque iis quidem qui supra dicta non præstant, nulla a Deo comminatio; at temere excandescentibus et gehennam et gehennæ ignem Deus comminatus est. Quemadmodum igitur vanæ gloriæ cupidus, cum multorum præfecturam adit, majorem igni præbet materiam; sic et qui nec apud se, nec in familiaribus paucorum colloquiis iram continere nequit, sed facile excandescit, huic si popularis magistratus tradatur ceu fera quædam a multis undique exstimulata, nec quieto unquam animo esse potest, insuperque commisso sibi populo innumera procurat mala. Nihil enim sic ingenii puritatem, mentisque aciem obturbat, ut ira inordinata, quæ multo fertur impetu. *Ira* enim, inquit ille, *etiam prudentes perdit.* (*Prov.* xv, 1.)

Quantum oporteat esse eum, qui tantis tempestatibus opponitur.

Idem, *ibid.* — Quemadmodum sævis ex adverso pugnantibus ventis, mare antea tranquillum, derepente furit atque intumescit, vectoresque perdit; sic et Ecclesiæ tranquillitas corruptoribus admissis, tempestate et naufragiis infestatur multis. Cogita ergo qualem oporteat eum esse cui tantæ tempestati resistere necesse sit, et tot impedimenta rerum communi utilitati conducentium probe temperare. Nam et gravem illum, sed minime fastuosum; et formidabilem, sed humanum, et imperiosum, sed comem omnibus; et personam non accipientem, sed officiosum; et humilem, sed minime servilem; et vehementem, sed mansuetum esse oportet, ut contra illa omnia pugnare facile possit : atque eum qui idoneus sit, omnibus licet obsistentibus, cum magna potestate promovere : huic vero dissimilem cum eadem auctoritate, omnibus etiam conspirantibus non admittere, sed unum tantum ob oculos habere, Ecclesiæ nempe structuram; nihilque vel ad inimicitiam, vel ad gratiam facere. Num tibi videmur rei hujusmodi ministerium merito recusasse? Atqui nondum omnia recensui, suppetunt et alia dicendo.

Verum ne defatigeris, dum amici ac vere germani viri sese apud te excusantis orationem toleras. Hæc porro non ad apologiam modo nostram tibi erunt utilia; sed ad ipsam fortasse muneris de quo agitur functionem non parum afferent lucri. Eum namque qui vitæ hujusmodi semitam ingressurus est, omnia prius perscrutatum, sic ministerio manum admovere oportet. Quare? Quia etsi nulla alia subesset causa, omnium probe gnaro id lucri accedet, ut non rei insolentia turbetur, cum hæc contingent. Vis igitur ut prius ad viduarum patrocinium veniamus, an ad virginum curam an ad judicialis partis difficultatem? Nam in horum singulis varia est sollicitudo et sollicitudine major metus. Ac primum, ut ab eo quod aliis facilius esse videtur ordiamur; viduarum cura ipsam suscipientibus solam sumptuum sollicitudinem afferre videtur : at non ita se res habet. Sed hic quoque multo opus est examine, ubi illas deligere oportet : quandoquidem cum temere et ut casus tulit in album relatæ sunt, innumera peperit mala. Etenim familias pessum dederunt, conjugia diremerunt, et in furtis cauponis aliisque similibus turpiter se agentes sæpe deprehensæ sunt. Porro tales viduas sumptibus Ecclesiæ ali; id et a Deo supplicium et apud homines infamiam summamque damnationem parit, beneficorumque animum segniorem efficit. Nam quis unquam velit pecunias, quas Christo dare jussus est, iis largiri qui Christi nomini calumniam pariunt? Ideoque multo et accurato scrutinio est opus; ut neque illæ, neque aliæ, quibus res familiaris sufficere potest, tenuiorum mensam absumant. Hanc perquisitionem alia non parva cura excipit, ut ipsis alimenta confertim quasi ex fontibus affluant nec unquam desint. Siquidem insatiabile malum est invita paupertas, quereles, ingratumque animum præ se ferens.

Multa prudentia diligentiaque est opus ut eorum obstruantur ora, quæ quamlibet criminationis occasionem arripiunt. Sano multi ubi quempiam vident pecuniis non deditum, statim ipsum ad hanc functionem idoneum pronuntiant. Ego vero non existimo hanc illi animi magnitudinem satis esse, sed oportere tamen illam cæteris præire; nam illius expers, vastator potius quam patronus et pro pastore lupus fuerit. Verum cum illa, aliam in eo requirere opor-

Digitized by Google

tet. Ea autem est bonorum omnium hominibus conciliatrix patientia. quæ quasi in tranquillum quemdam portum animam deducit. Nam viduarum genus tum paupertatis, tum ætatis, tum sexus nomine, immoderata quadam loquendi libertate utitur. Sic enim congruentius loquemur; importune clamant, abs re queruntur et lamentantur, ubi gratiæ erant habendæ; incusant, ubi laudandum erat: præfectumque oportet omnia fortiter ferre, neque ob importunas rixas, vel absurdas querelas ira commoveri. Illarum enim infelicitas misericordiam potius quam contumeliam meretur: ipsarum autem ærumnis insultare, et paupertatis dolori contumeliam addere, extremæ crudelitatis fuerit.

Quamobrem vir quidam sapientissimus, avaritiam superbiamque humanæ naturæ considerans, gnarus paupertatem hujusmodi esse, ut possit vel generosissimum animum dejicere, eoque deducere ut iisdem in rebus sæpius impudenter agat; ne quis petentibus illis irascatur, neu frequentibus eorum precibus exasperatus, infestus evadat ille qui opem ferre debet; ut sese mitem et aditu facilem exhibeat, hortatur his verbis: *Inclina pauperi sine tristitia aurem tuam, et responde illi in mansuetudine pacifica* (*Eccli.* IV, 2); ac missum faciens eum qui exasperat, quid enim jacenti dixeris? eum alloquitur, qui ejus infirmitatem ferre possit, monens ut vultus blanditie ac verborum mansuetudine, etiam ante oblatum donum ipsum erigat. Quod si quis illarum quidem bona non usurpet, sed innumeris ipsas conviciis et contumeliis oneret, et adversus eas irritetur; non modo paupertatem largitione non subleval, sed calamitatem ipsam conviciis auget. Etiamsi enim ob ventris necessitatem admodum impudentes esse cogantur, attamen de hujusmodi violentia dolent. Cum itaque famis ingruentis metu mendicare coguntur, et mendicando impudentes esse; ac rursum impudentia illa contumeliam pati, multiformis quædam, et mentem caligine offundens doloris vis earum animos occupat; oportet vero curatorem earum tanta esse æquanimitate, ut non modo indignatione sua dolorem non augeat, sed etiam cohortatione sua mœrorem mitiget.

Sacerdoti necessariam esse expeditam dicendi facultatem.

S. Chrys., l. IV *De sacerd.*—An ignoras hoc corpus pluribus et insidiis obnoxium esse, quam carnem nostram; itemque citius corrumpi tardiusque sanari? Humana certe corpora curantibus, varia inventa sunt medicamina, diversorum instrumentorum apparatus, alimenta ægris congruentia, aeris quoque natura sæpe sufficit ad ægri valetudinem; est etiam cum somnus opportune cadens, omnem medico laborem auferat. Hic vero nihil simile excogitari potest; sed una post operum exemplum datur machina viaque ad curationem, nempe verbi doctrina. Hoc est instrumentum, hoc esca, hoc aeris temperies optima; hoc vice medicamenti, hoc vice ignis ac vice ferri: sive urendum sive secandum sit, illo uti necesse est: si illud nihil possit, reliqua omnia incassum abeunt. Hoc et jacentem animam excitamus, et tumentem compescimus, et redundantia præscindimus, et deficientia supplemus, et reliqua omnia facimus, quæ ad animæ conferunt incolumitatem. Nam ad vitæ optimam constitutionem, alterius vita ad simile studium et æmulationem revocare possit. Cum autem anima circa spuria dogmata ægrotat, tunc verbi usus maxime necessarius est, non ad domesticorum securitatem tantum, verum etiam ad externa bella. Nam si quis frameam spiritus habeat, clypeumque fidei talem, ut possit miracula edere, et portentis impudentium ora obstruere, nihil opus fuerit verbo; imo ne tunc quidem inutilis esset ejus natura, sed etiam admodum necessaria. Etenim B. Paulus ipsum adhibuit, etiamsi signorum gratia ubique admirationi esset. Et alius quidam ex eodem choro, ut verbi virtutis curam habeamus monet his verbis: *Parati estote ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe.* (*I Petr.* III, 15.) Et quidem nulla alia de causa tunc omnes Stephano viduarum œconomiam, commiserunt, quam ut ipsi verbi ministerio vacarent.

Ad quasvis controversias paratum esse oportere.

Idem, *ibid.* — Verumtamen non perinde verbum requireremus, si virtutem signorum haberemus. Sin virtutis illius ne vestigium quidem relinquitur, multi vero undique instant inimici; sermone muniamur necesse est, ne inimicorum telis confodiamur, imo potius ut ipsos feriamus. Quapropter iugens adhibere studium oportet, ut Christi verbum affatim in nobis habitet. Neque enim ad unum pugnæ genus apparatus noster est, sed multiplex hoc bellum est, ex variisque constans inimicis. Neque ipsi iisdem utuntur armis, neque uno tantum modo nobiscum congredi meditantur: opusque est eum, qui cum omnibus pugnam commissurus est, omnium technas notas habere, ac eumdem esse, sagittarium et funditorem, tribunum et manipuli ductorem, militem et ducem, peditem et equitem, navalis et muralis pugnæ peritum. Etenim in militaribus præliis, quod quisque opus peragendum suscipit, hoc irruentes propulsat. Hic vero non ita se res habet, nisi enim qui victoriam reportaturus est; omnes dimicandi artes noverit; novit diabolus, vel per unam partem, si ea negligatur, prædonibus suis immissis, oves deripere. At non item cum pastorem senserit omni scientia præditum esse, omnesque ipsius insidias probe callere. Quamobrem oportet nos omnibus ex partibus munitos esse. Etenim urbs donec undique circummunita est, obsidentes se irridet, ac secure admodum agit; si quis vero murum diruerit ad januæ solum magnitudinem, tunc nihil illi prodest septum, licet reliquum omne munitum sit. Eodem modo et Dei civitas, dum eam undique pro muro ambit

Digitized by Google

pastoris solertia atque prudentia; adversariis suæ omnes machinæ in opprobrium risumque cedunt, eamque incolentes illæsi evadunt; ubi autem quispiam eam ex parte demoliri possit, etiamsi non totam destruxerit, a parte totum, ut ita dicam, deinceps labefactatur. — Ecquid opus est omnes diaboli hæreses recensere, quas omnes, nisi pastor sciat refellere, vel per unam possit lupus maximam ovium partem devorare?

Paulum non miraculis solum claruisse, sed etiam arte dicendi.

S. Chrys., l. iv *De sacerd.*—Undenam, obsecro, Judæos Damascum incolentes confudit (Paulus), cum nondum miracula edere cœpisset? Unde Hellenistas item prostravit? Quare Tarsum missus est? Nonne quia vi verbi superabat, et in tantum ipsos premebat, ut se victos esse non ferentes, ad illius necem inflammarentur? Nondum enim miracula edere cœperat: neque possit quispiam dicere multos ipsum ob miraculorum gloriam admirandum habuisse, eosque qui cum eo pugnabant viri existimatione fuisse prostratos. Nam ad id usque tempus sermonis vi superabat. (*Gal.* II, 11.) Adversus eos autem qui Antiochiæ judaizare aggrediebantur, quomodo dimicabat, disputabatque? (*Act.* XVII, 34.) Areopagita vero ille, superstitiosissimæ urbis illius civis, nonne ex sola ejus concione cum uxore secutus eum est? Eutychus autem quomodo de fenestra delapsus est, nonne quia usque ad multam noctem ejus audiendæ doctrinæ vacabat? (*Act* XX, 9.) Quid vero Thessalonicæ et Corinthi? Quid Ephesi et in ipsa Roma? Nonne dies noctesque insumebat in exponendis Scripturis? (*Act.* XVII, 18.) Jam quid dixeris de illius disputationibus cum epicureis et stoicis? Nam si omnia recensere velimus, longius excurret oratio. Cum itaque et ante signa, et in mediis signis, ipsum multa dicendi vi usum esse palam sit, quomodo adhuc audeant idiotam dicere eum qui disputationibus et concionibus magnam sibi apud omnes admirationem conciliavit? Cur Lycaones ipsum Mercurium esse suspicati sunt? (*Act.* XIV, 12.) Nam quod dii esse putarentur, id ex signis efficiebatur: quod vero Paulum Mercurium esse putarent, id non signorum, sed eloquentiæ causa evenit. Quare beatus ille vir prærogativam inter cæteros apostolos habuit? Unde per totum orbem multus in omnium ore versatur? Quare non apud nos modo, sed et apud Judæos et Græcos maxime omnium admirationi habetur? Nonne ex epistolarum virtute, qua non iis solum qui tunc erant fidelibus, sed etiam iis qui ab illo tempore in hunc usque diem fuere, et iis qui post futuri sunt, usque ad novissimum Christi adventum, profuit profuturusque est, nec juvandi finem faciet, donec humanum genus permanserit?

Paulum id a nobis quoque velle exerceri.

Idem, *ibid.* — Audi qui in epistola sua discipulo dicat: *Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ;* cujus rei fructum adjicit, dicens: *Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt. II Tim.*, II, 24.) Ac rursum: *Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem.* Ac progressus ait: *Tu vero permane in iis quæ didicisti, et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris, et quia ab infantia sacras litteras nosti quæ te possint instruere ad salutem.* Ac rursus: *Omnis Scriptura divinitus inspirata*, inquit, *utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei.* (*II Tim.* III, 16.) Audi item quid Tito dicat de episcoporum constitutione disserens: *Oportet enim*, inquit, *episcopum amplecti eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut possit eos qui contradicunt arguere.* (*Tit.* I, 17.) Qui ergo idiota, ut hi dicunt, contradicentes arguere et refrenare poterit? Quorsum attendere lectioni et Scripturis, si ea nobis ignorantia amplectenda est? Hæc obtentus sunt et prætextus, ac segnitiei ignaviæque excusationes.

Verum, inquies, hæc episcopis præcipiuntur; nam de episcopis nobis jam est sermo; quod autem et subditis idipsum conveniat, audi quid in alia epistola aliis dicat: *Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia* (*Col.* III, 16); ac rursum: *Sermo vester in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.* (*Col.* IV, 6.) Jam quod velit ad respondendum esse paratos, id omnibus dicitur: ad Thessalonicenses vero: *Ædificate*, inquit, *alterutrum sicut et facitis.* (*I Thes.* V, 11.) Cum autem de sacerdotibus verba facit: *Qui bene præsunt presbyteri*, inquit, *duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina.* (*I Tim.* V, 17.) Etenim hic est perfectissimus doctrinæ terminus, cum et operibus et dictis suis discipulos in beatam a Christo institutam vitam deducunt. Neque enim facta sufficiunt ad docendum. Non meus est sermo, sed ipsius Servatoris: *Qui* enim, ait, *fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur.* (*Matth.* V, 19.) Nam si facere idem esset quod docere, superflue secundum illud adderetur; satis enim fuisset dixisse tantum, *qui fecerit.* Nunc vero quod inter utrumque distinguat, ostendit alias esse operum partes, alias sermonis, adque perfectam ædificationem unum altero indigere. Annon audis quid Ephesiorum presbyteris dicat vas illud electum Christi? *Propter quod*, inquit, *vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum.* (*Act.* XX, 31.) Nam quid opus lacrymis, vel verbis commonitoriis, vita in illo apostolica ita fulgente? Sed ad præceptorum observationem id nobis admodum conferre possit; neque enim ipsum solum omnia præstare posse dixerim.

Multum laborem in homiliis concinnandis.

Idem, *ibid.*, lib. V. — Quanta sit doctori

experientia opus ad certamina pro veritate suscipienda, sat a nobis demonstratum esse puto. Aliud præterea dicendum restat, quod est infinitorum causa periculorum; imo vero non illud esse causam dixerim, sed eos qui illo probe uti nesciunt. Quandoquidem res ipsa et salutis et multorum bonorum conciliatrix est, dum a viris probis et diligentibus administretur. Quid illud est? Labor multus in disputationibus publice ad populum habendis insumptus. Magna enim subditorum pars nolunt eos qui loquuntur in præceptorum habere loco; sed discipulorum ordinem supergressi, eorum conditionem usurpant, qui in externorum theatris certamina spectaturi sedent. Ac quemadmodum ibi multitudo in contraria studia scinditur; aliis illi faventibus: ita et hi divisi, alii ad hujus, alii ad illius partes transeunt, vel ad gratiam, vel ad odium aures dicentibus accommodantes.

Doctrina præditus sit, et laudes spernat oportet concionator.

S. Chrys., l. v *De sacerd.*—Atque adeo dicendi vis illa quam nuper explodebamus, ita desiderabilem nunc se præbet, ut ne in sophistis quidem cum mutuo altercari coguntur, tanta requiratur. Generoso itaque hic opus est animo, qui nostram exiguitatem longe superet; ut inordinatam illam infructuosamque vulgi voluptatem compescat, et auditum eorum ad utiliora transferat, ita ut populus ipsum sequatur, ipsique morem geral; sed non illo secundum vulgi cupidinem feratur. Il vero nullo modo consequi possis, nisi hoc utrumque adfuerit, laudum contemptus et vis dicendi. Nam si alterum absit, aliud ab altero disjunctum inutile efficitur. Etenim si laudes aspernans, non proferat doctrinam gratia et sale conditam, despicabilis apud multos evadit, nihil lucri animi magnitudine referens; sin hac parte strenue se gerens a populari aura vincatur, tum ipsi tum populo idipsum accidit detrimenti, cum ex laudum cupidine eo ducatur, cum ad gratiam magis quam ad utilitatem auditorum concionari studeat. Ac quemadmodum qui nec laudibus movetur, nec dicendi vi præditus est, is neque vulgi voluptatibus cedere, neque tantillam utilitatem ob imperitiam loquendi efferre potest, ita qui laudum amore capitur, nactus eam facultatem qua multos ad meliorem frugem reducere possit, mavult tamen delectabilia proferre, dum populares in plaudendo tumultus lucretur.

Is itaque qui optimus populi ductor futurus sit, utrumque fortiter teneat oportet, ut ne alterum altero evertatur. Cum enim in medio surgens ea dixerit quæ ignavos perstringere possint; si deinde labantur, et decidat, ac præ dicendi inopia erubescere cogatur, jam dictorum lucrum statim effluitur. Nam qui corripiuntur, dum dictis dolent, nec se alio modo ulcisci possunt, ignorantiam ipsi exprobrant, hac putantes se ratione opprobria tegere sua. Quapropter oportet eum, ceu aurigam optimum, inter has virtutes accurate procedere, ut utramque rite tractare possit. Etenim cum ille se apud omnes inculpatum præstiterit, tunc quanta potestate voluerit, subditos suos omnes pro libito, vel castigare, vel remissius tractare poterit. Hoc nisi prius agatur, haud facile id facile fuerit. Animi porro magnitudinem non in laudum contemptu tantum exhibere par est; sed ulterius progrediendum ne imperfectum lucrum accedat.

Invidiam contemnat oportet.

Idem, *ibid.* — Quodnam igitur aliud contemnendum est? Livor et invidia. Intempestivas autem accusationes (necesse quippe est antistitem absurdas etiam reprehensiones sustinere); neque admodum timere, formidareque, neque prorsus negligere convenit. Sed etiamsi illæ falsæ sint, etiamsi a plebeiis offerantur, statim eas exstinguere conandum est. Nihil enim ita famam, seu bonam, seu malam auget, ut incompositum vulgus. Cum enim sine examine et audire et garrire soleat, temere quidquid occurrit loquitur nulla prorsus veri ratione habita. Quamobrem non oportet vulgus contemnere, sed pravas suspiciones statim ab initio exscindere, accusatores de contrario persuadendo, etiamsi a ratione alienissimi sint. Demum nihil retro relinquere convenit, quod pravam opinionem delere possit. Sin vero postquam omnino præstiterimus, nolint accusatores morem gerere, tunc contemptu opus erit. Quandoquidem si quis casibus hujusmodi animo dejiciatur, is nunquam poterit quidpiam generosi vel admirandi præstare. Nam mœror animi, assiduæque sollicitudines, animi vim prosternere possunt, et in extremam imbecillitatem deducere. Sic igitur oportet sacerdotem ergo subditos affectum esse, ut pater est erga teneriores filios. Ac quemadmodum illis nec insolescentibus, nec percutientibus, nec flentibus commovemur; sed neque cum nos effusis cachinnis irriserint, admodum curamus; ita nec horum vel laudibus intumescere, vel vituperiis dejici oportet, cum hæc illi intempestive faciunt.

Grave illud est, o vir beate, imo tale fortasse puto, quod præstari non possit. Siquidem laudatum hominem non gaudere, nescio an cuipiam vel magna virtute prædito acciderit. Gaudentem vero necesse videtur id desiderare unde gaudio fruitur; desiderantem porro gaudio frui, prorsus necesse est, si id non consequantur, dolere, torqueri, cruciari, ac mœrore affici. Quemadmodum enim ii qui in divitiis lætantur, si quando in paupertatem decidant, ægre ferunt; et qui delicatis cibi assueverunt, nunquam patiantur tenui uti victus ratione; sic et laudis amatores, non modo cum temere vituperantur; sed etiam cum non assidue laudantur, ceu fame quadam contabescunt; maxime si in ipsis laudibus educati fuerit, aut si alios laudari audierint. Qui vero cum tali cupidine in doctrinæ certamen descenderit, quam multis doloribus obnoxium fore putas? Neque mare unquam potest fluctibus carere, neque illius animus sollicitudine et mœ-

Digitized by Google

tia. Nam si is fuerit magna dicendi vi præditus (hoc autem in paucis invenitur) ne sic quidem ab assiduo animi mœrore vacuus erit. Etenim cum eloquentiam non natura, sed disciplina pariat, licet ad summum ejus apicem quis pervenerit, ab illa certe destituetur, nisi assidue studio et exercitatione illam excoluerit; ita ut magis peritioribus, quam imperitioribus sit laborandum.

Sermones omnes eo tantum ut Deo placeatur dirigendos esse.

S. Chrys., l. v *De sacerd.*—Is qui doctrinæ laborem suscepit, aliorum laudes attendat, neque his deficientibus, animum despondeat. Verum sermonem suum ad Dei placitum concinnans (hæc enim ejus norma, hic terminus artificii debet esse, non plausus vel laudes); si quidem ab hominibus etiam laudetur, laudes ne rejiciat, sin laudes ab auditoribus non referat, ne quærat illas, nec ideo doleat. Laborum quippe solatium illud satis erit, omniumque maximum, si conscius sibi fuerit, se ad Dei placitum doctrinam concinnasse suam. Nam si contingat eum laudis cupidine abripi, nihil juvabunt ingentes illi labores, nihil dicendi facultas. Animus enim qui stultas multorum reprehensiones ferre nequit, dissolvitur ac dicendi studium abjicit. Quamobrem hac primum disciplina imbui par est, nempe contemnendas esse laudes. Neque enim satis est dicendi vi præditum esse ad eam facultatem conservandum, nisi hoc etiam adsit. Quod si quis eum accurate examinare velit, qui facultate ista caret, comperiet non minus illum quam hunc laudum contemptu egere; nam si a popularis auræ cupidine vinci se patiatur, multis in rebus necessario delinquet. Cum enim eo pervenire nequeat, ut dicendi laude florentibus æqualis sit; ipsis tum insidiari, tum invidere, tum crimen offerre, tum alias turpiter injurias inferre non dubitabit: sed nihil non audebit, etiamsi animam perdere opus sit, ut ejus gloriam in suæ tenuitatis conditionem deducat

Pœnas dare sacerdotes etiam pro populi delictis.

Idem, *De sacerdotio*, lib. VI, t. I.— Res quidem hujus mundi tales sunt, quales audisti: illius autem vitæ (futuræ) res quomodo feremus, cum de singulis nobis commissis hominibus rationem reddere cogemur? Non enim in pudore sistit damnum, sed æternum exspectatur supplicium. Illud enim, *Obedite præpositis vestris et subjacete eis, quia ipsi vigilant pro animabus vestris, ut rationem reddituri* (*Hebr.* XIII, 17); etiamsi prius dixeram, tamen ne nunc quidem tacebo. Nam tantæ comminationis metus frequenter animum concutit meum: si enim ei qui vel minimum unum scandalizaverit, expedit ut mola asinaria suspendatur in collo ejus (*Matth.* XVIII, 6), et demergatur in mare; et omnes qui conscientiam fratrum suorum percutiunt, in ipsum Christum peccant; qui non unum modo, vel duos, vel tres, sed tantam multitudinem perdunt, quid passuri sunt, et quas pœnas daturi? Neque enim imperitia in causam afferenda est, neque necessitas aut vis obtendi potest; sed potius subditus; si quidem liceret, hoc in propriis peccatis effugio uti posset, quam in aliorum delictis antistites. Quare? Quia is qui ad hoc deputatus est, ut aliorum ignorantiam emendet, et diabolicum bellum instans prænuntiet, nequit ignorantiam obtendere, nec dicere. Non audivi tubam, bellum non prævidi. Ad hoc quippe sedebat, ut Ezechiel ait, ut aliis tuba caneret, et futuras ærumnas prænuntiaret (*Ezech.* XXXIII, 3); ideoque supplicium nulla excusatione vitari potest, etiamsi unus tantum periisset. Nam si accedente framea, populo non tuba cecinerit, ait nec speculator signum dederit, advenientsque framea animam invaserit; ipsa quidem propter iniquitatem suam capta est, sanguinem vero ejus de manu speculatoris requiram. Desine ergo nos in tam inevitabile judicium impellere, neque enim de ducendo exercitu, neque de regno sermonem habemus, sed de negotio quod angelica virtute opus habeat; etenim solaribus radiis puriorem esse oportet sacerdotis animam, nequando Spiritus sanctus illum desertum relinquat; ut possit dicere: *Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus.* (*Gal.* II, 20.)

Sacerdotem orbi terrarum esse præpositum.

Idem, *ibid.*— Eorum vero qui sacerdotio subsunt, maxima pars sæcularibus curis sunt addicti; quod illos ad spiritualia opera peragenda segniores reddit. Unde et doctorem necesse est singulis, ut ita dicam, diebus sementem jacere, ut assiduitate illa possit doctrinæ verbum ab auditoribus retineri. Etenim divitiæ ingentes, potentiæ magnitudo, segnities ex voluptate nata, multaque alia, jactum semen suffocant. Sæpe vero spinarum frequentia, ne ad superficiem quidem terræ semen cadere sinit. Hinc vero ærumnarum magnitudo, vis paupertatis, molestiæ assiduæ, aliaque hujusmodi prioribus contraria, a divinorum studio abducunt, peccatorum autem ne tantilla quidem pars potest in eorum notitiam venire, quomodo enim, cum maximam eorum partem ne de facie quidem norit? Ac quæ ad populum quidem spectant his sunt perplexa difficultatibus. Quod si quis ea quæ ad Deum pertinent exploraverit; prioria nihil prorsus esse videbuntur, ita majorem hæc diligentioremque curam postulant. Nam qui pro tota civitate, et quid dico civitate? Imo pro universa terra orationem agit, Deoque supplicans, ut omnium peccatis sit propitius non vivorum tantum, sed etiam eorum qui obierunt, qualem, quæso oportet esse? Equidem neque Moysis, neque Eliæ fiduciam, ad hujusmodi supplicationem sufficere posse putaverim: etenim ac si mundus totus sibi concreditus sit, ac si omnium pater ipse sit, sic ad Deum accedit, rogans omnia mundi bella

Digitized by Google

exstingui, tumultus sedari, pacem, prosperitatem, omnium singulis imminentium, qua privatim, qua publice, malorum celerem depulsionem.

Sacerdotem ad omnia aptum esse debere.

3

S. Chrys., l. IV *De sacerd.* — Hæc porro omnia, diversa licet, finem respiciunt unum, nempe Dei gloriam, atque Ecclesiæ ædificationem. Magnum et monachorum certamen, eorumque labor multus : sed si quis probe administratum sacerdotium cum illorum laboribus conferat, tantum reperiet discrimen, quantum est inter idiotam et regem intervallum. Illic enim etiamsi multus adsit labor, at communis animæ corporisque concertatio ; imo potius ex corporis exercitatione magna laboris pars perficitur, ac si illud robustum non fuerit, sola et otiosa manet alacritas animi, cum non possit in opus exire; siquidem assiduum jejunium, humi cubatio vigiliæ, baluei privatio, sudor ingens, cæteraque omnia ad corpus macerandum idonea statim de medio tolluntur, cum id quod castigandum erat robore careat : hic vero sola puraque ars animi requiritur, neque corporis habitudine est opus, ut animi virtus exhibeatur. Quid enim nobis confert corporis robur, ut ne arrogantes simus, neque iracundi, neque petulantes; sed vigilantes, temperantes, ornati, cæterisque omnibus præditi quibus beatus Paulus optimi sacerdotis imaginem nobis depinxit? (*I Tim.* III, 2.) Verum id de monachi virtute dici nequit : sed quemadmodum iis qui res stupendas exhibent, instrumentis multis est opus, itemque rotis, funiculis et gladiis; philosophus vero totam in mente artem reconditam habet, externisque rebus non indiget ; ita et hoc loco se res habet. Nam monachus quidem corporis incolumitate opus habet, itemque locis ad vitam hanc instituendam idoneis ; ut neque nimis ab hominum consortio remotus, tamen solitudinis quietem nanciscatur ; insuperque temperatis anni tempestatibus non careat, nihil quippe sic intolerabile ei qui jejuniis maceratur, quam aeris intemperies. Non loquor hic de vestium et victus apparatu, quem ut sibi monachi suppeditent, magnopere laborant, suis ipsi manibus omnia conferre studentes. Sacerdos autem nullius eorum in usum suum opus habebit ; utpote qui non peculiarem sibi, sed communem vitam ducat, in iis rebus quæ damnum non afferant ; totamque scientiam in animæ thesauris reconditam habeat. Quod si quis vitam illam admiretur, qua quis intra seipsum manens, hominum consortium aversatur, ego quoque illud sapientiæ specimen esse fateor : non tamen idoneum argumentum virtutis animi. Nam qui in portu ad gubernacula sedet, nondum idoneum artis suæ periculum fecit : eum vero qui in medio pelago, sæviente tempestate, navem eripere potuit, nemo est quin gubernatorem optimum dicat.

Non esse contemnendas vulgi suspiciones etiam falsas.

Idem, *ibid.* — Aliquando etiam solicitudines frequentes mentis acumen hebetant, volucremque plumbo graviorem reddunt, denique ira quæ animum invaserit, fumi instar interiora obtinet omnia. Quis tandem reliqua recenseat damna, contumelias, molestias, querimonias, tum digniorum, tum vulgarium, tum prudentium, tum imprudentium? Hoc enim maxime genus eorum qui recto animi judicio carent, querelis deditum est, nec facile excusationem admittit. Probum vero antistitem, ne hos quidem contemnere par est ; sed apud omnes, de oblatis criminationibus sese purgare; idque multa cum comitate et mansuetudine, iniquas potitus criminationes condonantem, quam indigne et ægre ferentem. Si enim beatus Paulus ne in furti apud discipulos suspicionem veniret, timuit : ideoque et alios in pecuniarum administrationem secum assumpsit : *Ne quis*, inquit, *nos vituperet in hac plenitudine quæ ministratur a nobis* (*II Cor.* VIII, 20) ; quomodo non omnia a nobis agenda sunt, ut pravas suspiciones de medio tollamus, etsi falsæ illæ, etsi absurdæ fuerint, etiamsi ab existimatione nostra longe sint alienæ. A nullo quippe nos peccato tantum absumus, quantum Paulus a furto ; attamen cum a pravo hujusmodi facinore adeo remotus esset, ne sic quidem multorum suspicionem neglexit, etiamsi admodum iniquam atque insanam. Insania enim fuisset tale quidpiam suspicari de beato illo et admirando capite : nihilominus tamen ille suspicionis tam absurdæ, quæ nonnisi in furiosi cujuspiam mentem venire poterat, occasiones diu ante tollit, neque vero vulgi contempsit insaniam, neque dixit : Cui unquam in mentem veniat talia de nobis suspicari, quando universi nos tum a signis miraculisque, tum a probitate vitæ, honori et admirationi habent? Sed contra ille et suspicatus est, et exspectavit hanc fore malam suspicionem, et radicitus illam avulsit ; imo potius illam ne exoriri quidem passus est. Quare? *Providemus*, inquit, *bona, non tantum coram Domino, sed etiam coram hominibus.* (*Ibid.*, 21.) Tantum scilicet, imo majus oportet studium adhibere, ut non modo malam suborlam famam arceamus, sed etiam ut procul prospiciamus unde ea oriri possit, et occasiones præscindere unde ea nascitur, neque exspectare dum percrebrescat et in vulgi ore versetur. Tunc enim non facile est eam delere, imo admodum difficile, forteque nulla arte fieri possit ; neque periculo vacat, ne multorum damno tunc fiat. Sed quousque tandem immorabor in persequendis iis quæ assequi minime possim? Nam omnes quæ illic occurrunt difficultates recensere, nihil aliud fuerit quam pelagus ipsum dimetiri. Nam etiamsi quis ab omni animi ægritudine purus esset, quod minime fieri potest, ut aliorum delicta corrigat innumera pati cogitur mala, quibus si addas proprias ægritudines, vide mihi laborum sollicitudinumque

Digitized by Google

abyssum ingentem, et quanta ferenda sint in superandis propriis alienisque vitiis.

Exemplis probatur timendum et dolendum esse sacerdoti

S. Chrysost., lib. II *De sacerdotio*, t. I. —Viden' quam abunde declaret Deus, longe majorem se pœnam a principe quam a subditis exposcere? neque enim qui in sacerdotis filiam, patris causa, gravius quam in alias animadvertit, eum qui illi additamentum pœnæ procurat, pari cum aliis pœna plectet, sed multo graviore : idque jure ac merito. Non enim damnum in ipso solo consistit, sed etiam infirmiorum qui in ipsum respiciunt animos dejicit. Hoc ipsum docere cum vellet Ezechiel, arietes ab ovibus discernit in judicio. (*Ezech.* XXXIV, 17.) An tibi nunc videmur jure timuisse? Nam præter illa quæ dicta sunt, quanquam multum nunc laborem subire oportet, ne ab animi affectibus omnino prosternar; attamen laborem suscipio, nec certamen subterfugio. Etenim a vana quidem gloria nunc capior, attamen sæpe resipisco, et me captum fuisse video : interdum vera in servitutem redactum animum increpo. Absurdæ cupidines me etiam nunc incessunt, sed quæ remissiorem flammam accendant, quod externis oculis materia nulla igni apta suppetat. A maledictorum probro et auditu prorsus vaco, cum nulli qui me alloquantur adsint, neque enim hi parietes emittere vocem queant. Sed nec ab ira temperare possum, etiamsi nullus adsit qui exasperet, iniquorum quippe virorum ipsorumque facinorum memoria, animum mihi intumescere facit; verum id non usque in finem : statim enim ipsum ardentem compescimus, et ad quiescendum deducimus in nobis ipsis dicentes, admodum insulsum extremæque miseriæ esse, dum nostra omittimus mala, de alienis tam curiosos esse. Verum si ad turbam me conferam, innumerisque tumultibus occuper, jam non hujusmodi admonitione perfrui potero, neque cogitationes illas me probe instituentes reperire. Sed quemadmodum ii, qui per præcipitia vel fluentis aliquibus, vel alio quodam modo ducuntur, proximam quidem perniciem prævidere possunt, auxilium vero nullum sibi excogitare valent; sic et ego si in tantum ægritudinum tumultum incidam, supplicium quidem quotidie mihi augeri cernere potero; in meipso autem cogitare ut nunc cogito, ac furentes animi impetus frenare, non ita facile erit mihi, ut prius erat.

Mihi quippe anima est infirma, pusilla, captuque facilis, non his solum affectibus sed et omnium acerbissimo, nempe invidiæ : neque illa contumelias, neque honores moderate ferre novit sed et illis admodum extollitur, et his valde deprimitur.

Quemadmodum ergo feræ immanes, dum corpore bene valent ac gestiunt, se adorientes facile vincunt, si maxime ii infirmi sint et imperiti; si quis vero illas fame macerarit, hinc evenit ut illarum furor sopiatur, viriumque magna pars exstinguatur; sic et animi affectus, qui imbecilles reddit, eosdem rectæ rationi subjicit; si quis contra diligenter aluerit, graviorem sibi adversus eos pugnam parat, et ita terribiles reddit ut in servitute ac metu totam vitam ducat. Quænam igitur belluarum harum alimenta? vanæ gloriæ quidem honores et laudes; arrogantiæ vero, potentiæ et dignitatis magnitudo; livoris aliorum celebritas; avaritiæ, largientium liberalitas; luxuriæ, deliciæ, et frequens mulierum consuetudo : et sic aliud ab alio fovetur. Hæ porro omnes belluæ me in rerum medium accedentem invadent, animam meam dilaniabunt, terrorem incutient, et gravius mihi adversus illa bellum parabunt : hic vero sedenti mihi, magna tamen adhibita violentia, subjicientur. Subjicientur tamen per Dei gratiam, ita ut præter latratum nihil plus habeant. Ideo hanc domunculam incolo, nemini aditum do, cum nemine consortium colloquiumque misceo, similesque alias criminationes innumeras audiens facile fero, quas libenter quidem abstergerem; cum vero non possim, excrucior doleoque. Neque enim mihi facile est simul hominum consuetudine uti, atque in præsenti securitate manere; quamobrem te rogo mei potius tanta intercepti difficultate miserearis, quam me calumnieris; at nondum id tibi persuadere potui.

Tempus itaque est, ut quod unum mihi superest arcanum, id in te tandem effundam, quod fortasse multis incredibile videatur : neque tamen in medium proferre pudebit; etiamsi enim quod dicturus sum, et malæ conscientiæ innumerorum delictorum argumentum sit, cum is qui nos judicaturus est Deus omnia accurate noverit, quid ultra nobis ex hominum ignorantia conferri poterit? Quid est igitur illud arcanum? Ab eo ipso die, quo mihi hanc suspicionem injecisti, sæpe fuit periculum ut hoc corpus mihi penitus dissolveretur, tantus timor, tantusque mœror animum meum occupavit. Mecum enim reputans Christi sponsæ gloriam, sanctitatem, spiritualem pulchritudinem, prudentiam, ornatum; meaque considerans mala, non cessabam illam deflere, neque miserum dicere, ac frequenter gemens, hærensque, talia mecum loquebar : Quis consilii hujus auctor fuit? Quid tantum peccavit Ecclesia Dei? Quæ tanta res Dominum ejus exacerbavit, ut omnium ignominiosissimo mihi traderetur, et tantam pateretur infamiam? Hæc frequenter mecum revolvens, cum indignitatis tantæ ne cogitationem quidem ferre possem, quasi attonitus et stupore perculsus, nec audire quidpiam poteram. Cum me hoc animi deliquium desereret, interdum quippe desistebat; succedebant lacrymæ et mœstitia : tum post lacrymarum satietatem, iterum adventabat timor, mentem turbans, tumultu replens ac concutiens. In æstu tanto præteritum transegi tempus. Tu vero ignorabas et in tranquillitate me versari arbitrabare. At nunc tibi animæ meæ aro-

Digitized by Google

cellam revelare tentabo : hinc fortasse mihi, positis criminationibus, veniam concedes. Qui illam tibi, qui delegere possim? Si quidem clare videre velles, non alio modo possem, quam cor detegendo meum. Cum autem id fieri nequeat, per obscuram quamdam imaginem, pro facultate mea, mœstitiæ meæ interim fumum tibi depingere conabor. Tu vero ex ipsa imagine mœstitiam solum colligas oportet.

Horrentia Martis diaboli assultibus inferiora.

S. Chrys., l. II *De sacerd.*—Ut autem metus stuporisque mei magnitudinem tibi oculis subjiciam, ad aliud me confero exemplum. Ponamus exercitum peditibus, equitibus, nauticisque viris instructum : ac mare quidem operiat triremium numerus; rursumque camporum planities, montiumque vertices occupent peditum equitumque phalanges : æs armorum solis splendore reluceat, atque hinc emissis radiis galearum clypeorumque coruscatio vibretur : hastarum fragor, equorumque hinnitus ad ipsum cœlum feratur : neque mare, neque terra appareat, sed æs et ferrum undique, ipsisque bellatoribus adversi, acie instructa, stent hostes, feri quidam trucesque viri. Instet jam conflictus tempus : hinc raptum quispiam adolescentem, in agro educatum, qui præter pastoritiam lyram et pedum nihil prorsus sciat; ipsumque armatura ærea induat, ac per totum exercitum circumducat, ostendat manipulos manipulorumque ductores, sagittarios, funditores, ordinum præfectos, duces, cataphractos, equites, jaculatores, triremes, triremium præfectos, munitos ibidem milites, machinarum navalium copiam, ostendat item hostium aciem universam, formidolosos aspectus, armorum apparatum diversum, immensam multitudinem, valles, alta præcipitia, montium scabrosa.

Ostendat item apud adversarios, equites quibusdam præstigiis volantes, et cataphractos per aerem delatos, omnisque incantationis vim, speciemque : recenseat ipsi bellorum calamitates, missilium nubem, telorum imbrem, hinc magnam caliginem et tenebras, obscurissimam noctem quam sagittarum vis efficiat, ita ut illa tanta frequentia solares radios avertat, pulverem non minus quam tenebras, oculos obscurantem, sanguinis rivos, cadentium gemitus, stantium clamores, prostratorum acervos, rotas sanguine tinctas, equos cum sessoribus præcipites actos a multitudine cadaverum, terram mistim hæc omnia tenentem, sanguinem, arcus, tela, equorum ungulas, hominumque capita simul jacentia, et brachia, collum, tibiam, pectus dissectum, cerebella gladiis hærentia, teli cuspidem effractam, oculumque ceu infibulatum habentem : enarret item nautici belli mala, triremes alias mediis in fluctibus conflagrantes; alias cum militibus ipsis demersas, fluctuum fragorem, nautarum tumultum, militum clamorem, unda sanguineque mistam spumam; eamdemque in navibus simul omnibus irrumpentem, in tabulatis cadavera, alia item demersa, alia supernatantia, alia æstu maris ad littus appulsa, alia in ipsis fluctibus obruta, quæ navibus iter claudant; omnibusque belli tragœdiis accurate exhibitis; addat et captivitatis calamitates, et omni morte duriorem servitutem. His porro dictis, jubeat equum statim conscendere, universique illius exercitus ducem agere. An putas adolescentulum illum vel solam horum narrationem ferre posse, ac non potius, vel a primo rei aspectu, animo defecturum esse?

Omni pugna vehementiorem esse diaboli in nos assultum

Idem, *ibid.*, lib VI. — Ac ne putes me rem oratione amplificare, neve quia hoc corpore ceu quodam carcere inclusi, invisibilium nihil prorsus cernere possumus, magna esse ducas ea quæ a me dicta sunt. Multo hac majorem et horribiliorem pugnam videres, si caliginossissimam diaboli aciem, furiosumque conflictum oculis istis cernere posses. Non enim illic ferrum, aut æs, non equi, currus et rotæ, non ignis et tela, non hæc visibilia; sed alia multo his terribiliora machinamenta. Adversariis istis nihil opus est thorace, non clypeo, non ensibus et hastis; sed vel solus exsecrandæ aciei aspectus animam dissolvere possit, nisi admodum generosa fuerit, et præ virtute propria, multa fruatur a Deo providentia, ac si fieri posset ut hoc exuto corpore, vel cum ipso corpore conspicue ac sine timore totam ejus aciem, et bellum contra nos instructum ipsis oculis cerneres; videres utique, non sanguinis torrentes, non cadavera, sed animarum ruinas tantas, adeoque gravia vulnera, ut tota illa belli descriptio, quam modo expressi, puerorum oblectamenta et ludi esse videantur potius, quam bellum : tam multi scilicet ii sunt qui quotidie feriuntur. Vulnera autem non eamdem inferunt necem; sed quantum est inter animam et corpus discrimen, tanta est inter hanc et illam differentia. Nam cum anima plagam accipit et cadit, non sine sensu jacet ut corpus; sed jam inde ex mala conscientia contabescit, post obitum vero, judicii tempore, æterno traditur supplicio.

Quod si quis de vulneribus a diabolo inflictis nihil doleat, majus ipsi damnum ex indolentia illa infligitur : quem enim prior plaga non mordet, is secundam et subinde aliam facile recipit. Siquidem nefarius ille usque ad extremum halitum, nunquam finem feriendi facit, si supinam inveniat animam, prioresque plagas contemnentem : etenim si conflictus modum expendere velis, hunc vehementiorem, callidioremque reperias. Neque enim quisquam est, qui fraudis et doli tantas species norit, quantas ille scelestus : neque inimicitias quis tam implacabiles exercere possit contra sibi infensissimos hostes, quantas malignus ille dæmon contra humanam naturam. Animum autem si quis examinaverit, quo pugnam committit, certe ridiculum putabit homines ipsi hac in parte conferri. Sin iracundissi-

Digitized by Google

mas, truculentissimasque feras quispiam deligens, eas illius insaniæ comparare voluerit; mansuetissimas illas humanissimasque cum illo comparatas ille inveniet, tantum ille furit, cum animas nostras adoritur.

Pugnæ porro hominum breve tempus est; imo in hac brevitate temporis, multæ dantur induciæ. Nox quippe superveniens, et occidendi labor, et cibi capiendi tempus, aliaque multa, militi quiescendi potestatem faciunt; ita ut armaturam omnem exuat, parumque respiret, seque cibo potuque reficiat, ac multis aliis rebus pristinas vires recuperet. In bello autem contra malignum illum, nunquam licet arma ponere, nec somnum capere cum qui velit semper invulneratus esse. Ex duobus enim unum necessario eligat oportet, ut aut cadat et pereat armis nudatus, aut armatus stet vigiletque semper. Nam ille stat perpetuo cum acie sua, nostram segnitiem observans, majusque studium ad nostram perniciem adhibens, quam nos ad salutem nostram. Ac quod a nobis non videatur, quodque de repente irrumpat, quæ maxime in causa sunt innumerabilium malorum; id certe iis qui non semper vigilant, magis dubium hujus quam illius belli eventum faciunt. Huc igitur nos volebas milites Christi ducere? At hoc fuisset diabolo ducem esse: nam cum is qui debet alios ad bellum instruere ipsisque imperare, omnium imperitissimus infirmissimusque est, imperitia sua concreditos sibi milites prodens, diabolo magis, quam Christo ducem agit.

S. Hieron., epist. 34, *ad Jul.* — Nos leporem artis rhetoricæ contemnentes, et puerilis atque plausibilis eloquii vetustatem, ad sanctarum Scripturarum gravitatem confugimus, ubi vera vulnerum medicina est, ubi dolorum certa remedia.

Idem, *Adv. Jov.*, lib. 1. — *Oportet episcopum esse doctorem.* (*I Tim.* III, 2.) Nihil enim prodest conscientia virtutum frui, nisi et creditum populum possit instruere, ut valeat exhortari in doctrina sana et eos qui contradicunt arguere. (*Tit.* I, 9.)

Idem, lib II *in Isa.* III. — *Populе meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressum tuorum dissipant.* (*Isa.* III, 12.) Ille est doctor ecclesiasticus, qui lacrymas non risum movet, qui corripit peccatores, qui nullum dicit esse felicem, nec prævenit sententiam judicis sui, dicente Scriptura sancta: *Ne beatum dicas quemquam hominem ante mortem.*

Idem, *in Jerem.* VI. — *Dicentes, pax, pax, et non erat pax.* Hoc proprie de sacerdotibus et doctoribus intelligendum est, qui divitibus et eis quos vident in honore maximo constitutos, repromittunt prospera, et clementem prædicant Deum; magis illos supplicio et iracundiæ præparantes.

Idem, *in Malach.* I. — Doctor Ecclesiæ qui spiritualem conficit panem, et cum populis dividit, si vel propter humanam gloriam, vel lucra sæculi quæ gloriam consequuntur, loquatur in populis, et divitibus blandiatur et honoret peccatores, et juxta Jacobum: *Suscipiat eos, qui cum annulis aureis ad se veniunt, et pauperes sanctos repellat; nomen Dei despicit, et panem polluit* doctrinarum, et in ipsum Deum jacit contumelias; *mensam* Scripturarum ejus, mensis sæcularis doctrinæ putans esse communem.

Idem, *ibid.* — Si laicus orare non potest, nisi careat officio conjugali; sacerdoti cui semper pro populo sunt offerenda sacrificia, semper orandum est. Si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio. Nam et in veteri lege qui pro populo hostias offerebant, non solum in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus ab uxoribus separati, et vinum et siceram non bibebant qui solent libidinem provocare.

Idem, *Apol. ad Pamm.* — Christus Virgo, Virgo Maria, utriusque sexus virginitatem dedicavere. Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes: episcopi, presbyteri, diaconi aut virgines eliguntur aut vidui, aut certe post sacerdotium in æternum pudici

Idem, epist. 1, *ad Heliod.* — Absit ut de his quidquam sinistrum loquar qui apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos et nos Christiani sumus; qui claves regni cœlorum habentes, quodammodo ante judicii diem judicant, qui sponsam Domini sobria castitate conservant.

Idem, *Ad Nepot.* — Si *cleros* Græce, *sors* Latine appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est pars clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut et ipse possideat Dominum, et ipse possideatur a Domino. Qui Dominum possidet, et cum Propheta dicit: *Pars mea Dominus* (*Psal.* LXXII, 26), nihil extra Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. Si ego pars Domini sum, nec accipio partes inter alias tribus, sed quasi levita et sacerdos, vivo de decimis et altari serviens, altaris oblatione sustentor, habens victum et vestitum, his contentus ero; et nudam crucem nudus sequar. Obsecro itaque te ne lucra sæculi in Christi quæras militia; ne plus habeas quam quando clericus esse cœpisti, et dicatur tibi: *Cleri eorum non proderunt eis.* Nonnulli enim ditiores sunt monachi quam fuerant sæculares, et clerici qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete et fallace diabolo non habuerant; ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos.

Idem, *ibid.* — Negotiatorem clericum, et ex inope divitem ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem fuge.

Idem, *ibid.* — Episcopi sacerdotes se esse noverint, non dominos: honorent clericos, ut et ipsis a clericis quasi episcopis honor deferatur.

Idem, *ibid.* — Convivia tibi vitanda sunt

Digitized by Google

sæcularium, et maxime eorum qui honoribus tument. Turpe est, ante fores sacerdotis Christi crucifixi et pauperis, et qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores consulum et milites excubare; judicemque provinciæ melius apud te prandere quam in palatio. Quod si obtenderis te facere hæc ut roges pro miseris atque subjectis, judex sæculi plus deferet clerico continenti quam diviti, et magis sanctitatem tuam venerabitur quam opes : aut si talis est qui non audiat clericos pro quibuslibet tribulatis nisi inter phialas; libenter carebo hujuscemodi beneficio, et Christum rogabo pro judice, qui magis et citius subvenire potest quam judex. — Consolatores potius nos in mœroribus suis, quam convivas in prosperis, noverint. Facile contemnitur clericus qui sæpe rogatus ad prandium non recusat. Nunquam petentes, raro accipiamus rogati.

S. Hieron., epist. 128. *Fab.* — Pontificem oportet esse sine crimine, tantarumque virtutum ut semper moretur in sanctis, et paratus sit offerre pro populo, sequester Dei et hominum, et carnes Agni sacro ore conficiens.

Idem, lib. II, *in Isa.* III.—*Quare atteritis populum meum, et facies pauperum confunditis?* (*Isa.* III, 15.) Id ad nostros principes referri potest; si atterant subjectam sibi plebem, et pauperes delinquentes publice arguant atque confundant; divitibus autem pejora peccantibus ne nutum quidem facere audeant. Et rapina pauperum in domibus eorum est; quando replent thesauros suos, et Ecclesiæ opibus abutuntur in delicias; publicasque stipes quæ ad sustentationem pauperum datæ sunt, vel sibi reservant, vel propinquis distribuunt : et alienam inopiam, suas suorumque faciunt esse divitias.

Idem, lib. XVI, *in Isa.* LVIII.—*Manus cito nemini imposueris.* Non enim peccatum leve *mittere margaritas ante porcos*, et *dare sanctum canibus* (*Matth.* VII, 6), et ordinationem clericatus, nequaquam sanctis, in lege Dei doctissimis, sed asseclis suis tribuere servilium officiorum ministris : quodque his dedecorosius est, muliercularum precibus. In quo consideranda loquentis in se Christi apostoli sapientia; qui ut ordinationis periculum demonstraret, junxit tormenta peccantium : *Neque communicaveris peccatis alienis* (*I Tim.* V, 22). Sicut ergo in ordinationibus malorum, particeps est peccatorum qui tales constituit, sic in ordinatione sanctorum particeps est eorum justitiæ qui bonos eligit.

Idem, lib. III, *in Thren.* IV. —Causa ruinæ populi, sacerdotes mali. Recedite, inquiunt superbi magistri; nolite in aliquo nobis communicare, insanabilia sunt vulnera vestra. — Talis loquela non illuminat cæcum, non sanat ægrotum, non curat infirmum; sed magis occidit, atque in desperationem periclitantem mittit. Boni etenim rectores ex sua infirmitate aliorum infirmitates pensantes, magis per humilitatis et mansuetudinis lenimentum, student peccantes ab erroris laqueo eruere, quam per austeritatem in foveam perditionis nutantes propellere. Debet rector esse bene agentibus per humilitatem socius; contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus : ut et bonis in nullo se præferat, et cum pravorum culpa exigit, potestatem protinus sui prioratus agnoscat; quatenus et, honore suppresso, æqualem se subditis bene viventibus deputet; et erga perversos jura rectitudinis non exercere formidet. Nam liquet quod omnes homines natura æquales sunt geniti, sed variantur meritorum ordine, alios aliis culpa postponit. Ipsa autem diversitas accessit ex vitio, divino judicio dispensante, ut quia omnis homo æque stare non valet, alter rogatur ab altero. Unde cuncti qui præsunt, non in se potestatem debent ordinis pensare, sed æqualitatem conditionis; nec præesse hominibus se gaudere, sed prodesse.

S. Gregor. Mag., *De pastorib.* part. II, c. 4. — Præconis officium suscipit quisquis ad sacerdotium accedit, ut ante adventum judicis qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos ergo si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus? Hinc est quod super pastores primos in linguarum specie Spiritus sanctus insedit, quia nimirum quos repleverit, de se protinus loquentes facit. — Scriptum est : *Ut audiatur sonitus quando ingreditur sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur* (*Exod.* XXVIII, 35). Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur : quia iram contra se occulti judicis exigit, si sine sonitu prædicationis incedit.

Idem, hom. 17 *in Ezech.* — Qui locum prædicationis suscipit, mala inferre non debet sed tolerare, ut ex ipsa sua mansuetudine iram sævientium mitiget, et peccatorum vulnera in aliis ipse afflictionibus vulneratus sanet. Quem et si quando zelus rectitudinis exigit, ut erga subjectos sæviat, furor ipse de amore sit, non de crudelitate : quatenus et jura disciplinæ foris exhibeat, et intus paterna pietate diligat, quos foris quasi insequendo castigat. Quod tunc bene rector exhibet, cum seipsum diligere per amorem privatum nescit, cum nulla quæ mundi sunt appetit, cum terrenæ cupiditatis oneribus, nequaquam mentis colla supponit. — Prædicatori etenim tanta debet in Deo esse fiducia ut præsentis vitæ sumptus quamvis non provideat, tamen sibi hos non deesse certissime sciat : ne dum mens ejus occupatur ad temporalia minus aliis provideat æterna.

Idem, *ibid.* — Verus quisque prædicator non ideo prædicare debet, ut in hoc tempore mercedem recipiat, sed ideo mercedem recipere, ut prædicare subsistat. Quisquis namque ideo prædicat, ut hic vel laudis vel muneris mercedem accipiat æterna procul dubio mercede se privat. Quisquis vero vel ea quæ dicit, ideo placere hominibus appetit, ut dum placet quod dicitur per eadem dicta non ipse sed Dominus ametur, vel id-

Digitized by Google

circo terrena stipendia in prædicatione consequitur, ne a prædicationis voce per indigentiam lasselur

Adversus pastores otiosos.

S. Gregor. Mag., *De pastorib.*, part. II, cap. 4.— Sed quid nos, quod tamen sine dolore dicere non possumus, quid nos, ô pastores agimus, qui et mercedem consequimur, et tamen operarii nequaquam sumus? Fructus quippe sanctæ Ecclesiæ in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro æterna Ecclesia minime in prædicatione laboramus. Pensemus cujus damnationis sit sine labore hic percipere mercedem laboris. Ecce ex oblatione fidelium vivimus, sed nunquid pro animabus fidelium laboramus? Illa in stipendium nostrum sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt : nec tamen contra peccata eadem vel orationis studio, vel prædicationis ut dignum est, insudamus. — Nos qui ex oblationibus fidelium vivimus, quas illi pro peccatis suis obtulerunt, si comedimus et tacemus, et eorum procul dubio peccata manducamus.

Curare sacerdotem necesse est, quæ singulis dicat, unumquemque qualiter admoneat, ut quisquis sacerdoti jungitur, quasi ex salis tactu, æternæ vitæ sapore condiatur.

Veniet, veniet profecto ille dies, nec longe est, in quo pastor pastorum appareat, et uniuscujusque facta in publicum deducat. Et qui modo subditorum culpas per præpositos ulciscitur, tunc præpositorum mala per semetipsum sæviens damnat.

Nullum puto, fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium, quam a sacerdotibus tolerat Deus, quando eos quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit, quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus. Plerumque, quod est gravius, sacerdotes qui propria dare debuerant, etiam aliena diripiunt. Plerumque si quos humiliter, si quos continenter vivere conspiciunt, irrident. Considerate ergo quid de gregibus agatur, quando pastores lupi fiunt. Nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia eo ipso quo cæteris prælati sumus, ad agenda quælibet majorem licentiam habemus : susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum, Dei causam relinquimus, ad terrena negotia vacamus. Locum sanctitatis accipimus, et terrenis actibus implicamur. Impletum est in nobis profecto quod scriptum est : *Et erit sicut populus, sic sacerdos.* (*Isai.* xxiv, 2.) Sacerdos enim non distat a populo quando nullo merito vitæ suæ vulgi transcendit actionem.

Idem, hom. 19 *in Ezech.* — Nos autem qui ad undecimam venimus, post laborem non murmuramus et denarium accipimus : quia post mediatoris adventum, in hoc mundo venientes ad regnum ducimur, mox de corpore eximus, et illud sine mora percipimus, quod antiqui patres cum magna percipere dilatione meruerunt.

S. Prosper, lib. I *De vita contemplativa.* — Sacerdotes si consolentur afflictos, si pascant egenos, si vestiant nudos, si redimant captivos, si suscipiant peregrinos, si desperatis spem veniæ consequendæ promittant, et quidquid ad officium suum pertinet constanter exerceant, quis sic erit alienus a fide, ut dubitet tales contemplativæ vitæ esse participes, quorum exemplo simul ac verbo plures fiunt regnorum cœlestium cohæredes? Isti sunt ministri verbi Dei, adjutores Dei, oraculum Spiritus sancti ; per tales Deus placatur in populo, et populus instruitur Deo.

S. Bernard., *Tract. de convers. ad clericos*, c. 22. — Utinam hodie quicunque pastores non sunt, mercenarios gregi vellent se exhibere, non lupos : utinam ipsi non læderent, utinam non fugerent, nemine persequente ; utinam non exponerent gregem, donec lupus veniens videretur! Nimirum sustinendi fuerant, si invenirentur præsertim tempore pacis, recipientes mercedem suam, et pro mercede sua saltem in custodia gregis laborantes, dummodo non ipsi turbarent gregem, et gratis averterent a pascuis justitiæ et veritatis. Nam persecutio quidem indubitanter mercenarios a pastoribus segregat et discernit. Quando enim transitoria damna non timeat, qui temporalia lucra sectatur. Quando terrenam sustineat persecutionem propter justitiam, qui terrenam mercedem plus quam justitiam quærit. *Beati*, inquit, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* (*Matth.* v, 10.) Pastorum hæc beatitudo non mercenariorum, multo minus latronum est vel luporum. Usque adeo siquidem persecutionem non sustinent propter justitiam, ut persecutionem malint quam justitiam sustinere. Nempe contraria est operibus eorum, gravis est eis etiam ad audiendum.

Idem, serm. 59 *in Cant.* — Illius doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moveat. Vere turturem exhibes, si gemere doceas. Et si persuadere vis, gemendo id magis quam declamando studeas, oportebit. Exemplum sane tum in aliis multis, tum vel maxime in hoc negotio, verbo efficacius est. Dabis voci tuæ vocem virtutis, si quod suades prius tibi illud cognoscens persuasisse, validior operis, quam oris vox. Fac ut loqueris, et non solum me facilius emendas, sed te quoque non levi liberas probro.

Idem, epist. 2. — Quidquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium.

Pontificis animum qualem esse oporteat.

Idem, *De consideratione*, lib. IV, cap. 6, tom. I. — Vacuum prorsus a sollicitudine rerum minorum et vilium oportet esse animum (pontificis), tam magnis et tam multis intentum rebus. Oportet liberum, quem nulla

Digitized by Google

sibi vindicet violenta occupatio. Oportet ingenuum, quem nulla deorsum trahat indigna affectio. Oportet rectum, quem nulla seorsum avertat sinistra intentio. Oportet cautum, quem nulla subeat furtiva suspicio. Oportet vigilem, quem nulla ab sese abducat peregrina et curiosa cogitatio. Oportet firmum, quem nulla concutiat repentina turbatio. Oportet invictum, quem nulla fatiget vel continuata tribulatio. Oportet amplum, quem nulla coarctet rei temporalis amissio, qui, præter Deum timeat nihil, nihil speret nisi a Deo.

Regula generalis in delatores.

S. Greg, *De consid.*, l. IV.— Clandestinas et susurratas delationes non recipias adversus eum (œconomum); magis detractiones censueris. Et hanc velim generalem tibi constituas regulam, ut omnem qui palam veretur dicere quod in aure locutus est, suspectum habeas. Quod si, te judicante, dicendum coram ille renuerit, delatorem judices, non accusatum.

Intendere rebus domesticis episcopo indignum.

Idem, *ibid.* — Memento Salvatorem Judam œconomum habuisse. Quid episcopo turpius, quam incumbere supellectili, et substantiolæ suæ, scrutari omnia, sciscitari de singulis, morderi suspicionibus, moveri ad quæquæ perdita vel neglecta? Ad verecundiam dico quorumdam ejusmodi, scrutantium quotidie omnem substantiam suam, numerantium, singula, de minutis et quadrantibus exigentium rationem. Non ita ille Ægyptius qui, Joseph omnibus traditis, ignorabat quid haberet in domo sua. Erubescat Christianus, Christiano sua non credens. Homo sine fide, fidem tamen habuit servo, super omnia bona sua constituens eum (*Gen.* XXXIX, 6.), et hic erat alienigena.

Disciplina tamen familiæ Pontifici non negligenda.

Idem, *ibid.* — Non oportet ut vitia domus tuæ ultimus scias: quod quam plurimis novimus contigisse. Quapropter ut dixi, alius alia dispenset; de disciplina tu provide, illud nemini credas. Si insolentior coram te vel sermo sonuerit, vel habitus apparuerit, manus tua super ejusmodi; tu ulciscere injuriam tuam. Impunitas ausum parit, ausus excessum. Domum episcopi decet sanctitudo, decet modestia, decet honestas: horum disciplina custos. Sacerdotes domestici, aut cæteris honestiores, aut fabula omnibus sunt. In vultu, in habitu, in incessu illorum qui circa te sunt, nihil residere impudicum, nihil indecens patiaris. Discant a te coepiscopi tui comatulos pueros et comptos adolescentes non habere. Certe inter mitratos discurrere calamistratos non decet. Et memento quod sapiens admonet: *Filiæ tibi sunt? Noli faciem tuam hilarem ad eas ostendere.* (*Eccli.* VII, 26.)

[Ex conciliis.]

1. *Decreta dogmatica.*

Concilium Tridentinum. — *Decretum de sacrificio missæ.* — *Cap.* 1, *de institutione sacrosancti missæ sacrificii.* — Quoniam sub priori testamento, teste apostolo Paulo, propter Levitici sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat; oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes quotquot sacrificandi essent, consummare, et ad perfectum adducere. Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur; quia tamen per mortem sacerdotium ejus exstinguendum non erat, in cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis apostolis, quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; et eisdem, eorumque in sacerdotio, successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII, 19), uti semper catholica Ecclesia intellexit et memoriam celebrato veteri Pascha, quod ipse docuit; nam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, eripuitque de potestate tenebrarum, et in regnum suum transtulit.

Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla dignitate, aut malitia offerentium inquinari potest: quam Dominus per Malachiam non nomine suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit: et quam non obscure innuit apostolus Paulus, Corinthiis scribens, cum dicit, non posse eos, qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri: per mensam altare utrobique intelligens. Hæc denique illa est, quæ per varias sacrificiorum, naturæ et legis tempore, similitudines figurabatur; utpote quæ bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur.

Idem, *ibid.* — Si quis dixerit, illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, Christum non instituisse apostolos sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum; anathema sit.

Idem, *Doctrina de sacramento ordinis.* — *Cap.* 1, *de institutione sacerdotii novæ legis.* — Sacrificium et sacerdotium ita Dei

Digitized by Google

ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. Cum igitur in Novo Testamento sanctum eucharistiæ sacrificium visibile ex Domini institutione catholica Ecclesia acceperit; fratri etiam oportet, in ea novum esse visibile, et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque apostolis, eorumque successoribus in sacerdotio, potestatem traditam consecrandi, offerendi, et ministrandi corpus et sanguinem ejus, nec non et peccata dimittendi et retinendi, sacræ litteræ ostendunt, et catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit.

Concilium Tridentinum De sacramento ordinis.—Si quis dixerit, non esse in Novo Testamento sacerdotium visibile, et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi, et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi; sed officium tantum et nudum ministerium prædicandi Evangelium, vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse sacerdotes; anathema sit.

Ibid. — Si quis dixerit, ordinem, sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo, Domino institutum vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum, anathema sit.

Ibid. — *Doctrina de sacramento Ordinis.*— *Cap.* 2, *de septem ordinibus.* — Cum autem divina res sit tam sancti sacrificii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et majori veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures, et diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent per minores ascenderent. Nam non solum de sacerdotibus, sed et de diaconis sacræ litteræ apertam mentionem faciunt; et quæ maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent; et ab ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistæ, lectoris, et ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam subdiaconatus ad majores ordines a Patribus et sacris consiliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus.

Ibid. — Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines, et majores, et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur, anathema sit.

Concil. Trident. Doctrina de sacramento ordinis.—Cap. 3, *ordinem vere esse sacramentum.* — Cum Scripturæ testimonio, apostolica traditione, et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis, et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis; inquit enim Apostolus: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum; non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis.* (*II. Tim* 1, 6, 7).

Conc. Trid.— *Doctrina de sacramento ordinis.* — *Cap.* 4, *de ecclesiastica hierarchia et ordinatione.* — Quoniam vero in sacramento ordinis, sicut et in baptismo et confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest; merito sancta synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, novi Testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere et semel rite ordinatos, iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant. Quod si quis omnes Christianos promiscue novi Testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam, quæ est ut castrorum acies ordinata, confundere: perinde ac si contra B. Pauli doctrinam, omnes apostoli, omnes prophetæ, omnes evangelistæ, omnes pastores, omnes sint doctores. Proinde sacrosancta synodus declarat, præter cæteros ecclesiasticos gradus, episcopos, qui in apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere; et positos sicut idem Apostolus ait, a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei: eosque presbyteris superiores esse, ac sacramentum confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse: quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent. Docet insuper sacrosancta synodus, in ordinatione episcoporum, sacerdotum, et cæterorum ordinum, nec populi, nec cujusvis sæcularis potestatis, et magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio: quin potius decernit, eos, qui tantummodo a populo aut sæculari potestate, ac magistratu vocati et instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures et latrones per ostium non ingressos, habendos esse. Hæc sunt, quæ generatim sacræ synodo visum est Christi fideles de sacramento ordinis docere. His autem contraria, certis, et propriis canonibus in hunc qui sequitur modum damnare constituit: ut omnes, adjuvante Christo, fidei regula utentes, in tot errorum tenebris catholicam veritatem facilius agnoscere et tenere possint.

Ibid.— Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi vel eam quam habent illis esse cum presbyteris communem; vel ordines ab ipsis collatos sine populi, vel potestatis sæcularis consensu, aut vocatione, irritos esse, aut eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed ali-

Digitized by Google

unde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros, anathema sit.

Conc. Trident, ibid. — Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere: *Accipe Spiritum sanctum*, aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit.

Concilii Lateranensis XI, *an.* 1139, *canones.* — Eos autem, qui religiositatis speciem simulantes, Domini corporis et sanguinis sacramentum, baptisma puerorum, sacerdotium et cæteros ecclesiasticos ordines et legitimarum damnant fœdera nuptiarum, tanquam hæreticos ab Ecclesia Dei pellimus et damnamus et per potestates exteras coercere præcipimus Defensores quoque ipsorum ejusdem damnationis vinculo innodamus (8).

Concilii Florent. decreta. B. Decretum pro Armeniis in bulla Eugenii IV, Exsultate Deo. — Sextum sacramentum est ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo : sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem; et similiter per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est : *Accipe potestatem offerendi sacrificium in ecclesia pro vivis et mortuis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Et sic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romanolate continetur. Ordinarius minister hujus sacramenti est episcopus. Effectus, augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus minister.

Professio fidei præscripta Waldensibus ad Ecclesiam reducibus ab Innocentio III. — Prædicationem necessariam valde et laudabilem esse credimus, tamen ex auctoritate vel licentia summi Pontificis vel prælatorum permissione illam credimus exercendam. In omnibus vero locis, ubi manifeste hæretici manent, et Deum et fidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ abdicant et blasphemant, credimus, quod disputando et exhortando modis omnibus secundum Deum debeamus illos confundere et eis verbo Dominico, veluti Christi et Ecclesiæ adversariis, fronte usque ad mortem libera contraire. Ordines vero ecclesiasticos et omne, quod in sancta Romana Ecclesia sanctum legitur aut canitur, humiliter collaudamus et fideliter veneramur.

Confessio fidei Michaelis Palæologi ipsi a Clemente IV an. 267 *proposita et ab ipso in concilio œcumenico Lugdunensi* II 1274 *Gregorio X oblata.* — Tenet etiam et docet eadem sancta Romana Ecclesia, septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet baptisma, de quo dictum est supra; aliud est sacramentum confirmationis, quod per manuum impositionem episcopi conferunt, chrismando renatos; aliud est pœnitentia, aliud eucharistia, aliud sacramentum ordinis, aliud est matrimonium, aliud extrema unctio, secundum doctrinam beati Jacobi infirmantibus adhibetur, etc.

Propositiones synodi Pistoriensis damnatæ a Pio VI. — Item, qua vehementer optare se profitetur, ut aliqua ratio inveniretur minutuli cleri (quo nomine inferiorum ordinum clericos designat) a cathedralibus et collegiatis submovendi, providendo aliter (nempe per probos et provectioris ætatis laicos), congruo assignato stipendio ministerio inserviendi missis et aliis officiis, velut acolythi, etc.; ut olim, inquit, fieri solebat, quando ejus generis officia non ad meram speciem pro majoribus ordinibus suscipiendis redacta erant : quatenus reprehendit institutum, quo cavetur ut minorum ordinum functiones per eos tantum præstentur exerceanturve, qui in illis constituti adscriptive sunt (*Conc. prov.* IV *Mediol.*); idque ad mentem Tridentini (sess. 23. c. 17), ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones ab apostolicis temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, et in pluribus locis aliquandiu intermissæ, juxta sacros canones revocentur, ne ab hæreticis tanquam otiosæ traducantur; suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, ecclesiastici ministerii perturbativa, servandæ quoad fieri potest in celebrandis mysteriis decentiæ imminutiva, in minorum ordinum munera et functiones, tum in disciplinam per canones et speciatim per Tridentinum prolatam injuriosa, favens hæreticorum in eam conviciis et calumniis.

Ibid. — Doctrina synodi, quæ perhibet in promovendis ad ordines hanc de more et instituto veteris disciplinæ rationem servari consuevisse, « ut si quis clericorum distinguebatur sanctitate vitæ, et dignus æstimabatur, qui ad ordines sacros ascenderet, ille solitus erat promoveri ad diaconatum, vel sacerdotium, etiamsi inferiores ordines non suscepisset; neque tum talis ordinatio dicebatur per saltum, ut postea dictum est, » doctrina singulis suis partibus falsa, temeraria, etc., etc.

Gregorii IX decreta, l. I *Decr.*, tit. 16, c. 13. — Presbyter et diaconus cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali, ritu ab apostolis introducto, recipiunt; suspensio autem manuum debet fieri, cum oratio super caput effunditur ordinandi.

II. *Dispositiones juris.*

Constit. apostol. Clement. I, an. 93 : *Ne bigamus vel concubinam habens ordinetur. Conc. Eliberitan. an.* 305. — Subdiaconum ordinari non debere qui in adolescentia sua fuerit mœchatus, si autem aliqui sunt in præteritum ordinandi amoveantur.

76. Si quis diaconum se permiserit ordinari, et postea fuerit in crimine detectus

(8) Iste canon est contra Petrum de Bruis et Arnoldum Briaci et ad verbum desumptus est ex concilio Tolosano an. 1119 coram Callixto II habito.

Digitized by Google

mortis quod aliquando commiserit, si sponte fuerit confessus, placuit eum, acta pœnitentia, post triennium accipere communionem, quod si alius detexerit post quinquennium, acta pœnitentia, accipere laicam communionem debere.

80. Prohibendum est ut liberti quorum patroni in sæculo fuerint ad clerum non promoveantur.

Ex conc. Arelat. I, *sub Silvestro I, an.* 314. — 13. Si traditores aliquos ordinasse fuerint deprehensi, et de his quos ordinaverunt ratio subsistit, non illis obsit ordinatio.

Ex conc. Ancyrano, sub Silvestro I, an. 314, *et epist. Adriani I, an.* 773. — 13. Eos qui ante baptismum sacrificarunt, et postea baptizati sunt, visum est ad ordinem promoveri, ut qui abluti sunt.

Ex conc. Neocæsariens., sub Silvestro I, an. 314, *et epist. Adriani I, an.* 773. — 9. Laicus cujus uxor adulterata est ordinetur.

12. Presbyter ante 30, annos non ordinetur.

13. In ægritudine baptizatus presbyter non fiat, nisi necessitate.

Ex conc. Laodiceno, sub Silvestro I, an 320. — 3. Non oportet neophytum promoveri ad ordinem sacerdotalem.

Ex conc. Romano II, *sub Silvestro I, an.* 324. — 11. Ut nullus ex laica persona ad honorem acolythi usque ad episcopatum sublevaretur, nisi prius fuisset lector annis triginta deinde uno die exorcista, et post ea caperet onus acolythi, et faceret in eodem ordine acolythi anno 10, ut acciperet onus subdiaconi, et in subdiaconatu esset an. 5. Deinde ad diaconatus honorem pertingeret fixus rogantibus 30. Presbyteris examen ut esset diaconus cardinalis, quia a prima sede erat constitutum ut serviret an. 7 Si quis desideraret ordinem presbyteri, ita exigeretur ut in 7 annis a cuncto clero Romano probaretur, doctrinæ, nativitatis, et generositatis et consilio, non expetens prædam, a quaquam opinione clara firma omnes presbyteri declararent et firmarent, et sic ad ordinem presbyteri accederent, et facerent in eodem ordine an. tres ; et, si exigat ordo vel dispositio, vel cura pietatis aut sanctitatis ad onus episcopatus accedere, ut omnis clerus peteret ordinari ex uno voto perenni.

Ex conc. Nicæno generali II, *sub Silvestro I, an.* 325. — 2. Quoniam multa sive per necessitatem, sive ex quacunque causa, contra regulam gesta sunt, ita ut homines ex vita gentili, nuper adhuc catechizati vel instituti statim ad spiritalem baptismum venissent, et continuo cum baptizati sunt etiam ad episcopatum vel ad presbyterium provecti sunt, recte igitur visum de cætero nihil tale debere fieri, nam et tempore opus est ut fit catechumenus, et post baptismum multa probatione indiget, si vero, procedente tempore, aliquod peccatum admiserit, et convictus duobus vel tribus testibus fuerit, cesset a clero qui hujusmodi est.

9. Si qui presbyteri sine examine sunt provecti, cum discuterentur peccata sua confessi sunt, et homines contra canones commoti, manus confessis imponere tentaverint, tales regula non admittit, quia quod irreprehesibile est, catholica defendit Ecclesia.

17. Si quis ausus fuerit aliquem qui ad alterum pertinet ordinare in sua ecclesia, cum non habeat consensum episcopi ipsius a quo recessit clericus, irrita sit hujusmodi ordinatio

Ex eod. conc. editionis Arabicæ. — 1. Nullus insanus fiat clericus, nisi ex ægritudine insania existat.

2. Servi infidelium non prius debent fieri clerici quam sint manumissi ac liberi, satisque probati an digni sint gradu.

49. Nullus audeat ordinare episcopum aut sacerdotem aut diaconum pro quavis re data sive ante ordinationem sive post, et qui secus fecerit deponatur.

60. Si qui sunt ex populo eligendi ad sacerdotium, primum quidem præsentandi sunt episcopo aut patriarchæ, postea examinent eos archidiaconus et chorepiscopus, qui si fuerint approbati orabunt pro eis orationem solitam, ut fiant digni remissione, et accipiant indulgentiam, postea adducendi sunt ad episcopum ut imponat eis manus et benedicat, eosque ordinet.

Ex conc. Roman. III, *sub Silvestro I, an.* 325. — 4. Nulli episcopo liceat sine cuncta Ecclesia, novissimo gradu usque ad primum ordinare neophytum.

5. Nulli episcopo liceat quemlibet gradum clerici ordinare aut consecrare. nisi cum omni adunata Ecclesia.

Ex conc. Carthag. I, *sub Julio I, an.* 348. — 5. Non licet episcopo laicum usurpare sibi de plebe aliena, ut eum ordinet sine conscientia ejus episcopi de cujus plebe est

8. Procuratores et actores etiam per se tutores pupillorum non debent ordinari, nisi post deposita universa et reddita ratiocinia.

Ex conc. Arelat. II, *sub Siricio, an.* 389. — 1. Ordinari ad diaconatus vel sacerdotii officium neophytum non debere.

13. Si aliquis, invito episcopo suo in aliena Ecclesia habitans ab episcopo loci clericus fuerit ordinatus, hujusmodi ordinatio irrita habeatur.

Ex conc. Capuano, sub Siricio, an. 389.— 1. Ne fiant rebaptizationes, reordinationes, et episcoporum translationes.

Ex conc. Hipponensi, sub Siricio, an. 393. — 3. Ut clerici instructi promoveantur.

Ex conc. Carthag. III, *sub Siricio, an.* 397. — 3. Placuit ut ordinandis episcopis vel clericis, prius ab ordinatoribus suis decreta conciliorum auribus eorum inculcentur, ne aliquid contra statuta concilii fecisse asserant.

4. Placuit ut ante 25 annos, ætatis nec diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur.

18. Ut episcopi, presbyteri, et diaconi

Digitized by Google

non ordinentur priusquam omnes qui sunt in domo eorum Christianos catholicos fecerint.

22. Ut nullus ordinetur clericus nisi pronatus vel episcoporum examine, vel populi testimonio.

38. Non liceat fieri rebaptizationes et reordinationes, vel translationes episcoporum.

Ex conc. Carthag. VI, *sub Anastasio, an.* 398. — 6. Acolytus cum ordinatur, ab episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat, sed ab archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda ecclesiæ luminaria mancipari, accipiat et urceolum vacuum ad suggerendum vinum in eucharistiam sanguinis Christi.

7. Exorcista cum ordinatur accipiat de manu episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo: Accipe et commenda memoriæ, et habeto potestatem imponendi manus super energumenum sive baptizatum, sive catechumenum.

8. Lector cum ordinatur faciat de illo verbum episcopus ad plebem, indicans eius fidem ac vitam, atque ingenium, post hæc spectante plebe tradat ei codicem de quo lecturus est dicens, accipe et esto lector verbi Dei, habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium, partem cum eis qui verbum Dei ministraverunt.

9. Ostiarius cum ordinatur, postquam ab archidiacono instructus fuerit qualiter in domo Dei debeat conversari; ad suggestionem archidiaconi tradat ei episcopus claves ecclesiæ de altari dicens, sic age quasi redditurus Deo rationem pro his rebus quæ his clavibus recluduntur.

22. Ut episcopus sine consilio clericorum suorum clericos non ordinet, ita ut civium conniventiam et testimonium quærat, quod si præ accepta ordinatione in fraude inventus fuerit ipsi qui eum testimoniant, quandiu episcopo visum fuerit, ab Ecclesiæ liminibus arceantur.

66. Seditionarios nunquam ordinandos clericos, sicut nec usurarios, iniuriarum suarum ultores.

68. Si sciens episcopus ordinaverit pœnitentem, etiam ab episcopatus sui ordinandi duntaxat potestate privetur.

69. Simili sententiæ subjacebit episcopus si sciens ordinaverit clericum eum qui viduam aut repudiatam uxorem habuit, aut secundam.

Ex conc. Toletan. I, *sub Anastasio, an.* 400. — 10. Clericos, si quidem obligati sunt vel pro æquatione vel de genere alicujus domus, non ordinandos, nisi probatæ vitæ fuerint, et patroni consensus accesserit.

Ex fragmentis conc. Toletanorum, secund. Burchardum. — De rebus vero illorum vel peculiari, qui a dominis propriis libertate donantur, ut ad gradus ecclesiasticos, promoveri debeant, statutum est ut in potestate dominorum consistat quidquid ante libertatem habuerunt, utrum illis concedere, an sibi retinere voluerint.

Ex conc. Milevitano II, *sub Innocentio I, an.* 416. — 14. Placuit ut quicunque deinceps ab episcopis ordinantur litteras accipiant ab ordinatoribus suis manu eorum subscriptas continentes consulem et diem.

Ex conc. Regiensi, sub Sixto III, an. 439.— 1. Ordinationem quam canones irritam definiunt, nos quoque vacandam esse censuimus, in qua prætermissa trium præsentia, nec expetitis comprovincialium litteris, metropolitani quoque voluntate neglecta, prorsus nihil quod episcopum faceret ostensum est.

Ex conc. Arausicano I, *sub Leone I, an.* 441. — 8. Si quis aliquem consistentem clericum ordinandum putaverit, prius definiat ut cum ipso habitet, nec eum sine consultatione ejus episcopi cum quo ante habitavit, ordinare præsumat, quia non sine causa diu ab alio non ordinatus remanmansit.

9. Si qui alienos cives aut alibi consistentes ordinaverint, nec ordinari in ullo accusantur, aut ad se eos revocent, aut ipsi (gratiam) eis impetrent cum quibus habitent.

Ex conc. Chalcedonensi gener. IV, *sub Leone I, an.* 451. — 6. Neminem absolute ordinari presbyterum vel diaconum, vel quemlibet, in ecclesiastica ordinatione constitutum, nisi manifeste in Ecclesia civitatis sive possessionis, aut in martyrio, aut in monasterio, qui ordinantur mereatur ordinationis publicatæ vocabulum eorum qui absolute ordinatur, decrevit sancta synodus vacuam haberi manus impositionem, et nullum eis tale factum valere, ad injuriam ipsius qui eum ordinavit.

Ex concili. Andegavensi, sub Leone I, an. 453. — 10. Quicunque vel de laicis vel de clero ministri fuerint ordinati et observare noluerint, si laicus communicare non liceat, nisi forte reprobaverint criminosos.

11. Nonnisi unius uxoris viri, iidemque virginibus copulati, diaconi vel presbyteri ordinentur

Ex concil. Romano, sub Hilario, an. 467.— 2. Ne ad sacratos gradus quisquam qui uxorem non virginem duxerit aspiret; repellendus est etiam quisque qui in secundæ uxoris nuptias contra apostolica præcepta convenit

3. Inscii litterarum, necnon et aliqua membrorum damna perpessi, et hi qui ex pœnitentibus sunt, ad sacros ordinentur aspirare non audeant; quisquis talium consecrator exstiterit, factum suum ipse dissolvet.

Ex conc. Turonico, sub Simplicio, an. 482. — 10. Ordinationes illicitas irritas denuntiamus, nisi per satisfactionem quæ ad pacem pertinent; componantur.

Ex conc. Agathensi, sub Symmacho, an.

Digitized by Google

506. — 16. Episcopus benedictionem diaconatus minorib. quam 25 annorum penitus non committat.

17. Presbyterum vel episcopum ante 30 annos, et diaconos ante 25 nullus metropolitanorum ordinare præsumat.

Ex conc. Aurelian., sub Symmacho, an. 507. — 10. Si servus, absente vel nesciente domino suo, episcopo tamen sciente quod servus sit, diaconus aut presbyter fuerit ordinatus, ipso in clericatus officio permanente, episcopus eum domino duplici satisfactione compenset, si vero episcopus eum servum nescierit, qui testimonium perhibent, aut eum supplicaverint ordinari, simili redhibitioni teneantur obnoxii.

Ex conc. Epaunensi sub Symmacho, an. 509. — 37. Ne laicus nisi religione promissa clericus ordinetur.

Ex conc. Arelatensi III, *sub Joanne I, an.* 524. — 1. Nullus episcoporum diaconum, antequam 25 an. impleat, ordinare præsumat, episcopatus vero vel presbyteri honorem nullus laicus ante præmissam anni conversionem, vel ante 30 annos ætatis accipiat.

2. Nullus metropolitanorum cuicunque laico dignitatem episcopatus tribuat, sed nec reliqui pontifices presbyteri vel diaconatus honorem conferre præsumant, nisi anno integro fuerit ab eis præmissa conversio.

3. Nullus pœnitentem nullus digamum, nullus viduarum maritos in prædictis honoribus audeat ordinare, et quicunque ab hac die contra ea quæ superius sunt comprehensa clericum ordinare præsumpserit, ab ea die qua ei potuerit hoc approbari, anno integro missas facere non præsumat, quam rem si quis observare noluerit, et contra confessum fratrum faciens, missas celebrare præsumpserit, ab omnium fratrum charitate noverit se alienum.

Ex concil. Ilerdensi sub Joanne I, an. 524. — 12. Qui contra decreta canonum indiscrete clericos usque nunc ordinaverunt, eis Dominus, vel sancta ecclesiastica charitas ignoscat; amodo vero, si in tali ausu proruperint, nullum ordinare jam audeant, vel qui deinceps ordinati fuerint deponantur, hi vero qui tales hactenus ordinati sunt, nullo tempore promoveantur.

Ex eod. conc. secundum Burchardum. — 20. Si quis in infirmitate positus clericus, in medicorum incisione claudus efficitur, promoveri eum ad sacros ordines non denegamus.

Ex conc. Aurelianensi II, *sub Silverio, an.* 536. — Presbyter vel diaconus sine litteris, vel si baptizandi ordinem nesciat, nullatenus ordinetur.

Ex con. Aurelianensi III, *sub Vigilio, an.* 540. — 6. Ne ullus ex laicis ante annualem conversionem, vel ætatem legitimam id est 25 annorum diaconus, et 30 presbyter ordinetur, ita ut de ipsis quoque qui ordinandi sunt clericis regulari custodiatur studio, ne aut duorum uxorum vir, aut renuptæ maritus, aut pœnitentiam professus, aut senius (seu servus) corpore, aut qui publice aliquando arreptus sit, ad suprascriptos ordines promoveatur; quod si sciens episcopus ordinaverit, is quidem qui ordinatur, suscepto privetur officio, sed ille pro ordinationis temeritate sex mensibus a celebrandis officiis sequestretur; si missas intra statum tempus facere præsumpserit, anno integro omnium fratrum charitate privetur.

25. Nullus servilibus colonariisque conditionibus obligatus, ad honores ecclesiasticos admittatur, nisi prius aut testamento, aut per tabulas eum legitime constiterit absolutum; episcopus qui sciens talem ordinaverit, anni spatio missas facere non præsumat.

Ex conc. Aurelianensi V, *sub Vigilio, an.* 552. — 5. Ut nullus clericum seu lectorem alienum sine sui concessione episcopi, vel promovere, vel sibi quibuslibet conditionibus audeat vindicare, clericus ab honore vel officio suscepto, juxta arbitrium sui Pontificis suspendatur, episcopus vero qui ordinaverit sex mensibus missas facere non præsumat.

6. Ut servum qui libertatem a dominis propriis non acceperit, aut etiam jam libertum, nullus episcoporum ab ejus tantum voluntate cujus servus est, et eum absolvisse dignoscitur, clericum audeat ordinare; quod si quisquam fecerit, is qui ordinatus est a domino revocetur, et ille collator ordinis, si sciens fecisse probatur, sex mensib. missas tantum facere non præsumat.

Ex conc. Bracarensi I, *sub Joanne III, an.* 563. — 8. Placuit ut nullus episcopus clericum alterius ordinare præsumat, sicut et antiqui canones vetuerunt, nisi forte signata ipsius episcopi scripta suscepit.

20. Placuit ut ex laico ad gradum sacerdotii ante nemo veniat, nisi prius anno integro in officio lectorum, vel diaconatus disciplinam ecclesiasticam discat, et sic per singulos gradus eruditus ad sacerdotium veniat.

Ex conc. Narbonensi, sub Pelagio II, an. 589. — 11. Amodo nulli liceat episcoporum ordinare diaconum aut presbyterum litteras ignorantem, sed si qui ordinati fuerint, cogantur discere.

Ex conc. Barcinonensi sub Gregorio I, an. 599. — 3. Nulli deinceps laicorum liceat ad ecclesiasticos ordines prætermisso canonum præfixo tempore, aut per sacra regalia, aut per consensionem cleri vel plebis, vel per electionem assensionemque pontificum ad summum sacerdotium adspirare aut provehi; sed cum per canonum conscripta tempora, ecclesiasticos per ordinem conscenderit gradus, ad summum sacerdotium, si dignitati vita responderit provehatur, ita tamen ut duobus aut tribus quos ante consensus cleri et plebis elegerit, metropolitani judicio ejusque coepiscopis præsentatis, quem sors præeunte episcoporum judicio, Christo Domino terminante monstraverit, benedictio consecrationis accumulet.

Digitized by Google

Ex conc. Hispalensi II, *sub Bonifacio V, an.* 619. — 5. Dum unus ad presbyterium, duo ad levitarum ministerium sacrarentur, episcopus eorum oculorum dolore detentus, fertur manum suam super eos tantum posuisse, et presbyter quidam illis contra ecclesiasticam ordinem benedictionem dedisse, etc. Decrevimus ut tales a gradu sacerdotalis vel levitici ordinis quem perverse adepti sunt, depositi æquo judicio abjiciantur.

Ex conc. Toletano VIII, *sub Martino I, an.* 653. — 8. Nullus cujuscunque dignitatis ecclesiasticæ deinceps percipiat gradum qui non totum Psalterium vel canticorum usualium, et hymnorum, sive baptizandi perfecte noverit supplementum.

Ex conc. Toletano XI, *sub Adeodato, an.* 675.—10. Unusquisque qui ad ecclesiasticos gradus est accessurus, non ante consecrationem accipiat quam promittat, ut fidem catholicam, sincera cordis devotione custodiens, juste et pie vivere debeat, et ut in nullis operibus suis canonicis regulis contradicat.

Ex conc. Romano, sub Zacharia, an. 743. — 11. Statutum est multis conciliis, ut primi, quarti, septimi, et decimi mensis horum sacerdotum debeant fieri ordinationes, etc. Sed et hoc interdicimus, ut nullus episcoporum audeat juxta sanctorum canonum instituta quemlibet clericum bigamum, aut qui viduam duxerit uxorem, ad sacros ordines promovere, aut alterius civitatis clericum sine dimissoriis sui episcopi suscipere vel ordinare, neque eum usurpet, nisi episcopus suis precibus exoratus concedere voluerit.

Ex conc. Cabilonensi III, *sub Leone III, an.* 813. — 12. Dictum est de quibusdam fratribus, quod eos quos ordinaturi sunt jurare cogunt quod digni sint, et contra canones non sint facturi, et obedientes sint episcopo qui eos ordinat et Ecclesiæ in qua ordinantur, quod juramentum quia periculosum est omnes una inhibendum statuimus.

23. Decrevimus presbyterorum diaconorum et cæterorum graduum inferiorum ordinationes, statutis temporibus fieri debere.

Ex conc. Rhemens. I, *sub Leone III, an.* 813. — 3 Ut quicunque ad gradus ecclesiasticos condigne ascendere voluerit, unusquisque intelligeret qualiter secundum possibilitatem intellectus sui in eo gradu ubi constitutus est, Deo militare, et seipsum valeret custodire.

Ex conc. Parisiensi sub Gregorio IV, an. 829. — 22. De clericis laicorum nonnulli conqueri videntur eo quod quidam episcopi ad eorum preces nolint in ecclesiis suis, cum utiles sint, ordinare; visum nobis fuit, ut in utrisque partibus pax et concordia servetur, et cum charitate et ratione, utiles et idonei eligantur, et si laicus idoneum utilemque clericum obtulerit, nulla qualibet occasione ab episcopo sine certa ratione repellatur, et si rejiciendus est diligens examinatio et evidens ratio, ne scandalum generetur, manifestum faciat.

Ex conc. Meldensi, sub Sergio II, an. 845. —52. Qui ex nostris parochiis aut ad titulum, aut absolute ordinari petuntur, nullatenus ordinentur, nisi aut in clero certo et religioso, vel etiam in civitate saltem uno anno immorentur, ut de vita et conversatione atque doctrina illorum certitudo possit agnosci, et nemo absolute quemquam ordinare præsumat.

Ex conc. Triburiensi, sub Formoso, an. 895. — 29. Nullum servum episcopus ordinare præsumat antequam perfecta ditetur ingenuitate, quia non debet talis persona fungi sacerdotii dignitate.

33. Si quis a medicis per languorem desectus est, vel per aliquam infirmitatem claudus effectus est, inveniaturque alias dignus, permaneat clericus et sacro ordini aptus.

Ex conc. Nannetensi, sub Formoso, an. 895. — 11. Episcopus, quando ordinationem facere disponit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere volunt, feria quarta ante ipsam ordinationem evocandi sunt ad civitatem una cum archipresbyteris qui eos repræsentare debent, et tunc episcopus e latere suo dirigere debet sacerdotes et alios prudentes viros gnaros legis divinæ, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, institutionem, locum ubi educati sunt, si sint bene litterati, si in lege Domini instructi diligenter investigent, etc. Igitur per tres continuos dies diligenter examinentur, et sic Sabbato qui probati inuenti sunt episcopo repræsententur.

Ex conc. Coyacensi, sub Leone IX, an. 1050. — Archidiaconi, tales constitutis quatuor temporibus ad ordines ducant, qui perfecte totum Psalterium, hymnos et cantica, Epistolas, Evangelia et orationes sciant.

Ex conc. Tolosano, sub Victore II, an. 1056. — 2. Episcopus vel abbas, presbyter ante 30 annos, diaconus ante 25 non ordinentur, nisi aut studio sanctitatis, aut sapientiæ ornati, providentia episcopi simul et cleri promoveantur, et eadem ordinatio ne fiat nisi temporibus secundum canones statutis, aliter irrita fiat ordinatio

Ex conc. Claromontano, sub Urbano II, an. 1095.—24. Ne fiant ordinationes nisi quatuor certis temporibus et Sabbato mediante Quadragesimæ, et tunc prorahatur jejunium usque ad vesperas, et, si fieri potest, usque in crastinum, ut magis appareat in die Dominico ordinationes fieri.

25. Ne filii presbyterorum, diaconorum vel subdiaconorum, canonicorum ad ordines vel alios honores ecclesiasticos promoveantur, nisi monachus vel canonicus fuerit.

Ex conc. Romano III, *sub Urbano II, an.* 1099. — 7. Ordinationes quæ a Guiberto hæresiarcha factæ sunt, postquam ab apostolicæ memoriæ papa Gregorio vel a Romana Ecclesia est damnatus, quæque etiam a pseudo-episcopis per eum postea ordinatis perpetrate sunt, irritas esse judicamus.

8. Similiter et eas quæ a cæteris hære-

Digitized by Google

siarcnis nominatim excommunicatis factæ sunt, et ab eis qui catholicorum et adhuc viventium episcoporum sedes invaserunt, nisi probare voluerint se cum ordinarentur, eos nescisse damnatos.

9. Qui ab episcopis quondam quidem catholice ordinatis, sed in schismate a Romana Ecclesia separatis, consecrati sunt, eos cum ad Ecclesiæ unitatem redierint, servatis propriis ordinibus misericorditer suscipi jubemus, si tamen eos vita et scientia commendat.

10. Amodo quicunque a prædictis schismaticis S. R. Ecclesiæ adversariis se ordinari permiserit, nullatenus hac venia dignus habeatur.

Ex conc. Pictaviensi, sub Paschali II, an. 1100. — 9. Filii presbyterorum et cæteri in fornicatione nati ad sacros ordines non promoveantur, nisi aut monachi fiant, aut in congregatione regulariter viventes, prælationes vero nullatenus habeant, sed neque servi nisi a dominis libertate donentur.

Ex conc. Londinensi II, *sub Paschali II, an.* 1102. — 6. Nullus ad subdiaconatum aut supra ordinetur, sine professione castitatis.

Ex conc. Lateran. II, *univers.* IX, *sub Calixto II an.* 1122. — 2. Nullus in præpositum, nullus in archipresbyterum nullus in diaconum nisi presbyter, nullus in archidiaconum, nisi diaconus ordinetur.

Ex conc. Londinensi I, *sub Honorio II.* — 7. Nullus in presbyterum, nullus in diaconum nisi ad certum titulum ordinetur; qui vero absolute fuerit ordinatus, sumpta careat dignitate.

Ex conc. Abrincensi in Norm., sub Alexand. III an. 1172. — 6. Sacerdotes non ordinentur nisi certo titulo.

Ex conc. Londinensi, sub Alexand. III, an. 1175. — 5. Quidam clerici extra provinciam suam, interdum etiam a transmarinis episcopis ordinantur, vel ordinatos se mentiuntur, statuimus talium ordinationem irritam esse habendam.

Ex conc. Later. univers. II, *sub Alexand. III, an.* 1179. — 5. Episcopus si aliquem sine certo titulo de quo necessaria vitæ percipiat, in diaconum, vel presbyterum, ordinaverit, tandiu necessaria ei subministret, donec in aliqua ei Ecclesiæ convenientia stipendia militiæ clericalis assignet, nisi forte talis, qui ordinatur, exstiterit, qui de sua vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere.

Ex conc. in Dalmatiæ et Doclіæ regnis, sub Innoc. III, an. 1199. —2. Ne aliquis episcopus nisi in quatuor temporibus aliquem ad sacros ordines promovere præsumat, solus enim Rs Pontifex Dominicis diebus subdiaconos ordinare potest. Cum autem episcopus ordinationem fecerit, nonnisi unum ordinem a subdiacono et supra conferre præsumat, ordinatus autem in subdiaconum ad minus per annum in officio deserviat, et diaconus similiter faciat

Ex conc. Lateran. univers. XII, *sub Innoc. III, an.* 1215.— 27. Episcopi promovendos in sacerdotes diligenter instruant et informent, vel per seipsos vel per alios viros idoneos super divinis officiis et ecclesiasticis sacramentis qualiter ea rite valeant celebrare.

Ex conc. Londinensi, sub Gregorio IX, an. 1237. — 2. In susceptione curæ animarum et ordinis sacerdotii de sacramentis examinentur præcipue ordinandi.

6. Cum periculosum sit minus dignos, idiotas, illegitimos, irregulares, et extraneos, aut sine titulo certo et vero ordinari, statuimus ut ante collationem ordinum de his omnibus per episcopum indagatio habeatur.

Ex conc. Lugdunensi gener. XIV, *sub Gregorio X, an.* 1274. — 15. Eos qui clericos parochiæ alienæ absque superioris ordinandorum licentia scienter seu affecta ignorantia vel quocunque alio figmento quæsito præsumpserint ordinare, per annum a collatione ordinum decernimus esse suspensos, etc. Clericis quoque parochiæ taliter suspensorum, postquam eorum suspensio fuerit manifesta, absque ipsorum etiam licenia interim recipiendi ordinis, ab aliis vicinis episcopis liberam concedimus facultatem.

Ex conc. Ravennatensi II, *sub Clemente V, an.* 1311. — Nullus clericus sæcularis vel regularis admittatur ad ordines per aliquem episcopum de provincia Ravennatensi sine licentia vel litteris diœcesani episcopi unde fuerit oriundus vel domicilium seu beneficium obtineat in eodem nisi sit de ordinibus mendicantium, vel aliorum privilegiatorum de quibus constet.

Ex conc. Ravennat. III, *tempore interregni, an.* 1314. — 2. Nullus ad sacerdotium ordinetur nisi 25, ad diaconatum nisi 20, ad subdiaconatum nisi 16, annum ætatis attigerit, nec ad ordinandum aliquem alterius diœcesis, ad quoscunque ordines vel officia sufficiant litteræ simpliciter præsentatoriæ, seu dimissoriæ, nisi fuerint et testimoniales super vita et litteratura ejusdem, et per duos dies saltem ante diem ordinationis fuerit ordinatori præsentatus, nec in hoc alterius litteræ valeant, quam ordinarii episcopi vel vicarii ejus, et hoc nisi sint de ordinibus mendicantium, vel aliorum exemptorum privilegiatorum de quorum privilegiis constet.

Ex conc. Sabinensi in Hispan., sub Joanne XXII, an. 1322. — 9. Nullus deinceps ad sacros ordines promoveatur, nisi saltem litteraliter sciat loqui, quod si forte secus actum fuerit, prælatus a collatione sacrorum ordinum quos tali contulit, et promotus ab exsecutione suscepti ordinis per annum noverint se suspensos, etc. Prælati infra annum aut saltem infra biennium cum consilio discretorum ordinent et provideant, ipsamque provisionem in scriptis redactam apud se conservent, quot clerici ad titulum cujuslibet Ecclesiæ juxta ipsarum redditus poterunt ordinari.

Digitized by Google

Ex conc. Toletan., sub Benedicto XXII, an. 1339. — 2. Quandiu invenitur clericus qui litterate sciat loqui, vel promotus ad sacerdotium qui possit et velit in beneficio, cui cura immineat animarum, institui, episcopis dispensandi, ut is promoveatur ad sacros ordines et ad beneficium cum cura, qui litteraliter nescit loqui, et illud eidem conferendi facultas præterquam circa beneficiatos in ecclesiis cathedralibus et collegiatis sit penitus interdicta, quod si secus factum fuerit, sit irritum et inane

Ex conc. Salisburgensi, sub Martino V, an. 1420. — 5. Nullus ad examen per sacrorum ordinum susceptionem aliquatenus admittatur, nisi recenter confessus fuerit omnia sua delicta idoneo sacerdoti. Nullus admittatur ordinandus vel promovendus ad ordinem super vicaria, nisi sit perpetua vicaria. Episcopi ac eorum vicarii committant examinatoribus clericorum ordinandorum sub anathemate, fideli diligentia perquirant, ut si patres, avi aut progenitores eorum usque ad quartam lineam ascendentem, captivaverint, captivatum detinuerint, occiderint, aut mutilaverint temere clericum aliquem in sacris ordinibus constitutum, aut pro clerico se gerentem, quem autem invenerint, si hujusmodi factum sit notorium, non admittant.

6. Nullus illegitime natus ad aliquem sacrum ordinem vel beneficium aut officium curam habens animarum sine dispensatione Sedis apostolicæ admittatur in aliqua Ecclesia sæculari, et tales qui hactenus sunt admissi, si de his constiterit per eorum ordinarios repellantur.

Ex conc. Toletano sub Sixto IV, an. 1473. — 3. Examinatores vero in præmissis culpabiles ab officio et beneficio per annum noverint se suspensos.

26. Episcopi pro conferendis ordinibus quibuscunque nihil penitus ante vel post exigant, seu recipiant, nec janitores, Barbitonsores, et alios officiales quidquam exigere seu levare permittant, etiam pro sigillo et cera, notarii vero pro litteris ordinum et reverendis 10 duntaxat Morabetinos recipere debeant, et si contra fecerint, quod receperint duplicatum restituant, sequenti concilio applicandum.

Ex conc. Ratisponensi, sub Clemente VII, an. 1524. — 13. Deinceps non initientur sacris ordinibus, nisi viri morum vitæ candore et doctrina præ cæteris spectati, probatique per testimonium examinis rite servandi.

14. Ordinati in urbe vel in alia quacunque aliena diœcesi suarum ordinationum litteras et titulos ostendant

Ex conc. Senonensi, sub Clemente VII, an. 1528, *De moribus.* — 3. Non prius promoveant diœcesani suos ad aliquem sacrum ordinem quam viderint litteras testimoniales presbyteri parochialis, quæ contineant duorum aut trium testium probatorum non suspectorum dispositiones juramento solemni firmatas de sufficientia ætatis promovendi, et de probata et inculpata illius vita, quo absoluto, inquirant, si promovendus habeat scientiam a jure ad ordinem suscipiendum requisitam.

4. Ne aliqui ad subdiaconatus ordinem assumantur, nisi sub titulo beneficii 20 librarum Parisiensium ad minus, vel patrimonii similis valoris, etc. Ordinatus autem ad titulum patrimoniale, non eumdum vendat aut alienet, sine permissione episcopi ordinantis, donec beneficium prætaxati valoris fuerit assecutus.

5. Volentes impetrare litteras dimissorias accedant ad diœcesanos qui super ætate, litteratura, moribus, beneficio, seu patrimonio inquirant, serventque diligenter prædictas solemnitates perinde ac si in propria ordinare vellent, ac tunc sic examinato concedantur litteræ dimissoriæ, remittaturque sic examinatus cum litteris ipsis.

6. Diœcesani super promotis ad sacerdotium diligentem et accuratam faciant inquisitionem, et quos invenerint promotos ante ætatem legitimam, juxta juris dispositionem, ab executione ordinum suspendant, donec ad ætatem legitimam pervenerint, sic et de non sufficienter litteratis, donec in scientia quæ ordini est requisita ad plenum fuerint instructi.

7. Promotis in curia Romana, diœcesani non permittant exsecutionem suorum ordinum, nisi visis diligenter eorumdem litteris, constito etiam sufficienter de potestate ordinantium, et eorum commissione eis a Romano Pontifice concessa; ad hæc etiam quod rursus examinentur de vita, scientia, ætate, ac inquiratur de beneficio seu patrimonio.

Ex conc. Coloniensi I, *sub Paulo III, an.* 1536, *part.* I. — 18. Olim diaconus ante 25, presbyter ante 30, ætatis annos non ordinabantur, in Viennensi concilio sub Clemente V, ordines sacri, minori etiam ætati concessi sunt, nempe subdiaconatus 18, diaconatus 20, presbyteratus denique 25, ætatis annum nato; num ad antiquos canones regredi referat, futurum concilium dispiciet.

19. De doctrina, vita ac moribus suffraganeus noster, testimonium præceptorum qui ipsos in litteris instituerint docuerintque, eorum quoque apud quos initiandus potiorem vitæ partem transegit, ac diversatus est exigere non omittet, ne manifeste criminosi irrepant.

20. De eruditione quoque et scientia disquiret, ne statim a stiva ad ecclesiastica munia confugiatur.

21. Quo denique affectu ac proposito accedant ordinandi, videndum accurateque investigandum est, num videlicet Dei causa tantum, an potius suæ commoditatis gratia, ad ordines capescendos aspirent, quærentes quæ sua sunt non quæ Jesu Christi.

22. Qui ad sacros ordines capescendos aspirant, quatuor temporibus, quæ tempus impertitionis ejuscemodi ordinum proxime præcedunt, vicariis in pontificalibus sese repræsentent qui eos rogabunt, etc.

23. Qui civitatem aut oppidum, senatus.

Digitized by Google

qui vero pagum aut vicum incolit, judicis ejus loci litteras sigillatas quæ gratis dabuntur secum ferat, qui vero in longinqua regione moram traxerunt, hi canonicis satisfaciant institutis.

24. Ordinandi maxime ad sacerdotii gradum, quod die Sabbativo ex more ecclesiastico fieri solet, die Mercurii proxime præcedente, vicariis ipsisque per episcopum adjungendis theologis se repræsentent, examinationique eorum submittant.

25. A qua nemo excipiatur, et si magisterii titulum prætexat, nisi quem publicum sit et vitam integram egisse, et ea quæ ordo impertiendus requirit, facile callere.

26. Pridie ordinationis admonebit vicarius iterum omnes quo se quisque discutiatur, ne officio se alliget, cui non possit satisfacere.

27. Nemo posthac ordinibus minoribus insigniendus est, nisi quem et vita commendet, et litteraturæ ætatisque sit pro ratione suscipiendi ordinis sufficientis, ac rectæ sinceræque voluntatis

28. Nihil ab initiatis sigilli nomine a vicariis in Pontificalibus exigatur, sed tantum scribis earum litterarum (quæ formata appellantur) unus albus solvatur

30. Tituli ordinandorum excutiantur, plerique enim inventi sunt, qui fictis et emendicatis titulis ad sacerdotii dignitatem evecti, eamdem turpiter prostituere postea coacti sunt vendibiles quandocunque dolosi spes refulserit nummi.

Ex conc. Angustensi, sub Paulo III, an. 1548. — 4. Ordinandi super hæresibus hoc tempore jactatis, quid de illis et contra, quid de Romana Catholica et Apostolica Ecclesia sentiant diligenti examinatione explorentur, nullus ordinetur, nisi qui publicum a primario sacerdote, vel magistratu patriæ suæ aut ejus loci ubi majorem vitæ suæ partem exegerit, de vita ejus et moribus, probatis testimonium litteris consignatum attulerit, ad hæc ut ordinandi, explendis saltem Ecclesiæ ministeriis sufficiens, non titulis sed diligenti constans examinatione, eamdem quoque rationem in his qui ad prælaturas, aut ecclesias parochiales provehendi sunt, volumus haberi, pro examinatione vero nullam ab his qui a nobis deputati ad hoc fuerint pecuniam exigi delere præcipimus.

Ex conc. Coloniensi II, sub Paulo III, an. 1549, *Medio* II. — 1. Ne quis ad sacrorum ordinum perceptionem admittatur, nisi diligenter examinatus de fide quam teneat, de affectu quo ducatur ad petendos ordines, de scientia, moribus et ætate legitima.

2. Episcopi ipsimet examinis muneri satisfaciant, vel curam imponant viris piis, doctis, et de Ecclesiæ profectu sollicitis.

3. Nemini post hac (ubi digna et justa causa non est) dentur licentiatoria, ordines extra suam diœcesim recipiendi, nisi prius sit examinatus

4. Quemadmodum jungendi matrimonio trina proclamatione populo denuntiantur ita majoribus ordinibus initiandi, trina proclamatione denuntiantur in ecclesia parochiæ quam inhabitant, ad percipienda impedimenta si quæ sunt, quæ debeat parochus episcopo aut officialibus ejus significare.

5. Volentes ad subdiaconatus vel diaconatus ordinem promoveri, præsententur, et dent intitulatoribus nomina sua feria quarta diem ordinationis præcedente, ac eodem et sequenti die examinentur; promovendi ad sacerdotii gradum, dent nomina sua feria quinta ante diem ordinationis, afferant vero promovendi omnes secum testimonia, non modo suorum parochorum, verum etiam præceptorum, aut proborum virorum apud quos majorem vitæ partem transegerunt.

Ex conc. Moguntino, sub Paulo III, an. 1549. — 81. Nemo ad quemquam ordinem majorem recipiendum admittatur, nisi qui populo ante confessus fuerit idoneo sacerdoti, etc. Nec quisquam ordinandus recipiatur, nisi ad certum titulum ecclesiastici beneficii quod sit perpetuum.

82. Ordinandi, morum et vitæ testimonium, idque in litteris sigillatis, afferant acceptum a prælatis ecclesiasticis seu parocho, atque etiam a senatu seu judicio ejus loci in quo majorem vitæ partem exegerint, etc.

83. Qui consuetas unctiones dum baptizarentur non receperint, nisi eas in se per catholicum sacerdotem pie supplere curaverint, ab ordinibus prorsus repellantur.

84. Commissarii nostri in posterum alicui litteras dimissorias ad aliam diœcesim sine magna et necessaria causa non concedant, qui vero in aliena diœcesi ordines susceperint, ad ministerium seu exsecutionem ordinum quos se habere asseverant non admittantur, nisi prius vicariis seu commissariis nostris de susceptis ordinibus legitimo documento fidem fecerint.

Ex conc. Tridentin. gener. XVIII, *sub Paulo III, an.* 1545, *sess.* 7, *de Reformat.* — 11. Facultates de promovendo a quocunque, non suffragentur, nisi habentes legitimam causam ob quam a propriis episcopis ordinari non possint in litteris exprimendam, et tunc non ordinentur nisi ab episcopo in sua diœcesi residente, aut pro eo pontificalia exercente et diligenti prævio examine.

12. Facultates de non promovendo, præterquam in casibus a jure expressis, concessæ, ad annum tantum suffragentur.

Ibid., sess. 14, *de Reformat.* — Ei cui ascensus ad sacros ordines a suo prelato ex quacunque causa etiam ob occultum crimen quomodolibet etiam extrajudicialiter fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus seu gradibus aut dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus nulla contra ipsius prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores restitutio suffragetur

Ibid., sess. 21, *sub Pio IV, an.* 1562, *de Reform.* — Ne quis deinceps clericus sæcu-

Digitized by Google

laris ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet eum beneficium ecclesiasticum (quod sibi ad victum honeste sufficiat) pacifice possidere; id vero beneficium resignari non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constet quod aliunde vivere commode possit, etc. Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi quos episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum, etc.

Ex conc. Trid. gen. XVIII, *sess.* 23, *de Reformat.*—3. Episcopi per semetipsos ordines conferant, quod si ægritudine fuerint impediti subditos suos non aliter quam jam probatos et examinatos ad alium episcopum ordinandos dimittant.

4. Prima tonsura non initientur qui sacramentum confirmationis non susceperint, quique legere et scribere nesciant.

5. Ad minores ordines, promovendi, bonum a parocho et a magistro scholæ in qua educantur testimonium habeant; hi vero qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem episcopum adeant, qui parocho aut alteri cui magis expedire videbitur committant, ut nominibus ac desiderio eorum qui volent promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus ætate, moribus, et vita a fide dignis diligenter inquirat, et litteras testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes ad ipsum episcopum transmittat.

7. Quando episcopus ordinationem facere disposuerit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando episcopo videbitur, ad civitatem evocentur, episcopus autem sacerdotibus et aliis prudentibus viris sibi ascitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget, et examinet.

8. Ordinationes sacrorum ordinum, statutis in jure temporibus, ac in cathedrali ecclesia vocatis, præsentibusque ad id ecclesiæ canonicis publice celebrentur, si autem in alio diœcesis loco, præsente clero loci, dignior quantum fieri poterit ecclesia semper adeatur, unusquisque autem a proprio episcopo ordinetur.

9. Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, et beneficium, quacunque fraude cessante, statim reipsa illi conferat.

11. Minores ordines iis qui saltem Latinam linguam intelligant per temporum interstitia, nisi aliud episcopo expedire magis videretur, conferantur. Nemo majoribus ordinibus initietur, quem non scientiæ spes iis dignum ostendat, hi vero nonnisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum, ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas judicio episcopi aliud exposcat.

12. Nullus inposterum ad subdiaconatus ordinem ante 22, ad diaconatus ante 23, ad presbyteratus, ante 25, ætatis suæ annum promoveatur, etc Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti episcopi examine ordinentur, etc.

13. Promoti ad subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati ad altiorem gradum, nisi aliud episcopo videatur, ascendere non permittantur, duo sacri ordines non eadem die etiam regularibus conferantur.

Vid. verb., COMMUNIO, COELIBATUS CLERICORUM.

Ex conc. Mediolan. I, *sub Pio IV*, *an.* 1565, *part.* II.— 9. Ne in conferendis ordinibus episcopi aut eorum ministri quidquam etiam sponte quavis de causa datum accipiant.

Ex conc. Mediolan. II, *sub Pio V*, *an.* 1569, *tit.* I.— 23. Episcopus ne clericum ullum regularem neque sæcularem qui regularium more in communi vitæ disciplina sit, beneficium ecclesiasticæ non habeat, ordinibus sacris ascribat, nisi a superiore fidem attulerit, se religioni cui ascriptus est professionem confecisse.

24. Quicunque aliquem ecclesiasticum ordinem suscipit, is certæ ecclesiæ ascribatur, in qua functiones quas ei episcopus præscripserit obeat, nec alius eidem ordo ante conferatur quam ipso episcopo fidem testimoniumque ille attulerit, se in ecclesia cui ascriptus est præstitisse præscriptas sibi functiones.

Ex conc. Mediolan. VI, *sub Gregorio XIII*, *an.* 1576, *part.* II. — 7. Impedimento ad sacros ordines irretiti hi sunt: minores natu, sacramento chrismatis non confirmati, rudes et ignari, criminosi, solemniter pœnitentes, neophyti ebrietati et gulæ dediti, impudici, lapsi post ordinem susceptum, perjuri, usurarii manifesti, infames, ratiociniis obligati, servi, corpore vitiati, insigniter deformes, illegitime nati, peregrini et ignoti, bigami, irregulares quovis alio modo, suspensi, interdicti excommunicati, amentes, morbo caduco laborantes, energumeni, non examinati et probati, etc. Nemo titulo seminarii sacris majoribus ordinibus ascribatur, neque titulo item beneficii aut pensionis alteriusve census, quem ei ad victum episcopi judicio satis esse non constet.

Ex conc. Mediolan. VI, *sub Gregorio XIII*, *an.* 1582.— 11. Ne quis patrimonii ab alio cujusvis conditionis homine assignati, aut promissionis titulo, quæ certa cautione de re omni, victui necessaria suppeditanda facta sit, sacris ordinibus majoribus initietur; nisi præter cæteras præscriptas cautiones illud etiam publico instrumento caveatur, ea certa adjecta clausula, ut uterque et qui patrimonium assignat, et cui assignat, jurejurando affirmet id patrimonium vere possideri obtinerique, etc. Statuimus autem patrimonium eo nomine assignatum cautionemque item, ita ei usui annecti, ut qui initiatus est illud patrimonium aut cautionem alienare vel remittere nullo modo pos-

Digitized by Google

sit, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sit adeptus, vel aliunde habeat unde vivere possit.

Ex conc. Aquensi, sub Gregor. XIII, an. 1585. — 14. Dominico illo die qui Quatuor stata jejunii Tempora quibus ordinis sacramentum ministratur proxime antecedit. Parochi non solum solemne illud jejunium hujus rei causa institutum denuntient, verum etiam in sua unusquisque eorum parochiali ecclesia supplicationes, litaniasque pie ac religiose vel intus habeat, vel prosequente fidelium multitudine foris ecclesiam sicut moris est obeat, tum præterea admonitione populum ad illud excitet, etc. constitutione Pii V, quicunque clerici sine canonica dispensatione extra statuta tempora, vel ante legitimam ætatem, vel absque dimissoriis ordinarii sui litteris, se ad aliquem sacrum ordinem promoveri fecerint, a suorum ordinum, quos susceperint, exsecutione, ipso jure suspensi sint, sique suspensione durante, illorum ordinum ministerium functionesve obierint, statim irregularitatem subeant, etc.

Ex conc. Avenionensi, sub Clemente VIII, an. 1594. — 5. Quisquis pro sacris ordinibus suscipiendis examinandus est, ætatis, natalium, aut dispensationis obtentæ, beneficii ecclesiastici vel pensionis patrimoniive attestationes scriptas, et documenta authentica ante omnia in medium producat.

19. Vide *conc. Mediolan.* VI, an. 1582, cap. 11. Quotiescunque ordinatio de more publice celebranda erit edictum antea promulgetur, affigaturve in valvis ecclesiarum, in quo omnes recenseantur qui ab ordinum susceptione procul arcentur.

Ex conc. Narbonensi, sub Paulo V, an. 1609. — 21. *Vide conc. Trident sess.* 23, — *cap.* 3, 4, 5, *concil Mediolan.* 1576, *cap.* 7. Litteræ dimissoriæ illis tantum conferantur quos prævio examine, et diligenti facta inquisitione de ipsorum vita et moribus idoneos, et probatæ vitæ repererint, quique vel titulo beneficii, vel patrimonii valorem 30 aureorum annuis redditibus actualiter possideant, etc. In litteris dimissoriis non inseratur clausula illa (conscientiam nostram exonerantes, vestram onerando) cum nullus remitti debeat, quin ejus ordinis ad quem sumendum remittitur ab ordinario capax et idoneus fuerit indicatus, etc. In litteris dimissoriis non detur facultas nisi ad solum ordinem sacrum suscipiendum intra annum, quo elapso dictæ litteræ nullius sint effectus. Nullæ externorum admittantur dimissoriæ, sed cum illis a susceptione ordinum rejiciantur, nisi sint Regulares qui saltem per annum intra annum resederint, et ibidem ab ordinariis præsentis regni dimissorias obtinuerint.

Vid. ECCLESIASTICORUM MORES.

ORIGINALE PECCATUM

[Ex SS. Patribus.]

S. AUGUSTINUS, *Enchirid. ad Laurentium*, cap. 26 : Post peccatum exsul effectus (loquitur de Adamo), stirpem quoque suam, quam peccando in se tanquam in radice vitiaverat, pœna mortis et damnatione obstrinxit, ut, quidquid prolis ex illo et simul damnata, per quam peccaverat conjuge, per carnalem concupiscentiam, in qua inobedientiæ pœna similis retributa est, nasceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur per errores doloresque diversos ad illud extremum cum desertoribus angelis vitiatoribus et possessoribus et consortibus suis sine fine supplicium. *Sic per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in homines pertransiit in quo omnes peccaverunt.* (*Rom.* v, 12.) Mundum quippe appellavit eo loco Apostolus universum genus humanum.

Et lib. II *Hypognosticon contra Pelagianos :* Peccatum Adæ, aiunt, neminem nocuit, nisi solum ipsum. Respondemus : Si peccatum priorum hominum solis obfuit illis, et nemini nostrum, quemadmodum quæ in illos pro peccato lata est, in nos sententia pertransivit, in quos non transivit et culpa ? Nisi forte secundum vos injustus Deus, qui expertes eorum delicti, passus est nos eorum pœnæ adstringi vinculo. Hæc est enim in illis post peccatum divina sententia, postquam scilicet suasor ad prævaricandum maledictus est serpens. Mulieri autem dixit Deus : *Multiplicans multiplicabo mœrores tuos, et gemitum tuum. In tristitia paries filios, et ad virum tuum conversio tua et ipse dominabitur tui.* (*Gen.* III, 16.) Et Adæ dixit : *Quoniam audisti vocem mulieris tuæ, et manducasti de ligno*, de *quo præceperam tibi de hoc solo, ne manducares : maledicta terra.* (*Ibid.*) Hac nos pœnæ sententia colligatos, ipsa sibi humana natura totum per orbem terrarum diffusa testimonium perhibet, dum se paternis cruciatibus sanctæ legis testimonio pervidet laborare. Quod qua justitia, si hæredes parentum peccati non sumus, patimur ? Si vobis solis æquitas suppeditat naturalis, qua justiora sint judicia vestra quam Dei, inter nos et Deum residentes in superbiæ solio judicate. Adam igitur factus est absque peccato natura ; cum vero peccavit homo, natura peccavit, et facta est natura jam peccatrix, id est vitium habens peccati, non ipsa effecta vitium vel peccatum. Post peccatum ergo homo peccator dictus est, non homo peccatum. Peccator enim a peccando, non homo a peccando dicitur. Et ideo peccator homo genuit hominem, sine dubio peccatorem, quia de natura, ut dixi, peccato vitiata, non nisi natura nascitur vitiosa, id est peccatrix, secundum quod ait apostolus Paulus : *Qualis terrenus, tales et terreni.* (*I Cor.* xv, 48.) Et hoc quomodo, nisi per seminis sparsionem ? Deinceps cap. 2 : Sed ais mihi e diverso veniens : Ergo semen pecca-

Digitized by Google

tum est. Jam superius dixi, quia cum peccavit homo, natura peccavit, cujus sunt semina, et semen ergo vitiatum est, non vitium, sicut scriptum est : *Semen enim maledictum erat ab initio.* (*Sap.* XII, 11.) Maledictum videlicet post peccatum, quia *maledicta*, inquit, *terra in operibus tuis.* Sed vitium trahi non postet protoplasti, neque esse homini sine seminis effusione. Quod confirmat Apostolus dicens : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*, etc. (*Rom.* V, 12.) Audis itaque per unum hominem peccatum intrasse in mundum, et per peccatum mortem, et ita in omnes homines pertransisse, in quo omnes peccaverunt, et audes dicere, hæretice, Adæ peccatum nulli nisi soli nocuit ipsi? Et vere tunc soli nocuit, cum solus esset ipse, et Eva mulier ejus. Sed in illis unis omnes eramus, quia natura humani generis erant, sicut in nobis omnibus illi uni sunt, quia natura eorum sumus. Et cap 3 : Sed respondentes, dicitis, ut dicere consuevistis: Apostolus si voluisset intelligi, quia per seminum conceptionem dicebat peccatum in omnes homines pertransisse, non per unum hominem dixisset, sed per duos homines, quia sine femina de solo masculo homo nasci non potest. Si cordis oculos non amisistis, attendite dictum esse : *Jam non sunt duo, sed una caro.* Et iterum : *Erunt duo in carne una.* (*Gen.* II, 24.) Nam ideo per unum hominem dixit Apostolus, quia cum in viro suo mulier una sit caro, in semine progenies imputatur. Audite adhuc et alium sapientissimum; dicentem ad vestram confusionem : *Ex muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur.* (*Eccli.* XXV, 33.) Ecce, hæretice, factum est tibi satis, per duos homines in humanum genus peccatum vel mortem pertransisse.

S. Aug. l. XIII *De civ. Dei*, cap. 3. — In primo igitur homine per feminam in progeniem transiturum universum genus humanum fuit, quando illa conjugum copula divinam sententiam suæ damnationis excepit. Et quod homo factus est, non cum crearetur, sed cum peccaret et puniretur, hoc genuit, quantum quidem attinet ad peccati et mortis originem. Non enim ad infantilem hebetudinem, et infirmitatem animi et corporis, quam videmus in parvulis; peccato vel pœna ille redactus est, quæ Deus voluit esse tanquam primordia catulorum, quorum parentes in bestialem vitam mortalemque dejecerat, sicut scriptum est : *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est pecoribus non intelligentibus et similis factus est illis.* (*Psal.* XLVIII, 21.) Non ergo ad ista infantilia rudimenta præsumptione illicita, et damnatione justa prolapsus vel impulsus est primus homo, sed hactenus in eo natura humana vitiata atque mutata est, ut repugnantem pateretur in membris inobedientiam concupiscendi, et obstringeretur necessitate moriendi, atque ita id, quod vitio pœnaque factus est, id est obnoxios peccato mortique generaret.

Idem, *ibid.*, cap. 14.—Deus creavit hominem rectum, naturarum auctor, non utique vitiorum, sed sponte depravatus justeque damnatus, depravatos damnatosque generavit. Omnes enim fuimus in illo uno; quando omnes fuimus ille unus, qui per feminam lapsus est in peccatum, quæ de illo facta est ante peccatum. Nondum erat nobis sigillatim creata et distributa forma, in qua singuli viveremus, sed jam natura erat seminalis, ex qua propagaremur, qua scilicet propter peccatum vitiata, et vinculo mortis obstricta, justeque damnata, non alterius conditionis homo ex homine nasceretur, ac per hoc a liberi arbitrii malo usu, series hujus calamitatis exorta est, quæ humanum genus origine depravata, velut radice corrupta, usque ad secundæ mortis exitium, quæ non habet finem, solis eis exceptis, qui per gratiam Dei liberantur, miseriarum connexione perducit.

Idem, *ibid.*, lib. XIV, cap. 1. — Diximus in superioribus libris, ad humanum genus non solum naturæ similitudine sociandum, verum etiam quadam cognationis necessitudine in unitatem concordem pacis vinculo colligandum, ex homine uno Deum voluisse homines instituere, neque hoc genus fuisse in singulis quibusque moriturum, nisi duo primi, quorum creatus est unus ex nullo, altera ex illo, id inobedientia meruissent, a quibus admissum est tam grande peccatum, ut in deterius eo natura mutaretur humana, etiam in posteros obligatione peccati et mortis necessitate transmissa.

Idem, *Enchirid. ad Laurent*, c. 26, ut paulo ante testimonio 5.

Idem, lib. XV *De civ. Dei*, cap. 1. — Unusquisque quoniam ex damnata propagine exoritur, primo sit necesse est ex Adam malus atque carnalis, quod si in Christo renascendo profecerit, postea erit bonus et spiritalis.

Idem, *De prædestinatione et gratia*, cap. 3. — Vitiatæ radicis macula ita propaginis traduce per generationum sarmenta diffusa est, ut nec infans quidem ullus dici a culpa sit primæ prævaricationis alienus, nisi per indebitam Salvatoris gratiam fuerit liberatus. Quod si nec hic quidem sine peccato est, qui proprium adhuc habere non potuit, conficitur, ut illud traxerit alienum de quo Apotolus dicit : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* (*Rom.* V, 12.) Quod qui negat, negat profecto primum nos esse mortales. Si enim, ut dicit Apostolus, per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; mors intrare non potuit, nisi intrante peccato. Et quoniam mors non naturæ conditio, sed pœna peccati est, sequatur necesse est pœna peccatum. Quia vero in omnes homines mors pertansiit, in omnes necesse est pertransisse peccatum. Peccatum quo modo cum parvulis originale nascatur, carnis oculis videre non possumus. Quia vero omnes ex Adam carnaliter natos, et si illi jam etiam in Christo renati sunt, videmus mortis lege constringi, per hoc, quod videmus, illud, quod non vide-

Digitized by Google

mus, cogimur confiteri. Facilius enim fieri posset, ut quamvis transeunte peccato pœna minime sequeretur, quam ut nulla communicatione peccati partem sumat pœnæ, qui non habet culpæ. Si ergo, ut apparuit, de prævaricatoris semine omnes nascimur, debitores (quoniam in ipso omnes, ut ait Apostolus, peccaverunt) et ipsa jam in principio unde descendimus, massa damnata est, nullus de duritia sua, nullus de pœna sua conqueri audeat, quæ etiam non existentibus peccatis propriis, sola nascendi conditione debetur.

S. Aug., lib. VI *contra Julianum Pelagianum*, cap. 12. — Ego per unum hominem in mundum intrasse peccatum, et per peccatum mortem, et ita in omnes homines pertransisse, in quo peccaverunt omnes, ab initio conversionis meæ sic tenui semper, ut teneo. Exstant libri, quos adhuc laicus recentissima mea conversione conscripsi, et si nondum sicut postea litteris eruditus, tamen nihil de hac re jam tunc sentiens, et ubi disputandi ratio poposcerat dicens, nisi quod antiquitus discit et docet omnis Ecclesia, in has videlicet magnas manifestasque miserias, in quibus homo vanitati similis factus est, ut dies ejus sicut umbra prætereant, et sit universa vanitas omnis homo vivens, merito peccati originalis genus humanum fuisse collapsum, unde non liberat nisi, qui dixit : *Veritas liberabit vos* (*Joan.* VIII, 32); et : *Ego sum veritas* (*Joan.* I, 6), et : *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* (*Joan.* VIII, 36.)

Idem, *ibid.*, c. 20. — His verbis meis ex libro meo abs te positis, ita resistendum putasti, ut diceres hanc formam etiam in homine malo debuisse servari, quæ servatur in diabolo, ne quisquam damnetur nisi ex vitiis propriæ voluntatis, atque ideo nullum sit originale peccatum, alioquin opus ejus, ut dicis, qui etiam diabolum bonum condidit, non potest approbari. Nec attendis, quod diabolum non ex alio diabolo creavit Deus, nec ex aliquo angelo licet bono, cujus tamen lex esset in membris repugnans legi mentis, per quam et cum qua de homine nascitur omnis homo. Adjuvaret itaque te fortasse hoc argumentum, si ut homo ita diabolus gigneret filios, ecsque paterno peccato negaremus obnoxios. Nunc vero aliud est ille, qui homicida erat ab initio, quia hominem ab initio, quo est homo institutus, occidit per feminæ seductionem, et in veritate per liberum arbitrium non stetit, cadensque dejecit hominem, et aliud est, quod per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Ubi evidenter expressum est, exceptis cujusque hominis propriis, commune omnibus hominibus originale peccatum.

Idem, *ibid.*, cap. 24. — Commendat, inquit Apostolus, suam charitatem Deus in nobis, quoniam, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo magis justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. De hac ira dicitur : *Eramus et nos natura filii iræ, sicut et cæteri.* (*Ephes.* II, 3.) De hac ira dicit Jeremias propheta : *Maledictus dies, in quo natus sum.* (*Jer.* XX, 14.) De hac ira dicit sanctus Job : *Pereat dies ille, in quo natus sum.* (*Job* III, 3.) De hac ira item dicit idem ipse : *Homo enim natus ex muliere, brevis vitæ, et plenus iracundiæ, sicut flos feni decidit, fugit autem sicut umbra, et non stabit.* (*Job* XIV, 8.) Nonne et hujus curam fecisti, et hunc fecisti intrare in conspectu tuo in judicium? Quis enim erit mundus a sordibus? Ne unus quidem, etiam si unius diei fuerit vita ejus super terram. De hac ira dicit liber Ecclesiasticus : *Omnis caro sicut vestis veterascit* (*Eccli.* XIV, 18), testamentum enim a sæculo, morte morieris. Itemque ipse : *A muliere*, inquit, *initium est peccati, et propter illam morimur omnes.* (*Eccli.* XXV, 33.) Et alio loco : *Occupatio magna creata est omni homini, et jugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium.* (*Eccli.* XL, 1.) De hac ira dicit Ecclesiastes : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* (*Eccle.* I, 2.) Quæ abundantia hominis in omni labore suo, quo ipse laborat sub sole? De hac ira vox apostolica est : *Omnis creatura vanitati subjecta est.* (*Rom.* VIII, 20.) De hac ira plangit Psalmista : *Ecce veteres posuisti dies meos, et substantia mea tanquam nihilum ante te, verumtamen universa vanitas omnis homo vivens.* (*Psal.* XXXVIII, 6.) De hac re plangit et alias : *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt : Mane sicut herba transeat, mane floreat et prætereat, vespere decidat, durescat, et arescat : Quoniam defecimus in ira tua, et indignatione tua conturbati sumus, Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, sæculum nostrum in illuminatione vultus tui. Quoniam omnes dies nostri defecerunt, et in ira tua defecimus. Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* (*Psal.* LXXXIX, 5-9.) Nemo liberabitur ab hac ira Dei, nisi per mediatorem reconcilietur Deo. Unde dicit etiam ipse Mediator : *Qui non credit Filio, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.* (*Joan.* III, 36.) Non dixit : Veniet, sed, manet super eum.

Idem, *ibid.*, cap. 26. — Audes te (alloquitur Julianum negantem peccatum originale) agmini sanctorum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum sacerdotumque miscere, cum tibi dicant patriarchæ, etiam pro parvulis natis oblata sacrificia pro peccatis, eo quod non sit mundus a sordibus, nec infans diei unius super terram. Cum tibi dicant prophetæ : In iniquitatibus concepti sumus. Cum tibi dicant apostoli : *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius sumus* (*Rom.* VI, 3), ut existimemus nos mortuos quidem esse peccato, vivere autem Deo in Christo Jesu. Cum tibi dicant martyres, secundum Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere, unde parvulis dimittantur in baptismo, non pro-

Digitized by Google

pria, sed aliena peccata. Cum tibi dicant sacerdotes, carnali voluptate concretos prius subire delictorum contagium, quam vitæ hujus haurire munus. His te consociari præsumis, quorum fidem debellare conaris.

6. Aug., lib. II *contra Pelagium et Celestium*, qui est de peccato originali, cap. 15, loquens de Pelagio, qui in synodo Palæstinæ anathema dicere coactus erat illis, qui docent, Adæ peccatum ipsi soli obfuisse, non generi humano. — Quid (inquit beatus Augustinus) ad rem, de qua nunc agimus, pertinet, quod discipulis suis respondet : Ideo se illa objecta damnasse, quia et ipse dicit, non tantum primo homini, sed etiam humano generi primum illud obfuisse peccatum, non propagine, sed exemplo, id est non quod ex illo traxerint aliquod vitium, qui ex illo propagati sunt, sed quod eum primum peccantem imitati sunt omnes, qui postea peccaverunt. Aut quia dicit ideo infantes non in eo statu esse, in quo fuit Adam ante prævaricationem, quia isti præceptum capere nondum possunt, ille autem potuit, nondumque utuntur rationalis voluntatis arbitrio, quo ille nisi uteretur, non ei præceptum daretur? Quid hoc ad rem pertinet, quia verba sibi objecta sic exponendo, recte se putat damnasse, quod dicitur, peccatum Adæ ipsi soli obfuisse et non generi humano, et infantes qui nascuntur, in eo statu esse, in quo Adam fuit ante peccatum, et tamen his damnatis non mendaciter tenere, quod in ejus postea conscriptis opusculis invenitur, sine ullo malo, sine ullo vitio parvulos nasci, et hoc solum in eis esse, quod Deus condidit, non vulnus, quod inimicus inflixit?

Idem, *ibid.*, cap. 16. — Nunquid hæc dicendo verba propter aliud objecta, aliter exponendo id agit ut se judices non fefellisse demonstret? Prorsus non id efficit. Tanto enim judices fefellit occultius, quanto exponit ista versutius. Episcopi quippe catholici, quando audiebant hominem anathematizantem eos, qui dicunt Adæ peccatum ipsi soli obfuisse, non generi humano; nihil aliud eum sapere existimabant, quam id, quod catholica Ecclesia prædicare consuevit. Unde veraciter parvulos in peccatorum remissionem baptizat, non quæ imitando fecerunt, propter primi peccatoris exemplum, sed quæ nascendo traxerunt propter originis vitium. Et paulo inferius : Quando tibi illa damnanda objiciebantur, non ea catholici episcopi sic intelligebant; ideo cum illa damnares, catholicum te esse credebant. Propterea ergo, quod te illi sapere existimabant, absolvendum fuit, quod vero tu sapiebas, damnandum fuit; non ergo tu absolutus es, qui damnanda tenuisti, sed illud absolutum est, quod tenere debuisti. Ut autem tu absolutus putareris, creditus es sentire laudanda, cum te judices non intelligerent occultare damnanda.

Idem, lib. I *De peccatorum meritis et remissione*, cap. 9. — Hoc Apostolicum testimonium in quo ait : *Per unum hominem intravit peccatum in mundum, et per peccatum mors* (*Rom.* v, 12), conari eos (Pelagianos intelligit) quidem in aliam novam detorquere opinionem, tuis litteris intimasti, sed quidnam illud sit, quod in his verbis opinentur tacuisti. Quantum autem ex aliis comperi, hoc ibi sentiunt, quod et mors ista quæ illic commemorata est non sit corporis quam nolunt, Adam peccando meruisse, sed animæ quæ in ipso peccato sit et ipsum peccatum non propagatione in alios homines ex primo homine, sed imitatione transisse. Hinc enim etiam in parvulis nolunt credere per baptismum solvi originale peccatum, quod in nascentibus nullum esse omnino contendunt. Sed si Apostolus peccatum illud commemorare voluisset, quod in hunc mundum non propagatione sed imitatione intraverit, ejus principem non Adam sed diabolum diceret de quo scriptum est : *Ab initio diabolus peccat.* (*I Joan.* III, 8.) De quo etiam legitur in libro Sapientiæ : *Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum.* (*Sap.* II, 24.) Nam quoniam ista mors sic a diabolo venit in homines non quod ab illo fuerint propagati, sed quod eum fuerint imitati continuo subjunxit : Imitantur autem eum, qui sunt ex parte ejus. Proinde Apostolus cum illud peccatum ac mortem commemoraret, quæ ab uno in omnes propagatione transisset, eum principem posuit a quo propagatio generis humani sumpsit exordium. Imitantur quidem Adam quotquot per inobedientiam transgrediuntur mandatum Dei, sed aliud est, quod exemplum est voluntate peccantibus, aliud quod origo est cum peccato nascentibus.

Idem, *ibid.*, cap. 10. — Deinde quod sequitur : *In quo omnes peccaverunt* (*Rom* v, 12) quam circumspecte, quam proprie, quam sine ambiguitate dictum est. Si enim peccatum intellexeris quod per unum hominem intravit in mundum, in quo omnes peccaverunt, certe manifestum est alia esse propria cuique peccata in quibus hi tantum peccant, quorum peccata sunt; aliud hoc unum in quo omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt. Si autem non peccatum, sed ille unus homo intelligitur, in quo uno homine omnes peccaverunt : quid etiam ista est manifestatione manifestius?

Idem, *ibid.*, c. 11. — Ergo et in eis, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, id est qui nondum sua et propria voluntate sicut ille peccaverunt, sed ab illo peccatum originale traxerunt, qui est forma futuri, quia in illo constituta est forma condemnationis futuris posteris, qui ejus propagine crearentur, ut ex uno omnes in condemnationem nascerentur, ex qua non liberat nisi gratia Salvatoris.

Idem, *ibid.*, c. 12. — Verum illud diligentius intuere, quod ait, ob unius delictum multos mortuos. Cur enim ob unius illius, et non potius ob delicta sua propria, si hoc loco intelligenda est imitatio, non propagatio? Sed attende, quod sequitur : Et non sicut per unum peccantem, ita est et donum. (*Rom.*, 5, 12.) Nam judi-

Digitized by Google

cium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem. Nunc dicant, ubi locum habeat in his verbis illa imitatio. Ex uno, inquit, in condemnationem, quo uno, nisi delicto? Hoc enim explanat, cum adjungit: Gratia autem ex multis delictis in justificationem. Cur ergo judicium ex uno delicto in condemnationem, gratia vero ex multis delictis in justificationem. Nonne si nullum est originale peccatum non solum ad justificationem gratia, sed etiam judicium ad condemnationem ex multis delictis homines ducit? Neque enim gratia multa delicta donat, et non etiam judicium multa delicta condemnat. Aut si propterea ex uno delicto in condemnationem ducuntur, quia omnia delicta quæ condemnantur, ex unius illius imitatione commissa sunt, eadem causa est, cur ex uno delicto etiam ad justificationem duci intelligantur, quia omnia delicta, quæ justificatis remittuntur, ex illius unius imitatione commissa sunt. Sed hoc videlicet non intelligebat Apostolus, cum dicebat: Judicium quidem ex uno delicto in condemnationem, gratia vero ex multis delictis in justificationem? Immo vero nos intelligamus Apostolum, et videamus ideo dictum judicium ex uno delicto in condemnationem, quia sufficeret ad condemnationem, etiam si non esset in hominibus nisi originale peccatum.

S. Aug. l. I *De pecc. mer. et rem.*, c. 13. — Cur ob unius delictum mors regnavit per unum, nisi quia mortis vinculo tenebantur in illo uno, in quo omnes peccaverunt, etiam si propria peccata non adderent? Alioquin non solum ob unius delictum mors per unum regnavit, sed ob delicta multa multorum per unumquemque peccantem. Nam si propterea cæteri ob alterius hominis delictum mortui sunt, quia illum in delinquendo præcedentem, subsequentes imitati sunt, ille quoque et multo magis ob alterius delictum mortuus est, quem diabolus delinquendo ita præcesserat, ut ei delictum etiam ipse suaderet, Adam vero nihil suasit imitatoribus suis, et multi, qui ejus imitatores dicuntur, eum fuisse et tale aliquid commisisse, vel non audierunt, vel omnino non credunt. Quanto ergo rectius, sicut jam dixi, diabolum principem constituisset Apostolus, a quo uno peccatum et mortem per omnes transiisse diceret (*Rom.*, v, 12), si hoc loco non propagationem, sed imitationem dicere voluisset? Multo enim rationabilius Adam dicitur imitator diaboli, quem suasorem habuit peccati, si potest quisque imitari etiam illum, qui nihil ei tale suasit, vel omnino quem nescit. Quid est autem, quod abundantiam gratiæ et justitiæ accipiunt, nisi quod non tantum ei peccato, in quo omnes peccaverunt, sed eis etiam, quæ addiderunt, gratia remissionis datur, eisque hominibus tanta justitia donatur, ut cum Adam consenserit ad peccatum suadendi, non cedant isti etiam cogenti? Et quid est, multo magis in vita regnabunt, cum mortis regnum multo plures in æternam pœnam trahat, nisi intelligamus eos ipsos in utroque dici, qui transeunt ab Adam ad Christum, id est a morte ad vitam, quia in vita æterna sine fine regnabunt, magis quam in eis mors temporaliter et cum fine regnavit? Itaque sicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita et per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ. Hoc unius delictum si imitationem attendamus, non erit nisi diaboli, sed quia manifestum est, de Adam non de diabolo dici, restat intelligenda non imitatio, sed propagatio peccati. (*Vide* plura *ibid.*, cap. 15.)

Idem, lib. II *Hypognosticon contra Pelagianos*, c. 4. — Peccatum protoplasti omnes trahimus, non morum imitatione, sed seminis conceptione, sicut scriptum est: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea.* (*Psal.* L, 7.) Constant etiam et imitatione morum peccata, imitando scilicet malos, sed ut quis imitetur malos, naturæ est vitium depravatæ, qua factus est malus et malitiosus, non naturâ a Deo conditus malus. Ob hoc enim et natura filii iræ ab Apostolo jam baptizati fuisse dicimur. (*Ephes.*, II, 3.) Omnis enim carnaliter nascens, natura filius iræ recte dicitur, quia natura est protoplasti, quæ prior in illo propter delictum iram judicis Dei juste suscepit. Si enim delictum ejus, per quod, ut dixi, ad iram Dominum provocavit, non traheremus, nunquam natura filii iræ diceremur. Et ideo peccatum ejus non solum ipsum, sed omne nocuit genus humanum, cum ejus damnatione simul et culpam suscepimus. Ejus enim nos vulneratos esse delicto, vas probat electionis, cum dicit: Non enim est distinctio; omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. Dicendo, omnes, nullum excipit, quinimo totum declaravit genus humanum. Peccaverunt enim omnes, cum ex uno peccatore omnes nascimur peccatores. « Propter quod iterum idem dicit Apostolus: Nam judicium ex uno in condemnationem. Ex quo uno, nisi ex Adam, vel ejus uno peccato? In qua condemnatione, nisi in culpa ejus, qua ille est condemnatus? Quid est autem, et egent gloria Dei, nisi gratia Dei Patris, per Jesum Christum, qui est in gloria Dei Patris?

Idem, epist. 89, *ad Hilarium*, quæst. 3. — Quapropter si non audent resistere Apostolo, (loquitur de Pelagianis) exponant nobis, quare judicium ex uno delicto ducat in condemnationem, cum ex multis delictis homines damnandi veniant ad judicium? Aut si propterea ita dictum putant, quia initium peccati ex Adam factum est, quod imitati cæteri sunt, ut sic ex uno illo delicto in judicium condemnationemque traherentur, qui eum imitando multa peccarunt, cur non etiam de gratia et justificatione sic dictum est? Cur non dixit similiter: Et gratia ex uno delicto in justificationem? Sicut enim hominum multa delicta inter illud unum, quod imitati sunt, et judicium, quo puniuntur, media reperiuntur; ab uno quippe ad multa venerunt, ut a multis ad judicium damnationemque ducerentur, sic

Digitized by Google

eadem multa delicta inter hoc ipsum unum, cujus imitatione commissa sunt, et gratiam, qua dimittuntur, eodem modo media sunt, quoniam ex illo uno ad multa venerunt, ut ex multis ad gratiam justificandi venerint. Cum ergo in utroque, il est et judicio et gratia, quod attinet ad unum et multa delicta, una eademque ratio sit, dicant isti nobis, quare judicium dixerit ex uno delicto ducere in condemnationem, gratiam vero ex multis delictis in justificationem; aut acquiescant ideo sic esse dictum, quia in hac causa duo constituuntur homines: Adam, ex quo consistit generatio carnalis, et Christus, ex quo regeneratio spiritalis. Sed quia tantum ille homo, iste autem et Deus et homo, non quomodo illa generatio uno delicto obligat, quod est ex Adam, ita ista regeneratio unum delictum solum solvit, quod est ex Adam. Sed illi quidem generationi sufficit ad condemnationem unius delicti connexio; quidquid enim postea homines ex malis suis operibus addunt, non pertinet ad illam generationem, sed ad humanam conversationem; huic autem regenerationi non sufficit illud delictum tantummodo solvere, quod ex Adam trahitur, sed quidquid etiam postea ex iniquis operibus humanæ conversationis accedit. Ideo judicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem.

S. Aug., lib. VI *contra Julianum*, cap. 24.— De illis quoque apostolicis verbis, in quibus impudentia mirabili, imo dementia resistitis fundatissimæ fidei, ubi ait: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* V, 12); frustra sensum alium novum atque distortum, et a vero abhorrentem moliris exculpere, affirmans ea locutione dictum esse: *In quo omnes peccaverunt*, ac si diceretur: Propter quod omnes peccaverunt sicut dictum est: *In quo corrigit junior viam suam* (*Psal.* CXVIII, 9), ut scilicet, non in uno homine omnes homines peccasse intelligantur originaliter, et tanquam in massæ unione communiter, sed propterea, quia primus hominum ille peccavit, id est cum imitantur illum, non cum generantur ex illo. Non ergo huic sensui convenit illa locutio, ita dictum esse: In quo, velut dictum esset, propter quod. Nam propter hoc quisque peccat, quod sibi proponit, ut pecces, vel quoquo modo, quod illi est causa peccandi. Quis vero ab omni humano sensu tam sit absurdus, ut dicat: Propter hoc fecit homo iste homicidium, quia in paradiso Adam de ligno prohibito cibum sumpsit; cum iste latrocinando occiderit hominem nihil de Adam cogitans, sed propter hoc, ut aurum, quod ferebat, auferret? Sic et cætera cuncta peccata, quæ propria quisque committit, habent causas propter quas fiant, etiam si nemo cogitet, quod ille primus homo commisit, neque illud sibi ad peccandum proponat exemplum. Propter hoc itaque, id est quoniam peccavit Adam, nec ipse Cain peccasse dicendus est, qui eumdem patrem suum noverat. Propter quid enim fratrem suum occiderit, notum est: quia non propter hoc, quod perpetravit Adam, sed quia bono ejus invidit. (*Gen.* IV, 5-8.)

Idem, serm. 14, *de verbis Apostoli*, cap. 14.— «Cum cœperint urgeri (Pelagiani) verbis Apostoli dicentis: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*, quæ verba nescio, quis non intelligat; in quibus verbis nescio, utrum quisquam expositorem requirat, conantur respondere et dicere: Ideo dictum est hoc ab Apostolo, quia primus peccavit Adam, et qui postea peccaverunt, illum imitando peccaverunt. Hoc quid est aliud, quam conari tenebras aperto lumini offundere? Peccatum per unum hominem intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Propter imitationem dicis, quia primus peccavit Adam.» Pergit cap. 15. «Respondeo prorsus, non primus peccavit Adam. Si primum peccatorem requiris, diabolum vide. Sed humani generis massam volens ostendere Apostolus de origine venenatam, ideo eum posuit, unde nati sumus, non eum, quem imitati sumus. Dicitur quidem et pater tuus, quem fueris imitatus. *Fili mei*, inquit, *quos iterum parturio*. (*Gal.* IV, 19.) Qui identidem dicit: *Imitatores mei estote*. (*I Cor.*, IV, 15.) Et propter istam imitationem dicitur impiis: *Vos a patre diabolo estis*. (*Joan.* VIII, 44.) Nam constat in catholica fide, quod diabolus nec generavit nostram naturam, nec condidit, sola in illo seductio est præcedentis, imitatio consequentis. Denique quo modo dictum est de Adam, In quo omnes peccaverunt, legatur mihi alicubi, Omnes in diabolo peccaverunt. Aliud est illo præcedente et seducente peccare, aliud in illo peccare. Quia secundum propaginem carnis in illo eramus omnes, antequam nati essemus, tanquam in parente, tanquam in radice ubi eramus, sic venenata est ista arbor, ibi eramus. Nam quia ad diabolum, hoc est principem peccati, et vere primum peccatorem non pertinet origo, sed imitatio, cum de illo Scriptura loqueretur: *Invidia*, inquit, diaboli, *mors intravit in orbem terrarum*. (*Sap.* VIII, 24.) Imitantur autem eum, qui sunt ex parte ipsius. Imitando eum fiunt ex parte ipsius. Nunquid dictum est, In illo peccaverunt? Cum vero de Adam diceretur propter originem, propter posteritatem, propter propaginem viscerum: *In quo omnes*, inquit, *peccaverunt*. (*Rom.* V, 12.) Nam si propterea primus constitutus est Adam, quia primus peccavit, tanquam in exemplo sit, non in origine, ut quid tam in longinquo, post tam prolixa tempora contra Adam quæritur Christus? Si omnes peccatores ad Adam propterea pertinent, quia primus peccator, omnes justi debuerunt ad Abel pertinere, quia primus justus. Quare Christus quæritur? Expergiscere, frater, quare Christus quæritur, nisi quia in Adam damnata est generatio,

Digitized by Google

in Christo quæritur regeneratio?» Et cap. 16 : «Proinde nemo nos fallat : Scriptura evidens est, auctoritas fundatissima est, fides catholicissima est. Omnis generatus damnatus; nemo liberatus, nisi regeneratus.»

S. Aug., lib. III *De peccatorum meritis et remissione*, cap. 8. — Nulla, (inquiunt Pelagiani) ratione conceditur, ut Deus, qui propria peccata remittit, imputet aliena. Remittit, sed spiritu regeneratis, non carne generatis. Imputat vero non jam aliena, sed propria. Aliena quippe erant, quando hi, qui ea propagata portarent, nondum erant; nunc vero carnali generatione jam eorum sunt, quibus nondum spiritali regeneratione dimissa sunt.

Idem, lib. VI *contra Julianum*, cap. 10. — Quod dicis, alienis peccatis alterum obnoxium non teneri, interest, quatenus recte possit intelligi. Nec nunc ago, quod peccavit David (II *Reg.* XXIV, 10, 15), et pro peccato ejus tot hominum millia ceciderunt (*Jos.* VII, 1), et quod de anathemate contra interdictum, quia usurpavit unus, in eos, qui hoc non fecerant, nec factum fuisse noverant, vindicta processit. Alia disputatio est, neque nunc tenere nos debet, de hoc genere peccatorum sive pœnarum. Parentum autem peccata modo quodam dicuntur aliena; et rursus modo quodam reperiuntur et nostra. Aliena quippe proprietate sunt actionis; nostra sunt autem contagione propaginis. Quod si falsum esset, profecto grave jugum super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, nullo modo justum esset. Quod autem Apostolum dixisse commemoras : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut reportet unusquisque propria corporis sui prout gessit sive bonum sive malum* (*II Cor.* V, 10), quo modo in parvulis accipis? Utrum et ipsi ante tribunal Christi manifestabuntur, an non? Si non manifestabuntur, quid te adjuvat ista sententia, quando ad eos non pertinet, quorum nunc agitur causa? Si autem manifestabuntur, quo modo reportat eorum quisque, quod gessit, qui nihil gessit; nisi quia pertinet ad eos, quod per corda et ora gestantium, sive credunt, sive non credunt? Propria corporis sui enim dixit, quod ad unumquemque in se ipso jam viventem pertinet.

Idem, *De natura et gratia contra Pelagianos*, cap. 36. — Excepta sancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem : inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum; hac ergo virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus et interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? utrum hoc, quod iste dicit, an quod Joannes apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne una voce clamassent : *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est?* (*I Joan.*, I, 8.)

S. Fulgentius, epist. 17, *de incarnatione et gratia Christi*, cap. 13. — Venumdatus sub peccato (loquitur de primo hominum parente) cunctam in se prolem de carnis concubitu nasciturum, nexibus mortiferæ servitutis obstrinxit. Quod beatus Paulus evidenter his verbis insinuat : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransit, in quo omnes peccaverunt.* (*Rom.* V, 12.) Hoc in illo, qui primus fictus est, patre orbis terrarum universi pertulimus, in quo omnes peccaverunt, antequam nati essent, qui per seipsos peccare non potuerunt. Hinc factum est, ut jam filios iræ propagaret massa damnata, quæ in illius hominis posteros et iniquitatem simul transfudit et mortem, ut omnis, qui per legem peccati (quam certum est mortalibus usque ad mortem inesse corporibus) de peccatoris semine nasciturus, in ipso conceptionis exordio excepisset peccati parentalis maculam, exinde sub jugo gravi, quod est super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium, ducturus esset ærumnosam infeliciter vitam, brevitati scilicet, peccato mortique subjectam. Scriptum est enim : *Homo natus de muliere, brevis vitæ et plenus iræ.* (*Job*, XIV, 1.) Quæ ad secundam quoque mortem natum mortaliter traheret, si quem alienum a gratia Dei redemptoris vitæ hujus miserabilis obitus inveniret. Ut ergo peccati originalis vinculo, quo per hominem primum tenebamur obstricti, miserantis Dei gratia solveremur, unus exstitit mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. Nam quia Deus immortalis et justus est, nos autem iniquos et mortales primi hominis transgressio fecerat, ut congrua nostris adhiberetur medela vulneribus, natus est de homine homo unigenitus Deus, qui de Patre natus est immortalis et justus.

Idem, *ibid.*, cap. 14. — Hi, qui mortem solam et non etiam peccatum ex homine primo transiisse in genus humanum nituntur asserere, mirum si non intelligunt, quibus sententiæ suæ laqueis obligentur. Primo, quia Deum dicunt injustum, in eo quod mori facit parvulos, quos nulla volunt isti originalis peccati contagione pollutos, quosque manifeste constat infantili ætate aliquid actualis peccati, propria non posse voluntate contrahere, cum mortem stipendium Apostolus esse peccati difiniat, et rursum, aculeum mortis dicat esse peccatum, quo utique pungente mors illigata est homini. Sic enim peccatum aculeus mortis dicitur, non quia peccatum per mortem, sed quia per peccatum mors in mundum intravit, sicut virulentum poculum mortis poculum dicimus, non quod a morte poculum detur, sed quod mors poculo illi comparetur. Qua

Digitized by Google

igitur justitia parvulus subjicitur peccati stipendio, si nulla est in eo peccati pollutio? Vel quomodo videmus morte punctum, si non sensit aculeum? Et cum non sit iniquitas apud Deum, qui fecit hominem ad imaginem suam, quæ justitia est, ut imago Dei, quæ nihil potuit per se ipsam delinquere, si non redimatur sanguine Filii Dei, quæ nihil potuit per seipsam delinquere, si non redimatur sanguine Filii Dei, in regnum Dei non permittatur intrare? Et paulo post : Si ergo nolunt in ipsius Dei contumeliam mortifera impietate versari, fateantur hominem in omnes homines cum morte transmisisse peccatum.

S. Fulg., epist. 17, cap. 15.—Negantes in parvulis nascentibus originale peccatum, humanam eos carnem habere non negant, Filium autem Dei carnem humanam de virgine sine peccato accepisse concedunt : consequens igitur est, ut inter carnem nascentis ex virgine Unigeniti Dei, et cujuslibet alterius parvuli nihil distare fateantur. Unde conficitur, ut omnes parvulos, quos nasci asserunt sine peccato, dicant non egere Salvatoris auxilio, atque ita laqueum Pelagiani erroris incurrunt, dum fidei catholicæ infideliter contradicunt. Si enim sine peccato infantes asserunt, quid restat, nisi ut dicant nihil esse in eis, quod debeat spirituali regeneratione mundari? Et si removent peccati originalis maculam a nascentibus parvulis, quid aliud nituntur, nisi divinæ veritati succensere mendacium, quando eos in remissionem peccatorum, vident, baptismatis accipere sacramentum? Quod ideo uniformiter infantibus, majoribusque confertur, ut omnibus originalis inesse peccati macula cognoscatur. Quisquis igitur salutem veram sempiternamque desiderat adipisci, sensum hæreticæ pravitatis abjiciens, quos cum pœna peccati natos videt, cum peccato quoque natos non dubitet, audiatque beatum Job dicentem : *Quia non est mundus a sorde, nec infans, cujus unius diei vita est super terram.* (*Job*, xv, 14.) Beati quoque David luctus pii cordis humilitate consideret, dicentis : *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea* (*Psal.* l, 7). Sancto quoque Abrahæ videat circumcisionis sacramentum non sine tremenda parvuli comminatione mandatum. Ibi quippe Deus fidelis et justus, qui non infert iram, ubi culpam non invenit, patri nostro Abrahæ sic loquitur : *Masculus, qui non fuerit circumcisus carnem præputii sui octavo die, exterminabitur anima illa de populo suo, quia testamentum meum transgressus est.* (*Gen.* xvii, 14.) Quisquis itaque negat in parvulis secundum carnem nascentibus originale peccatum, dicat, in quo potuit infans octo dierum testamentum Dei transgredi, si non in illo transgressus est, in quo omnes peccaverunt, cum et antequam nascerentur, asserat Apostolus (*Rom.* ix, 11) infantes nihil egisse boni vel mali, et videamus jam natos non solum intra octavum diem nativitatis suæ, quo tunc tempore circumcidi jubebantur infantes, sed etiam post ipsum diem toto infantiæ suæ tempore in tantum non posse testamentum Dei transgredi, ut eis nec ejusdem testamenti cognitio valeat intimari. An illo quisquam beati Pauli sermone in parvulis evacuare nititur originale peccatum, quo dicit regnasse mortem ab Adam usque ad Moysen etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ? (*Rom.* v, 14.) Cui si fuerit illud e contrario replicatum, quod idem Apostolus ait : Per unius delictum in omnes in condemnationem, quod paulo post exponens ait : *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* (*ibid.*) Et cum de Judæis atque Græcis loqueretur, generaliter intulit : *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*Rom.* iii, 14), nonne illico in magnas trudetur angustias, si non utrumque sensum secundum professionem catholicæ credulitatis acceperit, ut scilicet infantes propriis quidem operibus nihil deliquisse dicat, in illo autem primo homine omnes homines generaliter peccasse cognoscat?

Idem, *De fide ad Petrum*, cap. 25. — Firmissime tene, et nullatenus dubites, primos homines, id est Adam et mulierem ejus, bonos et rectos, et sine peccato creatos esse cum libero arbitrio, quo possent, si vellent, humili et bona voluntate servire atque obedire, quo arbitrio etiam possent, si vellent, propria voluntate peccare, eosque non necessitate, sed propria voluntate peccasse, illoque peccato sic in deterius mutatam humanam naturam, ut non solum in ipsis primis hominibus per peccatum mors obtineret regnum, sed etiam in omnes homines transiret peccati mortisque dominium.

Idem, *ibid.*, cap. 26. — Firmissime tene, et nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri et mulieris concipitur, cum peccato originali nasci, impietati subditum, mortique subjectum, et ob hoc natura iræ filium nasci. De qua dicit Apostolus : *Eramus enim et nos natura filii iræ sicut et cæteri.* (*Ephes.* ii, 3.)

S. Prosper, lib. I *De vocatione gentium*, cap. 7. — Omnes homines in primo homine sine vitio conditi sumus, et omnes naturæ nostræ incolumitatem, ejusdem hominis prævaricatione perdidimus. Inde tracta mortalitas, inde multiplex corporis animique corruptio, inde ignorantia et difficultas, curæ inutiles, illicitæ cupiditates, sacrilegi errores, timor vanus, amor noxius, injusta gaudia, pœnitenda consilia, et non minor miseriarum multitudo quam criminum. His ergo atque aliis malis in naturam humanam irruentibus, fide perdita, spe relicta, intelligentia obcæcata, voluntate captiva, nemo in se, unde repararetur, invenit.

Idem, *in Respons. ad capitula objectionum Gallorum*, cap. 8.— Cum ducentis quatuordecim sacerdotibus, quorum constitutionem contra inimicos gratiæ Dei totus mun-

Digitized by Google

dus amplexus est, veraci professione quemadmodum ipsorum habet sermo, dicamus, gratiam Dei per Jesum Christum Dominum, non solum ad cognoscendam, verum etiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvare, ita, ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus. Neque hæc dona ita ex Deo esse opinemur, ut, quia ipse naturæ nostræ auctor est, per conditionem jam hæc contulisse videatur. Quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem, sed omnes eam in illo amisimus, in quo omnes peccavimus. Unde alia creatione, alioque principio renovari egemus in Christo, in quo sumus nova creatura, novumque figmentum, et per quem nobis, nullis bonis, et multis malis meritis præcedentibus, donatur, ut simus ex vasis iræ, vasa misericordiæ.

S. Prosper, *Contra Collatorem*, cap. 19.— Fuit Adam, et in illo fuimus omnes. Periit Adam, et in illo perierunt omnes. Quod ita non falso dixit beatus Ambrosius, sicut non falso ipsa Veritas ait: *Venit Filius hominis quærere et salvare quod perierat.* (*Luc.* XIX, 10.) Naturæ enim humanæ, in illa universalis prævaricationis ruina, nec substantia erepta est nec voluntas, sed lumen decusque virtutum, quibus fraude invidentis exuta est. Perditis autem, per quæ ad æternam atque inamissibilem corporis animæque incorruptionem poterat pervenire, quid ei remansit, nisi quod ad temporalem pertinet vitam, quæ tota est damnationis et pœnæ? Propter quod, natos in Adam renasci oportet in Christo, ne in illa quis inveniatur generatione, quæ perit. Nam si posteri Adæ in illis virtutibus naturaliter agerent in quibus Adam fuit ante peccatum, non essent natura filii iræ, non essent tenebræ, nec sub potestate tenebrarum, Salvatoris denique gratia non egerent, quia non frustra boni essent, nec justitiæ præmio fraudarentur, habentes ea bona, quorum amissione primi patres de paradiso exsulare meruerunt. Nunc autem, cum sine sacramento regenerationis æternam mortem nemo possit evadere, nonne ex ipsius remedii singularitate apertissime patet, in quam profundum malum totius humani generis natura demersa sit, illius prævaricatione, in quo omnes peccaverunt, et quidquid ille perdidit, perdiderunt? Perdidit autem primitus fidem, perdidit continentiam, perdidit charitatem, spoliatus est sapientia, et intellectu, caruit consilio et fortitudine, et impie altiora sectando, a veritatis scientia, et obedientiæ pietate dejectus est, nec ipso saltem timore sibi reliquo, ut ab interdictis vel metu caveret pœnæ, qui abstinebat amore justitiæ. Liberum ergo arbitrium, id est rei sibi placitæ spontaneus appetitus, ubi usum bonorum, quæ acceperat, fastidivit, et vilescentibus sibi felicitatis suæ præsidiis, insanam cupiditatem, ad experientiam prævaricationis intendit, bibit omnium vitiorum venenum, et tantam naturam hominis intemperantiæ suæ ebrietate prodefecit.

Idem, *ad excerpta Genuensium*, in responsione ad tria prima dubia. — Hoc qui asserit, fatetur, credo, nobiscum, quod in primo Adam omnium hominum natura vitiata sit, nec negat eam in illo lapsu, suas amisisse virtutes, quas, nisi per gratiam recipiat, habere non possit. Quid est autem, quod eidem naturæ solam fidem non vult esset præreptam, quam nisi primam amisisset, cæteris bonis omnibus non careret? Credendo enim Adam diabolo, non credidit Deo, et cum spiritu superbiæ inebriatus esset, discessit a Domino cor ejus, et factus est servus apostatæ, dum liber vult esse justitiæ. Cum itaque non haberemus continentiam, nisi Deus daret, nec haberemus dilectionem sanctam nisi charitas Dei diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, cum postremo nemo haberet sapientiam et intellectum, consilium et fortitudinem, scientiam et pietatem ac timorem Domini, nisi has virtutes Spiritus sanctus daret, quomodo fides in Adam perdita, in quoquam filiorum ejus inveniretur, nisi eam idem spiritus qui omnia in omnibus operatur, infunderet? Unde si quod Adam perdidit, posteritas non amisit, ipsum solum læsit peccatum ejus, et non genus humanum. Sed omnes in uno peccaverunt, et prævaricationis merito, tota ejus propago damnata est. Omnes igitur, quod Adam perdidit, perdiderunt. Perdidit autem primitus fidem, quam omnes, quia primam potuimus amittere, primam habemus accipere.

Idem, lib. II *De vita contemplativa*, cap. 20. — Sicut quando in Adam fuimus omnes, ipso cadente occidimus, ita quia in Christo jam esse cœpimus qui pro nobis omnibus dignatus est mori, et nos peccatis nostris illi commortui, cum illo spiritualiter resurgamus. In illo omnia bona, quæ potuimus habere perdidimus; in hoc etiam majora, et sine fine habenda recepturi sumus, si perseveranter ejus vestigia teneamus. Adam nos sub noxa habuit [*al.* subnoxavit] malis omnibus per propriam culpam, a quibus nos liberavit adventus Christi per gratiam. Ille in nos culpam suam transmisit, et pœnam, hic qui culpam nostram suscipere, utpote conceptus et natus sine peccato, non potuit, de susceptione pœnæ nostræ culpam nostram simul abolevit, et pœnam, ut et totum dicam, Adam nobis eripuit paradisum, Christus donavit cœlum.

Idem, *Contra Collatorem*, cap. 20. — Quid peccato læsum est, si id læsum non est, unde peccatum est? (intelligit liberum arbitrium.) Nisi forte dicatur in Adæ posteros pœnam transisse, non culpam, quod omni modo falso dicitur, et ob hoc forte non dicitur. Nimis enim impium est, hoc de Dei sentire justitia, quod a prævaricatione liberos, cum reis voluerit esse damnatos. Patet ergo culpa, ubi non latet pœna, et societas peccati convincitur de communione supplicii, ut, quod est humanæ miseriæ, non de institutione Creatoris, sed de retributione sit judicis.

Digitized by Google

S. Prosper, *De ingratis contra Pelagianos*, cap. 40, et 27.

Nemo, etenim nemo, est, qui non cum vulnere primi
Sit patris genitus : quo vulnere mens prius intus
Percussa est, quam membra foris : cum mente re-
[ceptum est
Quod regione poli disjecta superbia suasit.
In violata Dei quondam et sublimis imago
In primo cuncti fuimus patre, dum nemore almo
Degit, et edicto parens cavet arbore ab una.
At postquam rupta mandati lege superbum
Consilium mixtum invidiæ de fonte recepit,
Corruit, et cuncti simul in genitore cadente
Corruimus; transcurrit enim virosa per omnes
Peccati ebrietas, corrupti et cordis in alvo
Persistit, cruda fervet carbunculus esca.

Petrus Diaconus et reliqui in causa fidei a Græcis ex Oriente Romam missi in libro *De incarnatione et gratia Christi ad Fulgentium et alios episcopos Africæ*, cap. 6 (habetur inter opera Fulgentii) : Adam serpentis astutia depravatus, sponte divinæ legis prævaricator effectus est, et ideo secundum quod ei prædictum fuerat justo judicio Dei, mortis pœna damnatur, totusque, id est secundum corpus et secundum animam, in deterius commutatus, amissa libertate propria, sub peccati servitio mancipatur. Ex hoc nullus est hominum, qui non hujus peccati vinculo nascatur astrictus, præter eum, qui ad hoc vinculum peccati solvendum novo generationis modo natus est, Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. Quid enim aliud potuit aut potest nasci ex servo, nisi servus? neque enim, cum esset liber Adam, filios procreavit, sed postquam servus peccati factus est. Ideo sicut omnis ab illo est, ita et omnis homo servus peccati per ipsum est. Hinc et Apostolus : Ex uno, inquit, in omnes homines in condemnationem, et rursus : *Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransit, in quo omnes peccaverunt.* (*Rom.* v, 12.) Falluntur ergo omnimodo, qui dicunt mortem solam, non et peccatum transisse in genus humanum. Cum Apostolus et peccatum et mortem mundo per eum testetur illatum

Sixtus IV, lib III *Extravagantium communium*, tit. *de reliquiis et veneratione sanctorum*, cap. 1. — Cum præexcelsa meritorum insignia, quibus Regina cœlorum virgo Dei genitrix gloriosa sedibus prælata ætheréis, sideribus quasi stella matutina prærutilans, devotæ considerationis indagine perscrutamur, et intra pectoris arcana revolvimus, quod ipsa (utpote via misericordiæ, mater gratiæ et pietatis, amica humani generis, consolatrix) pro salute fidelium, qui delictorum onere gravantur, sedula oratrix et pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit : dignum (quin potius debitum) reputamus universos Christi fideles, ut omnipotenti Deo (cujus providentia ejusdem Virginis humilitatem, ab æterno respiciens pro reconcilianda suo auctori humana natura, lapsu primi hominis æternæ morti obnoxia, eam sui Unigeniti habitaculum sancti Spiritus præparatione constituit, ex qua carnem nostræ mortalitatis pro redemptione populi sui assumeret, et immaculata virgo nihilominus post partum remaneret) de ipsius immaculatæ Virginis mira conceptione gratias et laudes referant, et instituta propterea in Dei Ecclesia missas et alia divina officia dicant, et illis intersint, indulgentiis et peccatorum remissionibus invitare, ut exinde fiant ejusdem virginis meritis et intercessione divinæ gratiæ aptiores.

Idem, eodem loco, cap. 2. — Sane cum sancta Romana Ecclesia de intemeratæ semperque virginis Mariæ conceptione publice festum solemniter celebret, et speciale ac proprium super hoc officium ordinaverit, nonnulli (ut accepimus) diversorum ordinum prædicatores in suis sermonibus ad populum publice per diversas civitates et terras affirmare hactenus non erubuerunt et quotidie prædicare non cessant, omnes illos, qui tenent aut asserunt eamdem gloriosam et immaculatam Dei Genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos, ejusdem immaculatæ conceptionis officium celebrantes, audientesque sermones illorum, qui eam sine hujusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare graviter. Sed et præfatis prædicationibus non contenti, confectos super his suis assertionibus libros in publicum ediderunt, ex quorum assertionibus et prædicationibus non levia scandala in mentibus fidelium exorta sunt, et majora merito exoriri formidantur in dies. Nos igitur hujusmodi temerariis ausibus ac perversis assertionibus ac scandalis, quæ exinde in Dei Ecclesia exoriri possunt (quantum nobis ex alto conceditur) obviare volentes, motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione et certa scientia hujusmodi assertiones prædicatorum eorumdem, et aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eos, qui crederent aut tenerent eamdem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in sua conceptione præservatam fuisse, propterea alicujus hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut hujusmodi officium conceptionis celebrantes, seu hujusmodi sermones audientes, alicujus peccati reatum incurrere, utpote falsas et erroneas, et a veritate penitus alienas, editosque desuper libros prædictos id continentes, quoad hoc auctoritate apostolica tenore præsentium reprobamus et damnamus; ac motu, scientia et auctoritate prædictis statuimus et ordinamus, quod prædicatores verbi Dei, et quicunque alii cujuscunque status, gradus, aut ordinis, ac conditionis fuerint, qui de cætero ausu temerario, præsumpserint in eorum sermonibus ad populum, seu alias quomodolibet affirmare hujusmodi sic per nos improbatas et damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, postquam de præsentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, a qua ab alio quam a

Digitized by Google

Romano Pontifice (nisi in mortis articulo) nequeant absolutionis beneficium obtinere. Item motu, scientia et auctoritate similibus simili pœnæ ac censuræ subjicientes eos, qui ausi fuerint asserere contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen vel peccatum incurrere mortales cum nondum sit a Romana Ecclesia et apostolica sede decisum. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque, quibus communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam ac expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Vid. HOMINIS STATUS PRIMUS ET LAPSUS, JUSTITIFICATIO, GRATIA. ARBITRIUM LIBERUM, etc.

P

PARADISUS

[Ex SS. Patribus.]

PHILO JUD., *De mundi opificio.* — Viro adhuc solitariam vitam degente, necdum formata muliere, paradisus a Deo plantatus dicitur, nostris his nequaquam similis. Nostrorum enim inanimata silva est, arboribus plena omnigenis, aliis semper virentibus ad amœnitatem perpetuam, aliis primo vere pubescentibus ac germinantibus. Rursum aliis mites fructus in usum humanum ferentibus, non modo ad necessitatem, sed et ad superfluas voluptates vitæ delicatioris: aliis dissimilem, qui necessario feris relinquitur. At Dei paradisus animatas omnes arbores habet ratione neque prædilas, quarum fructus virtutes sunt, et incorruptus intellectus atque sagacitas, quid turpe sit, quid honestum dijudicans, adhæc vita sana et incorruptibilitas, et quidquid est simile.

Hæc autem philosophia per similitudines magis quam proprie loqui videtur. Arbores enim in terra nec unquam prius natæ sunt, nec nasciturus est credibile, vitæ aut intellectus feraces. Sed, ut puto, subindicatur per paradisum quidem principalis vis animæ, quæ est plena ceu plantis, innumeris opinionibus: per arborem autem vitæ, pietas inter omnes virtutes eminentissima, per quam immortalis redditur anima; sicut per dignationem boni malique arbitra prudentia, quæ discernit res naturaliter contrarias. His ceu terminis in anima positis, Deus tanquam judex considerabat utro esset propensior; et postquam vidit eam vergere ad calliditatem; sanctitate pietateque posthabita, ex quibus immortalis vita provenit, merito ejecit pulsam e paradiso in exsilium, præcisa omni spe reditus, propter ejus erratum difficile sanatu et incurabile; quandoquidem etiam, deceptionis occasio non mediocriter fuit culpabilis, non dissimulanda hoc loco per silentium.

Fertur antiquum illum veneficum et terrigenam serpentem humana voce usum esse. Is olim conditi ante omnes viri uxorem aggressus, opprobravit et stupiditatem et numinis reverentiam nimiam, quod cunctando procrastinaret carpere fructum aspectu speciosissimum omnium, gustu vero suavissimum: adhæc utilissimum; quippe cuivis insit dignoscendi bona et mala. Ibi mulier propter mentis inconstantiam inconsiderate assentiens, gustatum pomum viro communicavit. Itaque ambo repente ex innocentia simplicitateque morum, in calliditatem mutati sunt. Id indigne ferens ille pater (merebatur enim iram facinus), pœnæ meritæ sententiam eis intulit.

S. IREN., lib. III *contra hæreses.* — Deus et ejecit eum (Adamum) de paradiso, et a ligno vitæ longe transtulit: non invidens ei lignum vitæ, quemadmodum quidam audent dicere, sed miserans ejus, ut non perseveraret semper transgressor; neque immortale esset quod esset circa eum peccatum, et malum interminabile et insanabile. Prohibuit autem ejus transgressionem, interponens mortem, et cessare faciens peccatum, finem inferens ei per carnis resolutionem quæ fiet et in terra; uti cessans aliquando homo vivere peccato, et moriens ei, inciperet vivere Deo.

S. THEOPHIL., *Ad Autolycum*, l. II, apud S. Justinum. — Produxit Deus de humo omne lignum pulchrum visu et ad vescendum suave. Initio enim ea tantummodo erant quæ die tertio producta fuerant, plantæ, semina, herbæ. Quæ vero in paradiso, ea præstanti erant pulchritudine et amœnitate; quippe cum plantarium appelletur ab ipso Deo satum. Cæteras quidem plantas mundus haud absimiles habuit. Duas autem arbores, vitæ et scientiæ, nulla alia terræ pars habuit nisi paradisus. Paradisum autem esse terram, et in terra satum docet Scriptura cum ait: *Et plantavit Deus paradisum in Eden ad Orientem, et posuit ibi hominem, et produxit adhuc Deus de terra omne lignum pulchrum visu, et bonum ad comedendum.* (*Gen.* II, 8.) His igitur verbis, *adhuc de terra*, et *ad Orientem*, docet nos clare divina Scriptura paradisum sub hoc cœlo esse sub quo Oriens et terra. Quod autem Hebraice dicitur Eden, si interpreteris, idem est ac *deliciæ*.

Append. ad calcem S. Justini, part. I.— Post excessum e corpore statim fit justorum et injustorum distinctio. Aguntur enim ab angelis in loca sibi convenientia: justo-

Digitized by Google

rum quidem animæ in paradisum, ubi consuetudo est et aspectus angelorum et archangelorum, ac ipsius etiam, per visionem, Salvatoris Christi, secundum illud dictum : *Peregrinantes a corpore et præsentes ad Dominum.* (*II Cor.* v, 8.)

ORIGEN., lib. IV *De principiis*, t. I. — Quis adeo stolidus ut putet Deum, more hominis agricolæ, plantasse hortum in Eden ad Orientem, ubi lignum vitæ posuerit quod sub oculos et sensus caderet, ut qui corporeis dentibus fructum gustasset, vitam inde reciperet, et rursus boni et mali particeps fieret, qui fructum ex hac arbore decerptum comedisset? Et cum Deus meridie in paradiso ambulare dicitur, et Adam sub arbore delitescere, neminem arbitror dubitare his figurate per apparentem historiam quæ tamen corporaliter non contigerit quædam indicari mysteria. Cain quoque recedens a conspectu Dei manifeste prudentem lectorem movet, ut requirat quid facies Dei sit, et quo sensu quis exire possit ab ea. Sed quid attinet plura dicere, cum innumera ejusmodi, scripta quidem tanquam gesta sint, non gesta vero ut littera sonat, quivis, modo non plane stipes, colligere possit?

Sed et Evangelia eadem sermonum specie plena sunt, cum in excelsum montem assumit Jesum diabolus, ut inde ipsi totius mundi regna et eorum gloriam ostendat. Quis enim, nisi plane oscitanter hæc legerit, non improbet eos qui, corporis oculo cui edito loco opus est ut inferiora et subjecta videat, conspecta esse arbitrantur Persarum, Scytharum, Indorum et Parthorum regna, et regum apud populos gloriam? Sexcenta alia his similia in Evangeliis observare licet attentius legenti : unde simulque contexta ea quæ historia quidem non recipiat, spiritalis autem teneat intellectus.

S. BASIL., *Proœm. in Reg. fus. disput.*— Considerandum est, fratres dilectissimi, et identidem cogitandum renuntiasse nos mundo, etc.

Nos quidem cœleste regnum concupiscere nos ingenue profitemur; de iis autem rebus, per quas illud assequi possumus solliciti nihil sumus. Cumque nullum pro tenendis Dei mandatis laborem velimus suscipere, vana quadam persuasione pares nos cum illis honores adepturos putamus, qui usque ad mortem ipsi peccato restiterunt.

S. EPHREM Syr., serm. 1 *de paradiso Eden.*— Equidem de paradiso multa scribere mihi jucundissimum est, etsi pauca de ipso legere licuerit, cum multa sint, quæ si quis examinare velit, operosum studium, curam longissimam deposcant; oculis igitur in ea quæ sibi subjecta erant intentis, animus ad sacratiora paradisi adyta transvolavit, in ejusque gloriam totum se mersit, non quod confiderem assequi me posse qualis ille, et quantus sit, sed quod discere vellem, quæ homini de illo scire fas esse putabam.

Paradisum oculo mentis vidi; in editissimo loco ille positus est, despicitque depressos infra sua pomaria altissimos quosque montes; quamobrem affusæ orbi nostro diluvii aquæ summis radicem ejus tantum rasere fluctibus, pedibusque ejus velut oscula libantes, aditum adoravere, subitoque recessu in circumjectos colles montesque defluxerunt. Generalis ergo illa aquarum alluvio calcaneum paradisi innocenti affluxu lambit, reliquorum vero montium capita contundit.

Attamen etsi paradisi altitudo immensa sit, nec ideo arduus et difficilis est ejus ascensus illis quibus tam præclara hæreditas obvenit, tales paradisus sua pulchritudine allicit, et gloriosa luce ex interioribus adytis promicante, indeque spirantis odoris suavitate trahit. Claræ nubes tentoria componunt iis qui illam meruere sedem, inde filii lucis in orbem nostrum delapsi, cum libuit, terras in quibus passi sunt frequenter revisunt, insultant fluctibus maris, incolas nempe paradisi reverentur freta quæ Simonem, cum esset petra, submisso dorso sustinuerunt. Fortunatum illum, cui obtigit spectare suos illorum choris admistos!

Idem, serm. 3 *de paradiso Eden.* — Sed enimvero paradisum illum, fratres, qui in summo positus est, ut modo aiebam, et in quo velut in sua sede moratur Deus, nobis profecto penitus interdictum est invadere, vel cogitatione apprehensum describere; quæ enim mens adeo perspicax fingi potest, cujus aciem ille paradisus non fugiat, aut discursum non antevertat, aut processum non prætervolet? longe enimvero remotus est locus, et a nostris sensibus sejunctus, ejusque amplitudo et opulentia nostram plane superat intelligentiam.

Nota vitæ arbor, opinor, innata luce paradisum ubique collustrans, est ejusdem sol, ejus folia in modum speculi posita ac tersa universum horti ornatum repræsentat, circum satæ arbores dum spirantibus impulsæ auris verticem curvant, illam tanquam generis sui caput et reginam adorare credas.

Arborem scientiæ Deus in medio paradisi plantavit, custodes dedit horrorem et metum, qui areolam in qua posita erat, tuerentur. Duo sibi Adamus imperata præsensit in illo unico præcepto, quo ipsi et conjugi vetitæ arboris fructus decerpere et comedere cautum fuerat; intellexit enim non modo eam arborem sibi esse magnopere verendam, sed etiam ejus aream, nec proinde sibi fas esse eo pedem inferre.

Serpens cui paradisi ingressus negabatur, nec enim animalibus, aut volucribus eo accedere permissum, ab Adamo, dum hic e paradiso egressus per tines spatiabatur, dedicit, quid rei paradisus esset, cum callidus veterator eam notitiam ab Eva vafre percontando captaret.

Cum autem exsecrandus ille subodoratus fuisset gloriam illius adyti, quod intra scientiæ arborem condebatur, divinoque velaba-

Digitized by Google

tur præcepto ea ferme religione, qua postmodum ostium Mosaici tabernaculi subducto velo vulgi aspectibus subducendum fuit, simul conjectavit, ejus fructum clavem esse justitiæ, qua eadem scelerum vindex scelestorum oculos recludere parabat, qui præceptum violare ausi fuissent, tantisper dum propriam agnoscerent stultitiam.

Protoplastorum itaque oculi simul aperti erant ut obvia quæque cernerent, simul clausi erant ne gloriam vel ignominiam viderent, ne scilicet adyti gloriam introspicerent, aut proprii corporis nuditatem : geminas hasce scientias Deus in arbore reposuit, eamdemque quasi judicem inter eas sedere fecit.

Ut autem Adamus interdictam escam invasit, in ejus oculos involavere simul ambæ, appositaque tegumenta detraxerunt. Tum vero gloriam interioris adyti perspexit, et contremuit, propriæ nuditatis ignominiam sensit, et erubuit, doluit, ingemuit. Quanquam geminæ istæ cognitiones ad pœscendam exorandamque veniam postea magnopere ipsum juverunt.

Quisquis ejus arboris poma libavit, visum inde recepit, eoque a munere mirabilem hausit voluptatem, vel visum quidem recuperavit, sed contrario plane effectu, ut haberet unde acerrime torqueretur; id nempe accidit peccatoribus qui saturantur, ut doleant. Felices illos, quibus quod habere non licuit, nec spectare contigit, contrarium diviti illi accidit, cui pœnam acuit et auxit vidisse pomorum illorum putamina, nec impetrare potuisse, et si esuriens ea vehementer appeteret!

Suam Adamo nuditatem velavit Deus, ut eam ipsi post transgressionis culpam detegeret, unde vehementer illum suæ dementiæ puderet; sed nec ei, quod dixi, adytum ostendit, ut majore gaudio post obedientiæ meritum illum remuneraretur. Ambo illa arcana texit, ut præmium conduplicaret, neve citra pugnam Adamus coronam consequeretur.

Constituitque Deus Adamum judicem inter utramque sortem, ut sibi arboris poma decerpisset, mox ei honoris gradum, unde sua ipsum superbia dejecerat, manifestaret, nec non ignominiam crimini debitam pœnam; sin autem, prostrato hoste, victor ex acie rediisset, tum eum gloria et magnificentia exornaret, ac simul edoceret, cujusmodi et qualis futura fuisset ejus ignominia, si ab officio discessisset; adeo ut corpore et animo sanus et integer ægritudinis tamen et miseriæ notitia non careret; ratione scilicet discerneret utramque, perfecta tamen valetudine et plena felicitate frueretur : sic enim quod possidebat, beneficium fuisset, nec inutile ornamentum, quod sciebat. Et vero si quis gravi morbo oppressus exactam tamen sanitatis scientiam haberet, utrinque cruciaretur, et quod morbi vim et molestiam sentiret, et quod sanitatis, cujus pretium non ignoraret, jactura torqueretur.

Si Adam invictus tentationi minime succubuisset, eum statum assecutus fuisset in quo felicitatem reipsa possideret, miseriam specularetur, et in seipso quidem quasi nobilis arbor nova in dies caperet incrementa, et ad discernendas rerum naturas mente intelligentiaque semper proficeret. Hunc serpens pervertit ordinem, exitium Adamo re ipsa intulit, solum veteris gloriæ speciem memoriamque reliquit, ut ob id quod invenerat pudore suffunderetur, et de eo quod amiserat lugeret. Mystici illius tabernaculi ostium arbor fuit, poma velum; quo autem Adamus illa decerpsit, velum reduxit, quia præceptum violavit. Continuo ex interiori adyto erupit lux, qua perculsus Adam expavit; fugamque arripuit, atque perfugium quæsiturus sub puras ficus foras procurrit.

Geminos porro sinus in arbore distinxit Deus, in superiore Sanctum sanctorum posuit, in inferiore sanctum. Adamus, quem postea rex Ozias imitatus fuit, utrumque adytum temere pertentans, repulsus est rex fœda lue, Adam ignominiosa nuditate punitus : ambo proprii corporis turpiter deformitatem speciem erubuerunt, trepidique latibula appetivere.

Profecto si paradisi arbores clarissima circumornatæ gloria singulæ suam habuere comam, uti suis seraphim alis, sic illæ suis se texere ramis, ne proprium Dominum nudatum spectarent; utrique Adami sensere pudorem, quod cernerent repente suo se decore spoliatos, suum ei ornatum abstulit serpens, propterea que pedibus mulctatus fuit.

Quod autem Deus Adamum ab aditu interioris tabernaculi prohibuit, id porro fecit, ut ille suam operam in ministerio exterioris sanctuarii tantisper probaret, atque velut ejusdem ædis institutus sacerdos incensum adoleret, ibidem præceptum videlicet observaret, jussus istud thuris habere loco; dum se compararet ad ministerium interioris tabernaculi, quod ei tunc spectare minime licebat. Mox in aspectu fugiente templo, omnes fugientem sensus Deum adoraturus.

Paradisi antigraphum Moïses exhibuit, quando duo sanctuaria in illo discrevit, alterum Sanctum sanctorum, et ad illud quidem nunquam non patebat accessus: ad istud vero semel duntaxat in anno, simili Deus dispositione interiorem paradisum clausit, aperuitque exteriorem, et utendum Adamo concessit.

S. Ephrem Syr., serm. *4 de parad. Eden.*, — Enimvero cum ignorare non posset Adamum ex sua in eum indulgentia audaciorem evasurum, ut si ei frena laxaret, atrociora etiam ausurum, et quandoquidem repagula ei ante opposita leviora fuisse exitus docuerat, Deus qui arborem ante voce duntaxat, et præcepto munierat, postea aciem gladii opposuit, objecitque cherubim propugnaculum inexpugnabile.

Protoplastus etsi propria immunditia prohiberetur, intrare tamen obstinavit in Sancta sanctorum, cui utique placere non poterat;

Digitized by Google

qui similis ei non erat. Et quoniam interdictum sibi sacrarium immundo pede temerare est ausus, ab exteriore etiam templi aditu sibi alius permisso repulsus est : ea est natura maris, objecta undecunque sibi cadavera rejectat.

Simili lege postea populo Hebræorum cautum fuit, ut si quis in castris lepra correptus fuisset, inde foras protinus abigeretur, tantisper dum, miserente Deo, purgata cute, mox hyssopo, sanguine et aqua elutum, sacerdos mundum jam esse declararet, eaque cæremonia expiatus, communi contubernio propriæque hæreditati restituebatur.

Adamus quidem paradisum mundus et integer intravit, in ea tamen munditiæ sede lepram contraxit omnium fœdissimam, proprio scelere et serpentis habitu corruptus. Sed paradisus omnis impatiens immunditiæ, inquilinum turpissime deformatum e sinu statim excussit, et longe procul a se abjecit. Hunc tamen miseranda clade fractum, projectumque conspicatus Altissimus, ille sacerdotum Princeps et Deus, majestatem suam ad ejus usque curam deduxit, detersaque hyssopo cute, paradiso illum restituit.

Nudus Adamus decorus erat, vestem conjux manu sua elaboratam ei accommodavit, vestem scilicet sordidam, et omni sorde culpa pejore fœdatam. Lapsum protoplastum vidit paradisus, et luxit casum, cui ipse causam dedisset. Vestem Maria aliam latroni quæsivit aptavitque, et addito promisso in spem fortunæ melioris erexit. Hunc item paradisus vidit, et effuso sinu complexus est, sedem ab Adami relegatione vacuam ei assignavit.

Moyses eo quod circa divini promissi effectum aliquantisper titubasset, ingressu terræ sanctæ mulctatus fuit, citra Jordanem subsistere jussus. Adamus post lapsum paradiso ejectus, diu profugus et exsul erravit, reditum prohibente Cherubim; utrumque divino consilio actum ac dispositum fuit, venit tandem illa dies quando ambo ab exsilio revocati, Moyses promissionis terram intravit, Adamus paradisum revisit.

Atqui fatendum est, neminem ea dicendi facultate pollere, ut adumbrare sufficiat vel interioris aditus excellentiam, vel exterioris apparatum describere, quando nec simplicem ornatum, qui paradisi pomarium illuminat, explicare pro dignitate cuipiam concessum sit; nemo sane exponere queat, quales paradisi indigenarum oculos objectabant lætissimi colores, quos naribus profundebant odores, aromata, flores et herbæ? Quanta gustatui manabat ex saporibus voluptas? Quæ tandem fuerit omnium ejus partium dispositio pulcherrima et venustissima species?

Quemadmodum igitur nullius tantum est flumen ingenii, tantaque dicendi copia, quæ paradisi thesauros adumbrare valeat; ita neque excellentiam, qua ipsius pomarium præstat, quisquis satis enarrare potest. Nam etsi ornamenta illa et opes, quibus pomarium hoc abundat, cum superioribus paradisi deliciis conferri nullo modo queant, si tamen cum terrestribus divitiis contentio quædam et comparatio fiat, perspicuum profecto erit, nihil adeo magnificum ac singulare in toto terrarum orbe reperiri, quod ab earumdem præstantia quam longissime non superetur.

Quæ cum ita sint, nolite, precor, audaciæ succensere meæ, qui meis viribus majorem tractare materiam mihi sumpserim. Res magna est paradisus, ut qui illum laudare contendat, ejus laudes deterere videatur, cum æquare non possit. At enim si speculum invenire non licet, quod ejus imaginem repræsentet, nec adsunt colores, quibus penicillus inimitabilem ejus imitetur formam, equidem reprehendendus non sim, qui ex hujusmodi argumento qualemcunque tandem utilitatem mihi vobisque afferre studuerim.

Paradisi nempe cogitatio mœrentem solatur, erudit parvulum, sanctum ad profectum accendit, humilis atque egentis inopiam spe sublevat. Utinam unam mihi singuli minam, minutum saltem unum conferant quicunque paradisum adepti sunt, et universi pro me orent, similemque contingat exorare sortem mihi, qui pro mea tenuitate ista de paradiso disserui.

Te, Deus optime, cui omnia patent, precor, ne meum damnes consilium, aut meum arguas in his disquirendis arcanis studium, tu, qui abditus et retrusus omnium mentium intelligentiam superas; nec enim de æterna tua generatione disputare sum ausus, quam quis enarrabit? Quoniam vero ad tantum et impenetrabile secretum attonitus hæsi et tacui, adorandum conceptum partumque admirandum veritus; paradisi me, quæso, colonum decernito, cum te super omnia diligam, et incomprehensum tuum numen laudare non cessem.

S. Cyprianus, *De mortalitate*. — Patriam nostram paradisum computamus, parentes patriarchas habere jam cœpimus, quid non properamus et currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? magnus illic nos, charorum numerus exspectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos et copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, et adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum conspectum et amplexum venire, quanta et illis et nobis in commune lætitia est? Qualis illic cœlestium regnorum voluptas sine timore moriendi, et cum æternitate vivendi? quam summa et perpetua felicitas? Illic apostolorum gloriosus chorus, illic prophetarum exsultantium numerus, illic martyrum innumerabilis populus ob certaminis et passionis victoriam coronatus; triumphantes illic virgines, quæ concupiscentiam carnis et corporis, continentiæ robore subegerunt, remunerati misericordes, qui alimentis et largitionibus pauperum justitiæ opera fecerunt, qui Dominica præcepta servantes, ad cœlestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt.

Digitized by Google

Ad hos, fratres dilectissimi, avida cupiditate properemus.

S. Augustinus. serm. 37, *De sanctis*, sive sermone primo de festo Omnium Sanctorum, quem nonnulli tribuunt Alcuino. — Dei ineffabilis et immensa bonitas etiam hoc providit, ut laborum tempus et agonis non extenderet, nec longum faceret aut æternum, sed breve, et ut ita dicam, momentaneum : ut in hac brevi et exigua vita agones essent et labores, in illa vero, quæ æterna est, coronæ et præmia meritorum sine fine durarent, ut labores quidem cito finirentur, meritorum vero præmia sine fine manerent. Et post pauca : Consideremus ergo inclytam urbis illius felicitatem, in quantum considerare possibile est. Ut enim vere est, comprehendere nullus sermo sufficiet. Dicitur de ea in quodam loco sic, quod aufugiet ibi dolor, et tristitia, et gemitus. Quid hac vita beatius, ubi non est paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas, nemo læditur, irascitur nemo, invidet nemo, cupiditas nulla exardescit, nullum cibi desiderium, nullius honoris aut potestatis pulsat ambitio, nullus ibi diaboli metus, insidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul? Ibi mors neque corporis erit neque animæ, sed immortalitatis munere vita jucunda. Nulla erit tunc discordia, sed cuncta consona, cuncta convenientia, quia erit omnium sanctorum una concordia. Pax cuncta et lætitia continet, tranquilla sunt omnia et quieta, atque jugis splendor, non iste, qui nunc est, sed tanto clarior, quanto felicior, quia civitas (ut legitur) illa non egebit lumine solis et lunæ, sed Deus omnipotens illuminabit eam, et lucerna ejus est Agnus (*Apoc.* xxi, 23), ubi sancti *fulgebunt ut stellæ in perpetuas æternitas, et sicut splendor firmamenti, qui ad justitiam erudiunt multos.* (*Dan.* xii, 3.) Quapropter nox ibi nulla, nullæ tenebræ, concursus nubium nullus, nec frigoris sive ardoris asperitas ulla, sed talis erit quædam rerum temperies, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, nisi illorum, qui ea perfrui digni inveniuntur, *quorum nomina scripta sunt in libro vitæ qui et laverunt stolas suas in sanguine Agni, et sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte.* (*Apoc.* vii, 14.) Non est senectus ibi, nec senectutis miseria, dum omnes occurrunt in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. (*Ephes.* iv, 3.) Verum super hæc omnia est consociari angelorum et archangelorum cœtibus, thronis etiam et dominationibus, principatibus et potestatibus, omniumque cœlestium supernarumque virtutum contuberniis perfrui, et intueri agmina sanctorum splendidius sideribus micantia, patriarcharum fide fulgentia, prophetarum spe lætantia, apostolorum in duodecim tribubus Israel orbem judicantia, martyrum purpureis victoriæ coronis lucentia, virginumque choros candentia serta gestantes inspicere. De rege autem, qui horum agminum medius residet, dicere vox nulla sufficit. Effugit enim omnem sermonem, atque omnem sensum humanæ mentis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa virtus, illa gloria, illa magnificentia, illa majestas. Ultra enim omnem sanctorum est gloriam, ipsius inæstimabilem adipisci conspectum, et splendore majestatis ejus irradiari. Si enim quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam parvo tempore tolerare, ut Christum videre possemus in gloria venientem, et sanctorum ejus numero sociari, non erat dignum pati omne, quod mœstum est, ut tantæ bonitatis gloriæ participes haberemur? Quæ erit illa, fratres charissimi, justorum gloria, quam magna sanctorum lætitia, cum unaquæque facies lucebit ut sol, cum ordinibus distinctis populum suum Dominus in regno Patris sui cœperit recensere, et meritis atque operibus singulorum præmia restituere, pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna præstare, adducere sanctos in visionem paternæ gloriæ, et facere in cœlestibus consedere, ut sit Deus omnia in omnibus, æternitatemque suis amatoribus et immortalitatem largiri, ad quam eos sanguinis sui vivificatione reparavit, denuo ad paradisum reducere, et regna cœlorum in fide et veritate suæ pollicitationis aperire? Hæc hæreant firmiter sensibus nostris, hæc intelligantur plena fide, hæc toto corde diligantur, hæc indesinentium operum magnanimitate acquirantur. Res posita est in potestate facientis, quia *regnum cœlorum vim patitur.* (*Matth.* xi, 12.) Res ista, o homo, id est, regnum cœleste aliud non quærit pretium, nisi te ipsum. Tantum valet, quantum es tu. Te da, et habebis illam. Quid turbaris de pretio? Christus semetipsum dedit, ut acquireret te regnum Deo Patri. Ita et tu te ipsum da, ut sis regnum ejus, ac non regnet peccatum in mortali tuo corpore (*Rom.* vi, 12), sed spiritus in acquisitionem vitæ.

Idem, *in psal.* lxxxiii.— *Beati qui habitant in domo tua.* Possident Hierusalem cœlestem sine angustia, sine pressura, sine diversitate et divisione limitum, omnes habent eam, et singuli habent totam. Magnæ illæ divitiæ, non angustat frater fratrem : nulla ibi indigentia est. Quid ergo ibi acturi? In sæcula sæculorum laudabunt te. Hoc erit totum negotium nostrum, sine defectu, Alleluia. Non vobis, fratres, videatur, quasi fastidium ibi futurum, quia si modo hoc diu dicatis, non duratis, ab illo gaudio, necessitas vos avertit. Securi ergo simus, fratres, non nos satiabit nisi laus Dei. Si deficias ab amore, deficies a laude; si autem amor sempiternus erit, quia illa insatiabilis pulchritudo erit, noli timere, ne non possis semper laudare, quem semper poteris amare.

Idem, lib. x *De civitate Dei*, cap. 16.— Illa visio Dei, tantæ pulchritudinis visio est et tanto amore dignissima, ut sine hac, quibuslibet aliis bonis præditum atque abundantem, non dubitet Plotinus infelicissimum dicere.

Idem, lib. i *de Trinitate*, cap. 13.— Illa

Digitized by Google

visio Dei qua contemplabimur incommutabilem atque humanis oculis invisibilem Dei substantiam, quæ solis sanctis promittitur quam dicit apostolus Paulus : *Facie ad faciem* (*I Cor.* XIII, 12), et de qua dicit apostolus Joannes : *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (*I Joan* III, 2), et de qua dicitur : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut contempler delectationem Domini* (*Psal.* XXVI, 4), et de qua dicit ipse Dominus : *Ego diligam eum et ostendam me ipsum illi* (*Joan.* XIV, 21), et propter quam solam fide corda mundamus, ut simus *beati mundicordes* (*Matth.* V, 8), quoniam ipsi Deum videbunt, et si qua alia de ista visione dicta sunt, quæ copiosissime sparsa per omnes Scripturas invenit, quisquis ad eam quærendam oculum amoris intendit, sola est summum bonum nostrum, cujus adipiscendi causa præcipimur agere, quidquid recte agimus.

S. Aug., *De catechizandis rudibus*, cap. 25.— Fuge frater illa tormenta, ubi nec tortores deficiunt, nec torti moriuntur, quibus sine fine mors est, non posse in cruciatibus mori, et exardesce amore, atque desiderio sempiternæ vitæ sanctorum, ubi nec operosa erit actio, nec requies desidiosa, laus erit Dei sine fastidio, sine defectu, nullum in animo tædium, nullus labor in corpore, nulla indigentia, nec tua cui subveniri desideres, nec proximi, cui subvenire festines. Omnes deliciæ Deus erit, et societas sanctæ civitatis in illo et de illo sapienter beateque viventis. Efficiemur enim, sicut ab illo promissum speramus et exspectamus, æquales angelis Dei et cum eis pariter illa Trinitate perfruemur jam per speciem, in qua nunc per fidem ambulamus.

Idem, tract. 4 *in Epist. Joannis.* — *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* (*Matth.* V, 8) Ergo visuri sumus quamdam visionem, fratres, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. (*I Cor.* II, 9.) Visionem quamdam, visionem præcellentem omnes pulchritudines terrenas, auri, argenti, nemorum atque camporum, pulchritudinem maris et aeris, pulchritudinem solis et lunæ, stellarum, angelorum, omnia superantem, quia ex ipso pulchra sunt omnia. Quid ergo erimus, quando videbimus, quod nobis promissum est? Similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.

Idem, *Meditat.*, cap. 22. — O tu vita, quam præparavit Deus his, qui diligunt eum, vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, nescia tristitiæ, vita sine labe, sine dolore, sine anxietate, sine corruptione, sine perturbatione, sine varietate et mutatione, vita totius elegantiæ et dignitatis plenissima, ubi non est adversarius impugnans, ubi nulla peccati illecebra, ubi est amor perfectus et timor nullus, ubi dies æternus et unus omnium spiritus, ubi Deus facie ad faciem cernitur et hoc vitæ cibo mens sine defectu satiatur. O tu vita felicissima, o regnum vere beatum, carens morte, vacans fine, cui nulla tempora succedunt per ævum, ubi continuus sine nocte dies nescit habere tempus, ubi victor miles illis hymnidicis, angelorum sociatus choris cantat Deo sine cessatione canticum de canticis Sion.

Idem, c. 25.— Dispar est gloria singulorum, sed communis est lætitia omnium. Plena et perfecta ibi regnat charitas, quia Deus est ibi omnia in omnibus, quem sine fine vident et semper vivendo in ejus amore ardent, amant et laudant, laudant et amant. Omne opus eorum laus Dei sine fine, sine defectione, sine labore.

Idem, *Soliloq. animæ ad Deum*, cap. 21.— Si pro hoc corpore ignobili et corruptibili tam magna et innumera beneficia præstas a cœlo et aere, a terra et mari, a luce et tenebris, a colore et umbra, rore et imbre, ventis et pluviis, volucribus et piscibus, bestiis et arboribus et multiplicitate herbarum et germinum terræ, et cunctarum creaturarum tuarum ministerio nobis successive per sua tempora ministrantium, ut alleves fastidium nostrum; qualia, quæso, et quam magna et innumerabilia erunt illa bona, quæ præparasti diligentibus te, in illa cœlesti patria, ubi te videbimus facie ad faciem? Si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio? Magna et innumerabilia sunt opera tua, Domine, rex cœlorum. Cum enim sint hæc omnia valde bona et delectabilia, quæ bonis pariter malisque communia tradidisti, qualia futura sunt illa, quæ solis bonis recondidisti? Si tam innumera et varia dona tua, quæ nunc amicis pariter tribuis et inimicis, quam magna et innumerabilia, quam dulcia et delectabilia, quæ solis tuis es largiturus amicis? Si tanta solatia in hac die lacrymarum, quanta conferes in die nuptiarum? Si tanta delectabilia continet carcer, quanta, quæso, continet patria? *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te.* (*Isa.* LXIV, 4.) Secundum enim magnam multitudinem magnificentiæ tuæ, est etiam multitudo magna dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te (*Psal.* XXX, 20); magnus enim tu es, Domine Deus meus, et immensus, nec est finis magnitudinis tuæ, nec est numerus sapientiæ tuæ, nec est mensura benignitatis tuæ, nec est finis, nec numerus, nec mensura benignitatis tuæ, nec est finis, nec numerus, nec mensura retributionis tuæ, sed sicut magnus es tu, ita magna sunt donaria tua, quoniam tu ipse præmium et donum omnium legitimorum tuorum pugnatorum.

Idem, *Ibid*, c. 35.— Intra in gaudium sine tristitia, quod continet æternam lætitiam, ubi erit omne bonum, et non erit aliquod malum, ubi erit quidquid voles, et non erit quidquid noles, ubi erit vita vitalis, dulcis et amabilis, semperque memorialis, ubi non erit hostis impugnans, nec ulla illecebra; sed summa et certa securitas, secura tranquillitas et tranquilla jucunditas, je-

Digitized by Google

cunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitudo et beata Trinitas, et Trinitas unitas, et unitatis deitas, et deitatis beata visio, quæ est gaudium Domini Dei tui. O gaudium super gaudium, gaudium vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium, quando intrabo in te, ut videam Deum meum qui habitat in te! O æternum regnum, regnum omnium sæculorum, ubi lumen indeficiens, et pax Dei quæ exsuperat omnem sensum (*Philip.* IV, 7), in quo sanctorum animæ requiescunt, et lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium et exsultationem obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus. O quam gloriosum est regnum in quo tecum, Domine, regnant omnes sancti, amicti lumine sicut vestimento, habentes in capite suo coronam de lapide pretioso! O regnum beatitudinis sempiternæ, ubi tu, Domine, spes sanctorum et diadema gloriæ, facie ad faciem videris a sanctis, lætificans eos unaquæque in pace tua, quæ exsuperat omnem sensum! Ibi gaudium infinitum, lætitia sine tristitia, salus sine dolore, via sine labore, lux sine tenebris, vita sine morte, omne bonum sine omni malo, ubi juventus nunquam senescit, ubi vita terminum nescit, ubi decor nunquam pallescit, ubi amor nunquam tepescit, ubi sanitas nunquam marcescit, ubi gaudium nunquam decrescit, ubi dolor nunquam sentitur, ubi gemitus nunquam auditur, ubi triste nihil videtur, ubi lætitia semper habetur, ubi malum nullum timetur, quoniam ibi summum bonum possidetur, quod est videre semper faciem Domini virtutum.

S. Aug. *Solil.*, c. 36.—Quid est videre facie ad faciem, nisi quod ait Apostolus (*1 Cor.* XIII, 12), cognoscere sicut et cognitus sum, cognoscere veritatem tuam et gloriam tuam, hoc est cognoscere faciem tuam? Cognoscere Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus sancti clementiam, ipsius summæ Trinitatis unam et individuam essentiam. Videre enim faciem Dei vivi, hoc est summum bonum, gaudium angelorum atque omnium sanctorum præmium, vitæ æternæ gloria, spirituum lætitia sempiterna, corona decoris, bravium felicitatis, requies opulenta, pulchritudo pacis, intimum et externum gaudium, paradisus Dei, Jerusalem cœlestis vita beata, plenitudo beatitudinis, gaudium æternitatis, pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum. Hæc est plena beatitudo et tota glorificatio hominis, videre faciem Dei sui, videre eum, qui fecit cœlum et terram, videre eum qui fecit eum, qui salvavit eum, et qui glorificavit eum. Videbit eum cognoscendo, amabit diligendo, laudabit possidendo. Ipse enim erit hæreditas populi sui, populi sanctorum, populi quem redemit. Ipse possessio felicitatis eorum, ipse præmium et merces exspectationis. *Ero*, inquit, *merces tua magna nimis* (*Gen.* XV, 1), magnum enim magna decent. Et post pauca : Visio ergo tua, tota merces est, totum præmium et totum gaudium, quod exspectamus. Hæc est enim vita æterna, hæc est, inquam, sapientia tua. *Hæc est vita æterna ut cognoscamus te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* (*Joan.* XVII, 3.)

Sonant ibi semper melliflua hymnorum organa, suavissima angelorum melodia, cantica canticorum mira, quæ ad gloriam et laudem tuam a supernis civibus decantantur. Amaritudo et omnis fellis asperitas in regione tua locum non habent. Non enim est ibi malus neque malitia, non est adversarius et impugnans, nec est ulla peccati illecebra, nulla est ibi indigentia, dedecus nullum, rixa nulla, nullum improperium, causatio nulla, nullus timor, nulla inquietudo, nulla pœna, nulla dubietas, nulla violentia, nulla discordia, sed est ibi pax summa, charitas plena, jubilatio et laus Dei æterni, sine fine secura requies et gaudium, semper in Spiritu sancto.

Idem, *ibid.*, c. 7. — O vita vitalis, vita sempiterna, et sempiterne beata, ubi gaudium sine mœrore, requies sine labore, dignitas sine tremore, opes sine amissione, sanitas sine languore, abundantia sine defectione, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate. Ubi omnia bona in charitate perfecta, ubi species et visio facie ad faciem, ubi plena scientia ab omnibus et per omnia, ubi summa Dei bonitas cernitur, et lumen illuminans a sanctis glorificatur, ubi præsens majestas Dei conspicitur, et hoc vitæ cibo sine defectu mens intuentium satiatur. Vident semper et videre desiderant, sine anxietate desiderant, et sine fastidio satiantur. Ubi verus sol justitiæ, mira suæ pulchritudinis visione omnes reficit, et ita universos cœlestis patriæ cives illuminat, ut luceat ibi, lumen videlicet illuminatum, per divinum lumen illuminans ultra omnem solis nostri splendorem, atque cunctarum stellarum claritatem, immortali adhærentes Deitati, ac per hoc immortales et incorruptibiles facti, juxta promissionem Domini salvatoris : *Pater, quos dedisti mihi volo ut, ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam et omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, et ipsi in nobis unum sint.* (*Joan.* XVII, 21 seq.)

Idem, *ibid.*, c. 16. — O felix jucunditas, et jucunda felicitas, sanctos videre, cum sanctis esse, et esse sanctum, Deum videre et Deum habere in æternum et ultra. Hæc sedula mente cogitemus, hæc toto desiderio desideremus, ut ad eos cito pervenire valeamus. Si quæras quomodo istud potest fieri, vel quibus meritis, quibusve auxiliis : Audi : res ista posita est in potestate facientis, quoniam regnum, etc. ut supra in sermone 37 de sanctis.

Idem, *ibid.*, c. 17. — Quid hac vita beatius? ubi non est paupertatis metus, etc. ut supra in eodem sermone 37. Verum super hæc omnia est, consociari choris angelorum et archangelorum, atque omnium cœlestium virtutum, intueri patriarchas et prophetas, videre apostolos atque omnes sanctos, videre etiam parentes nostros. Gloriosa sunt hæc, sed multo gloriosius

Digitized by Google

est, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre. Superexcellens gloria erit, cum Deum videbimus in seipso, videbimus et habebimus in nobis, quem cernere finis non erit.

S. Chrysostom., epist. c. 5, *ad Theodorum lapsum.* — «Concipe animo statum vitæ illius, quantum homini concipere datur; nam juxta rei dignitatem nobis sermo nullus adesse potest, ex iis tamen, quæ audimus, ceu per ænigmata conjecturam quantulamcunque faciemus. Abivit, inquit, dolor, et tristitia et gemitus. (*Isa.*, xxxv, 10.) Quid igitur ea vita beatius erit? Non est, cur illic pauperiem metuas et morbum. Nemo videbit contumeliosum, nec inique oppressum, nec exasperatum, aut irascentem, aut invidentem, nemo ardentem absurda concupiscentia, aut mœrentem propter sumptum necessarium, aut a magistratu vapulantem. Omnis enim affectuum turba, quæ hic sedata est, perimetur, omnia erunt pax, lætitia, gaudium, omnia serenitas et tranquillitas, omnia dies et splendor et lux, lux non quæ nunc est, sed plane alia, quæ hanc tantum excedit fulgore, quantum ea lumen lychni: neque enim occulitur illic aut nocte, aut congressu nubium, nec urit, neque inflammat corpora; nam nox non obumbrat, nec aderit vespera, nec frigora, nec alia hujus generis immutatio, sed omnino alia est conditio, quam demum ad hoc idonei reperiri intelligent, non est illic senium, nec senectæ mala, quæque obnoxia sunt corruptioni, e medio et e pedibus, quod aiunt, tollentur. Omnia occupabit ubique incorruptibilis gloria, et quod omnium longe est maximum, continua fruentur conversatione cum Christo, una cum angelis, cum archangelis, cum superioribus potestatibus. Contemplare cœlum, animadvertere permutatum fore habitum totius creaturæ, nihil enim hujusmodi, et nunc est, manebit, sed multo pulchrius erit et præclarius, et quantum plumbo aurum vibrans aera, tantum hac rerum præsentium specie futurus ille decor illustrior erit, quemadmodum beatus Paulus ait: *Quoniam et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis.* (*Rom.* viii, 21.) Etenim nunc ceu corruptionis particeps multa patitur, quæ ferre corpus contingit, tum vero hæc universa rejiciet, nobisque exhibebit elegantem et incorruptibilem habitudinem. Incorruptibile nanciscetur anima corpus, quæ et ipsa in melius formabitur. Unde putas tum simultas? unde pugna? Jucundus nimirum concentus erit in hoc, quod omnes sancti perpetuo inter se consentient, nullus illic calumniator timendus, nullæ dæmonum insidiæ, nullæ minæ, nulla mors, nec ea, qua hic exstinguimur, nec altera, quæ hac multo est acerbior, omnis harum rerum exspectatio desiit. Et quemadmodum puellus regius primum alitur cibo non admodum splendido, terretur minis pædagogi, ne per indulgentiam lapsus, paterna se indignum reddat hæreditate, mox nactus regiam potestatem, omnia hæc mutat, præsidet cum magna libertate, vestitus purpura, diademateque ornatus, et stipatus numeroso satellitio, abjectis ab anima rebus humilibus ac subamaris, in quorum tunc locum omnia magnifica, omnia jucunda successerunt, sic tunc eveniet omnibus sanctis. Atqui sermonis elegantia, et vires nihil possunt, ad montem illum orationo pergamus, ubi Dominus transformatus est, contemplemur eum splendentem, sicut resplenduit, quanquam ne sic quidem universum nobis futuri sæculi splendorem exhibuit, quia fuit, quod tum apparuit, attemperatio quædam pro captu nostro, neutiquam accurata rei demonstratio, quod a verbis evangelistæ manifestum est. Quidnam ait? *Splenduit*, inquit, *sicut sol.* (*Matth.* xvii, 2.) Cæterum incorruptibilium corporum gloria non tantam lucem demittit, quantam illud corruptibile corpus, neque talem ejusmodi oculi mortales capere sufficiunt. Ad hanc quidem visionem oculi requiruntur incorruptibiles et immortales. Verum in monte tum aperuit tantum lucis, quantum ferre potuerunt citra læsionem aciei, atque afflictionem oculorum contuentium in illud, quod tamen aliter cecidit; præciderunt enim in faciem. Dic, obsecro, si quis te in theatrum induceret, ubi magna multitudo hominum sederet amicta stolis aureis, et in medio omnium ostenderet alium quemdam adornatum eximie gemmis, regio vestitu insignem, coronam habentem in capite, deinde polliceatur te assumpturum in numerum eorum, num omnia faceres, quæ ipse jusserit? Evola nunc in cœlos animo, in illud intende theatrum, quod non coiit ex hujusmodi viris. Conventus est illic eorum, qui exsuperant omne pretium auri, lapidum pretiosorum, radiorum solis, et omnis visibilis formæ, non hominum solum, sed eorum qui hominibus antecellunt, angelorum, thronorum, dominationum, principatuum, potestatum. De rege ipso nihil satis idoneum dici potest, adeo sermonem et mentem excedit ejus pulchritudo, formositas, splendor, gloria, majestas, magnificentia. Tantumne bonorum a nobis ipsis submovebimus, quo declinemus exigui temporis laborem? Quod si quotidie foret infinities moriendum, ferendum tamen esset. Præterea gehennam tormentaque omnia convenit sustinere, ut videre queas Christum venientem in gloria sua, et conscribi ordini sanctorum. Audi, quid Petrus dicit: *Bonum est, nos hic esse.* (*Matth.* xvii, 4.) Si Petrus, qui vidit obscuram quamdam imaginem futurorum, omnia continuo rejecit ab animo, propter voluptatem inditam animæ a tali aspectu, quid dicemus, quando rerum veritas aderit, quando regiis cubiculis adapertis contueri licebit ipsum regem, non per ænigma, nec per speculum, sed facie ad faciem, non amplius, inquam, per fidem, sed per speciem? » Et post nonnulla: «Quis vel delineabit voluptatem, quæ ex convictu Christi exstabit, aut utilitatem, aut gaudium? Etenim anima, quæ in propriam rediit naturam, quæ in reliquum

Digitized by Google

tempus multa libertate Dominum suum suscipit, quantum ea fructum capiat, quantum dulcedinis, quantum lucrum, haud quisquam unquam satis explicabit : nec solum læta bonis præsentibus, sed secura tutaque erit, quod tanta gaudiorum semina nequaquam desitura sint. Eam itaque jucunditatem universam sermone quis effinget, quis attinget cogitatione? Quod si hæc fluxa suos possessores in tanta gaudia sustollunt, et animum, licet incerta subitaque sint in jugem effundunt lætitiam, quid putas futurum de animis illis accersitis ad infinita bona, quæ in cœlis pios manent, quæ fixa semperque duratura sunt, quæ virtute quoque his præsentibus longe præstant, nedum constantia sua nunquam desitura, et cujusmodi haudquaquam ascenderunt in cor hominis?

S. Anselmus, *De similitudinibus*, cap. 47. — Multi homines, quibus nonnunquam boni mores et justa opera proponuntur, ut et se in eis, sæculi postposita vanitate, exerceant, admonentur, inquirere solent, quam ob rem, quo præmio, qua retributione? Respondetur itaque illis, quod scriptum est : *Quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* (*I Cor.* II, 9.) Quod cum illi non clare, quid sit, advertere possunt, repetitur hoc ipsum aliis verbis, et dicitur eis : Præmium, quod his, qui in hac vita Deo serviunt, in futura vita recompensantur vita æterna, beatitudo æterna, æterna jucunditas, sufficientia simul omnium commodorum secundum voluntatem, et sine omni indigentia. Hæc ergo cum illis hoc modo dicuntur, bona quidem et magna, ut sunt, videntur, sed quia non intelligunt, quid in ipsa vita habituri sint, nec subito quid sit omnium commodorum secundum voluntatem sufficientia, et sine omni indigentia, percipere possunt, hærent animo, nec multum efficaci sapore ad audita trahuntur. Quid igitur agendum, ut hæc illis aliquatenus sapiant, et sic ad bona opera evigilent? Puerorum more cibandos æstimo eos qui, si aliquando grossum aliquod pomum edendum percipiunt, illud ob dentium teneritudinem et oris angustiam assumere nequeunt, si pro illorum capacitate prius non fuerit particulatim divisum. Itaque dividamus in partes magna, quæ diximus, ut inde possint ad vitam nutriri, de quibus agimus. Quæ ut melius eluceant, consideremus, quæ in hac vita mens avidius amet humana, et ex his, prout possumus, conjectemus illa eos habituros in vita æterna multo excellentius, si quidem inter multimoda mundi pericula constituti, Domini fuerint præcepta secuti, atque cum ipsi illius adepti fuerint plenitudinem desiderii sui, se nequaquam fraudatos percipient. Hoc igitur, ut prætaxavimus, faciamus, et a minimis paulatim progrediamur. Quatuordecim igitur sunt beatitudinis partes, quas finito generali examine, perfectius omnes electi habebunt, totidemque miseriæ genera, quæ mali tunc sustinebunt. Hæ autem beatitudinis partes atque miseriæ, sic sibi invicem omnino sunt contrariæ, quomodo et ipsi, qui eas accipiunt, in remuneratione.

Idem, *ibid.*, c. 57. — In illa futura vita delectatio quædam ineffabilis bonos inebriabit, et inæstimabili dulcedine sui totos eos inenarrabili abundantia satiabit, quid dixi totos? oculi, aures, nares, os, manus, guttur, cor, jecur, pulmo, ossa, medullæ, extra etiam ipsa et cuncta singulatim, singulaque membra eorum, in communi tam mirabili delectationis et dulcedinis sensu replebuntur, ut vere totus homo torrente voluptatis Dei potetur, et ab ubertate domus ejus inebrietur. Verum e contrario, ut dictum est, credimus de injusto. Sit enim ante oculos cordis positus exempli causa, homo aliquis, qui tam in ipsis oculorum suorum pupillis, quam et in singulis membris ferrum ignitum et candens infixum habeat, ita ut nec medullæ, nec intestina, nec omnino quidquam in toto ipso cruciatu, immanitate illius careat vel eam levius quam in oculis aliquatenus sentiat. Quid dicam, angustiatur? Quis hunc æstimet sanæ mentis inter ista?

Idem, *ibid.*, c. 59. — Sapientia, quam omnes in hac vita non utiliter amant, tanta in futura vita bonis erit, ut eorum, quæ scire voluerint, nihil sit, quod ignorent. Bonus enim perfecta, quæ Deus est, sapientia replebitur, eamque facie ad faciem intuebitur. Quam dum ita perspexerit, creaturæ totius naturam videbit, quæ in Deo melius quam in se ipsa consistit. Tunc etenim justi omnia scient, quæ Deus fecit scienda, tam ea, quæ præterita, quam ea, quæ postmodum sunt futura. Ibi a singulis omnes, ibi ab omnibus singuli cognoscentur, nec quemquam omnino latebit, qua patria, qua gente, qua stirpe quis editus fuerit, vel quid etiam in vita sua fecerit.

Idem, *ibid.*, c. 62. — Bonum quemque sic Deus omnesque alii diligent boni, ut eum habere odio ultra non possint. Quantum namque quisque se ipsum, tantum et tam diu diliget et alterum. Malum autem quemque sic Deus omnesque boni habebunt odio, ut nec filius quidem pietatem habeat de patre in pœnis conspecto.

Idem, *ibid.*, c. 63. — Corpus et anima cujusque sancti, imo concordiæ tantæ erunt omnes justi, quantæ in præsenti sunt oculi nostri. Sicut enim oculus unus verti non potest, quo non vertatur et alius, sed in eamdem partem semper volvuntur, sic etiam corpus et anima, vel societas illa justorum nihil poterunt velle diversum, sed eamdem semper voluntatem habebunt. Corpus enim unum erimus, Ecclesia una erimus, sponsa Christi erimus, quicunque ibi erimus. Ipsa Dei voluntas non erit a tua diversa, sed sicut tu quod ille, ita et ille volet in cunctis, quod tu; caput namque a suo corpore quomodo discreparet?

Idem, *ibid.*, c. 64. — In illa admirabili et glorificata dispositione et æque disposita glorificatione beatæ civitatis Dei, ita quis-

Digitized by Google

que, quod adeptus fuerit, amabit, ut statum suum potiori gradu immutari non velit. Quare? quia cuique satis erit sua felicitas et beatitudo, sibi pro meritis suis misericorditer impartita. Mali vero in discordia tanta persistent, ut eorum corpus et anima semper dissideant. Nam et corpus animam odio habebit, eo quod male unquam cogitaverit, et anima corpus, eo quod male cogitata opera compleverit, pro quibus omnibus torquentur in pœnis.

S. Ansel., *Desimil.*, c. 67.—In illa beata supernorum civium societate quemadmodum hi, qui summæ Deitati sunt propinquiores, et ob hoc aliis præstantiores, dii dicentur, ita et qui illis sunt inferiores, quoniam una et eadem qua et ipsi summæ Deitati pro sua capacitate participant, simili nomine deos dicendos esse necesse est. Talis honor, ut prælibavimus, justis pro modo meritorum exhibebitur. Quisquis vero malus econtra sic exhonorabitur, ut in omni fetore dejectus, vermium etiam dominio subjiciatur.

Idem, *ibid.*, c. 68. — In futuro, aut vere præpotens, aut erit quisque omnino semperque impotens. Bonus autem quidquid voluerit, facere poterit, quoniam ipsum omnipotentem in omnibus suæ voluntati concordantem habebit. Malus vero nihil, quod velit, agere quibit.

Idem, *ibid.*, c. 71. — In sæculo futuro aut lætitia, aut tristitia quisque replebitur summa. Bonus enim quisque omnino tunc poterit gaudere, quia prædictas omnis beatitudinis partes obtinebit perfecte. Quid ergo beatius isto, quo tunc replebitur justus gaudio? adhuc tamen ad cumulum beatitudinis suæ aliud habebit, unde magis possit gaudere; quia enim quisque sic, ut se, alterum amabit, patet, quia sic de illius felicitate, ut de sua gaudebit. O quot igitur et quanta gaudia quisque obtinebit, qui de tot et tantis beatitudinis sanctorum jubilabit? Quod si tantum de aliis, quos ut se diliget, gaudebit, quantum de Deo, quem supra se diliget, exsultabit? Gaudium enim erit ei intus et extra, gaudium sursum atque deorsum, gaudium circum circa, ubique gaudium plenum. Malus vero econtra tristitia replebitur summa, quia omnes miseriæ partes, quibus nihilominus se circumseptum sentiet, inevitabiliter sine fine patietur et indesinenter.

S. Gregorius, hom. 36 *in Evang.*— « Hoc distare, fratres charissimi, inter delicias corporis et cordis solet, quod corporales deliciæ, cum non habentur, grave in se desiderium accendunt, cum vero avide eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra spiritales deliciæ cum non habentur, in fastidio sunt: cum vero habentur, in desiderio, tantoque comedente amplius esuriuntur, quanto et ab esuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet. In istis appetitus vilis est, et experientia magis placet. In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat, in istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit. Augent enim spiritales deliciæ desiderium in mente, dum satiant, quia, quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur, quod avidius ametur. Et idcirco non habitæ, amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. » Et post pauca: « Et quia gustare intus nolumus paratam dulcedinem, amamus foris miseri famem nostram. Sed superna nos pietas nec deserentes se deserit. Contemptas enim illas delicias ad memoriæ nostræ oculos revocat, easque nobis proponit, in promissione torporem excutit, atque ut fastidium nostrum repellere debeamus, invitat. Ait namque: *Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos.* (*Luc.* xiv, 16.) Quis iste homo est, nisi ille de quo per prophetam dicitur: Et homo est, et quis cognovit eum? Qui fecit cœnam magnam, quia satietatem nobis dulcedinis internæ præparavit. Qui vocavit multos, sed pauci veniunt, quia nonnunquam ipsi qui ei per fidem subjecti sunt, æterno ejus convivio male vivendo contradicunt. Et post nonnulla: Ad cœnam ergo nos æterni convivii summus Paterfamilias invitat, sed dum alius avaritiæ, alius curiositati, alius voluptati carnis est deditus, nimirum reprobi simul omnes excusant. Dum hunc terrena cura occupat, illum alieni actus sagax cogitatio devastat, alterius etiam mentem voluptas carnalis inquinat, fastidiosus quisque ad æternæ vitæ epulas non festinat. Et in fine: Nihil sit, quod desiderium vestræ mentis retardet, nullius vos rei in hoc mundo delectatio implicet. Si bonum diligitur, mens in bonis melioribus, id est in cœlestibus delectetur. Si malum metuitur, mala animo æterna proponantur, ut, dum illic esse conspicit et amplius, quod diligat, et amplius quod pertimescat, hic omnino non hæreat. »

Idem, hom. 37. — Si consideremus, fratres charissimi, quæ et quanta sunt, quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia, quæ habentur in terris. Terrena namque substantia supernæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium. Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud, quam quædam prolixitas mortis? Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ civitatis quanta sint gaudia, angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? Sed ad hæc audita inardescit animus, jamque illic cupit assistere, ubi se sperat sine fine gaudere, sed ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores. Unde et Paulus egregius prædicator dicit: *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit.* (*II Tim.* ii, 5.) Delectet ergo mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum.

S. Prosper, *De vita contemplativa*, lib. i, cap. 2. — Futura vita creditur beate sempiterna, et sempiterne beata, ubi est certa se-

Digitized by Google

curitas, et secura tranquillitas, et tranquilla jucunditas, felix æternitas, æterna felicitas, ubi est amor perfectus, nullus timor, dies æternus, alacer motus, et unus omnium spiritus de contemplatione Dei sui, ac de sua cum illo permansione securus, ubi ipsa civitas, quæ est angelorum sanctorum et hominum congregatio beata, meritis fulgentibus micat, et æterna salus exuberat, veritas regnat, ubi nec fallit quisque, nec fallitur, unde nullus ejicitur beatus, quo nullus miser admittitur.

S. Prosper, *De vit. cont.*, l. I, c. 3.—Angeli summum solidumque gaudium, quo insatiabiliter perfruuntur, de divina contemplatione percipiunt, ac Deo suo infatigabiliter et amanter inserviunt, ita perfecte beati, ut nec cupiant beatiores fieri ultra, nec valeant.

Idem, *ibid.*, c. 4. — Hæc est contemplativa vita beata, ad quam qui bonorum operum consummatione pervenerint, beatis angelis similes erunt, et simul cum deo suo sine fine regnabunt. Quod hic crediderant, ibi videbunt, sui Creatoris substantiam mundis cordibus contemplantes, æterna exsultatione gaudebunt, divina ac mutua dilectione possessi, Deo suo in æternum et invicem sibi feliciter adhærebunt, receptis cum incorruptione atque immortalitate corporibus municipatum patriæ cœlestis accipient, atque ejus in æternum cives effecti, promissa præmia reportabunt. Ibi eis exuberabit tanta lætitia, tanta cœlestium gratia gaudiorum, ut et remuneratori suo pro tantis muneribus gratias agant, et nullum fastidium ex ipsa affluentium bonorum perceptione sustineant. Ibi ita patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subjacent facies corporales, quia humanorum pectorum tanta ibi erit et tam perfecta munditia, ut habeant unde mundatori suo Deo gratias agant, non unde offensi, aliquibus peccatorum sordibus erubescant, quia nec ulla peccata ibi nec peccatores erunt, et qui ubi fuerint, jam peccare non poterunt. Nec latebit jam perfecte beatos aliquid secretorum, qui, quod est longe præstantius, ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum quandoquidem humana creatura ita perfecta erit, ut in melius aut deterius ultra mutari non possit. Cujus humanæ substantiæ ad Conditoris sui similitudinem sublimatæ, omnia bona, quæ naturaliter accepta peccato corruperat, reparabuntur in melius, id est intellectus sine errore, memoria sine oblivione, cogitatio sine pervagatione, charitas sine simulatione, sensus sine offensione, incolumitas sine debilitate, salus sine dolore, vita sine morte, facilitas sine impedimento, saturitas sine fastidio, et tota sanitas sine morbo, quoniam quidem quidquid hic corporibus humanis vitiandis aut terarum morsus ademerint, aut improvisi casus abstulerint, aut malarum valetudinum genera diversa discerpserint, aut humana credulitas amputaverit, aut si ignis, vel quælibet alia res aliquid debilitatis intulerit, aut ipsa senectus etiam sanis onerosa negaverit, hæc et his similia corporum damna una ibi resurrectio reparabit, atque ea corpora membris omnibus instaurata, incorruptibilis sanitas obtinebit. Propterea quicunque ibi erunt, etsi differentibus meritis ab invicem distabunt, omnes tamen una perfectione beati erunt, quia singulis præmia sua sufficientia erunt, et capere amplius præmiis suis jam perfecti non poterunt. Sicut enim corporalis saturitas omnes saturos æqualiter habet, quamvis singuli cibum non æqualiter, sed pro possibilitate perceperint, ita omnes sancti etsi fuerint aliqua graduum suorum diversitate distincti, una beatitudine perfecti erunt, quia et una perfectione beati futuri sunt. Cæterum in illa tantæ beatitudinis regione nec majoris meriti sibi aliquid quisque arrogabit, quia arrogantia ibi nulla erit, nec superiori inferior invidebit, quia ibi invidus nullus esse poterit. Et ideo etsi ibi erit distantia mansionum, summa in illis erit unius perfectionis æqualitas, quibus erit regni cœlestis una felicitas.

Idem, *ibid*, c. 5. — Cui felicitati promerendæ ille suspirat, qui præsentibus omnibus futurorum contemplatione renuntiat, atque a domesticis occupationibus, quæ nonnunquam perfecte vivere cupientium processus impediunt, in illam divinæ sublimitatem contemplationis evectus, ipsos etiam suæ carnis affectus exsuperat, qui et infra se universa despiciens, quæ plerumque animas de præteritæ vitæ sanctitate securas in terrena dejiciunt, ipsis etiam cœlestibus appropinquat, tanto divinior factus, quanto supra humana omnia studio perfectionis ascendit, certus quod si contemplativam vitam hic insertis honoribus, divitiis anxiis, et caducis delectationibus plena voluntate prætulerit, veros honores, securas divitias, et delectationes æternas inveniat, cum ad perfectionem contemplativæ virtutis, in illa beata vita, ubi futura est, Deo remunerante pervenerit. Et revera quid erit honoratius eo, quem divina clementia angelicæ dignitatis æqualitate beaverit? Quid ditius eo, quem regni cœlestis ineffabiliter affluens beatitudo ditaverit.

Idem, *ibid.*, lib. III, c. 32. — In illa vita beata, ad quam consumpta omni corruptibilitate ac mortalitate perveniunt, quicunque ibi futuri sunt; ubi nec fletus ullus potest esse, nec gemitus, habebunt omnes sancti amorem perfectum, timorem nullum, et gaudium sempiternum. Ibi eis erit voluntas recta, cupiditas nulla, quoniam fruendo cœlestibus bonis, ad quæ pervenire cupiebant, nihil eis deerit, quod ulterius concupiscant, et in illa regione perpetuæ securitatis ac pacis perfecte beati, nec timoris stimulos passuri sunt, nec doloris. Sed timor ille, non quem charitas foras mittit (*I Joan.*, IV, 18), sed quem charitas nutrit, ideo fortassis in sæculum sæculi permanebit (*Psal.* XVIII, 10), quia in sæculum sæculi permanebunt illa, ad quæ timor ipse perduxerit.

S. Hugo, lib. IV *De anima*, cap. 15.—Beatorum omnium simul in communi actic

Digitized by Google

septiformis est. Vivunt, sapiunt, amant, gaudent, laudant, veloces sunt, securi sunt. Vivunt vita sine fine, sine molestia, sine diminutione, sine omni adversitate. Vita eorum visio et cognitio beatæ Trinitatis, sicut Dominus ait : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* (*Joan*, XVII, 5.) Sapiunt consilia atque judicia Dei, quæ sunt abyssus multa. Sapiunt causas et naturas et origines omnium rerum. Amant Deum incomparabiliter, quia sciunt unde et ad quid eos Deus provexit. Amant singuli singulos sicut se ipsos. Gaudent de Deo ineffabiliter. Gaudent de tanta sua beatitudine. Et quia unusquisque unumquemque diligit sicut se ipsum, tantum gaudium quisque habet de bono singulorum, quantum de suo, quoniam bonum, quod non habet in se ipso, possidet in altero. Constat igitur, quod singuli tot gaudia habent, quot socios, et singula gaudia tanta sunt singulis, quantum proprium singulorum. Cum autem quisque plus amet Deum, quam se ipsum, et omnes alios secum, plus gaudet de Dei felicitate, quam de sua et omnium aliorum secum. Si ergo cor uniuscujusque vix capit suum gaudium, quomodo capit tot et tanta gaudia ? Ideo dicitur : *Intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV. 21, 23), non : Intret gaudium Domini tui in te, quia capi non posset. Inde laudant Deum sine fine : sine fastidio, sicut scriptum est : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* (*Psal.* LXXXIII, 5.) Veloces sunt, quia, ubicunque esse vult spiritus, ibi est etiam corpus. Omnes securi sunt. Securi sunt de tali vita, de tanta sapientia, de tanto amore, de tanto gaudio, de tali laude, de tali velocitate, quod nullum finem, nullam diminutionem, nullum detrimentum habebunt.

S. Hugo, *De anima*, c. 16.—In ea cœlesti patria est vita sine morte, juventus sine senectute, sanitas sine infirmitate, requies sine labore, gaudium sine tristitia, pax sine discordia, delectatio sine fastidio, lux sine tenebris, pulchritudo sine turpitudine, agilitas sine ponderositate, fortitudo sine imbecillitate, libertas sine servitute, voluptas sine anxietate, longævitas sine vitæ termino, sapientia sine insipientia, amicitia sine inimicitia, concordia sine discordia, honor sine dedecore, securitas sine timore.

S. Bernardus, serm. *de triplici genere honorum et vigilantia super cogitationibus.* — « Sanctis animabus non jam imitationem, nec a sanctis angelis tantummodo quærere debemus auxilium, sed ardenter desiderare conspectum eorum, et esse cum illis, et videre quæ sint illæ columnæ cœli, quæ sustinent orbem terrarum, in quibus rutilat et relucet tantum et tam excellens divinitatis insigne. » Et post pauca : « Porro quidem æterna bona, illa bona sunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, et quæ nunquam exeunt ab illa patria, quæ nescit nisi gaudium et jubilationem. Ibi nihil deest : ecce abundantia qua impleatur humana cupiditas. Quæ est ista copia, ubi nihil quod nolis, sit, totum sit quod velis? *Fiat pax* (ait Propheta ad Jerusalem) *in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.* (*Psal.* CXXI, 7.) In illis, inquam, turribus, quæ juxta prophetam alium gemmis ædificabuntur, ubi adipe frumenti, non cortice sacramenti, satiabit nos Deus. Quod si nihil deerit nobis, aliquid autem nos latuerit, nunquam erit gloria consummata; ideo nihil latebit nos, et ecce sapientia qua curiositas hominis satietur. O sapientia, qua tunc omnia, quæ in cœlo et quæ in terra sunt, perfectissime cognoscemus, in ipso fonte sapientiæ rerum omnium cognitionem bibentes! Non metuam suspiciones, non timebo consilia, quia civitas illa (juxta Joannem, *Apoc.* XXI, 18) purissimo vitro similis erit, ut sicut per vitrum lucidissime cernimus, sic aliorum conscientias clarissime videamus. Quid si et nihil defuerit, et nihil latuerit, maneat autem timor et anxietas amittendi? Ideo nihil terret, et ecce potentia, qua humana infirmitas roboretur. *Qui posuit*, inquit, *fines tuos pacem, et confortavit seras portarum tuarum* (*Psal.* CXLVII, 13), ita ut nullus inimicus intret, nullus exire possit amicus. Ubi ergo summa abundantia, summa sapientia, summa potentia est, puto quod nihil desit plenitudini beatitudinis, quantum spectat ad summam felicitatis humanæ. »

Idem, *Medit.* c. 4, eademque habet S. Hugo Victor., lib. I *De anima*, c. 4.— Præmium est videre Deum, vivere cum Deo, esse cum Deo, esse in Deo, qui erit omnia in omnibus, habere Deum, qui est summum bonum. Et ubi est summum bonum, ibi est summa felicitas, summa jucunditas, vera libertas, perfecta charitas, æterna securitas, et secura æternitas; ibi est vera lætitia, plena scientia, omnis pulchritudo, et omnis beatitudo.

Est ibi pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas,
Gaudia lætitiæ, dulcedo, vita perennis :
Gloria, laus, requies, amor, et concordia dulcis.

Sic cum Deo homo beatus erit, in cujus conscientia peccatum inventum non fuerit. Videbit Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur ad jucunditatem. In æternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit. Sicut habebit permanendi æternitatem, sic cognoscendi facilitatem, et requiescendi felicitatem. Civis siquidem erit illius sanctæ civitatis, cujus angeli cives sunt, Deus pater templum, filius ejus splendor, spiritus sanctus charitas. O civitas cœlestis, mansio secura, patria fertilis et ampla, totum continens quod delectat, populus sine murmure, incolæ quieti, homines nullam indigentiam habentes. Quam *gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei, sicut lætantium omnium habitatio est in te.* (*Psal.* LXXXVI, 3.) Omnes lætantur in lætitia et exsultatione, omnes delectantur de Deo, cujus aspectus pulcher, facies decora, eloquium dulce. Delectabilis est ad habendum,

Digitized by Google

suavis est ad habendum, dulcis ad perfruendum. Ipse per se placet, et per se sufficit ad meritum, sufficit ad præmium, nec extra illum quidquam quæritur : quia totum in illo invenitur, quidquid desideratur. Semper libet eum aspicere, semper habere, semper in illo delectari, et illo perfrui. In illo clarificatur intellectus, et purificatur affectus ad cognoscendam et diligendam veritatem. Beati dulcedine amoris, et suavitate contemplationis. Hæc erit summa illius contemplationis, hæc erit summa illius felicitatis, quoniam intelligetur in suo puro esse sincera divinitas, comprehendetur in ea incomprehensibilis Trinitas. Patebunt arcana divinitatis, videbitur et amabitur Deus, et hæc visio et delectatio totum cor hominis impleps et satians, tota erit illius beatitudinis consummatio. Una erit omnium lingua, jubilatio indefessa, unus affectus, amor æternus. Patebit veritas, implebitur charitas, et erit integra corporis et animæ societas. Fulgebit sicut sol humanitas glorificata. Quieta erit et concors carnis et spiritus societas. Angelorum et hominum unum erit gaudium, unum colloquium, unum convivium : Non languebit amor, nec liquefiet dilectio. Præsentibus omnibus bonis, nulla erit dilationis afflictio, quoniam beatifica divinæ majestatis præsentia omnibus erit omnia, et erit communis omnium omnipotentia, sapientia, pax, justitia et intelligentia. Non erit in illa pace diversitas linguarum, sed pacifica et concors concordia morum et affectuum. In torrente illius voluptatis nihil ultra appetet cumulata satietas, tanta erit felicitas. Ibi siquidem erit cumulus felicitatis, supereminens gloria, et superabundans lætitia. Sed ad hæc quis idoneus? Profecto verus pœnitens, bonus obediens, amabilis socius, fidelis servus.

S. Bern. serm. *de conversione ad clericos*, sive *de persecutione sustinenda*, c. 25. — *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* (*Matth.* v, 8.) « Magna promissio, fratres mei, et totis desideriis affectanda. Hæc enim visio, confirmatio est, sicut Joannes apostolus ait : *Nunc filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Scimus quia, cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* (*I Joan.*, III, 2.) Hæc visio vita æterna est, sicut ipsa in Evangelio Veritas ait : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* (*Joan.* XVII, 3.) Odibilis macula, quæ beatam nobis adimit visionem, et exsecrabilis negligentia, qua dissimulamus interim illius oculi mundationem. Ut enim corporeus nobis visus aut humore interiori, aut exterioris injectione pulveris impeditur, sic et intuitus spiritualis interdum quidem propriæ carnis illecebra, interdum curiositate sæculari et ambitione turbatur. » Et in fine : « *Beati* ergo *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* (*Matth.* v, 8.) *Nunc quidem per speculum in ænigmate, in futuro autem facie ad faciem* (*I Cor.* XIII, 12), ubi nimirum faciei nostræ fuerit consummata mundities, ubi sibi eam exhibeat gloriosam, non habentem maculam neque rugam. » (*Ephes.* v, 27.)

Idem, serm. 2 *de verbis Apostoli.* (*Rom.* XIV, 17.) *Non est regnum Dei esca et potus.* — Quid ergo? Sed justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto. Attendis et intendis, quia gaudium in fine est? Sic fatui filii Adam, et præcipiti saltu justitiam transilientes et pacem, rem finalem in principium convertere et pervertere vultis? Nemo enim est, qui gaudere non velit. Non stabit, et non erit istud, quia sicut non est pax impiis (*Isa.* XLVIII, 22), sic nec gaudere impiis, dicit Dominus. Non sic impii, non sic. Prius est justitiam facere, inquirere pacem, et persequi eam (*Psal.* XXXIII, 15), et sic demum apprehendere gaudium, imo a gaudio comprehendi. Sic angelicus ille conventus prius justitiam fecit, cum stetit in veritate, et veritatis deseruit desertorem. Posthæc illa pace firmati sunt, quæ exsuperat omnem sensum, quia cum diversis honoris primatibus ambiantur, nullus qui murmuret, qui invideat nullus. *Lauda tu, Jerusalem, Dominum, lauda Deum tuum Sion ; quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te, qui posuit fines tuos pacem.* (*Psal.* CXLVII, 12, 13.) Lauda et laudes replica, quia munitissimis vectibus et inconvulsibilibus seris clausæ sunt portæ tuæ, nullus inimicus intrat, nullus exit amicus, benedicti filii tui in te, omni benedictione spirituali in cœlestibus cum Christo. Jam non est timor in finibus tuis, quia posuit fines tuos pacem, nullæ tibi tentationes, nulla sese tentationum turma confundit, quia versipellis ille et tortor longe est a muris tuis et a filiis tuis. Et ille, qui idem est, omnia in identitate consolidat atque conjungit. *Cujus participatio*, inquit, *in idipsum.* Hoc jam tertio hauriunt aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et nudis (ut ita dicam) oculis Divinitatis intuentur essentiam, nulla corporeorum phantasmatum imaginatione decepti. Ecce gaudium in fine, sed sine fine.

PARASCEVE

[Ex SS. Patribus.

S Ephrem., t. III. — Hodie regiam celebritatibus exornamus tumbam quæ est vestibulum ad sepulcrum. Hodie celebramus urnam quæ videlicet tribus diebus mortuum in morte abscondit. Hodie lætitia gestimus circa thecam unguentariam mundi. Hodie de urna sepulcrali exsultamus. — Hodie inducitur crux ; et creatura exsultat. Crux enim est aberrantium via, fluctuantium spes, viduarum tutor, tribulatorum requies, seniorum perfectio. Crux arma æterna, imperitorum sapientia, apostolorum annuntiatio, virginum continentia,

Digitized by Google

Crux orbis terrarum securitas, Christianorum exercitatio, Ecclesiæ fundamentum, delubrorum eversio, fons sitientium. Hodie crux adducitur, et subterranea effringuntur. Hodie manus Jesu sunt clavis fixæ, et mortuorum vincula soluta. Hodie facinus interfectorum Christi in audaciam prorupit, et cursus mortuorum cohibitus est. Hodie sanguinis rivus ad sepulcra est effusus, et irrigatus infernus germinare fecit. Hodie summa mansuetudine hinc inde Jesus trahitur ad passionem, omnique hora suis doloribus benedicens, raptus est ad Pilati prætoris assidentis judicium; inde Judæorum audaciæ ad ludibrium traditus, ad sextam usque horam illusus est; tum clavorum punctionibus cum trium horarum spatio tulisset dolores, morte finem passioni imposuit. Inde duodecima hora e ligno depositus est similis leoni dormienti.

Nunc ad inferos descendit, videre cupiens justos post labores quiescentes, quorum unumquemque conspiciens præteribat, regis instar, qui exercitum meridie somno detentum observat. Vidit Adam multis attritum gemitibus. Vidit Abel sanguine purpuratum. Vidit Noe justitia exornatum. Vidit Sem et Japhet paterna excultos verecundia. Vidit Abraham omnibus redimitum virtutibus. Vidit Lot hospitalitate florentem. Vidit Isaac constantia virentem. Vidit Jacob tolerantia fulgentem. Vidit Job, athletarum more exercitatum. Vidit Phinees flagellis armatum. Vidit Moïsem divinis initiatum digitis. Venit ad Nave filium, et stipatus erat exercitibus. Transiit ad Samuelem, et sacris regum unctionibus fulgebat. Venit ad David, et una cum Psalterio sepultus erat. Ad Elisæum accessit, et ovina pelle involutus erat. Jacebat Isaïas serra abscissi capitis gaudio gestiens. Jonas Ninivitarum salute ornatus. Jeremias laci luto illitus. Apparebant Ezechielis oculi horribilibus visionibus fulgentes. Danielis pedibus, leonum oscula emicabant. Corpora, quæ e fornace evaserant, igne ad cutem splendebant. Tormentorum exquisitis instrumentis stipata erat Machabæorum phalanx. Baptistæ caput abscissione fulgebat. Vidit et sanctas mulieres præ virorum amissione minime tristes. Vidit Saram Abrahæ fide insignitam. Vidit Rebeccam hydriarum largitione florentem. Vidit Rachel nuptiarum prudentia coruscantem. Vidit pugnantium matrem septenaria turri munitam. Vidit singulos justos; omnes prophetas perpendit; prædicavit: Adsum, atque divinus excitatus est exercitus.

Hactenus regiam dignitatem brevi sermone complexi sumus: Agedum, ad Pilatum quod reliquum est orationis convertamus. Hoc enim eorum quæ hodie gesta sunt, initium, Judæi Christum immaniter comprehendentes prætoris tormentis tradiderunt, nihil recte, et ex ordine gerentes, neque inscriptiones exhibentes, nec legitimam accusationem adducentes, nec causam dicentes, ne unum quidem crimen in sui patrocinium ostendentes; sed qua ratione? Populus vilis, turba forensis, et plebs rustica ex proximis pagis in festo convenientes clamabant: Crucifige, crucifige. Pilatus autem nullam aliam causam, sed impetum populi ob invidiam commotum videns, cum majorem pœnam minori redimere vellet, ut a morte vindicaret, flagellandum tradit. Cumque adhuc in eum sævirent, manus lavans, inquit: Mundus sum a sanguine justi hujus. Innumeris rationibus, sanguinis cupidos removere curavit, Romanorum eis leges enarrans. Quæ ob crimina, inquit, ego Jesum, o Judæi, crucifigam? Ego occisorum sedeo ultor: hic autem sepulcra evacuavit. Ego a Cæsare delictorum missus sum judex; hunc autem quis ignoravit a delictis innocuum esse? Ego punio eum qui obcæcat videntes; hic autem cæcos illuminat. Ego in eum qui aliorum pedes abscindit, animadverto; hic vero claudos confirmavit. Ego mortis sententiam fero, si quis puero matrem orbam reddit; hic vero filium a mortuis suscitans, matri donavit. Mihi jus est manum illius abscindere, qui alterius obtruncat dexteram: hic autem dexteram solvit manum. Ego pœnis plecto, si quis aliquem frumento fraudet; hic autem innumeris in deserto panes fregit. Meum munus est ictibus afficere eos qui per verbera aliis infirmitatem inferunt; hic autem paralyticum grabatum gestantem abire jussit. Meum est exsilio cohibere eos qui vineas devastant; at iste nuptiis lætitiam attulit, verbo vineam efficiens. Ego pœnas sumo, si quis muros effodere audeat; hic occulti sanguinis fluxum obstruxit: Ego periculis objicio eos qui nautas mergunt; hic Petrum super fluctus ambulare fecit. Hunc igitur puniendum clamatis? nequaquam adeo ego insaniam. Non est mihi gladius ad hujus viri cædem. Egone Jesum morti tradam, qui Lazarum viventem video; et ad sepulcrum hominem mittam, qui sepulcris negotium facessit? qui fieri potest, ut invitus moriatur is, cujus virtute inferi ne unum quidem mortuum habere sperant? Quomodo et mortuus non resurget, et rursus vos in mœroribus eritis? His dictis, cum eos suaderi minime posse animadverteret, prætorio abiit, permisitque abeuntes facere quod vellent. Sed in horum tumultu Sapientia siluit, nec verba Verbum dabat; illi autem impie aspernantes crucifixerunt.

Et statim commota sunt universa; elementorum singula concussa sunt: fugit dies, obscuratum est cœlum: profunda terræ loca quassata sunt, ejulavit terra violento motu concussa: effracta sepulcra, cruce veluti vecte vastata: clamaverunt petræ sensibiliter scissæ. Templum scissum est, ferre non valens intolerabile facinus. Sol propter audaces recessit, densaque nocte se abscondit. Res creatæ commotæ sunt; isti autem licet tam horribilia vidissent, nullo doloris sensu affecti sunt. Attamen honoraverunt eum inviti, et glorificaverunt ignorante unde infamiam inferre conati sunt, inde honorem ei confirmarunt;

Digitized by Google

in figura ludibrii, dederunt ei quæ illi conveniebant. Illuserunt ei, adorantes; sed illudentes illusi sunt; servitutem enim suam confessi sunt. Eum clamyde circumdederunt, illudentes. Quapropter regem suis manibus induerunt : spinis coronarunt veluti agri cultores : acetum miscuerunt, tanquam inutilis vinea : fel obtulerunt perinde atque populus malus hospes : spongiam dederunt, veluti animarum medico ; calamum obtulerunt, unde scripto reprobati sunt : una cum latronibus crucifixerunt, quorum alter, quem ad ludibrium crucifixerant, paradisi janitorem eum nactus est : Domine, ait, memento mei in regno tuo. Vide servum compunctum : vide humilem, qui benignitati supplicat, nil ipse petere audet; non dixit : Da mihi claves, quas dedisti Petro, nec ullum solium, instar matris filiorum Zebedæi obtinere rogavit.

At quid opus est excelsiora enarrare? ne publicanum quidem dicentem : Propitiare mihi peccatori, imitatus est, neque peccatorum veniam rogavit, cum enim multa sibi esse intelligeret, ut sui tantum in regno cœlorum memoriam haberet, petiit, regisque judicio reliquit quid sibi elargiri opus esset, et quomodo servi misereretur. Ego, Domine, ait, nil petere audeo; in unum mihi tribuatur, cum veneris in regnum tuum, cum angelicus tibi præcurret exercitus, cum justorum nubes occurrent, cum sepulcrorum sulci mortuorum manipulos metent, cum libri eorum quæ quisque gessit, aperientur; tunc memento mei dicens : Cruci me quondam affixit Hebræorum populus, omnesque meum consortium negarunt; gallorum voces præterierunt negantes me qui cæteris propinquiores erant : nullus mihi condolens adfuit; sed quibus meum corpus comedendum dederam, procul me mactandum intuebantur. Primus inter meos discipulos, primus fuit qui fugeret : Petrus juramentis firmavit alienationem a me. Andreas tanquam ignavus fugæ se dedit. Andreas, Petri frater, Petri erat frater natura æque ac negatione. Philippus renuntiabat meæ amicitiæ. Zebedæi filii, infidelitatis fluctibus jactati, infirmi abibant. Quem in sinu fovebam, Joannes, a me latere transfigendo, lanceam minime avertit. Thomas non aderat. Matthæus abierat. Duodecim chorus dispersus est. Ne unam quidem vocem pro me emiserunt ii, pro quibus animam meam posueram; sed neque ullus ex illis multis qui beneficiis affecti erant, mihi ad auxiliandum occurrit. Non comparuit tum mihi Lazarus, quem e morte ad vitam revocavi. Non planxit super me cæcus, cui lucis radios elargitus sum. Non concurrit ad me claudus qui a me, ut ambularet, accepit.

Unus latro ligatus, et ad meam ignominiam mecum crucifixus, confitetur, et irritat Judæos regem vocans. Quando, inquit, mei memor eris, tunc mihi elargire unam partem misericordiarum quæ tibi sunt; ego enim, quod dabis, petere non audeo : non de regio honore contendo, non pondero divitias benignitatis, non metior mare misericordiarum. Vidisti latronis supplicationem? Vide regis donum. Amen, amen, dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Tu, tunc ut tui memoriam habeam, petis; ego nunc promissum tibi solvo. O latro, et paradisi latro! O maceriæ divinitus plantatæ effractor, o delictorum remissionis fur, o regiæ stolæ operator, o januarum obseratarum cubicularius, o claustris sempiternis præses, o præcox crucis flos, o terræ Golgotha primus arboris fructus, o salutarium clavorum lucrum, o pœnitentiæ hamus, o esca Christo ad vitam, cui gloria et potestas in sæcula sæculorum! Amen.

PARENTES

[Ex SS. Patribus.]

S. Ignat., *Interpr. Epist. ad Philadelph.*, tom. II. — Filii, obedite parentibus vestris, et amate eos ut Dei cooperatores ad generationem vestram.

S. Clemens, *Recogn.*, lib. VI, t I. — Illud diligentius consideremus, quæ sit nobis causa parentes diligendi. Pro eo, inquit, quod vitæ nostræ videntur auctores, auctores quidem vitæ nostræ parentes non sunt, sed ministri : non enim vitam præbent, sed ingrediendi nobis ad hanc vitam exhibent ministerium : auctor autem vitæ, unus et solus est Deus. Si ergo auctorem vitæ diligere voluerimus : illum nobis sciamus esse diligendum.

S. Theoph., *Ad Autolycum*, lib. II, *apud* S. Justinum. — Hoc sanctum est non solum apud Deum, sed etiam apud homines, in simplicitate et innocentia subjici Parentibus. Quod si pueri submissi esse Parentibus debent, quanto magis Parenti omnium Deo?

Tertull., *De pudicitia.* — Post interdictam alienorum deorum superstitionem, ipsorumque idolorum fabricationem; post commendatam Sabbati venerationem; post imperatam in parentes secundam a Deo religionem, nullum aliud in talibus titulis firmandis monendisque substruxit præceptum, quam : Non mœchaberis. Post spiritalem enim castitatem sanctitatemque, corporalis sequebatur integritas.

Origen., *Serm.*, l. VI, t. I. — *Et erat vir habitans in Babylone, et nomen ejus Joachim, et accepit uxorem nomine Suzannam, filiam Helciæ, pulchram nimis, et timentem Dominum. Et parentes ejus justi edocuerant fi-*

Digitized by Google

liam suam juxta legem Moysi. (*Dan.* XIII.) Hoc utendum est testimonio ad exhortationem parentum, ut doceant juxta legem Dei sermonemque divinum, non solum filios, sed et filias suas.

S. ATHANAS., *hom. in cæcum a nativ*, t. II. — Summa cura hominibus colendus est dulcis ille, germanus, desiderabilis, quovis auro pretiosior, parentum amor. Nullæ sunt in hac vita facultates parentibus comparandæ. Aurum sæpe perit, parentum autem amor non exstinguitur. Argentum plerumque rubiginem contrahit, parentum autem erga prolem affectus non minuitur. Margaritæ non raro corrumpuntur, parentum vero lacrymæ coram Deo sistuntur. Quamobrem divina Scriptura, indicans quantus sit honor erga parentes habendus, sic monet filios exclamans : *Qui maledicit patri vel matri, morte moriatur.* (*Exod.* XXI, 17.) Sed fortasse dixerit quispiam : Si tanta cura colendus est dulcis ille erga parentes affectus, quid causæ est quod David parentes accusans dixerit : *Pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* (*Psal.* XXVI, 10.) Quid ad hæc ais, dilecte? Omni creatura pretiosior esse debet dulcis ille erga parentes affectus, nec tamen cum Deo omnium opifice comparandus : nulla quippe est creatura quæ cum Creatore conferri possit. Si David postquam dixit : *Pater meus et mater mea dereliquerunt me*, adjecisset : Ille quidam vicinus, aut cognatus, aut amicus suscepit me ; id quasi ex adverso affirmasset. Quod si magis quam parentes misericordem Deum pronuntiavit, parentibus injuriam non fecit, et Deo gloriam dedit.

S. CYRILL. *Hier.*, catech. 7, *De Patre.* — Honorantes cœlestem Patrem, carnis quoque nostræ patres honore prosequamur; quandoquidem aperte in lege et prophetis Dominus ipse definivit, aiens : *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut bene sit tibi, et longævus eris super terram.* (*Exod.* XX, 12.) Ac mandatum istud audiant præsertim ex adstantibus, ii qui patres et matres habent. Filii, obedite parentibus vestris in omnibus: hoc enim beneplacitum est Domino. (*Ephes.* VI, 1.) Non enim dixit Dominus : *Qui amat patrem aut matrem, non est me dignus* (*Matth.* X, 37) ; ne id quod scriptum esset bene, tu ex ignorantia interpretareris prave; verum addidit, *super me;* quando enim Patri qui in cœlis est, versantes in terra patres contraria senserint, tunc est huic dicto obsequendum; quando vero illis nullum nobis ad pietatem impedimentum afferentibus, nos ingrati animi furore abrepti, collatorumque ab ipsis in nos benefactorum immemores, eosdem habemus despectui, tunc locus est illi sententiæ : *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* Christianorum prima est in virtutis loco pietas, honorare parentes; eorum qui vitam nobis dederunt labores remunerare, atque omni studio, quæcunque ad illos sublevandos pertinent, conferre. Nam etiamsi illis multa refuderimus, nunquam tamen illos uti nos genuere, vicissim generare poterimus.

S. AMBROS., lib. II *de Jacob. et vita beata*, t. I. — Sed nec parentes beati Jacob nobis inexcusati relinquendi sunt, quod juniorem filium seniori prætulerint. Simul cavendum ne quis, dum eorum intendit exemplo, iniquum inter filios habeat judicium ; ut alterum diligendum putet, alterum posthabendum. Hinc enim excitantur odia fraterna, et de vilis incremento pecuniæ facinus parricidale componitur. Eadem foveat prolem mensura pietatis. Esto tamen, ut aliquid sibi amplius circa blandiorem aut similiorem rapiat affectus, par debet circa omnes esse forma justitiæ. Plus confertur dilecto, cui fratrum amor quæritur: plus autem adimitur ei, qui prælationis injustæ onerat ur invidia. Minitabatur Esau quod fratrem suum occideret, nec fraterna eum germanitas, nec parentum reverentia a parricidali furore revocabat ; et dolebat sibi benedictionem esse præreptam, cujus utique dignum se mansuetudine debebat probare, non scelere.

Sed et Rebecca non quasi filium filio, sed quasi justum præferebat injusto. Etenim apud matrem piam mysterium pignori præponderabat: illum non tam fratri præferebat, quam offerebat Domino, quem sciebat collatum sibi munus posse servare; in quo et alteri consulebat, quem divinæ subducebat offensæ ; ne graviore implicaretur reatu, si acceptæ gratiam benedictionis amitteret.

Accipe tamen bonum certamen inter parentes. Mater deferat affectum, pater judicium. Mater circa juniorem tenera pietate propendeat : pater circa seniorem naturæ honorificentiam servet. Hic magis honoret, illa plus diligat; dum singuli singulos foveant, non in unum uterque conspirent, defraudent alterum. Fiat æqualis inter diversa certamina, et disparibus studiis, par utrique ac æqualis parentum amor et gratia conferatur: compenset alter quod alter imminuit. Sic pro affectu Isaac patriarcha et sancta Rebecca certabant, ut neutrum inferiorem facerent, sed utrumque æqualem.

Lib. idem, *De Joseph patriarcha*, tom. I. — Instruimur qualis esse debeat affectus parentum, filiorumque gratia. Amare liberos, dulce; et impensius amare, prædulce: sed frequenter amor ipse patrius, nisi moderationem teneat, nocet liberis; si aut nimia indulgentia dilectum resolvat, aut prælatione unius cæteros ab affectu germanitatis avertat. Plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur. Hæc præclarior munificentia patrum, hæc ditior hæreditas filiorum. Jungat liberos æqualis gratia quos junxit æqualis natura. Lucrum pietas nescit pecuniæ, in quo pietatis dispendium est; quid miraris si propter fundum aut

Digitized by Google

domum oriuntur inter fratres jurgia, quando propter tunicam inter Jacob sancti filios exarsit invidia ?

Quid ergo ? Reprehendendus Jacob quia præferebat unum cæteris ? Sed nec libertatem possumus auferre parentibus, ne eos plus diligant, quos plus credant mereri ; nec filiis resecare debemus studium plus placendi. Denique et Jacob illum plus amabat, in quo majora virtutum insignia prævidebat ; ut non tam filium pater prætulisse videatur, quam prophetæ mysterium.

S. Ambros., lib. V, in *Hexaemer.*, cap. 18, t. I. — Discant homines amare filios ex usu et pietate cornicum, quæ etiam volantes filios comitatu sedulo prosequuntur, et sollicitæ ne teneri forte deficiant, cibum suggerunt, ac plurimum temporis nutriendi officia non relinquunt. At vero feminæ nostri generis cito ablactant etiam illos quos diligunt : aut si ditiores sunt, lactare fastidiunt. Pauperiores vero abjiciunt parvulos, et exponunt, et deprehensos abnegant. Ipsæ quoque divites, ne per plures suum patrimonium dividatur, in utero proprios necant fetus, et parricidalibus succis in ipso genitali alvo pignora sui ventris exstinguunt, priusque aufertur vita quam tradatur. Quis docuit nisi homo filios abdicari ? Quis reperiit tam immitia patrum jura ? Quis inter naturæ fraterna consortia fratres impares fecit ? Unius divitis filii diversa sorte cæduntur. Alius totius paternæ sortis ascriptionibus inundatur : alius opulentæ hæreditatis patriæ deplorat exhaustam atque inopem portionem. Nunquid natura divisit merita filiorum ? Ex pari omnibus tribuit, quod ad nascendi atque vivendi possint habere substantiam. Ipsa vos doceat non discernere patrimonio, quos titulo germanitatis æquastis. Etenim quibus dedistis communiter esse quod nati sunt, non debetis his, ut id communiter habeant in quod a natura substituti sunt, invidere.

Idem, *ibid*, lib. VI. — *Filii, diligite patres vestros : parentes, nolite ad iracundiam provocare filios vestros.* (*Col.* III, 20.) Natura hoc bestiis infundit, ut catulos proprios ament, fetus suos diligant. Nesciunt illæ odia novercalia, nec mutato concubitu parentes a sobole depravantur, neque noverunt præferre filios posterioris copulæ, superioris autem negligere. Norunt pignora sua, nesciunt charitatis differentiam, odiorum incentiva, offensionum discrimina. Simplex ferarum natura est, nescit veritatis calumnias. Sic enim omnia temperavit Deus, ut quibus minus rationis daret, plus indulgeret affectus. Quæ fera pro catulis suis non ipsa potissimum se offerat morti ? Quæ fera fetus suos, innumeris licet obsessa cuneis armatorum, non suis visceribus tegat ? Ingruat licet telorum seges, illa tamen parvulos suos muro sui corporis septos immunes præstat periculi. Quid dicit homo qui mandatum negligit, naturam oblitterat ? Filius patrem despicit, pater abdicat filium ; et hoc putant jus esse, ubi damnatur fecunditas : se potius pater damnat, qui facit irritum esse quod genuit. Et hoc putatur auctoritatis esse, ubi sterilitatis natura multatur.

Idem, lib. II *Expos. Evang. sec. Lucam*, tom. I. — Disce tuæ utilitatis præcepta et exempla pietatis agnosce. Disce quid parentibus tuis debeas, cum legis a patre filium non voluntate, non opere, non tempore discrepare : etsi personis duo potestate unum sunt, et utique nullum Pater illo cœlestis laborem generationis expertus est : tu matri debes pudoris injuriam, virginitatis dispendium, partus periculum, matri longa fastidia, matri longa discrimina cui miseræ in ipsis votorum fructibus majus periculum est : et cum ediderit quod optavit, partu absolvitur non timore. Quid anxios patres loquar pro filiorum profectu, et multiplicatos alienis usibus census, jactaque agricolæ semina posterorum ætatibus profutura ? Nonne pro his obsequia saltem oportet rependi ? Cur impio patris vita prolixior, et communitas patrimonii videtur angustior, cum Christus non refugiat cohæredes ?

Idem, *ibid.*, lib. VII. — Quomodo *maledictus qui non honorat patrem* (*Deut.* XXVII, 6), religiosus qui deserit ? Sed si advertamus quia prima causa religionis, secunda pietatis est, eamdem etiam hanc æstimabimus quæstionem ; oportet enim ut divinis humana posthabeas. Nam si officium parentibus exhibendum est, quanto magis auctori parentum, cui gratiam etiam pro parentibus tuis debes ? Aut si illi omnino non recognoscunt parentem, quemadmodum tu recognoscas ? Non igitur dicit renuntiandum esse pignoribus, sed Deum omnibus præferendum. Denique habes in alio libro : *Qui diligit patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* (*Matth.* X, 37.) Non diligere parentes sed eos Deo præferre prohiberis ; etenim naturæ pignora Domini beneficia sunt : nec quisquam debet plus amare beneficium quod accepit, quam Deum a quo beneficium servatur acceptum. Ergo etiam secundum litteram, pie intelligentibus expositio religiosa non deest.

Idem, *ibid.*, lib. VIII. — Lex quæ præmiserat : *Diliges Dominum Deum tuum*, et, *Diliges proximum tuum*, subjecit : *Honora patrem tuum et matrem.* (*Deut.* VI, 5.) Primus enim gradus iste pietatis est ; namque hos auctores tibi esse voluit Deus. Honora obsequiis ut abstineas a contumeliis ; quia ne vultu quidem lædenda pietas est parentum. Sed parum est non lædere, quia lex prospexit ne patiantur injuriam : *Qui enim maledixerit patri vel matri morte morietur.* (*Exod.* XXI, 17.) Tu honora, ut bonus sis. Aliud est legis beneficium, aliud pietatis officium. Honora tuos, quia suos Dei Filius honoravit. Legisti enim : *Et erat subditus*

Digitized by Google

illis. (*Luc.* II, 51) Si Deus servulis, quemadmodum tu parentibus? Honorabat igitur Joseph et Mariam Christus non naturæ debito, sed pietatis officio. Honorabat et Patrem Deum, quemadmodum nemo potuit honorare, ut esset obediens usque ad mortem : Honora ergo et tu parentes.

Est autem honor non solum honorificentiæ, sed etiam largitatis : *Viduas honora quæ vere viduæ sunt.* (*I Tim.* V, 3.) Honor enim est deferre pro meritis. Pasce patrem tuum, pasce matrem tuam. Et si paveris matrem, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus quos pro te passa est, non reddidisti obsequia quibus te illa gestavit, non reddidisti alimenta quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis ubera, non reddidisti famem quam pro te illa toleravit, ne quid quod tibi noxium esset, ederet; ne quid quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa jejunavit, tibi manducavit, tibi illa quem voluit cibum non accepit, tibi quem noluit cibum sumpsit, tibi vigilavit, tibi flevit; et tu illam egere pateris? O fili, quantum tibi sumis judicium, si non pascas parentem! Illi debes quod habes, cui debes quod es. Quantum judicium, si pascat Ecclesia quos tu nolis pascere! *Si quis fidelis*, inquit, aut si qua fidelis *habet viduas, subministret illis; ut non gravetur Ecclesia, ut his quæ vere viduæ sunt, sufficiat.* (*I Tim.* V, 16.) Hoc de extraneis : quid de parentibus?

Non otiose diximus proxime, quia nos materna querela præstrinxit : sed maluimus eum qui talis est, publice monere, quam domestice coercere. Et si nostra voce non proditur, vel suo tamen erubescit affectu. Ne commiseris, fili, ut parentes tuos aliorum fames pascat : ne commiseris, fili, ut jejunia pauperum parentibus tuis cibum quærant. Si non propter gratiam et salutem propter verecundiam pasce vel tu fili, vel tu filia. Non pudet si, te ingrediente in ecclesiam, alienis manus suas anus mater extendat, et prætermissa filia, de extraneis stipem poscat; cum tu transeas sublimi collo, et nutibus oculorum, trahens vestem, habens inaures et dextralia et annulos, et reliqua quæ Isaias dicit? Quid si in te sermonem suum vertat, reposcens naturæ debitum, nutrimentorum pretium, manus tuæ quod genitrici debetur officium? Quid respondebis?

Dabisne aliis? Quid si tibi objiciant : Vade prius, matrem tuam pasce? Nam etsi pauperes sunt, impiam tamen non quærunt collationem. Nonne audisti quia dives ille in bysso et purpura recubans, cujus de mensa micas Lazarus colligebat, pœnis cruciatur æternis; quia pauperi non impartivit alimenta? Si non donare extraneis grave est, quanto gravius excludere parentes? Sed dicis te, quod eras parentibus collaturus, Ecclesiæ malle conferre. Non quærit donum Deus de fame parentum. Unde reprehendentibus Judæis quia discipuli Domini manus non lavarent, respondit Jesus : Quicunque dixerit, Munus quodcunque est ex me, tibi proderit, non honorificabit patrem aut matrem. (*Matth.* XV, 5, 6.)

S. Chrysost., hom. 21, *in Epist. ad Ephes.* — *Filii, obedite parentibus vestris in Domino. Hoc enim est primum præceptum in promissionibus.* (*Ephes.* VI, 1.) Nihil hoc loquitur (Apostolus) de Christo, nihil de excelsis; adhuc enim loquitur cum teneris mentibus; et ideo brevem facit exhortationem, utpote quod non possint pueri prolixam assequi orationem. Propterea nec aliquid dicit de regno; non est enim illius ætatis hæc audire; sed quæ maxime cupit audire puerilis animus, ea dixit, nempe quod erit longævus. Si quis enim inquirit cur de regno non disseruit, sed eis posuit mandatum quod situm est in lege; dicemus eis id fecisse ut qui sint pueriliores, ut qui sciant quod viro et muliere ita affectis, convenienter legi quam tulit non est magni laboris puerulos subjicere. Quando enim res initium acceperit et bonum fundamentum, validumque et honestum, omnia deinceps via et lege procedunt cum multa facilitate : est enim difficilius jacere fundamentum, et basim subjicere validam. *Filii*, inquit, *obedite parentibus vestris in Domino*; hoc est congruenter Domino. Deus, inquit, sic jussit. Quid vero si jusserint absurda et non honesta? Maxime quidem nunquam pater præcipit absurda et inhonesta, etiamsi ipse sit minus honestus. Cæterum sic quoque adhibuit cautionem dicens : *In Domino.* Hoc est in iis in quibus Deum non offendas. Nam si sit Græcus, aut hæreticus, non utique parendum est : res enim non est in Domino.

Quomodo autem dicit : Quod est primum mandatum? Primum est enim illud : *Non mœchaberis, non occides.* Non ipsum dixit primum ordine, sed promissione. Illis quidem non præponitur merces, ut quæ constituta sint de malis, et de recessu a malis; in his autem, utpote cum sit bonorum operatio, ponitur etiam promissio. Vide autem quomodo basim admirabilem posuerit viæ virtutis, nempe in parentes honorem et reverentiam; et jure quidem. Cum abduxisset a malis actionibus, et bona esset ingressurus, hoc primum posuit, honorem in parentes, quoniam et ante omnia ipsi post Deum fuerunt auctores vitæ. Quare merito primi bonorum nostrorum fructum perciperent, et tunc alii omnes homines. Nam si quis hoc non habeat, nunquam erit bonus et æquus in extraneos. Cum ergo filiis suasisset quæ oportebat, transit ad parentes, et dicit : *Et vos, patres, nolite ad iram provocare filios vestros : sed educate illos in disciplina et correptione Domini.* (*Ephes.* VI, 4.) Non dicit. Eos diligite. Hoc enim eis vel invitis natura attrahit; et superfluum esset de eis legem ferre. Sed quid dicit? Nolite provocare ad iram filios vestros; ut multi faciunt

Digitized by Google

eos exhæredantes et abdicantes, et eos gravantes et prementes, non ut liberos, sed tanquam mancipia. Propterea dicit : *Nolite provocare ad iram filios vestros.* Deinde, quod est caput et summa omnium, ostendit quomodo sint obedituri, tota causa deducta ad caput et initium ; et sicut ostendit maritum esse causam ut obediat uxor, et ideo multis cum eo agit, adhortans ut eam attrahat tyrannide dilectionis, ita hic quoque rursus ei causam tribuit dicens : *Sed educate illos in disciplina et correptione Domini.* Vides quod si adsint spiritualia, sequentur etiam carnalia. Vis filium esse obedientem? Ab initio eum educa in disciplina et admonitione Domini. Ne existimes esse supervacaneum quod ipse divinas litteras audiat : nam illic hoc primum audient, Honora patrem et matrem. Itaque propter te hoc fit.

S. Hieron., Epist. ad Fabiolam, t. II. — *Super patre suo et matre sua non inquinabitur.* Multa nos facere cogit affectus : et dum propinquitatem respicimus corporum, et corporis et animæ offendimus Creatorem. Qui amat patrem aut matrem super Christum, non est eo dignus. Discipulus ad sepulturam patris ire desiderans, Salvatoris prohibetur imperio. Quanti monachorum dum patris matrisque miserentur, suas animas perdiderunt? Super patre et matre pollui nobis non licet, quanto magis super fratre, sororibus, consobrinis, familia, servulis? Genus regale et sacerdotale sumus. Illum attendamus Patrem qui nunquam moritur, aut qui pro nobis moritur : et qui ideo vivens mortuus est, ut nos mortuos vivificaret. Si quid habemus de Ægypto quod princeps mundi suum possit agnoscere, tenenti Ægyptiæ cum pallio relinquamus. Sindone opertus adolescens, vinctum Dominum sequebatur : incurrisset in laqueos, nisi expeditus et nudus persequentium declinasset impetum. Reddamus parentibus quæ parentum sunt : si tamen vivunt ; si servientes Domino filios suos præferri sibi gloriantur.

S. August., epist. 243, t. II. — Quo tibi nunc quædam mulier mater est, hoc ipso utique non est et mihi. Quapropter hoc temporale ac transitorium est : sicut transisse jam vides quod te concepit, quod gestavit utero, quod peperit, quod lacte nutrivit. Quod autem soror in Christo est et tibi et mihi, et omnibus quibus una cœlestis hæreditas, et pater Deus, et frater Christus, in eadem charitatis societate promittitur. Hæc æterna sunt ; hæc nulla temporis labe deteruntur ; hæc tanto firmius tenenda sperantur, quanto minus privato, sed communi potius jure obtinenda prædicantur. — Nec succenseant parentes hoc præcipere Dominum, ut eos oderimus, quando nobis hoc de anima nostra præcipitur. Nam sicut nunc de anima jubetur, ut eam propter Christum cum parentibus oderimus : ita quod alio loco de anima idem Dominus dicit, in parentes quoque potest congruentissime convenire : *Qui amat*, inquit, *animam suam, perdet eam.* (*Joan.* XII, 25.) Dicam etiam fidenter : Qui amat parentes suos, perdet eos. De anima quippe hoc ibi dixit : *Oderit*, quod hic *perdet*. Sicut autem hoc præceptum, quo perdere jubemur animam nostram, non ad id valet ut se quisque interimat, quod inexpiabile nefas est ; et tamen valet ut interimat in se carnalem animæ affectum, quo cum impedimento futuræ vitæ præsens vita delectat ; hoc est enim quod dictum est : *Oderit animam suam*, et, *perdet eam :* quod tamen diligendo fit ; quandoquidem apertissime fructum ejusdem animæ acquirendæ in eodem præcepto commemorat, dicens : *Qui perdiderit eam in isto sæculo, in vitam æternam inveniet eam :* ita de parentibus rectissime dicitur, ut qui eos amat, perdat eos, non more parricidarum interficiens, sed spirituli gladio verbi Dei carnalem affectum eorum, quo et seipsos, et eos quos genuerunt, implicamentis hujus sæculi obligare conantur ; pie fidenterque percutiens et occidens, illud in eis vivere faciat, quo fratres sunt, quo cum filiis suis temporalibus, parentes æternos, Deum Ecclesiamque cognoscunt.

Idem, *ibid.* — Carnalem affectum et in nobis et in nostris, militia Christiana ut perimamus hortatur ; nec tamen ita ut ingratus sit quisque parentibus, et eadem ipsa beneficia, quibus in vitam hanc editus, susceptus atque nutritus est, enumerata derideat. Servet potius ubique pietatem.

Vid. Obedientia.

PASCHA

[Ex SS. Patribus.]

Constit. Apostol. lib. v, cap. 16. — Oportet ergo, fratres, ut qui pretioso Christi sanguine redempti estis, dies festos Paschæ accurate et omni diligentia post æquinoctium celebretis, ut neque unius passionis bis per annum memoriam renovetis, sed potius semel quotannis, memoriam mortui item semel celebretis : neque amplius cum Judæis tempus celebrandi Pascha observetis ; nulla enim nobis nunc cum eis communitas est. Falluntur namque in ipso etiam calculo, et ratiocinatione, quam existimant se absolvere, ut ex omni parte a veritate abstracti sint. Vos vero observate diligenter conversionem verni æquinoctii, quæ incidit

Digitized by Google

in vigesimum secundum diem mensis duodecimi, qui appellatur Dystros; et notate usque ad vigesimam primam lunam; nec in aliam hebdomadam incidat luna quartadecima, et per errorem bis unoque anno Pascha agitemus : aut diem resurrectionis Domini nostri Jesu Christi alio die, præter quam Dominico tantum celebremus.

S. Epiphan., lib. III *adv. Hæres.*, hæres. 70, n. 12. — Plura a nobis commemorari possent, ex quibus constaret majores nostros saluberrimo consilio, sive potius Deum per illos religiosissimi illius ac sanctissimi diei celebrandi accuratissimam tradidisse rationem, ut nimirum post æquinoctium iniretur, quoties lunæ decima quarta dies incideret non ut ipsa decima quarta peragatur. Nam Judæi quidem unicam diem observant; a nobis vero non unius, sed integræ hebdomadis habenda ratio est.... Proinde id Ecclesiæ consuetudo retinet, ut Paschatis festum, hoc est hebdomadem ab apostolis in illa constitutione præfixam, a secunda sabbatorum celebrare incipiat. Cætera vide apud auctorem.

S. August, *Ad inquisit. Januar.*, lib. II, seu epist. 55, al. 119, cap. n. 16. — Judæi mensem novorum tantummodo et lunam observant a quartadecima usque ad vicesimam primam. Sed quia illud eorum Pascha, quo passus est Dominus, ita occurrit, ut inter mortem ejus et resurrectionem medius esset sabbati dies, addendum patres nostri consuerunt, ut et nostra festivitas a Judæorum festivitate distingueretur; et quod non frustra factum esse credendum est ab illo, qui est ante tempora,... in anniversaria passionis ejus celebratione a posteris servaretur.

Idem, *ibid*, cap. 14. n. 27. — Hæc et ex auctoritate divinarum Scripturarum et universæ Ecclesiæ, quæ toto orbe diffunditur, consensione per anniversarium Pascha celebrantur.

Idem, *ibid.*, cap. 15. — In magno utique sicut jam intelligis sacramento. Et in Scripturis quidem veteribus et agendum Pascha non est præceptum tempus, nisi ex mense novorum, a luna quarta decima usque ad vigesimam primam : ex Evangelio tamen quia manifestum est, quo etiam die Dominus crucifixus sit, et in sepultura fuerit et resurrexit, adjuncta est etiam ipsorum dierum observatio per Patrum concilia, et orbi universo Christiano persuasum et eo modo Pascha celebrari oportere.

S. Leo, serm. 69, *de Resurrect. Domini*, lib. I, c. 1. — Non incongrue vobis... participationem crucis Christi insinuavimus, Paschale sacramentum ipsa in se habeat vita credentium, et quod festo honoratur, moribus celebretur... Cum igitur quadraginta dierum observantia hoc voluerimus operari, ut aliquid sentiremus crucis in tempore Dominicæ passionis : admitendum nobis est, ut etiam resurrectionis Christi inveniamur esse consortes, et de morte ad vitam, dum in isto sumus corpore, transeamus. Unicuique enim homini, qui ex alio in aliud aliqua conversione mutatur, finis est, non esse quod fuit; et ortus, esse quod non fuit. Sed interest cui quis aut moriatur, aut vivat : quia est mors quæ causa est vivendi; et est vita, quæ causa est moriendi... ut ex qualitate temporalium actionum differentiæ retributionum pendeant æternarum. Moriendum est ergo diabolo, et vivendum Deo : deficiendum iniquitati, ut justitiæ resurgatur; occumbant vetera, ut orientur nova.

S. Isidorus, Hispal. episcop., lib. I *de officiis eccles.*, c. 31. — Paschale sacramentum... in Veteri Testamento figuraliter primum gestum est, quando agno occiso, Pascha celebravit populus Dei in Ægypto; cujus figura in veritate completa est in Christo, qui sicut ovis ad occisionem ductus est; cujus sanguine illitis postibus nostris, id est cujus signo crucis signatis frontibus nostris, a perditione hujus sæculi, tanquam a captivitate Ægyptia liberamur. Cujus quidem diem paschalis resurrectionis, non solum pro eo celebramus, quod in eodem a mortuis resurrexit; sed etiam pro aliis sacramentis, quæ in eo significantur. Quia etiam, sicut dicit Apostolus : *Mortuus est propter peccata nostra et resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom.* IV, 25), translatus quidem de morte ad vitam, in illa passione Domini et resurrectione sacratus est. Nam et vocabulum istud quod Pascha dicitur, non Græcum sed Hebræum est; neque enim a passione quam Græce dicunt πάθος, sed a transitu Hebræo verbo Pascha appellatum est : quod et maxime evangelista expressit, cum celebraretur a Domino Pascha cum discipulis suis. *Cum vidisset*, inquit, *Jesus quia venit hora ejus ut transiret de mundo ad Patrem.* (*Joan.* XIII, 1.) Transitus ergo de hac vita mortali, in aliam vitam immortalem, hoc est de morte ad vitam, in passione Domini, et in resurrectione commentatur. Hic transitus modo a nobis agitur per fidem, quæ nobis datur in remissionem peccatorum : quando consepelimur cum Christo per baptismum, quasi a mortuis transeuntes, de pejoribus ad meliora, de corporalibus ad spiritualia, de conversationibus hujus vitæ ad spem futuræ resurrectionis et gloriæ. Propter ipsum ergo initium novæ vitæ ad quam transimus, et induere novum hominem et exuere veterem debemus vetus fermentum expurgantes, ut simus nova conspersio, quoniam Pascha nostrum immolatus est Christus.

S. Joan Chrysost., *De Resurrect. Christi*, serm. 34, *de divers. N. T.* locis. — Duplex in nobis mors est; quapropter et duplicem fieri in nobis resurrectionem oportet. In Christo simplex mors fuit, non enim Christus peccavit; sed ipsa mors simplex propter nos est suscepta : non enim pati mortem debuit ille, neque enim reus erat peccati, quocirca nec mortis. Propterea ille quidem resurrectione simplici a morte resurrexit. Nos autem, qui duplici morte mortui sumus, duplici quoque resurrectione resurgimus : Una quidem antea resurreximus, quæ est a peccato; consepulti enim sumus ipsi in baptismo et consurreximus cum ipso per baptismum. Una hæc resurrectio est libera-

Digitized by Google

tio a peccatis ; altera vero resurrectio est corporis. Dedit majorem : exspecta etiam minorem ; hæc enim multo major est illa, multo enim majus est a peccatis liberari, quam corpus resurgens intueri. Propterea cecidit corpus, quia peccavit : si igitur principium cadendi est peccatum, principium resurgendi est a peccato liberari : resurreximus deinceps resurrectione majori, abjecta gravi morte peccati, et veteri exuta veste ; ne igitur de minori desperemus. Hac et nos olim resurrectione resurreximus quando baptizati fuimus.

S. Bernard, *De resurrect. Domini*, serm. 1 n. 12. — Epulemur in azymis sinceritatis et veritatis ; etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. (*I Cor.* v, 7, 8.) Amplectamur commendatas nobis in cruce virtutes, humilitatem, patientiam, obedientiam, et charitatem.

Idem, *ibid.*, n. 13.— In hac quoque tam præcipua solemnitate quid commendetur nobis, sedula cogitatione pensemus. Nempe resurrectio, transitus et transmigratio. Christus enim, fratres non recidit hodie, sed resurrexit... propterea siquidem quod mortuus est peccato, mortuus est semel : quia quod jam vivit, vivit non carni, sed Deo.

Idem, *ibid.*, n. 14. — Quid nos dicimus qui sacram Domini Resurrectionem Paschæ privamus nomine, ut sit nobis in reditum magis quam in transitum ? Luximus his diebus, compunctioni et orationi, gravitati et abstinentiæ dediti ; cæterorum negligentias temporum sacro hoc quadragenario redimere et diluere cupientes. Communicavimus passionibus Christi ; complantati ei denuo sumus per baptismum quemdam lacrymarum, pœnitentiæ, confessionis. Si ergo mortui sumus peccato, quomodo vivemus adhuc in illo ? si negligentias planximus, quid causæ est ut recidamus nunc in easdem ? Invenemur nunc iterum curiosi ut ante ; verbosi ut ante ; pigri et negligentes ut ante ; vani, suspiciosi, detractores, iracundi, cæterisque impliciti vitiis quæ tam anxie deploravimus his diebus. *Lavi pedes meos : quomodo iterum inquinabo eos? Exui me tunicam meam : quomodo induam eam?* (*Cant.* v, 3.) Non est transmigratio hæc, fratres : non sic videbitur Christus, non hoc iter quo ostendet nobis Deus Salutare suum. Denique qui retro respicit, indignus est regno Dei.

[Ex conciliis.

Ex canon. apost. Clementis I, an. 93, *et epist. Adriani I, an.* 7738.—Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus sanctum Paschæ diem vernale æquinoctii cum Judæis celebraverit, abjiciatur.

Ex conc. Romano I, *sub Victore, an.* 198. — Decretum est Pascha non quatuordecima luna primi mensis, sed potius die Dominico post quartam decimam et vernale æquinoctium occurrente, prout ab apostolis traditum est, celebrandum esse.

Ex conc. Arelatensi I, *sub Silvestro I, an.* 314.—Pascha uno die et tempore per omnem orbem observetur, et juxta consuetudinem, litteras ad omnes pontifex Romanus dirigat.

Ex conc. Romano III, *sub Silvestro I, an.* 325. — 1. Omnibus episcopis et presbyteris præceptum est Paschæ observantiam custodire a quartadecima usque ad vigesimam primam, ita ut Dominicus dies coruscet.

Ex conc. Antioch., sub Julio I, an. 340, et *Epist. Adriani I, an.* 1773. — 1. Quicunque cum Judæis contra statuta Nicæni concilii Pascha celebraverit, excommunicetur, et damnatus clericus omni quoque honore extrinsecus quem sancta regula, vel sacerdotium promeruit, privetur.

Ex conc. Carthagin. III, *sub Siricio, an.* 307. — 1. Ut omnis Africanæ provinciæ episcopi, observationem paschalem ab Ecclesia Carthaginensi curent accipere.

Ex conc. Carthaginensi IV, *sub Anastasio*, an. 398. — 65. Paschæ solemnitas uno die et tempore celebranda.

Ex conc. Carthaginensi V, *sub Anastasio, an.* 398.—Placuit ut dies venerabilis Paschæ formatarum subscriptione omnibus intimetur.

Ex Aurelianensi IV, *sub Vigilio*, an. 545. — 1. Placuit ut sanctum Pascha secund. laterculum victoris ab omnibus sacerdotibus uno tempore celebretur, quæ festivitas annis singulis Epiphaniarum die in Ecclesia populis denuntietur.

3. Quisquis de prioribus civibus Pascha extra civitatem tenere voluerit, sciat sibi a cuncta synodo esse prohibitum, sed principales festivitates sub præsentia episcopi teneant.

Ex conc. Braccarensi II, *in Joanne IV, an.* 572. — 6. Placuit ut postquam omnia in conc. sacerdotum fuerint ordinata superventurum ipsius anni Pascha, quota Kalendarum die, vel quota una debeat suscipi a metropolitano episcopo nuntietur, quod cæteri episcopi vel clerus reliquus breviculo subnotantes, unusquisque in sua Ecclesia adveniente Natalis Domini die, adstante populo post actionem evangelicam nuntient, in cujus principio convenientes in unum vicinæ ecclesiæ per triduum cum psalmis per sanctorum basilicas ambulantes celebrent litanias, tertia autem die celebratis hora nona vel decima missis, dimisso populo præcipiant Quadragesimæ servare jejunia, et mediante Quadragesima, ex 20 diebus baptizandos infantes ad exorcismi purgationem afferre.

Ex conc. Matis. II, *sub Pelagio II, an.* 388. — 2. Pascha nostrum debemus omnes festivissime colere, ut illis sanctissimis diebus sex, nullus servile opus audeat facere, sed omnes simul coadunati hymnis paschalibus indulgentes.

Ex conc. Toletano IV, *sub Honorio I, an.* 633. — 4. Placuit ut ante tres menses Epiphaniorum, metropolitani sacerdotes litteris se invicem inquirant, ut communi scientia edocti, diem Resurrectionis Christi comprovincialibus suis insinuent, et uno tempore celebrandum annuntient.

8. Lucerna et cereus in pervigiliis apud quasdam Ecclesias non benedicuntur, et cur a nobis benedicantur inquirunt, pro-

Digitized by Google

pter gloriosum enim noctis ipsius sacramentum hæc solemniter benedicimus, ut sacræ Resurrectionis Christi mysterium quod tempore hujus noctis votive advenit, benedictionem sanctificati luminis suscipiamus.

Ex conc. Cæsaraugustano III, sub Sergio, an. 691. — 2. Placuit ut deinceps cuncti confinitimi episcopi, nullam sibi occasionem subjicientes, aut longinquitate itineris præcaventes annua recursione de festivitate Paschali tempore congruo primatem suum inquirant ut quo die et tempore illis Paschæ festum pronuntiaverit, sollicita veneratione peragant.

PASSIO SALVATORIS

[Ex SS. Patribus.]

S. Ephrem, *Sermo de Passione Salvatoris*, t. III. — Eloqui pertimesco, et linguæ instrumento aggredi vereor narrationem terrore plenam de Salvatore: cum et revera magnus sit horror de Passione ejus aliquid in medium proferre. Hodie namque traditus est Dominus noster in manus peccatorum. Sed quamobrem est traditus sanctus Dominus, et omnis peccati expers? Qui enim in nullo peccaverat, traditus est hodie. Adeste et discamus quorsum Christus Salvator noster sit traditus: propter nos impios Dominus est traditus. At quis non admiretur? Quis eum non collaudet? Servis peccantibus traditur Dominus, ut scilicet propria morte filios peccantes liberaret. Perditionis ac tenebrarum filii exierunt in tenebris ad comprehendendum solem, qui in momento temporis cunctos exurere potuisset. Cæterum Dominus hanc eorum cernens audaciam et animum iracundum, sponte seipsum omni cum mansuetudine atque benignitate in manus impiorum tradidit. Ligantesque immaculatissimum Dominum scelerati illi, illuserunt ei qui nexibus insolubilibus ligavit fortem, et nos a peccatorum vinculis exsolvit. Texuerunt ei coronam ex spinis propriis, quas vinea Judæorum fructificaverat; illudentesque ei regem salutabant. Conspuerunt perditi illi in immaculatissimi faciem, ad cujus aspectum omnes cœlorum potestates, angelorumque ordines contremiscunt. Ecce iterum cor meum dolore ac lacrymis occupatur, dum mecum contemplor quomodo, quantaque lenitate Dominus contumelias et opprobria, verbera, sputa, atque alapas a servis sustinuerit. Adeste et cognoscite miserationum ejus magnitudinem, tolerantiam ac misericordiam dulcissimi Domini. Servum habuit utilem in paradiso voluptatis, qui, ubi peccavit, traditus est tortoribus: hunc autem animo deficientem inter tormenta videns bonus Dominus, misericordia in servum motus est, et seipsum pro eo flagellandum exhibuit. Volueram hic mihi silentium imponere, præ nimio mentis stupore: et rursus contremui, ac timui, ne meo silentio repellerem gratiam Salvatoris. Dicam tamen hæc vobis cum timore: siquidem universa mihi contremiscunt ossa, dum ista penitus mecum animo complector.

Creator ipse universorum Dominus noster, hodie tanquam aliquis ex reis sistitur ante Caipham, ministrorumque unus impegit ipsi alapam. Tremor me hæc omnia cogitantem occupat. Servus sedebat, et Dominus adstabat: et qui iniquitatibus abundabat, sententiam adversus insontem pronuntiabat. Contremuerunt cœli: inhorruerunt fundamenta orbis terrarum. Angeli, archangeli omnes obstupuerunt. Gabriel et Michael, vultum suum alis contexerunt. Cherubim in throno, sub rota se absconderunt. Seraphim in se mutuo alas in illa hora concusserunt, quando ille impietatis ac tenebrarum minister alapam dedit Domino. Sed quomodo ipsa terræ fundamenta tulerunt illum motum suum, atque tremorem in illa hora, cum tantis contumeliis afficeretur Dominus? Cogito et contremisco, compungorque denuo tantam longanimitatem optimi Domini aspiciens. Ecce enim renes mei, me loquente, tremunt, quoniam Creator, qui ex pulvere terræ hominem per gratiam finxerat, ab eodem jam pulvere formator ipse alapa cæditur. Timeamus, fratres, ne simpliciter ac leviter audiamus cuncta ista, quæ propter nos pertulit Salvator. Dic ergo, serve miser et nequam, cur alapam impingis Domino? Omnes quidem servi, dum libertate donantur alapam accipiunt, ut corruptibili libertate fruantur: ipse vero, o miser, injuste ipsum universorum liberatorem alapis cædisl Quid igitur a Caipha exspectasti? Nunquid alapæ hujusce præmium? An ergo non audisti, aut didicisti, quod Jesus sit cœlestis Dominus? Alapam quidem omnium Domino dedisti: sed per hoc servus servorum in perpetuum affectus es, opprobrium et abominatio omnium. Æterno damnatus supplicio, in igne inexstinguibili.

Res admiratione dignissima est, fratres, videre Christi Regis clementiam: alapa quippe a servo percussus, prudentissime cum omni mansuetudine, pietate ac reverentia respondit. Indignatur servus; tolerat Dominus. Servus ira concitatur; Dominus in sua benignitate permanet. Et quis iram animique tumultuantis perturbationem, iræ præsertim occasione oblata, reprimat? At Dominus noster hæc omnia benignitate sua sustinuit. Quis igitur, o Domine, mansuetudinem tuam poterit enarrare? Adeste hic, o charissimi Christo dilecti, qui corde compungimini, et in Salvatorem amore tangimini, venite, atque discamus, quid hodie acciderit in Sion civitate David; et desiderabile atque electum semen Abraham quid egerit hodie. Immaculatum Dominum hac die morti tradidit; Christus Salvator noster hodie per manus impiorum, in ligno crucis per summam injuriam sublatus est.

Venite omnes et lacrymis, etc.

Idem, *ibid.* — Adoro te, Domine; benedico te, pie: supplico tibi, Sancte. Procido

Digitized by Google

tibi, hominum amator; et glorifico te, Christe; quod tu qui unigena es, universorum Dominus, solus absque peccato, pro me indignissimo peccatore in mortem es traditus, mortem autem crucis, ut scilicet a peccatorum vinculis animam peccatoris liberares. Et quid tibi pro his omnibus retribuam, Domine? Gloria, tibi, benignissime; gloria tibi, misericordissime; gloria tibi, patientissime; gloria tibi, qui cunctis peccata remittis; gloria tibi, qui descendisti ut salvares animas nostras; gloria tibi, qui in Virginis utero incarnatus es; gloria tibi, qui vinctus es; gloria tibi, qui flagellatus es; gloria tibi, qui illusus es; gloria tibi, qui crucifixus es; gloria tibi, qui sepultus es; gloria tibi, qui resurrexisti a mortuis. Gloria tibi, qui prædicatus es; gloria tibi cui creditum est; gloria tibi, qui in cœlum assumptus es. Gloria tibi, qui magna cum gloria ad dexteram Patris sedes et iterum venturus es in gloria Patris, sanctorumque angelorum, ad judicandam omnem animam quæ sanctas tuas passiones aspernata est, in illa hora formidabili atque tremenda, quando movebuntur virtutes cœlorum, quando simul venient angeli et archangeli, cherubim et seraphim, cum metu atque tremore in conspectu gloriæ tuæ: quando rursus contremiscent fundamenta terræ, et expavescet omnis spiritus præ incomparabili gloria magnæ majestatis tuæ. In illa hora, gratia tua, obsecro, abscondat me sub alis suis; libereturque anima mea ab igne illo horribili, stridore dentium, tenebris exterioribus, et fletu sempiterno, ut dicere possim, benedicens ac gratias agens: Gloria tibi, Domine, qui secundum multitudinem miserationum magnæ pietatis tuæ, me peccatorem salvare dignatus es.

Vid. verb. Christi Passio.

PASSIONES ANIMI

[Ex SS. Patribus.]

S. Ephrem, *De pugna carnis.* — Veterator inimicus meus non me devincit vinculis quæ ego nolim; sed semper ejus modi mihi laqueos nectit ad vincula; cujusmodi ego magna cum voluptate complector. Novit enim meæ voluntatis propositum esse vehementius, et in ictu oculi quæ voluerit vincula injicit. Hic ejulatus atque ploratus, et luctus: hoc probrum et confusio, quod ego vinculis propriæ voluntatis constrictus detinear. Cum enim unico momento conterere vincula possim, ac me a laqueis quibuscunque liberare; hoc facere recuso, negligentia atque socordia detentus, et passionibus tanquam consuetudini malæ voluntatis proposito deserviens. Hoc gravius est et intolerabilius, ac dedecoris luctus, quod ad inimici mei voluntatem ego concurram. Vinculis constringor, quæ mihi ipsi injicit, passionibusque immorior in quibus ipse lætatur. Cum enim vincula confringere possim, nolo: cumque laqueos evitare conceditur, non urgeo. Acerbiusne quidquam est eo luctu ac planctu? Estne aliud ullum gravius dedecus? Sic quippe affirmo non esse quid ea confusione acerbius, quando inimici placita homo explet. Cum enim sint mea mihi vincula perspecta, ea tamen in singulas horas a cunctis spectatoribus abscondere contendo, pietatis formam præ me ferens: propriaque me arguit conscientia ista agentem, sic me compellans quotidie: Cur te sobrium ac vigilantem non præbes, miser? An ignoras advenisse et appropinquasse diem horribilis judicii, quo cuncta declarantur? Surge tanquam poteris, dirumpe vincula tua: in te potestas est solvendi atque ligandi. Ista licet semper mihi dicat reprehendatque conscientia; non tamen e vinculis ac laqueis liberari volo.

Super hisce quotidie lugeo atque suspiro, et istis ego animi passionibus implicatus reperior. Miser ego et segnis, ac ad bonum animæ meæ non proficiens, dum laqueos mortis non pertimesco. Corpus meum pulchro religionis ac pietatis habitu amictum est; anima vero indecentibus cogitationibus ligatur atque impeditur. Coram spectatoribus studiose pietatem colo; intus autem tanquam fera immitis propemodum existo. Dulcem et suavem affecto sermonem, dum ago cum hominibus: cum interim ego proposito ac voluntate semper acerbus sim atque perversus. Et quid tandem in die judicii faciam, quando ista omnia coram tribunali manifestabit Deus? Ipse ego novi, me ibi pœnas daturum, nisi hic judicem per lacrymas placavero. Et propterea miserationes in ira non concludit, quod conversionem ipse meam exspectet. Non enim quemquam videre cupit in igne ardentem, cum omnes homines ad vitam ingredi desideret.

Quocirca tuis confisus miserationibus, Domine Fili Dei, supplex tibi procido, rogoque, ut in me tuos oculos convertas. Animam meam ex iniquitatum custodia educito, resplendeatque in mente mea radius lucis, antequam ad formidandum me manens judicium abeam, ubi nulla penitus reliqua est de iniquitatibus pœnitentia. Ecce enim alterutra cogitatione coarctor; aut exire e corpore, aut non amplius peccare. Rursusque timor me miserum et impium corripit ac detinet, quo pacto me imparatum subducam, qui omni plane virtute destituor. Magnus continenter cor meum timor discruciat, manendi in carne, et migrandi ex ea: et utrum e duobus magis mihi expetendum sit ignoro. Quoniam me ipsum ad opus bonum, tardum video. Atque ideo vitam in carne ducere, mihi metus est ac terror. Nam in laqueorum medio quotidie incedo, similisque sum mercatori segni atque ignavo, jacturam in horas facienti totius summæ simul et lucri. Sic et ego detrimentum bonorum patio pelestium, variis præpeditus distractionibus, quæ me ad mala pertrahunt.

Digitized by Google

Sentio quippe in me ipso, quomodo singulis horis decipiar, nolensque in rebus quas odi, inveniar. Obstupesco in creaturæ pulchritudine perpetua, et quomodo mea mens in medio rerum venustissimarum tam sit inde indecora. Obstupesco super voluntate mea adeo prava, et quomodo etiam in tribulationibus semper diversimode peccet. Obstupesco de mea pœnitentia quotidie, quomodo firmum fundamentum non habeat ædificii : nam singulis diebus fundamentum ædificii colloco, propriisque rursus manibus laborem dissolvo. Non bonum adhuc sumpsit principium mea bona pœnitentia, et nondum in me cessat pessima inertia. Ignaviæ mancipatus sum, et inimici me voluntati accommodo, promptissime quævis ipsi grata perficiens.

Quis dabit capiti meo aquam longe inenarrabilem et oculis meis perpetuos fontes, ut inde scaturiant lacrymæ (*Jerem.* IX), ploremque ad misericordem Deum semper, ut suam mittens gratiam me peccatorem e furibundo extrahat mari fluctibus peccatorum meam animam perturbante, procellisque in singulas horas exagitante. Nam cupiditatibus meis vulnera superantur, cum curationis involucra et fascias omnino non admittant. In spe pœnitentiæ mea est præstolatio : sed inanibus hisce ejus promissis deceptus, quousque deficio? Hac detentus exspectatione, semper in ore pœnitentiam habeo, et nunquam ad pœnitentiam devenio. Verbis studiose pœnitentiam profiteor, verum operibus a pœnitentia absum quam longissime. Si res secundæ ad voluntatem fluunt, meæ etiam obliviscor naturæ; sin contra a rebus premor adversis, murmurator evado. Sancti quippe Patres Deo devoti, in tribulationibus atque tentationibus probati sunt, coronamque immarcessibilem a Deo cœlesti cum gloria ac laude acceperunt ; et famam nomenque ex tribulationibus consecuti futuris generationibus pulchra imago evaserunt. Sæpius autem cum Patribus et sanctis considero etiam castum, decorum temperantissimumque Joseph cœlesti pulchritudine plenum cum charitate Altissimi : quam egregiam patientiam obtinuerit in tentationibus. Non enim valuit gravissima fratrum invidia ac livor pulchritudinem animæ illius lædere ; ut neque callida aspis in proprio antro florentem pueri pulchritudinem tabefacere. In florem illius temperantis continenter aspectum retorquebat, ut acerbum venenum suæ in eum insaniæ evomeret. Neque rursus carceres aut vincula decorem animæ floremque pueri Deo devoti labefactarunt.

Si porro miser ego atque infelix sine ulla intentatione pecco, Dominumque exacerbo; cum expertus sim multas suas et ineffabiles miserationes, Domine, magnitudinem misericordiæ tuæ imploro et invoco, dicens : Salva me et largire supplici famulo tuo postulata animæ suæ, quæ e thesauro misericordiæ tuæ deposcit, Domine ; ut assidue fontis instar scaturiat gratia tua et in corde et ore mei ipsius famuli tui ; sitque cor meum ac os, divinæ gratiæ purum et immaculatum templum, quo cœlestem regem excipiat, ut ne sit tanquam latibulum improbarum cogitationum, et spelunca iniquorum latronum pravis desideriis. Sed digitus gratiæ semper moveat linguam meam, tanquam nervos citharæ ad gloriam tuam, benignissime : ut sine ulla intermissione glorificem te ac benedicam cum amore et desiderio, corde ac ore, per universum tempus vitæ meæ. Qui enim in te collaudando piger est ac segnis, Domine, is ipse a futura vita alienus est. Concede mihi, Christe Salvator, petitionem cordis mei, fiatque lingua mea velut cithara gratiæ, ut hinc testamentum exprimere quam ex multis scripturis, quamvis pauca sint delicta : ibique iterum salvari merear sub tegmine atque protectione manuum tuarum ; quando contremiscet omnis anima ex tremenda gloria tua. Etiam Domine, Fili unigenite, exaudi ac suscipe tanquam donum aliquod, preces servi tui. Peccator ego sum, gratia salvatus. Gloria illum decet, qui peccatorem in miserationibus salvat.

S. Ephrem, *De pugna carnis.* — Si carnis pugna in te insurrexerit, ne verearis, neque succumbas cogitationibus, ne tuum adversus te inimicum insolentiorem reddas, seminetque in te aliquid de suis consiliis, ac dicat : Impossibile est inflammationem in te cessare, nisi concupiscentiam expleveris ; ut vulnere tibi inflicto, ex adverso consistens, tuam irrideat mollitiem atque ignaviam. Verum exspectans exspecta Dominum (*Psal.* XXXIX), precesque tuas cum lacrymis coram bonitate ipsius effunde, et ipse te exaudiet, elevabitque ex lacu miseriæ sordidarum cogitationum et a volutabro luti turpissimorum phantasmatum : et constituet super petram sanctitatis pedes tuos ; et videbis auxilium ab ipso tibi emissum. Exspecta modo et ne relaxeris cogitationibus, neque defatigeris sentinam exhauriendo ; in propinquo quippe est portus vitæ. Nam te adhuc loquente dicet : *Ecce adsum.* (*Num.* XXII, 38.) Cæterum aspicere tuum certamen exspectat, an revera ad mortem usque adversus peccatum sis decertaturus. Ne ergo dejeceris animum ; non enim te reliquit. Etenim tuum certamen cernit ipse et sanctorum angelorum chorus, et dæmonum turba. Angeli coronas vincenti præbent : dæmones victo dedecus afferunt. Magnum certamen angelorum pro te, charissime : magna cura ac sollicitudo dæmonum contra te, Christo dilecte. Attende igitur tibi ipsi, ne familiares atque amicos contristes, alienosque lætitia allicias. Familiares dico sanctos angelos ; alienos autem, impuros dæmonas.

Non est locus absconditus ab oculis Dei, charissime; non est caligo in oculis Domini, frater. Ne igitur te decipiat adversarius ; juxta enim pedes Dei consistis. Ne parvi facias ; scriptum est enim : *Cœlum mihi se-*

Digitized by Google

des, terra autem scabellum pedum meorum. (*Isai.* LXVI,1.) Cave igitur ne relaxeris cogitationibus; verum viriliter age: prope est enim auxiliator. Audi Prophetam dicentem: *Omnes gentes circumdederunt me, et in nomine Domini ultus sum eos.— Circumdederunt me, sicut apes favum : et exarserunt sicut ignis in spinis, et in nomine Domini ultus sum eos. Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me. Fortitudo mea, et laus mea Dominus ; et factus est mihi in salutem.* (*Psal.* CXVII, 10-14.) Sustine igitur in certamine, ut, cum probatus fueris, coronam vitæ accipias, quam repromisit Dominus diligentibus se. (*II Tim.* IV; *Jac.* I.) Nam impugnari a passionibus et repugnare eisdem, probatos nos reddit ad belli periculum. Nisi enim impugnaremus eos qui oppugnantur, fortasse condemnaremus, certaminis experientia destituti, ac in superbiam incideremus. Non enim grave est oppugnari, et repugnare passionibus; sed grave est per ignaviam cadere coram adversariis, ipsisque succumbere. Resiste ergo urenti concupiscentiæ, ut flammam quæ nunquam exstinguetur, effugere queas. Nam si nos passiones superarint, non recedent a nobis; quin et magis adversum nos insolescent. Audi eum qui ait : *Mel distillat a labiis mulieris fornicariæ, quæ ad tempus impinguat fauces tuas; postea vero felle amariorem invenies et acutam magis gladio ancipiti* (*Prov.* V.) Attende igitur tibi ipsi, ne gloria divini aspectus priveris : nam scriptum est : *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctificationem, sine qua nemo videbit Deum* (*Hebr.* XII), cui convenit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

S. EPHREM, *De pugna carnis.*, t. II. — Vir in torpore ac negligentia dies suos transigens, seipsum decipit, prorsusque non cogitat de bonis quæ Dominus justis præparavit, nec supplicia peccatoribus parata considerat; sed seipsum absque timore ullo pascit. In tali autem omnem concupiscentiam operatur carnalem hostis improbus, nequitque talis intelligere, qua ratione ne portam quidem urbis potest animadvertere, quinam per eam ingrediantur, et exeant. Nam concupiscentia in mentem ejus ingressa, oculos ipsius obvelat. Athletas porro variis modis inimicus oppugnat; et ante quidem consummationem iniquitatis, vehementer eam in oculis ipsorum imminuit; potissimum vero concupiscentiam voluptatis carnalis tantum extenuat, quomodo si quis poculum aquæ frigidæ humi effunderet. Ita priusquam peragatur scelus, in ipsius fratris oculis illud improbus imminuit; consummato autem jam scelere, usque adeo illud extollit atque exaggerat malignus in manibus ejus, qui in illud incidit, ut nihil supra. Quin etiam desperationis undas adversus eum excitans, sæpe quoque et per parabolas se illi opponit, talia ipsi suggerens, dicensque : Quid fecisti, inanis et inutilis operarie? Nunc patefaciam tibi, cui labor tuus sit similis. Quemadmodum si quis sibi plantasset vineam, quam studiose coluisset atque custodisset, donec fructum ferret : deinde illa vindemiata, vini cados implesset : tum vero repente surgeret, arreptaque securi dolia frangeret, effusumque vinum periret. Huic simile est opificium tuum. Hæc improbus dæmon fratri suggerit, volens ipsum in profundum desperationis deprimere. Quare hasce inimici machinationes prænoscens, charissime, fuge peccatum. Et si forte in delicto aliquo præoccupatus fueris, ne in eodem permaneas errato; verum resurge, et convertere ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, ut salvetur anima tua. Ad improbam porro cogitationem dicito : Etsi dolia confregi, vinumque deperdidi, vinea tamen adhuc superest, et Dominus longanimis est et misericors, et miserator, et justus : et spero, bonitate ejus mihi cooperante, fore ut iterum ipsius vineam studiose excolam atque custodiam, ac dolia ex ipsa, sicut et prius, compleam. Ait quippe per prophetam Isaiam : *Si fuerint peccata vestra, ut phœniceum, quasi nivem dealbabo ; et, si fuerint ut coccinum, velut lanam dealbabo. Et si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. Si autem nolueritis, neque exaudieritis me, gladius devorabit vos : os enim Domini locutum est ista.* (*Isa.* I.) Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

S. AMBROS., tom. I. — Passionum immunem animam reperire difficile est.

Idem, *Enar. in psal.* XLIII, tom. I. — *Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos: afflixisti populos, et expulisti eos.* (*Psal.* XLIII, 3.) Scimus quidem quod multas gentes eradicaverit Dominus et everterit; ut possessionem sibi Judæorum populus inveniret, quarum gentium terras Abrahæ semini daturum se Dominus declaravit : sed cum psalmus iste Evangelium Domini, et tempora adventus ejus annuntiet, non mihi videtur quæ superius a Judæis gesta sunt, recensere; sed quæ futura signare : quemadmodum crediturus esset populus nationum. Confirmat igitur fidem Ecclesiæ, antequam nuntiet, et victorias pietatis ejus enumerat : quæ non in brachio, neque in gladio suo feras expulit gentes, et non in certamine bellico turmas fugavit hostiles; sed mansuetudine ac fide terras inimicorum sine ullo cruore possedit; fides enim sola pugnavit. Et ideo triumphos meruit, quos non revocaret perfidia, sed augeret; quia persecutionibus suis non vincitur Ecclesia Domini, sed probatur. Quæ sunt igitur istæ gentes quas vicerit Ecclesia, cognoscamus. Vetera dico vocabula, sed mysteria nova. Chananæi sunt, Chethæi, et Amorrhæi, Pheresæi, vel Cerethæi. Hæc autem populorum sunt nomina; sed et passionum infirmitates, et humanorum incentiva et opprobria peccatorum. Quod primum est igitur, homo in Christo ipse se domuit, et ipse se vicit, ut sibi viveret. Sibi enim vivit, qui Deo vivit; ut vitam Christi vivat æternam. Non ergo pugnavit militaribus armis, et ferreis telis

Digitized by Google

populus Ecclesiæ; sicut pugnavit populus Judæorum. Ille in figura pugnavit, nos pugnamus in spiritu: ille adversum alienigenas pugnavit, nos ipsi bellum habemus in nobis; et ideo prius nobis vincendæ sunt proprii corporis passiones

S. Ambr., *Enarr. in psal.* cxviii, tom. I. — Agnoscamus quid sit: *Latum mandatum tuum valde.* (*Ps.* cxviii, 96.) Legimus quod angusta sit porta per quam ingrediuntur, qui æternæ vitæ fructum adipiscuntur. Rara enim virtus et difficilis Passionum tolerantia. Plures sunt qui sæculi hujus spatiosa sectentur, qui dicant: Angusta et arcta nobis est via quæ ad Dominum ducit, conterimur in illa, relinquamus eam. Quomodo ergo dicit Propheta: Latum mandatum Dei, et valde latum? Ideo quia angustæ viæ, latum mandatum necessarium est.

S. Chrysost., *in Epist. ad Rom.*, hom. 14, t. IX. — *Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis.* (*Rom.* viii, 18.) Nec dixit (Apostolus) ad futuram quietem, sed quod longe majus erat, *ad futuram gloriam.* Ubi enim quies est, non omnino gloria, ubi gloria ibi certe quies. Deinde quia futuram illam dixit, ostendit illam jam esse; non enim dixit, ad eam quæ futura est, sed ad futuram quæ revelanda est, utpote quæ nunc quidem sit, sed occulta; quod et alibi clarius dicebat: *Vita nostra abscondita est cum Christo in Deo.* (*Col.* iii, 3.) De illa igitur confide: jam enim parata est, tuos exspectans labores. Quod si de mora dolet tibi, hoc ipsum te delectet. Nam quod magna sit et ineffabilis, et quod præsentem statum longe superet, illic recondita servatur. Neque enim sine causa posuit: *Passiones hujus temporis;* sed ut ostendat illam non qualitate solum sed etiam quantitate superare. Passiones enim illæ, qualescunque sint, vita præsenti terminantur; futura autem bona ad immortalia sæcula extenduntur: quæ pia sigillatim dicere non potuit, neque sermone explicare, ab eo quod apud nos desiderabilius videtur esse.

S. Hieronym., *ad Eustoch.*, epist. 22. — Statim ut libido titillaverit sensum, erumpamus in vocem: *Dominus auxiliator meus.* — Nolo sinas cogitationem crescere. Nihil in te Babylonicum adolescat. Dum parvus est hostis, interfice; nequitia, ne zizania crescat, elidatur in semine. — *Filia Babylonis misera.* — *Beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram.* Petra autem Christus est.

S. August., *De civitate Dei*, cap. 7. — Recta voluntas, est bonus amor; voluntas perversa, malus amor; amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas est; id autem habens, eoque fruens, lætitia; fugiens quod ei adversatur, timor est; idque si acciderit sentiens, tristitia est. Proinde mala sunt ista, si malus est amor; bona, si bonus.

Idem, *De agone Christiano*, t. VI. — *Princeps hujus mundi missus est foras.* (*Joan.* xii, 31.) Non quia extra mundum missus est, quomodo quidam hæretici putant: sed foras ab animis eorum qui cohærent verbo Dei, et non diligunt mundum, cujus ille princeps est; quia dominatur eis qui diligunt temporalia bona, quæ hoc mundo visibili continentur: non quia ipse Dominus est hujus mundi, sed princeps cupiditatum earum quibus concupiscitur omne quod transit; ut ei subjaceant qui negligunt æternum Deum, et diligunt instabilia et mutabilia. *Radix enim est omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes a fide erraverunt, et inseruerunt se doloribus multis.* (*I Tim.* vi, 10.) Per hanc cupiditatem regnat in homine diabolus, et cor ejus tenet. Tales sunt omnes qui diligunt istum mundum. Mittitur autem diabolus foras, quando ex toto corde renuntiatur huic mundo. Sic enim renuntiatur diabolo qui princeps est hujus mundi, cum renuntiatur corruptelis, et pompis, et angelis ejus. Ideoque ipse Dominus jam triumphantem naturam hominis portans: *Scitote*, inquit, *quia ego vici mundum.* (*Joan.* xvi, 33.)

Idem, *De opere perfecto*, lib. I, resp. 71. — Concupiscentia peccatum dicitur, quia peccato facta est, appetitque peccare; reatus ejus regeneratione solutus est, conflictus ejus ad agonem relictus est.

Idem, *Serm. in psal.* lxvi. — Primo concupiscentia sequentes duxit nos, postea renitentes traxit nos, deinde accepta gratia, cœpit nos nec ducere nec trahere, sed adhuc contendere nobiscum; post contentionem erit victoria.

Idem, *De doctrina Christi*, lib. III, cap. 10. — Quanto magis regnum cupiditatis destruitur, tanto regnum charitatis augetur.

S. Gregor., *Moral.*, lib. VII, cap. 8. — Sciendum quod alia justorum, atque alia est fortitudo reproborum. Justorum quippe fortitudo, est carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitæ præsentis exstinguere, hujus mundi aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, adversitatis metum in corde superare. Reproborum verò fortitudo, est transitoria sine cessatione diligere, contra flagella conditoris insensibiliter perdurare, ab amore rerum temporalium nec ex adversitate quiescere, ad inanem gloriam etiam cum vitæ detrimento pervenire, malitiæ augmenta exquirere, bonorum vitam non solum verbis ac moribus, sed etiam gladiis impugnare, in semetipsis spem ponere, iniquitatem sine ullo desiderii defectu perpetrare.

S. Paulin., *epist. ad Celantiam.* — Si odio atque invidia possidemur, si cupiditati aut avaritiæ cedimus, si præsentia commoda futuris præferimus, per spatiosam viam incedimus; habemus enim ad hæc comitum multitudinem, et late similium stipamur agminibus. Si iracundiam et libidinem ex-

Digitized by Google

plere volumus, ut injuriam vindicare, si maledicenti remaledicimus, et adversus inimicum inimico animo sumus, æque cum pluribus ferimur. Si vel adulamur ipsi, vel adulantes libenter audimus, si verum dicere gratia impedimur, et magis offendere animos hominum timemus, quam non ex animo loqui, de multorum item via sumus. Tot nostri sunt socii, quod extranei veritatis.

S. Bernard., *Tract. de conversione ad clericos*, cap. 14.—Non prius satiabuntur corda hominum auro, quam aura corpora satientur. Nec indignetur avarus, et de ambitiosis et luxuriosis, etiam et de facinorosis eadem sententia est. Si quis mihi forte non credit, experientia credat, vel propriæ, vel multorum.

PATIENTIA

[Ex SS. Patribus.]

S. Clement., hom. 13, t. I.— Ille justus est, qui propter rectam rationem pugnat cum natura. Verbi gratia, cunctis a natura insitum est, diligentes diligere; justus conatur etiam diligere inimicos, et conviciantibus benedicere; ac præterea orare pro hostibus, injuriam inferentes miserari. Quocirca abstinet a referenda injuria; item maledicentibus benedicit, verberantibus condonat, cedit persequentibus, salutat eos qui non salutant, cum non habentibus communicat quæ habet, irascentem flectit, inimicum conciliat, contumacem hortatur, incredulum instituit, lugentem consolatur; exagitatus sustinet, ingrate acceptus non indigne fert; propensus est ad diligendum proximos tanquam se.

S. Herm., *Pastor.*, lib. II, t. I.— Æquanimis esto et patiens, et omnium operum nequissimorum dominaberis, et operaberis omnem justitiam. Quod si patiens fueris, Spiritus sanctus qui habitat in te, mundus erit, et non obscurabitur ab aliquo nequissimo spiritu, sed gaudens dilatabitur, et epulabitur in vase in quo inhabitat, et apparebit Domino hilaris in pace magna. Quod si iracundia aliqua supervenerit, continuo Spiritus sanctus qui in te est angustiabitur, et quæret discedere. Suffocatur enim aspectu nequissimo et non habet locum apparendi Domino, sicut vult: tribulatur enim ab iracundia, utrique ergo spiritus, cum pariter inhabitant, perniciosum est homini. Si quis enim assumat absinthii pusillum, et mittat in amphoram mellis; nonne totum mel exterminabitur? Tantum mellis a modico absinthio disperit, et perdit dulcedinem mellis; et jam non habet gratiam apud dominum suum; quoniam totum mel amarum factum est, et usum suum perdidit. Sed si in mel non mittatur absinthium, dulce erit et in usu domino suo. Vide enim quam sit æquanimitas dulcior melle; et utilis erit Domino qui in ipsa commoratur: nam iracundia inutilis est. Si ergo mista fuerit iracundia æquanimitate, contribulatur animus, et non est utilis Deo oratio illius.

S. Clemens Alex., *Stromat.*, lib. VII.— Qui est perfectus, propter charitatem omnia suffert, omnia sustinet; non ut homini placens, sed Deo. Quanquam eum quoque laus sequitur per consequentiam, non ad suam utilitatem, sed ad imitationem, et eorum qui laudant utilitatem.

Tertull., *De patientia*, cap. 7.— Qui minutum sibi aliquid aut furto aut vi, non constanter sustinere constituit, nescio an facile, vel ex animo ipse rei suæ manum posset inferre in causa eleemosynæ? Quis enim ab alio secari omnino non sustinens, ipse ferrum in corpore suo ducit? Patientia in detrimentis, exercitatio est largiendi. Non piget donare eum qui non timet perdere. Alioquin quomodo duas habens tunicas, alteram earum nudo dabit, nisi idem sit qui auferenti tunicam, etiam pallium offerre possit? Quomodo amicos de mammona fabricabimus nobis, si eum in tantum amaverimus, ut amissum non sufferamus? Peribimus cum perdito.

Idem, *ibid.*, c. 8. — Ipsam animam, ipsumque corpus in sæculo isto expositum omnibus ad injuriam gerimus, ejusque injuriæ patientiam subimus: minorum deliberatione lædemur? Absit a servo Christi tale inquinamentum, ut patientia majoribus præparata in frivolis excidat. Si manu quis tentaverit provocare, præsto est Dominica moneta: *Verberanti te*, inquit, *in faciem, etiam alteram genam obverte.* (*Matth.* v, 39.) Fatigetur improbitas patientia tua. Quivis ictus illo sit dolore et contumelia improbum constrictus, gravius a Domino vapulat. Plus illum cædis, sustinendo: ab eo enim vapulabit cujus gratia sustines.

Idem, *ibid.*, cap. 15. — Satis idoneus patientiæ sequester Deus. Si injuriam deposueris penes eum, ultor est; si damnum, restitutor est; si dolorem, medicus est; si mortem, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem? Nec immerito, omnia enim placita ejus tuetur; omnibus mandatis ejus intervenit. Fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem instruit, pœnitentiam exspectat, exomologesim assignat, carnem regit, spiritum servat, linguam frenat, manum continet, tentationes inculcat, scandala pellit, martyria consummat, pauperem consolatur, divitem temperat, infirmum non extendit, valentem non consumit, fidelem delectat, gentilem invitat, servum Domino, dominum Deo commendat, feminam exornat, virum approbat; amatur in puero, laudatur in juvene, suspicitur in sene: in omni sexu, in omni ætate formosa est.

Origen., hom. 14.— In oratione dicimus: *Deus omnipotens, da nobis partem cum pro-*

Digitized by Google

phetis : da cum apostolis Christi tui. Hæc loquentes, non sentimus quod petimus : re enim hoc dicimus : Fac nos sic odio haberi ut odio habiti sunt prophetæ; et da nobis verba talia super quæ persecutionem patiamur : da in istas incidere calamitates quas apostoli sustinuerunt. Dicere quippe : *Da mihi partem cum prophetis et apostolis*, nolentem pati id quod prophetæ et apostoli, injustissimum est.

S. Cyprian., epist. 55, *ad Cornelium*. — Nihil interest quis tradat, aut sæviat, cum Deus tradi permittat, quos disponit coronari. Neque enim nobis ignominia est pati a fratribus quod passus est Christus : nec illis gloria est facere quod fecerit Judas.

Idem, epist. 57, *ad eumdem*. — Quam gravis causa sit hominis Christiani servum pati nolle, cum prior passus sit Dominus : et pro peccatis nostris nos pati nolle, cum peccatum suum proprium non habens passus sit ille pro nobis ! Filius Dei passus est ut nos filios Dei faceret, et filius hominis pati non vult ut esse Dei filius perseveret.

Idem, *De bono patientiæ*. — Patientiam se sectari philosophi quoque profitentur, sed tam illic patientia falsa est, quam et falsa sapientia. Unde enim vel sapiens esse vel patiens possit, qui nec sapientiam, nec patientiam Dei novit? Nos autem, qui philosophi non verbis sed factis sumus, nec vestitu sapientiam, sed veritate præferimus; qui virtutum conscientiam magis quam jactantiam novimus, qui non loquimur magna, sed vivimus; quasi servi et cultores Dei; patientiam quam magisteriis cœlestibus discimus, obsequiis spiritualibus præbeamus.

S. Basil., hom. 1 *Dejejunio*. — Noli tristis esse dum curaris. — Sis hilari animo, quod tibi a medico datum est pharmacum efficax abolendo peccato. — Quoniam non jejunavimus, exsulamus a paradiso; jejunemus igitur, ut ad illum postliminio revertamur.

Idem, hom. *De ira*. — Si mihi credis, probra contumeliasque contemnes. — Ex hac conditione, quale uterque vestrum nomen assequatur videamus. Hic contumeliosus, tu magnanimus vocaberis. Hic iracundis, tu mitis. Hunc quandoque pœnitebit horum quæ loquitur; et nunquam virtutis aut benefacti pœnitebit.

Idem, *Regul.* III, cap. 2. — Certissimum argumentum quod aliquis Deum non diligat, neque Christum ejus, qui ejus præceptis non pareat : evidens contra erga eumdem charitatis indicium, si Christi præceptis obtemperet, in patientia passionum ejus usque ad mortem.

Idem, *Reg.* LV. — Pro certo tenendum est et confitendum, etiam delationem cujuscunque boni, atque adeo ipsam etiam eorum quæ Christi causa patimur incommodorum tolerantiam, a Deo nobis proficisci.

S. Ephrem, *De patientia*, t. II. — Qui Deo placere cupit, ejusque hæres per fidem evadere, ut et ipse filius Dei appelletur ex Spiritu sancto genitus, ante omnia longanimitatem apprehendens ac patientiam, debet fortiter obvias quasque sufferre tribulationes, angustias atque necessitates, sive corporales morbos ac passiones, sive impropería atque injurias ab hominibus, sive etiam diversas invisibiles anxietates, quæ a spiritibus malignis inferuntur animæ, ad impediendam illam, quominus ingrediatur ad vitam, inducere quoque eam cupientibus in omnem relaxationem atque mollitiem, negligentiam ac dejectionem animi, oblivionemque sui, pro ratione divinæ dispensationis permittentis singulas animas variis probari tribulationibus atque pressuris : ut appareant qui toto corde et anima Deum diligunt, quique in omnibus quæ a maligno inferuntur, strenuos in perferendo se præbent, nec spem in Deum abjiciunt; verum semper redemptionem per gratiam in fide ac patientia multa exspectantes, quamobrem etiam ab omni se tentatione expedire poterunt; atque ita promissionem adepti, cœlesti regno digni redduntur.

Debet igitur anima sermonem Domini sequens atque amplectens, crucem ejus ferre quotidie, sicut scriptum est : *Qui non accipit crucem suam, et venit post me, non poterit esse meus discipulus.* (*Matth.* x.) Hoc est paratum esse ad sufferendam amore Christi tribulationem ac tentationem quamcunque, sive manifestam, sive occultam, et spe a Deo semper aptum esse atque pendere : quoniam in ejus potestate est ut affligatur anima, si permittatur ab eo, et ut omni tentatione atque angustia per eum liberetur. Si porro fortiter strenueque non perfert, sustinendo quamlibet tentationem ac tribulationem; verum tristatur ac tædio afficitur, indignatur et angitur, parumque de certamine laborat, vel etiam desperat quasi non sit unquam liberanda, quod ipsum etiam malitiæ ipsius est inventum ac artificium, in socordiam atque ignaviam pusillanimitatemque conjicientis animam, et spei compotem non effectam, qua semper misericordiam exspectet Domini in fide certa nihilque hæsitante. Cujusmodi quidem anima vitam in futuro non promeretur, quoniam cunctorum se sanctorum sequacem non præbuit, neque Domini vestigia est persecuta.

Considera ac cerne quo pacto ab initio Patres, patriarchæ, et apostoli, ac martyres per tribulationem atque tentationum vias pertranseuntes, ita potuerint placere Deo, qui fortiter quamcunque perferentes tentationem atque tribulationem, etiam inter angustias gavisi sunt, propter spem retributionis mercedis quæ exspectatur, sicut ait Scriptura : *Fili, accedens ad servitutem Domini, præpara animam tuam ad tentationes, dirige cor tuum et sustine.* (*Eccli.* II, 1.) Rursusque Apostolus dicit : *Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulterini, et non filii estis.* (*Hebr.* XXII, 8.) Alibique iterum : *Omnia quæ super inferuntur tibi, tanquam bona amplectere, sciens absque Deo nihil fieri.* Atque Dominus : *Beati estis, cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint, et dixerint*

Digitized by Google

omne verbum malum adversum vos, mentientes, propter me : gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis (*Matth.* v, 11.) Et illud : *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* (*Matth.* v, 10.) Patiuntur vero persecutionem, sive palam ab hominibus, sive occulte a spiritibus malignis, quippe qui animam Deum amantem atque inquirentem oppugnant, ac in varias angustias conjiciunt, ad impediendum quominus in vitam ingrediantur, et simul quoque ut probentur an vere Deum diligant, perferendo quamcunque tribulationem, et spem in finem usque retinendo, liberationemque in fide se accepturos sperantes : an contra, per impatientiam sese contrahens inter ærumnas, ac tædio affecta, parvipendens, spe orbatam se esse præseferat, nec vere diligere Deum. Diversæ porro ærumnæ atque tribulationes, tentationesque demonstrant, quæ animæ dignæ sint, quæque indignæ : et quæ fidem, ac spem, et patientiam habeant, quæque non habeant : ut ubi patuerit eas in omnibus probatas, fideles, dignasque animas esse, quæque ad finem usque pertulerint, ac fidei spem obtinuerint, atque ita per gratiam liberatæ sint, merito regni hæredes efficiantur.

Patientiam igitur, et spem cum primis, unaquæque anima Deo placere cupiens, fortiter teneat : sicque omnem maligni impetum ac tribulationem perrumpere et effugere poterit. Neque enim usque adeo Deus animam in ipsum sperantem, ipsumque sustinentem tentari permittit, ut tædio vincatur, et opprimatur malis totaque tentationibus et angustiis obruatur, quas sufferre nequeat, nam, ut Apostolus ait : *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis ; sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* (*I Cor.* x, 3.) Non enim quantum vult malignus tentat affligitque animam ; sed quantum ipsi a Deo permittitur. Solum anima viriliter perferendo, spem teneat quæ est in fide, auxilium atque præsidium ab ipso exspectans, et fieri non poterit ut derelinquatur. Sed quantum illa contendit ad Deum, spe ac fide confugiens, et ab illo opem ac præsidium liberationemque sine hæsitatione exspectans ; tanto eam celerius Dominus ab omni circumstante molestia liberat. Novit quippe ipse, quantum subire possit probationem atque tentationem anima, et tantam quoque permittit : modo ipsa toleret ad finem usque, ac non confundatur ; sicut dictum est : *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.* (*Rom.* v, 5.) Rursusque alibi : *Sicut Dei ministri, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis* (*II Cor.* vi, 4), et quæ sequuntur, atque Dominus : *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* (*Matth.* x, 22.) Et denuo : *In patientia vestra, possidebitis animas vestras.* (*Luc.* xxi, 19.) Alibique dicit : *Quis speravit in Domino, et confusus est ? Aut quis permansit in mandatis ejus, et derelictus est ? Aut quis invocavit eum, et despexit illum ?* (*Eccli.* ii, 11.)

Si enim homines exiguo intellectu ac mente præditi, probare et discernere norunt, quantum pondus atque onus singula ferre queant animalia, veluti mulus, aut camelus, tantumque addunt oneris, quantum vires animalis tolerent, et figulus vasa formans, nisi in fornacem ea immiserit, ut igne probata solida ac dura reddantur, humanis usibus servire nequeunt : novit autem quanto ea tempore oporteat in igne relinquere, donec utilia efficiantur, neque contra, ultra quam sit opus, ea in fornace relinquit, ne adusta corrumpantur, neque vicissim ea minus in fornace relinquit, quam necesse sit, ne dissolvantur, nullique sint usui : si, inquam, in rebus corruptibilibus et apparentibus, tanta consideratione atque cognitione præditi sunt homines ; quanto magis Deus, qui incomprehensibilis est, et ineffabilis scientia et intellectu, totusque sapientia plenus, novit quantis probationibus, atque tribulationibus, tentationibusque indigeant animæ ipsi placere volentes, vitamque æternam consequi desiderantes ; sicque fortiter, promptequo omnem in spe tribulationem perferentes, ad finem usque, tuncque probati, et apti regno cœlorum redduntur.

Quemadmodum enim cannabi ac lini species non est idonea, ut ex eo fila subtilissima fiant, nisi diutius elaboretur atque exerceatur, imo quanto magis illud torquetur, tanto purius aptiusque efficitur : sic et anima Deo devota, multas probationes atque tentationes subiens, afflictionesque fortiter tolerans ; purior utiliorque ad spiritale extenuationis et humilitatis opificium redditur, tandemque cœlestis regni regionem possidere meretur : quemadmodum enim vas recens confectum, igneque non probatum, humanis idoneum non est usibus ; aut sicut infans ad res mundi tractandas ineptus est ; cum neque urbes condere, neque plantare possit, neque semen deponere, neque quodcunque aliud mundi opus perficere, infans enim est ; ita etiam animæ, quæ divinæ gratiæ sunt effectæ participes, propter infantiam suam a Domini benignitate tolerantur in dulcedine, ac requiete spiritus, necdum variis probatæ tentationibus ac tribulationibus a nequam spiritibus, per quas patientia demonstratur, sunt adhuc infantes, atque, ut ita dicam, nondum idoneæ ad regnum, cum nondum sint exercitatæ, ut dictum est : *Si vero extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulterini, et non filii estis.* (*Hebr.* xii, 8.) Itaque tribulationes atque tentationes homini conducunt, animamque probatam ac firmam efficiunt, si generose alacriterque in divina confidentia ac spe, qualiacunque ingruentia toleret, fide non vacillante, redemptionem et misericordiam a Domino exspectans. Sicque impossibile erit ipsam Spiritus promissione, liberationeque a vitiosis passionibus frustrari, quin mereatur tanquam probata atque fidelis spem in Domino habere,

Digitized by Google

et in finem usque patientiam retinere.

Quemadmodum sancti martyres multa tormenta palam sustinuerunt, et ad mortem usque suam in Dominum spem, bonamque confessionem servarunt; sicque probati coronas justitiæ accipere promeruerunt; qui autem plura ac graviora sustinuerunt tormenta, abundantiorem etiam gloriam, ac in Deum fiduciam obtinuerint. Quicunque vero a fide recesserunt, pertimescentes flagella atque tribulationes, nec permanserunt in præclara confessione usque ad finem, ii dicendi libertate destituti, et hic et in judicii die confusi cernentur. Ad eumdem modum et animæ tribulationi traditæ, ut a spiritibus probantur nequitiæ, invisibiliter et diversis modis cruciatæ, sive occulte inter labores atque molestias tribulationum, improbasve cogitationes; sive manifeste inter corporales perturbationes, fortiter perferunt, ac spem retinent, mercedisque a Domino retributionem exspectantes, justitiæ coronas promerentur, eamdem intus redemptionem accipientes, eamdemque cum sanctis martyribus loquendi fiduciam in Domino reperient in die judicii. Idem enim martyrium tribulationum, quod illi per crucem, hi per spiritus pertulerunt nequitiæ, qui eos agitabant. Quantoque plures a maligno pressuras atque insultus perferunt, bona in finem usque spe suffulti, tanto abundantiorem in Deo gloriam comparant. Et hinc quidem secundum spem exspectationis eorum liberabuntur, sanctique Spiritus consolationem promerebuntur: inde vero æternorum bonorum, cœlestisque regni hæreditatem acquirent. Quæ vero animæ metu atque timore perculsæ, afflictiones ejusmodi subterfugerint, seque negligentiæ et impatientiæ dederint, ac in desperationem conjecerint, recedentes a via recta, et misericordiam Domini in finem non exspectaverint: qua, quæso, ratione tales animæ, tanquam reprobæ compertæ, vitam consequi æternam poterunt? Nam usque ad mortem quævis anima debet propter Dominum pro nobis mortuum, longanimem se ac patientem exhibere, suamque in eum spem defigere ac retinere, et sic vitam atque salutem promereri sempiternam.

Nam qui perfecte cupiunt æternæ gehennæ supplicia, quæ peccatores manent, evadere, cœlestique regno perfrui, tribulationes hic gehennæ, per tentationes quæ a maligno inferuntur, semper sustinent: sique in finem usque sustinuerint, misericordiam Domini exspectantes, a tentationibus, ac tribulationibus, atque angustiis per gratiam liberabuntur; intusque communicatione sancti Spiritus digni reddentur, et illic æternam effugient gehennam, æternumque regnum Domini hæreditate possidebunt: talem quippe Dominus constituit viam quæ ducit ad vitam, angustam scilicet et arctam, sicut scriptum est; ideo et pauci ingrediuntur per eam.

Ejusmodi ergo spe nobis proposita, talibusque promissionibus ultro a veraci Deo oblatis, quemcunque impetum atque afflictionem improbi hostis; fortiter toleremus, ob spem nobis repositam in cœlis. Quantascunque enim ærumnas propter Dominum perferamus, quid æquivalens sustinemus, sive ad futuram nobis repromissam vitam æternam respiciamus, sive ad supernam quæ sustinentibus contingit animabus, Spiritus sancti consolationem; sive ad liberationem ex tenebris improbatis et ad debitorum remissionem pro multitudine nostrorum peccatorum, sicut dictum est: *Dum judicamur autem, a Domino corripimur: ut non cum hoc mundo damnemur.* (*I Cor.* XI, 32.) Ac rursus: *Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* (*Rom.* VIII, 18.) Præbeamus ergo nos veluti milites strenuos, pro rege nostro prompte alacriterque mortem oppetentes. Cum enim adhuc in sæculo versaremur, quando adhuc rebus implicabamur humanis, non patiebamur hujusmodi, neque tales sustinebamus ærumnas: verum nunc quando advenimus studio melius complacendi Domino, hujuscemodi in nos maligni spiritus excitantur incursiones, tentationes ac tribulationes. Vides ergo nos ista omnia propter Dominum perpeti: invidente nobis maligno, atque conante pervertere, aut potius a via vitæ avertere, et in relaxationem atque negligentiam nos inducere, ne serviendo ac complacendo Deo, salvemur. Quantum itaque in nos malignus insurgit, tantum nos in patientia inveniamur viriles ac strenui, prompti atque alacres, paratos nos exhibentes ad tolerandam usque ad mortem propter spem in Christum, sicque omnes ipsius insidiæ mox dissolventur. Pro defensore enim ac propugnatore nostro habemus Christum, qui tribulatis nobis atque oppressis, in ipsumque sperantibus patientiam præbet, illosque confundit, nobis interim laborum præmia, hoc est regnum cœlorum per Dominum reportantibus.

Simus ergo tanquam incudes quædam, quamvis cædamur, non tamen cedamus, neque notas in nobis admittamus relaxationis, aut negligentiæ, atque desidiæ, per flagella et tentationes. Cæsi vincamus in lucta adversarium per patientiam. Sic namque Dominus noster hoc vitæ certamen transegit, flagellatus, contumeliis atque injuriis affectus, persecutiones passus, delusus, consputatus, extremo et infami supplicio crucis affectus ab impiis, omniaque propter nostram sustinuit salutem, nobis vitæ relinquens monumentum atque exemplum, ut qua ipse via tribulationum, tentationum, mortisque ambulavit, eadem etiilli via, qui in ipsum vere credunt, cohæredesque ipsius effici cupientes, incedant. Ut quemadmodum ipse per multas passiones, postremo autem in cruce moriens, vivit crucifixus, moriensque peremit, ac condemnavit peccatum, per carnem adversarias potestates destruens atque evacuans, sicut scriptum habetur: *Exspolians principatus et potestates in cruce, traduxit palam, triumphans illos in semet-*

Digitized by Google

ipso. (*Col.* II, 13.) Sic et nos si omnem impulsum molestiamque inimici fortiter alacriterque etiam ad mortem usque pertulerimus, tunc adversarium per fidem, atque patientiam, et spem in Dominum, superabimus. Sicque probati reperti, et hic eamdem promerebimur redemptionem, sanctique Spiritus sanctificatione replebimur, et sempiternam ibi vitam hæreditate obtinebimus. Nam in certamine spiritali, victoria contra adversarium per passiones et mortem paratur. Patiendo igitur ac moriendo propter Dominum, alacriter adversarium vincamus.

Ideo quamcunque tribulationem atque tentationem ingruentem ; nequaquam laboriosam duramque putetis, sed opportunum potius omnem inimici impetum perferendum ducatis, mortem Domini cum desiderio semper ante oculos statuentes, et sicut dictum est a Domino, quotidie tollentes crucem ejus quæ est mors, sequamur ipsum : sicque facile quamcunque sufferemus tribulationem, sive occultam, sive manifestam. Si enim mortem pro Domino subire exspectamus, et ob oculos constituentes, semper concupiscimus : quanto magis qualescunque tribulationes graves atque molestas, opportune facileque cum gaudio sustinebimus ? Idcirco enim graves nobis atque molestæ, intolerabilesque tribulationes videntur, quod mortem Domini ob oculos semper positam non habeamus, et in ipso mens nostra omni tempore cum desiderio non sit defixa. Qui enim Christum possidere desiderat, etiam pro ipso pati, congruum est ut concupiscat. Itaque Christi amatores in hoc ostenduntur, quando adversitatem quamcunque ipsis ingruentem, strenue prompteque ob spem in Deum perferunt. Proinde Dominum obsecremus, ut nobis intellectum præbeat, ad cognoscendam voluntatem ipsius, eamque alacriter perficiendam in omni patientia ac longanimitate, cum gaudio, quod ipse nobis largiatur, confirmans nos in omni beneplacito suo ; ut probati eoque digni reperti, æternam consequamur salutem, in Christo Jesu Domino nostro : cui gloria et potentia in sæcula sæculorum.

Qua igitur in re gloriabuntur negligentes, desides, et qui cuncta velut adiaphora contemnunt, in sua videlicet desidia, negligentia et interitu ? Væ ipsis, quoniam negligentes fuerunt.

Venite, dilectissimi, satagamus ; venite, procidamus ei. Lugeamus et ploremus coram ipso sine pudore, ut animæ illustrationem nobis largiatur. Intelligite dolos ac fraudes inimici nostri, adversarii, bonorumque osoris, quoniam ponit ob oculos nostros, lapsus, scandala, multarum divitiarum detrimenta, sæculi hujus jactantiam, carnalem voluptatem, longævam præsentis vitæ exspectationem, ascetici instituti horrorem, in precibus negligentiam, in psalmodia somnolentiam, et corporalem requiem. Quantum ille satagit, tantum nos desides sumus et negligimus : quo majores nobis tendit insidias, eo magis despicimus, scientes quod dies nostri breviati sunt, et tempus advenit, et Dominus gloriæ venit cum magnificentia pulchritudinis suæ et cum tremendis regni sui Virtutibus, ut reddat unicuique secundum opera ejus. Timeo, fratres, ne impleatur in nobis verbum Domini dicentis : *Venient ab oriente, et occidente, et aquilone, et mari, et recumbent cum Abraham et Isaac in regno cœlorum ; vos autem ejiciemini foras.* (*Matth.* VIII, 11.)

S. Ephrem, *De patientia*, t. II. — Rogo te, lux veritatis, Christe, germen benedicti Patris, imago et splendor substantiæ ejus, qui sedes a dextris majestatis ejus, incomprehensibilis Fili, investigabilis Christe, et imperscrutabilis Deus, gloria et gaudium diligentium te, vita mea, Christe, salvum fac me peccatorem in regno tuo, et ne retribuas mihi secundum opera mea, sed salvum me fac per gloriam tuam, et miserere mei secundum miserationes tuas, quoniam tu es benedictus et laudabilis in sæcula sæculorum. Amen.

S. Gregor. Naz., orat. 45, t. I. — Age vero, nos quoque legis participes efficiamur, verum evangelice non litteraliter, perfecte non imperfecte, sempiterne non temporarie. Caput nobis efficiamus, non terrenam Jerusalem, sed cœlestem Metropolim ; non eam, inquam, quæ nunc ab exercitibus calcatur, sed quæ ab angelis laude et prædicatione effertur. Mactemus, non *vitulos novellos*, nec agnos *cornua producentes et ungulas* (*Psal.* LXVIII, 32), quæ magna ex parte mortua sunt, ac sensu carent ; verum Deo in superno altari cum cœlestibus choris *sacrificium laudis immolemus.* (*Psal.* XLIX, 14.) Penetremus primum velamen, ad secundum accedamus, in Sancta sanctorum prospiciamus. Atque ut majus aliquid dicam, immolemus nos Deo ; imo singulis diebus nosmetipsos motusque omnes immolemus. Omnia pro verbo excipiamus, per passiones passionem imitemur, per sanguinem sanguinem honoremus, crucem alacres conscendamus. Dulces sunt clavi, tametsi valde acerbi. Præstat cum Christo, et pro Christo pati, quam cum aliis in deliciis versari.

Idem, orat. 34, tom. I. — Vos estis alumni et soboles illorum præstantium veritatis doctorum, et propugnatorum, et victorum (Athanasii et Petri ejus in throno successoris), quos non tempus, non princeps, non sermo, non invidia, non metus, non accusator, non calumniator, non bellum aperte inferens, non clandestinas insidias struens, non in speciem noster, non alienus, non aurum, occultus ille tyrannus, per quem nunc multa sursum deorsumque velut in talorum ludo jactantur, non blanditiæ, non minæ, non exsilia, et multa et diuturna (soli enim bonorum proscriptioni in eos propter

Digitized by Google

magnas illas divitias, hoc est inopiam, nihil licuit), non aliud quidpiam absentium, aut præsentium, aut in exspectatione positorum, extulit, aut adducere potuit, ut deteriores fierent, ac de Trinitate aliquid proderent, et Divinitatis jacturam facerent. Imo contra, ex ipsis periculis robur collegerunt, atque ad pietatem ferventiores exstiterunt. Talia enim pro Christo pati, amori cumulum affert atque animi magnitudine præditis viris ad sequentia certamina velut arrha existit.

S. Ambros., epist. 27, *Irœneo*, tom. II. — Sequamur sanctum Jacob, et vias ejus, ut perveniamus ad eas passiones, ad eas congressiones, perveniamus ad humerum, perveniamus ad patientiam matrem fidelium, et ad patrem Isaac, id est jucunditatis capacem, lætitiæ redundantem. Ubi jam patientia, ibi lætitia, quia post tribulationes patientia, patientia autem probationem operatur, in qua est spes, de qua non confundimur; quoniam qui non fuerit confustus crucem Christi, nec Christus confundetur in eo.

Idem, *Exposit. in psal.* cxviii, tom. I. — In Evangelio Dominus Jesus docens virtutem atque insigne patientiæ, ait: *Qui te percusserit in maxillam: præbe ei et alteram.* (*Matth.* v, 39.) Vult enim discipulos suos et injuriarum esse patientes, nec referire facile, nedum ferire. Patientia enim humilitatis indicium est.

Idem, lib. III, *de fide*, tom. II.— Principium nostræ virtutis est Christus. — Principium parcimoniæ Christus, qui pauper factus est, cum esset dives. (*II Cor.* VIII, 9.) Principium patientiæ Christus, qui cum malediceretur, non remaledixit; cum percuteretur non repercussit. (*I Petr.* II, 23.) Principium humilitatis Christus, qui formam servi accepit; cum Patrem Deum majestate æquaret. (*Philip.* II, 7.) Ex illo enim accepit virtus unaquæque principium.

Idem, *in psal.* lxxii.—Voluit deseri, voluit prodi, voluit ab apostolo tradi: ut tu a socio desertus, a socio proditus, moderate feras tuum errasse judicium, periisse beneficium.

Idem, *in Luc.* VI. — Futuræ præmia sperare non poterit, qui non exercitatus sit diversorum certamine præliorum. Qui vero sive juste sive injuste afficitur in hoc sæculo, gratulatur vel quod hic solvat pretia delictorum suorum, vel quia novit eam esse apud Deum uberiorem gratiam, si injuste pro ejus nomine, aut pro bono aliquo opere, acerba aliqua patiatur.

Idem, *in Jer.* I. — Liberat Dominus, non quo propheta persecutionibus careat et angustiis; quippe cum legamus eum multa perpessum; sed ut patiens omnia superet, nec cedat angustiæ.

S. Chrysost. hom 33, *in Epist. I ad Cor.* t. X.—*Charitas, patiens est, benigna est*, etc. (*I Cor.* XIII, 4.) Ne prætercurras, dilecte, ea quæ dicuntur, sed eorum singula examina diligentissime, ut rei thesaurum videas, et pictoris artem; perpende igitur unde statim incœperit, et quam primam posuerit omnium bonorum causam. Quid autem hoc est? Patientia: hæc philosophiæ omnis est radix. Ideo Sapiens quispiam dicebat: *Vir patiens est multæ prudentiæ.* (*Prov.* XIV, 31.) Qui autem pusilli est animi, valde insipiens est. Et cum urbe munita ipsam comparans, eam illa tutiorem esse dixit: nam armatura quædam est inexpugnabilis, et concussa turris quæ molesta omnia facile propulsat. Et sicut scintilla in abyssum incidens, illam quidem nihil lædit, ipsa vero facile exstinguitur; sic et in patientem animam quidquid inexspectatum incidit, id quidem facile deletur, illam vero minime turbat. Etenim patientia omnium firmissima est. Etiamsi exercitus dicas, etiamsi opes, etiamsi equos, muros, arma et quidvis aliud, nihil patientiæ par dices. Nam qui illis instructus et circumdatus est, a furore sæpe correptus, instar pueri debilis evertitur, et omnia tumultu ac tempestate replet. Hic autem tanquam in portu sedens, profunda fruitur tranquillitate. Etiamsi contumeliam intuleris, turrim non concussisti; etiamsi plagas inflexeris, adamantem non percussisti. Etenim *longanimis* ideo dicitur, quia longum quemdam et magnum habet animum. Quod autem longum est, etiam magnum dicitur. Sed hoc bonum ex charitate oritur, et iis qui eam possident, illaque fruuntur, magnam parit utilitatem.

Ne mihi enim desperatos dixeris, qui mala facientes, neque patientes, fiunt deteriores. Hic non ex patientia hujus, sed iis qui non illa, ut par esset, utuntur, hoc accidit. Ne itaque mihi hos dixeris, sed mansuetiores qui magna hinc lucrantur. Quando enim male facientes non male patiuntur, patientis mansuetudinem admirantes, magnam inde lucrantur philosophiæ doctrinam. Ipse vero non hic gradum sistit, sed et alia ejus præclara gesta subjungit dicens: *Benigna est.* Quia enim quidam sunt qui patientia non ad propriam philosophiam utuntur, sed ad ultionem eorum qui ipsos irritavere, seipsos disrumpentes, dicit illam hoc vitio non laborare. Et ideo subjungit, *benigna est.* Neque enim ad accendendam flammam eorum qui ira incenduntur, cum illis benignius agunt, sed ad sedandam et exstinguendam. Neque tantum generose ferendo, sed etiam curando et hortando, ulceri medentur, et vulnus iræ curant. *Non æmulatur.* Potest enim aliquis patiens esse et invidus, et hoc vitio bonum opus illud corrumpitur. Sed ipsa hoc quoque effugit.

Idem, *ibid.*—Animum adhibe: qui patiens est, non est omnino benignus: quod si benignus non sit, hæc res est vitium, et periculum est ne in recordationem injuriarum incidat. Ideo ipsa pharmacum dans,

Digitized by Google

benignitatem dico, puram conservat virtutem. Rursum benignus sæpe facilis est; sed et hoc illa corrigit. Charitas enim, inquit, *non agit perperam, non inflatur.* Qui benignus et patiens est, sæpe arrogans est. Sed et hanc tollit nequitiam. Et perpende quomodo eam non solum ab iis quæ habet, sed etiam ab iis quæ non habet, exornet. Dicit enim eam et virtutem inducere, et malitiam exscindere; imo vero ne virtutem nasci quidem sinit. Neque enim dixit, æmulatur quidem, invidiam vero superat; neque : arrogans quidem est, sed hoc vitium castigat; sed, *non æmulatur, non agit perperam, non inflatur* (*Cor.* XIII, 4) : quod autem maxime mirabile est, sine laboribus bona facit, et sine bello vel acie tropæum erigit. Neque enim sudare sinit eum qui se possidet, et ita coronam accipere, sed sine labore bravium ille defert. Ubi enim non est adversarium vitium temperanti cogitationi, quis labor fuerit ?

S. CHRYS., hom. 6. *in Act. apost.*, t. IX. — Vide, ille (Christus) dicit : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* (*Matth.* XI, 29.) Ille (diabolus) ait : Ferox esto et inhumanus, atque iracundus, et fera magis quam homo. Videamus quid utilius, quid opportunius. Imo ne hoc tantum; sed cogita illum esse diabolum; illud enim maxime demonstratum est : jam triumphus major erit. Non enim qui facilia imperat, curator est, sed qui utilia. Nam patres onerosa imperant, et heri quoque servis. Sed ideo hi quidem patres sunt, illi vero heri, subigentes et perniciosi; contraria sunt omnia. Verum quod voluptatem habeant, hinc palam est. Qua enim conditione putas esse iracundum, qua patientem et mitem? Nonne hujus anima similis est solitudini cuipiam multam quietem habenti; illius vero anima foro, turbæ, ubi multus clamor sequentium camelos, mulos et asinos, qui occlamant accedentibus ne conculcentur. Nonne illius anima mediis civitatibus similis est, ubi hinc aurificum, inde ærarorium magnus fragor : et alii quidem lædunt, alii vero lædunturs? Sed hujus anima similis est vertici montis, leni aura fruenti purisque radiis, limpida fontium fluenta emittenti : ubi multæ florum gratiæ, perinde atque in vernis pratis et hortis, quæ plantis, floribus, et defluentibus aquis ornantur. Si quis vero sonus audiatur, suavis est, et multam fundit audientibus voluptatem. Nam vel aves sunt summis arborum in ramis cantillantes; vel cicadæ, lusciniæ, hirundines, concordem et unam quamdam efficiunt musicam; vel zephyrus blande ramos arborum allidit, pinorum stridulos sonos et cyclos plerumque imitatur; vel pratum rosas emittens et lilia, quæ se mutuo collidunt, quasi pelagus item lenibus undis commotum. Imo multas quis invenerit imagines. Nam si quis rosas inspiciat, itidem se videre putabit; si violas, mare undosum; si lilia, commum. Neque spectaculo et visu tantum delectatur, sed etiam corpore : ille namque recreatur et respirat; ita ut se in cœlo potius esse putet, quam in terra.

Est et alius sonus; cum aqua ex cacumine defluens per præcipitia sponte fertur, et subjectis silicibus leniter obstrepit. Sicque membra nostra voluptate relaxat : ita ut somnum membra solventem conciliet. Narrationem libenter audistis; hincque forte injectus vobis est solitudinis amor. Sed hac solitudine multo suavior est patientis anima. Non enim ut pratum describeremus, neque ut ad ostentationem verba funderemus, hanc aggressi sumus imaginem; sed ut per hanc descriptionem videretis quanta sit patientium voluptas, et quod multo suavius utiliusque sit, cum viro patiente et mansueto versari, quam in hujusmodi locis degere. Hos sequamini. Cum enim neque ventus vehemens a tali anima egrediatur, sed benigni mansuetique sermones zephyro placido similes, et admonitiones nihil asperum habentes; sed aves illas cantatrices imitantes : quomodo hoc non melius fuerit? Non enim corpori accidit sermonis aura, sed animas reficit.

Non tam cito medicus, qualibet adhibita cura, a febri liberaverit, ut vir patiens iracundum et excandescentem, spiritu verborum suorum refrigerabit. Ecquid de medico loquor? Ne ferrum quidem ignitum in aquam immissum, tam cito calorem amittit, ut iracundus in mansuetum incidens. Sicut autem si in forum ingrediantur cantillantes aves, nugæ esse videntur; sic quoque præcepta nostra in animas iracundas immissa. Ergo suavior est mansuetudo ira et temeritate. Neque hoc tantum, sed hoc diabolus, illud Deus præcepit. Videte me non sine causa dixisse, etiamsi nec diabolus nec Deus esset, hæc tamen præcepta satis fore ad nos abducendos. Mitis enim homo et sibi suavis et aliis utilis est; iracundus vero, et sibi insuavis, et aliis noxius. Nihil enim ingratius homine iracundo, nihil onerosius, molestius, turpius; ut eo qui irasci nescit, nihil jucundius. Cum fera habitare melius est, quam cum tali homine; fera namque, quando semel curatur, suam servat legem; illum autem quoties placaveris, toties iterum efferatur; sibi enim habitum talem semel constituit; sicut enim dies serenus et lætus, et hiems admodum tristis, contraria sunt; ita iracundi et mansueti animæ.

At nondum ea quæ in alios manant incommoda, sed quæ sibi ipsis inferunt videamus. Atqui hoc non parvum est damnum, alium damno afficere. Verum interim illud consideremus. Quis carnifex sic latera dilacerare poterit? Quæ verba ignita sic corpus transfigere? Quæ vesania a sana mente excutit, ut ira et furor? Multos novi qui ab iracundia in morbos inciderunt : hæ sunt gravissimæ omnium febres. Quod si corpus ita labefactent, animam cogita. Ne ratiocineris, quia non vides; sed cogita, quod si is qui malitiam concipit, ita læditur, id

Digitized by Google

quod ille pariet quantum damnum afferet? Multi oculos perdiderunt, multi in gravissimos incidere morbos. Qui vero fortiter tolerat, omnia facile feret. Attamen licet tam onerosa præcipiat, et horum mercedem gehennam proponat, licet ille diabolus sit, et salutis nostræ inimicus, magis illi obtemperamus, quam Christo servatori, benefactori et talia dicenti, quæ et suaviora et utiliora sunt, nobisque et contubernalibus magna bona conferant. Nihil ira pejus, dilecte, et intempestivo furore. Non fert longam moram, acutus est morbus. Sæpe quis verbum ex ira profert, quod ut reparet, tota vita opus habet; et aliquid operatur, quod totam ejus vitam subvertat. Quod autem gravissimum est, brevi tempore, uno opere, uno verbo sæpe æternis privamur bonis, innumerosque nobis parimus labores. Quamobrem rogo omnia faciamus ut hanc feram frenemus.

S. Chrys., hom. 54, al. 53, *in Joan.*, t. VIII. — Multa nobis patientia opus est, dilecti; patientia autem tunc acquiritur, cum dogmata in corde radices egerunt. Ut enim quercum profundis instructam radicibus, quævis venti violentia non evellit; sic animam divino confixam timore nemo poterit evertere. Clavis enim affixum esse amplius est, quam radicatum esse. Id precabatur Propheta : *Confige timore tuo carnes meas.* (*Psal.* cxviii, 120.) Sic et tu confige et alliga quasi clavo altius impacto. Ut enim sic affecti vix capiantur; sic secus compositi captu faciles, nullo negotio dejiciuntur.

Idem, hom. 83, al. 84, *in Joan.* — Mirabilis res est patientia, quæ animam a fluctibus spiritibusque malignis liberatam, quasi in tranquillo portu constituit. Hanc nos ubique Christus docuit; nunc vero maxime cum ad judicium trahitur et circumagitur. Etenim ad Annam adductus, cum mansuetudine magna respondit, et cædenti servo ea respondit, quæ fastum omnem coercere possent. Hinc ad Caipham, deinde ad Pilatum ductus, totaque consumpta nocte, in his ubique magnam præ se tulit mansuetudinem : cum dicerent ipsum facinorosum esse, quod probare non poterant, silens tamen ille stetit. Cum autem de regno interrogatus est, tunc locutus est Pilato, erudiens eum, et ad sublimiora ducens.

S. Hieronym. *in Jerem.* 1. — Liberat Dominus, non quo propheta persecutionibus careat et angustiis; quippe cum legamus eum multa perpessum, sed ut patiens omnia superet, nec cedat angustiæ.

S. August., *De patientia*, cap. 4. — Vis desideriorum facit tolerantiam laborum et dolorum : et nemo nisi pro eo quod delectat, sponte suscipit ferre quod cruciat.

Idem, *ibid.*, c. 1. — Adam victus est in deliciis, Job vicit in pœnis; consensit ille oblectamentis; non cessit iste tormentis; sed sustinens in carne dolores suos, in corde errores alienos, conjugis corripiebat insipientiam, amicos docebat sapientiam, servabat ubique patientiam.

Idem, *ibid.*, c. 29. — Horum pauperum, adhuc credentium, nondum contemplantium; adhuc sperantium, nondum tenentium; adhuc desiderio suspirantium, nondum felicitate regnantium; adhuc esurientium et sitientium, nondum satiatorum, patientia *non peribit in æternum*, quia infructuosa non erit.

S. Gregor., *Moral.*, lib. VII, cap. 6. — Quos ad fortia trahere nitimur, eorum necesse est ut infirma toleremus : quia nec jacentem erigit, nisi qui status sui rectitudinem per compassionem flectit. Cum vero alienæ infirmitati compatimur, valentius a nostra roboramus; ut amore futurorum mens ad præsentia adversa se præparet, et cruciatus corporis quos timebat exspectet.

Idem, *ibid.*, lib. XVII, cap. 4. — Necesse est ut, cum nos diutius exspectari conspicimus, ipsa prærogatæ pietatis tempora, quasi damnationis argumenta timeamus, ne ex clementia judicis, crescat supplicium peccatoris, et unde quisque eripi a morte poterat, inde gravius ad mortem tendat.

S. Bernard., serm. 70. — Duo ad minus necessaria sunt. Dico autem continentiam et innocentiam, quarum una sine altera nec salvabit. — Pono itaque primam omnium innocentiam. Et si huic jungere continentiam quivero, divitem me putabo in possessione liliorum. Rex sum autem, si tertiam his adjungere potero patientiam. Et quidem possunt illæ sufficere, sed quia et deficere in tentationibus possunt, siquidem tentatio est vita hominis super terram, opus profecto patientia, quæ utriusque sit quasi tutrix quædam et custos.

Idem, *Ad Eugen.*, *De consideratione.* — Non bona patientia est, cum possis esse liber, servum te permittere fieri. Vera patientia est, pati vel agere contra quod libeat, sed non præter quod liceat.

PATRIA

[Ex SS. Patribus.]

Origen., *in Epist. ad Roman.*, *tom.* IV. — Quomodo Christus pro nobis mortuus sit, et quomodo, cum sit Agnus Dei, tulerit peccatum mundi, et infirmitates nostras portaverit, et pro nobis doluerit, sæpe a nobis in aliis dicta sunt locis, ubi adhibuimus et ea quæ in sæcularibus historiis feruntur, quod etiam apud ipsos nonnulli pestilentias, vel turbines, aliaque his similia perhibentur morti se objiciendo repulisse; et patriam, vel gentem suam imminentis cladis excidio liberasse. Quæ quidem quam vere scripta sint, vel quid rationis habeant, si vera sunt, Dei est nosse solius. Nullus tamen ipsorum, de quibus ista narrantur, ne

Digitized by Google

ficto quidem sermone totius mundi peccata absolvisse perhibetur, nisi Jesus solus, *qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. sed semetipsum exinanivit* (*Philipp.* II, 6), et secundum voluntatem Patris, forma servi susceptâ, obtulit victimam pro universo mundo.

S. Gregor. Nazian., orat. 26, tom. I. — Exsulem vocabunt? quam demisse de nobis sentiunt vere contumeliosi inimici. Estne enim mihi, o viri, circumscripta patria, cui et omnis terra, et nulla terra patria est? Tu vero annon hospes es, et advena? Equidem habitationem tuam haud laudo, si ita animo afficeris, verendumque tibi est ne a vera patria excidas, ad quam omnis vitæ conversatio referenda est.

S. Chrysost., hom. 9, *in Matth.*, t. VII.— Cur de patria altum sapis, quando ego, inquit (Christus), in toto orbe te peregrinum esse jubeo? quando licet tibi talem esse, ut totus mundus te non sit dignus? Hæc enim ita contemnenda sunt, ut ne a philosophis quidem Græcorum aliquo in pretio habeantur, sed extranea vocentur, extremumque locum occupent.

Idem, hom. 31, *in Gen.* XII. — *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi.* (*Gen.* XII, 1.) Quasi diceret : Relinque certa, et omnibus aperta, et elige magis incerta et non apparentia. Considera quomodo ab initio exercetur justus, ut præeligat non apparentia præ apparentibus, et futura præ iis quæ in manibus sunt. Neque enim vulgare et parvum aliquid erat id, quod ei ut faceret præcipiebat Deus ; nempe ut terram relinqueret quam inhabitarat tanto tempore, et omnem cognationem, et totam patris domum, iretque nesciens et ignorans quorsum. Non enim dixit ei, in quam regionem transferre eum vellet, sed mandato indefinito pium patriarcham exercuit. *Veni enim*, inquit, *in terram quam monstravero tibi.* Cogita, quæso, dilecte, quam sublimem animum requirebat hoc mandatum, qui plane nulla vel affectione, vel consuetudine impediri potuerit. Si enim nunc post tanta religionis incrementa, multi adeo sunt consuetudini suæ alligati, ut potius multa, et si necessitas urgeat, omnia ferre velint, quam loca mutare in quibus prius habebant domicilium; id quod non solum a vulgaribus hominibus fieri videmus, sed etiam ab iis qui e medio tumultu fugere, et monasticam vitam delegerunt : quanto magis vero simile erat justum illum ad hoc mandatum tardiorem fore?

Egredere, inquit, et relinque cognatos, et domum paternam, et veni in terram quam monstravero tibi. Quem non turbarent verba ista? Neque locum, neque regionem certam ei designat, sed indefinito præcepto mentem explorat justi. Nam si quis alius, et e vulgo fuisset, is qui mandatum accepit, dixisset utique : esto, præcipis, ut relinquam terram quam inhabito, cognationem, domum paternam; quare non etiam locum declaras, in quem me proficisci jubes, ut certiorem me reddas quantum sit iter agendum? Unde enim nosse valeam hac, quam relinquo, uberiorem et præstantiorem illam esse? at justus nihil horum vel dixit, vel cogitavit; sed respiciens ad magnitudinem eorum quæ imperata erant, iis quæ in manibus habebat, incerta præferebat. Atqui si non tam generosum spiritum, nec tam philosophicam mentem habuisset, nec didicisset per omnia Deo parendum esse, fuisset tamen ei et aliud etiam ipsum non parvum impedimentum, nempe mors patris. Scitis enim multo sæpe numero propter sepulcra cognatorum in his locis mori deligere, ubi parentes eorum mortui et sepulti sunt.

Idem, hom. 56, al. 55, *in Joan.*, t. VIII.— Quod si nunc ut splendidas et bono aere fruentes ædes habeamus, infinitas opes expendimus misere exædificando, cogita quot sint subeundi corporei labores, ut splendidas ædes nobis in cœlis exstruamus, ubi lux illa ineffabilis. Hic enim et pugnæ et contentiones de terminis et parietibus; ibi vero nihil simile, nulla invidia vel livor; nemo de terminis nobiscum contendet. Hæc porro necessario relinquenda domus est; illa perpetuo manet : hæc tempore teritur, innumerisque obnoxia est detrimentis; illa semper stat : hanc pauper excitare nequit, illa vel duobus obolis construitur, ut vidua illa construxit. Ideo præfocor, quod, tot nobis propositis bonis, ita segnes desidesque simus, nihilque non agamus, ut hic conspicuis fruamur ædibus, dum nihil curamus ut in cœlis vel minimum paremus nobis diversorium. Dic, quæso, ubi hic domum habere velles? In deserto, aut in aliquo parvo oppidulo? Non puto : sed in magnis regiisque urbibus, ubi majus commercium, ubi splendor major est. Ego in talem te duco civitatem, cujus opifex et auctor est Deus. Hic, quæso, construamus, hic exædificemus minore sumptu et labore. Has ædes construunt manus pauperum, hoc optimum est ædificium. Quæ autem hic construimus, extremæ sunt dementiæ argumentum. Nam si quis te in Persidem ageret, visurum illam regionem, et mox reversurum; atque te illic juberet ædes exstruere, annon stultissimum illum diceres, qui tibi inanem sumptum suaderet? Cur ergo in terra idipsum facis, unde brevi migraturus es?

At, inquies, filiis relinquam : verum illi quoque te paulo post secuturi sunt; imo sæpe te præcedent, illorumque similiter posteri; hincque tibi mœroris causa, cum hæredes non tibi superesse videas. Ibi vero nihil hujusmodi timendum, sed immota manet hæreditas tibi, filiis, nepotibus, si eamdem virtutem imitabuntur. Illam Christus ædificat : quo opifice nullis curatoribus, nulla sollicitudine est opus. Ubi enim Deus in se suspicit opus, quid ultra curati-

Digitized by Google

dum? Ille omnia colligit, et domum excitat. Neque id solum mirabile est, sed quod ita illam exstruat ut optare, imo melius quam optare possis. Est enim artifex optimus, qui tibi utilissima curat. Si pauper sis, et hanc construere domum velis, nullam invidiam, nullum tibi pariet livorem : nemo enim invidus illam videt ; sed angeli tantum qui de bonis tuis gaudent. Nemo illius fines invadere poterit, quia hoc morbo laborantium nullus vicinus erit. Vicinos illic habebis sanctos, Paulum, Petrum, prophetas omnes, martyres, angelorum et archangelorum cœtus. His vero de causis facultates pauperibus effundamus, ut illa tabernacula consequamur, quæ nos omnes adipisci contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi

S. Chrys., hom. 79, *al.* 78, *in Joan.* t. VIII. Vincamus mundum, ad immortalitatem curramus. Sequamur regem : ipsi tropæum erigamus, voluptates despiciamus : non opus est laboribus ; animam transferamus ad cœlum, et totus mundus victus est. Si illum non concupiscas, victus est ; si derideas illum, superatus est. Hospites sumus et peregrini : de nulla ergo re tristi doleamus. Neque enim si ex florente patria, et claris majoribus ortus, in longinquam migrares terram, nemini notus, sine liberis, sine opibus, deinde a quopiam contumeliam acciperes, perinde ægre ferres ac si domi id passus esses : cum scires enim te in peregrina et aliena regione esse, id tibi omnia facile ferenda et contemnenda esse suaderet, et famem et sitim, et si qua alia. Hoc etiam nunc cogitate, nempe advenam et peregrinum esse, et utpote in aliena regione, a nulla re turberis. Civitatem enim habes, cujus opifex et creator est Deus : hæc vero peregrinatio ad breve tempus est ; qui vult verberet, contumeliis et convitiis oneret. In peregrina terra sumus et misere vivimus.

Grave quippe esset in patria pati, inter concives, tunc maxima esset infamia et jactura. Si autem ibi quis esset, ubi neminem sibi notum habet, omnia facile toleraret. Contumelia enim ex inferentis voluntate gravior judicatur. Ut, exempli causa, si quis prætorem sibi notum contumelia afficeret, tunc contumelia esset acerba ; si autem privatum esse ratus offenderet, ne attingere quidem videretur eum cui infertur. Sic nobiscum reputemus, neque enim contumeliosi illi quinam simus sciunt ; nempe cœlorum cives, in supernam ascripti patriam, et inter cherubinorum choreas. Ne itaque doleamus, neque contumeliam putemus esse contumeliam ; nos si cognoscerent, non utique læderent. Sed nos pauperes miserosque putant. Ne ergo id pro contumelia habeamus. Dic enim mihi, si quis iter agens servos suos aliquandiu in diversorio exspectaret, caupo autem vel viator, seu alius quispiam ignarus illi malediceret et conviciaretur, nonne illius ignorantiam rideret, illiusque errore delectaretur? Nonne lætaretur ac si alius, non ipse, afficeretur contumelia? Ita et nos faciamus Nam in diversorio sedemus, viæ socios exspectantes. Cum omnes conveniemus, tum quos læserint, intelligent. Tunc, demisso capite, dicent : Hic est quem nos stulti habuimus in derisum. (*Sap.* v, 3.)

S. August., *De civitate Dei*, lib. xix, tom. VII. — Pertinet ad virtutis officium, et vivere patriæ, et propter patriam filios procreare.

Hugo de S. Vict., *Didasc.*, lib. iii, c. 2. — Magnum virtutis principium est, ut discat paulatim exercitatus animus visibilia et transitoria primum commutare, ut postmodum possit derelinquere. Delicatus ille est adhuc, cui patria dulcis est, fortis autem jam, cui omne solum patria est ; perfectus vero cui mundus exsilium est.

PAUPERTAS, PAUPERES

[Ex SS. Patribus.]

S. Clement., hom. 16, t. I. — Tum Pater : Nonne multos impios videmus pauperes? An propterea et illi inter eos qui salutem consequentur numerandi sunt? Et Petrus. Nequaquam omnino. Non enim probanda est pauperis inopia, si quæ non oportet appetat. Itaque nonnulli voluntate divites opum sunt, et tanquam facultatum cupidi puniuntur. Sed nec quod aliquis sit pauper, statim justus est. Potest quippe pauper esse pecunia, at eam cupere, aut id facere quod præcipue non oportebat. Nam vel idola colit, vel blasphemat, vel fornicatur, vel indifferenter vivit, perjurus, mendax, aut infidelis. Cæterum magister noster fideles pauperes beatos prædicavit ; eosque non velut aliquid largientes, neque enim habebant ; sed quia, cum nihil peccarint, ob id solum eleemosynæ, quod eam inopiæ ergo non fecerint, condemnari non possunt.

Minutius Felix, *Octav.* — Quod plerique pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria. Animus enim ut luxu solvitur, ita frugalitate firmatur. Et tamen quis potest pauper esse qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo dives est? Magis pauper est ille qui cum multa habeat, plura desiderat. Dicam tandem quemadmodum sentio : nemo tam pauper potest esse quam natus est. Ut qui viam terit eo felicior quo levior incedit ; ita beatior in hoc itinere vivendi qui paupertate se sublevat, non sub divitiarum onere suspirat. Si facultates utiles putaremus, a Deo posceremus ; utique indulgere posset aliquantum, cujus est totum. Sed nos contemnere malumus opes, quam continere ; innocentiam magis cupimus, magis patientiam flagitamus.

Lactant., *De falsa relig.*, lib. iii, cap. 22. — Qui vult homines adæquare, non opes subtrahere debet, sed arrogantiam, super-

Digitized by Google

biam, ut illi potentes et elati pares etiam se esse mendicissimis sciant. Detracta enim divitibus insolentia et iniquitate, nihil interierit, utrumne alii divites, alii pauperes sint, cum animo pares sint, quod efficere nulla res alia præter religionem Dei potest.

LACTANT., *De falsa relig.*, lib. v, cap. 16.— Nonne aliquid inter singulos interest? Nihil. Nec alia causa est cur nobis invicem fratrum nomen impertiamus, nisi quia pares esse nos credimus. Nam cum omnia humana, non corpore sed spiritu metiamur, tametsi corporum sit diversa conditio, nobis tamen servi non sunt, sed eos et habemus et dicimus spiritu fratres, et religione conservos. Divitiæ quoque non faciunt insignes, nisi quos possunt bonis operibus facere clariores. Divites sunt enim non quia divitias habent, sed quia utuntur illis ad opera justitiæ; et qui pauperes videntur, eo tamen divites sunt, quia et non egent et nihil concupiscunt.

S. BASIL, *in psal.* XXXIII. — *Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum.* Quam multis non suppetit opulentia facultatum, qui animi proposito sunt avarissimi? Tales ad salutem non inopia rerum provehit, sed condemnat voluntas. Non igitur qui eget omnino, beatus est prædicandus, sed qui omnibus orbis thesauris mandatum Christi potius existimat.

ORIGEN, *Comment in Matth.*, t. III. — *Vade, vende quæ habes, et da pauperibus.* (*Matth.* XIX, 21.) Quærere potest aliquis, quomodo is perfectus esse queat qui facultates omnes suas vendidit, et pauperibus erogavit; cum ille demum perfectus sit, qui omnibus virtutibus instructus, jam nihil amplius nequitia adducta facit. Esto enim, aliquis id fecerit, quomodo minime iracundus derepente prodibit, si impotens iræ antea fuerit? Quomodo item omnis anxietatis expers, et rebus omnibus superior quæ homini contingere possunt, et molestiam ipsi parere? Quomodo omnis vacuus formidinis, quam sive dolores et ærumnæ, sive mors, vel ea incutiunt quæcunque in animam etiamnum imperfectam cadere possunt? Qui fiet ut qui facultates vendidit, et egenis distribuit, nulli sit cupiditati obnoxius? Fieri enim posse dicet quispiam, ut ex eo quod bona sua universa aliquis distraxerit, humani aliquid ob paupertatem passus, audacis facinoris pœniteat, et proximi sui facultates concupiscat, quod si id quod voluptas appellatur, cum sit animi sine ratione elatio, affectus est, quomodo bona omnia sua vendat aliquis, et dividat pauperibus, et simul ab omni præter rationem elatione liberetur? Ad eam quæstionem hæc etiam addi potest: qui fieri queat ut ob divendita et egenis distributa bona, divinam sapientiam aliquis adipiscatur, adeo ut unicuique de ipsius fide, fideique capitibus, et obscurioribus sacræ Scripturæ locis hunc percontanti rationem dare possit? At nota arduam esse quæstionem illam, hoc est operosam, quæque non facile solvi queat: nam sive eo ipso duntaxat perfectum aliquem evasisse dicamus, licet ea quæ diximus in se non receperit, in absurdum incurremus, aliquem perfectum simul et peccatis deditum esse dicentes: peccatis enim deditus est, qui iracundus, qui mundi tristitiam patitur, qui ærumnas et mortem reformidat, qui ea concupiscit quibus caret, quique præter rationem rebus minime bonis, tanquam bonis effertur; sive simul atque substantiam aliquis vendiderit, et egentibus diviserit, hunc velut Deo afflatum omne virtutum genus suscepisse, et omnem nequitiam abjecisse pronuntiemus, a fide quidem haud abhorrentia, ut levius dicam, nescio utrum et vera dicemus; et fortasse nos quasi malesana jactantes, deridebunt, qui ejusmodi solutionem propositæ quæstioni adhibitam audierint.

Sapientius ergo aliquis litteræ adhærens, et non in tropologias divertens, ita quæstioni obviam ire videbitur, ut fidelis quidem, an etiam pro rerum quæ hoc loco continentur dignitate, eas animo comprehendens, necne, penes te judicium erit. Dicet ergo quod si pauperum precibus juvatur, qui bona sua iis impertivit, ad salutem suam assumens rerum spiritualium copiam qua præditi sunt, rei pecuniariæ egentes, ut suæ inopiæ succurrat, quemadmodum in posteriore ad Corinthios declaravit Apostolus, cuinam id contingit potius, vel quis majore juvatur auxilio, tot pauperum sublevatorum preces exaudiente Deo; inter quos apostolis fortasse similes sunt aliqui, vel paulo iis certe inferiores; rebus egentes corporalibus, sicut illi, spiritualibus vero abundantes? Qui ergo sermonibus Jesu adductus, ut perfectus evadat, divitiis egestatem permutat, is confestim adjuvabitur, haud secus ac Christi apostoli, ut sapiens in Christo, et fortis, et prudens, et omni affectu vacuus efficiatur. At qui ejusmodi explicationem tuendi hujus loci gratia proferet, minime necessarium esse dicet, ut ipso die quo quis bona sua vendidit, et pauperibus distribuit, id contingere nobis animo fingamus, sed ab ipso fortasse die hunc ad ea deducere divina cura incipiet: laudabilem illam ab affectibus immunitatem dico, et omnigenam virtutem; deinde vero tanquam Isaac proficiens et crescens, propter collatum ipsi a Deo in Christo adjumentum, major erit, donec in omni virtute incrementum capiens, erasa ex ipsius anima omni nequitia, valde magnus existat. Nec vero qui expositionem hanc tradiderit, dicere cogetur hominem alioqui peccatis deditum eo ipso perfectum evadere.

S. CYPRIAN., *ad Clerum, de cura pauperum et peregrinorum*, epist. 36. — Viduarum et infirmorum et omnium pauperum curam peto diligenter habeatis. Sed et peregrinis, si qui indigentes fuerint, sumptus suggeratis de quantitate mea propria quam apud Rogatianum compresbyterum nostrum dimisi. Quæ quantitas ne forte jam universa erogata sit, nisi eidem per Naricum acolythum aliam portionem, ut largius et promp-

Digitized by Google

tius circa laborantes fiat operatio. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere et nostri meminisse. Fraternitatem vestram meo nomine salutate, et ut nostri memores sint admonete.

S. Cypr., *ad clerum de cur. paup.*, epist. 37. —Cyprianus presbyteris et diaconibus fratribus salutem. Quanquam sciam vos, fratres charissimi, litteris meis frequenter admonitos esse ut gloriosa voce Dominum confessis et in carcere constitutis omnis diligentia præbeatur, tamen identidem vobis incumbo, ne quid ad curam desit iis quibus ad gloriam nihil deest. Atque utinam loci et gradus mei conditio permitteret ut ipse nunc præsens esse possem! Promptus et libens solemni mysterio, cuncta circa fortissimos fratres nostros dilectionis obsequia complerem. Sed officium meum vestra, quæso, diligentia repræsentet, et faciat omnia quæ fieri oportet circa eos quos in talibus meritis fidei ac virtutis suæ illustravit divina dignatio. Corporibus etiam omnium, qui etsi torti non sunt in carcere, tamen glorioso exitu mortis excedunt, impertiatur et vigilantia et cura propensior. Neque enim virtus eorum aut honor minor est, quominus ipsi quoque inter beatos martyres aggregentur. Quod in illis est toleraverunt, quidquid tolerari parati et prompti fuerunt. Qui se tormentis et morti sub oculis Dei obtulit, passus est quidquid pati voluit. Non enim ipse tormentis, sed tormenta ipsi defuerunt. *Qui in me confessus fuerit coram hominibus, et ego in illo confitebor coram Patre meo qui in cœlis est*, dicit Dominus. (*Matth.* x, 32.) Confessi sunt. *Qui* toleraverit *usque ad finem, hic salvus erit*, dicit Dominus. (*Matth.* xxiv, 13.) Toleraverunt, et ad finem usque incorrupta et immaculata virtutum suarum merita pertulerunt. Et iterum scriptum est : *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.* (*Apoc.* ii, 10.) Usque ad mortem fideles et stabiles et inexpugnabiles perseverarunt. Cum voluntati et confessioni nominis in carcere et in vinculis accedit et moriendi terminus, consummata martyris gloria est. Denique et dies eorum quibus excedunt annotatæ, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus. —

Pauperibus quoque, ut sæpe jam scripsi, cura ac diligentia vestra non desit : iis tamen qui in fide stantes et nobiscum fortiter militantes Christi castra non dereliquerunt; quibus quidem nunc major a nobis et dilectio et cura præstanda est quod nec paupertate adacti, nec persecutionis tempestate prostrati, cum Domino fideliter serviunt, cæteris quoque pauperibus exemplum fidei præbuerunt. Opto vos, fratres charissimi ac desideratissimi, semper bene valere, et nostri meminisse. Fraternitatem meo nomine salutate. Valete.

Idem, orat. 40. — Egregias opes existima propter Christum, qui nostra causa paupertatem subiit, inopia laborare.

S. Ephrem., *De amore pauperum.*, t. III. — Huc agite ergo, fratres, contemnamus hæc momentanea, omnemque cogitationem æternis illis bonis, nobis promissis, defixam habeamus. Studeamus hoc, priusquam advesperascat, nostraque hæc panegyris solvatur. Faciamus nobis amicos ex mammona iniquitatis : pro testibus multos pauperes acquiramus, à quibus nobis oleum emamus præmittamusque : illi namque oleum pro lampadibus vendunt, quales sunt viduæ, orphani, impotentes, debiles, claudi, cæci, leprosi, et quotquot præ foribus ecclesiarum considunt pauperes : hos foveamus juvemusque; nam judicem ipsi nobis conciliant; caveamusque ne nostrum ab iis vultum avertamus, qui nos adeunt; quin et hilares potius obviam illis occurramus : ad infirmos autem emittamus, quod priori majus erit. Unusquisque in ecclesiis de pauperibus atque peregrinis inquirat, offendensque eos, suis excipere studeat ædibus et beneficere. Ante omnes etiam alios cupidos quisque pauperes sibi præripere studeat. Etenim cum paupere domum una ingreditur Christus, qui propter nos factus est pauper : *Talibus enim hostiis promeretur Deus.* (*Hebr.* xiii, 16.) Quod si *qui prophetam accipit, mercedem prophetæ accipiet* (*Matth.* x, 41), quam ergo mercedem accepturus est, Christum ipsum suscipiens? Perspicuum sane id quod scriptum est : *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt.* (*1 Cor.* ii, 9.) Qui pauperem suas in ædes induxerit, Christum ipsum secum adduxit, qui ait : *Beati misericordes.* (*Matth.* v, 7.) Qui miseretur pauperis, Deo ipsi hoc totum ad usuram tradit, qui dixit : *Quod fecistis uni ex minimis hisce, mihi fecistis.* (*Matth.* xxv, 40.) Qui peregrinum suo sub tecto excipit, Christum ipsum suscipit dicentem : *Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* (*Luc.* ix, 58.) Hæc et his similia, pœnitentiæ sunt fructus, corona, exsultatio, ac Christianorum gloria.

Non glorietur sapiens in sapientia sua, aut potens in potentia sua, aut dives in divitiis suis ; sed quicunque gloriatur, in Domino glorietur. Gloria vero Christianorum, Dei præceptum est. Gloria Christianorum, apostolorum et prophetarum doctrina. Gloria Christianorum, humilitas animi est, spiritalis paupertas, atque obedientia. Gloria Christianorum, psalmodia cum compunctione. Gloria Christianorum, pœnitentia cum lacrymis. Gloria Christianorum mansuetudo et quies, omnibusque se submittere, ac reverentiam tribuere. Gloria Christianorum pedes fratrum lavare. Gloria Christianorum est, dicere socio : Peccavi tibi, ignosce mihi. Gloria Christianorum, advenarum et peregrinorum est receptio atque compassio. Gloria Christianorum et salus est, semper mensa sua pauperes, orphanos, advenasque excipere : hanc etenim domum Christus sua nunquam præsentia destituet. Gloria Christianorum est, non sinere solem occidere super iracundiam suam, neque inimicitiam adversus aliquem obdormiscere. Gloria Christianorum atque corona est, tribulationes sufferre et non indignari, talisque amicus re-

Digitized by Google

perietur illius, qui dixit: *Quoniam tribulatio vestra convertetur in gaudium.* (*Joan.* XVI, 20.) Gloria Christianorum est, eos qui in carcere sunt visitare cujusmodi sunt qui in speluncis ac montibus terræque cavernis versantur, sicut verum decet discipulum illius qui ait: *In carcere eram, et venistis ad me.* (*Matth.* XXV, 36.) Gloria Christianorum est, semper meminisse Dei, magnique diei judicii, et cur non majora affero? Gloria Christianorum, et laus, salusque, rectæ fidei confessio est, et non condescendere, aut suffragari contraria sentientibus: verum servare mandatum et depositum immaculatum, irreprehensibile, nullaque hæresis face pollutum atque permistum, usque ad apparitionem Domini nostri Jesu Christi. Hunc siquidem videns Dominus, dicet: *Ecce verus Israelita,* Christianus scilicet, *in quo dolus non est.* (*Joan.* I, 47.) In his oportet nos gloriari, fratres, et non in curribus et equis, potentiis atque divitiis.

S. GREGOR. Nyss., orat. 2, t. II. In ea Evangelii verba: *Quatenus uni ex his fecistis,* etc. (*Matth.* XXV, 40.) —Adhuc in formidolosi magni illius regis adventus nobis ab Evangelio descripti contemplatione detineor. Adhuc attente consideranti metum quem injicit ea commemoratio, refugit horretque animus. Nam cœlestem ipsum Regem in throno majestatis, ut ibi describitur, terribili quodam modo præsidentem mihi videor intueri. Magnificum illum thronum, quicunque thronus ille sit, eum qui nullo coercetur loco, continentem cerno. Innumerabilia angelorum Regem constipantium millia video. Magnum quinetiam ipsum ac formidantem Regem aspicio, ex immensa gloria in naturam humanam respicientem, et universa genera hominum, quicunque ex eo tempore quo primum generari homines cœperunt, usque ad metuendi illius adventus diem reperiantur, ad se congregantem, singulisque ex institutæ et anteactæ vitæ ratione et meritis, vel præmia dantem, vel irrogantem supplicia, illis qui recte sancteque vixerint; ad dexteram partem, ut dictum est, collocatis: qui vero flagitiose et improbe ad sinistram positis, et condemnatis. Utrosque autem diversa tamen ratione appellantem audio. Alios enim dulcissimis illis ac faustissimis verbis alloquitur: *Venite, benedicti Patris mei.* (*Matth.* XXV, 34.) Alios horribili ac metuenda illa comminatione: *Ite, maledicti, in ignem æternum.* (*ibid.*, 41.) Sic autem mihi hæc legenti et consideranti affectus et perterrefactus est animus, ut ea non legi, sed fieri, non pronuntiari sed agi quodammodo existimem, jamque non audire, sed plane rebus ipsis interesse mihi videor.

Itaque præsentium nihil amplius sentio, nec menti vacat respicere ad aliud quidquam eorum quæ mihi ad explorandum et contemplandum proposita sunt. — Equidem ut ingenue fatear perturbationem animi mei vehementer, o fratres, vehementer illa comminatione conterritus sum. Hoc autem timore vos item allici velim, neque cum ulla ratione despicere. Beatus enim vir qui veretur omnia per metum; ut quodam loco inquit Sapiens (*Prov.* XXVIII, 14): Qui autem contemnit rem, contemnetur ab ea. Prius quam igitur irruant mala, demus operam diligenter, ne nobis hæc tristia necesse sit experiri. Verum quonammodo ea declinabimus? Hoc nimirum, ut eam vivendi rationem et viam quam in præsentia Scriptura nobis ostendit, quæ nunc viget et vere vivit, ingrediamur. Quænam est hæc ratio? Quænam hæc via? Esurivi, sitivi, hospes eram, et nudus, et infirmus, et in carcere. Quatenus uni eorum fecistis, mihi fecistis. Idcirco: Venite, inquit, benedicti Patris mei. Quid ex his discimus? Benedictionem ad summum bonum in diligentia et observantia mandatorum positum esse: maledictionem et malorum extremum ex desidia mandatorumque despicientia proficisci. Illam igitur amplectamur, hanc fugiamus, quando in nostra manu situm est ut utram volumus adipiscamur. Quare benedictionis Dominum qui perinde nobis acceptum laturus est quidquid studii et officii in pauperes contulerimus, ac si in ipsum contulissemus, conciliemus nobis et obstringamus, præsertim hoc tempore quo nobis, dum vivimus magna exsequendi mandati facultas præbetur, multique sunt qui rebus necessariis, multi qui et in ipso corpore indigeant, ab ipsa vi morbi, confecti atque consumpti.

Quid igitur faciendum est? Illud utique ut sancti Spiritus voluntati ne resistamus: ea autem est, ut eos qui eadem natura præditi sunt, tanquam alienos non evitemus, neque imitemur reprehensos illos in Evangelio. (*Luc.* X.) Sacerdotem et levitam dico, qui miserabilem illum quem historia a latronibus semimortuum relictum tradit, nulla commoti commiseratione, præterierunt. Nam si coarguuntur illi, quod ad plagas in nudo corpore intumescentes non respexerint, quomodo nos qui reos illos imitamur, non in eamdem reprehensionem incurremus? Neque enim profecto tam miserandum spectaculum præbuit ille qui in latrones inciderat, ut præbent hi qui ejusmodi oppressi sunt calamitate. Vides hominem ex improbitate morbi in quadrupedis formam commutatum, et ungulæ atque unguium loco ligna manibus induisse, atque ita novum vestigii genus humanis semitis imprimentem. Quis ex ea forma queat agnoscere hominis gressu ejusmodi esse facta vestigia? Homo eo corporis habitu et figura formatus et rectus in cœlum aspiciat, cui naturam instrumentum ad res agendas natura dedit, incurvatur in terram, et quadrupes fit, et parum abest quin rationis expers esse videatur.

Cum difficultate spiritum trahit, irraucescit, et ex intimis visceribus fremitus elicit, ipsis etiam rationis expertibus animalibus effectus (liceat audacter id dicere), calamitosior: siquidem illa, quam ab ipso ortu formam acceperunt, eam ad finem usque conservant: nec ullum ex iis propter aliquem morbum ex ea forma in aliam convertitur.

Digitized by Google

Hic autem, tanquam commutata natura, non id amplius quod erat, sed aliud quoddam animal videtur esse. Pedum illi munere funguntur manus: genua præbent plantarum usum. Nam ipsæ plantæ naturales, et tali, aut plane deficiunt, aut veluti scaphæ quædam extrinsecus temere navibus admotæ, fortuito trahuntur. In his tu hominem cernis, nec sanguinis conjunctionem revereris, nec miseraris propinquum? Sed aversaris calamitatem, et odio supplicem prosequeris. Hominis accessum tanquam feræ alicujus impetum declinas! Atque ne id faceres, debebas vel ea cogitatione prohiberi: nempe angelum a corpore materiaque liberum, te, quamvis sis homo, tamen attingere, nec carne et sanguine mistum atque concretum aspernari. Quid autem angelos dico? Cum ipse Dominus angelorum, ipse cœlestis beatitudinis rex propter te factus sit homo, et sordidas istas abjectasque carnis exuviolas una cum anima, quæ ipsis erat induta, sibi circumdederit, ut attactu suo tuis ægritudinibus mederetur? Tu vero qui natura idem es cum ægrotante, fugis ejusdem generis hominem?

Ne tibi, frater, ne obsecro, placeat tibi consilium pravum. Qui sis et de quibus consulas, considera: homo nimirum de hominibus, qui nihil in te proprium, et a natura communi sejunctum obtines. Futuris de rebus ne præjudicium facias. Dum enim affectionem in alieno corpore conspicuo damnas, incertam de tota natura sententiam pronuntias. Ejus autem naturæ tu quoque particeps es, ut reliqui omnes. Quapropter tanquam communi de re consulatur. Cur igitur quæ in aliis vides misera et calamitosa, non ea te æque ad commiserandum adducunt, ac si in te ipso conspiceres? Vides homines nomades et vagos, tanquam pecora ad comparanda cibaria dissipatos. His vestimenta sunt lacerata, ex attritis centombus consuta, in manibus baculus, non ab ipsis digitis comprehensus, sed loris quibusdam ad palmas alligatus. Hoc illi pro gladio, hoc pro vehiculo utuntur: sacculus adest, et frustum panis situ carieque confectum. Pera rimosa: in hac illis et focus, et domus, et stragulum, et lectulus, et penu, et mensa, omnis denique supellex vitæ in hac pera consistit. At tu hæc aspicis, et quis in iliis sit minime cogitas. Hic enim, si nescis, est homo, factus ad imaginem Dei. Huic ut terræ dominetur concessum est: huic in reliqua animalia datum imperium. Eo tamen calamitate redactus est, atque sic inversus est, ut quidnam sit ambigatur. Nam neque hominis plane, neque aliorum animantium cujusquam indicia præ se fert.

Si cum homine conferas, effigies humana respuit eam deformitatem: si cum rationis expertibus animalibus, ea quoque similitudinem ejusmodi non admittant. Soli igitur ad seipsos solos respiciunt, et miseriæ similitudine inter se congregantur. Qui ab aliis despiciuntur, se ipsi præ necessitate non despiciunt. Undique expulsi confluunt unum in locum, et proprium quemdam populum conficiunt. Vides homines injucundos flebilem tristemque chorum efficientes. At vero ut ipsis se quodammodo jactitant calamitatibus? Ut in se ipsis naturam ostentent deturpatam? Ut varios convenientibus tanquam præstigiatores quidam morbos demonstrant? Poetæ carminum luctuosorum, tristium narrationum inventores, gravium illarum modulatores cantionum, auctores novæ istius miseræque tragœdiæ, in qua non ex alienis, sed ex propriis calamitatibus exempla sumunt ad permovendos animos, atque ita sibi audientiam faciunt. O quæ figuræ, bone Deus, quæ narrationes! Quid ipsos dicentes audimus? Quomodo ab illis qui ipsos procrearunt, nulla sua culpa rejecti sunt? Quomodo expelluntur e civitatibus? Quomodo ex colloquiis communibus, ex publicis festisque conventibus extruduntur, tanquam homicidæ, tanquam parricidæ, exsilio perpetuo mulctati, imo quam illi longe infeliciores! Siquidem homicidis solum vertentibus licet alibi cum hominibus vivere. At isti omnium soli, tanquam communes declarati hostes, undique exturbantur ut canes. Quid? quod eodem tecto, eadem mensa, eodem vasorum usu judicantur indigni?

Hæc enarrant, hæc deplorant: ob hæc necessario se ad hominum pedes abjiciunt miseri, et omnibus occurrentibus supplicant. Sæpe tristi spectaculo illacrymavi; sæpe de natura conquestus sum, et ea me recordatio memoriaque nunc etiam movet atque perturbat. Vidi ægritudinem miserandam, vidi spectaculum plenum lacrymarum: juxta vias celebres, et a prætereuntibus frequentatas jacent homines, imo ne homines quidem, sed infelices hominum reliquiæ, signis et indiciis aliquibus indigentes, ut se homines esse fidem faciant. Neque enim ex naturæ notis quidquam est reliquum ut agnosci possint. Hi soli ex omnibus seipsos oderunt, soli diem suum natalem exsecrantur, ac jure quidem detestantur illum diem, qui talis vitæ principium fuit.

Homines qui se communi appellatione nominare erubescunt, ne ex ipsa nominis communione naturam communem dedecorent, semper in miseriis vitam degunt; perpetuam luctus materiam habent. Quandiu enim se ipsos aspiciunt, tandiu lugendi habent occasionem. Dubitant autem quas magis deplorent corporis partes, easne quæ non adsunt amplius, an illas quæ supersunt; quas morbus assumpsit, an quæ morbo relictæ sunt absumendæ. Dolendumne magis sit, quod in se ipsis eas miserias cernant, an quod eas, adempta etiam morbo vivendi facultate, intueri non possunt? Quod talia de se narrare queant, an quod, sibi ab ipso morbo erepta etiam voce, ne illa quidem valeant explicare? Quod tali vescantur cibo, an quod ne illo quidem commode vesci possint, impedita propter oris corruptas a morbo particulas edendi potestate? Quod sentiendo ea quæ

Digitized by Google

mortuorum sunt propria, perpetiantur, an quod ipsis etiam sensibus spoliati sint? Ubi enim illis aut videndi, aut odorandi, aut tangendi vis? Ubi reliquorum sensuum sedes, quas paulatim, depascente morbo, ulcus arrodit?

Per omnia igitur vagantur loca ad uberiorem pastum, ut animalia rationis expertia, identidem se transferentes. Occasionem ad negotiandum, comparandaque cibaria circumferunt calamitatem, et supplicationis loco morbum omnibus ostendunt. Propter ægritudinem autem ministris egent, a quibus manu ducantur, sed ob inopiam sese vicissim confirmant. Sic enim alter alterius utitur membris pro eis quæ sibi desunt, ut qui per se singuli sunt imbecilli, mutua illa accessione fulciantur. Itaque in hominum conspectum sigillatim non veniunt, sed (adeo egestas etiam ad parandum victum ingeniosos et solertes facit) universi atque inter se congregati conspici volunt. Inde fit ut, cum singuli miserabiles sint, hominibus ita conjuncti magis miserandi coadjuvandique videantur. Aliquid enim quisque in commune confert, et aliis ex alia calamitate misericordiam comparat. Hic prætendit mutilatas manus; ille tumidum ventrem ostendit, alius dilaniatam faciem; crus putrescens alius; qua denique quisque ægrotat corporis parte, eam denudat, ut suam miseriam ostentat.

Quid ergo faciendum est nobis, ut nihil in naturæ legem peccasse videamur? Satisne sit eorum afflictiones deplorare, et oratione morbum extollere, atque ipsa commemoratione commoveri? An necesse est ut facto etiam aliquo misericordiam et benevolentiam erga illos nostram declaremus? Sic est profecto. Nam quæ proportio est inter res veras, et adumbratas picturas, eamdem obtinent verba, si ab operibus sejungatur. Non enim in verbis salutem consistere dicit Dominus, sed in salutis operibus faciendis. Quamobrem quod nobis ipsorum causa mandatum est, id oportet ut ipsimet exsequamur. (*Matth.* VII; *Luc.* VI.)

Quid ergo nos ab illis disjungit? Illud profecto quod non timemus minas illius qui dicit: *Discedite a me in ignem æternum: quatenus enim uni ex his non fecistis, nec mihi fecistis.* (*Matth.* XXV, 41.) Si enim hæc ita habere arbitrarentur, nunquam adduci in eam sententiam possent, ut ægrotantes a se repellerent, nec studium quod in calamitosos impenderetur, vitæ nostræ contagium existimarent. Quamobrem si fidelem eum qui promisit arbitramur, mandatis illius sine quibus digni promissis ejus esse non possumus, obtemperemus. Hospes, nudus, indigens cibo, infirmus, in carcere clausus, et omnia quæ commemorantur in Evangelio, in hoc misero sibi proposita sunt. Vagus oberrat et nudus, infirmus, et propter inopiam quæ morbum ipsum consequitur, rerum egens necessariarum. Qui enim nec domi habet unde alatur, nec aliunde labore potest quæstum facere, huic utique desunt ea quæ vitæ usus requirit. Vinctus autem propterea est, quoniam morbi vinculis constringitur. Itaque mandatorum omnium summam in hoc expletam habes, et ipsum omnium Dominum ob ea quæ benigne ipsi præstiteris, obstrictum et obligatum. Cur igitur in tuæ vitæ perniciem niteris? (*Prov.* XIX, 17.) Qui enim rerum omnium Dominum amicum habere non vult, is sibi ipse gravis est inimicus. Quemadmodum autem mandati observantia conciliatur, sic abalienatur crudelitate. *Tollite*, inquit, *jugum meum super vos.* (*Matth.* XI, 29.) Mandatorum observantiam jugum appellat: jubenti pareamus. Efficiamur jumentum Christi, inducentes vincula charitatis. Tale jugum ne detrectemus, ne excutiamus, suave est, leve est. Subeuntis cervicem non atterit, sed demulcet. *Seminemus in benedictionibus*, inquit Apostolus, *ut et eam in benedictionibus metamus.* (*II Cor.* IX, 6.)

Multiplex spica ex tali semente pullulabit. Ampla est Domini mandatorum seges, sublimes benedictionis stirpes. Vis intelligere in quantam altitudinem extollatur harum stirpium incrementum? Ipsos cœli vertices attingunt. Quidquid enim in hos conferis, in cœli thesauris conditum invenies. Ne diffidas iis quæ dicta sunt mutilatæ, sed ferendum auxilium non imbecillæ. Pedes inutiles effecti sunt: sed currere ad Deum non prohibentur. Effluit lux oculorum sed animo cernunt illa bona quæ oculorum acies intueri non potest. Quamobrem corporis deformitatem ne despicias. Parumper exspecta, et quod superet omnis miraculi fidem intueberis. — Cur igitur mali divitis exemplo admoniti non respicimus? Cur præclarum illud negotiationis genus, ut consulit Apostolus, non exercemus? Vestra, inquit, copia eorum inopiam sustentet (*I Cor.* VIII, 14), ut eorum opes in ea quæ post secutura est vita vobis ad salutem opituleutur. Si quid igitur benignitatis percipere volumus, bene merendo antevertamus; si post hæc reficiendos in præsentia recreemus (*Luc.* XVI); si ab illis in æterna recipi tabernacula, nunc eos in nostra recipiamus; si peccatorum nostrorum vulnera curari, illorum corporum plagis idem præstemus: *Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* (*Matth.* V, 7.)

Quare cum tanta mandati utilitas sit, ut inde regnum cœlorum comparetur; in eo autem exercendo nullum periculum, ut corpus detrimenti quidpiam accipiat, quid impedimento est, quominus ipsum charitatis mandatum excolatur? Difficile et magni laboris est, inquies, ut homines ad hæc, a quibus naturaliter et instinctione quadam animi abhorrent, amplectenda pertrahantur. Belle, rationem admitto, et laboriosum esse confiteor. Verum quidnam eorum quæ ex virtute perficiuntur a labore vacuum ostendes? Sudores et labores multos rerum cœlestium spei lex divina proposuit, atque ad vitam ducentem viam hominibus demonstravit, eamque laboriosissimis ac difficillimis quibusque documentis perau-

Digitized by Google

guste referciens undique coarctavit. Angusta enim est porta et arcta, inquit, est via quæ ducit ad vitam. (*Matth.* VII, 14.) Quid ergo! Illamne summi boni spem idcirco contemnemus, quod ad illud ignavis et inertibus aspirare non licet.

Quamobrem ne quis amplius mandatum esse difficile ac laboriosum objiciat; sed potius omnes utile ac fructuosum illud rec'e obeuntibus fateantur. Et quoniam appareret lucri magnitudo, labor omnis alacriter suscipiatur. Nam quod principio molestum et arduum videtur, id ipsa dies et consuetudo facile jucundum efficiet. — Quandiu ergo feliciter navigas illi manum porrigito, qui naufragium fecit : commune est mare, tempestas communis, communis fluctuum perturbatio, saxa sub undis latentia, syrtes, scopuli, et omnia denique hujus vitæ navigationis incommoda parem cunctis navigantibus metum injiciunt. Dum integer es, dum vitæ pelagus tuto pertransis, ne inhumane prætereas eum qui prius navem illisit. (*Psal.* CVI, 30.) Quis tibi, sponsor, ut felicem navigationem perpetuo sis habiturus! Nondum in portum quietis appulisti. Nondum extra fluctuum periculum es constitutus. Tibi nondum in loco tuto constitit vita, adhuc in vitæ pelago jactaris obnoxius tempestati. Qualem erga naufragum te præstiteris, tales erga te eos qui simul navigant experieris. Omnes igitur in quietis portum secundo sancti Spiritus afflatu provehi contendamus. Adsit diligens mandatorum exercitatio, et gubernaculum charitatis, quibus adjuti tandem promissionis terram assequamur, in qua sita est magna illa civitas, cujus architectus et ædificator est Christus Deus noster cui gloria in æternum.

S. AMBROS., *Hexaemer.*, lib. VI, cap. 8. — Viri fratres, ac paupertatis socii (quamvis enim parvis adhibitis mensuris, alius alium antecellere videatur, pauperes tamen omnes revera sumus, gratiaque divina indigemus), hanc de pauperum amore orationem non anguste et jejune, sed ample et magnifice accipite, ut regni opes assequamini; ac simul orate, ut eam copiose vobis subministremus, et sermone animos vestros alamus, panemque spiritualem fame laborantibus frangamus, sive prisci illius Moysis in morem, cibum e cœlo pluentes, atque angelorum panem largientes; sive paucis panibus multa etiam hominum millia in deserto ad saturitatem usque pascentes, velut postea Jesus fecit; verus, inquam, ille panis et veræ vitæ auctor. Est quidem haud admodum promptum et facile inter virtutes, eam, quæ cæteras vincat, invenire, eique primas ac palmam dare : quemadmodum etiam in prato quodam, plurimis et suavibus floribus referto, florem omnium pulcherrimum et fragrantissimum reperire, alio nimirum alias olfactum et aspectum ad se distrahente, atque ad primum decerpendum alliciente.

Alii quidem hoc solo nomine miserabiles sunt, quod inopia laborent, quam fortasse, vel tempus, vel labor, vel amicus, vel propinquus, vel temporis mutatio sustulerit : his autem nihilominus hæc quoque gravis est, imo eo etiam gravior, quod una cum carne, et laboris suspiciendi et sibi ad necessarios vitæ usus opem ferendi facultas erepta sit, magisque semper apud ipsos prævaleat morbi metus, quam spes sanitatis. Ex quo efficitur ut parum admodum auxilii illis spes afferat, quæ afflictis et calamitosis unum est remedium. Ad paupertatem accedit morbus, alterum malum et quidem atrocissimum, ac votis omnibus adversandum atque ejusmodi, ut apud multos cum aliquid mali cuipiam imprecari cupiunt, nihil sit expromptius. Tertium, quod plerique eos nec adire nec intueri sustinent, sed fugiunt, horrent et aversantur, atque id morbo ipso illis acerbius est, cum ob calamitatem exosos etiam et invisos se esse sentiunt. Equidem ipse eorum miseriam non sine lacrymis fero, ac recordatione ipsa perturbor. Idemque vobis accidat velim, ut lacrymis lacrymas fugiatis. Nec vero dubito quin ex his qui adsunt, perinde afficiantur, quicunque Christi ac pauperum amantes sunt, Deique et a Deo misericordiam habent. At calamitatis etiam testes vos ipsi estis.

Proponitur nobis ob oculos grave et miserandum spectaculum, nec nisi iis qui norunt credibile, homines mortui ac viventes plurimis corporis partibus mutilati, sicque affecti ut fere, nec quinam olim fuerint, nec unde agnoscatur; imo, ut rectius loquar, miseræ veterum hominum reliquiæ; patres et matres, et fratres, ac loca ex quibus agnosci queant, proferentes : ego illo patre natus sum, hac matre procreatus, hoc mihi nomen est, ut mihi quondam amicus et familiaris : idque idcirco faciunt, quod ex veteribus oris lineamentis jam agnosci nequeant : homines occisi, ac pecuniis, genere, amicis, adeoque corporibus ipsis spoliati; homines soli ex omnibus mortalibus æque sese et misericordia et odio prosequentes; nec satis constitutum habentes, utras tandem corporis partes magis deplorent, præcisasne et extinctas, an in corpore adhuc remanentes; easne, quas morbus assumpsit, an eas quæ morbo reliquæ sunt. Illæ quippe misere absumptæ atque confectæ sunt; hæ vero miserius conservantur; illæ ante sepulcrum interierunt; has nemo est qui sepulcro condat. Nam optimus et humanissimus quisque, his durissimum atque inhumanissimum se præbet; atque hic solum *nos carnem esse* (*Gen.* VI, 3), et humilitatis corpus obliviscimur : tantumque ab eo absumus, ut eos, qui cognationis vinculo nobiscum conjuncti sunt, curemus, ut corporum nostrorum salutem in eorum fuga atque aversione positam esse existimemus. Cumque non desint, qui ad vetus atque etiam fortasse fetidum cadaver accedere non vereantur, brutorumque animantium corpora tetro odore plena perferant : ac cœno perfusi, æquo animo id ferant; nos contra hos maxima celeritate fu-

Digitized by Google

gimus (o ingentem inhumanitatem !), pene etiam, quod eumdem cum ipsis aerem trahamus, indigne ferentes.

Multi autem eorum ne pudore quidem a publicis conventibus deterrentur, quin potius in eos sese ob necessitatem intrudunt; hos, inquam, publicos et sacros conventus, quos ob animarum curationem excogitavimus, aut mysterii cujuspiam celebrandi causa coeuntes; aut ob veritatis martyres diem festum agitantes, ut quorum certamina honore prosequimur, eorum quoque pietatem imitemur. Et quamvis hominum ora, cum homines ipsi sint, propter calamitatem erubescant ac montibus, aut præruptis locis, aut silvis, aut denique nocte ac tenebris obtegi cupiant; in medium tamen irrumpunt, sarcina miserabilis, et lacrymarum digna. Id quoque fortasse non temere ac sine ratione faciunt, nimirum ut nos infirmitatis nostræ submoneant, illudque nobis persuadeant ut nonnulli rerum præsentium atque in oculorum sensum cadentium, velut firmæ et stabili, animum adjiciamus. Irrumpunt autem alii, ut optatam hominum vocem audiant alii, ut eorum ora aspiciant; alii, ut exigua vitæ subsidia ab iis, qui luxu deliciisque diffluunt, colligant; omnes autem, ut exponendis luctibus suis nonnullum hinc levamen persentiant.

Quis non eorum, miseram cantionem concinnantium, gemitibus frangitur? Quæ animæ hujusmodi auditionem ferre, quis oculus spectaculum hoc capere potest? Jacent illi simul, malo a morbo consociati, atque alii aliud quoddam calamitatis genus ad misericordiam ciendam conferentes; suntque sibi invicem doloris additamentum, illi quidem ob ipsum morbum miserabiles, ob mutuam vero commiserationem miserabiliores. Circumstat autem eos promiscuum theatrum, condolentium quidem, sed ad breve tempus. Hi porro ad hominum pedes volutantur, cum solis æstu et pulvere; nonnunquam etiam cum asperrimis frigoribus ac pluviis, ventorumque tumultibus conflictantes, pedibusque etiam jamjam percalcandi, nisi vel tantillum eos tangere exhorresceremus. Porro petitionum gemitus internis templi cantibus ex adverso respondet, atque adversus mysticas voces miserabilis luctus excitatur. Quid vero universam horum calamitatem hominibus festum diem celebrantibus proponere attinet? Vobis quoque fortasse, si omnia sedulo et tragice amplificem, lacrymas movero ac dolor festum superabit. Hæc etiam idcirco dico, qui nondum vobis hoc persuadere possum, molestiam nonnunquam voluptate, et mœstitiam lætitia, et laudabiles lacrymas turpi atque obceno risu præstantiores esse.

Atque hæc quidem illi, multoque his quæ diximus, miseriora perferunt; illi, inquam, *nostri secundum Deum fratres*, etiamsi nolitis, *qui eamdem nobiscum naturam nacti sunt*, atque *ex eodem luto formati* (*Job* xxxiii, 6), ex quo nos primum creati sumus, et qui *nervis atque ossibus perinde ac nos compacti, qui pellibus et carne* (*Job*, x, 11), æque ac reliqui omnes induti, velut quodam loco ait divus Job, in calamitatibus philosophans, eam nostri partem quæ in aspectum cadit, elevans ac despuens; quique etiam, ut majora dicam, imaginem divinam, perinde ac nos acceperunt, meliusque fortasse quam nos, tuentur atque conservant, etiamsi alioqui corporibus labefactati, atque corrupti sint; qui eumdem Christum secundum internum hominem induerunt, atque idem Spiritus pignus fidei suæ commissum habent; qui nobiscum participes facti sunt earumdem legum, eorumdem oraculorum, testamentorum, conventuum, mysteriorum, ejusdem spei : *Pro quibus Christus, qui totius mundi peccatum tollit* (*I Cor.* viii, 11), æque mortem subiit; qui cœlestis vitæ cohæredes sunt, etiamsi prorsus terrena felicitate destituti; qui *cum Christo sepeliuntur, ac cum eo ad vitam redeunt* (*Col.* ii, 12) : siquidem *compatiuntur, ut et conglorificentur.* (*Rom.* viii, 17.)

Sapientiores autem habendi sunt ii, qui cum præsentibus minime fidant, futura sibi coacervant; atque ob humanæ prosperitatis incertitudinem et inæquabilitatem, benignitatis nunquam collapsuræ studium amplexantur, ut ex tribus his commodis unum saltem omnino adipiscantur; nimirum, vel ut nunquam in mala incidant, quandoquidem sæpe Deus hujusce vitæ bonis viros pios cumulat, beneficentia beneficentiam provocans; vel fiduciam in seipsis apud Deum habeant, ut qui non propter scelus ac flagitium, sed propter dispensationem quamdam in calamitate versentur; vel denique humanitatem eam et beneficentiam quam, dum secundis rebus uterentur, egentibus prius contulerunt, ab iis, quibus res prospere fluunt, suo quodam jure reposcant. —

Quis sapiens, et intelliget hæc? (*Osee*, xiv, 10.) Quis præteruntia præteribit? Quis stabilibus incumbet? Quis de præsentibus rebus tanquam de abeuntibus, cogitabit? Quis de his quæ in spe posita sunt, tanquam de certis et constantibus? Quis ea quæ vere sunt, ab his quæ apparent, distinguet, atque illa quidem sequetur, hæc vero contemnet ac pro nihilo reputabit? Quis picturam a veritate : *Quis terrenum tabernaculum a cœlesti civitate? Quis peregrinationem ab habitatione?* (*II Cor.* v, 1; *psal.* xxxviii, 13.) Quis tenebras a luce? Quis limum profundi a terra sancta? Quis carnem a spiritu? Quis Deum a mundi principe? Quis mortis umbram a vita sempiterna discernet? Quis præsentibus rebus futuras emet? Quis fluxis opibus opes constantes et perennes? Quis rebus iis quæ aspectui subjiciuntur, ea quæ ab oculorum sensu remota sunt? Beatus quidem ille, qui hæc, verbi gladio meliora a deterioribus secante, secernens ac dividens : *Ascensiones in corde suo disponit* (*Psal.* lxxxiii, 6), ut quodam loco divinus David loquitur, atque hanc lacrymarum vallem totis viri-

Digitized by Google

bus fugiens, quæ sursum sunt quærit (*Col.* III, 1), ac mundo una cum Christo crucifixus cum Christo resurgit, et cum Christo simul ascendit, vitæ non jam caducæ ac fallacis hæres; ubi non jam *coluber mordens in via*, nec *calcaneum observans* (*Gen.* XLIX, 17), quemadmodum ipsius caput observatur. Superstitibus autem nobis eleganter idem David, velut quispiam præco maxima voce præditus, ab excelso et publico præconio inclamat, *graves corde* nos appellans, ac *mendacium diligentes* (*Psal.* IV, 3 seq.), monensque, ne rebus iis quæ oculis cernuntur, animum nostrum magnopere adjungamus, nec frumenti solum ac vini, quæ facile corrumpuntur, saturitate omnem hujus vitæ beatitudinem metiamur. Quod etiam ipsum, ut opinor, beatus Michæas animadvertens, atque humi reptantibus, ac boni tantum specimen habentibus insultans : *Appropinquate*, inquit, *ad montes æternos : Surge et ambula, quia non est tibi hic requies* (*Mich.* XI, 9 10), iisdem propemodum verbis utens, quibus nos Dominus noster ac Salvator inhortatur, dicens : *Surgite, eamus hinc.* (*Joan.* XIV, 31.) Non eos tantum, quos tunc discipulos habebat, ex illo duntaxat loco transferens, quemadmodum quispiam fortasse arbitratur, sed et semper et omnes discipulos suos, a terra rebusque terrenis ad cœlos et res cœlestes pertrahens.

Homines si aurum et argentum et mollissimas quasque ac superfluas vestes, gemmasque perlucidas, cæteraque id genus, quæ belli ac dissidiorum, primæque tyrannidis argumenta sunt, in terram abdiderint, statim supercilium præ amentia tollunt, calamitosisque cognatis misericordiam occludunt, cum nec ex superfluis quidem rebus ad necessarios vitæ usus opem ipsis ferre in animum inducant (o ingentem stultitiam! o singularem vecordiam!), nec si nihil aliud, illud quidem cogitent, quod paupertas, et divitiæ, libertasque, ut appellamus, et servitus, ac cætera hujus generis nomina, postea in hominum genus, simul cum vitio irrepserunt, non secus ac communes morbi quidam, illapsa, atque ab illo inventa : *A principio autem*, inquit ille, (Christus) *non fuit sic.* (*Matth.* XIX, 8.) Verum is qui hominem primum creavit, liberum eum, suique arbitrii reliquit, sola mandati lege coercitum, atque in paradisi deliciis opulentum : idemque reliquo mortalium generi per unum illud primum semen largitus est. Libertas porro ei divitiæ in sola mandati observatione sitæ erant; vera autem paupertas et servitus in illius transgressione.

Nihil tam divinum homo habet, quam de aliis bene mereri : tametsi ille majora, hic minora beneficia conferat, uterque opinor, pro suis viribus. Ille hominem condidit, ac solutum rursus colligit; tu lapsum ne despicias. Ille eum maximis in rebus commiseratus est, cum ei, præter cætera, legem, prophetas, ac prius etiam, naturalem legem, non scriptam, eorum quæ geruntur censorem dedit, arguens, admonens, castigans : postremo seipsum pro mundi redemptione tradens; atque insuper *apostolos* tribuens, *evangelistas*, *doctores*, *pastores*, (*Ephes.* IV, 11); morborum curationes, portenta, mortis destructionem, trophæum adversus eum qui vicerat, fœdus in umbra, fœdus in veritate. Spiritus sancti distributiones, novæ salutis mysterium; tu vero, siquidem majora quoque potes, et quibus anima beneficio afficitur (nam his etiam rebus divitem te, si volueris, Deus fecit), ne his quoque de indigente bene mereri absiste. Imo primum ac potissimum hæc ei qui abs te petit, tribue, priusque etiam quam postulet, tota die miserans ac sermonem commodans, debitumque cum fenore sedulo exigens, hoc est ejus, cui utilitas affertur, incrementum, quod quidem doctrinæ semper adjungit, dum pietatis semina in seipso paulatim auget. Sin hæc largiri nequis, at certe hæc secunda et minora, et quæ sub facultatem tuam cadunt, præsta, subveni, cibum præbe, detritum pannum porrige, medicamentum adhibe, vulnus alliga, de calamitate aliquid percunctare, de patientia orationem habe, bono animo esto, accede; haudquaquam ex ea re deterior te ipso eris; haudquaquam morbum contrahes, etiamsi homines nimium delicati, inanibus decepti rationibus, hoc existiment : vel potius hoc sive mollitiei, sive impietati suæ prætexant, ad timiditatem, velut ad magnum aliquid et prudens confugientes, hoc tibi persuadeant, et rationes, et medici, et contubernales qui eos curant, ex quibus nondum ullus ea de causa in periculum incidit, quod ad eos accesserit.

Atque ut demus rem hanc metu et suspicione non carere, tu tamen, o serve Christi, Deique et hominum amator, ne propterea degenerem atque ignavum animum geras : verum confidito; timiditatem misericordia, Dei metus mollitiem vincat; rationes eas quæ carni favent, pietas superet. Ne fratrem despicias, ne prætereas, ne, ut scelus, ut piaculum, ut aliud quiddam fugiendum et exsecrandum averteris. Membrum tuum est, tametsi calamitate curvetur : ut Deo, *tibi derelictus est pauper* (*Psal.* IX, 14), licet animo admodum forti prætereas; his enim verbis pudore te fortasse afficiam. Humanitatis tibi argumentum proponitur, etiamsi te a beneficio accipiendo alienus avertat et alienet.

Magnum calamitoso remedium est miseratio ex animo collata : ac verè et sincere condolere, calamitatem magna ex parte levat. Homo apud te jumento vilior non est, ô homo, quod, *cum in foveam incidit, aut aberravit, erigere ac reducere* (*Deut.* XXII, 1 seq.), tibi lex præscribit. Si quid autem profundius aliud, et magis arcanum occultet, cujusmodi sunt multa legalis profunditatis ac duplicis sensus, non est meum nosse, verum Spiritus omnia perscrutantis et cognoscentis : quantum vero ipse ratione atque intelligentia consequi possum, hoc ideo sanxit, ut nos ab humanitate quam in

Digitized by Google

rebus parvis adhibemus, ad majorem plenioremque benignitatem exerceat. Quanta enim, quæso, his qui ejusdem nobiscum generis atque honoris sunt debetur, quæ vel usque ad ea quæ ratione carent, exigitur?

Idcirco, nec sanitatem omnem admiremur, nec morbum omnem respuamus, nec fluentibus divitiis cor apponamus, fluxis plus quam par sit adhærentes, ac velut partem quamdam animæ cum eis absumentes : nec rursus paupertatem, ut detestabilem omnino ac damnatam, et invisam, insectemur. Verum et insipientem sanitatem cujus fructus est peccatum, despicere, et morbum sanctum in pretio habere sciamus, eos qui per dolorem et cruciatum victoriam adepti sunt venerantes, ne forte Job quispiam inter ægrotantes lateat, multo utique iis, qui corpore sano sunt, præstantior ac venerabilior, etiamsi *sanies radat* (*Job* II, 8), etiamsi diu ac noctu sub dio vexetur, tum a plaga, tum ab uxore, tum ab amicis in arctum adductus. Atque iniquas opes, propter quas merito dives ille in flamma cruciatur, et exiguam aquæ guttam, qua linguam refrigeret (*Luc.* XVI, 24), supplex petit, repudiemus : et rursum paupertatem cum grati animi affectu et virtute conjunctam laudemus, cum qua Lazarus salutem assequitur, atque illa in Abrahæ sinu requie locupletatur.

At mihi quidem hoc quoque nomine necessaria esse benignitas et misericordia erga pauperes videtur, ut iis qui de illis ita sentiunt, os obstruamus, nec inanibus verbis cedamus crudelitatis legem adversus nosmetipsos sancientes, atque mandato omnium maximo et exemplo moveamur. Quodnam porro hoc mandatum est? Ac videte, quæso, quam constans sit atque sincerum : neque enim homines Spiritu sancto afflati, cum semel aut bis de pauperibus sermonem habuissent, desierunt; nec quidam duntaxat de his rebus verba fecerunt, reliqui minime, aut alii copiosius, alii parcius, velut de re non ita magna, nec admodum necessaria; verum, et omnes in universum, et sedulo quisque, vel primum, vel in primis ad eam rem nos cohortantur, nunc admonentes, nunc comminantes, nunc exprobrantes; nonnunquam etiam eos qui virtutis hujusce munere funguntur, laudibus efferentes, nimirum ut per admonitionis assiduitatem eo nos adducant, ut hoc mandatum exsequamur : *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus.* (*Psal.* XI, 6.) Quis exsurgentem Dominum non extimescat? Et alio loco : *Exsurge, Domine Deus meus, et exaltetur manus tua; ne obliviscaris pauperum.* (*Psal.* IX, 33.) Elationem hujusmodi deprecemur, et ne velimus cernere manum illam adversus inobedientes et contumaces sese attollentem, quodque eo gravius est, in duros et pertinaces immissam. Et rursus : *Non est oblitus clamorem pauperum;* et : *Non in finem oblivio erit pauperis;* et : *Oculi ejus in pauperem respiciunt* (quod quidem palpebris melius est ac præstantius), *palpebræ autem interrogant filios hominum* (*Psal.* IX, 13, 19; *psal.* X, 3), id est minor, ut ita dicam, et secundaria inspectio.

S. CHRYSOST., hom. 2 *ad populum Antioch.*, t. II. — Ut habeamus coronarum et laudum occasionem, non communes facta sunt pecuniæ, ut avaritiam exosi, et justitiam sectantes, nostra indigentibus eroganles, aliquod peccatorum nostrorum remedium per viam hanc capiamus. Divitem te fecit Deus, quid teipsum pauperem facis? Divitem te fecit, ut egenis auxilieris, ut peccata tua solvas per liberalitatem aliis exhibitam. Dedit tibi pecunias, non ut in mortem tuam claudas, sed ut in salutem tuam effundas. Propterea et ipsarum possessionem incertam et non stabilem fecit, ut per hoc insaniæ circa ipsas intentionem dissolveret. Si enim qui nunc possident, qui de ipsis confidere non valent, quinimo multas ex hac re nascentes insidias cernunt, sic circa illarum desiderio succenduntur : si et hoc additum esset, ut stabiles et minime caducæ forent, cui pepercissent? a quo abstinuissent? aqua vidua? a quibus pupillis? a quibus pauperibus? Ne igitur magnum putemus bonum esse divitias; magnum enim bonum, non possidere pecunias, sed Dei timorem et reverentiam possidere.

Ecce nunc si quis esset justus, et apud Deum fiduciæ multum, etsi omnium hominum pauperrimus esset, præsentia mala solvere posset : satis enim esset tantum in cœlum manus extendere, et Deum invocare, et hæc nebula præteriret. Aurum vero tantum repositum, luto omni ad impendentium malorum solutionem inutilius est : nec in hoc tantum periculo, sed etsi morbus comprehenderit, sive mors, sive aliud quid ejusmodi redarguitur pecuniarum vis impotens, et nullam valens de proprio consolationem in adversis afferre. Unum est quo paupertatem divitiæ superare videntur, quotidianis diffluere delicils, et multa in conviviis repleri voluptate. Hoc tamen et in pauperum mensa contingere videtur, et hos majori quam omnes divites voluptate frui. Et ne miremini, neve incredibile putetis, quod dictum est : ex ipsa enim rerum demonstratione hoc vobis faciam manifestum. Nostis quippe omnes, et hoc conlemini, quod voluptatem in conviviis non ferculorum natura, sed convivantium dispositio facere consuevit : puta, cum fame quis mensam attingens omni obsonio et condimento, et innumeris ciborum illecebris jucundiorem escam gustabit, etsi omnium vilissima sit. Necessitatem vero et esuriem præveniens, quod divites faciunt, si etiam placentas invenerit appositas, non sentiet voluptatem, ipsius non appetitu excitato. Et ut discas hoc ita se habere, testes quidem et vos omnes; audiamus autem et Scripturam hoc ipsum dicentem : *Anima saturata favis illudit; animæ autem egenti etiam amara dulcia videntur.* (*Prov.* XXVII, 7.) Et certe quid favis dulcius et melle? Sed non jucundum, inquit, non esurienti. Quid vero amaris injucundius? Sed dulcia sunt in paupertie constitutis.

Digitized by Google

Quod autem pauperes cum necessitate et esurie ad cibum veniant, divites vero eam non exspectent, hoc unicuique manifestum est; unde legitimam et sinceram voluptatem non capiunt. Nec in cibis tantum, sed et in potu idem accidere videre licet: et sicut illic esuries supra escarum naturam voluptatem inducit: sic et hic sitis jucundissimum potum facere consuevit, etsi pura sit aqua quæ bibatur. Et hoc ipsum Propheta demonstrans, dicebat: *Et de petra melle saturavit eos.* (*Psal.* LXXX, 17.) Atqui hoc nusquam in Scriptura lectum est, quod mel de petra Moses eduxerit, sed ubique fluvios et aquas, et frigida fluenta. Quid igitur tandem est quod dicitur? Neque enim Scriptura mentitur. Postquam enim sitientes et indigentia defatigati in frigidiores aquas inciderunt, ex potu voluptatem asserere volens, mel aquam appellavit: non tanquam mutata in mel natura, sed bibentium dispositione fluenta melle jucundiora faciente. Dedicisti quo modo et potum suavem sitientium affectio reddere consuevit. Multi igitur pauperes sæpe laborantes et defatigati, et siti ardentes cum dicta voluptate talia libavere fluenta: divites vero vinum suave, et floris odorem, et omnem virtutem habens, quæ in vino optari possit, haurientes, non eamdem sensere delectationem.

Hoc et in somno fieri videas: non enim molle stratum, neque deargentatus lectus, neque quies per domum facta, neque aliud hujusmodi quidquam somnum dulcem et proclivem facere solet; sicut laborare et lassari, et vehementer somno indigentes, et dormitantes reclinari; et hoc quidem testatur etiam rerum experientia; et testatur autem et ante rerum experientiam, Scripturarum sententia. Deliciis enim innutritus Salomon idem demonstrare volens, dicebat: *Jucundus somnus servo, sive parum, sive multum comedat.* (*Eccle.* III, 11.) Cur igitur addit, *sive parum, sive multum comedat?* Ambo hæc vigiliam inducere solent, indigentia et crapula: illa quidem spiritum arefaciens, et palpebras corneas reddens, nec claudi permittens; hæc vero anhelitum angens et elidens, et multos inferens dolores: sed tanta est laborum medicina, ut, etiamsi ambo adsint, servus dormire possit. Quia enim servi tota die ubique circumcursitant, dominis suis ministrantes, vapulantes, laborantes, et ne minimum quidem respirantes, sufficientem lassitudinem et laborum illorum retributionem capiunt, in dormiendo voluptatem. Et hoc Dei benignitate factum est, ut non auro et argento, sed labore, et ærumna, et necessitate, et omni disciplina voluptates emi valeant.

At non ita divites, stratis mollibus jacentes, multoties totam noctem ducunt insomnem, et multa machinantes tali non fruuntur voluptate. Pauper autem ex diurnis laboribus surgens, defatigata habens membra, priusquam recubuerit, integrum, et suavem, et legitimum somnum suscipit, non exiguam et hanc justorum laborum capiens mercedem. Cum igitur cum majori voluptate pauper et dormiat, et bibat, et comedat, qua gratia erunt amplius divitiæ dignæ, quam videbantur supra paupertatem prærogativam habere, hac etiam privatæ? Propterea et ab initio Deus homini laborem alligavit, non puniens neque ipsum castigans, sed corrigens ac docens. Quando illaboriosam vitam degebat Adam, paradiso excidit: quando laboriosam et ærumnosam Paulus agebat vitam ac dicebat, *in labore et ærumna nocte ac die operans* (*II Cor.* XI, 27), tunc in paradisum raptus est, et tertium in cœlum ascendit. Ne igitur laborem respuamus, nec operationem vituperemus. Etenim ante cœlorum regnum hic maximum capimus præmium, ex ipsa re voluptatem sumentes, non autem voluptatem tantum, sed et quod multo voluptate majus est, purissimam sanitatem. Divites enim præter insuavitatem multæ ægritudines invadunt: pauperes autem a medicorum manibus immunes sunt. Si vero non nunquam et in ægritudinem incidant, brevi seipsos instaurant, mollitie omni liberi, et corpora robusta habentes. Magna possessio paupertas sapienter ipsam ferentibus, thesaurus qui nequeat auferri, baculus firmissimus, damni expers possessio, diversorium ab insidiis tutum.

At opprimitur, inquit, pauper, sed majores insidias dives patitur. Contemnitur pauper et contumeliis afficitur; sed diviti invidetur. Non tam expugnabilis est pauper quam dives; infinitas undique et diabolo et insidiatoribus occasiones præbens, omnium servus propter multam rerum abundantiam: in multorum indigentia constitutus, et multis adulari cogitat, et cum multa illiberalitate servire. Pauper autem, si philosophari sciat, neque ab ipso diabolo expugnari potest. Job igitur et ante hoc cum fortis esset, postquam omnia amisit, tunc factus est fortior, et egregiam contra diabolum victoriam reportavit. Præterea vero nec injuriam pati pauper potest, si philosophari scierit. Quod enim dixi de voluptate, quod ea non in ciborum apparatu, sed in comedentium sit affectu posita; hoc et de contumelia dico, quod contumelia ab inferentium sententia, sed a patientium affectu constituatur vel destruatur. Verbi gratia, multa quispiam in te fanda atque nefanda convitia dixit? Si contumelias deriseris, si verba non acceperis, et vulnere superior sis, contumeliam non es passus. Et quemadmodum si corpus adamantinum haberimus, etsi innumeris undique telis peteremur, non tamen vulnera reciperemus: non enim a manu tela torquente, sed a corporibus patientibus vulnera fiunt: sic et hic, non a petulantium insania, sed a patientium imbecillitate, injuriæ et contumeliæ constituuntur. Si enim philosophari sciamus, nec contumelia affici possumus, nec quidquam grave pati. Aliquis injuriam intulit, non sensisti nec doluisti? Non es injuriam passus, sed et magis percussisti, quam percussus es. Cum enim qui contumeliam intulit, plagam suam ad patientium animam non pervenientem

Digitized by Google

viderit, ipse majorem in modum roditur, et tacentibus iis qui contumeliam patiuntur, sponte contumeliarum plaga contra mittentem conversa infertur.

In omnibus igitur philosophemur, dilectissimi, et nihil nos inopia lædere poterit : quin et maxime adjuvabit, clariores reddet, et omnibus divitibus copiosiores. Quid enim, dic mihi, Elia pauperius ? Sed propterea omnes divites vincebat, quoniam sic pauper cum esset, ipsam paupertatem ex mentis opulentia elegit. Quoniam enim omnem pecuniarum copiam animi sui magnitudine esse putavit inferiorem, nec philosophia sua dignam : ideo tantam pauperiem amplexatus est. Quod si magna præsentia putasset, non solam meloten possedisset, sed ita vitæ vanitatem condemnavit, et tanquam lutum projectum aurum omne despexit, ut præter amictum illum nihil amplius possideret. Idcirco rex paupere indigebat, et verbis nihil plus quam meloten habentis inhiabat, qui tantum habebat auri ; adeo splendidior purpura erat melote, et regalibus aulis justi spelunca. Propterea et in cœlum ascendens, nihil aliud quam meloten discipulo reliquit. Cum hac, inquit, cum diabolo pugnavi, et tu contra illum hanc armaturam capies. Validum enim telum inopia, inexpugnabile habitaculum, et turris inconcussa. Tanquam maximam hæreditatem Eliseus meloten suscepit : etenim vere maxima fuit hæreditas, omni auro pretiosior. Et erat posthac duplex Elias ille, ita ut sursum Elias, et deorsum Elias esset. Novi vos justum illum beatum putare, singulosque cupere cum ipsum esse.

S. Hieron., *De vivendi form.* — Nudus, Christum nudum sequere. Durum, grande, difficile, sed magna sunt præmia.

Idem, epist. 1, *ad Heliod.* — Affatim dives est, qui cum Christo pauper est.

S. Greg. Mag., *Moral.*, lib. xvi, cap. 34. — Vermes qui de carne nascuntur, eos simul operiunt, quia sive divitis, sive pauperis superbientis animum curæ carnales premunt. In rebus enim terrenis pauper et dives reprobus, quamvis non pari prosperitate fulciantur, pari tamen anxietate turbantur, quia quod ille jam cum metu habet, iste cum anxietate appetit : sed quia habere non valet, dolet.

Idem, *ibid.*, lib. xix, cap. 14. — Ad exhibendam misericordiam ut indigentibus plane exterius valeat impendi, duo sibi necessaria congruunt, id est homo qui præbeat, et res quæ præbeatur. Sed longe incomparabiliter melior est homo quam res. Qui itaque indigenti proximo exteriorem substantiam præbet, sed vitam suam a nequitia non custodit, rem suam Deo tribuit et se peccato. Hoc quod minus est, obtulit auctori, et hoc quod majus est servavit iniquitati.

Idem, *ibid.*, lib. xxi, cap. 11. — An quia in Scriptura sacra dici pauperes humiles solent, ea æstimanda sunt accipere pauperes, quæ humiles petunt ? Et procul dubio oportet ut incunctanter detur quidquid cum vera humilitate requiritur, id est quod non ex desiderio, sed ex necessitate postulatur. Nam valde superbire, est extra metas inopiæ aliquid desiderare.

Cassianus, lib. viii, *De institutis cœnobiorum*, cap. 14. — Triplex itaque est hujus valetudinis morbus, qui ab universis Patribus æquali detestatione damnatur. Unus hic, cujus superius descripsimus labem, qui decipiens miserabiles quosque, ea quæ ne antea quidem, cum in sæculo degerent, possidebant, congregare persuadet. Alios, qui hæc, quæ in primordiis suæ renuntiationis abjecerant, postea resumere, ac rursum desiderare compellit. Tertius, qui initio malo vitiosoque contractus, et ab imperfectione incipiens, eos quos semel hoc tempore mentis infecerit, paupertatis ac diffidentiæ timore perterritos, spoliare se cunctis mundi facultatibus non sinit, eosque pecunias vel substantias, quas utique renuntiantes abjicere debuerant, reservantes, ad evangelicam perfectionem nunquam pervenire concedit. Quarum trium ruinarum exempla, in Scripturis sanctis (*IV Reg.* v, 20,27) etiam invenimus non levi pœna fuisse damnata. Nam Giezi, ea, quæ ne antea quidem possederat, volens acquirere, non modo gratiam prophetiæ non meruit possidere, quam per successionem velut hæreditariam a suo habuit magistro suscipere, verum etiam e contrario æterna lepra, sancti Elisei maledictione, perfunditur. Judas autem volens resumere pecunias, quas antea Christum secutus, non solum ad proditionem Domini lapsus, apostolatus perdidit gradum, sed etiam vitam ipsam communi exitu finire non meruit, eamque violenta morte conclusit. Ananias vero et Sapphira reservantes partem quamdam ex his, quæ possederant, apostolico ore morte multantur.

Idem, *ibid.*, cap. 17. — Quasi vero illi qui Hierosolymis cum essent possessores agrorum vel domorum, vendentes omnia, et nihil sibi penitus ex his reservantes, afferebant pretia eorum, et ponebant ante pedes discipulorum (*Act.* iv, 34), non potuerint necessitatem corporis sui facultatibus propriis sustinere, si hoc perfectius fuisset ab apostolis judicatum, vel ipsi esse utilius probavissent ? sed universas simul abjicientes substantias, maluerunt labore proprio vel collatione gentium sustentari. De quorum sumptu sanctus Apostolus ad Romanos scribens, suumque eis in hoc ministerium prædicans, ac subtiliter eos ad hanc collationem provocans, ait : *Nunc autem proficiscar Jerusalem ministrare sanctis. Complacuit enim Macedoniæ et Achaiæ, collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt Jerusalem ; placuit enim eis et debitores sunt eorum. Quoniam si spiritalium eorum participes factæ sunt gentes, debent et in carnalibus ministrare eis.* (*Rom.* xv, 26, 27.) Ad Corinthios quoque horum sollicitudinem similiter gerens, monet eos, ut ante adventum suum collationem, quam ad usus eorum mittere disponebant, sollicitius præpararent.

Digitized by Google

De collectis autem quæ fiunt in sanctis, sicut ordinavi ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite. Unusquisque vestrum per unam sabbati thesaurizet apud semetipsum, recondens quod ei bene placuerit, ut non, cum venero, tunc collectæ fiant. Cum autem venero, quos probaveritis per epistolas, hos transmittam perferre gratiam vestram in Jerusalem. (*I Cor.* XVI, 1, 2.) Et ut; eos ad largiorem collationem provocaret, infert : *Quod si dignum fuerit, ut et ego eam, mecum ibunt* (*Gal.* II, 1, 2), id est si talis fuerit oblatio vestra, quæ mea quoque mereatur prosecutione deferri. Ad Galatas quoque dum prædicationis ministerium cum apostolis partiretur, in hoc idem se destinatum a Jacobo, Petro et Joanne testatur, ut licet prædicationem susciperet gentium, pauperum tamen, qui erant Jerosolymis, nequaquam sollicitudinem curamque respueret, qui propter Christum universis rebus suis renuntiantes, spontaneam subierant egestatem. Et cum vidissent, inquit, gratiam Dei, quæ data est mihi, Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi et Barnabæ societatis, ut nos inter gentes prædicaremus, ipsi autem in circumcisione, tantum ut pauperum memores essemus. Quam rem omni sollicitudine se testatur implesse, dicens : Quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. Qui igitur sunt beatiores, utrumnam hi, qui nuper de numero gentium congregati, nec prævalentes evangelicam perfectionem conscendere, adhuc suis substantiis inhærebant, in quibus magnus fructus ab Apostolo ducebatur, si saltem ab idolorum cultura, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine revocati, fidem Christi cum suis facultatibus suscepissent, an illi, qui evangelicæ satisfacientes sententiæ, crucem Domini quotidie portantes, nihil sibi de propriis facultatibus superesse voluerunt? Cumque ipse beatus Apostolus vinculis et carceribus obligatus, seu vexatione itineris impeditus, et ob hoc consuetam victus substantiam parare, ut erat solitus suis manibus, non occurrens, a fratribus qui de Macedonia venerunt, supplementum suæ necessitatis se asserit accepisse : *Nam quod mihi*, inquiens, *deerat, suppleverunt fratres, qui venerunt a Macedonia* (*II Cor.* XI, 9), et ad Philippenses ipse referens : *Scitis enim et vos Philippenses, quia in principio Evangelii, quando profectus sum a Macedonia, nulla mihi ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli, quia et Thessalonicam et semel et bis in usum mihi misistis* (*Philip.* IV, 15), erunt secundum istorum sententiam, quam mente tepida conceperunt, et isti beatiores Apostolo, quia de suis inveniuntur ei substantiis impartisse? Quod amens quilibet dicere non audebit?

CASSIAN., collat. 3, *quæ est abbatis Paphnutii*, cap. 6. — Nunc de abrenuntiationibus dicendum est, quas tres esse, Patrum traditio, et Scripturarum sanctarum demonstrat auctoritas, quasque unumquemque nostrum omni studio oportet implere. Prima est, qua corporaliter universas divitias mundi facultatesque contemnimus; secunda, qua mores ac vitia affectusque pristinos animi, carnisque respuimus; tertia, qua mentem nostram de præsentibus universis ac visibilibus evocantes, futura tantummodo contemplamur, et ea, quæ sunt invisibilia, concupiscimus. Quæ tria ut simul perficiantur, ad Abraham legimus a Domino fuisse præcepta, cum dicit ad eum : *Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui.* (*Gen.* XII, 1.) Primum dixit : De terra tua, id est de facultatibus mundi hujus opibusque terrenis; secundo : De cognatione tua, id est de conversatione et moribus vitiisque prioribus, quæ nobis a nostra nativitate cohærentia, velut affinitate quadam et consanguinitate videntur esse cognata; tertio : De domo patris tui, id est omni memoria mundi hujus, quæ oculorum occurrit obtutibus.

THEOPHYLACTUS, *in Luc.* XVIII. — Postquam autem adolescens se omnia hæc servasse dixit a juventute, præscripsit ei Dominus paupertatem, caput omnium virtutum. Vide autem legem Christiana vita dignam : Omnia, quæcunque habes, vende, inquit. Nam si quid reliqueris, illius servus es. Et distribue non divitibus cognatis, sed pauperibus. Habet autem et distribuendi verbum emphasim quamdam, ut cum dijudicatione, et non fortuito, dispergantur bona. Quoniam autem cum paupertate et alias habere virtutes Christianum oportet, propterea dicit : Et veni, sequere me, hoc est, et in omnibus aliis esto discipulus meus, et semper sequere, non hodie quidem, cras autem non. Et paulo post : Postquam dives audiit abjiciendas divitias, mœrore affectus est. Unde dicit Dominus admirabili figura, quomodo difficile sit, habentes pecunias in regnum cœlorum ingredi. Non dicit, quod impossibile sit eos ingredi, sed difficile. Non enim impossibile est salvari tales, possibile enim expendere pecuniam, et superna assequi. Et difficile quidem hoc. Tenaciores enim visco adhærent pecuniæ, et difficile abstrahitur, qui a talibus est comprehensus. Ibidem : *Quæ impossibilia apud homines sunt, possibilia sunt apud Deum.* Qui enim habent mentem humanam, quæ ad inferiora vergit, et terrena desiderat, salvari non possunt, sicut dictum est. Deo autem possibile hoc est, quando quis consiliarium habet Deum, et justificationes Dei, et mandata magistri de paupertate suscipit, et illius invocat auxilium. Possibile enim est hoc. Nostrum est enim velle hoc, Dei autem perficere. Et aliter : Si quidem transcenderimus humanam illam infirmitatem divitum, et voluerimus nobis facere amicos ex mammona injustitiæ, salvabimur per eas, et recipiemur in æterna tabernacula. Nam melius quidem fuerit dimittere omnia. Hoc autem si minus, saltem facere partiarios pauperes, et sic impossibile fiet possibile. Impossibile quidem esset non omnibus dimissis salvari, verum tamen et est propter misericordiam Dei, si partes dederimus in usum congruum.

Digitized by Google

S. Bernardus, *Declam. de deserendis facultatibus super Matth.* XIX, 27 : *Ecce nos reliquimus, omnia.* — Sed audivi, ait homo, qui perditionis sumit occasionem, et (ut vulgo dicitur) festucam quærit, unde sibi eruat oculum; audivi, inquit, de illo et illo, qui reliquerant omnia, et ad vomitum suum sunt reversi. Quomodo illi acceperant centuplum? Exsurge, Domine, judica causam tuam, et istorum nempe calumniam et murmur ipsorum, qui forte omnia relinquere visi sunt, et minime tamen centuplum acceperunt : non contra nos, sed contra te est, qui dixisti : *Omnis, qui reliquerit patrem*, etc., *centuplum accipiet.* (*Matth.* XIX, 29.) Quid tamen dicimus? An ex collegio discipulorum reprobari quis potest, nisi loculos habens? Sunt enim loculi non modo pecuniæ, sed propriæ voluntatis. Scrutetur proinde vias suas et studia sua, qui promissam centupli gratiam sibi deesse causatur, nec dubium, quin inveniat angulum et diversorium reclinatoriumque non quidem Filii hominis, sed aut foveam vulpis, aut volucris nidum. Magis autem perfectius, obsecro, relinquat omnia, et solum sequatur Christum, jactans cogitatum suum in Deo, enutriendus ab eo, et centuplum sine dubio percepturus. Neque enim potest solvi Scriptura, quæ tam certa veritate subnixa, omnibus id sine exceptione promittit. Nihil sibi retineat, nihil suis, ne modicum fermentum totam massam corrumpat. Sunt enim, qui sibi retinent aliquid, Dominicæ vocis obliti, qui non suam venit facere voluntatem, et in ipsis quoque sanctorum collegiis proprio, aut desiderio, aut fortasse consilio importunius adhærentes, sciolos sese faciunt, de se sibi aliquid retinentes, quos penitus abnegasse, et divinæ Providentiæ, ac obedientiæ Patrum, consiliis quoque spiritualium virorum debuerant commisisse. Sunt enim, qui propinquis retinent et amicis, quod abjiciunt a se ipsis, pro eorum prosperitate præsenti, inani prorsus et sæculari sollicitudine æstuantes : crudeles plane, qui nequaquam proximos diligant tanquam se; crudeles, inquam, vel in se, vel in suos, imo quod verius est, in utrosque. Nemo ergo, cum se videt non omnia reliquisse, centuplum non accepisse miretur. Pretiosa siquidem divina consolatio est, nec omnino tribuitur admittentibus alienam. Et post pauca : Sic nimirum, sic usque hodie, dilectissimi cujus ad alias consolationes meus inhiat, et penitus in caducis et transitoriis non renuit consolari, ipse sibi profecto cœlestis subtrahit gratiam consolationis. Quam si digna devotione, pleno affectu desiderio vehementi petere, quærere, pulsare satageret, sine dubio petens acciperet, quærens inveniret, pulsanti aperiretur. Alioquin si forte, quod absit! pudendum illum apostasiæ saltum præsumpserit, certum omnino sit testimonium veritatis accipientibus, aut nunquam eum omnia reliquisse, aut ipsum quoque postea deservisse centuplum, quod acceperit : Nonnulli siquidem cum spiritu cœperint, hoc carne postea consummantur. Centuplum, inquit, accipiet, et vitam æternam possidebit. Illud enim in via, hæc in patria est. Imo hæc patria, illud via. Illud consolatio præsentis laboris, hæc futuræ felicitatis consummatio est. Sic nimirum et operariis hujus sæculi solet cibus in opere, merces in fine dari. Sic militantibus et stipendia ministrantur pro necessitate laboris, et novissime donativum majus erogatur pro quantitate laboris. Sic et filiis Israel, donec terram promissionis intrarent, in deserto manna non defuit. (*Sap.* X, 17.) Et ab Ecclesia post quæsitum regni cœlestis adventum, quotidianus panis petitur in oratione, quam ipse Salvator instituit. Habes hanc duplicem promissionem, et in Propheta evidenter expressam, ubi ait : *Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum, et deducet illos in via mirabili.* (*Psal.* CXVIII, 14.) Ipsa est enim via testimoniorum Domini, in qua propheta alius sicut in omnibus divitiis delectatum se esse testatur. Utquid ergo in incredulitate moriemini, filii hominum? At forte adhuc sæcularis ad hæc quispiam dicat : Ostende mihi centuplum, quod promittis, et libens universa relinquo. Utquid ostendam? Fides enim non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. An potius homini ostendenti, quam veritati crederes promittenti? Deficis scrutans scrutinio. Nisi credideris, non intelliges. (*Isa.* VII, 9.) Manna absconditum est, quod in Apocalypsi Joannis victori promittitur. (*Apoc.* II, 17.) Novum nomen est, quod nemo scit nisi qui accipit. Videtur enim forte nonnullis, præsentem sanctorum communionem facultatum pariter et voluntatum, hoc loco centupli nomine designari. Et magna quidem hæc ipsa consolatio, sed non adeò generalis, ut possit universaliter omnibus convenire. Quantos enim sanctorum, aut voluntarie eam deseruisse, ut anachoretas, aut violentia persecutionis, ut martyres exsilio relegatos, humana consolatione novimus caruisse? Datum optimum est centuplum hoc, desursum descendit a Patre luminum. An non denique omnia possidet, cui omnia cooperantur in bonum? (*Rom.* VIII, 28.) An non centuplum habet omnium, qui impletur Spiritu sancto, qui Christum habet in pectore? Nisi quod longe plus, quam centuplum, est visitatio Paracleti Spiritus, et præsentia Christi. *Quam magna*, inquit, *multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te, perfecisti eis qui sperant in te!* (*Psal.* XXX, 20.) Vides quomodo memoriam abundantiæ suavitatis hujus eructuet anima sancta : quomodo exprimere gestiens verba multiplicet? Quam magna, inquit, multitudo. Hoc ergo centuplum, adoptio filiorum est, libertas et primitiæ spiritus, deliciæ claritatis, gloria conscientiæ, regnum Dei quod intra nos est, non utique esca vel potus, sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu sancto. (*Rom.* XIV, 17.) Gaudium sane non modo in spe gloriæ, sed etiam in tribulationibus. Hic est ignis quem voluit Christus vehementer ac-

Digitized by Google

cendi. (*Luc.* XII, 49.) Hæc virtus ex alio, quæ Andream facit amplecti crucem, Laurentium ridere carnificem, Stephanum pro lapidantibus flectere genua ad orationem. (*Act.* VII, 59.) Hæc illa pax, quam suis reliquit Christus, quando dedit et suam. Siquidem donum et pax est electis Dei (*Sap.* III, 9), pax utique præsentis et donum futuræ. Illa superat omnem sensum, sed et huic quidquid sub sole placet, quidquid in mundo concupiscitur non poterit comparari. (*I Joan.* II, 27.) Hæc gratia devotionis, et unctio docens de omnibus, quam expertus novit, inexpertus ignorat, quoniam nemo scit, nisi qui accipit.

[Ex conciliis.]

Ex conc. Carthag. V, *sub Anastasio I, an.* 398. — 9. Ab imperatoribus universis visum est postulandum propter afflictionem pauperum, quorum molestiis sine intermissione fatigatur Ecclesia, ut defensores eis adversus potentias divitum, cum episcoporum provisione delegentur.

Ex conc. Chalcedonensi gener. IV, *sub Leone I, an.* 451. — 11. Omnes pauperes et indigentes ecclesiasticis auxiliis cum proficiscuntur sub probatione epistolii sive pacificis quæ dicuntur ecclesiasticæ tantummodo commendari statuimus, et non commendatitiis epistolis quia, etc.

Ex conc. Aurelian. V, *sub Vigilio, an.* 552. — 20. Qui pro quibuscunque culpis in carceribus detinentur ab archidiacono seu a præposito Ecclesiæ diebus Dominicis requirantur, ut necessitas vinctorum secundum præceptum divinum misericorditer sublevetur, atque a pontifice instituta fideli et diligenti persona quæ necessaria provideat, competens victus de domo Ecclesiæ tribuatur.

21. Unusquisque episcoporum incolis quos infirmitatem incurrisse tam territorii sui quam civitatis agnoverit, de domo Ecclesiæ juxta possibilitatem victui et vestitui necessaria subministret, etc.

Ex conc. Turonensi II, *sub Joanne III, an.* 570. — 5. Ut unaquæque civitas pauperes et egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundum vires, ut tam vicini presbyteri quam cives omnes suum pauperem pascant, quo fiet ut ipsi pauperes per civitates alias non vagentur.

27. Ut judices aut potentes qui pauperes opprimunt, si commoniti a pontifice suo se non emendaverint, excommunicentur.

Ex conc. Londinensi II, *sub Pelagio II, an.* 587. — 6. Placuit ut uniuscujusque civitatis leprosi qui intra territoriam civitatis ipsius, aut nascuntur aut videntur consistere, ab episcopo ecclesiæ ipsius, sufficientia alimenta, et necessaria vestimenta accipiant, ut illis per alias civitates vagandi licentia denegetur.

Ex conc. Matisconensi II, *sub Pelagio II, an.* 588. — 14. Cognovimus quod hi qui lateri regis adhærent, vel aliqui qui potentia sæculari inflantur, res alienas competere, et nullis exertis actionibus aut convictionibus prærogatis miseros non solum de agris, sed etiam de domibus propriis exsulare; idcirco decernimus ut deinceps hujusmodi licentiam quispiam non habeant, sed secundum canonum atque legum tenorem, causarum suarum actionem proponant, ut nullus miserorum per vim aut assentationem quamlibet defraudetur.

Ex conc. Arelatensi, IV, *sub Leone III, an.* 813. — 14. Unusquisque tempore famis aut cujuslibet necessitatis ad se pertinentes pro viribus suis gubernare studeat.

Ex conc. Turonensi sub Leone III, an. 813. — 36. Unusquisque omni tempore suam familiam, et ad se pertinentes inopes alere et vegetare studeat, quoniam impium est, et Deo odibile eos qui divitiis affluunt, nimiisque opibus abundant, non adjuvare miseros et indigentes.

44. Propter diversas occasiones res pauperum multis in locis attenuatæ sunt, eorum scilicet dicimus qui liberi esse noscuntur, et sub potestate potentiorum sunt constituti, quorum si negotia et causas, clementia piissimi principis nostri diligenter investigari jusserit, reperientur quam plurimi diversis occasionibus ad ultimam paupertatem jam redigi.

Ex conc. Moguntino, sub Leone III, an. 813. —6. Orphani et pauperes qui debite vel indebite dicuntur amissise hæreditatem paterni vel materni juris ad se legibus pertinentem, si alicubi inventi fuerint, quos patres vel matres propter traditiones illorum exhæredes fecerunt, aliorum scilicet suasionibus aut petitionibus vel aliquo ingenio, omnino volumus atque decrevimus emendari.

7. Ne episcopi, nec abbates, nec comites, nec vicarii, nec judices, nullusque omnino sub mala occasione vel malo ingenio res pauperum vel minus potentum, nec emere, nec vi tollere audeat, sed quisquis ex eis aliquid comparare voluerit, in publico placito coram idoneis testibus et cum ratione hoc faciat.

Ex conc. Moguntino, sub Leone, IV, an. 847. —17. Monemus regiam potestatem de oppressione pauperum liberorum, ut non a potentioribus per aliquod malum ingenium contra justitiam opprimantur, vel cogantur ut res suas vendant sive tradant, ne forte parentes eorum contra justitiam fiant exhæredati, etc. Et ut sæpius non fiant manniti (id est viritim vocati), nisi sicut in Dominico capitulari olim facto præcipitur.

Ex conc. Rhemensi sub Leone IX, an. 1049. — 11. Ne quis pauperes homines rapinis vel captionibus vexet.

Ex conc. Later. univers., sub Alexand. III, an. 1179. —18. Per unamquamque ecclesiam cathedralem, magistro qui clericos ejusdem Ecclesiæ et scholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium assignetur, etc. In aliis quoque restituatur ecclesiis sive monasteriis, si retroactis temporibus aliquid in eis ad hoc fuerit deputatum, pro licentia vero docendi nullus pretium exigat.

Ex conc. in Dalmatiæ et Dioclitæ regnis, sub Innoc. III, an. 1199.— 9. Excommunicamus

Digitized by Google

eos qui Latinos detinent in servitute, nisi recepta pecunia quam dederunt eos pristinæ restituant libertati.

Ex conc. Ravennatensi, sub Honorio IV, an. 1286. — 2. Per provinciæ nostræ prælatos et clericos universos, prout eis suppetunt facultates, necessaria pauperibus ministrentur, is autem suffraganeorum nostrorum qui per totam septimanam, quatuor semel in die refecerit pauperes, abbatum qui duos archidiaconorum, præpositorum, archipresbyterorum et aliorum prælatorum qui unum, ac aliorum clericorum qui semel in die in septimana refecerit pauperes, de pœnitentiis injunctis eidem, unius anni indulgentiam habeat, hanc etiam indulgentiam illi concedimus, qui novum pauperi dederit indumentum, si autem antiquum, 40 dierum indulgentiam, de injuncta ei pœnitentia relaxamus.

Ex conc. Ravennat. II, *sub Clemente V, an.* 1311. — 30. Eleemosynæ generales fiant, juxta possibilitatem per episcopos et capitula cathedralium Ecclesiarum, et abbates seu conventus monasteriorum, et quilibet etiam episcopus secundum suum beneplacitum et possibilitatem quotidie in prandium reficiat aliquos pauperes, et ut pauperibus verecundis valeat provideri in quolibet quarterio vel sexterio cujuslibet, quolibet anno eligantur quatuor vel sex sicut videbitur episcopo esse sufficiens. Catholici et devoti et honorabiles viri, qui quæstam requirant pro eleemosyna hujusmodi pauperibus facienda, etc. Quicunque laboraverit, vel dederit eleemosynam secundum sui possibilitatem, pro hoc ei indulgentia 40 dierum conceditur per hoc concilium illa die, si vere fuerit pœnitens et confessus.

Ex conc. Frisingensi, sub Eugenio IV, an. 1440. — 29. Hi qui præsunt ecclesiis, nullam quarumcunque occasione litterarum petere vel colligere eleemosynam permittant, nisi litteris eorumdem prius diligenter perspectis, et nostris aut vicarii nostri, quibus appareat, quod suæ litteræ sint veræ, quo comperto, nulla portione recepta, exacta vel requisita ab eodem pro eleemosyna petenda admittatur.

Ex conc. Toletano, sub Sixto IV, an. 1473. — 14. Quæstores, etsi bullas apostolicas aut gratiarum concessiones asserant se habere, nihilominus teneantur eas diœcesano divulgandas præsentare, qui postquam illas examinaverit, continentiam et veritatem ipsarum bullarum seu indulgentiarum plene deductum per litteras suas eisdem quæstoribus exhiberi curabit, idemque quæstores sola lectione hujusmodi litterarum per rectores ecclesiarum, ubi eos declinare contigerit contenti, nihil aliud verbotenus vel scriptis per se vel per alios proponere audeant: contrarium facientes per tres menses de mandato diœcesani in carcere detrudantur, et sic ablata duplicata restituant fabricæ Ecclesiarum et cameræ et prælati æqualiter applicanda.

Ex conc. Lateran. univers. XVII, *sub Leone X, an.* 1517, *sess.* 10, *de monte pietatis.* — 1. Declaramus montes pietatis per respublicas institutos, et auctoritate sedis apostolicæ hactenus probatos et confirmatos, in quibus pro eorum impensis, et indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, et aliarum rerum ad illorum conservationem pertinentium pro eorum indemnitate duntaxat ultra sortem absque lucro eorumdem montium recipitur, neque speciem mali præferre, nec peccandi incentivum præstare, neque ullo pacto improbari, quinimo meritorium esse ac laudabile, licereque illorum pietatem et misericordiam populis prædicare, etiam cum indulgentiis a sancta sede apostolica eam ob causam concessis, ac deinceps alios etiam similes montes, cum apostolicæ sedis approbatione erigi posse, multo tamen perfectius, multoque sanctius fore si omnino tales montes gratuiti constituerentur, hoc est si illos erigentes, aliquos census assignarent, etc.

Ex conc. Ratisponensi, sub Clemente VII, an. 1524. — 16. Ne quis quavis auctoritate et litterarum occasione, ad prædicandum vel subsidia eleemosynasque colligendas se ingerat, uteunque se jactet indulgentiis abundare, nisi prius litteræ admissionis et approbationis ordinariorum, vel vicariorum ab eo prolatæ fuerint.

33. Hortamur cum prælatos, tum reliquos sacerdotes ut meminerint pauperum et eleemosynis studeant alter alterum vincere.

PAX, CONCORDIA.

[Ex SS. Patribus.]

S. Ignac., *Interpret. Epist. ad Ephes.* tom. II. — Nihil præstantius est pace in Christo, qua aboletur omne bellum acriorum, terrenorumque spirituum.

S. Clement. *Ad Corinthios*, epist. 1, tom. I. — Quis ergo inter vos generosus? quis misericors? quis charitatis plenus? dicat. Si propter me seditio, et discordia, et schismata; discedo, ab eo quocunque volueritis; et facio quæ a plebe mandantur; solum ovile Christi in pace degat, cum constitutis presbyteriis. Qui hoc fecerit, sibi magnum decus in Domino comparabit; et omnis locus eum suscipiet. *Domini* enim *est terra et plenitudo ejus.* (*Psalm.* XXIII. 1.) Hæc qui divinam ac cujus nunquam pœnitet, vitam vivunt, fecerunt et facient.

S. Clemens Alex., *Strom.*, lib. IV, t. I. — *Beati pacifici* (*Matth.* V, 9); qui scilicet legem sententiæ mentis nostræ repugnantem, iræ minas, et cupiditatis escas, et alias affectiones, quæ rationem oppugnant, man-

Digitized by Google

suetas quietasque reddiderunt; qui cum scientia bonorum operum, et vera ratione præditi vixerint, restituentur in amiciorem et gratiorem filiorum adoptionem. Erit autem perfecta pacificatio, quæ in quocunque casu pacificum illud servat immutabile, sanctamque et honestam vocans Providentiam res administrantem, posita in rerum divinarum et humanarum scientia, per quam eas quæ sunt in mundo repugnantias, creationis pulcherrimam existimat harmoniam ac concordiam. Pacificant etiam, qui monitis suis ad fidem pacemque transferunt eos, quos peccati stratagemata hic oppugnaverant. Totius autem virtutis summa est, ut existimo, Dominus docens oportere nos propter charitatem in Deum gnostice mortem contemnere. *Beati*, inquit, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur.* (*Matth.* v, 10.)

Tertull. — Pax piorum bellum est Satanæ.

Origen., *Comment. in Epist. ad Rom.*, t. IV. — *Pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum.* (*Rom.* v, 1.) Apertissime ad pacem Dei *quæ superat omnem mentem* (*Philip.* iv, 7), in qua et summa perfectionis consistit, invitat (Paulus). Sed ut diligentius sensum percipiamus Apostoli, quid sibi velit pacis nomen, et ejus pacis quæ per Dominum nostrum Christum est, perquiramus. Pax ducitur ubi nemo dissidet, nemo discordat, ubi nihil hostile, nihil barbarum geritur. Nos ergo qui aliquando fuimus inimici Dei, sequentes hostem et tyrannum diabolum, nunc si illius arma projicimus, et signum Christi et crucis ejus vexilla suscepimus, pacem utique habemus ad Deum, sed per Dominum nostrum Jesum Christum qui nos per hostiam sanguinis sui reconciliavit Deo, sicut scriptum est : *Cum essemus inimici Dei, reconciliati sumus per sanguinem crucis Filii ejus.* (*Rom.* v, 10.) Et alibi idem Paulus addidit his dicens : *Rogamus pro Christo, reconciliamini Deo.* (*II Cor.* v, 20.) Si quis ergo habet pacem ad Deum, et reconciliatus est per sanguinem Christi, ultra non contingat ea quæ inimica sunt Deo.

Vis autem audire quæ sunt ista quæ inimica sunt Deo? Paulus ipse te docet, qui ait : *Sapientia carnis inimica est Deo : legi enim Dei non est subjecta.* (*Rom.* viii, 7.)

Si ergo carnaliter sapias, vel vitam tuam cupiditatibus carnis exponas, et affluentia deliciarum resolvaris, aut si de legis intellectu subtiliore defendas, per sapientiam carnis inimicus efficeris Deo. Nec solus hæc Paulus in suis litteris scribit : audi et Jacobum fratrem Domini similia protestantem, cum dicit : *Qui voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituetur.* (*Jac.* iv, 4.) Sed et Joannes paria testatur : *Filioli*, inquit, *nolite amare mundum, neque ea quæ in mundo sunt : quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ quæ non est ex Deo.* (*I Joan.* ii, 15, 16.) Igitur in quo hæc sunt, non potest habere pacem ad Deum, sed rursum inimicitias suscitat, illas pro quibus solvendis Christus advenit, sicut et idem apostolus dicit de Christo : *Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem sepis solvens, inimicitias in carne sua : legem mandatorum decretis evacuans, ut duos conderet in semetipso, in uno novo homine faciens pacem.* (*Ephes.* ii, 14, 15.) Quod si Christus advenit ut inimicitias solveret, pacem faceret, ac dissidentes nos propter sepem malitiæ quam peccando texuimus, reconciliaret Deo peccati sepe resoluta : qui iterum ad peccata convertitur, sine dubio rursus inimicitias reparat, et sepem dissensionis intexit, et per hæc opus Christi solvit, et crucem passionis ejus evacuat. Sed nos *justificati ex fide, pacem habeamus* ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. Habeamus pacem ut ultra non adversetur caro spiritui, nec legi Dei obsistatur a lege membrorum. Non sit in nobis *Est et non* (*II Cor.* i, 17, 18, 19); sed unum dicamus omnes, eadem sapiamus, nec intra nosmetipsos, nec extrinsecus ad invicem habeatur ulla dissensio, et tunc pacem habebimus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum.

Illud autem certissime sciendum est, quia omnis in quo est malitiæ vitium, nunquam potest habere pacem. Dum enim semper cogitat quomodo lædat proximum suum, dum semper nocendi artes requirit, nunquam mens ejus in pace consistit. Quod si requiras a me quomodo justus potest habere pacem, qui impugnatur a diabolo, qui tentationum bella sustentat, ego ipsum magis supra omnes cæteros habere dixerim pacem. Vide enim et Apostolus quam observanter scribat. Non dixit : *Justificati igitur ex fide, pacem habeamus*, et siluit; sed adjungit : *Pacem habeamus ad Deum* (*Rom.* v, 1) : sciens quia bellum contra diabolum pacem præstat ad Deum, et tunc magis in pacem Dei venimus, quando adversum diabolum persistimus impacati, et quando adversum carnis vitia dimicamus. Denique et Jacobus apostolus ita dicit : *Resistite diabolo, et fugiet a vobis : appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* (*Jac.* iv, 7, 8.) Vides et ipsum ita sensisse quod tunc appropietur Deo, quando resistitur diabolo. *Pacem ergo habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum.*

S. Cyprian., epist. 57, *ad Cornel.* — Concordia simul juncta vinci non potest omnino; quidquid simul patitur a cunctis, Deus pacificis exhibet. — Unum primo aggressus adversarius, ut lupus ovem secernere a grege, ut accipiter columbam ab agmine volantium separare tentaverat; nam cui non est adversus omnes satis virium, circumvenire quærit solitudinem singulorum.

Idem, *De unitate Ecclesiæ cath.* — Pacem quærere debet et sequi filius pacis, a dissensionis malo continere linguam suam debet, qui novit et diligit vinculum charitatis. Inter divina sua mandata passionijam proximus Dominus addidit : *Pacem dimitto vobis,*

Digitized by Google

pacem meam do vobis. (*Joan.* XIV, 27.) Hanc nobis hæreditatem Christus dedit : dona omnia suæ pollicitationis et præmia in pacis conversatione promisit. Si hæredes Christi sumus, in pace Christi maneamus.

S. HILAR., *in Matthæum*, can. 3. — Non aliter transire in nuncupationem familiæ ejus licebit, nisi oblivione earum rerum assumpta, quibus possimus offendi, fraternæ invicem charitatis pace vivamus.

S. AMBROS., *De Jacob et vita beata*, l. II, cap. 6. — Amplius suis suspicionibus affligitur impius, quam alienis plerique verberibus. — Grande est intra se tranquillum esse et sibi convenire.

Idem, *in Luc.* IV. — Illic turbatio ubi modica fides : hic securitas ubi perfecta dilectio.

Idem, *De vocatione omn. gentium*, lib. V.— A te pacem incipe, ut cum fueris ipse pacificus, pacem aliis feras.

S. HIERONYM., epist. 1 *ad Heliod.* — Nolite credere, nolite esse securi; licet in modum stagni fusum æquor arrideat. Magnos hic campus montes habet ; intus inclusum est periculum; intus hostis : tranquillitas ista tempestas est.

Idem, lib. I, *in Matth.* V. — *Beati pacifici :* qui primum in corde suo, deinde et inter fratres dissidentes pacem faciunt. Quid enim prodest alios per te pacari, cum in tuo animo sint bella vitiorum ?

Idem, *in psal.* LXXV. — *Et factus est in pace locus ejus :* quæ ergo anima non habet pacem, sciat se non esse locum Dei.

S. AUGUST., *De verbis Apost.*, cap. 138. — Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Hæc est quæ simultates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida : nescit extolli, nescit inflari : hanc qui acceperit teneat ; qui perdiderit repetat, qui amiserit exquirat : quoniam qui in eadem non erit inventus, a Patre abdicatur, a Filio exhæredatur, nihilominus a Spiritu sancto alienus afficitur; nec ad hæreditatem Domini poterit venire, qui testimonium pacis noluerit observare.

S. GREGOR. NAZ., orat. 6, t. I. — His nihil tam proprium est, quam pugnas et dissidia nescire. Nam nec in Deitate dissidium est, quemadmodum nec solutio : dissidii quippe filia est solutio ; verum adeo et secum ipsa, et cum inferioribus rebus concors et pacata est, ut præter alia, imo ante alia nomina quibus Deus appellari gaudet, hac quoque prærogativa nuncupetur. Pax enim et charitas, atque id genus nominibus appellatur, quo videlicet per ipsa quoque vocabula nos admoneat, ut hæsce virtutes, quæ proprie Dei sunt, comparare studeamus.

Idem, *ibid.* — Ex angelis autem, is qui seditionem concitare, ac supra dignitatem suam sese efferre, cervicemque adversus Dominum omnipotentem attollere, atque, ut Scriptura testatur, supra nubes sedem sibi ipsi excogitare ausus est, dignas arrogantia sua pœnas dedit, lucis loco tenebris multatus, aut, ut verius loquar, a seipso caligo effectus. Reliqui vero in sua dignitate perstant, cujus primum illud est, quod pacati sunt ac dissidii expertes, quippe qui a sancta et laudanda Trinitate hoc acceperint, ut unum sint, quemadmodum et ab eadem illuminationem acceperunt. Nam et illa Deus unus est, et esse creditur, non minus propter concordiam, quam propter eamdem essentiam.

Idem, *ibid.* — Itaque omnes ii qui pacis bonum amplectuntur, eique contrariam discordiam et seditionem infense oderunt, ad Deum et divinas mentes accedunt : qui vero bellicosis sunt moribus, et famam novitate captant, atque ignominia sua gloriantur, adversam partem amplexantur. Nam ille quoque et secum ipse pugnat, et hoc ipsum in aliis, tum multiplici specie, tum vitiosis perturbationibus (utpote ab initio et homicida, et boni inimicus), operatur, ut commune Ecclesiæ corpus in occulto sagittet, sub seditionis caligine sese occultans ; quemadmodum, ni fallor, ad unumquemque nostrum captiose, ut plurimum ac subdole accedit, ac velut locum sibi ipsi furtim aperiens, ut totus, non secus ac strenuus quispiam fortis et bellator in exercitum, per disjectam muri partem aut hostilem aciem, irrumpat.

Idem, *ibid.* — Atque hoc unum est, et quidem tale, ut nos ad benevolentiæ concordiæque studium necessario adducere debeat, nimirum Dei ac superorum imitatio : in quæ sola animæ ad Dei imaginem creatæ, intueri tutum est, ut per propensionem ad ea, quantum ipsi assequi datur, atque eorum imitationem, nobilitatem ipsa suam sartam tectamque tueatur. Alterum est, ut divinæ voci obtemperantes, *in cœlum sursum, et in terram deorsum aspiciamus.* (*Prov.* XXV, 3.) Atque conditarum rerum leges animadvertamus : quemadmodum videlicet cœlum, et terra, et mare, ac denique universus hic mundus; magnum, inquam, hoc et celebre Dei elementum, quo etiam Deus declaratur, tacitaque voce prædicatur, quandiu, secum pacatus et tranquillus est, seque naturæ suæ finibus continet, nec quidquam adversus alterum insurgit, atque ex iis benevolentiæ vinculis, quibus ab artifice Verbo rerum universitas constructa est, excedit, mundus vere est, ut appellatur, et incomparabilis pulchritudo, nec aliquid unquam opus, quod quidem materia constet, illustrius aut magnificentius excogitare potest. At simul atque pacatus et quietus esse desiit, mundus quoque esse desinit. Quid enim ? Cum cœlum rato ordine, aeri lucem, terræ pluvias impertit, nonne tibi benevolentiæ legibus teneri videtur ? nonne terra et aer, cum illa quidem cibos, iste respirandi facultatem cunctis animantibus largiuntur, atque per hæc vitam conservant, videntur parentum erga filios amorem imitari ?

Digitized by Google

S. Greg. Naz., orat. 6, t. I. — At cum materia secum ipsa dissidet, nec cohiberi potest, dissolutionem scilicet, per seditionem meditans; aut Deus ad metu percellendos, vel etiam puniendos peccatores aliquid hujusce concinnitatis laxaverit, nimirum vel exsudante mari, vel terra dehiscente, vel novis et inusitatis imbribus et cadentibus, vel obducto nubibus sole, vel quadam anni parte modum excedente, vel effundentibus se ignibus; tum vero perturbatio, et de hoc universo terror oritur, et quantum sit pacis bonum dissidio ostenditur. Atque ut populos, et urbes, et imperia præteream, ut cœtus, exercitus, familias, naves vectoribus plenas, conjugia, sodalitia, quæ omnia, ut pace conservantur, ita dissidio funditus evertuntur, ad Israelitas orationem convertam, ac posteaquam vobis eorum calamitates, et dispersionem, qua nunc sedibus suis pulsi vagam et miseram vitam persequuntur, diutissimeque, ut mihi edita de illis vaticinia fidem faciunt, persequentur, exposuero, tum demum ex vobis, qui perfecte nostis quænam sit harum calamitatum causa, sciscitabor, ut aliorum malis ad concordiam erudiamur.

Idem, *ibid.* — At postquam ægrotare, et in seipsos mutuo furere, atque in multas partes dividi cœperunt (cruce nimirum, et clementia qua adversus Deum et Salvatorem nostrum, ejus divinitatem in humanitate minime agnoscentes, insanierunt, eos ad extremum exitium adigente), virgamque ferream, hoc est, principatum et imperium, quod nunc rerum summam tenet, multo ante illis denuntiatam, in seipsos attraxerunt, quid accidit? Quidque perpessi sunt?

Idem, *ibid.* — Porro autem, cum dissidiis, labore, tam grave sit, ac tot conflet, quemadmodum, et ex iis quæ diximus liquet, et plurimis exemplis discere licet, tum vero multo gravius est depositis inimicitiis, pacisque bonis degustatis, in eumdem rursus morbum provolvi, atque ad suum, ut dici solet, vomitum redire, ac ne ipsa quidem experientia, quæ stultorum magistra est, emendari. Etenim eos levitatis ac stultitiæ opinionem subire comperio, non qui in vitio aliquo permanent, sed qui, instar auræ subinde se immutantis, aut reciprocantium euriporum, aut instabilium maris fluctuum, facili momento in contrarias sententias feruntur ac revolvuntur. Atque illud insuper mecum considero, iis qui dissidiis conflictantur, spem saltem concordiæ solatium afferre, calamitatesque ipsorum maxima ex parte levare; spes enim mutationis, ac melior rerum status ante oculos positus, maximam opem afflictis hominibus afferre solet Qui vero sæpe quidem in concordiam redierunt, semper autem ad vitium relapsi sunt, his una cum aliis rebus, melior quoque spes adempta est; ut qui non minus pacem ipsam, quam dissensionem, semper metuant, neutrique earum propter utriusque levitatem et inconstantiam magnopere fidant.

Idem, *ibid.* — Nec vero hæc eo a me dici quisquam suspicetur, quod pacem omnem amandam et complectendam esse existimem; nam ut optimam quamdam dissensionem, ita perniciosissimam quamdam concordiam esse perspectum habeo; sed eam demum quæ bona est, et boni causa initur, ac Deo copulat. Atque ut et brevi distinctione explicentur, ita sentio, haud bonum esse, ut quis segnior sit, aut fervidior quam par est, ita ut vel omnibus ob levitatem acquiescat, vel ob temeritatem et insolentiam ab omnibus se removeat. Æque enim et inefficax segnities est, et mobilitas atque inconstantia a societate et communione aliena. Verum ubi aperte se prodit impietas, tum vero nobis faciendum esse, ut adversus ignem, et ferrum, et tempora, et principes, ac denique prius adversus cætera simul omnia feramur, quam ut mali fermenti participes efficiamur, ac male affectis assentiamur; nec quidquam perinde metuendum est, ut ne quid magis quam Deum metuamus, ac propterea, cum veritati serviamus, fidei et veritatis doctrinam perfide deseramus. At cum suspicio sola animum nostrum male habet, metusque non satis exploratus, tum vero lenitatem potius quam celeritatem, et indulgentiam potius quam arroganliam, et contumaciam adhibere convenit; multoque melius et conducibilius est, ut in communi corpore manentes mutuo nos ipsos, tanquam alii aliorum membra, corrigamus atque corrigamur, quam ut præjudicio per secessionem facto, et auctoritate per separationem amissa, ex edicto postea, velut tyranni ac non fratres, correctionem imperemus.

Idem, *ibid.* — Quæ cum cognita et explorata habeamus, fratres, complectamur nos mutuo, et exosculemur, unum vere efficiamur, et eum, *qui medium maceriæ parietem solvit* (*Ephes.* xi, 14) ac *per sanguinem suum omnia conciliavit et pacavit*, imitemur. (*Col.* i, 19.) Dicamus communi huic patri, venerabili canitiei, mansueto et placido pastori: Vides moderationis tuæ præmia? tolle per circuitum oculos tuos, et collectos filios tuos vide, quemadmodum cupiebas, quodque unum ut tibi contingeret, noctes diesque postulabas, ut in senectute bona peregrinationis tuæ dies concluderes. En omnes ad te venerunt, ac sub pennis tuis requiescunt, suumque altare cingunt, cum lacrymis illi quidem egressi, cum gaudio autem recurrentes. Gaude et oblectare, patrum optime ac filiorum amantissime, quoniam his omnibus, non secus ac sponsa mundo suo, indutus et amictus es. Loquere tu quoque ad nos: *Ecce ego, et pueri mei quos dedit mihi Dominus.* (*Isa.* viii, 18.) Adde aliam quoque Domini vocem valde congruentem: *Quos dedisti mihi custodivi, et non perdidi ex eis quemquam.* (*Joan.* xvii, 12.)

S. August., *Enarr. in psal.* lxxxiv, tom. IV. — *Misericordia et veritas occurrerunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt.* (*Psal.*

Digitized by Google

LXXXIV, 11.) Fac justitiam et habebis pacem ; ut osculentur se justitia et pax. Si enim non amaveris justitiam, pacem non habebis. Amant enim se duo ista, justitia et pax, et osculantur se ; ut qui fecerit justitiam, inveniat pacem osculantem justitiam. Duæ amicæ sunt, tu forte unam vis, et alteram non facis. Nemo est enim qui non vult pacem : sed non omnes volunt operari justitiam. Interroga omnes homines, Vis pacem ? Uno ore tibi respondet totum genus humanum : Opto, cupio, volo, amo. Ama et justitiam : quia duæ amicæ sunt justitia et pax ; ipsæ se osculantur. Si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. Quid enim magnum est desiderare pacem? Quivis malus desiderat pacem. Bona enim res est pax. Sed fac justitiam ; quia justitia et pax se osculantur, non litigant. Tu quare litigas cum justitia? Ecce justitia dicit tibi : Ne fureris, et non audis. Ne adulteres : non vis audire. Non facias alteri quod tu pati non vis ; non dicas alteri quod et tibi dici non vis. Inimicus es amicæ meæ, dicit tibi pax, quid me quæris? Amica sum justitiæ, quemcunque invenero inimicum animæ meæ, non ad illum accedo. Vis ergo venire ad pacem? Fac justitiam. Ideo alius psalmus dicit tibi : *Declina a malo et fac bonum* (*Psal.* XXXIII, 15), hoc est amare justitiam ; et cum jam declinaveris a malo, et feceris bonum, quære pacem et persequere eam. Jam enim non diu illam quæres : quia et ipsa occurret tibi, ut osculetur justitiam.

S. AUGUST., serm. 357, *De laude pacis*, t. V. —Tempus est exhortari charitatem vestram pro viribus quas Dominus donat, ad pacem amandam et pro pace Dominum deprecandum. Sit ergo pax dilecta nostra et amica, cum qua sit castum cubile cor nostrum ; cum qua sit fida requies et non amarum consortium, cum qua sit dulcis complexus et inseparabilis amicitia. Pacem laudare difficilius est, quam habere. Si enim eam laudare volumus, vires optamus, sensus quærimus, verba libramus : si autem habere volumus, sine aliquo labore habemus et possidemus. Laudandi sunt qui amant pacem : qui autem oderunt, melius interim docendo ac tacendo pacandi, quam vituperando provocandi. Verus pacis amator inimicorum ejus amator est. Quemadmodum enim, si lucem istam amares, cæcis non irascereris, sed eos doleres ; quale enim bonum tu caperes, nosses, et ideo quanto bono illi fraudarentur conspiciens, misericordia tibi digni viderentur ; et si opes haberes, si artem, si medicamentum, potius ad eos sanandos curreres, quam damnandos : ita si pacis amator es, quisquis es, miserere eum qui non amat quod amas, qui non habet quod habes. Talis quippe est res quam diligis, ut non videas compossessori tuo. Habet tecum pacem, et tibi non angustat possessionem. Quidquid terrenum amas, difficile est ut habenti non invideas. Deinde si forte ascendit in animum tuum, terram quam possides communicare cum amico, ut laudetur benevolentia tua, ut etiam in istis temporalibus rebus charitas prædicetur : si ergo velis possessionem tuam terrenam, velut prædium, velut domum, vel quodlibet hujusmodi, communicare cum amico ; communicas cum uno, et admittis eum ad societatem, et gaudes cum illo. Cogitas admittere tertium fortassis, et quartum : jam attendis quantos capiat, quantos ferat, vel domus ad inhabitandum, vel ager ad pascendum ; et dicis, jam quintum non capit, sextus habitare non potest hobiscum, septimum quando pascit tantilla possessio? Excludit ergo cæteros, non tu, sed angustia. Ama pacem, habe pacem, posside pacem, cape ad te quantos poles ad possidendam pacem : tanto latior erit, quanto a pluribus possidebitur. Domus terrena cohabitatores multos non capit : possessio pacis cum multis habitatoribus crescit.

Quam bonum est amare ! Hoc enim est habere. Quis autem nolit crescere quod amat? Si paucos tecum vis esse in pace, parva tibi erit pax. Si vis crescere istam possessionem, adde possessorem. Nam illud quod dixi, fratres, bonum est amare pacem, et ipsum amare est habere, quanti constat ? Qua voce laudetur, quo corde cogitetur : hoc est habere quod amare? Considera cætera, quorum homines cupiditate conflagrant. Vide alium amare fundos, argentum, aurum, filios numerosos, pretiosas et ornatas domos, amœnissima et pretiosissima prædia. Amat hoc? amat. Nunquid jam, qui amat habet? Potest fieri ut horum omnium amator inanis sit. Quando non habet, amat, cupiditate habere ardet ut habeat : cum autem cœperit, timore cruciatur ne perdat. Amat honorem, amat potestatem. Quanti homines potestatibus accipiendis privati suspirant? Et plerumque ante illos occupat ultimus dies, quam perveniant ad id quod amant. Quanti ergo constat, quod cum amaveris ? Non pretio quæris quod amas ; non ambulas ad patronum, per quem pervenias. Ecce ubi stas, ama pacem, et tecum est quod amas. Res ista cordis est : nec si cum amicis communicas pacem, quomodo panem? Panem quippe si communicare velis, quanto plures sunt quibus frangitur, tanto minus fit unde datur. Pax autem illi pani similis est, qui in manibus discipulorum Domini frangendo et dando crescebat.

Proinde, charissimi, exhortor charitatem vestram, ut exhibeatis illis Christianam et catholicam mansuetudinem. Nunc curandis instatur. In fervore sunt oculi sanctorum, caute curandi, leniterque tractandi sunt. Nemo suscipiat cum aliquo litem, nemo velit nunc vel ipsam suam fidem altercando defendere, ne de lite scintilla nascatur, ne quærentibus occasionem occasio præbeatur. Prorsus convicium audis, tolera, dissimula, præteri. Memento curandum. Videte quam blandi sunt medici eis quos etiam mordaciter curant. Audiunt convicium, præbent medicamentum, nec reddunt convicium convicio. Verbum sit verbo : ut unus

Digitized by Google

sit curandus, alter curat : non duo litigantes. Fertote, obsecro, fratres mei. Sed non fero, inquit, quia blasphemat Ecclesiam. Hoc te rogat Ecclesia, ut feras, quia blasphematur Ecclesia. Detrahit, inquit, episcopo meo, crimen dicit in episcopum meum, et taceo? Crimen dicat, et tace non agnoscendo, sed ferendo. Hoc præstas episcopo tuo, si pro illo tempore non miscearis. Intellige tempus, habeto consilium. - Deum tuum quanti blasphemant? Tu audis, et ille non audit? Tu nosti et ille non novit? Et tamen *facit oriri solem super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* (*Matth.* v, 45.) Ostendit patientiam, differt potentiam. Sic et tu agnosce tempus, noli provocare tumentes oculos ad turbandos seipsos. Amator pacis es? Sit tibi in corde bene cum dilecta tua. Et quid agam? Habes quod agas. Tolle jurgia, convertere ad preces. Noli conviciis repellere conviciantem, sed ora pro eo. Loqui vis illi contra illum : loquere Deo pro illo. Non tibi dico quod taceas : sed elige magis ubi loquaris, apud quem tacitus loqueris, labiis clausis, corde clamante. Ubi non te videt, ibi esto bonus pro illo. Illi autem pacem non amanti, et litigare volenti, responde pacificus, quidquid vis dicas, quantumlibet oderis, ut placuerit detesteris, frater meus es. Quid agis, ut non sis frater meus? Prorsus bonus malus, volens nolens, frater meus es. Et ille : Unde sum frater tuus, hostis manifestus? Sic quomodo ista dicis, frater meus es. Mirum videtur : odit, detestatur, et frater est? Illi enim vis credam nescienti quid loquatur? Cujus opto sanitatem, ut lucem videat, et fratrem agnoscat. Illi ergo vis credam, quia non sum frater ipsius, quia detestatur, quia odit et non potius ipsi luci? Audiamus quid dicat ipsa lux. Prophetam lege : *Audite, qui pavetis, verbum Domini.* (*Isa.* LXVI, 3, sec. LXX.) Spiritus sanctus loquitur per Isaiam prophetam : *Audite, qui pavetis, verbum Domini. Dicite, Fratres nostri estis, eis qui vos oderunt, et qui vos detestantur.* Quid est? Radiavit lux, ostendit fraternitatem : et adhuc dicit lippus, Claude fenestram. Præbe oculos tuos luci : agnosce fratrem in tenebris non constitutum, in tenebris constitutus : et dic, dic securus, verba Dei. Dicis et non mea : *Dicite*, dicit Deus, *Fratres nostri estis* : quibus? *eis qui vos oderunt.* Nam quid mirum, si dicitis eis qui vos diligunt? *his qui vos oderunt, et qui vos detestantur.* Ut quid hoc? Audi, et causæ aspice fructum. Velut interrogaveris Dominum Deum tuum, et dixeris, Domine, quomodo dicam, Frater meus es, qui odit, qui detestatur? Dic, quare. *Ut nomen Domini honorificetur. Appareat vel in jucunditate : ipsi autem erubescant.* Vide, obsecro, fructum patientiæ, tantæ mansuetudinis. *Dicite : fratres nostri estis.* Quare? *Ut nomen Domini honorificetur.* Quare autem non te agnoscit fratrem? quia nomen hominis honorificavit. Ergo dic : Frater meus : oderis licet, detesteris licet, frater meus es. Agnosce in te signum patris mei. Sermo patris nostri. Male frater, litigiose frater, frater meus es tu. Dicis etenim tu, quomodo et ego, *Pater noster qui es in cœlis.* (*Matth.* VI, 9.) Unum dicimus : quare in uno non sumus? Rogo te, frater, agnosce, quod mecum dicis, et damna quod contra me facis. Adverte verba exeuntia de ore tuo. Audi, non me, sed te. Vide cui dicimus : *Pater noster qui es in cœlis.* Non amicus, non vicinus, sed ipse cui dicimus, concordare nos jubet. Simul habemus apud Patrem unam vocem : quare non simul habemus unam pacem?

Idem, serm. 359, t. V. — De eo quod scriptum est in Ecclesiastico, c. XXV, 2 : *Concordia fratrum et amor proximorum*, etc.

Bona hæc sunt plane, jucunda et laudabilia in rebus humanis; sed in divinis rebus multo potentiora. Quis est enim qui non congaudet concordibus fratribus. Et quod dolendum est, in rebus humanis tam magna res rara est : res ab omnibus laudatur, a paucissimis custoditur. Beati qui in se ipsis amplectuntur quod etiam in aliis laudare coguntur, nulli fratres non laudant concordantes fratres. Et unde fratres concordes esse difficile est? Quia litigant de terra, quia volunt esse terra. Audivit enim ab initio peccator homo, *Terra es, et in terram ibis.* (*Gen.* III, 19.) Unde discutiamus et perscrutemur vocem, quam justus debet audire a contrario. Si enim recte dictum est peccatori, *terra es, et in terram ibis* : recte dicitur justo, cœlum es, et in cœlum ibis. An non sunt justi cœli, cum de Evangelistis apertissime dictum sit, *Cœli enarrant gloriam Dei?* Et quidem quia de ipsis dictum est, consequentia satis edocent. *Et opera*, inquit, *manuum ejus annuntiat firmamentum.* Quos dixit cœlos, ipsos dixit firmamentum. *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Quæris quorum, et non invenis nisi cœlorum. Dictum ergo de Apostolis, dictum de annuntiatoribus veritatis. Unde sequitur : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Quando in eos venit Spiritus sanctus, et cœpit Deus habitare cœlum quod fecit de terra, locuti sunt, implente et donante Spiritu sancto, linguis omnium gentium. Inde dictum : *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Et quia inde missi sunt ad prædicationem Evangelii per omnes gentes : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* (*Psal.* XVIII, seq.) Quorum? Cœlorum, quibus recte dicitur, cœlum es, et in cœlum ibis : sicut recte peccatori, *terra es, et in terram ibis.* Fratres ergo, si volunt esse concordes, non ament terram. Sed si volunt non amare terram, non sint terra : quærant possessionem quæ dividi non potest, et semper concordes erunt.

S. Aug., serm. 359, t. V. — Unde inter fratres discordia? Unde perturbatio pietatis? Unde unus uterus, et non unus animus, nisi

Digitized by Google

dum curvatur anima eorum, et partem suam quisque respicit, et parti suæ opimandæ et exaggerandæ operam impendit, et in possessione sua vult habere unitatem, qui cum fratre suo possidet divisionem? Bona est ista possessio, cujus est? Nostra est. Magna possessio! Sic dici solet. Tota tua est, frater? Non; habeo hic consortem : sed si vult Deus, vendet mihi partem suam; adulator respondet, faciat Deus. Quid faciat Deus? Ut opprimatur vicinus, et partem suam vendet vicino. Faciat Deus : bene cogitas, compleat tibi Deus. *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit, benedicitur.* (*Psal.* x, 3.) Quid tam iniquum quam velle ditescere alterius paupertate? Et tamen abundat hoc : *Qui iniqua gerit, benedicitur ;* et forte prævaluit et forte pressit et oppressit, torsit et extorsit, non quemcunque consortem, sed forsitan fratrem. Melius est ut ego emam, quam extraneus. Et ille facile oppressus, si est justus, habet consolationem. Audiat Scripturam, quam modo audivit. Ille laborat inopia, frater ejus plenus est copia, sed plenus est terra, et inanis justitiæ. Adverte terra, quid audiat ille pauper : « Noli timere, cum dives factus fuerit homo, neque cum multiplicata fuerit gloria domus ejus : quoniam, cum morietur, non accipiet ea. » (*Psal.* XLVIII, 17.) Tene, tu pauper, quod non dimittas moriens, et quod acquiras in æternum vivens. Tene justitiam, non te pœniteat.

S. Paulin., ep. XX, *ad Amandum.*— Pacem habeamus non hujus mundi, quæ amica peccatis Deo dissidet; sed pacem Christi quæ cum Deo conserit, et nos Christo conformat.

S. Leo, *Serm.* — Tunc est vera pax hominis et vera libertas, quando et caro, animo judice, regitur, et animus, Deo præside, gubernatur.

Idem, *ibid.* — Hæc est vera pax a Dei voluntate non dividi, et in his, quæ solius Dei sunt, delectari, quando enim sensualitas nulla parte resistit voluntati, et voluntas nulla parte contradicit rationi, tunc est serenitas mentis, et nunc est regnum Dei.

Cassiodor., *super Psal.* — Habeatis unitatem spiritus in vinculo pacis, nec inveniri potest forma expressior conversationis angelicæ, quam unitas socialis.

Idem, epist. 22. — Decet regalis apicis curiam generalitatis custodire concordiam, quæ ad laudem regnantis trahitur, si ab omnibus pax ametur. Quid est enim quod principem melius prædicet, quam quietus populus, concors senatus, et tota respublica morum honestate vestita?

S. Gregor. Mag., *Moral.* — Nemo vires suas in pace cognoscit. Si enim bella desunt, virtutum experimenta non proderunt.

Idem, *ibid.* — Inde nobis cum Deo pax robustior oritur, unde nobis ab adversariis durior pugna generatur.

Idem, *Past.* — Si Dei vocantur filii qui pacem faciunt, procul dubio Satanæ sunt filii, qui pacem confundunt.

S. Isidor., lib. III *De summo bono.*—Concordia malorum contraria est bonorum : et sicut optandum est ut boni pacem habeant ad invicem, ita optandum est ut mali sint discordes. Impeditur enim iter bonorum, si unitas non dividitur malorum.

S. Bernard., *Epist.* — Non timeas contra charitatem esse; si unius scandalum multorum compensaveris pace : melius est enim ut pereat unus quam unitas.

Idem, *super Cantic.*— *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Non bonæ sed plane iniquæ voluntatis est qui nequaquam pace contentus, superbo oculo et insatiabili corde, inquietus anhelat ad gloriam mundi, nec pacem perinde retinens, nec gloriam apprehendens.

PECCATUM

[Ex SS. Patribus.]

Constitutiones Apostolic., lib. IV, tom. I. —In peccatis versantes et pœnitentiam non agentes, non solum inter orandum non exaudientur, sed insuper Deum irritabunt, illum commonefacientes improbitatis eorum. Evitate igitur hujusmodi subministrationes, tanquam pretium canis, et mercedem meretricis, utraque enim legibus prohibentur. Nam nec Elisæus allata ab Azaele munera accepit, nec Achias a Jeroboamo. Quod si Dei prophetæ dona impiorum non admisere, æquum est ut neque vos, episcopi, admittatis. Cum etiam Simon magus mihi Petro, et Joanni pecuniam offerens, gratiam inæstimabilem conatus est pretio comparare; nos, repulso munere, cum diris perpetuis constrinximus; quoniam donum Dei, non benevolentia erga Numen, sed pecuniæ permutatione existimavit possideri. Recusate ergo oblationes quæ ad altare a male sibi consciis afferuntur. *Recede* enim, inquit, *ab iniquo, et non timebis, et tremor non appropinquabit tibi.* (*Isa.* LIV, 14.)

S. Clemens., *Recogn.*, lib. IX, t. I. — Dicet quis : multi et homicidium, et adulterium, et alia scelera commiserunt, et nihil mali passi sunt. Hoc quidem raro accidit hominibus, tamen nescientibus consilium Dei, frequenter videtur accidere : Deus autem qui novit universa, scit quo modo, et quare peccet qui peccat, et quæ unumquemque causa ducat ad peccatum. Hoc tamen generaliter agnoscendum est; quod si qui non

Digitized by Google

ita mente, ut actibus mali sunt, proposito incitato ad peccandum devolvuntur, his velocior, et magis in præsenti vita redditur pœna; ubique enim et semper Deus, prout competere judicat, unicuique pro actibus suis reddit. Eorum vero qui proposito exercent malitiam, ita ut interdum etiam in eos sæviant, a quibus bona consecuti sunt, et nullam recordationem capiunt ad pœnitentiam, differt pœnas in futurum: non enim merentur isti, sicut illi, de quibus supra diximus, in præsenti vita scelerum suorum finire vindictam: sed permittitur eis præsens tempus implere ut volunt; quia emendatio eorum non est jam talis, quæ temporalibus indigeat castigationibus, sed quæ æterni ignis in inferno exigat pœnas, quorum animæ ibi pœnitentiam quærent, ubi invenire non poterunt.

Quod si in hac vita positi, illas quas ibi patientur pœnas, ante oculos posuissent; refrenassent utique desideria, et nullo pacto decidissent in peccatum. Multum enim potest sensus in anima, ad resecandas omnes cupiditates; maxime cum cœlestium scientiam ceperit, per quam lumine veritatis accepto, ab omni obscuritate malorum actuum declinavit. Sicut enim sol omnes stellas splendore sui fulgoris obtundit, et contegit; ita et mens per scientiæ lucem, omnes concupiscentias animæ inefficaces reddit et otiosas; futuri judicii memoriam super eas tanquam radios suos emittens, ita ut ne apparere quidem ultra in anima queant.

ORIGEN., *Comment. in epist. ad Rom.*, lib. v, t. IV. — Dominus dicit in Evangelio: *Multi enim venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno Dei* (*Matth.* VIII, 11), et non dixit, Omnes venient. Peccatores autem quomodo multi et non omnes videantur, cum idem Apostolus dicat quod *omnes peccaverunt* (*Rom.* V, 12), debemus ostendere. Aliud est peccare, aliud peccatorem esse. Peccator dicitur is qui multa delinquendo, in consuetudinem, et ut ita dicam, in studium peccandi jam venit; sicut e contrario justus non dicitur is qui semel aut bis aliquid justitiæ fecerit, sed ille qui semper juste agendo, in usu et consuetudine justitiam habet. Nam si quis in cæteris fere omnibus injustus sit, semel autem vel bis aliquid justi operis egerit, iste quidem in eo opere in quo justitiam tenuit, juste egisse dicetur, non tamen ex hoc justus appellabitur. Ita et justus peccasse quidem dicetur si aliquid commiserit aliquando quod non licet, non tamen ex hoc peccator appellabitur, qui peccandi usum et consuetudinem non tenet: sicut et medicus ille non dicitur qui aut leviter ruptæ capitis cuti scit imponere araneam, aut qui tumorem vulneris aqua calida foverit, quamvis etiam hoc medicinæ esse videatur: sed ille dicitur medicus qui usum ac studium et disciplinam habet medendi. Ex quibus omnibus puto sufficienter ostendi quod aliud sit peccare, aliud peccatorem esse. Omnes enim potest fieri ut peccaverint, etiamsi sancti fuerint, quia *nemo mundus a sorde, nec si unius diei fuerit vita ejus.* (*Job*, XIV, 4, 5.) Quis enim est qui non aut in facto, aut in verbo, aut qui cautissimus certe est, vel in cogitatione peccaverit? Et ideo, ut dixi, peccasse quidem omnes merito dicentur, peccatores autem facti non omnes, sed multi.

S. ATHANAS., *Exposit. in Psal.*, tom. II.— *Qui fecerit ea homo, vivet in illis.* (*Levit.* XVIII, 5.) Solus itaque justus vivit, etiamsi mortuus esse videatur: injusti autem mortui sunt, etiamsi vivere videantur. Illi namque vitæ constitutionem in se habent, justitiam scilicet: hi contra cum illam non habeant, rebus inanimatis, non a se, sed extrinsecus vitam habentibus, similes sunt.

S. HILAR., *Tract. in psal.* CXVIII, t. I. — *Vivet anima mea, et laudabit te; et judicia tua adjuvabunt me.* (*Psal.* CXVIII, 175) Vivere se in hac vita non reputat (*David*), quippe qui dixerit: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea.* (*Psal.* L, 7.) Scit sub peccati origine et sub peccati lege se esse natum: meditationem legis Dei ob id elegit, ut vivat.

S. EPHREM., t. II. — Frater, advigila, et tibi ipsi attende, ut sapiens, et non tanquam insipiens: *Non est enim colluctatio nobis adversus sanguinem et carnem: sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum sæculi hujus, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* (*Ephes.* VI, 12.) Sobrium ergo et vigilantem te præbe usque in finem, ne forte propria superatus negligentia atque segnitie, stulte dicas et insipienter: ad monachatum accessi, et nec ibi viam salutis inveni. Cur igitur, frater, gratiam aspernamur Domini?— Compati tribulatis noluisti; durus autem et commiserationis expers esse maluisti. Tribulationes et improperia propter Dominum perferre detrectasti; primos autem accubitus, laudesque vanas potius affectasti. Timorem Dei, et dilectionem ipsius non servasti; contemptum autem timoris ejus et odium in proximum magis amasti. Quid multa? Cœlestia odisti, et terrena dilexisti: et adhuc vitam solitariam calumniaris? Non nosti, quia scriptum est: *Perdet Dominus omnes qui loquuntur mendacium.* (*Psal.* V, 7.) Et rursus: *Nolite adversus Deum loqui iniquitatem, quoniam Deus judex est.* (*Psal.* LXXIV.) Vides, frater, causam ex nobis esse et non ex aliis? In teipsum ergo descende, et ad Dominum in toto cordé tuo converte: *Non enim vult mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur ipse et vivat.* (*Ezech.* XVIII.) Cupit enim Dominus omnes salvos fieri: nam bonus est. Vulneratus es? sed curari poteris. Cecidisti? at resurge duntaxat, ne teipsum in finem perditioni tradas. Ipse enim Salvator dixit: *Non indigent qui sani sunt medico, sed qui male habent.* Et: *Non veni vocare justos, verum peccatores.* (*Marc.* II, 17.)

Ideo, frater charissime, patere, et consi-

Digitized by Google

lium tibi dabo. In quiete ac silentio reside, et præ oculis tuis timorem Domini gerito: colligensque cogitationes tuas, præside illis ut judex, et institutum vitæ temporis præteriti perdisce, ex quo solitariam aggressus es vitam; ut quænam status hujusmodi causa tibi fuerit, intelligas, notesque in corde tuo damnum ac causam, et unde talis damni provenerit causa. Nam si mercator in piratas inciderit, sive etiam submersa fuerit navis, et onera perdiderit, non obliviscitur loci, ubi eorum jacturam fecit : si autem post multum temporis acciderit ipsi eumdem locum adire, magna cum suspicione per illum transit. Quare et nos illorum imitatores simus, aut potius iis prudentiores. Illi corruptibilibus divitiis deperditis, non obliviscuntur loci : at nos incorruptibilia negligimus bona. In quiete igitur et silentio reside, sicut jam dictum est; tuasque cogitationes recollige, ac spiritum diu noctuque scalpe atque sacrifica; ut ejusmodi damni et subversionis causam agnoscas; ne forte ab initio fiduciam libertatemque habueris, quæ piam ac religiosam cogitationem tuam inverterit, moresque corruperit, ac te inverecundum impudentemque reddiderit, ne forte damnum ex multiloquio provenerit. Ne forte causa ex gula et crapula exstiterit, ne forte ex inobedientia damnum emanarit; ne forte ex desiderio e appetitione diversorum locorum, ne forte ex ministerii atque distractionum occasione, maximum sibi malum pararit. Et ubi agnoveris, abscinde libertatem atque impudentiam pietate.

Ne verearis ab hominibus præcepta Domini aspernantibus appellari hypocrita. Perspicuum est enim illos non ad fratris correctionem hypocrisis mentionem facere; sed ut pudore suffundatur frater, impudensque efficiatur, et abhorreat a recta sententia. Nam pios ac religiosos, hypocritas nuncupant. Ad quos ait Dominus : *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* (*Matth.* VII, 5.)

Ne igitur verearis improperia, frater charissime, et disciplinæ ne te subtraxeris : nam indisciplinatos mors comitatur, secundum sacram Scripturam; quemadmodum et alio in loco dicit : *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* (*I Joan.* III.) Alibique ait : *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis : quoniam quod est honoris ac gloriæ, et Dei spiritus super vos requiescet. Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat, sed glorificet Deum in isto nomine. Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?* (*I Petr.* IV, 14 seq.) Fuge ergo impunitatem et risum; non enim conducunt animæ tuæ. *Nam quæ pars fidelibus cum infideli?* (*II Cor.* VI, 15.) Similiter autem et gulam per temperantiam vince; avaritiam per exercitationem et inopiam voluntariam; multiloquium per taciturnitatem; sedendi lapatientiam per cellæ tolerantiam; negligentiam per futurorum bonorum memoriam; et inobedientiam per humilitatem. Sin vero et sub prætextu detestationis malitiæ tibi quid mali pararit inimicus, mundum ac castum deinceps teipsum serva, et non communices peccatis alienis. Mea autem sententia arbitror, initium tibi exstitisse malorum impunitatem atque licentiam, quæ et te impudentem effecit. Idcirco ait : *Beatus vir, qui semper est pavidus propter pietatem.* (*Prov.* XXVIII, 14.)

Quid porro lucri habet mundus, aut quod bonum diligentibus ipsum præbebit? Accepit quis uxorem? Initium curarum. Genuit filium? Sollicitudo altera. Nascitur alius? cura abundantior. Moritur filius unus? Luctum parentibus suis relinquit. Si porro etiam vivens, improbus evaserit atque perversus; magis de eo, quam de mortuo dolent. At quando jam viro, mortis hora obvenerit; graviorem propria ducit morte afflictionem suæ conjugis : eo quod uxorem relinquat viduam, et filios suos orphanos. Ab iis autem omnibus liberum te reddidit jugum Christi, o monache; et quomodo rursus ad antiqua vis reverti? Ne ergo tuam ipse salutem desperes; neque dixeris, amplius te salvari non posse : imo salvari te posse confide. Timorem Dei tota anima tua cole, et ipse tua sanabit vulnera, teque absque vulneribus deinceps conservabit. Quandiu enim Domini timorem colit anima tua, in laqueum diaboli non incides; sed eris velut aquila in sublimia volitans. Sin autem postea anima torpore correpta, Dei timorem contempserit, tunc ab excelsis perturbata, irridetur ab infimis : qui etiam obvelatis ejus oculis, agunt ipsam in passiones ignominiæ; tanquam bovem jugo constrictum.

Ideo, frater dilectissime, demus operam veritati : curemus salutem nostram : meditemur horam mortis : odio prosequamur res mundanas. Istæ enim omnes hic manent : istæ nos non eximent ac liberabunt in hora necessitatis nostræ, quando pœnitentes, nihil proficiemus; quando pro remissione deprecabimur, et nullus erit qui absolvat. Hei mihi, hei mihi, quam tremenda erit mortis hora, quando anima separabitur a corpore! Tunc non comitabitur filium pater, non filiam mater, non uxor maritum, non fratrem frater : sed solum opera quæ quisque egit, sive bona, sive mala. Præmittamus igitur nobis ipsis opera bona, ut, cum hinc abierimus, recipiant nos in civitatem Sanctorum : quod si progressum facere velis, regem ipsum ab hinc amicum tibi para. Qualem vero putas invenies gloriam, frater charissime, si amicum regem gloriæ posthac tibi vindicaberis? Nam sicut hic ipsum honoras, talem ipse gradum tibi præbebit : et quantum ei hic inservis, tantum et ipse honorabit te ibi. Scriptum est enim : *Sed tantum glorificantes me, glorificabo; et qui contemnunt me, ignominia afficientur.* (*I Reg.* II.)

Honora igitur ipsum tota anima tua, ut

Digitized by Google

te honore dignetur cumulare sanctorum. At in quo ipsum possidere oportet? Offer illi aurum et argentum: et, si nudum videris, cooperi eum ; quod si nihil horum suppetat tibi, alia ipsi genera auro et argento pretiosiora affer, fidem scilicet, charitatem, continentiam, patientiam, longanimitatem, humilitatem. Abstine a detractionibus, serva oculos ne aspiciant vanitatem ; et manus ne faciant injustitiam. Averte pedes tuos ab omni via mala. Consolare pusillanimes. Compatere infirmis. Da calicem aquæ frigidæ sitienti. Da fragmentum panis esurienti. Ex quibus habes, ex quibus, inquam, ipse tibi largitus est, offer ei. Etenim duo minuta viduæ non repudiavit Christus. Quid porro etiam Elias postulavit a vidua ? Nonne modicum aquæ in vase et buccellam panis ? Surgens enim Elias abiit in Sarepta Sidonis ; cumque appropinquasset portæ civitatis, ecce apparuit ei mulier vidua, colligens ligna. Et clamans post eam Elias, dixit ei : Cape nunc mihi paululum aquæ in vase, ut bibam. Illaque pergente ut acciperet, clamavit post eam Elias, et dixit : Cape nunc mihi, obsecro, et buccellam panis in manu tua.

Vides, charissime, quibus alebantur sancti prophetæ? Modica nimirum aqua, et buccella panis, et quidem cum angustia : omne quippe studium ponebant in bonis, quæ ipsis in cœlo reposita erant. Diligamus igitur et nos viam sanctorum, fratres charissimi. Dum tempus adhuc nobis suppetit, præstemus in eo fructum pœnitentiæ bonum. Ne tempus pœnitentiæ idoneum deperdamus ; nec imaginibus atque simulacris hujus sæculi distrahamur ; neque cum viris opera sua absque timore Dei peragentibus nos ipsos conjungamus ; neque eorum imitemur opera, qui propriam salutem despiciunt, secundum illud Apostoli effatum : *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* (*I Cor.* xv, 33.) Fugiamus ergo latam viam, quæ abducit in perditionem ; appetamus autem arctam et angustam, quæ in æternum deducit regnum. Laboremus hic bono et alacri animo, antequam coacte nobis laborandum sit. Mundum perturbationibus ac passionibus obnoxium, vitamque male affectam oderimus. Rectos nobis ipsi cursus faciamus. Studium ac diligentiam amemus, ferventes spiritu erga Dominum. Ploremus hic sponte atque libenter, ut Deum placatum reddentes, eripiat nos ab æterno igne, et stridore dentium. Diligamus luctum, quoniam Christi præceptum est. Ipse enim dixit : *Beati qui lugent nunc, quia ipsi consolabuntur.* (*Matth.* v, 5.)

Consideremus, fratres charissimi, eos qui per mare navigant : qualia subeant pericula, cum fluctibus decertantes, et amplitudinem marium transmeantes, quando autem quis tempus conductionis suæ impleverit, non reputat pericula, quæ in mari decertans sustinuit, propter gaudium : quia plenam mercedem suam accepit, quin et alacrior ad navigandum in mari hinc redditur. Illi quidem quando finiunt, tunc incipiunt : at nos, fratres charissimi, si assequamur, ut bene finiamus, propositum nobis certamen, non amplius nobis necessitas incumbet iterum eumdem cursum instituendi, cum id sit impossibile. Exiguum certamen est, fratres, et mercedis retributio ineffabilis. Vigilemus igitur, et diligentes simus in opere Domini, charissimi, toto corde ac viribus, donec tempus habemus. Quemadmodum enim dona ejus, Sanctorumque vocatio non revocantur ; ita et contraria contrariis sunt ab initio præparata. Idcirco beatus vir, qui timet Dominum, quoniam ab ipso coronam accipiet, quam præparavit diligentibus se.

S. Basil., hom. *in Psa.*, XLVIII, t. I. — Quorum vita mortuis operibus ex omni peccato scaturientibus repleta est, horum domus sepulcra sunt in æternum. Qui enim mortuus est per peccata, non domum habitat, sed sepulcrum, cum anima ejus mortua sit ; nam domum habitat morum integer ac simplex Jacob, de quo scriptum est, quod erat *homo sincerus ac bonus habitans domum* (*Genes.* XXV, 27) ; sepulcrum vero habitat is, qui omnino malus est, atque ne pœnitentiæ quidem fundamentum de mortuis operibus jacit : sed similis sepulcro dealbato efficitur (*Matth.* XXIII, 27), quod quidem forinsecus conspicuum est, intrinsecus vero mortuorum ossibus cunctisque sordibus refertum est. Quamobrem talis dum loquitur, non os aperit verbo Dei, sed sepulcrum habet apertum, suum scilicet guttur. Si quis igitur in Christum credens, actiones edit fidei non consentaneas, is propterea quod prava attenderit dogmata, Scripturæque perverterit sensum, in petra sibi ipse sepulcrum incidit.

Tabernacula eorum in progeniem et progeniem (*Psal.* XLVIII, 7), hoc est, sepulcra domus eorum sunt in æternum. Deinde explanans de quibus intelligat sepulcris, ut se de corporibus sermonem habere ostendat, in quibus animæ per nequitiam mortuæ inhabitant, adjunxit ipsis, *Tabernacula eorum in progeniem et progeniem :* quippe ex consuetudine, humana corpora semper tabernacula appellantur. Hi autem vocant quoque nomina sua in terris. Non enim impii nomen scribitur in libro viventium, neque numeratur cum Ecclesia primogenitorum qui numerantur in cœlis ; sed quod transitoriam hanc et brevem vitam tabernaculis æternis prætulerunt, nomina ipsorum in terra permanent. Non vides eos qui ædificant in urbibus fora ac gymnasia, exstruunt mœnia, aquæductus construunt, quomodo eorum nomina his terrenis indita sint ædificiis? Jam vero nonnulli nomine suo armentis etiam equorum imposito, induxere in animum, ut in longum vitæ tempus sua ipsorum memoria extenderetur. Quin etiam magnificentia in sepulcris ostensa, monumentis nomina sua insculpserunt. Hi sunt qui terrena sapiunt, et præsentem gloriam ac hominum recordationem sibi ad felicitatem satis esse existimant.

Digitized by Google

S. Gregor. Naz., orat. 19. t. I. — Satis superque grave est liberis hominibus servitute premi, tantumque inter eos, qui ex eadem terræ massa coagmentati sunt, interesse, ut alii imperent, alii imperio teneantur : alii tributa constituant, alii tributi causa describantur : alii injuriam inferre, maloque afficere impune possint ; alii ne quid patiantur, laborent, ac precibus contendant ; eaque circa unam et eamdem imaginem, circa unam et eamdem dignitatis præstantiam contingere, circa ejusdem vitæ hæredes, et pro quibus Christus æque mortuus est. Satis, inquam, hæc liberis hominibus molesta sunt, ne quid huic jugo ponderis addatur, ne quid pœnæ illi, qua primum nostrum peccatum multatum est, acerbitatis accedat.

Utinam funditus pereat vitium, et primum illius semen, ac pravus ille qui, *dormientibus nobis, zizania superseminavit* (*Matth.* XIII, 25), ut mali principium, ex boni incuria nasceretur, non secus ac tenebrarum principium est lucis secessio. Hæc nobis lignum illud invexit, et amarus esus, et invidus serpens, et lex violata, quæ hanc pœnam irrogavit, ut in *sudore vultus* (*Gen.* III, 19), nobis victus sit parandus. Hinc ego nudus et indecorus, et nuditatem cognovi, et pelliceam vestem indui, et e Paradiso dejectus sum, atque ad terram, ex qua sumptus fueram, aversus sum, id unum deliciarum loco habens, quod calamitates meas cognitas habeam ; et pro exigua voluptate, perpetuo mœrore damnatus sum ; eamque pœnam pendo, ut mihi cum eo, qui male in meam amicitiam irrepsit, ac per arboris gustum in fraudem me induxit, bellum gerere sit necesse. Hoc mihi peccati præmium. Hinc factum est ut in labore et ærumna nascar, et vivam ac moriar. Hinc indigentia nata est ; ex indigentia cupiditas, ex cupiditate bella, ex bellis porro tributa, quibus in divina condemnatione nihil gravius est et acerbius. At nos saltem ne multam augeamus, cum eidem pœnæ obnoxii simus, nec male cum aliis agamus. Mutuam erga nos ipsos benignitatem Deus a nobis exposcit, etiamsi ab ipso puniamur.

S. Ambros., *De paradiso*, cap. 13.—*Cognoverunt quod nudi essent.* (*Gen.* III, 7.) Ergo quicunque prævaricatur mandatum Dei, spoliatur atque nudatur, et fit ipse sibi turpis. Vult se operire quibusdam ficus foliis, fortasse quibusdam inanibus vel umbratilibus sermonibus, quos compositis mendaciis assuens, et verbum de verbo struens ad operiendam conscientiam suæ mentis, factique velamen peccator intexit, ut pudenda sua contegat. Aut diabolum delicti memorat auctorem, aut carnis prætendit illecebras, aut alium quempiam persuasorem prodit erroris.

Idem, *ibid.*, cap. 14.— Adam audit *vocem Dei ambulantis ad vesperam.* (*Gen.* III, 8.) Quid est *ad vesperam*, nisi quia peccator culpam suam sero cognoscit, et sero venit quædam erroris præteriti verecundia, quæ errorem prævenire debuerat. Nam dum culpa fervet in corpore et anima exagitatur corporis passionibus, non cogitat Deum sensus errantis ; hoc est non audit Deum ambulantem in Scripturis divinis ambulantem in mentibus singulorum. Adam aperuit oculos ut culpam videret. Magis enim postquam peccavimus, nescio quomodo nostra delicta cognoscimus : et tunc peccatum esse intelligimus quod, antequam peccaremus, non putabamus esse peccatum. *Adam, ubi es?* (*Ibid.*, 9.) Non est interrogatio sed increpatio. De quibus bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miseriam recidisti? Dereliquisti vitam æternam, et attumulatus es morti, consepultus errori. Ubi est illa tua bene sibi conscia confidentia? Timor iste culpam fatetur, latebra prævaricationem.— Quo te perduxerunt peccata tua, ut fugias Deum tuum quem ante quærebas?

Idem, *ibid.*— *Serpens decepit me* (ait Eva), *et manducavi.* (*Gen.* III, 13.) Venialis culpa quam sequitur professio delictorum. Ideo non desperata mulier quæ non reticuit Deo, sed magis confessa peccatum est, quam medicinalis secuta est sententia. Bonum est condemnari in peccato, et ut cum hominibus flagellemur. Denique Cain quia voluit crimen negare, indignus judicatus est qui puniretur in peccato, sed remissus est sine præscripto pœnæ ; fortasse non tam crimine parricidii, illud enim commisit in fratrem ; quam sacrilegii, quod Deo credidit mentiendum.— Et ideo accusatori diabolo ejus accusatio reservata est, ut cum ejus angelis flagellatur, qui cum hominibus noluit flagellari.

S. Chrysost., hom. 15 *in Matth.*, t. VII.— Tollamus malorum fontem, et morborum fluenta statim siccabuntur. Non paralysis solum malum est, sed etiam peccatum, imo hoc majus quam illud, quanto scilicet anima melior est corpore. Accedamus igitur et nunc ad ipsum, rogemus ut resolutam animam nostram constringat, et sæcularibus missis omnibus, spiritualium tantum rationem habeamus. Si vero hæc obtineas, illa cures postea. Nec quia in peccando non doles, ideo contemnas, sed propterea maxime ingemisce, quia nullum habes de peccatis dolorem. Illud vero inde evenit, non quod peccatum non mordeat, sed quod anima sceleribus assueta sensum non habeat. Cogita ergo illos qui propria peccata sentiunt, quomodo acerbius ejulent quam ii qui secantur vel uruntur, quantaque patiantur, quantum lugeant et ingemiscant ut a mala conscientia liberentur, quod nunquam facerent, nisi animo admodum dolerent.

Utique melius esset nunquam peccare ; quod sequitur autem est, peccata sentire et corrigere. Si vero id non habeamus, quo pacto Deo supplicabimus et peccatorum remissionem postulabimus, qui horum nullam rationem habemus? Cum enim tu ipse qui peccasti ne idipsum quidem quod peccaveris scire velis, pro quibus peccatis Deum

Digitized by Google

rogabis, quæ ne quidem nosti? Et quomodo noveris beneficii magnitudinem? Dic itaque peccata tua speciatim, ut discas quorumnam remissionem accipis, ut ita erga beneficum gratus sis. Tu vero cum hominem offenderis, amicos, vicinos et ostiarios rogas, pecunias expendis, multosque dies insumis in accedendo et supplicando, etiamsi semel, bis sexcentiesque ab offenso repulsam teneris, non concedis, sed magis sollicitus supplicationes adauges; cum vero universorum Deus offensus est, oscitamus, negligimus, deliciamur, inebriamur, et pro solito more omnia faciamus: et quandonam illum placare poterimus? Quomodo non eo ipso modo magis irritemus? Non dolere enim de peccato, magis ad indignationem et iram ipsum provocat, quam ipsum peccatum. Quapropter in ipsam terram sese detrudere oporteret, nec solem aspicere, vel respirare, quando tam placabilem Dominum habentes, illum irritamus et irritantes non pœnitentiam agimus: etiamsi ille neque cum iratus est, nos odio habeat vel aversetur; sed iratus sit, ut nos vel sic ad se pertrahat. Nam si vel contumelia affectus perpetuo beneficia conferret, ipsum magis despiceres. Ne autem id eveniat, ad tempus avertit faciem; ut te semper secum habeat. Ejus itaque benignitati fidamus, et pœnitentiam sollicite exhibeamus, priusquam dies ille veniat, in quo nihil nobis pœnitentia proderit.

Nunc enim in nobis tota res sita est, tunc vero judex solus erit judicii et calculi ferendi Dominus. *Præoccupemus* igitur *faciem ejus in confessione* (*Psal.* XCIV, 2), fleamus, lugeamus. Si enim poterimus ante definitam illam diem placare judicem, ut nobis peccata remittat, non ultra introitu nobis opus erit: ut e converso, si non hoc ita fiat, toto orbe præsente, quisque nostrum ad tribunal adducetur, et nulla nobis ultra spes veniæ supererit. Nullus enim eorum qui adsunt, qui peccata sua non abluerit, cum illuc advenerit, poterit pœnas iis debitas effugere. Sed quemadmodum illi qui ex carceribus his ad tribunal catenis onusti adducuntur; sic et animæ omnes, cum abierint, variis peccatorum suorum constrictæ catenis, ad terribile illud tribunal adducentur. Nam hæc vita carcere nihilo melior est. Sed sicut cum in domicilium illud introimus, omnes videmus catenis circumdatos, ita et nunc si abjecta illa externarum rerum imaginatione, in singulorum vitam ingrediamur, ipsorum animas videbimus ferro durioribus constrictas: maxime vero si in animas divitum intraveris: nam quanto pluribus illos videris divitiis circumdatos, tanto magis sunt alligati. Quemadmodum igitur si vinctum videris manibus, dorso, sæpe etiam pedibus alligatum ferreis catenis, illum maxime misereris: sic divitem cum videris multis circumfluentem rebus, ne ideo divitem, sed potius ideo miserum existimato: nam cum his vinculis sævum habet carceris custodem, pravum pecuniarum amorem: qui non permittit illi ex isto carcere exsilire; sed sexcentos ipsi parat compedes, custodias, portas, vectes, et in interiorem carcerem trudens suadet illi ut istis vinculis delectetur; ut ne quidem evadendi ab instantibus malis spem ullam habeat.

S. CHRYST., hom. 15, *in Matth.* — Et si cogitatione tua animam illius denudaveris, non vinctam modo videbis, sed etiam squalentem, putidam, pediculis onustam. Nihil enim illis meliores sunt voluptatis deliciæ, imo horribiliores; atque etiam corpus cum ipsa anima labefactant, et huic et illi innumeras infligunt morborum plagas. Propter hæc omnia redemptorem animarum nostrarum precemur, ut et vincula rumpat, et sævum hunc custodem a nobis amoveat, atque a pondere ferrearum catenarum liberatis, alis leviorem in nobis mentem perficiat. Dum autem illum precabimur, quæ nostra sunt etiam afferamus, sollicitudinem, animum, alacritatem; sic enim poterimus brevi tempore a malis quibus detinemur eripi, et edisccre quo in statu prius eramus, congruentemque nobis recipere libertatem, quam utinam omnes consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi.

Idem., *in Matth.*, hom. 27, al. 28, t. VII. — Sciendum est quid vita, quid mors sit; multi enim etiam ex iis qui vivere videntur, a mortuis nihil differunt, si in nequitia vivant, imo deteriores etiam mortuis sunt. *Nam qui mortuus est*, inquit, *justificatus a peccato.* (*Rom.* VI, 7.) Hic autem nequitiæ servit. Ne mihi dixeris, illum a vermibus non corrodi, non in sandapila jacere, non oculos clausisse; neque institis ligatum esse. Nam graviora patitur, quam mortuus; non vermibus corrodentibus, sed feris immanioribus animi affectibus ipsum discerpentibus. Si autem apertos habeat oculos, hoc item longe pejus est, quam si clausi essent. Etenim oculi mortui nihil mali vident: hic autem, apertis oculis, innumeros sibi attrahit morbos. Ille jacet in sandapila ad omnia immobilis; hic in sepulcro morborum mille onere obrutus est. At non vides corpus ejus putridum? Et quid hoc? Hic quippe, antequam corpus ejus putrescat, animam habet corruptam, perditam, fœtore plurimo labefactatam. Ille quidem per decem dies fœtet; hic vero per totam vitam fœtorem emittit, os habens cloacis ipsis immundius. Uno verbo tantum ab hoc ille differt, quantum ille quidem corruptionem naturæ debitam patitur, hic vero cum illa putredine, eam etiam quæ ex perdita oritur vita sibi attrahit, sexcentas sibi quotidie excogitans corruptionis species. Sed ille equo fertur? Quid hoc est? Nam hic in lecto decumbit; quodque gravius est, dum illum corruptum et fœtentem nemo videt, cum arcam habeat velo opertam, hic vivens ac fœtidus circumquaque vagatur, mortuam animam in corpore quasi in sepulcro circumferens. Ac si posset anima conspici viri in deliciis et in nequitia

Digitized by Google

viventis, videret longe melius esse in sepulcro ligatum jacere, quam catenis peccatorum constringi; ac lapidem superpositum habere, quam grave illud insensibilitatis operculum. Quapropter convenit ut mortuorum horumce propinqui, quoniam illi sic sine sensu jacent, ad Jesum accedant pro illis, ut olim Maria pro Lazaro: etiamsi fœtidus, etiamsi quatriduanus sit, ne desperes : sed accede, et lapidem prius remove.

Nam tunc videbis jacentem quasi in sepulcro, et fasciis ligatum. Et si placet, in medium quempiam ex viris illustribus adducamus. At ne timeatis, tacito quippe nomine exemplum proferam; imo si nomen dicerem, ne sic quidem metuendum esset: quis enim nunquam mortuum timuit? Si quid enim fecerit, mortuus tamen manet; mortuus vero viventem lædere nullo pacto potest. Videamus itaque caput ejus ligatum: nam cum crebro sint ebrii perinde atque mortui multis velaminibus et fasciis, sic omnes istorum sensus occluduntur et ligantur. Si lubet etiam manus videre, illas conspicias ventri alligatas, ut defunctorum manus, et vinctas, non fasciis, sed avaritiæ vinculis, quod longe deterius est; neque enim permittit illa ut ad eleemosynam, vel ad aliud quodpiam opus bonum extendantur; sed inutiliores efficit, quam mortuorum manus. Visne ut etiam pedes similiter vinctos videamus? Illos quoque respice curis constrictos, qui ideo non possint ad Ecclesiam Dei properare.

Vidisti mortuum? Pollinctorem vide. Quis horum pollinctor est? Diabolus, qui diligenter ipsos constringit, nec sinit ut homo vere homo appareat, sed lignum aridum. Ubi enim nec oculus, nec manus, nec pedes, nec aliud hujusmodi est, quomodo esse posse homo videatur? Sic ipsorum animam fasciis devictam conspicere est, idolum magis, quam animam.

Quoniam igitur ipsi sine sensu jacent mortui, pro illis ad Jesum accedamus, precemur ut resurgant, amoveamus lapidem, solvamus fascias. Si enim abstuleris lapidem, id est illam in malis sensuum privationem, cito illos e sepulcro eduxeris, eductos vero facilius a vinculis liberabis. Tunc te Christus agnoscet, cum surrexeris, cum solutus fueris, tunc te ad cœnam suam vocabit. Quotquot igitur Christi amici estis, quotquot discipuli, quotquot mortuum diligitis, ad Jesum supplices accedite et supplicate: etiamsi enim summopere fœtidus sit, attamen non debent propinqui ejus ipsum deserere; sed tanto magis accedere, quanto magis putredo augetur, ut tunc fecerunt Lazari sorores; neque ante discedere, rogantes, precantes, supplicantes, quam illum viventem receperimus. Nam si sic res nostras et proximorum curemus, futuram cito vitam consequemur, qua utinam nos frui contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

S. Augustinus, lib. 1 *De sermone Domini in monte*, cap. 23. — Sane considerandum est, quod non dixit: Omnis, qui concupiverit mulierem; sed : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam* (*Matth.* v, 28), id est, hoc fine et hoc animo attenderit, ut eam concupiscat: quod jam non est titillari delectatione carnis, sed plene consentire libidini, ita, ut non refrenetur illicitus appetitus, sed si facultas data fuerit, satietur. Nam tria sunt, quibus impletur peccatum, suggestione, delectatione et consensione. Suggestio, sive per memoriam fit, sive per corporis sensus, cum aliquid videmus aut audimus, vel olfacimus, vel gustamus, vel tangimus : quo si frui delectaverit, delectatio illicita refrenanda est. Velut cum jejunamus, et visis cibis, palati appetitus assurgit, non fit, nisi delectatione; sed huic tamen non consentimus, si eam dominantis rationis jure cohibemus. Si autem consensio facta fuerit, plenum peccatum erit. Notum autem Deo in corde nostro, etiam si facto non innotescat hominibus. Ita ergo sunt isti gradus, quasi a serpente suggestio fiat, id est lubrico et volubili, hoc est temporali corporum motu : quia et si qua talia phantasmata intus versantur in anima, de corpore forinsecus tracta sunt: et si quis occultus præter istos quinque sensus motusque corporis animum tangit, est etiam ipse temporalis et lubricus : et ideo quanto illabitur occultius, ut cogitationem contingat, tanto convenientius serpenti comparatur. Tria ergo hæc, ut dicere cœperam, similia sunt illi gestæ rei, quæ in Genesi scripta est, ut quasi a serpente fiat suggestio et quædam suasio : in appetitu autem carnali, tanquam in Eva, delectatio : in ratione vero tanquam in viro, consensio : quibus peractis, tanquam de paradiso, hoc est de beatissima luce justitiæ, in mortem homo expellitur, justissime omnino. Non enim cogit, qui suadet. Et omnes naturæ in ordine suo gradibus suis pulchræ sunt, sed de superioribus, in quibus rationalis animus ordinatus est, ad inferiora non est declinandum. Nec quisquam hoc facere cogitur, et ideo si fecerit, sine justa defensione punitur. Non enim hoc committit invitus. Verumtamen delectatio ante consensionem vel nulla sit, vel tam tenuis, ut prope nulla sit. Cui consentire, magnum peccatum est, cum illicita est. Cum autem quisque consenserit, committit peccatum in corde suo. Si autem etiam in factum processerit, videtur satiari et exstingui cupiditas : sed postea cum suggestio repetitur, major accenditur delectatio : quæ tamen adhuc multo minor est, quam illa, quæ assiduis factis in consuetudinem vertitur. Hanc enim vincere difficillimum est : et tamen etiam ipsam consuetudinem, si se quisque non deserat, et Christianam militiam non reformidet, illo duce atque adjutore superabit : ac sic in pristinam potestatem [*al.* pacem] atque ordinem et vir Christo, et mulier viro subjicitur. Sicut ergo tribus gradibus ad peccatum pervenit-

Digitized by Google

tur, suggestione, delectatione, consensione, ita ipsius peccati tres sunt differentiæ, in corde, in facto, in consuetudine, tanquam tres mortes. Una quasi in domo, id est, cum in corde consentitur libidini : altera jam prolata, quasi extra portam, cum in factum procedit assensio : tertia, cum vi consuetudinis malæ tanquam mole terrena premitur animus, quasi in sepulcro jam putens. Quæ tria genera mortuorum Dominum resuscitasse, quisquis Evangelium legit, agnoscit. Et fortasse considerat, quas differentias habeat etiam ipsa vox resuscitantis, cum alibi dicit : *Puella, surge.* (*Matth.* IX, 24.) Et alibi : *Juvenis, dico tibi : Surge.* (*Luc.* II, 14.) Alibi : *Infremuit in spiritu, et flevit, et rursus fremuit, et post deinde voce magna exclamavit: Lazare, veni foras* (*Joan.* XI, 43.)

S. Aug., lib. XII, *de Trinit.*, cap. 12. — Cum huic intentioni mentis quæ in rebus temporalibus et corporalibus propter actionis officium ratiocinandi vivacitate versatur, carnalis ille sensus vel animalis ingerit quamdam illecebram fruendi se, id est, tanquam bono quodam privato et proprio, non tanquam publico atque communi, quod est incommutabile bonum ; tunc velut serpens alloquitur feminam : huic autem illecebræ consentire, de ligno prohibito manducare est. Sed iste consensus si sola cogitationis delectatione contentus est, superioris vero auctoritate consilii ita membra retinentur, ut non exhibeantur iniquitatis arma peccato : sic habendum existimo, velut cibum vetitum mulier sola comederit. Si autem in consensione male utendi rebus, quæ per sensum corporis sentiuntur, ita decernitur quodcunque peccatum, ut si potestas sit, etiam corpore compleatur, intelligenda est illa mulier dedisse viro suo secum simul edendum illicitum cibum. Neque enim potest peccatum non solum cogitandum suaviter, verum etiam efficaciter perpetrandum mente decerni, nisi et illa mentis intentio, penes quam summa potestas est, membra in opus movendi, vel ab opere cohibendi, malæ actioni cedat et serviat. Nec sane cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen et volvens libenter, quæ statim, ut attigerunt animum, respui debuerunt, negandum non est esse peccatum, sed longe minus, quam et si opere statuatur implendum. Et ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda est, pectusque percutiendum, atque dicendum : *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12) ; faciendum quoque, quod sequitur, atque in oratione jungendum : *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Neque enim sicut in illis duobus primis hominibus personam suam quisque portabat, et ideo si sola mulier cibum edisset illicitum, sola utique mortis supplicio plecteretur. Ita dici potest in homine uno, si delectationibus illicitis, a quibus se continuo deberet avertere cogitatio, libenter sola pascatur, nec facienda decernantur mala, sed tantum suaviter in recordatione teneantur, quasi mulierem sine viro posse damnari : absit hoc credere. Hæc quippe una persona est, unus homo est, totusque damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.

Idem, *Enarr. in psal.* IX, t. IV. — Tria genera vitiorum, id est voluptas carnis, et superbia, et curiositas, omnia peccata concludunt. Quæ mihi videntur a Joanne apostolo enumerata, cum dicit : *Nolite diligere mundum, quoniam omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi.* (*I Joan.* II, 15 et seq.) Per oculos enim maxime curiositas prævalet. Reliqua vero quo pertineant, manifestum est.

Idem, lib. XXII *contra Faustum.* — Alia sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta.

S. Hieron., *Comment. in Amos prophet.* c. I, lib. I, t. III.—Primum peccatum est, cogitasse quæ mala sunt; secundum cogitationibus acquievisse perversis; tertium, quod mente decreveris opere complesse ; quartum post peccatum non agere pœnitentiam, in suo sibi complacere delicto. — Hoc omnes faciunt hæretici, qui non solum cogitant et faciunt mala, sed doctrina sua quosque simplices decipiunt in morem Damascenorum, qui interpretantur *sanguinem bibentes*, eorum quos deceperint sanguinem bibunt. Super hujuscemodi peccatis, inquit Dominus, nonne dignum est, ut eos plagis corripiam, et avertam ab eis faciem meam ? Ut qui veritatem dogmatum meorum non vident, aversione vultus mei tenebris obruantur.

S. Isidorus episc., lib. II *De summo bono*, cap. 23. — Istis fomitibus quasi quibusdam gradibus coalescit omne peccatum. Cogitatio namque prava delectationem parit, delectatio consensionem, consensio actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem : sicque his vinculis homo implicatus quadam catena vitiorum tenetur astrictus : ita ut ab ea evelli nequaquam valeat, nisi divina gratia manum jacentis apprehendat. Peccatum admittere, cadere est in puteum : consuetudinem vero peccandi facere, os putei est coangustare, ne is, qui cecidit, valeat exire. Sed interdum etiam tales Deus liberat, dum eorum desperationem ad conversionem libertatis commutat. Ipso enim miserante peccata dimittuntur : quo protegente fit, ne in deterius peccando eatur. Nequissimum est peccare, pejus est peccandi consuetudinem facere. Ab illo facile, ab hoc cum magno labore resurgitur, dum malæ consuetudini repugnatur. Male agendi consuetudinem, recessum esse propheta asserit in profundum, cujus usu quasi quadam lege homo tenetur astrictus, ut etiam, quando non vult, peccatum admittat. A lapsu vero cito resurgere, non est in pro-

Digitized by Google

fundum ire. Apostolus legem peccati dicit esse in membris suis, quæ lex consuetudo est, quam peccando concipimus, et non ab ea, cum volumus, discedimus : quia jam necessitas vinculo per consuetudinem retinemur.

S. Gregor., *Moral.*, lib. x, cap. 21. — Sed inter hæc intueri necesse est quantæ peregrinationis nostræ pœna nos perculit, qui in eam cæcitatem venimus, ut nos ipsos ignoremus. Perpetramus mala, nec tamen hæc celerius deprehendimus, vel perpetrata. Exclusa quippe mens a luce veritatis, nihil in se nisi tenebras invenit : et plerumque in peccati foveam pedem porrigit et nescit. Quod nimirum de sola exsilii sui cæcitate patitur, quia ab illuminatione Domini repulsa, et semetipsam videre perdidit, quæ auctoris sui faciem non amavit.

Idem, *ibid.*, cap. 26. — Melior est iniquitas viri quam benefaciens mulier : quia nonnunquam etiam culpa fortium, occasio virtutis fuit, et virtus infirmorum occasio peccati.

Idem, lib. xvi, cap. 28.—*Peccatum ad mortem*, est peccatum usque ad mortem : quia scilicet peccatum, quod hic non corrigitur, ejus venia frustra postulatur.

Idem, lib. xxv. — Omne peccatum quod tamen citius pœnitendo non tergitur, aut peccatum est et causa peccati, aut peccatum et pœna peccati. Peccatum nempe quod pœnitentia non diluit ipso suo pondere mox ad aliud trahit. Unde fit ut non solum peccatum sit, sed peccatum et causa peccati. Ex illo quippe vitio culpa subsequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur, ut pejus ex alio ligetur. Sed peccatum quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo, sed peccatum est et pœna peccati, quia justo judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito etiam in aliis cadat.

Idem, hom. 34 *in Ezechielem.* — Plerumque hi qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt, stant quidem in via justitiæ, nulla illicita perpetrant, sed tamen ad cœlestem patriam anxie non anhelant, tantoque sibi in rebus licitis usum præbent, quanto se perpetrasse nulla illicita meminerunt. Et plerumque pigri remanent ad exercenda bona præcipua : quia valde securi sunt, quod nulla commiserint mala graviora. At contra nonnunquam hi qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti, inardescunt in amorem Dei, seseque in magnis virtutibus exercent, cuncta difficilia sancti certaminis appetunt, omnia mundi derelinquunt, honores fugiunt, acceptis contumeliis lætantur, flagrant desiderio, ad cœlestem patriam anhelant : et quia se errasse a Deo considerant, damna præcedentia lucris sequentibus recompensant.

Idem, *ibid.*, hom. 35.—Omnia quæ ad vitæ usum accepimus, ad usum convertimus culpæ. Sed cuncta quæ ad usum pravitatis infleximus, ad usum nobis vertuntur ultionis. Tranquillitatem quippe humanæ pacis ad usum vertimus vanæ securitatis. Peregrinationem terræ pro habitatione diligimus patriæ. Salutem corporum redigimus in usum vitiorum. Ubertatis abundantiam non ad necessitatem carnis, sed ad perversitatem intorsimus voluptatis. Ipsa serena blandimenta aeris ad amorem nobis servire coegimus terrenæ delectationis. Jure ergo restat ut simul nos omnia feriant, quæ simul omnia vitiis nostris male subacta serviebant : ut quot prius in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipso postmodum cogamur sentire tormenta.

S. Bernard., serm. *De passione Domini.* — Originale delictum totum non modo genus humanum, sed et quemlibet ipsius generis occupat, ut non sit qui evadat, non sit usque ad unum, — sed et aliter nihilominus in universam dilatatur ætatem, ab ea scilicet die, qua sua quemque concipit usque ad eam qua communis eum recipit mater. — In sordibus generamur, in tenebris confovemur, in doloribus parturimur ; ante exitum miseras oneramus matres, in exitu more vipereo laceramus, — primam vocem plorationis edimus, merito quidem utpote vallem plorationis ingressi.

Idem, epist. 34 *ad Haimar.*— *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* (*Marc.* viii, 37.) Nec totus mundus sufficeret. Magna res anima quæ Christi sanguine redempta est. Gravis animæ casus, quæ non nisi Christi cruce potuit reparari. Si rursum corruerit peccato duntaxat ad mortem, unde jam reparabitur ? Nunquid aut alter Christus, aut idem iterum crucifigi habet pro illa. Super hoc vellem vos nunquam obliviscl illud Sapientis consilium : *Fili, memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* (*Eccli.* vii, 40.)

Idem, serm. 3, *in fest. SS. Petri et Pauli.* — Ad Dominum jam conversos non nimis oruciet præteritorum conscientia delictorum, sed tantum humiliet vos. Eorum qui peccant antequam Deum noverint, antequam miserationes ejus experti sint, antequam portaverint jugum suave et onus leve, priusquam devotionis gratiam et consolationes acceperint Spiritus sancti ; eorum, inquam, copiosa redemptio est. — At eorum qui post conversionem suam peccatis et vitiis implicantur, ingrati acceptæ gratiæ, et post missam manum ad aratrum retro respiciunt, tepidi et carnales facti, aut post agnitam viam veritatis retro eunt apostatæ manifesti, eorum utique perpaucos invenias qui post hæc redeant in pristinum gradum.

Idem, *De conversione ad clericos*, cap. 4. — At forte aliquem moveat illud de psalmo : *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* (*Psal.* x, 6.) Ego autem dico, odit et carnem suam. An non odit, qui gehennæ cumulos mercatur in dies, et qui secundum duritiem suam et cor impœnitens, thesaurizat in die

Digitized by Google

iræ? Cæterum hoc odium tam carnis quam animæ, non in affectu, sed in effectu potius invenitur. Sic nimirum odit et phreneticus carnem suam, cum sibi ipsi manus inferre laborat, rationis deliberatione sopita. An vero gravior ulla phrenesis judicatur quam impœnitentia cordis et peccandi obstinata voluntas. Siquidem manus nefarias injicit sibi ipsi, nec comam, sed mentem lacerat et corrodit. Si vidisti hominem scalpere manus, et usque ad sanguinem confricare, evidentem habes in eo similitudinem animæ peccantis expressam. Cedit siquidem voluptas illa dolori, et succedit pruritus cruciatus. Neque id ignorabat, sed dissimulabat ille dum scalperet. Sic laceramus, sic exulceramus propriis manibus animas infelices, nisi quod tanto gravius, quanto excellentior est spiritualis creatura, et cui difficilius medeatur. Quia vero mirum est si propriam minime sentiat anima læsionem quæ sui ipsius oblita est penitus, absens sibi in longinquam profecta est regionem, erit autem, cum in semetipsam reversa cognoscet quam crudeliter misera venationis obtentu evisceravit semetipsam.

S. Bern., *De conversione ad cler.* cap. 9. — Seminant ergo dum nesciunt, et seminant dum occultant homines iniquitatis mysteria, dum vanitatis consilia celant, dum perambulant in tenebris negotia tenebrarum. Parietes, inquit, sunt undique, quis me videt? Esto nemo te videat, non tamen nullus. Videt te angelus malus; videt te angelus bonus, videt et bonis et malis major angelis Deus; videt accusator; videt testium multitudo; videt et ipse judex cujus te oportet assistere tribunali : sub cujus sane oculis velle delinquere tam insanum, quam horrendum incidere in manus Dei viventis. Noli esse securus, latens insidias, quæ latere non possis. Latent, inquam, insidiæ, quas ut deprehendere ipse non potes, sic non potes ipse non deprehendi. Audit plane qui plantavit aurem, et qui finxit oculum ipse considerat. Non illius solis arcet radios maceria lapidum quos ipse creavit, non vel ipse corporis hujus paries veritatis excludit aspectum. Nuda sunt ejus oculis omnia, penetrabilior est ancipiti gladio. Ipsas quoque non modo cernit, sed et discernit cogitationum vias et medullas affectionum.

[Ex Conciliis.]

I. *Peccata in genere.*

Propositiones Michaelis Baii damnatæ a Pio V. — Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

Ibid. — Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.

Ibid. — Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato.

Ibid. — Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

Ibid. — In peccato duo sunt, actus et reatus; transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus sive obligatio ad pœnam.

Ibid. — Unde in sacramento baptismi aut sacerdotis absolutione proprie reatus peccati duntaxat tollitur, et ministerium sacerdotum solum liberat a reatu.

Ibid. — Nonnisi pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus : et gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit et docet.

Ibid. — Homo peccat, etiam damnabiliter in eo quod necessario facit.

Ibid. — Infidelitas pure negativa, in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

Propositiones Cornelii Jansenii damnatæ. — Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. — Declarata et damnata uti hæretica.

Propositiones damnatæ ab Alexandro VIII. — 1° *Propositiones* 2 *damnatæ decreto* 24 *aug.* 1690. — Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi; theologicum vero et mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quamtumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum. — Declarata et damnata uti scandalosa, temeraria, piarum aurium offensiva, et erronea.

Propositiones 31 *prohibitæ* 7 *dec.* 1690. — In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, et voluntate Adami peccantis.

Ibid. — Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

II. *Peccata reservata.*

Ex conc. Eliberitano, sub Marcello I, an. 305. — 3. Si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere sine episcopi consultu, sed potius apud episcopum agat, non est presbyterorum aut diaconorum communionem talibu præstare debere, nisi eis jusserit episcopus.

Ex conc. Londinensi, sub Cœlestino I, an. 1143. — Nealiquis qui eccl. siam cœmeteriumque violaverit, vel in clerico aut viro reli-

Digitized by Google

gioso manus injecerit violentas, ab alio quam ab ipso papa possit absolvi.

2. Ne qui alicui clerico violentas manus injecerit, ab alio possit absolvi quam ab ipso papa et in præsentia ipsius.

Ex conc. Ravennatensi II, *sub Honorio IV*, *an.* 1286. — 3. Ecclesiarum rectoribus nostræ provinciæ, sub excommunicatione mandamus, ne de casibus (in quibus volumus solos adiri episcopos) se ullatenus intromittant, sed illos ad suum diœcesanum remittant, casus autem sunt hi, cum quis petit absolvi ab excommunicatione majori lata vel inducta ab homine, vel a jure, item incendio vel crimine publico, sicut in blasphemante Deum vel sanctos, item in voto qualitercunque emisso, et cum illis qui filios oppresserunt ex proposito sine casu, et cum quibuslibet homicidis et sacrilegis, falsariis, violatoribus ecclesiarum, et immunitatum ecclesiasticæ libertatis, et sortilegis, item cum iis qui cum brutis libidine polluuntur, item cum incestuosis et corruptoribus sanctimonialium, et in omni occupatione, usurpatione et detentione rei alienæ, ubi cui restitutio fieri debeat non inveniri potest, item cum perjuris et clandestine matrimonium contrahentibus ex quo matrimonio dubitatio oriatur vel oriri possit, et in omnibus aliis criminibus, delictis et excessibus in quibus de consuetudine generali vel speciali episcopis reservatur confessio.

Ex conc. Salisburgensi, *sub Urbano VI*, *an.* 1386. — 2. Ne aliqui majori excommunicatione nodatos aut suspensos, vel in homicidio, furto, sacrilegio, falso testimonio, perjurio, incestu, instrumentorum et litterarum falsitate, et aliis casibus sedi apostolicæ, vel nobis specialiter, vel nostris suffraganeis, aut aliis competentibus judicibus reservatis, præsumant absolvere, vel vota commutare; si quis fecerit ab officio suspendatur.

Quia nonnulli indulto (pro absolutione a casibus reservatis) abutentes, pœnitentias in pecuniarum proprium et lucrum quæstum vertunt, decernimus hujusmodi indulgentias a nobis concessas, vel in posterum concedendas post hujusmodi abusum esse nullas, declarantes etiam absolutiones quas tales abutentes impenderint, similiter fore nullas, abutentes quoque eo ipso suspendimus a divinis.

Ex conc. Frisingensi, *sub Eugenio IV*, *an.* 1440. — 28. Ne quisquam sacerdotum regularis vel sæcularis nostræ diœcesis sub excommunicatione, quemcunque sibi consistentem in casibus Sedi apostolicæ de jure vel consuetudine reservatis absolvere præsumat, nisi habito desuper ejusdem sedis indulto et mandato speciali, nec etiam in casibus de jure aut consuetudine episcopo reservatis, præsertim excommunicationis majoris vinculo innodatum, hæreticum, judæum, fautorem alterius eorumdem laicum prædicatorem, aut auditorem ejus, spoliatorem alicujus dotis ecclesiastici sacerdotis maxime in agone laborantis, aut temerarium occupatorem bonorum Ecclesiæ, depopulatorem agrorum, vinearum, et hortorum incestuosum fornicatorem, cum sacra moniali homicidam etiam casualem, publicantem confessionem sibi factam, peccantem contra naturam aut cum brutis sacrilegum incantatorem seu incantatricem præcipue cum sacramentis, sacramentalibus vel ossibus mortuorum, prolis oppressorem etiam a casu, incendiarium, commercia habentem cum judæis maxime in usuris propinantem, ementem, aut vendentem venenum præsertim in machinationem mortis proximi, dæmonem invocantem, cudentem falsam monetam, utentem scienter auro vel argento falso, cogentem Christianum dare ad usuram, blasphemum nominis Christi vel sanctorum, falsum testem, coeuntem cum judæo, obligatum ad vagas restitutiones, nec quemquam alium enormibus criminibus irretitum non habita a nobis desuper commissione speciali et expressa.

Ne quisquam sacerdotum religiosus vel sæcularis sub excommunicatione, non habita desuper sedis apostolicæ, aut nostra, seu vicarii nostri speciali licentia, se intromittat de distributione rerum male acquisitarum, incertarum et vagarum.

Ex conc. Coloniensi I, *sub Paulo III*, *an.* 1536, *parte* VII. — 37. Visum nobis est potestatem absolvendi a peccatis et casibus nostræ absolutioni reservatis, occultis tamen, omnibus parochis per diœcesim constitutis rite vocatis delegare, modo vicariorum nostrorum in pontificalibus consilium requirant ac adhibeant.

38. In publicis criminibus quemadmodum necesse est, ita jubemus ad canones antiquos publicæ pœnitentiæ regredi.

Ex conc. Moguntino, *sub Paulo III*, *an.* 1549. — 26. Deinceps omnes parochi per provinciam nostram rite ordinati et vocati, omnesque fratres mendicantes per suos superiores præsentati, et per commissarios nostros approbati, potestatem habeant absolvendi laicos confessos, a quibuscunque peccatis occultis quantumvis gravibus et enormibus, exceptis duntaxat homicidis, hæreticis et excommunicatis ad nos mittendis.

Ex conc. Mediolanensi I, *sub Pio IV*, *an.* 1565, *parte* II. — 6. Neminem confessores infrascriptis criminibus absolvant, nisi facultas eis ab episcopo permissa sit, nimirum raptores virginum, qui moniales violarint, qui abortum procuraverint, qui secundo vel propinquiori cognationis gradu incestum admiserint, incendiarios et qui damni injuriæve causa vites vel arbores alienos inciderint, ecclesiam polluentes, homicidas voluntarios qui parentes percusserint, qui locis piis infantes exposuerint, cum habeant unde ipsos alant, neque eorum locorum damnum resarcierint, notarios qui legata ad pias causas facta non denuntiarint, qui ad

Digitized by Google

magicas artes, veneficia, superstitiones, et alia hujus generis, eucharistia, sacris rebus abutuntur, qui stateras, mensuras, monetasve adulterarint, corruperintve.

Ex conc. Mediolanensi IV, *sub Gregorio XIII, an.* 1576, *parte* II. — 5. Casus restitutionis rerum quæ incertum est quibus restitui debeant, episcopo deinceps reservati sunt.

Ex conc. Mediolanensi V, *sub Gregorio XIII, an.* 1579, *parte* I. — 11. Ne facultatum, privilegiorumve jure quæ cuicunque concessa sunt, confessoris cujusvis ordinis sit, ab iis casibus quos sibi episcopus in sua diœcesi reservaverit, pœnitentes sine illius facultate absolvat; si contra fecerit suspensionem a divinis incurrat.

Ex conc. Narbon., sub Paulo V, an. 1609. — 17. Simpliciter approbatus non potest ab omnibus casibus absolvere, sed ad episcopum aut ad summum pontificem remittet pœnitentem, in quo casus sedi apostolicæ aut episcopo reservatos inveniet, episcopus tamen a casibus sibi reservatis absolvendi facultatem quadragesimali tempore gratis concedat sacerdotibus, quos alias idoneos ad audiendas confessiones indicaverit, demptis iis quos graviores, et propter nimiam indulgentiam absolvendi frequentiores repererit, etc. Cum sibi reservandi casus facultatem habeant episcopi, ea tamen parce utentur, sed eos tantum sibi reservabunt, quos ad bonum animæ subditorum conducere judicabunt.

PENTECOSTE

[Ex SS. Patribus.]

S. Gregor. Nazianz., orat. 44, tom. I. — Pentecosten celebramus, ac Spiritus adventum et præstitutum pollicitationi exsequendæ diem, speique impletionem; ac, bone Deus, quantum est hoc mysterium! Quam magnum et venerandum! Corporea Christi finem habent, vel, ut rectius dicam, ea quæ ad corporeum ipsius adventum spectabant; vereor enim dicere res ad corpus pertinentes, quoad mihi cujusdam oratio persuaserit, præclarius esse corpus deposuisse. Spiritus autem actiones initium sumunt. Quænam porro ea erant, quæ ad Christum spectabant? Virgo, nativitas, præsepe, incunabula, angeli divinam gloriam prædicantes, pastores accurrentes, stellæ cursus, magorum adoratio, et munerum oblatio, infantium cædes ab Herode patrata, ipse in Ægyptum fugiens, ex Ægypto rediens, circumcisus, baptizatus, supernum testimonium consecutus, tentatus, lapidibus propter nos impetitus (utpote quibus afflictionis pro fide ac recta doctrina subeundæ exemplum dari oportebat), proditus, clavis affixus, sepultus, vitæ restitutus, ascendens; quorum nunc etiam plurima patitur: ab impiis quidem ea quæ ignominiam habent, pro sua quoque lenitate patienter tolerat; a piis autem et Christi amore præditis, ea quæ cum honore conjuncta sunt. Atque ut illis iram, eodem modo nobis quoque benignitatem differt; hoc fortasse consilio ut et illis pœnitentiæ spatium concedat, et desiderium nostrum exploret. Num scilicet in calamitatibus et certaminibus pietatis causa susceptis, animis frangemur, quemadmodum jam olim divinæ dispensationis et impervestigabilium ipsius judiciorum, quibus res nostras sapienter moderatur, est ratio? Atque hujusmodi quidem sunt, quæ ad Christum pertinent; et quæ postea sequentur, splendidiora conspiciemus, utinamque et ipsi conspiciamur. Ad Spiritus autem mysteria explicanda, Spiritus ipse mihi adsit, tantamque dicendi facultatem tribuat, quantam cupio: aut si non tantam, at certe quæ huic festi celebritati par sit. Ac profecto aderit heriliter, non serviliter, nec jussum atque imperium, ut quibusdam videtur, exspectans. Spirat enim ubi vult, et super quos vult, et quando, et quantum. Ex divino nobis est afflatu, ut sic de Spiritu sentiamus et loquamur.

Idem, *ibid.* — Qui Spiritum sanctum in rerum creatarum ordinem dejiciunt, contumeliosi sunt et mali servi, atque adeo malorum pessimi. Malorum enim servorum est, imperium rejicere, et adversus dominationem insurgere, atque id quod liberum est, in eamdem secum servitutis classem redigere. Qui autem Deum eum censent, divini profecto viri sunt, ac splendido animo præditi; qui vero etiam appellant, si quidem apud viros probos, sublimes et excelsi sunt; sin autem apud abjectos et humi provolutos, haud satis prudenter agunt; utpote qui luto margaritam, et imbecillæ auri tonitrui sonum, et solem infirmis oculis, et lacte adhuc utentibus solidum cibum committant; cum eos paulatim ad ulteriora promovere, atque ad sublimiora provehere conveniat, lumini lumen largiendo, ac veritati veritatem conciliando. Quocirca nos quoque, perfectiori interim sermone misso facto (nondum enim tempus id postulat), ac hunc modum cum ipsis disseremus.

Idem, *ibid.* — Spiritus sanctus semper quidem erat, et est, et erit, nec ullo ortu generatus, nec finem habiturus, sed semper cum Patre et Filio conjunctus, atque connumeratus: nec enim conveniebat, ut vel Pater Filio, vel Filius Spiritu sancto unquam careret. Nam alioqui maximum divinitati dedecus conflaretur, ut quæ ad perfectionem tanquam ex pœnitentia venisset. Erat igitur semper perceptibilis, non particeps; perfi-

Digitized by Google

ciens, non ab alio perfectus; explens, non expletus; sanctificans, non sanctificatus; deificans, non deificatus : ipse semper, et secum, et cum iis quibus adjunctus est, idem et æqualis; invisibilis, temporis expers, nullo loco inclusus, immutabilis; qualitate, quantitate, forma et tactu carens, seipsum movens, ac sempiternum motum habens, arbitrii liber, per se potens, omnipotens (tametsi ad primam causam, ut omnia ea quæ Unigeniti sunt, ita etiam quæ Spiritus sancti sunt, referantur) : vita, et vivificans; lux, et lucis largitor; bonitas ipsa, et fons bonitatis; Spiritus rectus, principalis, Dominus, mittens, segregans, templum sibi exstruens, viam præmonstrans, arbitratu suo operans, gratiasque dividens; Spiritus adoptionis, veritatis, *sapientiæ, intellectus, scientiæ, pietatis, consilii, fortitudinis, timoris* (*Isa.* XI, 12), quemadmodum numerantur; per quem Pater cognoscitur, et Filius glorificatur, et a quibus solis ipse cognoscitur, una classis, unus cultus, una adoratio, potentia, perfectio, sanctitas. Quid pluribus verbis opus est? Omnia quæcunque Pater habet, sunt Filii, præterquam quod ingenitus non est. Omnia quæcunque Filius, Spiritus sancti sunt, si generationem exceperis. Hæc porro substantiam non secernunt, ut quidem ipse sentio, verum circa substantiam secernuntur.

S. GREG. Naz., orat. 44, t. I.—Primum igitur Spiritus sanctus in angelicis et cœlestibus virtutibus, iisque, quæ post Deum primæ sunt, eumque circumstant, vim suam exercebat. Neque enim aliunde perfectionem et splendorem habent, idque præterea, ut ad malum ægre, vel nullo prorsus modo moveri queant, quam a Spiritu sancto. Deinde in patribus et prophetis, quorum alii Deum per imaginem viderunt, aut cognoverunt, alii autem etiam res futuras præsciverunt, impressam nimirum per Spiritum sanctum principem animi partem habentes, et cum futuris tanquam cum præsentibus versantes. Hujusmodi quippe Spiritus vis ac potentia est. Tum in Christi discipulis (Christum enim prætermitto cui aderat, non ut operans, sed ut æqualem comitans); iisque trifariam, prout ipsorum captus ferebat, tribusque temporibus : nempe, antequam Christus per passionem glorificatus esset, postquam per resurrectionem glorificatus fuit : ac denique post ejus ad cœlos ascensionem, sive restitutionem, sive quocunque alio nomine res ea sit appellanda. Hoc autem perspicue ostendit, tum prima illa morborum spirituumque depulsio, quæ scilicet non absque Spiritus numine fiebat; tum illa post confectum salutis nostræ negotium insufflatio, quæ divinioris procul dubio inspirationis specimen habebat; tum postremo præsens hæc ignearum linguarum divisio, quam etiam solemni festo celebramus. Verum primo quidem, obscure; deinde, expressius; nunc vero, perfectius, utpote qui non jam operatione sola præsens sit, ut prius, sed essentiali, ut sic loquar, modo adsit, simulque versetur. Nam cum Filius corpoream nobiscum consuetudinem habuisset, Spiritum quoque corporeo modo cerni conveniebat; et cum Christus ad sese reversus esset, eum ad nos descendere, et quidem ita ut, tanquam Dominus, veniret, et, tanquam Deo nequaquam oppositus, mitteretur. Et enim hujusmodi voces non minus concordiam declarant, quam naturam distrahunt.

Idem, *ibid.*— Idcirco, post Christum quidem accedit, ne Paracletus nobis desit, Alius autem, ut tu honoris æqualitatem cogites. Quod enim ait : Alius, alium, qualis ego sum, constituit. Hoc porro nomen parem imperii gradum indicat, non ignominiam. Vox enim, Alius, non de alienis, sed de iis, quorum eadem substantia est, usurpatur. Jam vero in *linguis* apparet, præter cognationem eam, quam cum Verbo habet. Cur autem *in linguis igneis?* (*Act.* II. 11 et seq.) Utrum propter purgationem (ignis autem purgantis Scriptura meminit, quemadmodum cuivis discere promptum est); an vero propter essentiam? Deus enim noster *ignis est* (*Deut.* IV, 24), et quidem ignis improbitatem absumens; discruciens rursum, licet propter consubstantialem in angustias redactus. Atque in *dispertitis* quidem *linguis* apparet, ob gratiarum diversitatem; *sedentibus* autem, propter regiæ dignitatis excellentiam, ejusque super sanctos requiem; quandoquidem Deus quoque pro throno *Cherubinos* (*Isa.* XXXVII, 16) habet. *In cœnaculo* (*Act.* I, 13) vero (nisi forte curiosius, quam par sit, ista persequi videor), propter eorum qui accepturi sunt, ascensionem, atque a terra subvectionem; nam et cœnacula quædam *divinis aquis* (*II Reg.* XVIII, 33) a quibus Dei quoque laudes celebrantur, legi audivimus. Atque ipse Jesus, cum sublimioribus rebus discipulos initiaret, mysterium ipsis *in cœnaculo* (*Luc.* XXII, 12 et seq.) impertit, ut illud indicetur, et Deum ad nos descendere oportere, quemadmodum *olim in Moisè* (*Exod.* III, 2) contigisse scimus, et nos ad eum ascendere, sicque Deum cum hominibus consortium inire, dignitate commista. Quandiu autem uterque in propriis manserit, Deus scilicet in sua specula, et homo in humilitate sua, nec bonitas miscebitur, nec benignitas communicabitur; sed *erit magnum et inextricabile chaos interjectum* (*Luc.* XVI, 26), non modo divitem a Lazaro, et expetendo illo Abrahæ sinu dirimens, verum etiam procreatam et fluxam atque caducam naturam, ab increata et stabili.

Idem, *ibid.* — Hic a prophetis quidem prædicatus est, quemadmodum ex his Scripturæ locis patet : *Spiritus Domini super me:* et : *Requiescent super eum spiritus septem.* (*Isa.* LXI, 1.) Item : *Descendit Spiritus Domini et deduxit eos* (*Isa.* II, 2), ad hæc : *Spiritus scientiæ* (*Exod.* XXXV, 30 seq.), a quo Beseleel tabernaculi architectus, repletus est; ac præterea *Spiritus ad iracundiam provocatus* (*Isa.* LXIII, 10) : insuper, *Spiritus qui Eliam in curru extulit*, ac *duplex ab*

Digitized by Google

Eliseo postulatus est : adde *Spiritum bonum et principalem* (*Psal* L, 14) quo, David deducitur et confirmatur. Promissus autem est; prius quidem a Joele his verbis utente : *Et erit in novissimis diebus : Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*, scilicet fide præditam, *et super filios vestros et super filias vestras* (*Joel.*, II, 28 seq.), et quæ sequuntur; postea autem ab ipso quoque Jesu, qui, ut *a Spiritu glorificatur* (*Joan.* XVI, 14), ita vicissim quoque ipsum glorificat; quemadmodum *et Patrem glorificat, et a Patre glorificatur.* (*Joan.* VIII, 54) Et hæc quidem promissio, quam larga et copiosa est, fore ut *in æternum permaneat* (*Joan.* XIV, 15); sive nunc cum his qui per tempus digni erunt; sive in posterum cum his qui, alternis ævi bonis digni habebuntur; posteaquam videlicet ipsum per honestam et præclaram vitæ rationem integrum servaverimus, ac non hactenus amiserimus, quatenus in peccatum prolapsi fuerimus.

S. Greg. Naz., orat. 44, t. I.—At vero *linguis externis*, non autem vernaculis apostoli loquebantur, singularique miraculo sermo ab his, qui non didicerant, proferebatur, signumque illud infidelibus erat, non fidelibus, ut infidelium accusator esset, sicut scriptum est : *quoniam in aliis linguis, et in labiis aliis, loquar populo huic, nec sic exaudient me, dicit Dominus.* (*Isa.* XXVIII, 11.) Audiebant autem. Verum hic paululum consiste, atque ambige quomodo distinguenda sit oratio. Textus enim nonnullam ambiguitatem habet, interpunctione dirimendam. Utrum enim *audiebant suo quisque dialecto*, ita ut, verbi gratia, vox quidem una emitteretur, multæ autem audirentur, sic videlicet pulsato ac perstrepente aere pluribusque vocibus, et ut magis perspicue dicam, ex una voce effectis : an potius in hoc verbo, *audiebant* (*Act.* II, 6 seq.), punctum statuendum est, atque hæc verba, *loquentes suis linguis*, cum his quæ sequuntur jungenda sunt, ut sic legatur : *loquentes linguis*, propriis scilicet audientium, hoc est, *externis*; qui etiam sensus mihi magis arridet. Nam in primo quidem sensu, eorum potius qui audiebant, quam qui verba faciebant, hoc miraculum fuerit; in isto autem, eorum qui loquebantur; utpote qui etiam temulentiæ insimulantur, haud dubie, quia ipsi Spiritus operatione novum quoddam miraculum circa voces designabant.

Idem, *ibid.* — Quanquam autem laudabilis quoque fuit vetus illa *linguarum divisio* (*Gen.* II, 1 seq.) (cum scilicet male atque impie inter se concordes erant qui turrim exstruebant, quemadmodum nunc quoque quidam facere verentur); dissoluta simul, cum linguarum divortio, animorum concordia, susceptum negotium abrupit, laudabilior tamen est ea quæ nunc insigni miraculo patratur. Ab uno enim Spiritu in multos diffusa, ad unum concentum rursus connectitur. Atque gratiarum diversitas est, alia gratia opus habens, ad discernendum quænam sit præstantior; quandoquidem nulla est, quæ laude careat. Quin præclara quoque illa divisio dici possit, de qua loquitur David : *Præcipita, Domine, et divide linguas eorum.* (*Psal.* XXXIV, 10.) Quid ita? Quoniam *dilexerunt omnia verba præcipitationis, linguam dolosam* (*Psal.* LI, 26), tantum non aperte hujusce loci ac tempestatis linguas accusans, quæ Divinitatem scindunt. Ac de his quidem hactenus. —

Idem, *ibid.* — Atque hæc a nobis perpensa et considerata sint, quæ etiam ejusmodi esse arbitramur, ut doctrinæ studiosi, ea pro superfluis supervacaneisque nequaquam habituri sint. Quod si quis aliud quidpiam ad hujus diei solemnitatem contulerit, nobis quoque id collegerit. Sed jam concio quidem solvenda est (satis enim longe se porrexit oratio), festi autem celebratio nunquam abrumpenda. Quin potius festum agendum est, nunc quidem corporeo quoque modo, paulo post autem omnino spirituali; illic nimirum, ubi rationes harum rerum purius apertiusque cognoscemus, in ipso Verbo et Deo, et Domino nostro Jesu Christo, vero eorum qui salutem consequuntur festo et exsultatione; cum quo gloria et veneratio Patri cum sancto Spiritu, nunc et in sæcula sæculorum. Amen.

S. Ambros., *Exposit. in Evang. sec. Luc.*, lib. VIII, t. I. — Quod si Judæi Sabbatum ita celebrant ut et mensem et annum totum quasi Sabbatum habeant : quanto magis nos resurrectionem Domini celebrare debemus? Et ideo majores tradiderunt nobis Pentecostes omnes quinquaginta dies ut Paschæ celebrandos; quia octavæ hebdomadis initium Pentecosten facit. Unde et Apostolus quasi Christi discipulus, qui sciret diversitatem esse temporum, scribens ad Corinthios : *apud vos*, inquit, *forsitan manebo, et hiemabo.* (*I Cor.* XVI, 6.) Et infra : *Manebo autem Ephesi usque ad Pentecosten; ostium enim mihi apertum est magnum.* (*I Cor.* VIII, 9.) Itaque apud Corinthios hiemem agit, quorum erroribus angebatur; quod eorum circa Dei cultum frigeret affectus; cum Ephesiis Pentecosten celebrat, atque his tradit mysteria, relaxat animum; quia fidei cernebat ardore ferventes. Ergo per hos quinquaginta dies jejunium nescit Ecclesia, sicut Dominica qua Dominus resurrexit; et sunt omnes dies tanquam Dominica.

S. Chrysost., hom. 2 *in Pentecosten*, t. II. — Magna sunt, dilectissimi, nec ulla possunt humana oratione comprehendi, quæ nobis hodierno die a benignissimo Deo impertita sunt dona. Quamobrem omnes communiter gaudeamus et lætitia exsultantes Dominum nostrum laudemus. Festivitas enim publicusque conventus nobis est dies hodiernus. Nam quemadmodum in quatuor anni tempestatum ac solstitiorum vicissitudine alteri succedit altera; sic nimirum et in Ecclesia Domini festivitas dum festivitati succedit, ad sese mutuo nos transmittunt. Nuper itaque festum crucis celebravimus, Passionis, Resurrectionis, ac deinde Domini nostri Jesu Christi in cœlos ascensus;

Digitized by Google

hodie tandem ad ipsum culmen bonorum provecti sumus; ad ipsam metropolim festorum evasimus; ad fructum ipsum Dominicæ promissionis pervenimus. *Si enim abiero*, inquit, *ego alium paracletum mittam vobis, et non relinquam vos orphanos.* (*Joan.* XVI, 7.)

Videtis sollicitudinem? Videtis ineffabilem benignitatem? Ante hos dies in cœlum ascendit, regium thronum recepit, sedem ad Patris dexteram recuperavit, et hodie nobis sancti Spiritus adventum largitur, ac per ipsum de cœlis sexcenta nobis bona suppeditat. Quid enim, quæso, eorum quibus salus nostra continetur, non per Spiritum dispensatum est nobis? Per ipsum a servitute liberamur; in libertatem vocamur, in adoptionem deducimur, ac denuo, ut ita dicam, fingimur: grave fetidumque peccatorum onus deponimus. Per Spiritum sanctum sacerdotum cernimus choros, doctorum ordines habemus: ab hoc fonte manant et revelationum donationes, et gratiæ sanitatum, et reliqua omnia quibus Ecclesia Dei condecorari solet, inde promuntur. Hoc illud est quod clamat Paulus his verbis: *Hæc omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens privatim singulis, prout vult* (*I Cor.* XII, 11); prout vult, inquit, non prout jubetur: dividens, non divisus, auctorem se præbens, non auctoritati subjectus. Eamdem quippe potestatem, quam Patrem habere testatus est, hanc et Spiritui sancto Paulus attribuit. Et quemadmodum de Patre dicit, *Deus vero est, qui operatur omnia in omnibus;* sic de Spiritu sancto: *Hæc omnia*, inquit, *operatur unus atque idem Spiritus, dividens privatim singulis prout vult.* (*Ibid.*) Videsne tu perfectam potestatem? Quorum enim natura est una, haud dubium quin eorum una sit auctoritas, et quorum æqualis honoris est majestas, eorum et virtus ac potestas est una; per hunc peccatorum remissionem obtinuimus: per hunc sordes omnes abstersimus: per hujus donationem ex hominibus angeli facti sumus, qui ad gratiam accurrimus, non natura mutati, sed, quod multo est mirabilius, in natura permanentes humana angelorum conversationem exhibemus. Tanta siquidem virtus est Spiritus sancti, et quemadmodum ignis iste, qui sensu percipitur, ubi mole lutum ceperit, rigidam illud testam efficit. Sic nimirum et ignis Spiritus cum animam probam occuparit, licet eam luto molliorem receperit, ferro duriorem illam reddit; etenim eum qui paulo ante peccatorum fæce pollutus erat, continuo sole ipso efficit clariorem.

Atque hoc illud est, quod beatus nos docebat Paulus cum clamaret ac diceret, *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* (*I Cor.* VI, 9.) Et cum omnia ferme improbitatis genera enumerasset, eosque qui se his peccatis obstrinxerint, alienos fieri a regno Deo docuisset, continuo subjecit: *Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.* (*I Cor.* VI, 9.) Quo pacto, quave ratione? Dic, quæso: hoc enim illud est quod quæritur, *in nomine Domini nostri Jesu Christi*, inquit, *et in Spiritu Dei nostri.* Vides virtutem Spiritus sancti, chariss'me. Videsut omnem hanc iniquitatem Spiritus sanctus deleverit, eosque qui prius a peccatis suis proditi erant, subito ad summos honores evexerit.

Omnes incolæ Palestinæ tanquam ad luminaria quædam oculos suos ad eorum (apostolorum) ora convertebant, quando et mortuos ad vitam revocabant, et leprosos mundabant, dæmones expellebant, morbos curabant, aliaque multa miracula edebant: quoniam igitur ita illustres erant et celebres, propterea ad tempus eos permisit ab ejus virtute sejungi, cujus auxilio nitebantur: ut cum eo fuissent destituti, tum quantum illis ejus bonitatis præsentia prodesset, ediscerent, et cum præteritorum bonorum magnitudinem perspexissent, majori cum studio Paracleti donationem exciperent. Etenim illos mœrentes consolatus est, et propter magistri discessum lugentes ac tristitia repletos, suæ lucis radiis illustravit, prope jacentes erexit, mœroris caliginem discussit, et anxietatem omnem depulit. Quandoquidem namque Dominicam vocem audierant: *Euntes docete omnes gentes* (*Matth.* XXVIII, 14): dubitabant autem deinceps et ignorabant, quo proficisci quemque oporteret, et in quanam orbis terrarum regione verbum Dei prædicare; in specie linguarum Spiritus sanctus advenit, singulis orbis terrarum regiones docendas distribuit, atque impertitæ linguæ opera, tanquam in tabula, eorum fidei commissi magistratus ac magisterii leges descripsit. Propterea in specie linguarum Spiritus advenit: neque idcirco tantum, sed ut veteris etiam historiæ memoriam nobis refricaret.

Cum enim olim homines superbia elati turrim exstruere voluerint, quæ ad cœlum usque pertingeret, et invecta divisione linguarum, pravam illorum coitionem et concordiam dissiparit Deus: idcirco nunc quoque in specie ignearum linguarum ad eos advolat Spiritus sanctus, ut per illum orbem terrarum divisum conjungat. Et accidit res nova simul ac mira: ut enim tum antiquitus linguæ terrarum orbem diviserunt, et malam concordiam in dissidium converterunt; ita nunc quoque terrarum orbem linguæ copularunt, et quæ dissidebant in concordiam reduxerunt. Itaque in specie linguarum idcirco advenit; tanquam ignis autem linguæ erant, quod sylvescentes in nobis peccatorum spinæ succrevissent. Nam quemadmodum terra fertilis ac pinguis, si minime colatur, magnam spinarum sylvam profundit, sic et natura nostra quæ a Creatore suo bona est condita, et ad virtutis fruges idonea, eo quod neque pietatis aratrum, neque cognitionis Dei semen excepisset, quasi spinas quasdam et aliam inu-

Digitized by Google

tilem sylvam impietatem produxit. Et quemadmodum sæpe propter spinarum multitudinem, ac malorum graminum terræ facies ne apparet quidem, sic et animæ nostræ nobilitas puritasque minime apparebat, quousque naturæ humanæ agricola, venisset et ipsam immisso Spiritus igne perpurgasset, atque ut ad excipiendum cœleste semen idonea redderetur effecisset.

Tanta sunt, hisque multo pura, quæ nobis hujus diei beneficio bona obvenerunt. Quæ cum ita sint, oro, obtestorque vos, pro dignitate congestorum in nos bonorum, festum nos quoque celebremus, non januam coronantes, sed animas comentes; non forum tapetibus exornantes, sed animam splendidam virtutis amictu reddentes, ut hoc pacto possimus et Spiritus gratiam suscipere, et fructus inde pullulantes decerpere. Quis porro ille fructus est Spiritus? Audiamus igitur Paulum dicentem : *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax.* (*Galat.* v, 22.) Vide quanta sit accuratio in verbis, quanta in doctrina convenientia : præmisit charitatem, tum deinceps ea quæ consequuntur commemoravit; radicem fixit, ac deinde fructum indicavit : fundamentum jecit, ac deinde ædificium imposuit : a fonte initium duxit, et mox ad fluvios devenit. Non enim fieri potest, ut gaudii materia nos commoveat, priusquam aliorum prosperitatem nostram ducamus, et proximi bona propria reputemus : hæc vero non aliunde promanare queunt, quam quod charitatis vis prævaluerit, atque dominatus. Charitas radix est, et fons materque cunctorum bonorum : etenim tanquam radix sexcentos virtutum ramos germinat, quasi fons multos latices profundit, et ut mater gremio suo ad se confugientes arcte complectitur. Quod quidem cum beatus Paulus probe nosset, fructum Spiritus eam appellavit : alibi vero tantam detulit ei prærogativam, ut eam legis plenitudinem appellarit : *Plenitudo*, enim inquit, *legis est charitas.* (*Rom.* XIII, 10.) Etenim vero ipse omnium Dominus tanquam descriptionem sufficientem, et fide dignum specimen, ut quis se ipsius discipulum probaret, non aliud quam quod a charitate petitur, nobis proposuit, cum dixit; *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* (*Joan.* XIII, 35.)

Quamobrem ad ipsam, quæso, confugiamus omnes, eique adhæreamus, et cum ipsa festivitatem hanc excipiamus. Ubi enim charitas, animæ cessant defectus; ubi charitas, alieni a ratione mentis insultus sedati sunt. *Charitas*, inquit, *non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa.* (*I Cor.* XIII, 4.) Charitas malum proximo non infert; ubi charitas dominatur, nuspiam Caïn cernitur qui fratrem occidat. Tolle fontem invidiæ, et malorum omnium flumen sustulisti; exscinde radicem, et fructum simul exscidisti. Hæc vero eo dicuntur a me, quod de iis qui invident, magis sim sollicitus, quam de iis quibus invidetur. Illi enim sunt, qui maximam faciunt jacturam, multamque sibi perniciem invehunt, non illis quidem quibus invidetur, illud, si quidem velint, materiam affert coronarum, quod invidiam patiantur. Ac vide, quæso, quo pacto justus Abel celebretur laudibus, et in dies præconiis efferatur, quod cædis causa celebris nominis occasionem attulerit. Atque hic quidem post obitum etiam per sanguinem audacter loquitur, et clara voce parricidam accusat : ille autem superstes videlicet operum, fructum per operum mercedem recepit, et gemens tremensque vitam in terris traduxit. At hic interfectus et jacens in terra, post obitum etiam majore cum fiducia loquendi facultatem ostentabat. Et quemadmodum illum sic afficiebat peccatum, ut etiamnum vivens infelicius mortuis vitam degeret; sic et istum post mortem etiam virtus illustriorem reddidit.

Quocirca nos quoque ut majorem et hic et illic fiduciam nobis conciliemus, ut ampliorem ex hac festivitate lætitiam decerpamus, omnia quidem animæ sordida vestimenta rejiciamus, præcipue vero nos invidiæ veste spoliemus. Licet enim sexcentorum recte factorum meritum cumulasse videamur, si nobis hæc acerba tetraque lues negotium facessat, in nihilum cuncta recident. Faxit Deus ut ejus nos omnes expertes simus, atque illi maxime qui hodierna die per gratiam lavacri veterem peccatorum amictum abjecerunt, et ipsius solis radiis æmulum jam possunt lumen effundere! Vos igitur hortor, qui hodie in adoptionem transcripti estis, qui splendidum hunc amictum induistis, omni custodia, quo nunc præditi estis, splendorem conservate, atque omni ex parte diabolo aditum intercludite, ut copiosiori Spiritus gratia percepta, fructificare possitis unum triginta, et unum sexaginta, et unum centum : ut efficiamini digni qui cum fiducia Regi cœlorum occurratis, cum venturus fuerit, omnique sermone sublimiora bona distributurus illis, qui præsentem vitam cum virtute transegerint in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et potestas nunc et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.

S. AUGUST., serm. 267, *in Pentecost.*, t. V.

— Legimus in evangelio : *Spiritus enim nondum erat datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus.* (*Joan.* VII, 39.) Jam quid respondit audistis, magnum miraculum. Omnes qui aderant, unam linguam didicerant. Venit Spiritus sanctus, impleti sunt, cœperunt loqui linguis variis omnium gentium, quas non noverant, nec didicerant, sed docebat ille qui venerat, intravit, impleti sunt, fudit. Et tunc hoc erat signum, quicunque accipiebat Spiritum sanctum, subito impletus Spiritu, linguis omnium loquebatur, non illi solum centum viginti. Docent nos litteræ ipsæ : postea crediderunt homines, baptizati sunt, acceperunt Spiritum sanctum, linguis omnium gentium locuti sunt. (*Act.* x, 46 seq.) Expaverunt qui aderant, alii admirantes, alii irridentes;

Digitized by Google

ita ut dicerent : *Isti ebrii sunt, musto pleni sunt* (*Act.* II, 13.) Ridebant, et aliquid verum dicebant. Impleti enim erant utres novo vino. Audistis cum Evangelium legeretur, *Nemo mittit vinum novum in utres veteres.* (*Matth.* IX 17.) Spiritalia non capit carnalis. Carnalitas vetustas est, gratia novitas est. Quantocunque homo in melius fuerit innovatus, tanto amplius capit quod verum sapit. Bulliebat mustum, et, musto bulliente, linguæ gentium profluebant.

S. Aug., serm. 267, *in Pent.* — Nunquid modo, fratres, non datur Spiritus sanctus ? Quisquis hoc putat, non est dignus accipere. Datur et modo. Quare ergo nemo loquitur linguis omnium gentium, sicut loquebatur qui tunc Spiritu sancto implebatur ? Quare ? quia quod illud significabat, impletum est. Quid est illud ? Quando celebravimus quadragesimam, recolite quia commendavimus vobis Dominum Jesum Christum Ecclesiam suam commendasse et ascendisse. Quærebant discipuli. Quando erit finis sæculi ? Et ille, *Non est vestrum scire tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* (*Act.* I, 7, 8.) Adhuc promittebat quod hodie complevit : *Accipietis virtutem Spiritus sancti supervenientis in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in tota Judæa et Samaria, et usque in fines terræ.* Ecclesia tunc in una domo erat, accepit Spiritum sanctum : in hominibus paucis erat, in linguis totius orbis erat. Ecce quod prætendebat modo. Nam quod illa Ecclesia parva linguis omnium gentium loquebatur, quid est, nisi quod Ecclesia ista magna a solis ortu usque ad occasum linguis omnium gentium loquitur ? Modo impletur quod tunc promittebatur. Audivimus, videmus. *Audi, filia, et vide* (*Psal.* XLIV, 11) : ipsi reginæ dictum est, *Audi, filia, et vide* : audi promissum, vide completum. Non te fefellit Deus tuus, non te fefellit sponsus tuus, non te fefellit qui suo sanguine te dotavit : non te fefellit qui de fœda pulchram, de immunda virginem fecit. Tu tibi promissa es : sed promissa in paucis, impleta in multis.

Idem, *ibid.* — Nemo ergo dicat : accepi Spiritum sanctum, quare non loquor linguis omnium gentium ? Si vultis habere Spiritum sanctum, intendite, fratres mei : spiritus noster quo vivit singulus quisque homo, anima vocatur : et videtis quid faciat anima in corpore. Omnia membra vegetat, per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat : omnibus simul adest membris, ut vivant : vitam dat omnibus, officia singulis. Non audit oculus, non videt auris, non videt lingua : nec loquitur auris et oculus ; sed tamen vivit : vivit auris, vivit lingua : officia diversa sunt, vita communis. Sic est Ecclesia Dei : in aliis sanctis facit miracula, in aliis sanctis loquitur veritatem, in aliis sanctis custodit virginitatem, in aliis sanctis custodit pudicitiam conjugalem, in aliis hoc, in aliis illud : singuli propria operantur, sed pariter vivunt. Quod autem est anima corpori hominis, hoc est Spiritus sanctus corpori Christi, quod est Ecclesia : hoc agit Spiritus sanctus in tota Ecclesia, quod agit anima in omnibus membris unius corporis. Sed videte quid caveatis, videte quid observetis, videte quid timeatis. Contingit ut in corpore humano, imo de corpore aliquod præcidatur membrum, manus, digitus, pes ; nunquid præcisum sequitur anima ? Cum in corpore esset, vivebat ; præcisum amittit vitam. Sic et homo Christianus catholicus est, dum in corpore vivit ; præcisus, hæreticus factus est ; membrum amputatum non sequitur Spiritus. Si ergo vultis vivere de Spiritu sancto, tenete charitatem, amate veritatem, desiderate unitatem, ut perveniatis ad æternitatem.

Idem, serm. 3, *in die Pentecost.* — t. V. — Non desit obsequium linguæ nostræ, ei qui et linguas omnes indoctis donavit, et linguas doctorum in omnibus gentibus subjugavit, et diversas linguas gentium ad unitatem fidei congregavit. *Factus est* enim *subito de cœlo sonus, quasi ferretur flatus vehemens, et visæ sunt illis linguæ divisæ, velut ignis, qui et insedit super unumquemque eorum, et cœperunt linguis loqui, quemadmodum Spiritus dabat eis pronuntiare.* (*Act.* II, 2 seq.) Flatus enim ille non inflavit, sed vegetavit : ignis ille non cremavit, sed excitavit. Impletum est in eis quod fuerat tanto ante prophetatum. *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum* (*Psal.* XVIII, 4, 5) ; ut deinde ad prædicandum Evangelium distributi, quod sequitur facerent, *In omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Quid enim aliud Spiritus sanctus prænuntiabat in linguis omnium gentium, quas donabat eis, qui unam tantum suæ gentis linguam didicerant (quod indicium præsentiæ suæ tunc esse voluit), nisi omnes gentes Evangelio credituras, ut primo unusquisque fidelium, postea vero ipsa unitas Ecclesiæ linguis omnibus loqueretur ?

Quid ad hæc dicunt, qui Christianæ societati, quæ in omnibus gentibus fructificat et crescit, nolunt incorporari atque conjungi ? (Donatistæ.) Numquidnam possunt negare, etiam nunc in Christianos venire Spiritum sanctum ? Cum ergo nunc neque apud nos, neque apud illos quisquam loquitur linguis omnium gentium (quod tunc erat adventus ejus indicium), nisi quia nunc impletur quod tunc significabatur ? Tunc enim et unus fidelis linguis omnibus loquebatur ; et nunc unitas fidelium linguis omnibus loquitur. Itaque etiam nunc omnes linguæ nostræ sunt, quoniam membra sumus corporis in quo sunt.

Leo Mag., serm. 75, *de Pentecoste*, t. I. — *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* (*Act.* IV, 31.) O quam velox est sermo sapientiæ, et ubi Deus magister est, quam cito discitur, quod docetur ! Non est adhibita interpretatio ad

Digitized by Google

audiendum, non consuetudo ad usum, non tempus ad studium, sed spirante ubi voluit Spiritu, propriæ singularum gentium voces, factæ sunt in Ecclesiæ ore communes. Ab hoc igitur die tuba Evangelicæ prædicationis intonuit : ab hoc die imbres charismatum, flumina benedictionum, omne desertum et universam aridam rigaverunt, quoniam ad renovandam faciem terræ *Spiritus Dei ferebatur super aquas* (*Gen.* I, 2); et ad veteres tenebras abigendas, novæ lucis fulgura coruscabant. Cum micantium splendore linguarum et verbum Domini lucidum, et eloquium conciperetur ignitum, cui ad creandum intellectum consumendumque peccatum, et efficacia illuminandi, et vis inesset urendi.

S. Leo Mag, serm. 75, *de Pentecoste.* — Hodiernam, dilectissimi, festivitatem toto terrarum orbe venerabilem, ille sancti Spiritus consecravit adventus : *Qui post resurrectionem Domini quinquagesimo in die apostolos* (*Act.* II, 1), *populumque credentium sicut sperabatur, influxit.* (*Luc.* XXIV, 49.) Sperabatur autem, quia illum Dominus Jesus spoponderat ad futurum, non ut tunc primum esse sanctorum habitator inciperet, sed ut sacrata sibi pectora, et ferventius accenderet, et copiosius inundaret : cumulans sua dona, non inchoans, nec ideo novus opere, quia ditior largitate. Nunquam enim ab omnipotentia Patris, et Filii, Spiritus sancti est discreta majestas : et quidquid in dispositione omnium rerum agit divina moderatio, ex totius venit providentia Trinitatis. Una est tibi benignitas misericordiæ, una censura justitiæ; nec aliquid est in actione diversum, ubi nihil est in voluntate diversum. Quæ ergo illuminat Pater, illuminat Filius, illuminat Spiritus sanctus; cumque alia sit persona missi, alia mittentis, alia promittentis : simul nobis et unitas manifestatur, et Trinitas : ut essentia habens æqualitatem, et non recipiens solitudinem, et ejusdem substantiæ, et non ejusdem intelligatur esse personæ.

Quod ergo, salva cooperatione inseparabilis Deitatis, quædam Pater, quædam Filius, quædam proprie Spiritus sanctus exsequitur, nostræ redemptionis dispositio, nostræ salutis est ratio. Si enim homo ad imaginem et similitudinem Dei factus, (*Gen.* I, 26.) in suæ honore naturæ mansisset, nec diabolica fraude deceptus a lege sibi posita per concupiscentias deviasset, Creator mundi creatura non fieret : neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri Filius Dei formam servi et similitudinem carnis peccati assumeret. Sed quia *invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum* (*Sap.* II, 24), et aliter solvi captivitas humana non potuit, nisi causam nostram ipse susciperet, qui sine majestatis suæ damno et verus homo fieret, et solus peccati contagium non haberet, *Divisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis : ut Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus sanctus igniret.* Oportebat enim ut aliquid etiam salvandi pro se agerent, et conversis ad Redemptorem cordibus, ab inimici dominatione discederent; quoniam, sicut Apostolus ait : *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem, Abba Pater. Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas Et nemo potest dicere Dominum Jesum nisi in Spiritu sancto.* (*Gal.* IV, 6; *II Cor.* III, 7; *I Cor.* XII, 3.)

PERFECTIO CHRISTIANA

[Ex SS. Patribus.]

S. Basilius, *Epist. ad Chitan.* — Quicunque sanctus, quotidie in priora extenditur, et præteritorum obliviscitur.

S. Greg. Naz. orat. 40, *in Pasch.* — Simus ut Christus, quoniam Christus quoque sicut nos; efficiamur Dei propter ipsum, quoniam ipse quoque propter nos homo factus est.

Cassian., *Collat.* 6, *abbat. Theod.* — Desinens proficiendo appetitus, non aberit a periculo recedendi.

S. Paulin., epist. 3, *ad Sever.* — Christus, sicut in illo ipso homine quem gessit, etiam nostris mentibus quosdam gradus corporeæ ætatis exsequitur. Nascitur, crescit, roboratur, senescit; sed orandus, ne in nobis diu et jugiter parvulus, et infirmus sit.

S. Hieronym., lib. I *adv. Pelagium.* — Hæc est hominis vera sapientia, imperfectum se nosse; atque, ut ita loquar, cunctorum in carne justorum imperfecta perfectio est.

S. Ambros., in *Lib. de Joseph.* — Cognoscamus sanctos non naturæ præstantioris fuisse, sed observantiæ maioris, nec vitia nesciisse, sed emendasse.

S. Augustin., tract. 4 *in Epist. I Joannis.* — Tota vita boni Christiani sanctorum est desiderium proficiendi.

Idem, *in Epist. Joannis.* — Nunquid mox ut nascitur charitas, jam perfecta est? Ut perficiatur nascitur, cum fuerit nata nutritur, cum fuerit nutrita roboratur, cum fuerit roborata perficitur.

Idem, *De perfect. justit.* — Perfectus servus Christi nihil præter Christum habet; aut si quid præter Christum habet, perfectus non est.

Idem, *ibid.* — Perfectus est qui ad perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa etiam peccata venialia non negligens mundare eleemosynis.

Idem, *De Eccles. dogmat.* — Nullus sanctus et justus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse justus vel sanctus, cum affectu teneat sanctitatem.

Idem, *De spiritu et littera.* — Multum

Digitized by Google

in hac vita ille profecit, qui quam sit longe a perfectione justitiæ proficiendo cognovit.

S. Aug., *De doctr. Christ.* — Quanto est quisque sanctior, et desiderii sancti plenior, tanto est ejus in mundo fletus uberior.

Idem, *Epist.* 143, *ad Demet.* — Tandiu non relabimur retro, quandiu ad priora contendimus; at ut cœperimus stare, descendimus, nostrumque non progredi regredi est.

S. Bernad., *Epist.* — Nemo perfectus est, qui perfectior esse non appetit, et eo perfectiorem quisque se probat, quo ad majorem tendit perfectionem.

Idem, epist. 123. — Indefessum proficiendi studium, et jugis conatus ad perfectionem perfectio reputatur.

Idem, epist. 341. — Erubescat anima conversa ad Dominum, minori affectu sectari justitiam, quam iniquitatem antea sectaretur.

Idem, *Serm. de sancto Andrea.* — Nemo repente fit summus, et ascendendo, non volando apprehenditur summitas scalæ.

Idem, *ibid.* — Nullum omnino præsentiæ ejus (nempe Dei) verius testimonium, quam desiderium gratiæ amplioris.

Idem, epist. 253, *ad. abbat. Carin.* — Nunquam justus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit satis est, sed semper esurit, sititque justitiam.

[Ex conciliis.]

Capitula Abælardi a concilio Senonensi an. 1140 *et ab Innocentio II damnata.* — Quod in Christo non fuerit spiritus timoris Domini.

Ibid. — Quod propter opera nec melior, nec pejor efficiatur homo. Quod nec opus, nec voluntas, neque concupiscentia, neque delectatio, cum movet eam, peccatum sit, nec debemus velle eam exstinguere.

Innocentius II ita ad synodum rescribit: « Nos itaque, qui in cathedra sancti Petri, cui a Domino dictum est : *Et tu aliquando confirma fratres tuos* (*Luc.* xxii, 32), licet indigni, residere conspicimur, communicato fratrum nostrorum episcoporum cardinalium consilio, destinata nobis a vestra discretione capitula et universa ipsius Petri dogmata sanctorum canonum auctoritate, cum suo auctore damnavimus, eique tanquam hæretico perpetuum silentium imposuimus. Universos quoque erroris sui sectatores et defensores a fidelium consortio sequestrandos et excommunicationis vinculo innodandos esse censemus.

Clementis V definitiones emissæ cum concilio Viennensi an. 1311, 1312, *et damnatio errorum sectæ Beguardorum et Beguinarum. Clement., in l.* v, *tit.* 3, *de hæreticis.* — Quod illi, qui sunt in prædicto gradu perfectionis et spiritu libertatis, non sunt humanæ subjecti obedientiæ ac ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligantur; quia (ut asserunt) ubi spiritus Domini, ibi libertas.

Ibid. — Quod se in actibus exercere virtutum est hominis imperfecti, et perfecta anima licentiat a se virtutes.

Ibid. — Quod in elevatione corporis Jesu Christi non debent assurgere, nec eidem reverentiam exhibere, asserentes quod esset imperfectionis eisdem, si a puritate et altitudine suæ contemplationis tantum descenderent, quod circa ministerium seu sacramentum Eucharistiæ aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent.

Ibid. — Homo in vita præsenti tantum et talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddatur penitus impeccabilis et amplius in gratia proficere non valebit. Nam, ut dicunt, si quis semper potest proficere, posset aliquis Christo perfectior inveniri.

Ibid. — Quod homo potest ita finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in præsenti assequi, sicut eam in vita obtinebit beata.

Ibid. — Quod jejunare non oportet hominem, nec orare, postquam gradum perfectionis hujusmodi fuerit assecutus; quia tunc sensualitas est ita perfecte spiritui et rationi subjecta, quod homo potest libere corpori concedere quidquid placet.

Propositiones Ekkardi an. 1329, *damnatæ a Joanne XXII.* — Deus animas amat, non opus externum.

Ibid. — Eum qui orando singulare aliquid ac determinatum petit, malum petere et male, quia negationem boni et negationem Dei petit, et orat Deum sibi negari.

Ibid. — Ego, inquit Ekkardus, nuper cogitavi, utrum ego vellem aliquid recipere a Deo vel desiderare: ego volo de hoc deliberare: quia ubi essem accipiens a Deo, essem sub eo vel infra eum sicut famulus vel servus, et ipse sicut Dominus in dando: sic vero in æterna vita non erit.

Ibid. — In illis hominibus honorari Deum, qui non intendunt res, nec honores, nec utilitatem, nec devotionem internam, nec sanctitatem, nec præmium, nec regnum cœlorum, sed iis omnibus renuntiaverunt.

Propositiones 68 *Michaelis de Molinos damnatæ ab Innocentio XI, brevi :* Cœlestis Pastor., etc., 20 *nov.* 1687. — Vide *Dictionnaire des hérésies*, t. II, col. 1299.

Propositiones super amore erga Deum purissimo, damnatæ ab Innocentio VII, brevi Cum alias, etc., 12 *mart.* 1699. — Id, quod est essentiale in directione animæ, est non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione, et subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, et nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, et ideo potest illas scandalizare aut in perturbationem conjicere.

Ibid. — Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur... Ista compositio actuum discursivorum et reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.

Digitized by Google

Propositiones super amore erga Deum purissimo damnatæ ab Innocentio VII, brevi. Cum alios, etc., 12 *mars* 1699. — Sancti mystici exclusérunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

Ibid. — In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam separatio partis superioris animæ ab inferiori... In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca et involuntaria perturbatione; nam totum, quod est voluntarium et intellectuale, est partis superioris.

Ibid. — Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.

Ibid. — In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse; sed nunquam amittit in parte superiori, id est in suis directis et intimis, spem perfectam, quæ est desiderium desinteressatum promissimum.

Ibid. — Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili et reflexo Jesu Christi duobus temporibus diversis: primo, in fervore nascente earum contemplationis; secundo, anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus.

Ibid. — Datur status contemplationis adeo sublimis adeoque perfectæ, ut fiat habitualis: ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget ad meditationem ejusque actus methodicos.

Ibid. — Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, et sine ulla admissione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habeat amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in amando inveniendam.

Ibid. — Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renuntiatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est nisi quoad interesse proprium... Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium.

Ibid. — Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem; et tunc evadit unicum principium et unicum motivum omnium actuum, qui deliberati et meritorii sunt.

Damnatæ et reprobatæ, tanquam sive in obvio earum verborum sensu, sive attenta sententiarum connexione, temerariæ, scandalosæ, male sonantes, piarum aurium offensivæ, in praxi perniciosæ, ac etiam respective erroneæ.

Ibid. — In statu sanctæ indifferentiæ anima non habet amplius desideria voluntaria et deliberatæ propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.

Ibid. — In extremis probationibus potest animæ invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, et quæ non est intimus conscientiæ fundus, se juste reprobatam esse a Deo.

Ibid. — Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse, et justæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam credit.

Ibid. — In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctæ, non cogitando quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id quod Deus vult, et amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec unquam sit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non est.

Ibid. — In confitendo debent animæ transformatæ sua peccata detestari, et condemnare se, et desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem et liberationem, sed ut rem, quam Deus vult, et vult nos velle propter suam gloriam.

Ibid. — Omnia sacrificia, quæ fieri solent ab animabus quam maxime desinteressatis circa earum æternam beatitudinem, sunt conditionalia... Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum.

PIETAS

[Ex SS. Patribus.]

S. Ignatius, martyr., *in Epist. ad Roman.* — Jam incipio Christi esse discipulus, nihil eorum quæ sunt in mundo desirans.

Tertul., lib. IV *contra Marcion*, cap. 4. — A primordio enim justitia vim patitur; statim ut coli Deus cœpit, invidiam religio sortita est. Qui Deo placuerat occiditur, et quidem a fratre, quo proclivius impietas alienum sanguinem insectaretur, a suo auspicata, insecta est.

Origen., hom. 4 *in Jerem.*, t. III. — *Putas veniens Filius hominis inveniet fidem super terram?* (*Luc.* XVIII, 8.) Vere quippe si judicemus fidem et veritatem, non multitudinem, et respiciamus voluntatem hominum, non congregationem, vidimus in tanto numero ecclesiarum fidem difficile reperiri. Tunc erant vere fideles, quando martyrum victimæ feriebantur, quando cruentas exsequias prosecuti, tristes ad ecclesiam revertebantur; omnis erat multitudo lugentium; — quando mulierculæ et infirmus sexus usque ad mortem manebat intrepidus. Tunc vere signa de cœlo, tunc fiebant portenta de terra. Tunc erant pauci quidem, sed vere fideles, angustam et arctam ingredientes viam quæ ducit ad vitam. Nunc vero quia difficile est plures esse bonos, neque enim mentitur Jesus dicens: *Multi vocati, pauci autem electi* (*Matth.* XX, 16), ex tantis Christianam fidem pollicentibus, pauci sane re-

Digitized by Google

periuntur qui habeant fidem ; et veritatem, et beatitudine digni sint.

S. Ephræm, *De pietate*, t. II. — Charissime, attende vehementer, ne deperdas viam rectam, ut ambules in viis tenebrarum ; nequando in novissimis tuis apud Deum et homines inveniaris perversus et obliquus. *Væ* enim, inquit, *iis qui derelinquunt vias rectas, ut ambulent in viis tenebrarum. Væ his, qui lætantur in malis, et gaudent in consuetudine mala : quorum semitæ obliquæ ac pravæ et flexuosi cursus eorum ; ut longe abstraharis a via recta, et alieneris a sententia justa.* (*Prov.* II, 13 seq.) Ideo addit, et dicit : *Non enim comprehenduntur sub annis vitæ : nam si per semitas bonas ambulassent, etiam semitas justitiæ planas ac faciles invenissent. Qui recti sunt et boni, inhabitatores erunt terræ ; et simplices atque innocentes remanebunt in ea. Viæ autem impiorum e terra perdentur, et iniqui expellentur ab ea.* (*Ibid.*, 20, 21.) Necessarium ergo est incedere per viam rectam, secundum eum qui dicit : *Ne declines ad dexteram neque ad sinistram : averte pedem tuum a via mala : vias enim, quæ a dextris sunt, novit Dominus : quoniam perversæ sunt quæ a sinistris sunt.* (*Prov.* IV, 27.) Deum time, et timor ejus custodiet te. Serva mandata ipsius, et mandata ejus in veritate deducent te. Contumacia vero, aut pestilentia, aut invidia, aut superbia, et his similia, non commorentur in sinu tuo ; neque ingluvies, vel turpitudo, vel stultiloquium, vel scurrilitas, quæ ad rem non pertinent. Omnis enim, qui in hisce ambulat, a via veritatis aberrat, seipsum per loca invia terendo. Qui autem in via ambulat recta, ipse se in mansionem vitæ provehet atque deducet. Ne ergo religionem ac pietatem veram et ab omni simulatione alienam deperdas, frater charissime.

Pietas porro est, abstinere ab omni specie mala. Si vero acciderit nos de opere bono contumeliam pati, ne erubescamus opprobrium nobis injuste ab hominibus illatum, et faciamus quæ non oportet. Scriptum est enim : *Populus meus, cujus nomen meum in corde vestro ; nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis : sicut enim vestimentum, inveterascet tempore, et sicut lana, comedetur a tinea. Justitia autem tua in sæculum manebit, et salus tua in generationes generationum.* (*Isa.* LI, 7, 8.) Rursusque ait : *Ego autem inobedientem me præbeo, nec contradico. Dorsum meum dedi in flagella et maxillas meas in colaphos ; faciem autem meam non averti confusione sputorum ;* et *Dominus factus est mihi adjutor ; ideo non sum confusus, sed posui faciem meam ut petram durissimam, et novi quod non confundar.* (*Isai.* L, 6. Propterea licet videatur ex seipsa imperasse ac superasse ; non reformidemus, neque viam rectam deseramus, secundum eum qui dicit : *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* (*Psal.* II, 3.) Et denuo ait : *Viriliter agite, confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.* (*Psal.* XXX, 25.) *Noli æmulari gloriam peccatoris ; non enim nosti quid de exitu ipsius erit.* (*Prov.* III, 4.) Melius est enim cuncta secundum Deum agere, et laudari ac probari in Domino, quam conversari male, et turpem famam habere : cum Dominus et Salvator noster Jesus Christus dicat : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* (*Matth.* V, 16.) Ne ergo a via recta divertas in loca invia ; ne forte agrestium ferarum multitudo circumdet te, conturbatioque aquarum multarum ; et tunc pœnitentia ducaris, dolore afflictus. Quis enim dolet, nisi quem mala detinent ? Deus quippe benignus ac bonus cum sit, malum non vult plasmati atque figmento suo ; secundum eum qui dicit : *Non enim delectatur in perditione vivorum, justitia enim est immortalis.* (*Sap.* I, 13.) Alioque in loco ait : *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat. Unusquisque vero tentatur, a concupiscentia propria abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum : peccatum vero cum consummatum fuit, generat mortem.* (*Jac.* I, 13, 14.)

Concupiscentia mater est peccati. Hæc Evam ex paradiso ejecit. Hæc Cain fratricidam effecit. Hæc Ægyptiam adversus castum Joseph in rabiem adegit : juvenis autem Deum timens, hanc dejecit. Hæc populum in eremo prostravit. Hæc gentes septem in terra Chanaan destruxit, per quam creatorem suum exacerbaverant, quare et exterminati sunt ; hæc corda filiorum Israel ab altissimo declinare fecit, quemadmodum scriptum habetur : *Equi furentes in feminas facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* (*Jerem.* V, 8.) Hæc judices populi in Babylone decepit. Concupiscentia est prava peccati mater. Hæc bella et tumultus in terra excitat. Hæc Herodiadem ad petendum caput Baptistæ subornavit. Hanc Judas amans, Dominum gloriæ in manus impiorum tradidit ; nam aurum appetens, vitam perdidit. Propterea omnem concupiscentiam malam fugiamus, fratres charissimi : hanc a corde nostro depellamus, non parcamus ei : non enim est fructuosa, sed diaboli germen existit. Non est vulnus, non cicatrix, neque percussio tumens atque inflammans, non est cui malagma imponatur, nec oleum infundatur, neque vincula adhibeantur : sed vulnus est animæ et percussio cordis. Hæc nos a sanctorum cœtu separat, hæc nos a cœlestibus divellit, et terrenis conjungit. Arbor et folia habens, fructum vero plane nullum. Folia habet, et quidem densa, et in densitate ejus genimina viperarum demorantur. Arborem malitiæ exscinde, et pro ea arborem vitæ in anima tua planta ; pretiosam, inquam, crucem, spem Salvatoris, passionesque mortis ipsius.

Dilectio ejus sit in corde tuo, quemadmodum scopulus in mari propositus, et navigia in pelago tempestatibus exposita ad vitæ portum invitans. Certa tanquam bonus

Digitized by Google

miles, ut coronas assequaris. Dicentem audi : *Pios et abstinentes facile filios Israel.* (*Levit.* xv, 31.) Quando legitime certaveris, tunc secure regis dona cognosces. Tunc intelliges bonum utile, et rectum esse, agnoscere et sustinere Dominum, ejusque mandata servare. Tunc senties labores velut per somnium præteriisse, cum remuneratione hic facta. Quemadmodum diadema in capite Regis sedentis in suo regno, ita gaudium tibi erit et exsultatio : et gaudium tuum nemo a te tollet. Concedat porro nobis Dominus, ut misericordiam inveniamus coram bonitate ipsius, et in præsenti sæculo et in futuro. Quoniam ipsi gloria in sæcula. Amen.

S. Basil., *hom. in Mamantem, martyr.*, t. II.— Ne mihi inquit, studeas divitiis, ne sapientiæ mundi exolescenti, ne gloriæ marcescenti. (*I Cor.* II, 6.) Evanescunt hæc una cum vita; sed cultor sis pietatis. Hæc enim et ad cœlum te evehet, hæc et immortalem ac perennem apud homines claritatem tibi comparabit.

Idem, *Constit. monast.*, t. II. — Unum consideret pietatis cultor, num pravitas aliqua per incuriam in anima sua delituerit nunc ubi vigilantia et vehemens animi in Deum intentio oblanguerit, num Spiritus sanctificatio, et quæ illinc animo accedit illustratio, obscurata sit. Nam si vigeant quæ diximus bona, nullum rebellandi locum invenient affectiones corporis, animo in supernis occupato nullamque corpori excitandarum libidinum occasionem tribuente. Si enim sæpe cum nos de aliquibus hujusce vitæ rebus intento animo cogitamus, tum visus, tum auditus inertes permanent et desides, animaque sensibus sine functione hæret : potiori jure si viguerit animo nostro divinus amor, ne spatium quidem de libidinibus cogitandi nobis futurum est. Quod si insurrexerint vel paululum, illico animi sublimitate sedabuntur. Utrum quæso, præstabilius est, arboresne frugiferas imitari, quæ et ipsæ opulentæ sunt, et alios sua fertilitate exhilarant, an similem esse oleribus, quæ præ æstu atque siccitate marcescunt; et esse ut est apud Prophetam, velut betam semicoctam, quæ ne suis quidem usibus inservire possit (idque cum integras ad nos curandos vires a natura acceperimus), atque ex dimidia tantum parte, solo videlicet animo, ac non etiam corpore philosophiæ operam dare? Etenim si fuissemus sine corpore constituti necessario optima quæque animo solo sectaremur. Verum quia duplex est homo, duplex etiam convenit esse virtutis studium, quod et corporis laboribus et animæ exercitiis excolatur. Labores autem corporis non sunt otium, sed ipsum opus.

S. Gregor. Naz., orat. 25, t. I.— Christianus ad bene de omnibus merendum paratus,— illud ostendit nec pietatem in exiguis rebus, nec philosophiam in vultus tristitia, verum in animi firmitate, ac mentis puritate, sinceraque ad bonum propensione consistere : nihil referre quo habitu simus, et cum quibus consuetudinem habeamus, modo nos ita comparemus, ut sive soli simus, mentem a sensibus contrahamus, sive cum aliis versemur, in communi hominum cœtu, tanquam in secreto vivamus, atque inter eos qui minime philosophantur, philosophiæ studia colamus.

S. Ambros. *Exposit. in psal.* cxviii, tom. I.— *Pietas autem in Deo initium intellectus* (*Prov.* I, 7), quæ virtutum omnium fundamentum est juxta humanarum rerum, et cœlestium disciplinam. Pietas amica Deo, parentibus grata, Dominum conciliat, necessitudines fovet, Dei cultura, merces parentum, filiorum stipendium. Pietas, inquam justorum tribunal, egenorum portus miserorum suffugium, indulgentia peccatorum. Qui habet intellectum, ipse vere est pius; intelligit enim humanæ lubricum fragilitatis, et cito ignoscit erranti. Intelligit commune nobis datum naturæ ususque consortium; et ideo pauperibus tanquam debitum solvit, non inficiatur tanquam indebitum. Intelligit vices esse calamitatum; et ideo tanquam naufragiis mundi istius portu quodam suæ humanitatis occurrit. Hæc perfecta virtus in hominibus, hæc plena in Deo laus est.

S. Chrysost. hom. 4 *ad populum Antioch.*, t. II. — Si illum (cœlestem regem), benevolum habeas, licet in fornacem cadas ne desperes : sicut si succenseat, licet in paradiso sis, ne confidas : etenim in paradiso erat Adam, et postquam Deum irritavit, nihil profuit paradisus : in fornace erant isti (tres pueri), et postquam se bene gesserunt, nihil obfuit fornax. In paradiso erat Adam, et quia segnis erat, supplantatus fuit : fimo insidebat Job, et quia vigilabat, superavit : at quanto paradisus est fimo melior! Sed nihil loci virtus inhabitanti profuit, postquam se ipsum ille prodidit : sicut nec loci vilitas virtute undique munitum læsit. Et nos igitur animam nostram muniamus, sive enim pecuniarum mulcta immineat, sive mors, pietatem vero auferat nemo, sumus omnibus beatiores. Hoc et Christus mandavit dicens : *Estote igitur prudentes sicut serpentes.* (*Matth.* x, 16.) Sicut enim ille reliquum objicit corpus ut caput servet, sic et tu : sive pecunias, sive corpus, sive præsentem vitam, sive omnia amittere oporteat, ut pietatem conserves, noli tristari. Si enim illam habens migraveris, omnia tibi cum majori Deus claritate retribuet,— et pro pecuniis, bona quæ nulla verborum vi possunt exprimi. Nonne in fimo nudus sedebat Job, innumeris mortibus graviorem sustinens vitam? Sed quia pietatem non abjecit, omnia cum majori copia rediere priora, corporis sanitas et species, omnis filiorum cœtus, possessiones omnes et quod omnium maximum splendida patientiæ corona. Sicut enim in arboribus accidit, ut si quis fructum cum foliis auferat, et ramos omnes amputet, radice manente, tota cum majori etiam ornatu arbor resurgat; sic quidem et in nobis si pietatis radix permaneat, etsi divitiæ aufe-

Digitized by Google

rantur, et corpus corrumpatur, omnia rursus nobis cum majori gloriam redeunt.

Omnem igitur animæ sollicitudinem, et superfluam curam abjicientes, ad nos ipsos redeamus; corpus et animam ornemus virtutis ornamento: justitiæ arma, sed non arma peccati, corporis nostri membra exhibentes; et ante omnia, linguam, ut sit spiritualis gratiæ ministra, instituamus, omne virus et malignitatem ex ore projicientes, et turpium verborum meditationem. Etenim in nostra potestate est, unumquodque membrorum nostrorum sive malitiæ, sive justitiæ instrumentum facere.

S. Chrysost., hom. 4 *ad populum Antioch.* — Postquam et nunc ingruit hiems animarum, non aeris, seramus et nos in hac hieme, ut in æstate metamus. Seminemus lacrymas, ut exsultationem metamus. Non meus hic sermo, prophetica denuntiatio est: *Qui seminant in lacrymis*, inquit, *in exsultatione metent.* (*Psal.* cxxv, 5.) Non sic semina demissus imber germinare et crescere facit, ut pietatis semen excitat; — propterea et profundum sulcum proscindere necessarium. Etenim et Propheta hoc admonuit, ita dicens: *Novate vobis novalia, et nolite seminare in spinis.* (*Jerem.* iv, 4.) Quemadmodum igitur qui aratrum immittit, inferne terram sulcat, tutam seminibus custodiam parans, ne jacta in superficie remaneant, sed in ipsos terræ sinus condantur, et in tuto radices figant; sic et nos facere necessarium, et tanquam aratro, tribulatione utentes, cordis profundum scindere: hoc enim et alius Propheta admonet, dicens: *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.* (*Joel.* ii, 13.) Corda igitur scindamus, ut si qua mala herba, et dolosa cogitatio nobis inest, radicitus eam vellamus, et puras pietatis seminibus terras exhibeamus.

S. August., *De civit. Dei*, lib. v, c. 19. — Constat inter omnes veraciter pios, neminem sine vera pietate, id est veri Dei cultu, veram posse habere virtutem; nec eam veram esse, quando gloriæ servit humanæ.

Idem, epist. 264, *Dario.* — Si desit pietas et charitas, quid est ab omnibus mundi malis tranquillitas et quies, nisi luxuriæ perditionisque materies, sive invitamentum, sive adjumentum?

Idem, *de spiritu et littera*, t. X. — *Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? factorum? Non: sed per legem fidei.* (*Rom.* iii, 27.) — Per legem fidei quisque cognoscit si quid bene vivit, Dei gratia se habere, et ut perficiatur in dilectione justitiæ, non se aliunde consecuturum. Quæ cogitatio pium facit, quia pietas est vera sapientia: pietatem dico quam Græci *theosebeian* vocant: ipsa quippe commendata est, cum dictum est homini, quod in libro Job legitur: *Ecce pietas est sapientia.* (*Job* xxviii, 28.) *Theosebeia* porro, si ad verbi originem latine expressam interpretaretur, *Dei cultus* dici poterat, qui in hoc maxime constitutus est, ut anima ei non sit ingrata. Unde et in ipso, verissimo et singulari sacrificio, Domino Deo nostro agere gratias admonemur. Erit autem ingrata, si quod illi ex Deo est, sibi tribuerit, præcipueque justitiam, cujus operibus velut propriis et velut a semetipsa sibimet partis, non vulgariter tanquam ex divitiis aut membrorum forma, aut eloquentia, cæterisque, sive externis, sive internis, sive corporis, sive animi bonis, quæ habere etiam scelerati solent, sed tanquam de iis quæ proprie sunt bona bonorum quasi sapienter inflatur. Quo vitio repulsi a divinæ stabilitate substantiæ, etiam magni quidam viri ad idololatriæ dedecus defluxerunt.

Unde idem apostolus in eadem epistola in qua vehemens defensor est gratiæ, cum se dixisset esse Græcis ac barbaris, sapientibus et insipientibus debitorem, et ideo quod ad ipsum pertineret, promptum esse et his qui Romæ essent evangelizare: *Non enim confundor*, inquit, *de Evangelio; virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum et Græco. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Justus autem ex fide vivit.* (*Rom.* i, 14 seq.) Hæc est justitia Dei, quæ in testamento veteri velata, in novo revelatur: quæ ideo justitia Dei dicitur, quod impertiendo eam justos facit, sicut *Domini est salus* (*Psal.* iii, 9), qua salvos facit. Et hæc est fides, ex qua et in quam revelatur, *ex fide* scilicet annuntiantium, *in fidem* obedientium; qua fide Jesu Christi, id est, quam nobis contulit Christus, credimus ex Deo nobis esse, pleniusque futurum esse quod juste vivimus; unde illi ea pietate, qua solus colendus est, gratias agimus.

Theodoret., serm. 12, *De virtute activa*, t. IV. — Maximum usquequaque bonum est divinarum rerum cognitio. Sed satis hæc non est, ut consummatum hominem eum reddat qui ea sit præditus. Oportet enim bonas etiam actiones ad cognitionem adjungi. — Oportet autem non solum scire quid de Deo sentiendum sit, verum etiam ad illius leges vitam moresque instituere. Sicut enim qui picturam, aut sutoriam, vel quamvis aliam artem docentur, non solum ut eas sciant, illis dant operam, sed etiam ut manus exerceant, seque magistrorum imitatores rebus ipsis ostendant; ita decet operarios pietatis, non solum theologiam naturæque rationem edoceri, sed practice quoque virtutis leges perdiscere, et has pro viribus servare, ad easque conari animæ speciem componere ac effingere. Qui enim sic animam componit atque informat non solum divinarum legum exprimit caracteres, sed ipsius quoque legislatoris viva quædam imago et rationalis effingitur. Hoc et magnus ille veritatis præco docens exclamat: *Estote imitatores Dei.* (*Ephes.* v, 1.) Ejus quoque Dominus hortatur dicens: *Estote imitatores patris vestri, qui in cœlis est.* (*Philip.* iii, 17.) Et iterum: *Estote perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est.* (*Matth.* v, 48.) Imitatur autem quantum licet, universorum Deum, is qui ea diligit, odioque pariter prosequitur, quæ Dominus ipse diligit et odio habet.

Digitized by Google

Quæ vero illi invisa, quæve grata sint, divinæ leges manifeste docent. Clamantem enim audimus divinum David : *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos. Odisti omnes operantes iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.* (*Psal.* v, 5 seq.) Cumque legislatoris dispositionem atque affectum in his verbis ostendat, alio in psalmo personam ejus inducit qui has notas diligenter expresserit, Dominum in hæc verba deprecantis : *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. Non ponebam ante oculos meos rem injustam : facientes prævaricationes odivi. Non adhæsit mihi cor pravum : declinantem a me malignum non cognoscebam. Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar Cum superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc non edebam. Oculi mei ad mansuetos terræ, ut sedeant mecum : ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Non habitabit in medio domus meæ faciens superbiam : qui loquitur injusta, non direxit in conspectu oculorum meorum.* (*Psal.* c, 2 seq.) Quibus sane verbis non solum nos docuit posse nos imitari potentissimum ac sapientissimum Deum, sed ipsum etiam nobis imitationis modum ostendit.

Neque enim jussit nos cœlum, et solem, et lunam, et res alias creare; neque ut simplici essemus incircumscriptaque natura : sed hæc solum odio habere, quæ illi exosa fuerunt, et amare quæ adamavit. Ad hujus virtutis apicem provectus Propheta, Domino confidenter exclamat : *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus; nimis confortatus est principatus eorum.* (*Psal.* cxxxi, 17.) Et iterum : *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, et in hostes facti sunt mihi.* (*Ibid.*, 21.) Et rursus : *Viri sanguinum declinate a me.* Et *declinate a me maligni, et scrutabor mandata Dei mei.* Et iterum : *Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi.* Et, *Quomodo dilexi legem tuam, Domine, tota die meditatio mea est.* (*Ibid.*, 19.) Et, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo.* (*Psal.* cxviii, 103.) Alia his multo plura iisdem in Psalmis reperire est : plena est enim prophetia hoc genere doctrinæ.

S. Gregor., *Moral.*, lib. i, cap. 17. — Valde enim singula virtus quælibet destituitur, si non una alii virtuti suffragetur. Minor quippe est sapientia; si intellectu careat, et valde inutilis est intellectus, si ex sapientia non subsistat : quia cum altiora sine sapientiæ pondere penetrat, sua illum levitas gravius ruiturum levat. Vile est consilium, cui robur fortitudinis deest : quia quod tractando invenit, carens viribus usque ad perfectionem operis non producit. Et valde fortitudo destruitur, nisi per consilium fulciatur : quia quo plus se posse conspicit, eo virtus sine rationis moderamine deterius in præceps ruit. Nulla est scientia et utilitatem pietatis non habet, quia dum bona cognita exsequi negligit, sese ad judicium arctius stringit. Et valde inutilis pietas, si scientia discretione careat; quia dum nulla hanc scientia illuminat, quomodo miseratur ignorat.

S. Bernard., serm. 54, *de apparitione. Christi*, tom. I. — Pietas est in duobus, ut de nobis non præsumamus, sed in Deo perfecte confidamus; ut per eum omnia mundi impedimenta vincamus. In Deo non est diffidendum, sed secure et fiducialiter est agendum. Ipse, tanquam pius et laudabilis medicus, prius bibit potionem quam parabat suis, id est passionem et mortem sustinuit; et sic sanitatem immortalitatis accepit, et impassibilitatis, docens suos ut confidenter biberent potionem quæ generat sanitatem et vitam; et qui post passionem vita æterna vivit, spem dat nobis ut idem speremus ab eo securi.

Idem, serm. 12, t. I. — Duo me unguenta vobis tradidisse recordor : unum contritionis, delicta multa complectens; alterum devotionis, multa continens beneficia; ambo salubria, sed non ambo suavia. Primum siquidem pungitivum sentitur, quia movet ad compunctionem amara recordatio peccatorum, et dolorem facit; cum sequens mitigatorium sit, divinæ bonitatis intuitu consolationem dante, et sedante dolorem. Sed est unguentum, quod ambobus longe antecellit; et hoc appellaverim pietatis, eo quod fiat de necessitatibus pauperum, de anxietatibus oppressorum, de perturbationibus tristium, de culpis delinquentium, et postremo de omnibus quorumlibet miserorum ærumnis, etiamsi fuerint inimici. Despicabiles videntur species istæ, sed est super omnia aromata unguentum quod ex eis conficitur. Sanativum est : *Beati* enim *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* (*Matth.* v, 7.)

Igitur multæ collectæ miseriæ, atque oculo pietatis inspectæ, ipsæ sunt species, ex quibus unguenta optima componuntur, sponsæ digna uberibus, sponsi sensibus grata. Felix mens quæ talium collectione aromatum sese ditare et impinguare curavit, infundens ea oleo misericordiæ, et ardore decoquens charitatis. Quis, putas est *jucundus homo qui miseretur et commodat*, pronus compati, subvenire promptus, dare quam accipere judicans; ignoscere facilis, irasci difficilis, ulcisci penitus non acquiescens, et per omnia proximorum æque ut proprias respiciens necessitates? O quæcunque es anima sic affecta, sic imbuta rore misericordiæ, sic affluens pietatis visceribus, sic te omnibus omnia faciens, sic facta ipsa tanquam vas perditum, ut cæteris præsto ubique semper occurras atque succurras; denique mortua tibi, ut vivas omnibus : tu plane tertium optimumque unguentum felix possides, et manus tuæ distillaverunt totius suavitatis liquorem. *Non exsiccabitur in tempore malo, nec fervor persecutionis ebibet illum*; sed semper *Deus memor erit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiet.*

Digitized by Google

PŒNITENTIA

I. *Pœnitentiæ sacramentum.*

[Ex SS Patribus.]

Vid. verb. CONFESSIO, CONTRITIO.

[Ex conciliis.]

Conc. Trident. doctrina de sanctissimis pœnitentiæ et extremæ unctionis sacramentis. — Cap. 1, *de necessitate et institutione sacramenti pœnitentiæ.* — Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam, in baptismo ipsius beneficio et gratia susceptam, constanter tuerentur; non fuisset opus, aliud ab ipso baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum; illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem, et dæmonis potestatem tradidissent, sacramentum videlicet pœnitentiæ; quo lapsis post baptismum, beneficium mortis Christi applicatur. Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui baptismi sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjecta et emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio et pio animi dolore detestarentur. Unde propheta ait : Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris; et non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus etiam dixit: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* (*Luc.* XIII, 5.) Et princeps apostolorum Petrus peccatoribus baptismo initiandis pœnitentiam commendans, dicebat : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* (*Act.* II, 28.) Porro nec ante adventum Christi pœnitentia erat sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante baptismum. Dominus autem sacramentum pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.* (*Joan.* XX, 23.) Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam universorum Patrum consensus semper intellexit. Et Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia catholica, tanquam hæreticos atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc synodus probans et recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei et Christi Evangelium annuntiandi, contra hujusmodi sacramenti institutionem detorquent.

Ibid. — *Cap.* 2, *de differentia sacramenti pœnitentiæ et baptismi.* — Cæterum hoc sacramentum multis rationibus a baptismo differre dignoscitur; nam præterquam quod materia et forma, quibus sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet : constat certe, baptismi ministrum judicem esse non oportere; cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus : *Quid enim mihi*, inquit Apostolus, *de iis, qui foris sunt, judicare?* (*I Cor.* V, 12.) Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro baptismi sui corporis membra semel effecit : nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito baptismo ablui, cum id in Ecclesia catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit, ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari. Alius præterea est baptismi, et alius pœnitentiæ fructus : per baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes; ad quam tamen novitatem et integritatem per sacramentum pœnitentiæ, sine magis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus : ut merito pœnitentia laboriosus quidam baptismus a sanctis Patribus dictus fuerit., est autem hoc sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus.

Ibid. — *Cap.* 4, *de contritione.* — Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius; et in homine post baptismum lapso, ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ et voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur. Declarat igitur sancta synodus, hanc contritionem non solum cessationem a peccato, et vitæ novæ propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud : *Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum.* (*Ezech.* XVIII, 31.) Et certe, qui illos sanctorum clamores consideraverit : *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci. Laboravi in gemitu meo; lavabo per singulas noctes lectum meum.* (*Psal.* L, 6.) Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ; et alios hujus generis; facile intelliget eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, et ingenti peccatorum detestatione manasse.

Digitized by Google

Conc. Trid., doctrina de sanctissimis pœnitentiæ et extremæ unctionis sacramentis.— Cap 5, *de confessione.* — Sed et impium est, confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare: constat enim, nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiæ suæ sinus omnes et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: *Ab occultis meis munda me, Domine.* (*Psal.* XVIII, 13) Ipsa vero hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus levaretur, quæ omnibus, digne ad hoc sacramentum accedentibus, per absolutionem certissime conferuntur. Cæterum, quoad modum confitendi secreto apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit, non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. Unde cum a sanctissimis et antiquissimis patribus, magno unanimique consensu secreta confessio sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est, et modo etiam utitur, fuerit semper commendata; manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, et inventum humanum esse, atque Patribus in concilio Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur. Neque enim per Lateranense concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confitentur, quod jure divino necessarium et institutum esse intellexerat; sed ut præceptum confessionis, saltem semel in anno ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur, unde jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo et maxime acceptabili tempore Quadragesimæ: quem morem hæc sancta synodus maxime probat et amplectitur, tanquam pium et merito retinendum.

Ibid. — Cap. 6, *de ministro hujus sacramenti et absolutione.* — Circa ministrum autem hujus sacramenti, declarat sancta synodus, falsas esse et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines præter episcopos et sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt; putantes verba illa Domini: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt alligata et in cœlo, et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo* (*Matth.* XVIII, 18); et: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* XX, 23): ad omnes Christi fideles indifferenter et promiscue, contra institutionem hujus sacramenti, ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem, cuicunque factam. Docet quoque, etiam sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus sancti in ordinatione collatam, tanquam Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere; eosque prave sentire, qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. Quamvis autem absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut a judice sententia pronuntiatur; atque ideo non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiam si nulla illi adsit contritio, aut sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit; patet tamen se, propter suam solam fidem, vere et coram Deo esse absolutum; nec enim fides sine pœnitentia remissionem ullam peccatorum præstaret: nec is esset, nisi salutis suæ negligentissimus qui sacerdotem joco se absolventem cognosceret; et non alium, serio agentem, sedulo requireret.

Ibid. — Cap. 8, *De satisfactionis necessitate et fructu.* Demum quoad satisfactionem, quæ ex omnibus pœnitentiæ partibus, quemadmodum a Patribus nostris Christiano populo fuit perpetuo tempore commendata; ita una maxime nostra ætate, summo pietatis prætextu impugnatur ab iis, qui speciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt: sancta synodus declarat falsum omnino esse, et a verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur. Perspicua enim et illustria in sacris litteris exempla reperiuntur, quibus præter divinam traditionem hic error quam manifestissime revincitur. Sane et divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati et dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritus sancti dono, scienter templum Dei violare, et Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injuriosi et contumeliosi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi freno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus, male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc

Digitized by Google

pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, et conglorificabimur. Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum: nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus: ita non habet homo, unde glorietur; sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre. Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere: ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem: nam claves sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres et credunt et docent; nec propterea existimarunt sacramentum pœnitentiæ esse forum iræ vel pœnarum, sicut nemo unquam Catholicus sensit, ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti, et satisfactionis Domini nostri Jesu Christi vel obscurari, vel ex aliqua parte imminui: quod dum novatores intelligere nolunt, ita optimam pœnitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis vim et usum tollant.

Conc. Trid., doctrina de sanctissimis pœnitentiæ et extremæ unctionis sacramentis. — Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit.

Ibid. — Si quis dixerit satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit.

Ibid. — Si quis dixerit claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi et fictionem esse, quod virtute clavium, sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remanea; anathema sit.

Conc. Trid., de sanctissimo pœnitentiæ sacramento. — Si quis dixerit, verba Domini Salvatoris: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* xx, 23) non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento pœnitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium, anathema sit.

Ibid. — Si quis dixerit in catholica Ecclesia pœnitentiam non esse vere et proprie sacramentum, pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; anathema sit.

Ibid. — Si quis sacramenta confundens, ipsum baptismum, pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint, atque ideo pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.

Ibid., de baptismo. — Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post baptismum fiunt sola recordatione et fide suscepti baptismi vel venialia fieri; anathema sit.

Ibid. — Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christifidelibus esse dictum: *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo; et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo;* et: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;* et *quorum retinueritis, retenta sunt*; quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem anathema sit.

Ibid.,—*Cap.* 3, *de partibus et fructu hujus sacramenti.* — Docet præterea sancta synodus sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: *Ego te absolvo*, etc., quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariæ. Sunt autem quasi materia hujus sacramenti, ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur. Sane vero res et effectus hujus sacramenti, quantum ad ejus vim et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis et cum devotione hoc sacramentum percipientibus, conscientiæ pax ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet.

Digitized by Google

Hæc de partibus et effectu hujus sacramenti sancta synodus tradens, simul eorum sententias damnat, qui pœnitentiæ partes, incussos conscientiæ terrores et fidem esse contendunt.

Conc. Trid., de sanctissimo pœnitentiæ sacramento.—Cap. 5, *de confessione.*—Ex institutione sacramenti pœnitentiæ jam explicata universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessarium existere : quia Dominus noster Jesus Christus, e terris ascensurus ad cœlos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit tanquam præsides et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint : quo, pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, et non potius in specie, ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, et tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animum gravius sauciant, et periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur : nam venialia quibus a gratia Dei non excludimur, et in quæ frequentius labimur, quamquam recte et utiliter citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Verum, cum universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, et Dei inimicos reddant; necessum est, omnium etiam veniam, cum aperta et verecunda confessione, a Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata, Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia divinæ misericordiæ agnoscenda exponunt; qui vero secus faciunt, et scienter aliqua retinent; nihil divinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt : si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat. Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant : quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant, et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere. Unde alienum a ratione est, docere circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse; aut unam tantum circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem.

Ibid. — Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti; modo tantum credet, se esse absolutum : aut sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit non requiri confessionem pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere possit; anathema sit.

Ibid. — *Cap.* 6, *de casuum reservatione.* — Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse synodus hæc confirmat, nullius, momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Magnopere vero ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis duntaxat sacerdotibus absolverentur; unde merito pontifices maximi pro suprema potestate, sibi in Ecclesia universali tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ a Deo sunt, ordinata sunt, quin hæc idem episcopis omnibus in sua cuique diœcesi in ædificationem tamen, non in destructionem liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinæ auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt : extra quem articulum sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.

Ibid. — Si quis dixerit, episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quo minus sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit.

Ibid. — Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti pœnitentiæ, videlicet, contritionem, confessionem et satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata; anathema sit.

Ibid. Decretum de justificatione. — *Cap.* 14, *de lapsis et eorum reparatione.* — Qui vero ab accepta justificationis gratia per pec-

Digitized by Google

catum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum excitante Deo, per pœnitentiæ sacramentum, merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim justificationis modus est lapsis reparatio : quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam sancti Patres apte nuncuparunt. Etenim pro iis qui post baptismum in peccata labuntur Christus Jesus sacramentum instituit pœnitentiæ, cum dixit : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt.* (*Joan.* xx, 23.) Unde docendum est Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali, eaque contineri non modo cessationem a peccatis, et eorum detestationem, aut cor contritum et humiliatum ; verum etiam eorumdem sacramentalem confessionem, saltem in voto, et suo tempore faciendam et sacerdotalem absolutionem ; itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, et alia pia spiritualis vitæ exercitia ; non quidem pro pœna æterna, quæ vel sacramento, vel sacramenti voto, una cum culpa remittitur ; sed pro pœna temporali, quæ, ut sacræ litteræ docent, non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt ingrati, Spiritum sanctum contristaverunt, et templum Dei violare non sunt veriti. De qua pœnitentia scriptum est : *Memor esto, unde exciderís : age pœnitentiam, et prima opera fac.* (*Apoc.* II, 5) Et iterum : *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur* (*II. Cor.* VII, 10.) Et rursus : *Pœnitentiam agite, et facite fructus dignos pœnitentiæ.* (*Luc.* III, 8)

Conc. Trid., de sanctissimo pœnitentiæ sacramento. — Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino ; aut dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, qúem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum ; anathema sit.

Ibid.—Si quis dixerit, in sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima decalogi præcepta, et circumstantias, quæ peccati speciem mutant ; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum pœnitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam ; aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri student nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum ; aut demum, non licere confiteri peccata venialia ; anathema sit.

Conc. Trid., doctrina de sacramento ordinis. — Cap. 1, *de institutione sacerdotii novæ legis.* — Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. Cum igitur in Novo Testamento sanctum Eucharistiæ sacrificium visibile ex Domini institutione catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile, et exterum sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque apostolis, eorumque successoribus in sacerdotio, potestatem traditam consecrandi, offerendi, et ministrandi corpus et sanguinem ejus nec non et peccata dimittendi et retinendi, sacræ litteræ ostendunt, et catholicæ ecclesiæ traditio semper docuit.

Ibid. — Si quis dixerit, non esse in Novo Testamento sacerdotium visibile, et exterum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi ; sed officium tantum et nudum ministerium prædicandi Evangelium, vel eos qui non prædicant, prorsus non esse sacerdotes, anathema sit.

Conc. Trident., de justificatione.— Si quis dixerit, eum qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere ; aut posse quidem, sed sola fide amissam justitiam recuperare sine sacramento pœnitentiæ, prout sancta Romana et universalis Ecclesia a Christo Domino et ejus apostolis edocta hucusque professa est, servavit et docuit ; anathema sit.

Conc. Trid., decret de sacramentis.—De sacramento in genere. — Si quis dixerit sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua ; et sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci ; licet omnia singulis necessaria non sint ; anathema sit.

Capitula Abælardi a concilio Senonensi an. 1140, *et ab Innocentio II damnata.* — Quod potestas ligandi atque solvendi apostolis tantum data sit, non successoribus.

Decreta Martini V et concilii Constantiensis. — Articuli 45 *Joannis Wikleff damnati a concilio Constantiensi, et Martino V, per bullam* Inter cunctas, VIII *kal. Martii* 1418, *et bullam* In eminentes, *ejusdem diei.* — Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis.

Decreta Martini V et concilii Constantiensis articuli 39, *de quibus errorum Wikleff, et Huss suspecti, ex mandato Martini papæ V in bulla* Inter cunctas *interrogandi sunt.* — Item, utrum credat, quod Christianus ultra contritionem cordis, habita copia sacerdotis idonei, soli sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, et non laico seu laicis quantumcunque bonis et devotis.

Ibid. — Item, utrum credat, quod sacerdos in casibus sibi permissis possit peccatorem confessum et contritum a peccatis absolvere, et sibi pœnitentiam injungere.

Ibid. — Item, utram credit, auctoritatem jurisdictionis Papæ, archiepiscopi et episcopi in solvendo et ligando esse majorem

Digitized by Google

auctoritate simplicis sacerdotis, etiam si curam animarum habeat.

Magistri Petri Oxoniensis propositiones a Sixto IV damnatæ, an. 1479.— Peccata mortalia, quantum ad culpam et pœnam alterius sæculi, delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves.

Ibid. — Sacramentum pœnitentiæ, quantum ad collationem gratiæ sacramentalis, naturæ est, non alicujus institutionis Veteris vel Novi Testamenti.

Damnatæ ut scandalosæ et hæreticæ.

Ibid. — Confessio de peccatis in specie, fuit ex aliquo statuto utilis Ecclesiæ, non de jure divino.

Ibid. — Confessio debet esse secreta, id est de peccatis secretis, non de manifestis.

Ibid. — Pravæ cogitationes confiteri non debent, sed sola displicentia delentur sine ordine ad claves.

Ibid.— Non sunt absolvendi pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia eis injuncta.

Conc. Florent. decreta. Decretum pro Armenis in bulla Eugenii IV Exsultate Deo.— Quartum sacramentum est pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio : ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est oris confessio : ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis; quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium, et eleemosynam. Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert, cum dicit : *ego te absolvo*, etc., et minister hujus sacramenti est sacerdos, habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris. Effectus hujus sacramenti est absolutis a peccatis.

Confessio fidei Michaelis Paleologi, ipsi a Clemente IV, an. 1261 *proposita, et ab ipso in concilio œcumenico Lugdunensi* II, 1274 *Gregorio X oblata.* — Tenet etiam et docet eadem sancta Romana Ecclesia, septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet baptisma, de quo dictum est supra; aliud est sacramentum confirmationis, quod per manuum impositionem episcopi conferunt, chrismando renatos; aliud est pœnitentia, aliud Eucharistia, aliud sacramentum ordinis, aliud est matrimonium, aliud extrema unctio quæ secundum doctrinam beati Jacobi infirmantibus adhibetur. Sacramentum Eucharistiæ ex azymo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens et docens, quod in ipso sacramento panis vere transsubstantietur in corpus, et vinum in sanguinem Domini nostri Jesu Christi.

Professio fidei Tridentinæ a Pio IV per constitutionem Injunctum nobis, 18 *Nov.* 1564, *ex decreto Tridentino, sess.* 24, *cap.* 12, *de Ref.; et sess.* 25, *cap.* 2, *de Ref. præscripta.* — Profiteor quoque septem esse vere et proprie sacramenta novæ legis a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria : scilicet baptismum, confirmationem, Eucharistiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium : illaque gratiam conferre et ex his baptismum, confirmationem et ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quæ de peccato originali, et de justificatione in sacrosancta Tridentina synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Professio fidei Græcis præscripta a Gregorio XII per constitutionem 31, Sanctissimus Dominus noster — Insuper profiteor ac recipio alia omnia, quæ ex decretis sacræ œcumenicæ generalis synodi Tridentinæ, sacrosancta Romana et Apostolica Ecclesia, etiam ultra contenta in supradictis fidei symbolis, profitenda ac recipienda proposuit atque præscripsit, ut sequitur :

Apostolicas, *et cætera omnia, ut in fidei professione Tridentina.*

Professio fidei Orientalibus præscripta ab Urbano VIII et Benedicto XIV, per constitutionem 79, Nuper ad nos. — Pariter veneror, et suscipio Tridentinam synodum, et profiteor quæ in ea definita et declarata sunt, et præsertim offerri Deo in missa verum, proprium et propitiatorium sacrificium. Item septem esse novæ legis sacramenta a Christo Domino nostro instituta ad salutem humani generis, quamvis non omnia singulis necessaria; videlicet, baptismum, confirmationem, Eucharistiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium, illaque gratiam conferre.

Lucii III decretum contra Albigens., lib. V *Decr., tit.* 7, *c.* 9. — Universos, qui de sacramento corporis et sanguinis Domini nostri Jesu-Christi, vel de baptismate, seu de peccatorum confessione, matrimonio vel reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia prædicat et observat; et generaliter quoscunque eadem Romana Ecclesia vel singuli episcopi per diœceses suas cum consilio clericorum, vel clerici ipsi, sed vacante, cum consilio, si oportuerit, vicinorum episcoporum, hæreticos judicaverint, vinculo perpetui anathematis innodamus.

Professio fidei præscripta Waldensibus ad Ecclesiam reducibus ab Innocentio III. — Sacramenta quoque, quæ in ea celebrantur, inæstimabili atque invincibili virtute Spiritus sancti cooperante, licet a peccatore sacer-

Digitized by Google

dote ministrantur, dum Ecclesia eum recipit, in nullo reprobamus, nec ecclesiasticis officiis vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, sed benevolo animo tanquam a justissimo amplectimur, quia non nocet malitia episcopi vel presbyteri, neque ad baptismum infantis, neque ad eucharistiam conferendam, vel ad cætera ecclesiastica officia subditis celebrata.

Peccatoribus vere pœnitentibus veniam concedi a Deo credimus, et eis libentissime communicamus, etc.

Errores 41 Martini Lutheri damnati a Leone V per bullam Exsurge Domine, 16 *Maii* 1520. — In sacramento pœnitentiæ ac remissione culpæ non plus facit Papa aut episcopus, quam infimus sacerdos : imo, ubi non est sacerdos, æque tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier aut puer esset.

Ibid.—Tres esse partes pœnitentiæ : contritionem, confessionem et satisfactionem, non est fundatum in sacra Scriptura, nec antiquis sanctis Christianis doctoribus.

Ibid. — Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est ut omnia mortalia cognoscas. Unde primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebatur.

Ibid. — Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

Ibid. — Nullus debet sacerdoti respondere se esse contritum, nec sacerdos requirere.

Concil. Lateranensis v, *an.* 1215 *decreta.*— *Cap.* 21, *de annua confessione.* — Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum : alioquin et vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur et moriens Christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quispiam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipsum non possit absolvere vel ligare. Sacerdos autem sit discretus et cautus, ut more periti medici superinfundat vinum et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium et cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo, ad salvandum ægrotum; caveat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem : sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat, quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.

Propositiones synodi Pistoriensis a Pio VI damnatæ. De auctoritate absolvendi. — Doctrina synodi, quæ de auctoritate absolvendi accepta per ordinationem enuntiat, post institutionem diœcesium et parochiarum conveniens esse, ut quisque judicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii, sive jure quodam personali, propterea quod aliter confusio induceretur et perturbatio; quatenus post institutas diœceses et parochis enuntiat tantummodo conveniens esse ad præcavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos; sic intellecta tanquam ad validum usum hujus potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa jurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius nomenti esse absolutionem a sacerdote prolatam; falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et injuriosa, erronea.

Ibid., de reserv. casuum. — Propositio synodi asserens, reservationem casuum nunc temporis aliud non esse, quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro pœnitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem; falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicæ potestatis læsiva.

Ibid. — Item, ne spe quam ostendit fore, ut reformato rituali et ordine pœnitentiæ, nullum amplius locum habituræ sint hujusmodi reservationes; prout attenta generalitate verborum innuit, per reformationem ritualis et ordinis pœnitentiæ factam ab episcopo vel synodo aboleri posse casus, quos Tridentina synodus (sess. 14, c. 7) declarat Pontifices maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita peculiari suo judicio reservare, propositio falsa, temeraria, concilio Tridentino et summorum Pontificum auctoritati derogans et injuriosa.

Ibid. — Declaratio synodi de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur hujusmodi confessiones; temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a sacro concilio Tridentino probatæ contraria.

Ibid., de ordine pœnitentiæ. — Declaratio synodi, qua, postquam præmisit ordinem pœnitentiæ canonicæ sic ad apostolorum exemplum ab Ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpæ, sed præcipue pro dispositione ad gratiam, subdit,

Digitized by Google

« se in ordine illo mirabili et augusto totam agnoscere dignitatem sacramenti adeo necessarii, liberam a subtilitatibus, quæ ipsi decursu temporis adjunctæ sunt, » quasi per ordinem, quod sine peracto canonicæ pœnitentiæ cursu, hoc sacramentum per totam Ecclesiam administrari consuevit, illius fuisset dignitas imminuta; temeraria, scandalosa, inducens in contemptum dignitatis sacramenti prout per Ecclesiam totam consuevit administrari, Ecclesiæ ipsi injuriosa.

Propos. synodi Pistor. damnatæ a Pio VI. De ordine pœnitentiæ. — Propositio his verbis concepta : « Si charitas in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum hujus charitatis oportet, ut sacerdos præcedere faciat eos actus humiliationis et pœnitentiæ, qui fuerunt omni ætate ab Ecclesia commendati : redigere hos actus ad paucas orationes aut ad aliquod jejunium post jam collatam absolutionem, videtur potius materiale desiderium conservandi huic sacramento nudum nomen pœnitentiæ, quam medium illiminatum et aptum ad augendum illum fervorem charitatis, qui debet præcedere absolutionem : longe quidem absumus ab improbanda praxi imponendi pœnitentias etiam post absolutionem adimplendas; si omnia nostra bona opera semper adjunctos habent nostros defectus, quanto magis vereri debemus, ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo et magni momenti opere nostræ reconciliationis; » quatenus innuit pœnitentias, quæ imponuntur adimplendæ post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostræ reconciliationis, quam ut pœnitentias vere sacramentales et satisfactorias pro peccatis confessis; quasi, ut vera ratio sacramenti, non nudum nomen servetur, oporteat de via ordinaria, ut actus humiliationis et pœnitentiæ qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, præcedere debeant absolutionem. Falsa, temeraria, communi praxi Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum.

Prop. damnatæ ab Alexandro VIII, 24 *Sept.* 1665.—Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab ordinario.

Ibid., prop. 31, *prohibita* 7 *dec.* 1690. —Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi legis præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

Ibid. — Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

Errores Joannis de Polliaco damnati a Joanne XXII, an. 1320. *Extrav. comm., l. v, tit.* 3 *de hæreticis, c.* 2 : Vas electionis. — Quod confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata, quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio sacerdoti.

Ibid.—Quod Papa non potest dare potestatem generalem audiendi confessionem; imo nec Deus, quin confessus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio sacerdoti quem dicit esse proprium curatum.

Errores Guillelmi de sancto amore damnati ab Alexandro IV an. 1256, *per constitutiones* Veri solis radius 17 *Kal. Nov. etc.* : Multa cordis amaritudine 12 *Kal. Nov. etc.* : Alia diplomata. — Quodque de licentia vel commissione Romani Pontificis seu diœcesanorum episcoporum, prædicationis exercere officium et confessiones audire libere non valebant, tanquam per hoc sacerdotibus parochialibus præjudicium inferretur.

Clementis VIII decretum de absolutione in absentia per scriptum vel per internuntium, 20 *Jun.* 1602. — S. D. N. etc. Re mature ac diligenter considerata hanc propositionem, scilicet licere per litteras, seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam et scandalosam damnavit ac prohibuit, præcepitque ne deinceps ista propositio publicis privatisve lectionibus, concionibus et congressibus doceatur, neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur aut ad praxim quovis modo deducatur.

Paulus V die 14 Jul. 1605, in congregatione S. Officii declaravit hoc decretum etiam in sensu diviso, hoc est de confessione vel de absolutione seorsim valere. Clemens vero VIII vivæ vocis oraculo enuntiavit se non intendere casum, quo moribundus sensibus destitutus, quem astantes absolutionem antea petiisse testentur, absolvendus esset.

Prop. damnatæ sub Innocentio XI, decret. d. 2 *Martii* 1679. — Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis, verbi gratia, potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis aut indulgentiæ.

Prop. damnatæ ab Alexandro VII, die 24 *Sept.* 1675. — Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

Ibid. — Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

Propositiones 101 *Paschasii Quesnelli damnatæ a Clemente XI constitutione* Unigenitus

Digitized by Google

8 *Sept.* 1713. — Modus plenus sapientia, lumine et charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate et sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei antequam reconcilientur

Propositiones 101 *Paschasii Quesnelli damnatæ a Clemente XI constitutione* Unigenitus 8 *sept.* 1713. — Ignoramus quid sit peccatum et vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatorum spoliavit, et detrectamus separationis istius ferre confusionem.

Symbolum fidei a Leone IX propositum Petro episc. — Credo sanctam, catholicam et apostolicam, unam esse veram Ecclesiam, in qua unus datur baptismus et vera omnium remissio peccatorum.

Symbolum apostolorum. — Credo in Deum Patrem omnipotentem, etc... credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, *remissionem omnium peccatorum*, carnis resurrectionem et vitam æternam. Amen.

Synodi I *Nicænæ an.* 326 *decreta.* — *Canones de baptismo hæreticorum.* — De his qui se *catharos*, id est *puros* quandoque nominant ad catholicam autem et apostolicam Ecclesiam accedunt, sanctæ magnæ synodo visum est, ut impositis eis manibus sic in clero maneant. Ante omnia autem hoc in scriptis ipsos profiteri convenit, quod adhærebunt, et sequentur catholicæ Ecclesiæ decreta, id est, et cum digamis communicabunt, et cum iis, qui in persecutione lapsi sunt, etc.

Pœnitentia satisfactoria.

Ex conc. Laodiceno, sub Silvestro I, an. 320.—2. De his qui diversis facinoribus peccaverunt, et perseverantes in oratione confessionis et pœnitentiæ, pro qualitate delicti, talibus pœnitentiæ tempus impensum propter clementiam et bonitatem Dei communio concedatur.

79. Quicunque ex Ecclesia aliquid indignum faciet, adhibebitur ei remedium per exhortationem et diligentem admonitionem, dum non est manifestum quod facit, etc. Imponendaque ei pœnitentia prout conveniet, quod si pœnitentia et exhortatione non emendatur, separetur a communione fidelium.

Ex conc. Roman. II, *sub Silvestro I, an.* 324. — Nemo det pœnitentiam nisi 40 annorum petenti, baptismum enim omnibus date.

Ex conc. Nicæno gener., sub Silvestro I, an. 325, *editionis Arabicæ.* — 67. Erit pœnitentia ejus qui ad fidem revertitur, et ejus quæ virum infidelem (quem habere non poterat) reliquit, ferre cilicium, dormire super cinerem, et jejunare quantum sibi conveniat, et tunc licebit cum fidelibus conversari, et communionem sacram accipere.

Ex conc. Carth. III, *sub Siricio, an.* 397. —31. Ut pœnitentibus secundum peccatorum differentiam episcopi arbitrio, pœnitentiæ tempora decernantur.

Ex conc. Carthag. IV, *sub Anastasio, an.* 398. — 74. Ut sacerdos pœnitentiam imploranti absque personæ acceptione pœnitentiæ leges injungat.

75. Ut negligentiores pœnitentes tardius recipiantur.

76. Is quis pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum sacerdos invitatus venit oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierint, et accipiat pœnitentiam, et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infundatur ori ejus Eucharistia, si supervixerit admoneatur a supradictis testibus petitioni suæ satisfactum, et subdatur statutis pœnitentiæ legibus quandiu sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probaverit.

Ex Fragment. conc. Toletanorum, secundum Burchardum. — De viris ordinatis quorum occulta peccata sunt, nec manifeste ab aliquo argui possunt, si salubriter compuncti pro peccatis suis, confessionem episcopo sive presbytero occulte faciunt, bonum mihi videtur, ut secundum id quod sibi decretum fuerit ab episcopo sive presbytero pœnitentiam agant, ferventer et sollicite, ac sic se veniam peccatorum a Domino percepturos, et gradum se retenturos confidant.

Ex conc. Milevitano sub Innocentio I, an. 416. — 23. Placuit ut quicunque conversus ab hæreticis, dixerit se apud eos pœnitentiam accipere unusquisque catholicus episcopus requirat, ubi et ob quam causam apud eosdem hæreticos pœnitentiam susceperit, ut cum documentis certis hoc ipsum approbaverit, sibi pro qualitate peccati, sicut eidem episcopo catholico visum fuerit, tempus pœnitentiæ, vel reconciliationis decernat.

Ex conc. Arausicano I, *sub Leone I, an.* 441. — 4. Pœnitentiam desiderantibus, etiam clericis non negandam.

Ex eod. conc. sec. Gratianum. — Cum aliquis excommunicatus, vel anathematizatus pœnitentia ductus veniam postulat et emendationem promittit, episcopus qui eum excommunicavit, ante januas Ecclesiæ venire debet, et 12 presbyteri cum eo qui eum hinc et inde circumstare debent, ubi etiam esse debent illi quibus injuria vel damnum commissum debet emendari, aut si jam emendatum est eorum testimonio comprobari, deinde interroget episcopus si pœnitentiam juxta quod canones præcipiunt pro perpetratis sceleribus suscipere velit, et si ille terræ prostratus veniam postulat; culpam confitetur, pœnitentiam implorat, et de futuris cautelam spondet, tunc episcopus apprehensa manu ejus dextra in ecclesiam illum introducat, et ei communionem et societatem Christianam reddat et septem psalmos pœnitentiales decantet, etc. Post

Digitized by Google

hæc secundum modum culpæ pœnitentiam ei injungat, et litteras per parochiam suam dirigat, ut omnes noverint eum in societate Christiana receptum, aliis etiam episcopis hoc notum faciat.

Ex conc. Venetico, sub Leone I, an. 463. — 3. Pœnitentes qui susceptam publice pœnitentiam intermiserint, et ad prioris erroris consuetudinem revoluti, vitæ se sæculari, conversationique reddiderint, non solum a communione Dominicorum sacramentorum, sed etiam a conviviis fidelium submovendos statuimus.

Ex conc. Andegavensi I, *sub Leone I, an.* 453. — 12. Pœnitentiæ sane locus omnibus pateat, qui conversi errorem suum voluerint confiteri, quibus perspecta qualitate peccati, secundum episcopi æstimationem erit venia largienda.

Ex conc. Agathensi, sub Symmacho, an. 506. — 15. Pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt impositionem manuum et cilicium super caput a sacerdote (sicut ubique constitutum est) consequantur, si autem comas non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, abjiciantur, et nisi digne pœnituerint non recipiantur, juvenibus etiam pœnitentia non facile committenda est, propter ætatis fragilitatem, viaticum tamen omnibus in morte positis non est negandum.

Ex conc. Epaunensi, sub Symmacho, an. 509. — 36. Ne ullus sine remedio aut spe veniæ ab Ecclesia repellatur, neve ulli, si aut pœnituerit, aut se correxerit, ad veniam redeundi aditus obstruatur, sed si cui fortisan discrimen mortis immineat, damnationis constitutæ tempora relaxentur.

Ex conc. Barcinonensi, sub Vigilio, an. 540. — 6. Pœnitentes viri tonso capite et religioso habitu utentes, et jejuniis et obsecrationibus vitæ tempus peragant.

7. Pœnitentes epulis non intersint, nec negotiis operam dent, in datis et acceptis, sed tantum in suis domibus vitam frugalem agere debeant.

8. De his qui in infirmitatibus poscunt pœnitentiam, et a sacerdote accipiunt, si postea convaluerint, vitam pœnitentium peragant, excepta manus impositione segregati a communione, quandiu probabilem sacerdos eorum approbaverit vitam.

9. Jubemus ut in infirmitate positi beatificam benedictionem percipiant.

Ex conc. Toletano III, *sub Pelagio II, an.* 589. — 11. Secundum formam canonum antiquorum dentur pœnitentiæ, hoc est ut prius eum quem sui pœnitet facti a communione suspensum faciat presbyter, inter reliquos pœnitentes ad manus impositionem crebro recurrere, expleto autem satisfactionis tempore sicut sacerdotalis contemplatio probaverit, cum communioni restituat.

12. Quicunque ab episcopo vel presbytero sanus vel infirmus pœnitentiam postulat, id ante omnia episcopus observet vel presbyter, ut si vir est sanus sive infirmus, prius eum tondeat, et sic pœnitentiam ei tradat, si vero mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam nisi prius mutaverit habitum.

Ex conc. Rhemensi sub Honorio I, an. 630. — 10. Ille qui sanctæ Ecclesiæ beneficio liberatur a morte, non prius egrediendi accipiat libertatem quam pœnitentiam se pro scelere esse facturum promittat, et quod ipsi canonice imponetur impleturum.

Ex conc. Arelatensi IV, *sub Leone III, an.* 813. — 26. Qui publico crimine convicti sunt rei, publice judicentur, et publicam pœnitentiam agant secundum canones.

Ex conc. Cabilonensi II, *sub Leone III, an.* 813.—25. Pœnitentiam agere juxta antiquam canonum constitutionem in plerisque locis ab usu recessit, et neque excommunicandi, neque reconciliandi antiqui moris ordo servatur, ut a domino imperatore impetretur adjutorium, qualiter si quis publice peccat publica multetur pœnitentia.

35. Multi in pœnitentia, non tam peccati remissionem, quam temporis constituti exspectant expletionem, etc. Ille ergo magis parcimoniæ servire censendus est, qui sibi non solum quarumdam rerum perceptione, sed delectatione corporis penitus interdicit.

36. Quidam ex industria peccantes propter eleemosynarum largitionem, quamdam sibi promittunt impunitatem, eleemosyna enim exstinguit peccata, sed ea quæ aut necessitate aut casu, aut qualibet fiunt fragilitate, ea vero quæ ex industria, aut cujuslibet libidinis explendæ causa idcirco fiunt, ut eleemosynis redimantur, nequaquam eis redimi possunt, quia qui hoc perpetrarunt, videntur Deum mercede conducere, ut eis impune peccare liceat, non ergo quis idcirco peccare debet, ut eleemosynam faciat, sed ideo eleemosynam facere, quia peccavit.

Ex conc. Parisiensi, sub Gregorio IV, an. 829. — 54. Qui propter reatum suum publica pœnitentia sunt multati, nec alios de sacri fontis baptismate suscipiant, nec etiam ad percipiendum S. Spiritus donum, nec aliorum patroni coram Pontificibus existant, donec per dignam pœnitentiæ satisfactionem reconciliationem mereantur.

Ex conc. Moguntino I, *sub Leone IV, an.* 847. — 31. Modus tempusque pœnitentiæ peccata sua confitentibus, aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum Scripturarum auctoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem imponi debet a sacerdotibus, sed et discretio servanda est, etc. (Vide *Conc. Rhemen.* 813, c. 3); nam qui publice peccat, oportet ut publica multetur pœnitentia, et secundum ordinem canonum, pro merito suo et excommunicetur et reconcilietur, pœnitentes vero tam expletionem constituti temporis quam facinoris remissionem desiderent, nec eis sufficiat si a quarumdam rerum perceptione abstineant, ni se etiam a noxiis delectationis subtrahant.

Digitized by Google

Ex conc. Ticinensi II, *sub Leone IV, an.* 855. — 11. Sacra docet auctoritas ut publice peccantes, publicæ pœnitentiæ subjiciantur.

Ex conc. Wormatiensi, sub Adriano II, an. 868. — 25. Pœnitentibus secundum differentiam peccatorum, sacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernuntur, debet itaque sacerdos in pœnitentia danda, singulorum causas singulatim considerare, originem quoque modumque culparum, et affectus gemitusque delinquentium diligenter examinare, manifesteque cognoscere, temporum etiam et personarum, locorum quoque et ætatum qualitates inspicere, ut etiam pro consideratione locorum, ætatum vel temporum, seu pro qualitate delictorum atque gemituum uniuscujusque deliuquentis, a sacris regulis oculos non reflectat.

Ex conc. Moguntin., sub Stephano VI, an. 888. — 16. Qui sacerdotem morti voluntarie tradiderit, carnem non comedat, nec vinum bibere præsumat omnibus diebus vitæ suæ, jejunet autem usque ad vesperam, exceptis diebus festis atque Dominicis arma non sumat, et ubicunque ire maluerit, nullo vehiculo deducatur, sed propriis pedibus proficiscatur, ecclesiam per quinquennii tempus non ingrediatur, sed cum orationum officia, aut missarum solemnia celebrantur, ante fores basilicæ perseveret orans, post expletum vero quinquennii tempus ingrediatur ecclesiam, non tamen communicet, sed inter audientes tantummodo stet, vel dum facultas conceditur sedeat, dum autem 12 anni cursus fuerit finitus, communicandi ei tribuatur medela, maneat tamen in reliquis observationibus tres dies per hebdomadam, ut ad perfectionis, purificatus, mereatur venire culmen.

Ex. conc. Romano V, *sub Gregorio VII, an.* 1078. — 6. Falsas pœnitentias dicimus, quæ non secundum auctoritatem SS. Patrum pro qualitate criminum imponuntur, ideoque quicunque miles vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit, si culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius injuste detinet, vel qui odium in corde gerit, et recognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, nisi arma deponat, ulteriusque non ferat nisi consilio religiosorum episcoporum pro defendenda justitia, vel negotium derelinquat, vel officium deserat, et odium ex corde dimittat, bonaque quæ injuste abstulit restituat, ne tamen desperet, interim quidquid boni facere poterit, hortamur ut faciat, etc.

Ex conc. Melfitano, sub Urbano II, an. 1090. — 16. Episcopos et presbyteros admonemus, ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipi, et in infernum protrahi patiantur; falsam pœnitentiam esse constat, cum, spretis pluribus, de uno solo peccato pœnitentia agitur, aut sic, cum agitur de uno, et non discedatur ab alio peccato, etc. Falsa sit pœnitentia cum penitus ab officio curiali vel negotiali non recedit, quæ sine peccatis agi ulla ratione non prævalet, aut si odium in corde gestet, aut si offenso cuilibet non satisfaciat, aut si non offenderit, offensus non indulgeat, aut si arma quis contra justitiam gerat.

Ex conc. Placentino, sub Urbano II, an. 1095. — 1. Ad pœnitentiam nullo modo recipiantur qui concubinas et odium ex corde et quodlibet mortale peccatum dimittere noluerint.

Ex conc. Eboracensi, sub Cœlestino III, an. 1194. — 4. Prohibemus ne sacerdos laico ad pœnitentiam venienti, obtentu cupiditatis injungat, ut missas faciat celebrari.

Ex conc. Coloniensi II, *sub Paulo III, an.* 1549. *Censuræ contra abusus.* — 9. Omnibus prælatis, abbatibus, prioribus, guardianis et monasteriorum utriusque sexus superioribus mandamus ut pœnitentia ductos suos subditos, et ultro revertentes veniamque petentes, et emendationem pollicentes, paterne recipiant ad pœnitentiam tolerabilem, quam, emendatione eorum perspecta, sensim minuant, ut sanent, non interimant suas oves.

Ex conc. Tridentino gener. XVIII, *sub Pio IV, an.* 1562, *sess.* 24, *de Reformat.* — 8. Quando ab aliquo publice et in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alii scandalo sunt offensi, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam injungi oportet, episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, etc. In omnibus cathedralibus ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, pœnitentiarius aliquis cum unione præbendæ proxime vacaturæ, ab episcopo instituatur.

Ex conc. Mediolan. I, *sub Pio IV, an.* 1565, *part.* II, — 6. Confessores secundum conc. Trid. publice peccantibus publicam pœnitentiam imponant, neque illud publicæ pœnitentiæ genus, nisi data ab episcopo facultate, secreta alia pœna commutare audeant.

Ex conc. Mediolan. III, *sub Gregorio XIII, an.* 1573. — 8. Studeat episcopus ad sacrorum canonum et Tridentini concilii præscriptum, pro publicorum delictorum gravitatis ratione, et publicam et solemnem pœnitentiam in usum revocare, quos vero ita solemniter pœnitere oportet, mense ante Quadragesimæ initium ad se per parochos deferri curet, ut primum ineunte Quadragesima illi pœnitentia affici, tum die cœnæ Domini Ecclesiæ reconciliari possit stato solemni ritu.

II. *Pœnitentiæ virtus.*

[Ex SS. Patribus.]

S. Hermas, *Pastor*, lib. II, tom. I. — Dixit mihi : Ego præpositus sum pœnitentiæ, et omnibus pœnitentiam agentibus sensum do. An non tibi videtur, pœnitentiam agere, magnam sapientiam esse; quoniam qui pœnitentiam agit, sensum magnum adipiscitur? Sentit enim se peccasse, et fecisse nequiter in conspectu Domini; et recordatur intellectu quod deliquit; et pœnitentiam agit, et amplius non operatur nequiter; sed operatur bene, et humiliat animam suam, et torquet eam, quia peccavit. Vides ergo

Digitized by Google

quod pœnitentia sensus est magnus. Et dixi illi : Propter hoc, Domine, diligenter inquiro omnia, quoniam peccator sum; ut sciam quæ operer, et vivam; quia multa sunt peccata mea. Et dixit mihi : Vives, si hæc mandata mea custodieris; et quicunque audierit, et fecerit mandata hæc, vivet Deo.

S. Hermas, *Pastor.*, lib. III.—Veni rogare te, Domine, ut pastorem illum præpositum pœnæ jubeas de mea domo exire quia vehementer me affligit. Et respondens : Necesse est, inquit, patiaris incommoda et vexationes; sic enim præcipit de te ille nuntius bonus, quia tentare te vult. Quod, inquam, Domine, tam grave peccatum admisi, ut huic nuntio traderer? Adverte, inquit, complura quidem habes peccata; sed non tam multa, ut huic nuntio debeas tradi; sed multa delicta et scelera, domus tua commisit : ideoque factis eorum ille bonus nuntius exacerbatus, jussit te aliquantum temporis vexationem experiri : ut et illi admissorum suorum agant pœnitentiam, et abluant se ab omni cupiditate hujus sæculi. Cum itaque egerint pœnitentiam, et purificati fuerint, tunc discedet a te nuntius ille qui præpositus est pœnæ. Dico ei : Domine, si ita illi se gesserunt, ut exasperarint nuntium bonum; ego quid feci? Respondens : aliter, inquit, non possunt illi vexationem pati, nisi tu, qui caput es totius domus, labores. Quidquid enim tu passus fueris, necesse est ut et illi sentiant; quandiu vero tu bene stabilitus fueris, illi nullam vexationem possunt experiri.

Et dixi : Sed ecce jam nunc, Domine, agunt pœnitentiam totis præcordiis. Et ego scio, inquit, totis præcordiis eos agere pœnitentiam. Nunquid ergo, ait, protinus putas aboleri delicta eorum qui agunt pœnitentiam? Non proinde continuo; sed oportet eum qui agit pœnitentiam, affligere animam suam, et humilem animo se præstare in omni negotio, et vexationes multas variasque perferre; cumque perpessus fuerit omnia quæ illi instituta fuerint, tunc forsitan qui cum creavit, et qui formavit universa, commovebitur erga eum clementia sua, et aliquod remedium dabit; idque ita, si viderit ejus qui pœnitentiam agit, cor purum esse ab omni opere nequissimo. Tibi autem, et domui tuæ, vexari nunc expedit, et multam vexationem pati necesse est, sicut præcepit nuntius Domini, qui te mihi tradidit. Quin potius gratias agas Domino, quod præscius futuri, dignum te habuit cui prædiceret tribulationem instare volentibus eam sustinere.

S. Clemens, epist. 1 *ad Cor.*, t. I. — Fixis oculis respiciamus in sanguinem Christi, cernamusque quam pretiosus Deo sit ejus sanguis, qui propter nostram salutem effusus toti mundo pœnitentiæ gratiam obtulit. Intueamur diligenter omnes mundi ætates, discamusque quod in singulis ætatibus pœnitentiæ locum Dominus dedit volentibus ad ipsum converti. Noe pœnitentiam prædicavit; illi autem, de peccatis suis acta pœnitentia, Deum precibus placarunt, et salutem consecuti sunt, licet alieni a Deo essent.

Ministri divinæ gratiæ, per Spiritum sanctum de pœnitentia sunt locuti : ipseque omnium Dominus de pœnitentia locutus est, cum juramento. *Ego enim vivo, dicit Dominus; nolo mortem peccatoris, sed pœnitentiam* (*Ezech.* XXXIII, 11); addens et pulchram sententiam : *Resipiscite, domus Israel, ab iniquitate vestra.* (*Isa.* I.) *Dic filiis populi mei : Si peccata vestra a terra usque ad cœlum pertingant, et si sint rubriora cocco, et nigriora sacco; conversi autem fueritis ad me ex toto corde, et dixeritis : Pater, exaudiam vos, tanquam populum sanctum.* (*Jerem.* III, XXIX.) Et in alio loco sic dicit : *Lavamini et mundi estote, auferte mala ex animabus vestris, ab oculis meis : quiescite a malitiis vestris, discite facere bonum, quærite judicium, liberate oppressum, jus dicite pupillo, et justificate viduam; et venite, et disputemus. Dicit : Et si fuerint peccata vestra quasi phœniceum, sicut nivem dealbabo : et si fuerint ut coccinum, sicut lanam dealbabo. Et si volueritis ac audieritis me; bona terræ comedetis : si autem nolueritis, neque exaudieritis me, gladius devorabit vos : os Domini locutum est hæc.* (*Isa.* I, 16-20.) Omnes itaque dilectos suos volens pœnitentiæ fieri participes, omnipotente sua voluntate firmavit. Quare obediamus magnificæ et gloriosæ illius voluntati; et supplices illius misericordiæ ac benignitati procidamus, et convertamur ad miserationes ejus, relictis vanis operibus, contentione, et quæ ad mortem ducit æmulatione.

S. Iren., *Adv. hær.*, lib. I, cap. 2. — Justis et præcepta ejus servantibus, et in dilectione ejus perseverantibus, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia, vitam donans, incorruptelam loco muneris confert, et claritatem æternam circumdat.

S. Clemens Alex., *Stromat.*, lib. II. — Continuæ, et se vicissim excipientes propter peccata, pœnitentiæ nihil differunt ab iis qui omnino non crediderunt, præterquam in eo solo quod se peccare senserunt. Apparet enim, sed non est pœnitentia, sæpe petere veniam de iis quæ sæpe peccamus.

Tertull., *De pœnitentia.* — Bonum est pœnitere an non? Quid revolvis? Deus præcipit. At enim ille non præcipit tantum, sed etiam hortatur. Invitat præmio, salute; jurans, etiam *vivo* dicens, cupit credi sibi. O beatos nos, quorum causa Deus jurat. O miserrimos, si nec juranti Domino credimus!

Idem, *ibid.* — Evasimus semel, hactenus periculosis nosmetipsos non inferamus, etsi iterum evasuri videmur. Plerique naufragio liberati, exinde repudium navi et mari dicunt, et Dei beneficium, salutem suam scilicet, memoria periculi honorant. Laudo timorem, diligo verecundiam; nolunt iterum divinæ misericordiæ oneri esse. — Bona certe sollicitudine iterum experiri vitant, quod semel didicerunt timere. Ita modus temeritatis, testatio est timoris. Timor autem hominis, Dei honor est. Pervicacissi-

Digitized by Google

mus hostis ille, nunquam malitiæ suæ otium facit. At quin tunc maxime sævit, cum hominem plene sentit liberatum : tunc plurimum accenditur, dum exstinguitur. — Quis ille nobis intelligendus Pater? Deus scilicet : tam pater nemo, tam pius nemo ; is ergo te filium suum, et si acceptum ab eo prodigeris, et si nudus redieris, recipiet, quia rediisti : magisque de regressu tuo quam de alterius sobrietate lætabitur. Sed si pœniteat ex animo, — si porcos immundum relinquas pecus, si patrem repetas vel offensum, *deliqui*, dicens, *Pater, nec dignus ego jam vocari filius tuus.* (*Luc.* xv, 19.) Tantum relevat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ. Hujus pœnitentiæ secundæ quanto in arcto negotium est tanto operosior probatio est, ut non sola conscientia præferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus *Exomologesis* est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus placatur.

Origen., *in Luc.*, hom. 22, tom. III. — *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* (*Gal.* v, 23.) Vultis scire qui sunt fructus pœnitentiæ? Charitas fructus est spiritus, gaudium fructus est spiritus, pax, patientia, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia et reliqua hujuscemodi. Si hæc omnia habuerimus, fecimus fructus dignos pœnitentiæ.

S. Cypr., epist. 26, *ad Cyprian* — Ubi divinus sermo relinquitur, si tam facile peccantibus venia præstetur; fovendi sunt ipsorum animi, et ad maturitatis suæ tempus nutriendi, et de Scripturis sanctis quam ingens et supra omnia peccatum commiserint, instruendi. Nec hoc animentur quia multi sunt; sed hoc ipso magis reprimantur, quia non pauci sunt. Nihil ad extenuationem delicti numerus impudens valere consuevit; sed pudor, sed modestia, sed patientia, sed disciplina, sed humilitas atque subjectio; sed alienum de se exspectasse judicium; sed alienam de suo sustinuisse sententiam. Hoc est quod pœnitentiam probat; hoc est quod impresso vulneri inducit cicatricem, hoc est quod dejectæ mentis ruinas erigit et attollit; quod ardentem delictorum æstuantium vaporem restringit et finit. Non ea quæ sanorum sunt corporum, medicus ægris dabit : ne importunis cibis tempestatem valetudinis sævientis non reprimat, sed accendat : scilicet ne quod potuisset maturius jejunio extenuari, per impatientiam longius pasta cruditate producat. Est patientia morbis necessaria : luctantur cum suo dolore qui languent; et ita demum sperant sanitatem, si tolerantia superarint dolorem. Infidelis enim cicatrix, quam cito festinans medicus induxit, et ad quemlibet casum medela rescinditur, si non fideliter de ipsa tarditate remedia præstentur.

Idem, epist. 28, *Presbyt. et diacon.* — *Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, et semitam pedum vestrorum turbant.* Merito salubria nostra et vera consilia nihil promovent, dum blanditiis et palpationibus perniciosis salutaris veritas impeditur. Et patitur lapsorum saucia et ægra mens, quod corporaliter quoque ægri et infirmi sæpe patiuntur; ut dum salubres cibos et utiles potus quasi amaros et abhorrentes respuunt, et illa quæ oblectare et ad præsens suavia videntur esse, appetunt. Perniciem sibi et mortem, per inobedientiam et intemperantiam provocent; nec proficiat ad salutem, artificii medela vera, dum blandimentis decipit dulcis illecebra.

Idem, epist. 30, *cleri Rom. ad Cyprian.* — Recens est lapsorum super hoc vulnus, et adhuc in tumorem plaga consurgens; et idcirco certi sumus, quod spatio productioris temporis, impetu isto consenescente, amabunt hoc ipsum, ad fidelem se dilatos esse medicinam; si tamen deserit, qui illos arment ad periculum proprium, et in perversum instruentes pro salutaribus, dilationum remediis, exitiosa deposcant illis properatæ communionis venena.

Absit ab Ecclesia Romana vigorem suum tam profana facilitate dimittere, et nervos severitatis eversa fidei majestate dissolvere; ut cum adhuc non tantum jaceant, sed et cadant eversorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum utique non profutura præstentur, et nova per misericordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad majorem eversionem eripiatur et pœnitentia. Ubi enim poterit indulgentiæ medicina procedere, si etiam ipse medicus, intercepta pœnitentia, indulget periculis? Si tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem? Hoc non est curare sed, si dicere verum volumus, occidere. Non sit minor medicina quam vulnus est : non sint minora remedia quam vulnera : ut quo modo qui ruerunt, ob hoc ruerunt, quod cæca temeritate nimis incauti fuerunt; ita qui hoc disponere nituntur, omni consiliorum moderamine utantur. Oremus pro lapsis ut erigantur; oremus pro stantibus ut non ad minas usque tententur : oremus ut qui cecidisse referuntur, delicti sui magnitudinem agnoscentes, intelligant non momentaneam neque præproperam desiderare medicinam : oremus ut effectus indulgentiæ lapsorum subsequatur et pœnitentiam, ut intellecto suo crimine velint nobis interim præstare patientiam, nec adhuc fluctuantem turbent Ecclesiæ statum; ne interiorem nobis persecutionem ipsi incendisse videantur, et accedat ad criminum cumulum, quod etiam inquieti fuerunt.

Idem, epist. 55, *ad Cornel.* — Decrevimus ut pœnitentiam fratres agerent, et ut pœnitentiam non agentibus nemo temere pacem daret : et illi contra Deum sacrilegi, contra sacerdotes Dei impio furore temerarii. — Dant operam ne satisfactionibus et lamentationibus justis delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur : pax vera falsæ pacis mendacio tollitur. Amplector

Digitized by Google

prompta et plena dilectione cum pœnitentia revertentes, peccatum suum satisfactione humili et simplici confitentes. Si quis autem sunt qui putant se ad Ecclesiam non precibus, sed minis regredi posse, — pro certo habeant, contra tales clausam stare Ecclesiam Domini, nec castra Christi invicta et fortia, et Domino tuente munita minis cedere. Sacerdos Dei Evangelium tenens et Christi præcepta custodiens, occidi potest, non potest vinci.

S. Cyprian., *De lapsis. — Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt.* — Sic oportet Dei sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere ; sed remediis salutaribus providere. Imperitus est medicus qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, et in altis recessibus viscerum virus inclusum dum servat exaggerat. Aperiendum vulnus est et secandum, et putraminibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur et clamet licet et conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum cum senserit sanitatem. Emersit, fratres dilectissimi, novum genus cladis ; et quasi parum persecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens, et blanda pernicies. Contra Evangelii rigorem, contra Domini legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio : irrita et falsa pax ; periculosa dantibus, et nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam. Pœnitentia de pectoribus excussa est, gravissimi extremique delicti memoria sublata est. Operiuntur morientium vulnera ; et plaga lethalis altis et profundis visceribus infixa, dissimulato dolore contegitur.

Confiteantur singuli delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes, apud Dominum grata est. *Revertimini ad me ex toto corde vestro, simulque et jejunio et fletu et planctu.* (*Joel* II, 12.) — Lamentari eum putamus ex toto corde, jejuniis, fletibus, planctibus Dominum deprecari, qui ex primo criminis die epulis affluentibus pastus, nec cibos et potus suos cum pauperum necessitate communicat ? Qui hilaris ac lætus incedit, quomodo mortem suam deflet ? Et placere nunc cuiquam studet, qui Deo displicet ? An illa ingemiscit et plangit, cui vacat cultum pretiosæ vestis induere, nec indumentum Christi quod perdidit cogitare ? Accipere pretiosa ornamenta, nec divini ornatus damna deflere ?

S. Gregor. Nyss., *In eos qui alios acerbe judicant*, t. II. — Quid aliud est pœnitentia, nisi dissolutio et eversio præteritorum quæ vel re, vel cogitatione sunt admissa ? Qui vero cognita pœnitentiæ utilitate adhuc in flagitiorum et impietatis cœno volutatur, similis est illi servo, qui dominum sibi iratum sciens, in ejus conspectu scelerate se gerit, peccatumque duplicat. Explora celeriter, et diligenter animadverte morbum quo affectus es; suscipe ex eo dolorem, quantum maximum potes : afflige te, fratresque benevolos atque unanimes adhibe, qui simul doleant, adjumentoque sint, ut libereris. Ostende mihi amaras atque uberes lacrymas tuas, ut meas ego quoque commisceam. Afflictionis participem et socium sume sacerdotem ut patrem. Quis enim tam falso nominatur pater, aut tam duro, atque adamantino animo præditus est, qui non filiis mœrentibus doleat, et gaudentibus lætetur ?

Sacerdos ita tristatur ob peccatum illius, quem propter religionem habet loco filii, ut Jacob visa tunica Joseph sanguine conspersa quærebatur, ut David luxit Absalonis interitum, ut Eli Ophnim et Phineem qui in acie ceciderant, ut Moyses impium populum qui rerum novarum studiosus vitulum sibi conflaverat. Quamobrem major tibi in eo fiducia sit qui te in Deo genuit, quam in illis a quibus corpore procreatus es. Audacter ostende illi quæ sunt recondita. Animi arcana, tanquam occulta vulnera medico retege. Ipse et honoris, et valetudinis tuæ rationem habebit. Filiorum dedecore magis moventur parentes, quam ipsi filii. Nam ut filiorum gloria ad parentes pertinet, sic etiam dedecus et turpitudo.

Incertus est, fratres, terminus vitæ; discessum e vita diligentia prævertamus. Absurdum enim est, cum illi, qui corporis valetudinis rationem habent, se ipsos expurgant ante caniculæ exortum, ne, quod humidum in illis est, vehementi ipsius ardore corrumpatur, et morbos pariat, eos qui animi curam gerunt, incertum mortis diem non antevertere, et ardorem excruciantis illius ignis qui in æternum comburit, et nullum unquam refrigerium admittit. Drachmam Evangelicam quam acceperas, et qua dives effectus fueras (*Luc.* XV), ignavia tua perdidisti ? Pœnitentiæ lucernam accende : inclina te diligenter. Illam in terrenis affectionibus defossam conquire, inventam tolle atque conserva, ut nos vicini gratulemur, et eo gaudio afficiamur, quod est in Christo, cui gloria.

S. Ephrem, *De pœnitentia*, t. II. — Neque alio modo templum corrumpas Dei, obsecro : et non contristes inhabitantem in nobis Dei Spiritum ; nec sanctos angelos nostræ deputatos custodiæ die noctuque, qui et dæmones a nobis repellunt invisibiles, dentibus adversus nos stridentes : ne forte ipsi accusatores nostri in die evadant judicii, subjiciamurque eversioni Sodomorum. Nam etiamsi nos muri circumdederint, et licet nos tecum contexerit, et fores occlusæ sint, ac tenebriæ existant; attamen cogitemus, nihil eorum, quæ ad nos pertinent, latere eum qui tenebras a luce separavit. Fidemque tibi Propheta faciat dicens : *Intelligite, insipientes in populo, et stulti, aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audit ? Qui finxit oculum, non considerat ? Qui corripit gentes, non arguet ? Qui docet hominem scientiam ? Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* (*Psal.* XCIII, 8.) Frater

Digitized by Google

charissime, non solum hominum actiones intuetur Dominus, verum etiam cogitationes.

Quod si tibi suggerat inimicus, dicens : restat pœnitentia, ideo jam voluntate tua perfruere; dic ad eum; quæ utilitas est, diabole, domum bene exstructam diruere, ac de integro rursus ædificare? Cum dicat Apostolus : *Cum metu ac tremore vestram salutem operamini.* (*Philip.* II, 12.) Ubi vero metus est ac tremor, perspicuum est nullam adesse voluptatem. Da ergo operam saluti tuæ, dilectissime frater : ac mentem ad tranquillitatem traducens, recollige cogitationes tuas, et dic intra teipsum : tanto jam tempore tuas, o homo, voluptates, et carnis cupiditates exples, et cogitationibus satisfacis tuis? Quod lucrum his perficiendis retulisti? Nunquid ad staturam tuam adjecisti cubitum unum? At crassus et pinguis factus es. Aliud igitur tibi ipse nihil, præter escam vermium, collegisti. Quid ergo inde tibi utilitatis accessit? Cœlestemne thesaurum bonis complesti, dum ita sine metu vitam degis? Quid igitur tibi profuerit reliquisse mundum?

Heu mihi, o anima, quod ad talem vitæ conditionem aut potius eversionem deveneris. Ecce fratres mei virtutibus exornati sunt, Deumque in veritate timent : ego autem in tenebris ambulo. Mane resipisco propter ea quæ ago, ac die consequenti deteriora perficio : et cum Dominus vires mihi et sanitatem donaverit, his ego contisus creatorem meum exacerbo. Quare negligens es, o anima mea? Cur pro nihilo ducis? Non enim te hinc pellet atque abjiciet Creator, qui te ex non esse ad esse produxit. Ipse mittet angelum suum, et tu hinc discedes. Agnosce infirmitatem tuam, o anima mea. Quandiu factori tuo, ac mandatis ipsius reluctaberis? Opprobrium me fecisti, o diabole, et Angelis et hominibus, obediensque factus sum consilio tuo impio. Suggeris enim mihi, dicens : semel exple concupiscentiam tuam, et non amplius indulgebis ei, neque cognoscetur peccatum tuum. Ecce parvum illud, magnus mihi factus est hiatus : nec possum improbis variisque concupiscentiis tuis resistere. Nam exiguum foramen aqua invenit, hiatumque magnum ac omnibus manifestum effecit. Vere enim peccatorum consuetudo in deterius agit eum qui lapsus est. Mentem quippe meam immundis obscurasti cogitationibus, et in peccati foveam impulisti me. Cui dicam, ut super me plangat misero peccatore? Nudum enim me inimicus reddidit, ob meam pigritiam : verum spe in Deum respiciens, non despero salutem meam in finem, quoniam clementissimus est et optimus Dominus.

Quid porro et ad fraudulentum deceptorem? Quippe qui continentiam meam ob stomachi infirmitatem evertit, et me a vigilia in orationibus alienum fecit, avaritiam in me prætextu longioris senectutis plantavit, lacrymas meas exsiccavit, cor meum crassum ac stupidum reddidit, ab obedientia in Christo me segregavit, et in distractionibus me defixum tenuit, inobedientem me reddidit, ne quid agerem, et ut curiose ac frustra laborarem effecit. Invidiam et detractionem me docuit. Trabem quæ in oculo meo est, non permittit mihi ut considerem : festucam autem, quæ in oculo fratris mei est, oculis meis objicit. Quæ in corde meo sunt, occultare suadet; sin autem in aliquod impegerit frater meus delictum, de eo ut garriam, mihi auctor est. Superbum et iracundum atque excandescentem me reddidit. Ventri et ebrietati, ac voluptatibus me deditum esse fecit. Damna animæ meæ tanquam lucra comparavit mihi. Pigrum et murmuratorem, atque multiloquum me esse docuit. In lectione et psalmodia distractum me aliis docuit. Oro, et non attendo. Captivus abducor, et non considero. Admonitus frequenter a viris Deum timentibus, bonæ ipsorum adhortationi non parebam : nam sicut jacula, illorum verba excipiebam, et commonitus irascebar. Satis sit, tibi diabole. Agedum, in teipsam, o anima mea, revertere. Qua potissimum re freta, tuum creatorem exacerbas? Quandiu in iisdem versaris malis? Noli aspernari gratiam ejus qui te protegit atque visitat, ne forte abs te recedat, et in manus tuorum tradaris inimicorum. Fuge diabolum, o anima mea, et opera ejus : nam odium erga homines gerit, et homicida est ab initio. Si ad eum accesseris, non parcet perditioni tuæ. Relinque malignum, et Deo benignissimo adhære. Erubesce igitur, o anima, et in viam salutis revertere. Vulnerata es? Ne teipsam desperes; nam sæpe licet athleta ceciderit, tandem adhuc coronam refert. Cecidisti? Resurge. Viriliter age, et dic : nunc incœpi. Et ne perseveres in lapsu tuo : ne forte ut cadaver in avium et bestiarum cibum apponaris : cum Propheta clamet : *Ne tradas bestiis animam confitentem tibi; animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.* (*Psal.* LXXIII, 19.)

Procide et tu regi gloriæ, confitens peccata tua; nam multitudinem miserationum continet. Qui terrenum adire regem volunt, a janitoribus prohibentur, a militibus et ministris rejiciuntur : dona principibus afferunt, ut voti compotes fiant. Tu autem ad regem accedens universorum, nihil horum suspiceris. Non dona requirit; nullus enim est qui accipiat, neque qui impediat; quoniam statim rex invenitur, et admittit te. Malitiæ est immemor, et benignus, et de hominum malis dolet. Accede igitur ad ipsum, non in simulatione, neque corde duplici, verum in conscientia pura. Nam priusquam tu exiguum aut magnum quid loquaris, prævidet de quibus locuturus sis, et antequam tuum aperturus sis os, quæ in tuo corde prægnoscit. Ne ergo vacilles, neque morbum tuum occultes; non enim durus est medicus, sed compatiens, solo verbo curat. Solum dixit, et facta sunt. Hocque ex ipsis crede rebus. Dixit paralytico : *Tibi dico : Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam.* (*Marc.* II, 9.) Et e vestigio sanus factus est homo, et bajulans suum quo porta-

Digitized by Google

batur lectum, ambulabat sanus. Dixit et leproso : *Volo, mundare* (*Matth.* VIII, 3), et illico mundata est ejus lepra. Quin et Lazarum quoque quatriduanum a mortuis excitavit Dominus. Et ne sigillatim recensentes, videamur in longum protrahere sermonem (nam ejus illius innumerabilia sunt) : illius etiam quæ pedes ejus lacrymis irrigavit, et capillis suis abstersit, peccata verbo dimisit dicens : *Confide, filia, fides tua te salvam fecit.* (*Matth.* IX, 22.) Nam fons est indeficiens, medicamenta hominibus producens. Ne ergo hæsites : non enim te salvari volentem rejiciet, qui ait : *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se.* (*Matth.* VII, 11.) Accede igitur ad Patrem misericordiarum, et confitere peccata tua, cum lacrymis dicens : Peccavi in cœlum, et coram te, Domine Deus omnipotens, et non sum amplius dignus vocari filius tuus, neque sursum aspectum tollere, et cernere altitudinem cœlorum, præ multitudine iniquitatum mearum, neque nomen tuum gloriosum nuncupare labiis mei peccatoris. Nam cœlo et terra indignum me reddidi, te optimum Dominum exacerbans. Precor, obtestorque te, Domine, ne me a facie tua abjicias, neque recedas a me, ne peream. Nisi enim me manus tua protexisset, jam ego periissem, et essem instar pulveris ante faciem venti, et quasi nunquam in hac vita apparuissem. Nam ex quo viam tuam dereliqui, nullus mihi bonus occurrit dies; qui enim in peccatis bonus visus est dies; acerbissimorum exstitit acerbissimus. Verum deinceps spero ut, gratia tua me confortante, saluti meæ consulas. Nunc que ad te supplex recurro, obsecrans ut me a justitiæ aberrantem via suscipias, Effunde in me miserationum tuarum multitudinem, sicut in filium olim effudisti prodigum (*Luc.* XV) : quia vitam meam dedecoravi, dissipatis divitiis gratiæ tuæ. Miserere mei, et ne vitæ memineris meæ, quæ ad extremam redacta est vilitatem. Miserere mei, sicut olim peccatricis et publicani es misertus. (*Luc.* VII, XVIII.) Miserere mei, sicut latronis es misertus : nam is in terra cum esset, ab omnibus reprobatus est : at tu eum suscepisti, et deliciarum paradisi incolam fecisti. (*Luc.* XXIII.) Quare et meam inutilis tui servi pœnitentiam suscipe : nam et ego a cunctis spretus sum, atque rejectus. Advenisti enim, Domine, non ut justos salvares, sed ut peccatores ad pœnitentiam vocares.

Deprecare, et confitere : verum actio orationi cooperetur atque confessioni, ut oratio tua sicut incensum dirigatur in conspectu Dei, audiasque, o homo : *Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* (*Matth.* XV, 28.) Deus autem qui aberrantium dux est, et collapsorum erector, donet nobis ut vitam peragamus irreprehensibilem, statuatque nos a dextris suis in illa die, justus judex. Quoniam ipsi convenit gloria, honor, et adoratio, Patri, et Filio, et Spiritui sancto, in omnes sæculorum generationes. Amen.

S. Ambros., *Expos. in psal.* CXVIII, t. I. — Si non agam pœnitentiam, quomodo dicam : *Aufer a me opprobrium meum* (*Psal.* CXVIII, 22), cum hoc ipsum peccati opprobrium sit, quia non ago pœnitentiam? Si autem pœnitentiam, ut oportet, ago, recte dico : *Aufer a me opprobrium meum quod suspicatus sum; judicia enim tua dulcia.* Quid timeo confiteri, quid timeo dicere peccata mea? Quid vereor opprobrii mei mentionem facere apud eum cujus judicia dulcia sunt? Quod severum in aliis, in Christo dulce est, in Christo suave est, quia ipse suavis est. Denique : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.* (*Psal.* XXXIII, 9.) Dulcia judicia confitenti, quia ipse dixit : *Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, — et memor non ero : tu autem memor esto, et judicemur : dic iniquitates tuas, ut justificeris.* (*Psal.* XXXIII, 9; *Isai* XLIII, 23, 26.) Dulcia judicia agenti pœnitentiam, quia ipse dixit : *Gaudium erit in cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente, quam in nonaginta et novem justis qui non indigent pœnitentia.* (*Luc.* XIII, 7.) Si dulcia sunt igitur judicia Domini, suavitatis fructus percipere elaboramus.

Vis scire quam dulcia judicia Domini? *Non resurgunt impii in judicio.* (*Psal.* I, 5.) Qui autem in judicio resurgunt, habent spem veniæ : quoniam crediderunt. Impii non sunt, peccatores esse possunt : fidem habent, et si culpam non declinarunt, per fidem credunt; qui autem credit in ipso, non judicatur. (*Joan.* III, 18.) Dulcia ergo judicia credentibus. Qui autem non credunt, non Christi judicio damnati sunt, qui venit non ut judicet mundum, sed ut salvet et redimat : sed impietatis suæ subiere judicium, qui in remissionem peccatorum credere noluerunt. Non enim possunt ad ejus pertinere beneficium, quem cognoscere refutarunt. Ergo qui non crediderunt in eo judicio ejus videntur indigni. Judicium enim ejus quid sit, agnosce, dicente ipso : *Hoc autem judicium est, quia lux venit in hunc mundum.* (*Ibid.*, 19.) Dulce ergo quod lux est : dulce judicium, quod præcedit misericordia. Sic enim scriptum est : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine.* (*Psal.* C, 1.) Et quia cognovit dulcia judicia, dicit : *Ecce concupivi mandata tua; in tua justitia vivifica me.* (*Psal.* CXVIII, 40.)

Idem, *De bono mortis*, cap. 7. — Plerique criminum suorum absolutione lætantur. Si emendaturi sunt, recte : si perseveraturi in eis, stulte; quia longe illis plus damnatio profuisset, ne incrementa facerent peccatorum. Gravius est ad peccatum vivere, quam in peccato mori : quia impius, quandiu vivit, peccatum auget; moriatur, peccare desinit.

Idem, *Tract. de mans. fil. Israel.* — Ramasses, prima mansio filiorum Israel, interpretatur commotio turbulenta quæ significat pœnitentiam. Per ipsam enim fit in pectore turbulenta commotio, ut aboleatur

Digitized by Google

vetustas peccati, et inducatur novitas gratiæ, ut homo vetus affigatur cruci, et novus homo resurgat; ut homo vetus affigatur ormi, et novis homo resurgat; ut vetere tandem deposita conversatione carnis, novitas inducatur spiritus; pœnitentia ergo magnam commotionem turbationemque gignit. Ideo Propheta : *Postquam cognovi, ingemui.* Qui ergo ad repromissam æternæ hæreditatis patriam proficisci desiderat, debet primo adire *Ramassem*, hoc est commotionem quæ fit per pœnitentiam, ibique figere mansionem.

S. August. *De fide, spe et charit.*, cap. 65. — Quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba, vel quæcunque alia signa procedit; cum sit coram illo, cui dicitur : *Gemitus meus a te non est absconditus* (*Psal.* xxxvii, 10), recte constituuntur ab iis qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ in qua remittuntur peccata; extra eam quippe non remittuntur.

Idem, *in psal.* iv. — Sacrificium justitiæ fit per pœnitentiam, cum peccator seipsum puniens mactat Deo.

Idem, *in psal.* l. — Multi sunt quos peccare non pudet, agere pœnitentiam pudet. O incredibilis insania ! De vulnere ipso non erubescis, de ligatura erubescis? Ignoscis confitenti, sed seipsum punienti; et ita servatur misericordia, quia homo liberatur; et veritas, quia peccatum punitur.

S. Chrysost., hom. 6, *De beato Philog*, t. I. — Jam nunc obtestor obsecroque, ut omnibus modis repurgati, demum sacra adeatis mysteria. Neque mihi quisquam dixerit : Vereor, habeo conscientiam peccatis oppletam, sarcinam circumfero gravissimam. Sufficit enim horum quinque dierum tempus, si sobrius fueris, si oraveris, si vigilaveris, ut multitudinem peccatorum reddas contractiorem. Nec illud perpende quod breve tempus est, sed illud considera quod benignus est Dominus. Quando quidem et Ninivitæ tridui spatio tantam iram Dei a se depulerunt, nec obstitit illis temporis angustia, sed animi promptitudo, amplectens Domini benignitatem, totum peragere valuit. Et meretrix illa brevi temporis momento, cum ad Christum accessisset, omnia probra diluit. Quin et calumnientibus Judæis, quod illam admisisset, tantamque præbuisset fiduciam, Christus illis quidem silentium imposuit, hanc vero malis omnibus liberatam, comprobatoque illius studio, ita domum remisit. Quid ita tandem? Quoniam ferventi animo, et flagranti corde ardentique accessit fide, sanctosque illos ac sacros attigit pedes, solutis capillis, fontibus lacrymarum ex oculis emissis, unguento profuso.

Idem, *ibid.* — Etenim per quæ deceperat homines, per eamdem paravit remedia pœnitentiæ : per quæ avocarat oculos intemperantium, per hæc emisit lacrymas : per capillos arte compositos, multos illexerat ad peccatum, per eosdem pedes abstersit Christi. Unguento multos inescarat, per hoc illius pedes unxit. Proinde et tu nunc quibus rebus provocasti Deum, per has rursum facito propitium. Provocasti illum pecuniarum rapina, per easdem illum reconcilia, cumque et rapta restitueris illis quos injuria affeceras, et alia insuper addideris, dicito juxta Zacchæum : *Reddo omnium quæ rapui quadruplum.* (*Luc.* xix, 8.) Provocasti lingua et maledicentia, multis contumelia affectis, vicissim lingua placato, puras emittens preces, benedicens maledicentibus, laudans vituperantes, gratias agens injuriam inferentibus. Hæc non egent multis diebus, sed solo animi proposito, et unico die perficiuntur. Discede a malo, virtutem amplectere, desiste a pravitate : pollicere te posthac ista non commissurum, et istud sufficiet ad excusationem. Ego testificor ac fidejubeo fore ut si nostrum quisque qui peccatis obnoxii sumus, recedens a pristinis malis, ex animo vereque promittat Deo, se postea nunquam ad illa rediturum, nihil aliud Deus requiret ad excusationem majorem. Benignus enim est, et quemadmodum parturiens cupit eniti fetum, ita et ille cupit effundere suam misericordiam; sed illi obstant peccata nostra. Diruamus igitur maceriam, atque ex hoc jam tempore festum auspicemur, hosce dies quinque negotiis omnibus valere jussis, valeat forum, valeat curia, facessant mundanæ curæ, cum pactis et contractibus, animam meam servare cupio. *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur.* (*Matth.* xvi, 26.)

Idem, adhort. 1 *ad Theodor. lapsum*, t. I. — Hoc opus, hic labor est posse introitum petere, ac vestibula pœnitentiæ contingere, inimicumque multum spirantem et instantem depellere atque prosternere. Deinde vero non tantum ille furorem exhibebit, semel superatus, et qua parte fortior erat dejectus : nos autem alacritate resumpta majore, pulchrum hoc stadium facillime decurremus. Aggrediamur itaque reditum, recurramus in civitatem cœlestem in quam ascripti, ubi degere jussi sumus. Nam de nobis ipsis desperare, non id solum affert mali, quod ejus urbis portas nobis intercludat, nec quod in majorem segnitiem et contemptum deducat, sed quod in furorem nos satanicum dejiciat. Etenim diabolus non alia de causa talis evasit, quam quia primum desperavit, demumque ex desperatione in insaniam decidit. Ubi primum enim anima spem salutis amisit, ne quidem sentit amplius quo pacto præceps agatur, et omnia contra salutem propriam agit et dicit.

Theodoret., *Hæret. fabul.* lib. v, c. 28, *De pœnitentia*, t. IV. — Divina Scriptura non solum iniquitates prohibet, sed eis etiam medetur qui vulnus acceperunt. Navali enim atrocitatem abhorret, pastoresque reprehendit, qui hanc ovium curam non gesserint, et dicit ipse Deus : *O pastores, quod infirmum fuit non confirmastis, et quod ægrum non curastis, et quod male habebat non refecistis, et quod aberrabat non reduxistis, et quod perierat non re-*

Digitized by Google

quisistis. (*Ezech.* xxxv, 4.) Qui autem eos accusat, qui hanc curam non gesserunt, clarum est eum velle infirmas oves curari. Propterea dicit eidem prophetæ : *Speculatorem dedi te domui Israel, et audies ex ore meo verbum, et præmunies illum ex me. Cum dixero peccatori, morte morieris, et non annuntiaveris peccatori ut caveat, impio ut se avertat a via sua mala, ut ipse vivat ; ipse quidem impius morietur in iniquitate sua, sanguinem autem ejus ex manu tua erquiram.* (*Ezech.* III, 17 seq.) Et paulo post : *Vivo ego, dicit Adonai Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut se convertat a via sua mala, et vivat.* (*Ezech.* xxxIII, 11.) Deinde suasorie : *Conversione convertimini a via vestra mala, et cur moriemini, domus Israel?* Deinde jubet prophetæ, ut hæc quoque ad illos verba perferat : *Et tu, fili hominis, dic filiis populi tui : Justitia justi non eximet ipsum in die quo erraverit ; et injustitia injusti non interficiet ipsum in die quo conversus fuerit a sua iniquitate. et fecerit judicium et justitiam, et pignus debitori reddiderit, et quod raptum fuerat restituerit. Si justus in præceptis vitæ ambulaverit, ut non faciat id quod injustum est, vita vivet et non morietur, et omnia peccata ejus quæ peccavit oblivioni mandabuntur ; quia judicium et justitiam fecit, in eis vivet.* (*Ibid.*, 12 seq.)

Et Nabuchodonosori beatus Daniel pœnitentiæ medicamenta suggessit : *Et nunc*, inquit, *o rex, consilium meum tibi placeat, et in eleemosyna elue iniquitates tuas, et injustitias tuas in miserationibus pauperum.* (*Dan.* IV, 24.) Jeremiæ autem prophetia hac doctrina plena est. Nunc enim dicit : *Convertimini, filii qui defecistis, et convertar ad vos, dicit Dominus Deus. Nunc autem ablue a vitio cor tuum, Israel, ut salveris, ne forte inveniantur, in te disputationes laborum tuorum.* (*Jer.* VIII, 14, 25.) Et rursus : *Num qui cadit non resurgit, vel qui avertitur non convertitur?* (*Ibid.*, 4.) Et alias hujusmodi plurimas admonitiones apud illum reperire est. Sapientissimus vero Isaias clamat : *Quando aversus ingemueris, tunc salvaberis, et cognosces ubi eras quando confidebas in vanis.* Quin et in exordio, cum plurimas populi iniquitates commemorasset, et morbum curatu difficilem ostendisset : *Non est*, inquit, *imponere malagma, nec oleum, nec ligamenta* (*Isa.* I), post pauca, pœnitentiæ illis remedium adhibuit dicens : *Lavamini, mundi estote, auferte iniquitates vestras ab animabus vestris coram oculis meis : cessate a malis vestris, discite bonum facere. Quærite judicium, liberate eum qui injuria afficitur a manu ejus qui injuria afficit.* (*Ibid.*) Deinde pollicetur se eos lanæ albæ et nivi similes redditurum, etiamsi coccineum et purpureum colorem habuerint. Hoc vero præstare solus Deus potest. Infectores enim in alios quidem colores album mutant, in album vero mutare alios colores non possunt. Creatori autem facilia sunt omnia. Sed orationem extra modum extendemus, si omnes prophetarum adhortationes collegerimus. Plena enim his sunt et prophetica cantica, et aliorum prophetarum oracula

Sed qui navati fastum hauserunt, post baptisma dicunt non oportere medicinam peccantibus præbere. Considerare autem illos conveniebat, quod etiam veteres sacrorum mysteriorum typum habuere, aspersiones et divina sacrificia. Ut autem ex abundanti amentiam illam convincamus, Aaron in medium producamus. Hic enim unctus est primus Pontifex creatus cum esset, divinique Spiritus gratiam percepisset, impiis quidem iniqui populi postulationibus cessit, et vituli effigiem erexit, atque hostias cum aliis Levitis obtulit. Attamen veniam consecutus est, et in pontificatu ad mortem usque permansit. Et magnus David, propheta cum esset, divinique Spiritus gratiam inhabitantem haberet, duo gravia peccata commisit, sed vulnera per pœnitentiam curavit, nec Spiritus gratia privatus est, sed etiam post peccatum multa futura vaticinatus est. De eo autem, qui Corinthi fornicatus est, quid dicent? Quid non solum divinis sacramentis dignus est habitus, sed docendi quoque gratiam assecutus est? Quare cum tanquam de viro docto et sapiente se jactarent, qui sub eo erant, divinus Apostolus illos reprehendit dicens : *Et vos inflati estis, et non potius luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc fecit.* (*I Cor.* v, 2.) Sed tamen, cum eum qui doctor erat, et maximum flagitium patrare ausus fuerat, Satanæ tradidisset, rursus illum ex ejus manibus eripuit, et corpori Ecclesiæ reddidit. Ita autem scribit in secunda Epistola : *Cui autem aliquid donastis, et ego. Nam et ego quod donavi, si quid donavi propter vos.* (*II Cor.* II, 10.) Et ne quis existimaret illum in gratiam hominum id fecisse, subjunxit : *In persona Christi.* (*Ibid.*) Hoc est tanquam videnle universorum Domino, ut qui scirem illi placere quod fiebat. Unde et causam addit, *ut non circumveniamur a Satana : non enim ignoramus cogitationes ejus.* (*Ibid.*, 11.) *Ut ex contrario magis donetis, et consolemini ; ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui ejusmodi est.* (*Ibid.*, 7.)

Hujusmodi habebant commiserationem Ecclesiæ magistri. Erant enim medici spiritales, sanorum quidem valetudinem conservantes, male autem affectorum morbos profligantes. Hoc procurans hæc quoque litteris ad eos scriptis, indidit : *Ne cum rursus venero, humiliet me Deus meus apud vos, et lugeam multos eorum qui prius peccaverunt, et pœnitentiam non egerunt de immunditia, et fornicatione, et intemperantia quam egerunt.* (*II Cor.* XII, 21.) Sic etiam Galatas qui a fide desciverant et post vocationem gratiæ, et divinorum mysteriorum perceptionem, circumcisionem susceperant, et legalium observationem amplexi fuerant, reducit ad salutem, et pœnitentiæ illis apponit remedia, et piæ matris vocem emittit: *Filioli mei, quos ego iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* (*Galat.* IV, 19.) Hanc autem nobis doctrinam Dominus quoque Christus per parabolas suas tradidit.

Digitized by Google

Nam et ovis quæ perierat, et drachma amissa, curam nos eorum agere docent qui peccarunt. Prodigus vero filius transgressionem post baptismum factam aperte significabat. Accepta enim paternarum facultatum parte, quæ ipsi competebat, eaque intemperanter consumpta, reversus est. Et tamen prima stola ornatus est, et per annulum divinam imaginem recepit, et saginatum vitulum comedit, et festum maximum patri attulit. Sed et omnis Domini doctrina et actio peccatorum curationem docent, et vocati publicani, et meretrix accedens, et latro credens, et benignitatis sermones : *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. Non enim opus habent sani medico, sed qui male habent.* (*Matth.* IX, 12, 13.) Quod si hæc ante baptismum facta dicunt, primum Ecclesiæ fundamentum concussum fuisse sciant, et a divina gratia confirmatum. Ter enim qui negaverat magnus Petrus, primus mansit, suis lacrymis curatus. Hanc etiam ut fratribus medicinam adhiberet præcepit illi Dominus. *Et tu* enim, inquit, *conversus confirma fratres tuos.* (*Luc.* XXII, 32.) Et cum discipulis orandi formam dedit, jussit ut dicerent : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* (*Matth.* VI, 12.) Hanc porro nos orationem non initiatos non docemus, sed initiatos. Nullus enim eorum qui initiati non sunt dicere audet : *Pater noster qui es in cœlis*, cum adoptionem filiorum nondum susceperit. Qui autem baptismatis donum est assecutus, Deum patrem vocat, tanquam in gratiæ filios allectus. Hi ergo jussi sunt dicere : *Dimitte nobis debita nostra.* Itaque medicabilia sunt etiam quæ post baptismum fiunt vulnera : medicabilia autem, non ut olim per solam fidem data remissione, sed per multas lacrymas, et fletus, et luctus, et jejunia, et orationem, et laborem commissi peccati magnitudini respondentem. Qui enim sic allecti non sunt, eos nec desperare docti sumus, nec illis facile sacra impertiri. *Nolite*, inquit, *dare sanctum canibus, nec projiciatis margaritas ante porcos* (*Matth.* VII, 6), has Ecclesia de pœnitentia leges habet.

S. Gregor., *Moral.*, lib. IX, cap. 24. — *Loquar in amaritudine animæ meæ.* (*Job* X, 1.) Qui culpas suas detestans loquitur, restat ut has in amaritudine animæ loquatur : ut hæc ipsa amaritudo puniat, quidquid lingua per mentis judicium accusat. Sciendum vero est quia ex pœna pœnitentiæ quam sibi mens irrogat aliquatenus securitatem percipit, atque ad interrogationem superni judicis fidentior exsurgit, ut semetipsum subtilius inveniat, et erga se quæque quomodo disponantur, agnoscat. Unde et protinus additur : *Dicam Deo : Noli me condemnare. Indica mihi cur me ita judices.*

Idem, *ibid.*, lib. IV, cap. 31.— Plerumque autem jam mens quidem quod se perverse egisse meminit, deplorat : jam prave acta non solum deserit, sed amarissimis etiam lamentis vunit ; et tamen dum eorum quæ egit reminiscitur, graviter judicii pavore terretur. Jam se perfecte convertit, sed adhuc se perfecte in securitatem non erigit : quia dum quanta sit districtio extremi examinis pensat, inter spem formidinemque sollicita trepidat : quia judex justus veniens, quid de perpetratis reputet, quid relaxat ignorat. Nam quam prava commiserit meminit ; sed an commissa digne fleverit, nescit, ac ne culpæ immanitas modum pœnitentiæ transeat, metuit.

Idem, hom. 34 *in Ezech.*— Pœnitentiam agere, est et perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut dissimulat, aut ignorat

Idem, *ibid.*, hom. 20.— Notandum est quod amicus sponsi non solum fructus pœnitentiæ, sed dignos pœnitentiæ admonet esse faciendos. Aliud namque est fructum facere, aliud dignum pœnitentiæ fructum facere. Ut enim secundum dignos pœnitentiæ fructus loquamur, sciendum est, quia quisquis illicita nulla commisit, huic jure conceditur, ut licitis utatur : sicque pietatis opera faciat, ut tamen si voluerit, ea quæ mundi sunt non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, vel fortasse, quod est gravius, in adulterium lapsus est, tanto a se licita debet abscindere, quanto se meminit et illicita perpetrasse. Neque enim par fructus boni operis esse debet, ejus qui minus, et ejus qui amplius deliquit : aut ejus qui nullis, et ejus qui in quibusdam facinoribus cecidit, et ejus qui in multis est lapsus : per hoc ergo quod dicitur, *facite dignos fructus pœnitentiæ* (*Matth.* III, 8), uniuscujusque conscientia convertitur : ut tanto majora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam.

Idem, *Moral.*, lib. XXXII, cap. 1.— Sancti viri quo apud Deum altius virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos se esse deprehendunt : quia dum proximi luci fiunt quidquid eos in seipsis latebat inveniunt, et tanto magis foris sibi deformes apparent, quanto minus pulchrum est quod intus vident. At si mens nostra igne compunctionis incalescens, a torpore suo tacta subito afflatu contemplationis evigilet, illa quæ levia paulo ante credidit, mox ut gravia ac mortifera perhorrescit. Cuncta enim vel in minimis noxia quasi atrocissima refugit : quia videlicet per conceptionem spiritus gravida, introire ad se jam inania nulla permittit.

S. Bernard., serm. 1, *in Jejunium.*— Ne ipsa corporis quidem est parvipendenda conversio, quia spiritualis hujus adminiculum noscitur esse non parvum. Inde est quod in hoc loco Dominus cum dixisset *in toto corde*, adjunxit protinus *in jejunio*, quod utique corporis est. Volo tamen vos admonitos esse fratres meos, observandum illud non ab escis tantum, sed ab omnibus illecebris carnis, et universa corporis voluptate. Imo vero jejunandum longe amplius a

Digitized by Google

vitiis, quam a cibis. Sed est panis a quo vos jejunare nolo, ne forte deficiatis in via; et si nescitis, panem dico lacrymarum. Sequitur enim : *In jejunio, et fletu, et planctu.* Exigit enim planctum a nobis pœnitentia præteritæ conversationis ; exigit fletum desiderium futuræ beatitudinis. *Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte,* ait Propheta, *dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus?* (*Psal.* XLI, 4.) Parum ei placet hujus vitæ novitas, quæ necdum vetera plangit, necdum plangit admissa peccata, necdum plangit tempus amissum. Si non plangis, plane non sentis animæ vulnera, conscientiæ læsionem. Sed nec futura satis gaudia concupiscis, si non quotidie satis postulas ea cum lacrymis. Minus tibi nota sunt, si non renuit consolari anima tua, donec veniant. Potest tamen et aliter intelligi hæc scissio cordis, ut siquidem pravum fuerit, scindatur ad confessionem : si durum, ad compassionem.

S. BERN., *in jejun.*, serm. 3.—Continuanda nobis est quadragesima cunctisdiebus hujus miseræ vitæ, dum per auxilium gratiæ, necesse est nos Decalogum legis implere. Errant plane qui paucissimos dies istos ad pœnitentiam sufficere credunt, cum certum sit totum vitæ hujus tempus non nisi ad pœnitentiam institutum. Quod si gula sola peccavit, sola quoque jejunet et sufficit. Si vero peccaverunt et membra cætera, cur non jejunent et ipsa? Jejunet ergo oculus qui deprædatus est animam ; jejunet auris, jejunet lingua, jejunet manus, jejunet etiam anima ipsa. Jejunet oculus a curiosis aspectibus et omni petulantia, ut bene humiliatus coerceatur in pœnitentia, qui male liber vagabatur in culpa. Jejunet auris nequiter pruriens a fabulis et rumoribus, et quæcunque otiosa sunt, et ad salutem minime pertinentia. Jejunet lingua a detractione et murmuratione, ab inutilibus, vanis atque scurrilibus verbis : interdum quoque ob gravitatem silentii, et ab ipsis quæ videri poterant necessaria. Jejunet manus ab otiosis signis, et ab operibus omnibus quæcunque non sunt imperata. Sed et multo magis anima ipsa jejunet a vitiis et a propria voluntate sua.

PONTIFICIS ROMANI PRIMATUS

[Ex SS. Patribus.]

S. IREN., *cont. Hæres.*, lib. III, cap. 3. — Maximæ et antiquissimæ et omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo fundatæ et institutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab apostolis traditionem et annuntiatam omnibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus eos qui, quoquomodo præter quam quod oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter *potentiorem principalitatem*, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est omnes qui undique sunt fideles; in qua ab his qui sunt undique conservata est ea quæ est ab apostolis traditio.

TERTULL., *De pudicitia*, cap. 1. — Audio edictum, et quidem *peremptorium* : Pontifex scilicet maximus, *episcopus episcoporum* dicit etc.

Idem, *Scorpiac.* — Memento claves Dominum Petro et per eum Ecclesiæ reliquisse.

ORIGENES, *in Epist. ad Rom.*, lib. V. — Petro cum *summa rerum* de pascendis ovibus traderetur, et super ipsum velut petram fundaretur Ecclesia, nullius confessio veritatis alterius ab eo, nisi charitatis exigitur.

Idem, *Epist. ad Cornelium.* — Romani cum mendaciorum suorum merce navigaverunt : quasi veritas post eos navigare non posset, quæ mendaces linguas rei certæ probatione convinceret. Navigare audent et ad Petri *cathedram*, atque ad *Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est.*

S. CYPRIAN., *De unitate Ecclesiæ.* — Loquitur Dominus ad Petrum : *Ego dico tibi quia tu es Petrus, et super petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non vincent eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum : et quæ ligaveris super terram erunt ligata et in cœlis : et quæcunque solveris super terram erunt soluta et in cœlis.* (*Matth.* XVI, 18, 19.) Et iterum, post resurrectionem suam dicit : *Pasce oves meas.* (*Joan.* XXI, 17.) Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis apostolis omnibus, post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, et dicat : *Sicut misit me Pater*, et ego mitto vos : *Accipite Spiritum sanctum : cui remiseritis peccata, remittentur ei ; si cui tenueritis, tenebuntur* (*Joan.* XX, 21, 23), tamen, ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, et unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et cæteri apostoli quod fuit Petrus, pari consortio prædicti, et honoris et potestatis? Sed exordium ab unitate profiscitur. Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur. Et pastores sunt omnes; sed grex unus ostenditur, qui ab episcopis omnibus, unanimi consensione pascatur... Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur et resistit, qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? —

Idem, *epist. ad Jubaianum.* — Quo venturus est qui sitit? Utrumque ad hæreticos, ubi fons et fluvius aquæ omnino non est? An ad Ecclesiam quæ una est, et super unum, qui et claves ejus accepit, Domini voce fundata?... Nam Petro primum Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, et

Digitized by Google

unde unitatis originem instituit, et ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur in cœlis quod ille solvisset in terris.

S. Cypr., epist. 67, *ad Stephanum.*—Quamobrem facere te oportet plenissimas litteras ad coepiscopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Marcianum pervivacem et superbum, et divinæ pietatis ac fraternæ salutis inimicum collegio nostro insultare patiantur. Dirigantur in provinciam, et ad plebem Arelate consistentem, a te litteræ, quibus absentato Marciano alius in locum ejus substituatur, et grex Christi qui in hodiernum diem ab illo dissipatus et vulneratus contemnitur, colligatur.

S. Pacianus, *Epist.*, t. III. — Paulo superius ad Petrum locutus est Dominus, ut unitatem fundaret ex uno: mox id ipsum in commune præcipiens.

S. Hieron., epist. 15, *ad Damasum.* — Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comedit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui non est Christi, Antichristus est.

Idem, *ad eumdem*, epist. 16. — In tres partes scissa Ecclesia (Antiochena), ad se me rapere festinat. Ego interim clamito: Si quis cathedræ Petri jungitur, meus est. Meletius, Paulinus, Vitalis, tibi se hærere dicunt; possem credere, si hoc unus asseret. Nunc autem, aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcirco obtestor beatitudinem tuam ut mihi litteris suis apud quem in Syria debeam communicare significet.

S. Optatus, *De schism. Donat.*, lib. II, cap. 2, 3. — Negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est; in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur; ne cæteri apostoli singulas quisque sibi defenderent: ut jam schismaticus et peccator esset qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedra unica, quæ est prima in dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus. Lino successit Clemens..... Damaso Syricius, hodie qui est noster socius, cum quo nobis totus orbis commercio, formata cum eo una communionis societate, concordat.

Idem, *ibid.*, cap. 4, 5. — Claves salutares accepisse legimus Petrum principem scilicet apostolorum, cui a Christo dictum est: *Tibi dabo claves regni cœlorum, et portæ inferi non vincent eas.* (*Matth.* XVI, 19.) Unde est ergo quod claves regni vobis usurpare contenditis, qui contra cathedram Petri, vel his præsumptionibus, et audaciis sacrilegis militatis?

S. August., epist. 140, al. 157, *ad Optatum.* — Me apud Cæsaream præsente, venerunt litteræ, quo nos injuncta nobis a venerabili Papa Zozimo Apostolicæ Sedis episcopo, ecclesiastica necessitas traxerat.

S. Prosper, *De ingratis*, vers. 40, 41, 42.— Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris, facta caput mundi, quidquid non possidet armis, religione tenet.

S. Coelest., *epist. ad sanct. Cyrillum* (*conc. Ephes.*, part. I.) — Quamobrem nostræ sedis auctoritate adscita, nostraque vice et loco cum potestate usus ejusmodi, sententiam exsequeris: nempe ut nisi decem dierum intervallo, ab hujus nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet, eamque de Christi Dei nostri generatione fidem in posterum confessorum se spondeat, quam et Romana, et tuæ sanctitatis Ecclesia, et universa denique religio Christiana prædicat, illico sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat, is vero modis omnibus se a nostro corpore segregatum esse intelligat.

S. Coelest. Pap., *serm. legat.*, *conc. Eph.*, act. 2. — Gratias agimus sanctæ venerandæque synodo quod, litteris sancti beatique Papæ nostri vobis recitatis, sanctos cantus, sanctis vocibus vestris, sancto capiti vestro, sanctis etiam acclamationibus exhibueritis. Non enim ignorat vestra beatitudo, totius fidei vel etiam apostolorum caput esse beatum apostolorum Petrum.

Ibid., act. 3. — Nulli dubium, imo sæculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, apostolorum princeps et caput, fideique columna, et catholicæ Ecclesiæ fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo Salvatore humani generis et Redemptore, claves regni acceperit; solvendique et ligandi potestas ipsi data est; qui ad hoc usque tempus et semper, in suis successoribus vivit, et judicium exercet. Hujus itaque secundum ordinem sanctus beatissimusque Papa noster Cœlestinus episcopus nos, ipsius præsentiam supplentes, ad hanc synodum misit.

Juven. episc. Hieros., *Serm.*, *ibid.*, act. 4. — Oportebat quidem Joannem reverendissimum Antiochiæ episcopum, ac sancta et magna et œcumenica synodo considerata, confestim accurrere, ut de illis quæ ei objiciuntur se purgaret; ad Apostolicam Sedem majoris Romæ nobiscum considentem, et obedientiam, ac honorem deferre apostolicæ sanctæ Dei Ecclesiæ Romanorum, apud quam maxime mos est, apostolico ordine et traditione, ut sedes Antiochena dirigatur, et apud eam judicetur.

Vincent. Lirin, *Commonit.*, c. 5.—Tum beatæ memoriæ Stephanus Apostolicæ Sedis Pontifex, cum cæteris collegis suis, sed tamen præ cæteris, restitit: dignum, ut puto, existimans si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat.

Flavianus, *epist. ad sanct. Leonem.*— Ut propriam faciens communem causam, et sanctarum ecclesiarum disciplinam, simul decernere damnationem adversus eum re-

Digitized by Google

gulariter factam; et per propria scripta dignetur, confortare autem, et piissimi et Christo deditissimi imperatoris fidem. Causa eget enim solummodo vestro solatio atque defensione, qua debeatis, consensu proprio, ad tranquillitatem et pacem cuncta producere. Sic enim hæresis quæ surrexit, et turbæ quæ propter eam factæ sunt, facillime destruentur, Deo cooperante, per vestras litteras. Removebitur autem et concilium quod fieri divulgatur: quatenus nequaquam ubique sanctissimæ turbentur Ecclesiæ.

THEODORETUS, epist. 118, *ad S. Leonem.* — Nos humiles et pusilli ad apostolicam Sedem vestram accurrimus, ut Ecclesiarum ulceribus remedium a vobis accipiamus. Vobis enim primas in omnibus tenere convenit... Indicta causa condemnatus sum. At ego apostolicæ vestræ Sedis exspecto sententiam: et oro obtestorque sanctitatem tuam ut mihi, rectum ac justum tribunal vestrum invocanti, opem ferat jubeatque ad vos venire, et doctrinam meam apostolicis vestigiis inhærentem ostendere.'

S. LEO, epist. 93, *ad episcopos Galliæ.* — Unde sanctus et beatissimus Papa, caput universalis Ecclesiæ, Leo, per nos legatos suos, sancta synodo consentiente, Petri apostolici præditus dignitate, qui Ecclesiæ fundamentum, et petra fidei, et cœlestis regni janitor nuncupatur, eum dignitate nudavit, et ab omni sacerdotali opere fecit extorrem: superest ut congregata venerabilis synodus canonicam contra prædictum Dioscorum proferat, justitia suadente, sententiam.

S. CÆSARIUS Arelat. — Nemo mihi alia quælibet contra auctoritatem Sedis Apostolicæ, aut contra 318 episcoporum præcepta aut reliquorum canonum statuta, objiciat; quia quidquid contra illorum definitiones, in quibus Spiritum sanctum locutum esse credimus, dictum recipere, non solum temerarium, sed etiam periculosum esse dubito.

S. BERNARD., *De consideratione*, l. II, c. 8. —Quis es? sacerdos magnus, Summus Pontifex. Tu princeps episcoporum, ut hæres apostolorum, tu.... auctoritate Moyses...., potestate Petrus, unctione Christus. Tu es cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem et alii cœli janitores et gregum pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos. Tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico episcoporum, sed etiam apostolorum, sic absolute et indiscrete totæ commissæ sunt oves? Si me amas, Petre, *pasce oves meas.* (*Joan.* XXI, 17.) Quas? illius vel illius populos civitatis aut regionis, aut certi regni? oves meas, inquit.... nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.... Alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur et in ipsos qui potestatem super alios acceperunt. Nonne si causa exstiterit, tu episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab episcopatu deponere etiam et Satanæ tradere potes?

Vide etiam verb. ECCLESIA.

[Ex conciliis.]

Ex conc. Romano II, *sub Silvestro I, an.* 324. — Præsul summus a quoquam non judicabitur, quoniam scriptum est: *Non est discipulus super magistrum.* (*Matth.* X, 24.)

Ex conc. Nicæno gener. I, *sub Silvestro I, an.* 325. — Non debent præter sententiam Romani Pontificis, concilia celebrari.

Si quis putaverit se a proprio metropolitano gravari, apud primatem diœcesos aut penes universalis apostolicæ Ecclesiæ Papam judicetur.

Ex cod. conc. editionis Arabicæ. — 39. Sic præest patriarcha iis omnibus qui sub potestate ejus sunt, sicut ille qui tenet sedem Romæ, caput est et princeps omnium patriarcharum, quandoquidem ipse est primus sicut Petrus.

Ex conc. Sardicensi, sub Julio I, an. 347, *et epist. Adriani I, an.* 773. — 3. Ut inter discordes episcopos, comprovinciales episcopi audiat, quod si damnatus appellaverit Roman. Pontificem, id observandum est quod ipse censuerit.—4. Ut nullus appellantis episcopi sedem usurpare præsumat, priusquam Rom. episcopus, causa cognita, sententiam tulerit. —7. Quod provincialis synod. per vicarios Romani Pontificis retractari possit, si ipse ita decreverit. 70. Ut Papa diaconos Romam ad comitatum venientes sollicite discutiat, si justam causam veniendi habeant.

Ex conc. Carthaginensi VI, *sub Bonifacio, an.* 419. — 3. Placuit ut si episcopus accusatus fuerit, et judicaverint congregati episcopi regionis ipsius, et de gradu suo dejecerint eum, et appellasse episcopus videatur et confugerit ad beatissimum Eccl. Rom. episcopum, et voluerit audiri, et justum putaverit ut renovetur examen, scribere his episcopis dignetur qui in Finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, et juxta fidem veritatis definiant, quod si is qui rogat causam suam iterum audiri deprecatione sua moverit episcopum Rom., ut e latere suo presbyterum mittat, erit in potestate Romani episcopi quid velit et quid existimet.

Ex conc. Romano IV, *sub Symmacho, an.* 502. — 3. Si cujuslibet provinciæ sacerdotes intra terminos suos concilio habito quidquam sine metropolitani suive antistitis auctoritate tentaverint irritum esse debere, Patres SS. sanxerunt, quanto magis quod in Apostolica Sede non existente præsule, qui prærogativa beati meritis apostoli Petri per universum orbem primatum obtinens sacerdotii statutis synodalibus consuevit tribuere firmitatem, etc.

Ex conc. Toletano III, *sub Pelagio II, an.*

Digitized by Google

589. — 1. Maneant in suo vigore conciliorum omnium constituta, simul et synodicæ SS. præsulum Romanorum epistolæ.

Ex conc. Romano II, *sub Gregorio I, an.* 595. — 2. Quidam ex clericis vel etiam ex monachis electi ministerio cubiculi pontificalis obsequantur, ut is qui in loco est regiminis habeat testes tales qui vitam ejus in secreta conversatione videant, et ex visione sedula, exemplum profectus sumant.

4. Feretrum quo Romani Pontificis corpus ad sepeliendum ducitur, nullo regimine veletur.

Ex conc. Constantinopol. univer. VIII, *sub Adriano II, an.* 869. — 2. Quæcunque a B. Papa Nicolao veluti Spiritu S. instrumento ejusque successore SS. Papa Adriano declarata sunt, quæque diversis temporibus constituenda, componendaque S. Eccl. Constantinop. deque sancto illius patriarcha Ignario, ac de Photii ejectione atque damnatione in synodo pronuntiata sunt, ea omnia una cum expositis capitibus servanda et custodienda semper decernimus et sancimus.

Ex conc. Moguntino, sub Stephano VI, an. 888. — 11. Præsul summus a quoquam non judicabitur.

Ex conc. Rhemensi, sub Leone IX, an. 1049. — Lectis sententiis olim promulgatis ab orthodoxis Patribus declaratum est quod solus Rom. Sedis Pontifex universalis Ecclesiæ primas esset, et apostolicus.

Ex conc. Lateran. I *univers.* IX, *sub Calixto II, an.* 1122. — *Concessio Calixti II Henrico imperatori facta.* Ego Calixtus, servus servorum Dei, dilecto filio suo Henrico, Dei gratia Romanorum imperatori Augusto, concedo electiones episcoporum et abbatum Teutonici regni quæ ad regnum pertinent, in præsentia tua fieri, absque Simonia et aliqua violentia, ut si qua inter partes discordia emerserit, metropolitani et provincialium consilio vel judicio saniori parti assensum et auxilium præbeas; electus autem regalia per sceptrum a te recipiat, exceptis omnibus quæ ad Rom. Ecclesiam pertinere noscuntur, et quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus imperii, consecratus intra sex menses regalia per sceptrum a te recipiat. De quibus vero si mihi querimoniam feceris et auxilium postulaveris, secundum officii mei debitum, auxilium meum præstabo. Do tibi veram pacem, et omnibus qui in parte tua sunt vel fuerunt tempore hujus discordiæ. Data anno 1122, IX Kal. Octobris.

Ex conc. Mediolanensi II, *sub Pio V, anno* 1569, *titulo* 1. — Summorum Pontificum bullas quæ quotannis de quavis causa ab illis edentur, episcopus duobus saltem post mensibus quam illas Romæ editas cognoverit, in sua diœcesi promulgandas curet.

Vide etiam verb. ECCLESIA, JURI DICTIO ECCLESIAST.

PRÆDICATIO

[Ex SS. Patribus.]

Vide verb. Evangelizantium dotes.

[Ex conciliis.]

Ex conc. Carthag. IV, *sub Anastasio, an.* 398. — 24. Sacerdote verba faciente in ecclesia, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur. — 84. Ut episcopus nullum prohibeat ingredi ecclesiam et audire verbum Dei sive gentilem, sive hæreticum, sive Judæum usque ad missam catechumenorum. — 98. Laicus præsentibus clericis, nisi ipsis jubentibus non audeat docere. — 99. Mulier quamvis docta et sancta, viros in conventu docere non præsumat.

Ex conc. Valentino in Hispan. sub Joanne I, an. 524. — 1. Sacrosancta Evangelia ante munerum illationem in missa catechumenorum, in ordine lectionum post apostolum legantur.

Ex conc. Toletano III, *sub Pelagio II, an.* 589. — 2. Per omnes ecclesias Hispaniæ vel Galliæciæ secundum formam Orientalium Ecclesiarum concilium Constantinop. 150 episcoporum symbolum fidei recitetur, et priusquam Dominica dicatur Oratio voce clara populo prædicetur.

Ex conc. Toletano IV, *sub Honorio I, an.* 633. — 6. Comperimus quod per nonnullas ecclesias in die sextæ feriæ Passionis Domini, clausis basilicarum foribus nec celebretur officium, nec passio Domini populis prædicetur, etc. Oportet ergo eadem die mysterium crucis quod ipse Dominus cunctis annuntiandum voluit prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum postulare, etc.

Ex conc. Arelat. IV, *sub Leone III, an.* 813. — 10. Providimus pro ædificatione omnium Ecclesiarum, et pro utilitate totius populi, non solum in civitatibus, sed etiam in omnibus parochiis, ut presbyteri ad populum verbum faciant, et ut bene vivere studeant, et populo sibi commisso prædicare non negligant.

Ex conc. Moguntino, sub Leone III, an. 813. — 25. De officio prædicationis si forte episcopus non fuerit in domo sua, aut infirmus est, aut alia aliqua causa exigente non valuerit, nunquam tamen desit diebus Dominicis aut festivitatibus qui verbum Dei prædicet, juxta quod intelligere vulgus possit.

Ex conc. Parisiensi, sub Gregorio IV, an. 829. — 31. Quisquis sui quæstus non Dei causa, evangelicam prædicationem implet, longe se a discipulatu Christi sejungit.

Ex conc. Meldensi, sub Sergio II, an. 845.

Digitized by Google

— 34. In exponendis vel prædicandis divinis Scripturis SS. catholicorum et probatissimorum Patrum sensum quisque sequatur in quorum scriptis fidei veritas non vacillet, sed et qui in suis monasteriis religiose residere debent, et vocum novitates ut innotescant studio proferre satagunt, acerrime ut præsumptores arguantur et comprimantur.

Ex conc. Ticinensi II, *sub Leone IV, an.* 855. — 4. Admonendi sunt potentes ut ad majores ecclesias, ut prædicationem audire possint conveniant.

Ex conc. Lateran. univers. XII, *sub Innoc. III, an.* 1215. — 3. Omnes qui prohibiti vel non missi præter auctoritatem ab Apostolica Sede, vel catholico episcopo loci susceptam, publice vel privatim prædicationis officium usurpare præsumpserint, excommunicentur. — 10. Præcipimus tam in cathedralibus quam in conventualibus ecclesiis viros idoneos ordinari, quos episcopi possint coadjutores et cooperatores habere, non solum in prædicationis officio, verum etiam in audiendis confessionibus, et pœnitentiis injungendis. — 62. Eleemosynarum quæstores quorum quidam se alios mentiendo, abusiones nonnullas in sua prædicatione proponunt, admitti, nisi apostolicas vel diœcesani episcopi litteras veras exhibeant, prohibemus, etc. Quoniam (ut ait Apost.) omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi, prout in corpore gessimus sive bonum sive malum fuerit, oportet nos diem missionis extremæ, misericordiæ operibus prævenire, ac æternorum intuitu seminare interris, quod, reddente Domino, cum multiplicato fructu colligere debeamus incœlis, firmam spem, fiduciamque tenentes, quoniam *qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet* (*II Cor.* IX, 6), in vitam æternam, cum agitur ad sustentationem fratrum et egenorum ad tale confluentium hospitale, propriæ non suppetant facultates, universitatem vestram monemus et exhortamur in Domino, atque in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus de bonis a Deo vobis collatis, pias eleemosynas, et grata eis charitatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram, ipsorum inopiæ consulatur, et vos per hæc et per alia bona, quæ a Domino inspirante feceritis, ad æterna possitis gaudia pervenire.

Ex conc. Ravennatensi II, *sub Clemente V, an.* 1311. — 9. Nullus alienigena audeat prædicare vel celebrare, vel in sacro ordine ministrare nisi fuerit prius præsentatus ordinario, et eidem de ipsius ordinatione facta fuerit plena fides. — 13. Ad prædicationis ministerium qui 30 ad minus non attigit annum, cujuscunque religionis existat, de cætero in aliqua ecclesia nullatenus admittatur, nec etiam quæstuarii recipiantur ad officium.

Ex conc. Salisburgensi, sub Urbano VI, an. 1386. — 8. Rectores ecclesiarum nequaquam religiosos, seu fratres mendicantes invitent, vel admittant, nisi de proponendo verbum Dei a suis superioribus licentiam habeant, et de illa dictis rectoribus faciant plenam fidem; in civitate vero et diœcesi in quibus ipsorum fratrum loca consistunt, ac in locis vicinis, nullatenus ad dictum officium prædicandi, vel ad audiendas confessiones admittantur, nisi locorum diœcesanis canonice præsentati fuerint prius et admissi.

Ex conc. Frisingensi, sub Eugenio IV, an. 1440. — 21. Nullus in diœcesi nostra ad prædicandum, sive annuntiandum verbum Dei admittatur, nisi missus sit, et de missione sua constiterit sufficienter.

Ex conc. Turonensi, sub Nicolao V, anno 1448. — 6. Prædicatores cujuscunque gradus vel conditionis existant, non in erectis ad hanc rem theatris, sed locis Deo dicatis, cum omni reverentia et humilitate verbum Dei annuntient.

Ex conc. Toletano, sub Sixto IV, an. 1473. — 13. Ne de cætero quicunque prædicatores tam religiosi, quam sæculares per nostram provinciam gratia prædicationis officium exercendi discurrere audeant quomodolibet, nostra et episcoporum, in quorum diœcesi moram traxerint, non obtenta et edocta licentia. *Vide* PAUPERES.

Ex conc. Lateran. univers. XVII, *sub Leone X, anno* 1517, *sess.* 11, *De modo prædicandi.* — 1. Nullus tam clericus sæcularis quam cujuscunque etiam mendicantium ordinis regularis, aut quivis alius ad quem facultas prædicandi tam de jure quam de consuetudine, vel privilegio, aut alias pertinet, ad hujusmodi officium exercendum admittatur, nisi prius per superiorem suum respective diligenter examinatus, ac morum honestate, ætate, doctrina, probitate, prudentia, et vitæ exemplaritate ad illud aptus et idoneus reperiatur, et hic quocunque postea prædicaturus accesserit, de hujusmodi examine, et idoneitate sua per litteras authenticas seu alias episcopis et aliis locorum ordinariis fidem legitime faciat, etc.

Ex conc. Ratisponensi, sub Clemente VII, an. 1524.—1. Non liceat cuiquam etiam religionem professo, ac quomodolibet exempto, Evangelium docere, nisi ab ordinario vel ejus vicario tam moribus quam doctrina probatus fuerit, facta fide per patentes litteras, quæ præter notarii mercedem gratis prorsus concedantur.. — *Vide* PAUPERES.

Ex conc. Senonensi, sub Clemente VII, an. 1528, *De moribus.* — 35. Præcipimus omnibus et singulis suffraganeis nostris, ne ullos cujuscunque status ordinem, vel conditionis existant prædicatores, quæstores religiosos seu sæculares extraneos sive diœcesanos, quavis occasione seu causa ad officium prædicationis in ecclesiis per suas diœceses constitutis, permittant tolerentve, nisi ab ipsis suffraganeis eorumve vicariis approbati, et ad hoc nominatim missi exstiterint, etc. Evangelium Christi sincere populo annuntietur, cessent in sanctis illis concionibus profanarum legum

Digitized by Google

minime necessariarum citationes poetarumque auctoritates supervacaneæ, subtilium quæstionum, et plerumque futilium allegationes, a ridiculis etiam histrionicisque sermonibus abstineant prædicatores.

36. Sint prædicatores in verbo discreti, ne vel tacenda proferant, vel dicenda reticeant; prædicent sacrum Evangelium, imitantur interpretationibus sacrorum doctorum, instruant populum, sint eorum sermones casti et examinati, ad amorem Dei populum trahentes, si secus fecerint ab officio prædicationis suspendantur, et a suis superioribus acriter puniantur.

Ex conc. Colon. I, *sub Paulo III, an.* 1536, *part.* IV. — 9. Non ferendi qui in jurisdictiones episcopales ac ordines ecclesiasticorum, pariter et civilium magistratuum invehentes temere vociferantur ad populum.

11. Qui ex fratribus huic muneri accingi voluerint, nostris vicariis in pontificalibus serio promittant, sese hisce synodalibus institutis omnino obtemperaturos.

12. Qui ut ordinariæ nostræ potestati, quod ad ejusdem functionem attinet subjiciantur, et eatenus monasticæ professionis regulis obligationibusque eximantur, non decens tantum, sed et justum putamus.

13. Qui semel præsentati et admissi fuerint vt certo loco hoc ministerio fungantur, non debebunt temere seu præter nostrum assensum a suscepto munere retrahi.

14. Extraordinarios parochos, illorumque legitimos cooperarios, nemo deinceps neque suggestum occupet, neque conventicula, vel in privatis domibus vel in vicis faciat, aut quovis tandem modo usurpet; qui secus agere præsumpserit, tanquam seditiosus corripiatur.

15. Prohibemus omnes apostatas monachos ignotos, ac peregrinos spermologos, quorum neque doctrina neque vita ulli perspecta est, eritque proinde curæ civilibus magistratibus ac præsidibus ut de his inquirant diligenter.

Part. VI. — 9. Cavebit modis omnibus ne lubricus in docendo sit, huc illucque effluens.

10. Ineptas aut aniles fabulas devitabit.

11. Vitabit futilem et inanem loquacitatem qua nonnulli ratiocinationibus humanis falsam scientiæ opinionem sibi venantur.

13. Inter concionandum a scommatis, maledictis ac conviciis omnino abstinendum est.

14. In controversis et contentiosis obscurisque dogmatibus quæ sacris voluminibus vel universalis Ecclesiæ consensu expressim decisa non sunt, populus privatim ita docendus est sapere, atque hac cautione profiteri se credere sicut credit Ecclesia.

15. Erit parochus in reprehendendis criminibus vehemens atque acer, sic tamen ut in suggesto vitia tantum reprehendat, non personas nominatim perstringat.

16. Vitanda manifesta reprehensio utriusque potestatis tam ecclesiasticæ quam civilis, neque invehendum in ord. aliquem aut aliquod ab Eccl. receptum vivendi genus, per ejuscemodi enim incautam reprehensionem, plebs ad seditionem magis ac rebellionem incitatur.

17. In corripiendis magistratibus correctioni quoque fraternæ locus est.

18. Est autem populus frequenter in concionibus post conciones vero semper diligentissime commonendus, ut Deum optim. maximum pro potestatibus deprecetur.

22. Simpliciores ac minus eruditi concionatores festis quibuscunque diebus concione in nomine SS. Trinitatis cum imprecatione gratiæ Dei cœpta, initio ambas lectiones quæ epistola et evangelium missæ ejus diei appellantur, ad verbum denarrabunt, deinde post imploratam divini numinis clementiam, regrediantur ad utriusque lectionis brevem dilucidationem, et denuntiabunt quoque quid Ecclesia Dei eo die potissimum Deum precetur, etc.

23. Sanctorum historiis ne nimis diu immorentur, quod si fabulosa videbitur historia, ne attingant quidem, si verissimilis leviter, eaque decerpant quæ imitanda videantur, miracula ne impudentius jactentur, nisi quæ Scripturis prodita, aut a non levibus scriptoribus tradita fuerint.

24. Si quas allegorias aut sensus Scripturæ reconditiores, spiritualia spiritualibus conferentes afferre velint, has ex exceptis Ecclesiæ doctoribus resument.

25. Ubi ad calcem concionis deventum fuerit brevi epilogo, quo argumentum et capita totius concionis renarret, utatur.

26. Debet, finita concione, Decalogus ac Symbolum fidei et succincte ac exerte recitari, illa quoque exomologesis, ac publica peccatorum confessio, etc. Ac moneri populus ut eisdem verbis sacerdotem pronuntiantem subsequatur.

27. Finita concione, populus ad communem pro defunctis orationem pie ac devote dicendam accendatur.

Ex conc. Augustensi, sub Paulo III, an. 1548. — 13. Concionandi officium soli vocati, et ab ordinaria ecclesiastica potestate admissi, sustineant pastores animarum, vicarios sacerdotes, si ipsi juste ex causa munus hoc explere nequeant, admittere possunt, etc. In concione nihil profani, fabulosi, suspective proferatur, concionatores clerum aut magistratum, aut absentes quo suis suos quosque judici relinquendos apud populum non accusent, non deferant, non calumnientur, etc. Advers. grassantium hæresum tempestatem populum præmoneant sæpe et confirment.

Ex concil. Moguntino, sub Paulo III, an. 1549. — 49. Homines vagi et ignoti qui testimonia episcoporum suorum tam ejus a quo recesserint, quam illius ad cujus diœcesim diverterint, non habeant, a prædicationis officio prohibeantur, fratres mendicantes a concionandi munere excludere non intendimus, quos tamen nobis aut vicariis nostris præsentari, et per eos vel examine prævio, vel sufficienti et fide digno suorum

Digitized by Google

superiorum testimonio tanquam ad id munus idoneos approbari volumus.

50. Visitatores, archipresbyteri, seu decani rurales, et testes synodales, si quos compererint Ecclesiæ ministros in exponendis Scripturis sacris, et administrandis sacramentis ab orthodoxorum Patrum communi consensu, et recepta Ecclesiæ consuetudine et auctoritate deflectentes, tales ordinario loci, aut ejus fiscali corripiendos, aut abjiciendos denuntient.

52. Tempore concionum et divinorum officiorum, præfecti locorum otiosam turbam e tabernis et foro et plateis abigant, et concionibus, et divinis officiis interesse, nisi legitimis causis impeditos, debitis pœnis compellant.

Ex conc. Trevirensi, sub Paulo III, an. 1549.—2. Ne quisquam posthac etiam quamcunque religionem professus publice prædicare præsumat nisi ab episcopo ordinario vel ejus vicario admissus fuerit, etc. Laicis vero prorsus interdicimus, ne prædicandi officium usurpent, aut occulta conventicula faciant, et sacerdotum simplicitatem eludant, omnes autem prædicare præsumentes sint ipso facto excommunicati, et excommunicati declarentur.

3. Non tam eloquentiores quam sapientiores, neque tam argutiores quam meliores eligendi sunt, modo gregi sana doctrina pascendo non sint inidonei.

4. Missi et admissi verbi prædicatores, omissis his quæ a puritate Evangelii aliena sunt vel supervacanea, vel parum ædificantia, sed nec opinabilia ac dubia, pro certis et receptis asseverare audeant, ab apocryphis abstineant, comicas, aniles et interim obscenas fabulas populi auribus non ingeraut, etc.

Ex conc. Trident. gener. XVIII, *sub Paulo III, an.* 1545, *sess.* 5, *de reformat.* — 1. In illis ecclesiis in quibus præbenda aut præstimonium, aut aliud quovis nomine nuncupatum stipendium pro lectoribus sacræ theologiæ deputatum reperitur, episcopi, archiepiscopi, primates et alii locorum ordinarii eos qui præbendam aut præstimonium seu stipendium hujusmodi obtinent ad ipsius sacræ Scripturæ expositionem et interpretationem per seipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum ab ipsis episcopis, archiepiscopis, primatibus, et aliis locorum ordinariis eligendum, etiam per substractionem fructuum cogant et compellant, de cætero vero præbenda aut præstimonium seu stipendium hujusmodi nonnisi personis idoneis, et quæ per seipsos id munus explicare possint, conferantur, etc. In ecclesiis autem metropolitanis vel cathedralibus ac collegiatis, etc., ubi nulla præbenda, aut præstimonium seu stipendium hujusmodi deputatum reperitur, præbenda quomodocunque præterquam ex causa resignationis primo vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta et deputata intelligatur. Ecclesiæ quarum annui proventus tenues fuerint, et ubi tam exigua est cleri et populi multitudo, ut theologiæ lectio in eis commode haberi non possit, saltem magistrum habeant ab episcopo cum consilio capituli eligendum, qui clericos aliosque scholares pauperes grammaticam gratis doceat, cui magistro vel alicujus simplicis beneficii fructus quos tandiu percipiat, quandiu docendo perstiterit, assignentur, dum tamen beneficium ipsum suo debito non fraudetur obsequio, vel ex capitulari vel episcopali mensa condigna aliqua merces persolvatur, etc. Nemo autem ad hujusmodi lectionis officium tam publice quam privatim admittatur, qui prius ab episcopo loci de vita, et moribus, et scientia examinatus et approbatus non fuerit, quod tamen de lectoribus in claustris monachorum non intelligatur, etc.

2. Omnes episcopi, archiepiscopi, primates et omnes alii ecclesiarum prælati teneantur per seipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum Jesu Christi Evangelium; quod si legitime impediti fuerint, viros idoneos ad prædicandum assumere teneantur, archipresbyteri, plebani et quicunque parochiales vel alias animarum curam habentes, ecclesias quocunque modo obtinent, per se vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pascant salutaribus verbis, etc. Id vero si quis eorum præstare negligat, etiamsi ab episcopi jurisdictione exemptum se esse prætenderet, etiamsi ecclesiæ quovis modo exemptæ dicerentur, aut alicui monasterio etiam extra diœcesim existenti, forsan annexæ, vel unitæ modo re ipsa in diœcesi sint, provida pastoralis episcoporum sollicitudo non desit, etc. Itaque ubi ab episcopo moniti, trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas cogantur, etc. Si quæ vero parochiales ecclesiæ reperiantur subjectæ monasteriis in nulla diœcesi existentibus, si abbates et regulares prælati in prædictis negligentes fuerint, a metropolitanis in quorum provinciis diœceses ipsæ sitæ sunt, tanquam quoad hoc Sedis Apost. delegatis, compellantur, regulares vero cujuscunque ordin. nisi a suis superioribus de vita, moribus et scientia examinati et approbati fuerint, ac de eorum licentia etiam in ecclesiis suorum ordinum prædicare non possint, cum qua licentia personaliter se coram episcopis præsentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant, in ecclesiis vero quæ suorum ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum, etiam licentiam episcopi habere teneantur; si vero prædicator errores aut scandala disseminaverit in populum, etiamsi in monasterio sui vel alterius ord. prædicet, episcopus ei prædicationem interdicat. Quod si hæreses prædicaverit, contra eum secund. juris dispositionem aut loci consuetudinem procedat, etc. Caveant episcopi ne aliquem vel eorum qui cum sint nomine regulares extra claustra tamen et obedientiam religionum suarum vivunt, vel

Digitized by Google

presbyterorum sæcularium, nisi ipsis noti sint, et moribus atque doctrina probati, etiam quorumlibet privilegiorum prætextu, in sua civitate vel diœcesi prædicare permittant, donec ab ipsis episcopis super ea re S. Sedes Apost. consulatur, etc. Quæstores eleemosynarii qui etiam quæstuarii vulgo dicuntur cujuscunque conditionis existant, nullo modo nec per se, nec per alium prædicare præsumant, et contra facientes ab ordinariis arceantur.

Sess. 24, *sub Pio IV*, *an.* 1562, *de reform.* — 4. Prædicationis munus, quod episcoporum præcipuum est, in ecclesia sua ipsi per se aut si legitime impediti fuerint, per eos quos ad prædicationis munus assument, in aliis autem eccles. per parochos, sive iis impeditis per alios, ab episcopo (impensis eorum qui eas præstare vel tenentur vel solent) deputandos in civitate aut in quacunque parte diœcesis censebunt expedire, saltem omnibus Dominicis et solemnibus diebus festis, tempore autem jejuniorum Quadragesimæ et Adventus Domini quotidie vel saltem tribus in hebdomada diebus sacras Scripturas, divinámque legem annuntient, etc. Nullus autem sæcularis sive regularis etiam in ecclesiis suorum ordinum, contradicente episcopo, prædicare præsumat, iidem etiam saltem Dominicis et aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis ad quos spectabit doceri curabunt, etc.

7. Parochi inter missarum solemnia sacra eloquia et salutis monita vernacula lingua singulis diebus festis vel solemnibus explanent.

Ex conc. Mediolanensi I, *sub Pio IV*, *an.* 1563, *part* I. — 5. Quæ Ecclesiæ cathedrales aut collegiatæ in oppidis insignibus præbendam aut stipendium quovis nomine theologiæ interpreti assignatum non habent, secundum conc. Trid. præbendam primo vacaturam ad hunc usum constituent.

6. Episcopi greges sibi commissos ipsimet præsertim in ecclesia sua verbo Dei pascant, sin autem se interdum vere impeditos cognoverint, per viros idoneos hoc munus studiosissime populo præstent; in aliis ecclesiis parochialibus, vel alias curam animarum habentibus saltem omnibus Dominicis et solemnibus diebus festis, jejuniorum autem Quadragesimæ et Adventus tempore, quotidie, vel iis saltem diebus quibus episcopus jusserit proprio parocho et curato oves sibi commissas pro earum sensu et intelligentia salutaribus verbis pascendas mandamus: extra urbem vero in universa diœcesi præter officium quod curati præstabunt tam multos episcopi distribuant concionatores, ut in curatis ecclesiis cæterisque omnibus etiam non curatis in quibus ipsi opportunum judicaverint intra cujusque mensis spatium saltem semel in aliquo die festo verbum Dei prædicetur. Ne certum tempus Antichristi adventus, et extremi judicii prædicent, neve quidquam præterea futurum ex sacris litteris divinare, eique eventui certam diem præfinire audeant, neque temere id sibi divinitus revelatum esse affirment, ne historias apocryphis scriptoribus populo narrent, neve miracula quæ probata scriptoris fide non commendentur, ne ineptas et ridiculas fabulas recenseant, neve supervacaneas, et parum fructuosas, ne hæreticorum opiniones, et argumenta apud imperitam multitudinem referantur, etc. In pravas consuetudines invehantur, ne quemquam nominatim aut tacite illum designantes insectentur, ne in ordinem ullum statum aut vitæ genus ab Ecclesia receptum invehantur, ne episcopos aliosve prælatos, neve civiles magistratus cum auditorum offensione asperius objurgent, sed pie potius admoneant, etc. Sacra concio noctu nunquam sed opportuno tempore episcopi præscripto habeatur, dum habetur nec missæ aut horæ canonicæ clara aut submissa voce in ecclesia dicantur, etc. Concionis audiendi causa, loca virorum aut mulierum si fieri potest, episcopi cura distinguantur.

8. Deinceps Salvatoris passio, nec in sacro nec in profano loco agatur, sed docte et graviter eatenus a concionatoribus exponatur, ut pietatem et lacrymas commoveat auditoribus.

Ex conc. Mediolanensi II, *sub Pio V*, *an.* 1569, *tit.* 1. — 4. Quæ de quavis scientia problemata vel axiomata vel alia proponi solent, curet episcopus ne in posterum antea proponantur quam ab ipso aut ab iis quos huic rei præfecerit cognitum sit, nihil in his subesse quod doctrinæ fidei, pietati christianæ repugnet.

Ex conc. Mediolan. III, *sub Gregorio XIII*, *an.* 1573. — 3. Ne patiatur parochus cujusvis ordin regulares in ordinis sui ecclesiis intra fines parochiæ suæ sitis, concionem habere, nisi ex scripto testimonio perspexerit eos se ad episcopum cum concionandi facultate, quam a superioribus suis ipsi obtinuerint, contulisse et benedictionem ab eo petiisse, neque in alienis ejusdem parochiæ ecclesiis nisi ibi concionandi facultatem sibi ab episcopo litteris concessum, illi ostendant.

Ex conc. Mediolanensi V, *sub Gregorio XIII*, *an.* 1579, *part.* I. — 2. Nemini concionandi facultatem concedat episcopus nisi præter alia, vel examine, vel alia ratione pro arbitrio suo illius scientiam et peritiam in eo munere probarit.

Ex conc. Mediolan. VI, *sub Gregorio XIII*, *an.* 1582. — 2. Concionator in urbe ne sine scripta episcopi facultate pecuniæ collectam inter concionandum proponat, faciatve, neque itidem in diœcesi sine vicarii foranei licentia, liceat tamen concionatoribus regularibus in eorum ecclesiis absque facultate illis tradita ab episcopo sua monasteria populo commendare; ne in monasteriis quidem et locis ubi regulares spiritualem temporalemque jurisdictionem habent, quisquam ecclesiast. homo etiam regularis exemptus, prædicationis

Digitized by Google

munus obeat, nisi primum ab episcopo probatus intra cujus diœcesis fines ea monasteria locave sunt.

Ex conc. Aquensi, sub Gregorio XIII, an. 1585. — 20. *Vide Conc. Trid., sess.* 24, c. 4. — Nulli prædicatori per episcopum ad certum locum nominato liceat sine consensu illius, illo relicto ad alium transilire, aut alterum sibi substituere, si quis aliter munus prædicationis usurpaverit, aut si quis quacunque fulgeat dignitate prædicatores in præjudicium episcoporum mittere præsumpserit, excommunicetur. Quoniam parochi debent in suis ecclesiis prædicandi munus ipsi subire, in munere suo non impediantur a regularibus etiam ab episcopo missis, quin diebus festis mane ipsi proprio muneri satisfaciant, post prandium vero poterunt regulares concionari, nisi parocho quandoque aliter videatur. Missi autem regulares teneantur licentiam suam exhibere curatis, nec aliter ab ipsis admittantur, etc. Prædicator errores et scandala si disseminaverit in populum, etiamsi in monasterio sui ordinis vel alibi prædicet, episcopus ei prædicationem interdicat, etc. Neminem etiam regularem, ne in sui quidem ordinis ecclesia concionari permittat episcopus antequam sibi aut ejus vicario ille quicunque concionaturus est fidei professionem præstiterit, ubi vero semel præstiterit non opus erit iterum ob eam causam eidem episcopo præstare, idem intelligatur de confessario. *Vide Conc. Trident., an.* 1545, *sess.* 5, *c.* 2. Concionator de cætero ne paciscatur super mercede prædicationis.

21. Quicunque præbendam theologalem in cathedrali collegiatave ecclesia obtinet, is et quæ sacrarum lectionum genera, et quibus diebus episcopus de consilio episcopi præscripserit, ut interpretationis suæ munere fungatur, accurate ad illius præscriptum præstet, cujus lectioni etiam clerici seminarii intersint, si ita episcopo videbitur, in ecclesia vero cathedrali saltem die festo semper sacram Scripturam publice interpretetur et exponat; idem ab episcopo aut ab alio consultus theologiæ quæstionibus aliisve ejus generis gratis respondeat, etc. Ad præbendam theologalem quantum fieri poterit ne unquam admittatur regularis, etc.

22. In collegiatis ecclesiis ubi fuerint saltem sex præbendæ, optamus unam conferri doctori theologiæ seu licentiato, etc.

Ex conc. Avenionensi, sub Clemente VIII, an. 1594. — Nemo ad prædicationis munus aut ad curam animarum exercendam, etiam sine titulo beneficii admittatur, nisi præstita coram ordinario fidei professione.

Ex conc. Aquileiensi, sub Clement VIII, an. 1596. — 1. Prædicatores verbi si sæculares fuerint vel regulares in ecclesiis non suorum ord. prædicationes habituri, ab episcopo licentiam obtinere debent, regulares autem in ecclesiis suorum ordin. prædicaturi personaliter se coram episcopo præsentare, atque ab eo benedictionem petere debent, ac tam sæculares quam regulares nullo pacto ad prædicationes admittantur antequam sæculares in manibus episcopi, regulares vero in manibus suorum superiorum regularium fidei professionem emiserint.

Ex conc. Narbonensi, sub Pelagio V, an. 1609. — 4. *Vide Conc Trident.*, 1545, *sess.* 5, *c.* 2; *sess.* 24, *c.* 4; *sess.* 5, *c.* 1, quæ nunquam conferri possit nisi doctori vel licentiato, aut baccalaureo in theologia, qui per seipsum singulis diebus Dominicis verbum Dei publice in eisdem ecclesiis actualiter prædicet, et bis in hebdomada casus conscientiæ doceat, in ecclesiis cathedralibus regularium in quibus nullæ sunt præbendæ, sed tantum portiones monachales, ex nunc unam ex dictis portionibus monachalibus pro dicta præbenda theologali constituimus et assignamus, cui, si non sit sufficiens, aliquod beneficium uniant episcopi, dummodo ecclesia sic uniti beneficii debitis non fraudetur obsequiis.

PRÆDESTINATIO ET PRÆSCIENTIA

[Ex SS. Patribus.]

S. Clemens., *Recogn*, lib. x, tom. I. — Qui propter solum Deum, et justitiam ejus juste vixerint, ipsi ad æternam requiem venient, et perpetuitatem regni cœlestis accipient. Salus enim non vi acquiritur, sed libertate; nec per hominum gratiam, sed per Dei fidem. Tum præterea cogitare debet, quia Deus præscius est, et novit si hic suus est : quod si novit eum non esse, quid faciemus ad ea quæ ex initio statuta sunt ab eo?

Origen., *De oratione*, tom. I. — Qui nihil esse volunt in nostra potestate, eos ineptissimum illud admittere necesse est : primum nos animantes non esse, deinde neque rationales, sed quasi ab extero motos, neque nosmetipsos ullatenus moventes; ita ut ab illo fieri dicenda sint quæ facere credimur. Præterea attendat aliquis iis quæ in se sentit, et videat an sine impudentia negare possit seipsum velle, seipsum comedere, seipsum ambulare, seipsum assentiri et quaslibet opiniones accipere, seipsum alia abnuere ut falsa. Ut igitur quædam sententiæ sunt quibus nunquam adduci poterit homo, ut assentiatur quantumvis multis probationibus utatur, et quantumvis multa dicat ad persuadendum conquisita : sic fieri non potest, ut ita quisquam de rebus humanis sentiat, quasi nihil maneat in nostra potestate. Quis enim credit nihil mente comprehendi posse, aut ita vivit ut de rebus omnibus, quæcunque tandem illæ sint, dubitet? Quis non increpat famulum, cum peccantis servi speciem animo perceperit? Quis filium non accusat debita parentibus obsequia non reddentem? Aut non queritur, et

Digitized by Google

vituperat quasi turpiter agentem mulierem adulteram? Vim enim facit ipsa veritas et cogit, quantumvis cavillari libeat, impetu quodam in laudes et in vituperia ferri, quod vere sit aliquid in nostra potestate, idque vel laude vel contumelia dignum.

Igitur si nostrum servatur liberum arbitrium quo innumeris modis vel ad virtutes, vel ad vitia, vel ad ea quæ decent, vel ad ea quæ ab officio aberrant, propendemus, vel ab iisdem declinamus : necesse est hoc cum reliquis, antequam sit, Deo notum esse a creatione et constitutione mundi quale futurum sit ; et in omnibus quæ præordinavit Deus, consequenter ut unumquodque vidit in nostra futurum potestate, præordinasse etiam prout exigit quilibet nostri arbitrii motus, quid ipsi debeat ex providentiæ parte respondere, quid juxta connexionem rerum futurarum accidere : non quod præscientia Dei causa sit eorum omnium quæ futura sunt, et quæ proprio motu, arbitrioque nostro effecturi sumus. Etsi enim (id modo supponere liceat) futura Deus non cognosceret, non eo minus hæc sumus effecturi, hæc volituri : rebus tamen id accidit ex præscientia divina, ut ordine ad universi gubernationem orbisque statum utilissimo disponantur singula quæ in nostra sunt potestate. Si ergo quodvis eorum quæ nostri sunt arbitrii cognitum est ipsi, ordinari a Providentia quid cuique pro dignitate conveniat, rationi congruit, et quid ille aliquis oret, quomodo affectus sit, quid credat, quid sibi fieri velit, præcognosci ; quo præcognito, tale aliquid consequenter Providentiæ ordine comprehendi : hunc orantem assidue propter illam ipsam quam fundet orationem, exaudiam : hunc vero non exaudiam, aut quod indignus sit qui exaudiatur, aut quod ea petiturus sit quæ nec ipsi capere expedit, nec me dare decet. Item propter hanc istius, verbi gratia, orationem, ipsum non exaudiam, propter illam exaudiam.

Quod si quis eo turbetur quod cum Dei de rebus futuris præscientia falli non possit, quasi necessitas rebus afferatur, huic respondendum hoc ipsum a Deo necessario cognosci, nempe illum hominem non necessario, nec firmiter velle meliora, aut sic pejora voliturum, ut mutationis in melius incapax futurus sit. Rursus hæc (ait Deus) illo orante, faciam, decet enim me cum nec oraturus sit indigne, neque negligenter circa orationem versaturus. Huic cum aliquantulum oraverit : *Superabundanter quam petit aut intelligit* (*Ephes.* III, 20), illa largiar : decet enim me beneficiis illum vincere, et plura tribuere quam petere sit capax. Huic cum talis futurus sit, angelum illum mittam ministrum qui ab hoc tempore saluti ejus collaborare incipiat, et huc usque adsit : illi istum, verbi gratia, illo digniorem, cum ille hoc melior futurus sit. Ab hoc alio qui, postquam se excellentiori tradiderit doctrinæ, fractus erit et recurret ad terrena, optimum illum adjutorem avertam ; quo recedente, ut meruerit, pessima quædam hæcce potestas, nacta occasionem ut ipsius insidietur ignaviæ, prompta aderit, et ad illa peccata provocabit, cum se ipse paratum ad peccandum præbuerit.

Sic itaque dicturus ille putandus est qui præordinat omnia : Amos gignet Josiam qui non æmulabitur patris peccata, sed hancce viam ad virtutem ducentem illorum opo qui ipsi aderunt nactus, vir bonus erit ; qui et altare subvertet a Jeroboam male ædificatum. Judam novi cum inter homines filius meus versabitur, bonum initio futurum : at perversum iri deinde et in humana decisurum peccata, quem propterea æquum erit talia quædam pati. Hanc præscientiam forte de omnibus, certe de mysteriis aliis etiam Dei Filius habet, qui rerum futurarum evolutionem perspiciens, videt Judam, et quæ admissurus est peccata ; ita ut hæc animo comprehendens, etiam ante natum Judam per Davidem dixerit : *Deus laudem meam ne tacueris* (*Psal.* CVIII, 2), et reliqua. Sciens itaque futura Deus, et qualem contentionem habiturus sit ad pietatem Paulus: apud meipsum, inquit, ante initium rerum, cum mundi opificium aggrediar, ipsum seligam, et istis hominum salutis adjutricibus, simul ac natus erit, potestatibus commendabo, segregans illum ex utero matris : permittamque initio, in juventute, zelo cum ignorantia conjuncto agitatum, pietatis prætextu eos persequi qui in Christum meum crediderint, et custodire vestimenta lapidantium servum meum et testem Stephanum (*Act.* XXII, 20) ; ut post juvenilem petulantiam, deinceps occasione capta, in meliora mutatus non glorietur coram me, sed dicat : *Non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei* (*I Cor.* XV, 9), sentiensque futura in eum beneficia mea, post suos in juventute pietatis specie lapsus, addat : *Gratia autem Dei sum id quod sum* (*ibid.* 10) ; prohibitusque conscientia eorum quæ, cum adhuc juvenis esset, adversus Christum patravit, non extollatur magnitudine revelationum quas meo beneficio accepturus est.

S. Hilar., *Tract. in psal.* LXVII, t. I. — *Deus, dum egredereris coram populo tuo, dum transgredereris in desertum, terra mota est. Etenim cœli distillaverunt a facie Dei, mons Sina, a facie Dei Israel.* (*Psal.* LXVII, 8, 9.) Prælsse Deum iter populi sui, dum desertum transgreditur, in columna nubis ignisque cognovimus, et usque ad populi errorem de cœlis stillasse manna. — Si lex disposita est per angelos, panemque angelorum manducavit homo, cœlique stillasse in Sina scribuntur ; profecto ministerium hoc a cœlis, id est ab angelis, expletum esse non dubium est. Estque idem largitor ejus qui de cœlis est panis, qui in Sina manne fuerat indultor. Sed transiens ad desertum Deus, id est ad gentium arida et desolata quondam corda transcendens, felicem illam bonæ voluntatis pluviam segregavit. Segregavit enim ipse ex utero matris Paulum in apostolum quia *quos et præscivit, hos et prædestinavit.* (*Rom.* VIII, 29.) Hanc etiam eloquii prædicationisque pluviam, et in

Digitized by Google

psalmo Salomon terræ ad spei securitatem nuntiavit, dicens : *Et descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.* (*Psal.* LXXI, 6.) Et aliquibus nubibus, ne super vineam pluerent, meminimus esse præceptum. (*Isa.* V, 6.) Sanctus quoque Moyses, qui sub velamento verborum communium ingentia cœlestis spei sacramenta condebat, verba sua excipi ut pluviam imbremque cantavit, pluviam irrigantem deserta et arida, et præparatam Dei hæreditatem. (*Deut.* XXIII, 2.) Atque ideo sequitur : *Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ : et infirmata est, tu vero perfecisti eam. Animalia tua habitabunt in ea, parasti in dulcedine tua pauperi.* (*Ibid.*, 10, 11.) Providus enim voluntatum Deus, segregavit voluntariam pluviam præsciendo. Quæ infirmata est, cum judicium in se mortis habuit Paulus, cum Petrus scandalo crucis motus est, cum ter denegat admonitus ne negaret, cum apostoli timent, fugiunt, diffidunt. Sed quia in his bonæ voluntatis esset affectus, perfecti ita sunt, ut et fundamenta, Ecclesiarum fierent et columnæ. Hæc ergo hæreditati Dei pluvia segregatur.

S. AMB., lib. V *De fide*, tom. II. — *Non est meum dare vobis.* (*Matth.* XX, 23.) Quod est, *non est meum*, qui veni humilitatem docere : *non est meum*, qui veni non ministrari, sed ministrare : *non est meum*, qui justitiam servo non gratiam. Denique ad Patrem referens, addidit : Quibus paratum est ; ut ostenderet Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis, quia Deus personarum acceptor non est. Unde et Apostolus ait : *Quos præscivit, et prædestinavit* (*Rom.* VIII, 29) ; non enim ante prædestinavit, quam præscivit, eorum præmia prædestinavit.

S. CHRYS., concione 3 *de Lazaro*, tom. I.— Si quis dixerit eos qui puniuntur detrimento affici, poterant enim alioqui resipiscere ; illud respondebimus : Si Deus præscisset fore ut resipiscerent, nequaquam punisset. Etenim si quos videt manere incorrigibiles, omittit : multo magis quos noverat ex ipsius lenitate laturos fructum, passurus erat in præsenti vita, ut consequerentur temporis spatium ad pœnitentiam. Nunc autem eos præripiens, et illis leviorem in futuro sæculo pœnam reddit, et hos castigatiores illorum suppliciis facit. Quamobrem igitur non idem hoc facit in malis omnibus ? ut ii qui manent, per timorem aliorum suppliciis reddantur castigatiores, prædicentque Dei lenitatem, ejusque humanitatem reveriti, desistant a malitia. Sed nihil horum faciunt, inquit. Non igitur Deus jam in causa est, sed illorum socordia, qui noluerunt tam multis remediis ad propriam uti salutem.

Atque ut cognoscas quod ideo hoc fecerit, attende : miscuit olim sanguinem Galilæorum Pilatus cum sacrificiis, et accedentes hoc ipsum renuntiaverunt Jesu, atque ille dicit : *Quid putatis, quod illi Galilæi soli peccatores fuerunt ? Non ; dico vobis, nisi pœnitentiam egeritis, et vos similiter peribitis.* (*Luc.* XIII, 2, 3.) Rursum alii octodecim obruti sunt ruina cujusdam turris, de his quoque eadem dicit. Nam quod ait : — *Nisi pœnitentiam egeritis, et vos similiter peribitis*, declarat quod et illos permisit hac de causa illa pati, ut viventes ex iis quæ cæteris acciderant terrore concepto, resipiscerent, et regni hæredes fierent. Quid igitur ? ut ego, inquis, fiam melior, ille punitur ? Non propter hoc, sed propter suum ipsius peccatum punitur : cæterum illorum interitus attentis ex abundanti fit occasio salutis, dum metu ex iis quæ aliis acciderunt concepto, redduntur probiores. Itidem et Domini faciunt, uno sæpe solo flagellato, reliquos metu reddunt emendatiores.

Cum igitur videris aliquos vel in naufragium incidisse, vel ædium ruina oppressos esse, vel incendio perisse, vel a fluviis abreptos esse, aut alio quopiam modo violento vitam finiisse : deinde alios, qui eadem cum illis et graviora peccarunt, nihil tale passos, ne conturberis, dicens : Cur tandem qui eadem peccarunt, non eadem passi sunt ? Verum illud reputa, quod Deus illum quidem passus est e medio tolli præfocarique, meliorem ei præparans in futuro sæculo cruciatum, aut etiam in totum eum liberans ; hunc vero nihil tale passus est sustinere, ut alterius supplicio castigatior factus, modestior redderetur : quod si perseveraverit in iisdem, crudelissimam sibi ipsi ex sua socordia coacervat ultionem, nec Deus fuerit causa intolerabilis supplicii. Rursum si videris justum affligi, aut omnia quæ dicta sunt perpetientem, ne consterneris animo. Nam et illi res acerbæ, splendidiores reddunt coronas : et omnino quæris pœna, siquidem peccatoribus infligatur, detrahit aliquid vitiorum ponderi ; sin justis infligatur, splendidiorem reddit illis animum, sic ut utrisque maximus ex afflictione fructus eveniat, tantum si grate toleremus : hoc enim est quod quæritur.

S. HIERON., lib. II *adversus Jovinianum*, cap. 1. — Secunda propositio (Joviniani scilicet) est : Eos, qui fuerint baptizati, a diabolo non posse tentari. Et ne hoc stulte dicere videretur, adjecit : Quicunque autem tentati fuerint, ostendit eos aqua tantum et non spiritu baptizatos, quod in Simone Mago legimus. Unde et Joannes dicit : *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quia ex Deo natus est. Et in hoc sunt manifesti filii Dei, et filii diaboli.* (*I Joan.* III, 9, 10.) Et in fine Epistolæ : *Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum.* (*Ibid.*, 15.) Revera fortis objectio, et quæ indissolubilis permaneret, nisi ipsius Joannis testimonio solveretur. Statim enim intulit : Filioli custodite vos a simulacris. (*Ibid.*, 21.) Si omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, et a diabolo tentari non potest, quomodo præcipit, ut caveant, ne tententur ? Et in eadem rursus Epistola : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* (*I Joan.* I, 8.) Si confiteamur peccata nostra

Digitized by Google

fidelis et justus est, ut remittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quia non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis. Existimo, quod Joannes baptizatus ad baptizatos scripserit, et quod omne peccatum a diabolo sit. Ille peccatorem se confitetur; et sperat remissionem post baptisma peccatorum, et Jovinianus meus dicit: Ne tangas me, quoniam mundus sum. Quid ergo? contraria sibi Apostolus loquitur? Minime. In eodem quippe loco cur hoc dixerit, statim edisserit: *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Et in hoc scimus, quod cognovimus eum, si mandata ejus observemus.* (*I Joan.* II, 1 et seqq.) Et post pauca : Ex quibus liquido comprobatur, post baptisma posse peccari. Frustra enim habemus advocatum Jesum Christum, si peccari non potest.

Et cap. 2 : Petrus apostolus, a l quem dictum fuerat : *Qui lotus est*, non necesse habet, *ut* iterum *lavet*. (*Joan.* XIII, 10.) Et : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* (*Matth.* XVI, 18.) Ab ancilla perterritus negat. Et ipse Dominus : *Simon, Simon, ecce*, inquit, *Satanas postulavit vos ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ne deficeret fides tua.* (*Luc.* XXII, 31, 32.) Et in eodem loco : *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* (*Matth.* XXVI, 41.) Quod si ante crucem dictum responderis, certe post crucem in Oratione Dominica dicimus : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.* (*Matth.* VI, 12, 13.) Si non peccamus post baptisma, cur nobis poscimus, peccata dimitti, quæ in baptismate jam dimissa sunt? quid oramus, ne intremus in tentationem, et ut liberemur a malo, si diabolus tentare non potest jam baptizatos? Aliud autem est, si ad catechumenos hæc oratio pertinet, et non convenit fidelibus et Christianis. Paulus electionis vas castigat corpus suum, et in servitutem redigit, ne aliis prædicans, ipse reprobus inveniatur. (*I Cor.* IX, 27.) *Et datus est mihi*, inquit, *stimulus carnis, angelus Satanæ, qui me colaphizet.* (*II Cor.* XII, 7.) Et ad Corinthios : *Timeo*, inquit, *ne sicut serpens decepit Evam in astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri a simplicitate, quæ est in Christo.* (*II Cor.* XI, 3.) Et alibi : *Cui autem aliquid donastis, et ego. Nam et ego, quod donavi, si quid donavi, propter vos, in persona Christi, ut non circumveniatur a Satana. Non enim ejus ignoramus astutias.* (*II Cor.* II, 10, 11.) Item nonnullis interjectis : Et existimat aliquis securos et dormientes nos esse debere post baptismum? Necnon ad Hebræos : *Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, et gustaverunt donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunteque nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi futuri, et prolapsi sunt, renovari iterum ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes.* (*Hebr.* VI, 4, 5, 6.) Certe, eos, qui illuminati sunt, et gustaverunt Dei donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaveruntque bonum Dei verbum, negare non possumus baptizatos. Si autem baptizati peccare non possunt, quomodo nunc Apostolus dicit, et prolapsi sunt? His et aliis plurimis sacrarum litterarum testimoniis, hunc errorem ibidem Hieronymus confutat, quæ nimis longum foret hic ascribere.

S. Aug. *De prædest.* — *Multi audiunt verbum veritatis; sed alii credunt, alii contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi.* Quis hoc ignoret? Quis hoc neget? Sed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas a Domino, discernendum est utique quid veniat de misericordia ejus, quid de judicio. *Quod quærebat Israel*, ait Apostolus, *hoc non est consecutus : electio autem consecuta est : cæteri vero excæcati sunt, sicut scriptum est : Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, et aures ut non audiant, usque in hodiernum diem. Et David dicit : Fiat mensa eorum in laqueum, et in retributionem et in scandalum illis; obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva.* (*Rom.* XI, 7; *Isa.* VI, 9; *Psal.* LXVIII, 23.) Ecce misericordia et judicium : misericordia in electionem quæ consecuta est justificam Dei; judicium vero in cæteros qui excæcati sunt : et tamen illi quia voluerunt, crediderunt. — Misericordia igitur et judicium in ipsis voluntatibus facta sunt. Electio quippe ista gratiæ est, non utique meritorum. Superius enim dixerat : *Sic ergo et in hoc tempore, reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus : alioquin gratia jam non est gratia.* (*Rom.* XI, 5.) Gratis ergo consecuta est, quod consecuta est electio : non præcessit eorum aliquid, quod priores darent, et retribueretur illis : pro nihilo salvos fecit eos. Cæteris autem qui excæcati sunt, sicut ibi non tacitum est, in retributione factum est : *Universæ viæ Domini misericordia et veritas. Investigabiles* sunt autem *viæ ejus.* (*Psal.* XXIV, 10; *Rom.* II, 33.) Investigabiles igitur sunt, et misericordia qua gratis liberat, et veritas qua juste judicat.

Sed forsitan dicant : *Ab operibus fidem distinguit Apostolus : gratiam vero non ex operibus esse dicit, quod non sit ex fide.* Ita vero est : sed ipsam quoque fidem opus Dei dicit esse Jesus, et hanc ut operemur jubet. Dixerunt enim ad eum Judæi : *Quid faciemus, ut operemur opus Dei? Respondit Jesus, et dixit illis : Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* (*Joan.* VI, 28.) Sic ergo distinguit Apostolus ab operibus fidem, quemadmodum in duobus regnis Hebræorum distinguitur Judas ab Israel, cum et ipse Judas sit Israel. Ex fide autem ideo

Digitized by Google

dicit justificari hominem, non ex operibus; quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupatur, in quibus juste vivitur. Nam dicit etiam ipse : *Gratia salvi estis facti per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum est* (*Ephes.* II, 8); etiam fides. *Non ex operibus*, inquit, *ne forte quis extollatur.* (*Ibid.*, 9.) Solet enim dici : ideo credere meruit, quia vir bonus erat, et antequam crederet. Quod de Cornelio dici potest, cujus acceptæ sunt eleemosynæ et exauditæ orationes, antequam credidisset in Christum (*Act.* X, 4); nec tamen sine aliqua fide donabat et orabat. Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat? Sed si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus apostolus Petrus; quamvis, *nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt ædificantes eam.* (*Psal.* CXXVII, 1) Et dicitur nobis : *Fides est a nobis, cætera a Domino ad opera justitiæ pertinentia;* quasi ad ædificium non pertineat fides, quasi ad ædificium, inquam, non pertineat fundamentum; quod si in primis et maxime pertinet, in vanum laborat prædicando ædificans fidem, nisi eam Dominus miserando intus ædificet. Quidquid igitur, et antequam in Christum crederet, et cum crederet, et cum credidisset, bene operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, *ne forte quis extollatur.* — Cur ergo non omnes docet, ut veniam ad Christum; nisi quia omnes quos docet, misericordia docet, quos autem non docet, judicio non docet? Quoniam *cujus vult miseretur, et quem vult obdurat* (*Rom.* 9, 18): sed miseretur, bona tribuens; obdurat, digna retribuens. Aut si et ista, ut quidem distinguere maluerunt, verba sunt ejus cui Apostolus ait : *Dicis itaque mihi;* ut ipse dixisse accipiatur; *ergo cujus vult miseretur, et quem vult obdurat* (*Ibid.*, 19); et quæ sequuntur, id est : *Quid adhuc conquiritur? Nam voluntati ejus quis resistit?* Nunquid responsum est ab Apostolo, o homo, falsum est quod dixisti? non; sed responsum est : *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit : Quare sic me fecisti? Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa* (*Ibid.*, 20), et sequentia, quæ optime nostis. Et tamen secundum quemdam modum, omnes Pater docet venire ad suum Filium. Non enim frustra scriptum est in prophetis : *Et erunt omnes docibiles Dei.* (*Joan.* VI, 45.) Quod testimonium cum præmisisset, tunc subdidit : *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* (*Joan.* VI, 45)

Sicut ergo integre loquimur, cum de aliquo litterarum magistro, qui in civitate solus est, dicimus : omnes iste hic litteras docet; non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit, quicunque ibi litteras discit : ita recte dicimus, omnes Deus docet venire ad Christum; non quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit. Cur autem non omnes doceat, aperuit Apostolus quantum aperiendum judicavit : quia *volens ostendere iram, et demonstrare pœnitentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem, et ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* (*Rom.* IX, 22.) Hinc est quod *Verbum crucis pereuntibus stultitia est; his autem qui salvi fiunt, virtus Dei est.* (*I Cor.* I, 18.) Hos omnes docet venire ad Christum Deus, hos enim omnes vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire. (*I Tim.* II, 4.) Nam si et illos quibus stultitia est Verbum crucis, ut ad Christum venirent, docere voluisset, procul dubio venirent et ipsi. Non enim fallit aut fallitur qui ait : *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* Absit ergo ut quisquam non veniat, quia Patre audivit et didicit!

Quare, inquiunt, *non omnes docet?* Si dixerimus, quia nolunt discere quos non docet; respondebitur nobis : Et ubi est quod ei dicitur : *Deus, tu convertens vivificabis nos?* (*Psal.* LXXXIV, 7.) Aut si non facit volentes ex nolentibus Deus, utquid orat Ecclesia secundum præceptum Domini pro persecutoribus suis? Nam sic etiam voluit intelligi sanctus Cyprianus quod dicimus : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra* (*Matth.* VI, 10) : hoc est, sicut in eis qui jam crediderunt, et tanquam cœlum sunt; ita et in eis qui non credunt, et ob hoc adhuc terra sunt. Quid ergo oramus pro nolentibus credere, nisi ut Deus in illis operetur et velle? De Judæis certe Apostolus ait : *Fratres, bona voluntas quidem cordis mei, et deprecatio ad Deum pro illis fit in salutem.* (*Rom.* X, 11.) Orat pro non credentibus, quid, nisi ut credant? Non enim aliter consequuntur salutem. Si ergo fides orantium Dei prævenit gratiam : nunquid eorum fides, pro quibus oratur ut credant, Dei prævenit gratiam? Quandoquidem hoc pro eis oratur, ut non credentibus, id est fidem non habentibus, fides ipsa donetur. — Si discutiatur et quæratur unde quisque sit dignus, non desunt qui dicant, voluntate humana : nos autem dicimus, gratia vel prædestinatione divina. Inter gratiam porro et prædestinationem hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia vera jam ipsa donatio. Quod itaque ait Apostolus : *Non ex operibus, ne forte quis extollatur, ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis;* gratia est : quod autem sequitur, *quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* (*Ephes.* II, 9.) Prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse; potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus : unde dictum est : *fecit quæ futura sunt.* (*Isa.* XLV, sec. LXX.) Præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit; sicut quæcunque peccata : quia, etsi sunt quædam, quæ ita peccata sunt, ut pœnæ sint etiam peccatorum, unde dictum est : *Tradidit illos Deus in reprobam mentem, ut faciant quæ non conveniunt* (*Rom.* I, 28), non ibi peccatum Dei est, sed judicium. Quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est, ut dixi, præparatio : gratia vero est ipsius prædestinationis effectus.

Digitized by Google

Quando ergo promisit Deus Abrahæ in semine ejus fidem gentium, dicens : *Patrem multarum gentium posui te* (*Gen.* XVII, 5), unde dicit Apostolus : *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini* (*Rom.* IV, 16), non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines; quia, etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant quæ præcepit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit; alioquin ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate; et quod a Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahæ. Non autem sic credidit Abraham, sed *credidit dans gloriam Deo, quoniam quæ promisit, potens est et facere* (*Ibid.*, 20), non ait prædicere : nam et aliena facta potest prædicere atque præscire, sed ait : *Potens est et facere;* ac per hoc facta, non aliena, sed sua.

Sed omnis hæc ratio, qua defendimus gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, vere esse gratiam, id est non secundum merita nostra dari, quamvis evidentissime divinorum eloquiorum testimoniis asseratur; tamen apud eos, qui nisi aliquid sibi assignent, quod priores dent ut retribuatur eis, ab omni studio pietatis reprimi se putant, laborat aliquantum in ætate majorum jam utentium voluntatis arbitrio; sed ubi venitur ad parvulos et ad ipsum mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum, omnis deficit præcedentium gratiam Dei humanorum assertio meritorum : quia nec illi ullis bonis præcedentibus meritis discernuntur a cæteris, ut pertineant ad liberatorem hominum; nec ille ullis humanis præcedentibus meritis, cum et ipse sit homo, liberator factus est hominum.

S. Aug., tom. X. — Quis enim audiat, quod dicuntur parvuli pro suis futuris meritis in ipsa infantili ætate baptizati exire de hac vita; et ideo alii non baptizati in eadem ætate mori, quia et ipsorum præscita sunt merita futura, sed mala; non eorum vitam bonam vel malam, Deo remunerante vel damnante, sed nullam? Apostolus quidem limitem fixit, quem transgredi non debeat hominis, ut mitius loquar, incauta suspicio. Ait enim : *Omnes astabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum.* (*II Cor.* V, 10.) *Gessit*, inquit; non adjunxit, vel gesturus fuit. Sed unde hoc talibus viris in mentem venerit nescio, ut futura quæ non sunt futura, puniantur aut honorentur merita parvulorum. Cur autem dictum est, secundum ea quæ per corpus gessit hominem judicandum, cum gerantur multa solo animo, non per corpus, nec per ullum corporis membrum; et plerumque tam magna, ut talibus cogitationibus pœna justissima debeatur : sicuti est, ut alia taceam, quod *dixit insipiens in corde suo : Non est Deus?* (*Psal.* XIII, 1.) Quid est ergo, *secundum ea quæ per corpus gessit :* nisi secundum ea quæ gessit eo tempore quo in corpore fuit, ut *per corpus* intelligamus per corporis tempus? Post corpus autem nemo erit in corpore, nisi resurrectione novissima; non ad ulla merita comparanda, sed ad recipienda pro bonis meritis præmia, pro malis luenda supplicia. Hoc autem medio tempore inter depositionem et receptionem corporis, secundum ea quæ gesserunt per corporis tempus, sive cruciantur animæ sive requiescunt.

Ad quod tempus corporis pertinet etiam quod Pelagiani negant, sed Christi Ecclesia confitetur, originale peccatum : quod sive soluto per Dei gratiam, sive per Dei judicium non soluto, cum moriuntur infantes, aut merito regenerationis transeunt ex malis ad bona, aut merito originis transeunt ex malis ad mala. Hoc catholica fides novit, in hoc etiam nonnulli hæretici sine ulla contradictione consentiunt. Judicari autem quemquam non secundum merita quæ habuit quandiu fuit in corpore, sed secundum merita quæ fuerat habiturus si diutius vixisset in corpore, unde opinari potuerint homines, quorum ingenia non esse contemptibilia vestræ indicant litteræ, mirans et stupens reperire non possum; nec credere auderem, nisi vobis non credere non auderem. Sed spero adfuturum Deum, ut commoniti cito videant, ea quæ dicuntur futura fuisse peccata, si per Dei judicium in non baptizatis possunt jure puniri, etiam per Dei gratiam baptizatis posse dimitti. Quicunque enim dicit, puniri tantum posse Deo judicante futura peccata, dimitti autem Deo miserante non posse, cogitare debet quantam Deo faciat gratiæque ejus injuriam; quasi futurum peccatum prænosci possit, nec possit ignosci Quod si absurdum est : magis ergo futuris, si diu viverent, peccatoribus, cum in parva ætate moriuntur, lavacro quo peccata diluuntur, debuit subveniri.

Idem, *Cont. Julian.*, lib. VI, tom. X. — Certe hic ubi fati nulla est immobilitas, nulla fortunæ temeritas, nulla personæ dignitas, quid restat nisi misericordiæ veritatisque profunditas? ut sciamus et ex hoc incomprehensibili comprehendamus juxta duos homines, unum per quem peccatum intravit in mundum, alterum qui tollit peccatum mundi, omnes filios concupiscentiæ carnalis undecunque nascantur, ad jugum grave filiorum Adam merito pertinere; et ex his omnes filios gratiæ spiritalis undecunque nascantur, ad jugum suave filiorum Dei sine merito pervenire.

Idem, *De dono perseverantiæ*, c. 9, tom. X. — Ex duobus parvulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur; et ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem non vocetur, aut non ita vocetur; inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur; inscrutabiliora sunt judicia Dei.

Digitized by Google

Illud tandem fidelibus debet esse certissimum : hunc esse ex prædestinatis, illum non esse.

S. Aug., epist. 194, tom. II. — Nec de inscrutabilibus judiciis ejus audeant judicare, cur in una eademque causa super alium veniat misericordia ejus, super alium maneat ira ejus. — Quid enim diligebat in Jacob antequam natus fuisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ donum? Et quid oderat in Esau, antequam natus fuisset aliquid mali, nisi originale peccatum?

Idem, *Contra duas epist. Pelag.* lib. II, tom. X. — Propter quod profecto decipitis (Pelagiani) qui, dicente Veritate : *Non ex operibus*, sed ex vocante dictum est; vos dicitis, ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum esse præsciebat, Jacob fuisse dilectum; atque ita contradicitis Apostolo dicenti : *Non ex operibus*, quasi non posset dicere. Non ex præsentibus, sed futuris operibus.

Idem, epist. 194, tom. II. — *Quid ergo dicemus*, inquit (Apostolus), *nunquid iniquitas est apud Deum? absit!* (*Rom.* IX, 13.) Sed quare *absit?* An propter opera quæ futura præsciebat amborum? Imo et hoc absit. Moysi enim dicit : Miserebor cui misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericors fuero.

S. Prosp., *Ad Gallos.* — A justitia ad iniquitatem, a fide ad impietatem plerosque transire non dubium est; et ad tales prædestinationem filiorum Dei, et cohæredum Christi, non pertinere certissimum est. Quod ergo hujusmodi in hæc prolapsi mala, sine correptione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt. Sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt. Quod autem illos non eo tempore, quo in fide recta et bonis moribus erant, ab hac vita Deus abstulit : ad occulta ejus judicia, quæ tamen nunquam sunt injusta, referendum est. — Non enim relicti sunt a Deo, ut relinquerent Deum; sed reliquerunt et relicti sunt, et ex bono in malum propria voluntate mutati sunt.

S. Greg. Mag., lib. I *Dialog.*, c. 8, tom. II. — Ipsa perennis regni prædestinatio ita ab omnipotenti Deo disposita est, ut ad hoc electi ex labore perveniant : quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare.

[Ex Conciliis.]

Leonis papæ epistolæ 15 *dogmatica ad Turribium Asturicensem episcopum de erroribus Priscillianistarum, in qua* 16 *capitula Turribii approbat.* — Nona autem adnotatio manifesta, quod filios promissionis ex mulieribus quidem natos, sed ex Spiritu sancto dicant esse conceptos : ne illa soboles, quæ de carnis semine nascitur, ad Dei conditionem pertinere videatur...

Ibid. — Undecima ipsorum blasphemia est, qua fatalibus stellis animas hominum et corpora opinantur obstringi.

Ibid. — Decimo autem capitulo referuntur asserere animas, quæ humanis corporibus inseruntur, fuisse sine corpore et in cœlesti habitatione peccasse atque ob hoc a sublimibus ad inferiora delapsas, in diversæ qualitatis principes incidisse et per aerias ac sidereas potestates, alias duriores, alias mitiores, corporibus esse conclusas, sorte diversa et conditione dissimili : ut quidquid in hac vita varie et inæqualiter provenit ex præcedentibus causis videatur accidere...

Canones concilii Arausicani II, *an.* 529, *contra Semipelagianos confirmati a Bonifacio II.* — Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet. Quando autem ita faciunt quod volunt, ut divinæ serviant voluntati, quamvis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas est, a quo præparatur, et jubetur quod volunt.

Ibid. — Aliquos vero ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.

Adriani I epistola, an. 785, *ad episcopos Hispaniæ, de erroribus Egilæ et Mingentii, Elipandi et Iscarici et surculorum quorumdam ex Priscillianistis.* — Illud autem, quod alii ex ipsis dicunt, quod prædestinatio ad vitam, sive ad mortem in Dei sit potestate et non nostra; isti dicunt : Utquid conamur vivere, quod in Dei est potestate? Alii iterum dicunt : Utquid rogamus Deum, ne vincamur tentatione, quod in nostra est potestate, quasi libertate arbitrii?. ..

Ibid. — Porro, dilectissimi, diversa capitula, quæ ex *illis* audivimus partibus, id est, quod multi dicentes se catholicos esse, communem vitam gerentes cum Judæis et non baptizatis paganis, tam in escis quamque in potu et in diversis erroribus, nihil pollui se inquiunt : et illud, quod inhibitum est, ut nulli liceat jugum ducere cum infidelibus; ipsi enim filias suas cum alio benedicent, et sic populo gentili tradentur; et quod sine examine præfati presbyteri ut præsint, ordinantur; et alius quoque immanis invaluit error perniciosus, ut, etiam vivente viro, mulieres sibi in connubio sortiantur ipsi pseudosacerdotes, simulque et de libertate arbitrii et alia multa, sicut de illis audivimus partibus, quæ longum est dici...

Capitula concilii apud Carisiacum contra Gottescalcum habiti 849. — Libertatem arbitrii in primo homine perdidimus, quam per Christum Dominum nostrum recipimus : et habemus liberum arbitrium ad bonum, præventum et adjutum gratia, et habemus liberum arbitrium ad malum, desertum gratia. Liberum autem habemus arbitrium, quia gratia liberatum et gratia de corrupto sanatum.

Ibid. — Christus Jesus Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cujus natura in illo assumpta non fuerit, ita nullus est, fuit vel erit homo, quo pro passus non fuerit; licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur. Quod vero omnes passio-

Digitized by Google

nis ejus mysterio non redimantur, non respicit ad magnitudinem et pretii copiositatem, sed ad infidelium et ad non credentium ea fide, quæ per dilectionem operatur, respicit partem ; quia poculum humanæ salutis, quod confectum est infirmitate nostra et virtute divina, habet quidem in se, ut omnibus prosit : sed si non bibitur, non medetur.

Capitula conc. apud Caris. contra Gottesc. habiti 849.—Deus omnipotens hominem sine peccato rectum cum libero arbitrio condidit, et in paradiso posuit, quem in sanctitate justitiæ permanere voluit. Homo libero arbitrio male utens, peccavit et cecidit, et factus est massa perditionis totius humani generis. Deus autem bonus et justus elegit ex eadem massa perditionis secundum præscientiam suam, quos per gratiam prædestinavit ad vitam et vitam illis prædestinavit æternam : cæteros autem, quos justitiæ judicio in massa perditionis reliquit, perituros præscivit, sed non ut perirent prædestinavit : pœnam autem illis, quia justus est, prædestinavit æternam. Ac per hoc unam Dei prædestinationem tantummodo dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratiæ aut ad retributionem justitiæ.

Ibid. — Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur; quod autem quidam salvantur, salvantis est donum : quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum.

Concilii Valentini, an. 855, *canones de prædestinatione ad Joannem Scotum.*—Sed et de prædestinatione Dei placuit et fideliter placuit, juxta auctoritatem apostolicam, quæ dicit : *Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* (*Rom.* IX, 21) ubi et statim subjungit : *Quod si volens Deus ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata sive præparata in interitum, ut ostenderet divitias* gratiæ suæ *in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam:* fideliter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, et prædestinationem impiorum ad mortem : in electione tamen salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum : in damnatione autem perituroruni meritum malum præcedere justum Dei judicium. Prædestinatione autem Deum ea tantum statuisse, quæ ipse vel gratuita misericordia, vel justo judicio facturus erat, secundum Scripturam dicentem : *Qui fecit, quæ futura sunt.* (*Isa.* XLV, sec. LXX.) In malis vero ipsorum malitiam præscisse, quia ex ipsis est, non prædestinasse, quia ex illo non est. Pœnam sane malum meritum eorum sequentem, uti Deum, qui omnia prospicit, præscivisse et prædestinasse, quia justus est, apud quem est, ut sanctus Augustinus ait, de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quam certa præscientia. Ad hoc siquidem fecit Sapientis dictum : *Parata sunt derisoribus judicia et mallei percutientes stultorum corporibus.* (*Prov.* XIX, 29.) De hac immobilitate præscientiæ et prædestinationis Dei, per quam apud eum futura jam facta sunt, etiam apud Ecclesiasten bene intelligitur dictum : *Cognovi quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum.* (*Eccle.* III, 14) Non possumus addere, nec auferre, quæ fecit Deus, ut timeatur. Verum aliquos ad malum prædestinatos esse divina potestate, videlicet ut quasi aliud esse non possint, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausica synodus, illis anathema dicimus.

Ibid. — Deum præscire et præscisse æternaliter et bona, quæ boni erant facturi, et mala, quæ mali sunt gesturi, quia vocem Scripturæ dicentis habemus : *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant* (*Dan.* XIII, 42), fideliter tenemus et placet tenere, bonos præscisse omnino per gratiam suam bonos futuros et per eamdem gratiam æterna præmia accepturos : malos præscisse per propriam malitiam malos futuros, et per suam justitiam æterna ultione damnandos : ut secundum Psalmistam : *Quia potestas Dei est et Domini misericordia ut reddat unicuique secundum opera sua.* (*Psal.* LXI, 12, 13.) Et sicut apostolica doctrina se habet : His quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, et honorem, et incorruptionem quærunt, vitam æternam : his autem, qui ex contentione et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum. In eodem sensu idem alibi : *In revelatione,* inquit, *Domini nostri Jesu Christi de cœlo cum angelis virtutis ejus in igne flammæ dantis vindictam his, qui non noverunt Deum et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi, qui pœnas dabunt in interitu æternas, cum venerit glorificari in sanctis suis et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.* (*II Thess.* I, 7 seqq.) Nec prorsus ulli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem, ut aliud esse non posset, sed quod ille futurus erat ex propria voluntate, ille sicuti Deus, qui novit omnia antequam fiant, præsciit ex sua omnipotenti et incommutabili majestate. Nec ex præjudicio ejus aliquem, sed ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari. Nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.

Ibid. — Item de redemptione sanguinis Christi, propter nimium errorem, qui de hac causa exortus est, ita ut quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis, qui a mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui æterna damnatione puniti sunt, effusum eum deliniant, contra illud propheticum : *Ero mors tua, o mors, ero morsus tuus, inferne* (*Osee* XIII, 14) : illud nobis simpliciter et fideliter tenendum ac docendum placet, juxta evangelicam et apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipse Dominus noster dicit : *Sicut Moyses*

Digitized by Google

exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. (*Joan.* III, 14, 15, 16.) Et Apostolus : *Christus*, inquit, *semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* (*Hebr.* IX, 28.) Porro capitula [quatuor, quæ a concilio fratrum nostrorum minus prospecte suscepta sunt, propter inutilitatem vel etiam noxietatem, et errorem contrarium veritati : sed et alia] XIX syllogismis ineptissime conclusa et, licet jactetur, nulla sæculari litteratura nitentia, in quibus commentum diaboli potius, quam argumentum aliquod fidei deprehenditur, a pio auditu fidelium penitus explodimus, et ut talia et similia caveantur per omnia auctoritate Spiritus sancti interdicimus : novarum etiam rerum introductores, ne districtius feriantur, castigandos esse censemus.

Conc. Valent. 855 *can. de prædest. ad J. Scotum.*— Item firmissime tenendum credimus, quod omnis multitudo fidelium ex aqua et Spiritu sancto regenerata, ac per hoc veraciter Ecclesiæ incorporata, et juxta doctrinam apostolicam in morte Christi baptizata, in ejus sanguine sit a peccatis suis abluta : quia nec in eis potuit esse vera regeneratio, nisi fieret et vera redemptio : cum in Ecclesiæ sacramentis nihil sit cassum, nihil ludificatorium, sed prorsus totum verum, et ipsa sui veritate ac sinceritate subnixum. Ex ipsa tamen multitudine fidelium et redemptorum, alios salvari æterna salute, quia per gratiam Dei in redemptione sua fideliter permanent, ipsius Domini sui vocem in corde ferentes : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV, 13) ; alios, quia noluerunt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt, redemptionisque gratiam potius irritam facere prava doctrina, vel vita, quam servare, elegerunt, ad plenitudinem salutis, et ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire. In utroque siquidem doctrinam pii, doctoris habemus : *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu in morte ipsius baptizati sumus.* (*Rom.* VI, 3.) Et : *Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis.* (*Galat.* III, 27.) Et iterum : *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.* (*Hebr.* X, 22, 23.) Et iterum : *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia.* (*Ibid.*, 26.) Et iterum : *Irritam quis faciens legem Moysis, sine ulla miseratione duobus aut tribus testibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et Spiritui gratiæ contumelium fecerit?*

Vid. etiam verb. DEUS.

Symbolum fidei a Leone IX propositum Petro episcopo. — Credo etiam Novi et Veteris Testamenti, legis, et prophetarum, et apostolorum unum esse auctorem, Deum et Dominum omnipotentem. Deum prædestinasse solummodo bona, præscivisse autem bona malaque. Gratiam Dei prævenire et subsequi hominem, credo et profiteor, ita tamen, ut liberum arbitrium rationali creaturæ non denegem. Animam non esse partem Dei, sed ex nihilo creatam, et absque baptismate originali peccato obnoxiam, credo et prædico.

Propositiones Ekkardi, an. 1329, *damnatæ a Joanne XXII.* — Virum probum sic debere conformare voluntatem suam voluntati divinæ, ut ipse velit, quidquid vult Deus, dicatque : Quia Deus vult aliquo modo me peccasse, nollem non commisisse peccata. Hanc veram esse pœnitentiam addebat.

Decreta Martini V et concilii Constantiensis: Articuli 30 *Joannis Huss., damnati a concilio Constantiensi et MartinoV.* — Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecit quosdam actus ac ibus Ecclesiæ malignantium consimiles.

Ibid. — Præscitus, etsi aliquando est in gratia secundum præsentem justitiam, tamen nunquam est pars sanctæ Ecclesiæ; et prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia prædestinationis.

Decreta Martini V et concilii Constantiensis. Articuli 45 *Joannis Wikleff damnati a concilio Constantiensi et Martino V per bullam* Inter cunctas, 8 *Kal. Mart., an.* 1418, *et bullam* In eminentis *ejusdem diei.*— Omnia de necessitate absoluta eveniunt.

Propositiones damnatæ ab Alexandro VIII. — *Prop.* 31 *prohibitæ* 7 *Decemb.* 1690. — Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.

Propositiones 5 *Cornelii Jansenii damnatæ ab Innocentio XI.*—Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.

Declarata et damnata uti falsa, temeraria, scandalosa, et, intellecta eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, et hæretica.

Propositiones 101 *Paschasii Quesnelli damnatæ a Clemente XI constitutione* Unigenitus, 8 *Sept.* 1713.—Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.

Ibid.— Quando Deus vult salvare animam, quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

Ibid.— Quando Deus vult animam salvam facere, et eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.

Ibid.— Desideria Christi semper habent suum effectum : pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est electos, de manu angeli exterminatoris.

Ibid. — Proh! quantum oportet bonis ter-

Digitized by Google

renis et sibimetipsi renuntiasse, ad hoc, ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem et mysteria ! ut facit sanctus Paulus dicens : *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* (*Galat.* II, 20.)

Decreta dogmatica concilii Tridentini. Decretum de justificatione, cap. 12. *Prædestinationis temerariam præsumptionem cavendam esse.* — Nemo quoque, quandiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero prædestinatorum: quasi verum esset, quod justificatus aut amplius peccare non possit, aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat. Nam nisi ex speciali revelatione, sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.

Ibid. — Si quis dixerit, hominem renatum et justificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinatorum : anathema sit.

Ibid. — Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum, absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit : anathema sit.

Ibid. — Si quis dixerit non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera ita, ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli : anathema sit.

Ibid., cap. 3 : *Qui per Christum justificantur.* — Verum, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. Nam sicut revera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti ; cum ea propagatione, per ipsum dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant : ita nisi in Christo renascerentur, nunquam justificarentur, cum ea renascentia per meritum passionis ejus, gratia qua justi fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio Apostolus gratias semper agere hortatur *Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, et eripuit de potestate tenebrarum, transtulitque in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum.* (*Colos.* I, 12, 13.)

Ibid. — Si quis justificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate prædestinatos ad malum : anathema sit.

Idem, cap. 13, *De perseverantiæ munere.* — Similiter de perseverantiæ munere, de quo scriptum est : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* (*Matth.* XXIV, 13.) Quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, stabilire, ut perseveranter stet, et eum qui cadet restituere ; nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur ; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere. Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant (*I Cor.* X, 12) ; et cum timore ac tremore salutem suam operentur (*Philip.* II, 12) in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus et oblationibus, in jejuniis, in castitate. (*II Cor.* VI, 5.) Formidare enim debent scientes, quod in spem gloriæ, et nondum in gloriam renati sunt de pugna, quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo : in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti : *Debitores sumus non carni ; ut secundum carnem vivamus ; si enim secundum carnem vixeritis, moriemini ; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* (*Rom.* VIII, 12, 13.)

PRÆSENTATIO B. MARIÆ

[Ex SS. Patribus.]

ORIGENES, *in c.* XIII *Matthæi.* — Existimo rationi consentaneum esse, virorum quidem munditiei quæ in castitate est, primitias fuisse Jesum ; mulierum autem, Mariam.

S. CYPRIAN. — Homo cujus est Deus, quid amplius quæritis si sufficis Deo, sufficiat tibi Deus.

S. HILARIUS. — Ut ei se totos dedant, cui debere se recolunt et originem et progressum.

S. CYRIL. Hier., *hom. in occurs. Domini.* — Gaude admodum, filia Sion ; prædica gaudium, filia Jerusalem. Choreas age, populo civitatis Dei. Saltate, portæ et muri Sion, ac terra universa. Clamate montes, collesque alte exsilite. Flumina plaudite manibus, ac turbæ circumplectimini Sionem, Dei in ea adventum videntes. Consonent hodie cœlestia terrenis, superaque Jerusalem una cum terrestri laudes conjungat ; propter Christum in ista versantem, qui cœlestis simul et terrestris est. Cœlestem intellectiles virtutes choris circumplectimini : terrestrem terræ, incolæ, una cum angelis laudibus celebrate.

Hodie namque visus est Deus deorum in Sion. Hodie *gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (*Psal.* LXXXVI, 3) Jerusalem, quæ regis magni civitas es. Aperi portas ei qui cœlestes omnibus fores aperuit ; qui omnibus paradisi januas reseravit ; qui monumentorum in cruce portas reclusit ; qui inferni fores a sæculo (seu antiquitus positas) contrivit, et virginitatis portas nova ac stupenda ratione conclusit. Hodie is qui olim Moysi in monte Sina Deo digna cum ma-

Digitized by Google

jestate responsa dederat, factus sub lege servili habitu legem adimplet. Hodie Deus a Thæman in Sion venit. Hodie cœlestis sponsus, cum Dei Matre, suo illo thalamo, in templo se præsentem reddit. Filiæ Jerusalem, exite in occursum ejus : lampades vestras vero lumini festive accendite; animarum vestrarum tunicas sponso Christo concinnate.

Una cum Sione, populi gentium lumina præferentes occurramus. In templo, cum templo quod et Deus et Christus est, simul ingrediamur. Cum angelis angelorum canticum alte personemus : *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Sabaoth. Plenum est cœlum et terra gloria ejus.* (*Isa.* VI, 3.) Plena sunt mundi extrema bonitate ejus; plena ejus laudis universa creatura, plenum omne humanum genus misericordissimæ ejus ad nos demissionis. Cœlestia, terrestria, infera, misericordiæ ejus plena; plena miserationis, plena misericordiæ effectuum, plena donorum, beneficentiarum ipsius plena.

Ergo, *omnes gentes, plaudite manibus.* (*Psal.* XLVI, 2.) Omnes fines terræ, *venite et videte opera Dei.* (*Psal.* XLV, 5.) *Omnis spiritus laudet Dominum.* (*Psal.* CL, 6.) Omnis terra adoret, omnis lingua canat, omnis psallat, omnis glorificet puerum Deum, quadraginta dierum eumdem, et sæculis priorem; puerum parvum, et antiquum dierum; puerum lactentem, et sæculorum factorem. Infantem video, et Deum meum agnosco infantem; lactentem, ac mundo alimenta præbentem; infantem ejulantem, ac vitam mundo gaudiumque largientem infantem; fasciis involutum, qui me a peccatorum fasciis liberat; infantem in ulnis matris, cum carne vere et sine defectu in terris, eumdemque in sinu Patris vere et sine defectu in cœlis.

Infantem video ex Bethlehem Hierosolymam ingredientem, nec a superna Jerusalem quidquam recedentem. Infantem video, secundum legis præscriptum, in templo super terram hostiam offerentem; eumdem vero in cœlis pias universorum hostias suscipientem; eumdem inter senis brachia secundum (assumptæ carnis) dispensationem; atque in cherubicis sedibus pro divina majestate (residentem); eumdem qui offeratur et sanctificetur, quique omnia sanctificet et purificet. Ipse donum est, et templum ipse; ipse pontifex, et idem ara; ipse propitiatorium. Ipse etiam qui offert, et ipse qui pro mundo offertur hostia, et ipse ligna vitæ et scientiæ. Ipse agnus, et idem ignis existens. Ipse holocaustum, et gladius Spiritus. Ipse pastor, et agnus ipse. Idem sacrificus, et sacrificatus ipse. Ipse qui offertur, et ipse qui hostiam suscipit. Lex ipse, et idem nunc factus sub lege.

Agedum vero, quæ ad præsentem diem spectant ex sacris Evangeliis audiamus. Ait enim de Christo admirabilis Lucas : *Postquam impleti sunt dies purgationis eorum secundum legem Moysi, ad duxerunt Jesum in Jerusalem ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini : Quoniam omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur.* (*Luc.* II, 22, 23.) Samuel quidem et Isaac, una cum Jacob, Joseph, aliique qui ex sterilibus præter spem editi sunt, et infecundas matrum vulvas aperuere, sancti Domino sunt vocati. Christus vero qui, utpote unius ac solius unigena, solus ex sola Virgine natus est, nec virginales portas aperuit; non *sanctus Domino*, sed *Sanctus sanctorum*, et Dominus dominorum, et Deus deorum, et primogenitorum primogenitus, et principum princeps, et regnantium Rex, cum vocabitur, tum credetur, et adorabitur, nuncque a Simeone in templo prædicabitur.

Exsultet Adam per Simeonem Christum alloquens in hæc verba : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace.* (*Luc.* II, 29.) Nunc absolvis me æternis vinculis; nunc a corruptione me absolvis; nunc a morte expedis, nunc a tristitia liberas, tu Filius ac Deus meus. Quem in templo Simeon ulnis accipiens, novumque susceptæ carnis mysterium gentibus omnibus ac Judæis annuntians, exsultat et gestit; atque contenta altisonaque voce clamans de ipso dicit : Iste est, qui est, et qui olim erat, ac semper Patri præsens adest consubstantialis, ejusdem throni et gloriæ particeps; eadem potentia, pari virtute, omnipotens, sine initio, increatus, immutabilis, incircumscriptus, invisibilis, ineffabilis, incomprehensus, incontrectabilis, cogitatu major, nullus conjecturis æstimandus.

Audite hæc, omnes gentes : audi, Israel : Dominus Deus tuus, hic est quem tuus ego sacerdos Simeon in ulnis gestans, populum in templo contestans, magna voce prædico. Idcirco attende, populo meus, sermonem meum : inclinate aurem vestram in verba oris mei. (*Psal.* LXXVII, 1.) Hic ille puer est, de quo Isaias prænuntiavit dicens : *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis : et vocatur nomen ejus magni consilii* (Patris videlicet consilii) *angelus, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, potestatem exercens*, (o Israel) *princeps pacis, pater futuri sæculi.* (*Isa.* IX, 6.) Si igitur *Deus fortis* hic puer est, de illo nimirum a Davide dictum est : *Videbitur Deus deorum in Sion* (*Psal.* LXXXIII, 8); de hoc puero clamat Baruch : *Deus in terra visus est, et cum hominibus conversatus est.* (*Baruch* III, 38.)

Omnes cum hodie, tum semper, quæ hujus festivitatis propria sunt, clamemus. Cum angelis choros ducamus; cum pastoribus luce perfundamur; cum magis adoremus. Cum Bethlehem festum agamus diem, una cum Sione occurramus, cum templo sanctificemur. Cum Virgine magnificantes exsultemus. Cum Josepho offeramus, velut duo turtures, corpus et animam; cum Simeone Christum ulnis amplectamur; et cum Anna nostra ex parte confiteamur, ut æternorum bonorum aditu admittamur, gratia et miserationibus, et benignitate

Digitized by Google

Domini et Dei et servatoris nostri Jesu Christi cui gloria et imperium.

GEORG., Nicom., orat. 2, tom. VIII.—Quibus laudibus Virginem prosequi possim? Quis tantus honos ejus puritatem æquans demonstretur, ex qua ipse auctor ejus captus amore, suum tabernaculum ædificavit; in qua habitare non renuit; in qua impletum est paternum consilium; in qua sanctissimus Spiritus requievit? Quænam ei gloria pro meritis respondeat, quam ipse Creator rebus omnibus, uno se excepto, sublimiorem ostendit? O pretiosum munus omne pretium superans! O inter decora, decorum maxime decus! O Deipara rerum pulchrarum supremum ornamentum! Tu, antiquæ nostræ ingenuitatis ruinam, partu illo supra naturam reparasti: tu primæ imaginis exstinctam venustatem, ad pristinam reparasti pulchritudinem: tu primæ parentis in doloribus parturigines, tuo ipsa partu in gaudii fœturam convertisti. Per te, exsul humanum genus ad suas rediit sedes; per te, immortalem paradisi recepimus voluptatem; per te, recessit gladius versatilis; per te, voluptatis occlusæ portæ ad ingressum patuerunt; per te, prophetarum exspectationes eventum habuerunt, eorum testimonia, in te finem acceperunt; per te, habemus resurrectionis nostræ vera symbola; per te speramus consecuturos nos regnum cœlorum, adjutricem te salutis nostræ obtinemus, habemus te nobis auxiliatricem; te os nostrum ad defensionem obtendimus; te nostræ fiduciæ gloriationem circumferimus: ipsi, te, Christianorum cœtus, murum fortissimum habemus: te fideles imperatores arma validissima tenent; per te, hostium audaciam conterupt; per te, victoriæ trophæis potiuntur. Tu porro, Dei genitrix, ne ad te jugiter orantium supplicationem despexeris; manum, quæso, fessis exporrige; auxiliare naufragantibus; bellorum fluctus in tranquillitatem verte; solve in auram nocentium flatus; da congruum orationi, ceu cui facile sit, exitum. Habes, ut mater indespicabilem, ac nesciam repulsæ apud filium fiduciam; habes insuperabilem potentiam, habes vim inexpugnabilem. Ne, rogo, multa nostra peccata, immensam tuæ miserationis vim superent; ne absona nostra opera, incomparabilem misericordiam tuam impedierint. Quanta enim libet multitudine delicta increverint, facile dissolventur, dum tantum ipsa velis. Nihil enim resistit tuæ potentiæ; nihil repugnat tuæ virtuti; cedunt omnia jussioni tuæ; cuncta morem gerunt præcipienti; imperanti omnia serviunt. Te Filius tuus cœlis celsiorem, ac universis præposuit creatis, tuæque illi prælationi ex iis quæ mirabiliter operatur, fidem astruit. Nullus tibi labor ut hæc consequaris; nullo pro his medio Deum creatorem alloqueris; placet ei petitio, intercessio delectat; non recusat implere; quippe suam ipse, tuam gloriam ducit; eaque tanquam Filius exsultans, sic postulata implet, ac si obstrictus debito sit. Hac itaque ego fisus, o domina, incomparabili potentia tua, ac clementia, fructum tibi egenorum labiorum huncce obtuli; minorem quidem illum pro pensitatione, quam ipsa mereris; atqui tamen maximam voluntatem ostendit.

THEOPHYLAC., *Bulgar.*, oratio 2. — Sane quidem hoc nacta justi memoria ut sit cum laudibus, a dignitate procul abire haud raro illius conatum coarguit, qui laudandi partes susceperit. Non enim semper, nec in omnibus sermo rebus exæquatur: ejus vero quæ justorum omnium domina sit Deique regis justitiæ parens existat memoriam laudibus celebrare cum sit animo constitutum, qui fiat ut ea vis orationis, quæ vel modica parte aliqua argumenti dignitatem attingat, usquam occurrerit? Existimo enim, siquidem quidam sunt angelorum sermones, divinorum vere mysteriorum angeli (id est nuntii) ne illos quidem Dei Matris gratias assequi posse. Cujus enim sanctitudo quidquid in creatis est, excessit, eam nullus rei creatæ sermo digne satis laudaverit. Num ergo prorsus silebimus, sermonisque matrem, ejusque nobis vitæ conciliatricem quæ sermone ductuque rationis agitur, sic absque sermone prætereamus; an pro facultate dicentes, atque eam, quantum licet, beatam prædicantes, quæ illi facta magnalia sunt colemus? Quin imo hæc quoque silentio, celebrabimus, eorum prædicantes magnitudinem, quod non comprehendimus? Simul namque et oratoris lingua, et auditoris auris sanctificabitur.

Malo se humanum genus habebat, semelque a Deo avulsum, velut lapis quidam vertice, confractum dispersumque in varias opiniones atque sententias, eoque nomine misere perditum ac corruptum, ferebatur; ductoque a muliere exordio, genus omne error depascebatur; ne firmiori quidem sexui parcens. Quid igitur? Magnus ille hominum conditor etiam, provisor curatorque ostenditur; ac providentiæ jure creationi astruit fidem; sapientiamque qua creata gubernat, ejus qua creavit potentiæ, profert præconem. Debet enim qui condidit, ei quod conditum est, curam habere ac prospicere, si modo illius diuturniorem existentiam velit, et non mox ac fuerit compactum dissolutionem accipere. Sin autem, omnis expers rationis, artisque imperitus auctor ejusdem audiet: vere ille puer, arenasque struens puerorum ludo, ac qui ipse magis ludo habeatur. Haud itaque providentiæ exsortes creator reliquerat: sed cum et collato sermone familiarique alloquio, et conspicua ob oculos specie, et in somnis apparens, intelligentia donaret, et componeret erudiretque, ac omnis generis beneficia præstaret; legemque quæ opem ferret, dedisset; quin jam quoque austerioribus astringeret, ac gravioribus premeret, quo nimirum quidquid carnale esset et superfluum, ac spiritui inhospitum eliquaret ac exprimeret, et quid non faceret? quid non moliretur? Cum omnia vincere nostram socordiam, atque a vertice ad pedes acerbis latronibus vulneratos, neque oleum ne-

Digitized by Google

que alligaturam a lege et prophetis velut secus transeuntibus, nec remedium afferre valentibus; enervante quod in carne nostra peccatum regnaret, accipere non conspiceret; ipse similitudinem carnis peccati ut ineat, benignissima miseratione adigitur, ut peccatum in carne damnans, unusque pro omnibus moriens, universo generi victoriæ jura præstaret. Quod vero mors peccati satellitio fulta regnum obtineret, ac vi maxima adversum nos polleret, velut qui in iniquitatibus concepti, in peccatis nasceremur; idcirco necesse erat nostra ut conceptio ac nativitas sanctificaretur, mortisque torrens peccatorum nativitatis valle decurrens, magno sanctitatis objecto aggere sisteretur ac inhiberetur.

Cum hæc itaque sic se haberent, parque esset, ut quibus in hanc vitam ingressus est januæ primæ gratia potirentur, ut fines illis convenientes consequerentur; etiam quæ partui esset ministratura eligitur, cunctis prælucens virtutibus, ac creatis omnibus præcellens; regia ex tribu, quippe stirpe Davidica sata; parentibus vel ipso partu claris, pietate vero etiam clarioribus; ac quibus illa divino munere fructus concessus sit. Qualia enim Dei judicia! Incedebant illi quidem criminis labe puri in omnibus viis suis; erat vero periculum ne sterilitatis opprobrium non effugerent; sive nimirum eorum Deus fidem probaret, velut etiam progenitoris Abrahæ (solent namque fortioribus semper graviora ingruere, ut et ipsi illustriores coronas accipiant, et posteris exemplo provocatio fiant) sive quid aliud abstrusius, magisque symbolicum in eis ostenderet.

Sed quam putas ii animis pungebantur ac orbitatis memoria intimis visceribus discerpebantur, ac cum primis beatam Annam (quid etenim femina, res delicata ac dolori mœrorique propense obnoxia, tum maxime cum æmulatione substringitur atque pungitur?) sterilitatis gladius concidebat? Quid igitur? Non ad veneficos confugiunt: non ejusmodi flagitant poculum, quod fetandis uxoribus conducat: non impostores vocant, aut amuleta alligant. (hæc quippe eorum esse qui vere ægrotent; quorum absorpti infidelitatis barathro animi ac nequissimi indiffractis colligaculis vincti; haud plane illi, qui in sæculo semen relinquant, digni); sed ad naturæ rerumque Conditorem aspiciunt, qui et a principio augendi viam ac multiplicandi tribuit, et emortuam vulvam Saræ vivificavit: seque jejuniis mancipantes, atque precibus divinam bonitatem prolicientes, nec non vetera mirabilia animo recolentes quorum compotes patriarcharum uxores exstitere; quorum Sunamitis illa, quorum Samuelis mater Anna, in lacrymis seminant, ac metunt in exsultatione: atque his, qui despecti fuerant lumbis immutatis, filiam infantem suscipiunt, tantum iis sanctitate præstantem atque gratia, quantum interest inter Dei in ipsa, inque illis habitationem ac requiem. Nam in illis quidem simpliciter, ac communi modo Deus habitabat, juxta quod dictum est: *Inhabitabo in eis et inambulabo* (*Levit.* xxvi, 12); puellæ vero substantialiter Deus vulvam implevit.

Num itaque accepti muneris obliti sunt? Num degeneres parentes imitati sunt; ac senectutis ducem, substantiæ hæredem, generis scintillam, ad successionem puellam se habituros sperantes, domi mollius educandam retinuerunt? At sane nec illius parentes extitissent, aut a principio ejus fieri compotes meruissent, si ut talia saperent, in animum unquam induxissent: quin potius quidquid carnalis affectionis est mente abstergentes, cunctisque superiores effecti, quod divino munere bonum acceperant, donum Deo offerunt; eique reddendo, ab illo se ipsum nactos ostendunt: atque in templo, vita motuque præditum donarium dominatori addicunt; atque domui Domini decor imponitur, locusque tabernaculi gloriæ illi assignatur. Hæc et David se diligere professus est; ut tamen oculis usurparet, non fuit concessum. Ac quidem obliviscitur filia paternæ domus, regi autem adducitur, quæ ejus pulchritudinis amore inarserat: adducitur autem, non clanculum, nullaque magnificentia ac splendore, sed clara ac celebri pompa. Faustis omnibus domo educitur, cunctis plausu egredientem excipientibus; cognati omnes ac vicini, quotquot item amicitiæ vinculo ejus juncti parentibus erant, patres patri, matres matri congratulabantur: puellæ juvenculæ faces præferentes divinæ puellæ comites procedebant, ac si stellarum corona cum luna subluceat; tota denique Jerosolymorum civitas novæ hujus pompæ spectaculo personabat; cum puellam triennem tanta claritate circumdatam, tali splendore atque luminum gestatione viderent decoratam.

Ubi autem ad templum advenissent, tribus omnis sacerdotalis obviam facta canticis accipiebat; quin et ipsum pontificem, rei miraculum movebat; tantoque amplius quanto magis Deo afflatus erat. Ei porro parentes puellam offerunt, concredunique; ac sterilitatem, quodque de illa votum nuncupaverant, referunt. Quin præterea, puellæ se educatione impares profitentur, divinior cum existat; hujusmodi institutionem exigere quæ illi congruit: nec tanti margaritum splendoris ac inæstimabile pauperculo panno committendum, cum ad majorem gloriam ac ornatum regio ipsum peplo nectere condeceat.

Pontifex autem, majorem tunc in stuporem actus, atque numine afflatus, divinarum vere gratiarum domicilium puellam conspexit; seque ipso longe digniorem ut perpetuo Dei vultui appareret. Intellexit vero quod in lege de arca altiori sensu dicitur, nempe in Sancta sanctorum inferendum esse, ad puellam perspicue spectare. Nihil itaque animi anceps, nihilque cunctatus, quidpiam præsumit justus quod in speciem legi adversaretur; quinimo lege

Digitized by Google

superior effectus; ac superata caligine litteræ, cum spiritu versatur; ferensque intra Sancta sanctorum deponit donarium; puellamque locus suscipit, nulli prætera vivorum aspectus, nulli sacerdotum accessus ac neque pontificis, præterquam semel duntaxat, vestigio calcatus. Decebat enim ut quæ puritatis merito supra omnem naturam sanctificata, atque ex vulva justificata fuerat, legis minime gravitati serviret, quæ nulli justo posita, solis peccatoribus imposita est. Lex enim transgressionum causa intravit, iisque pædagogus imposita est, qui rudiori ea institutione ac pædagogica disciplina egent: illi vero, quæ et angelis emineret non lex, sed gratia, perfectiora præstabat.

Porro Deus, quo sibi ea quæ gerebantur accepta ostenderet, signo communit: quippe angelo ministro ad ejus puellæ quæ oblata fuerat, alimoniam usus; alitque novo ac inaudito modo, cujus partu ipse edendus erat, atque illius opera alendus, ut nihil fere ejus intra humanos modos consistat; sed divina omnia diluceant ac ostendantur. Hoc nobis festivitas. Hoc hodie celebramus, puellæ præsentationem, atque in Sancta sanctorum inductionem. O rem novam, novamque auditionem! Feminam puellam in Dei penetralibus ac locis inaspectis versari. Atqui vel si duntaxat atrium continue calcaret, hoc ipsum ejus cum Domino necessitudinis indicio esset, si quidem his qui rei offensæ erant a Deo constitutum est, *Et atrium meum calcare non adjicietis.* (*Isa.* I, 12.) Si tantum vidisset sancta, id quoque magnæ fiduciæ atque favoris loco habendum esset. Si vel semel in anno ingressa esset; id etiam muliebri majus humilitate foret. Nunc autem superato atrio, ultraque alterum velamen progressa hoc nanciscitur, ut cum Deo jugiter versetur. Ejus quæ hominum generi postmodum indulgenda est, gratiæ arrhabo efficitur; secum ipsa præmonstrans quod nostrum est, iterque faciens universo generi, ac ascensum ingressumque in sancta cœlestia ac vera initians: indeque adeo ostendens evacuatam legem, quæ cum non posset justificare, neque a peccatis mundare, omnes propemodum a sanctorum ambitu excludebat. Futurum enim erat ut Christus per gratiam omnes justificaret, utque medium parietem maceriæ solvens, omnibus inaccessa prius aperiret; cunctisque sanctificatis et emundatis aqua ac spiritu, in sancta recipi præstaret. Idcirco priorem virginem recipit, ac quæ nunc in ea gesta sunt, futuræ secum universi generis reconciliationi, pignus tribuit. Puella infans offertur ob innocentiam ac rectitudinem; quippe talium est regnum cœlorum; ac Dominus susceptor innocentum est, et æquitates vidit vultus ejus. Femina vero propter Evam, ob quam etiam deinceps transgressio; ut ubi abundasset delictum, superabundaret gratia; ejectaque e paradiso mulier, in Sancta sanctorum generi præiret: postremo trimula, per numerum mystice designata Trinitate, quæ sanctitate provexit.

Quid vero pompa? Nempe gratiæ in omnem terram egressæ, non uno loco conclusæ juxta legis angustias, libertas ac propalatio. Quid autem juvenculæ? Animæ scilicet divinæ novæque conspersionis, imitationis gratia Virgini consociatæ. Possum et in facibus quidpiam cernere; vitæ scilicet lumen in Dei gloriam lucens, ac scientiæ illustrationem, in actuosis manibus accensa flamma eisque hærente splendentem. Atque adeo ei, cui sint remissæ manus, ac vigore defectæ, quod ait divinus David, et lumen oculorum et ipsum non adest. Quippe Spiritus sanctus dolosum effugiet, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Tu vero ne umbræ assidens, tuam ob cæcitatem sermone offendaris, nihil sapiens quod sit ultra legem, qui dura cervice, et corde ac auribus incircumcisis, semper resistas spiritui. Fierine potest ut pontifex sic palam prævaricari vellet, remque alea plenam tentare, ni quid divinius de puella certo existimasset? Quo modo sic inconsulto ausuque temerario eam induxisset, nisi te sapientioribus consiliariis fultus esset, tum scilicet manifestatione, tum veritate, quibus pectus ornatum habebat, ac a quibus, ejus quod faciendum esset signum semper exspectabat? Quis sacerdotum ea tulisset? Quomodo ejus rei novitas populum non commovisset, cum alioqui in seditiones proclives essent, novisque semper molitionibus insidias struerent? At enim omnino fortior erat divina voluntas; ac quæ Deus sanctus firmasset, nullus hominum dissipare poterat; arcanisque providentiæ frenis, cunctorum maxillæ premebantur ac continebantur, cum omnes ea quæ fiebant tanquam humanis rationibus superiora laudarent.

At non his assentiris tanquam veris, nec Deo credis? Hoc quidem tibi cum majoribus commune, paternaque ea gloriatio; quibus cum Deo non crederent, sed terram desiderabilem sprevissent, *quadraginta annis*, inquit, *cui fides negata erat, offensus fui, et dixi, semper errant corde.* (*Psal.* XCIV, 10.) At vide, ne et Græcis majus aperias ostium, ut Dei in lege mirabilia non credant, qui sic nostra dire insecteris; ac dum videris legi suffragari, adversus legem tua ferre suffragia et ignorans deprehendaris. Verum Judæi quidem velamen ante oculos ferant, nec quidquam lucidum, ac Deo dignum videant. Compresserunt enim oculos, ac idcirco non cognoverunt; in tenebris ambulant. Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, ejusque signati lumine et formati, non solum quæ festivitatis, sive festivitatis argumentum efficiamur. At vero quanam fiat ratione? Heri anima sterilis eras ac infecunda, quæque prolem vitæ luce dignam nullam pareres? Hodie in utero accipe timorem Domini; jejuniis utere, lacrymis, confessionibus (bonis plane seminibus) ac spiritum tibi salutis gigne; aleque ac proveheo, ea educans fide quæ ad venerandum pertingit Trinitatem; ut neque deorum multitudinem ingeras, id enim vulgare, neque

Digitized by Google

unius principatum, id namque defectus ac penuria est : atque alterum quidem Græcanicæ est turpitudinis, qui deitatis successionem excogitarunt : alterum Judaicæ parcitatis, qui angustioribus animis sensuque, tria capere nequiverunt; ac redde votum Domino, a quo omne datum optimum; nec tuis laboribus, sed illius potentiæ atque gratiæ adscribas bonum fetum.

Theophylac. Bulgar., orat. 2. — Tibi quoque inexstinctum virginitatis seu castitatis lumen illuceat; sicque dignus eris qui in sancta ingrediaris. Absque enim sanctitate et puritate nemo videbit Dominum. Crede Paulo, pari cum Domino consensu, dicenti. Atque in eum modum divino pane ac mystico nutrieris, inferente angelo ac tribuente : siquidem angelus Domini sacerdos dicitur creditur que. Hæc Christianæ festivitatis compendia. Sic Christiani diebus festis lætantur. Virgo es? Gloriam vide virginitatis; quove illa adducat et provehat; quo denique ac per quem alat, neque des commoveri pedem tuum, neque lampas dormitet, neque tibi mors ascendat per fenestras; nec incorruptionis sanctum profanaveris, quod instaurationem nullam admittit. Quis namque sibi virginitatem restituit, vel si carnem maceravit; vel si seipsum etiam cogitationibus subrepentibus inaccessum servavit? Matrimonii tibi vincula injecta sunt? Vide ne nuptias crimineris, quasi a Deo separent : neque vana prætexas. Nam Joachim et Anna, et conjugii jugo obnoxii, nec a Deo alieni fuerunt. Quodque magis inauditum, cum generis successionem sponte dimisissent, immortalem claritatem habent; dataque Deo filia, ut Dei parentes sint atque vocantur, recepere.

Ad hoc respiciens, etiam nuptiis quod officii est ministratio. Ut Cæsari, etiam redde quæ Dei sunt. Ama conjugem ut carnem propriam. Nemo enim seipsum odit; nec ultra domum oculos extendis. *Bibe aquas de puteis tuis; angusta enim aliena* (*Prov.* v, 15) : quæ et ævo hoc carnis afflictionem legum severitate inducant. Ale filios in disciplina et correptione Domini, veritus Israelitici illius pontificis pœnam; sanctificatusque nuptiis es, ac nuptias sanctificati; ambidexter effectus es, qui et ea quæ sæculi sunt religiosa pietate tractaveris, ac in te veram Scripturam ostenderis, *Aptari a Domino uxorem viro* (*Prov.* xix, 14) : præclara sane aptatione, ac qua Deo matrimonii corollis jungatur, cuncta ratione aptanti.

Ista, fratres, utinam festum agamus! utinam de nobis agatur, quo utique etiam in Sancta sanctorum, ac interiora adyta ingredi mereamur (animæ virgines, et a vitiis omnibus puræ ac immunes; quam Scriptura veram virginitatem sentit; faces misericordiæ oleo splendidas tenentes) quo pro nobis præcursor Christus ingressus est, hanc ipsam tum propositi, tumque operis adjutricem habentes, tantorum nobis munerum auctorem, ac quæ nunc per suam festivitatem sanctificet, tumque sanctissimæ atque hominibus magis intimæ Trinitatis decore dignatura sit; Patris, Filii, et Spiritus sancti, qui est unus Deus, quem decet omnis gloria, honor atque adoratio, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

PROVIDENTIA ET FATUM

[Ex SS. Patribus.]

S. Iren., lib. II *contra hæreses.* — Si quis interroget nos, si omnis numerus omnium quæ sunt facta et quæ fiunt, scitur a Deo; et si, secundum illius providentiam, unusquisque eorum eam quæ secundum se est, accepit quantitatem : nobisque consentientibus et confitentibus, quia nihil omnino horum quæ facta sunt et quæ fiunt et fient, scientiam Dei fugit, sed per illius providentiam unumquodque eorum et habitum, et ordinem, et numerum et quantitatem accipere et accepisse propriam, et nihil omnino neque vane, nec ut provenit factum aut fieri, sed cum magna aptatione et conscientia sublimi, et esse admirabilem rationem et vere divinam quæ possit hujusmodi et discernere et causas proprias enuntiare : accipiens a nobis hujusmodi testimonium et consensum, pergat ad hoc, ut et arenam enumeret et calculos terræ, sed et fluctus maris et stellas cœli et causas excogitare numeri qui putatur inventus : nonne in vanum laborans et delirus hic talis et irrationabilis ab omnibus qui sensum habent, juste dicetur? Et quo magis præter cæteros in hujusmodi quæstionibus occupatur et quo plus aliis adinvenire se existimat, reliquos imperitos et idiotas et animales vocans eo quod non suscipiant ejus tam vanum laborem; hoc magis est insanus et stupidus, tanquam fulmine percussus, in nullo cedens Deo; sed per scientiam, quam invenisse se putat, ipsum mutat Deum et jaculatur sententiam suam super magnitudinem factoris.

Orig., *in epist. ad Romanos*, lib. VI, t. IV. — Id Aristotelem induxit, ut quæ cœlo inferiora sunt, nulla regi providentia diceret, quamvis æterna Dei providentia nobis æquabiliter præstetur,

(Coacta terra, seu velit, seu non velit,
Producit herbas, et pecus pascit meum,)

quæ autem ad singulos pertinet, ad veritatem, non ad opinionem, pro meritis cujusque procedat; cætera autem secundum communem naturæ constitutionem lege rationis gubernentur. Sed quia profectæ a contrario spiritu dæmonicæ motiones et operationes hos impetus inordinatos excitant, ac homines alium aliter, singulos et universos, privatim et communiter, pro ratione materiæ et cognationis cum divinis rebus, intus et exterius movent; propterea nonnulli, quorum non levis existimatio est,

Digitized by Google

nullo ordine hoc universum consistere, sed casu temerario agi et ferri censuerunt. In quo non viderunt ex iis quidem, quæ ad totius mundi constitutionem attinent, nihil inordinatum esse aut neglectum, sed unum quoque ratione fieri, unde nec præscriptum sibi ordinem transgrediuntur : hominem autem, quantum ad eum a quo factus est spectat, tum generationis natura, quæ unam et communem rationem retinet, tum corporis quod formatur dispositione, quæ convenientem ipsi legem non transgreditur, tum vitæ exitu qui par et communis manet ordinate se habere; at secundum propriam ipsius rationem et dominantis principis et assectantium dæmonum operationem variis modis ferri et moveri, quamvis communis insit omnibus ratiocinandi facultas.

Nunquam concedendum est, ut sive in præsenti, sive in præteritis, sive etiam in futuris sæculis, non ita unumquemque dispenset divina providentia, ut uniuscujusque meritum arbitrii libertate collectum materiam præbuerit dispensanti. *Justus est enim Deus et injustitia non est apud eum.* (*Joan.* VII, 18.)

S. Hilar., *tractat. in psal.* CXLVI, tom. I.—Confiteri Deum ob id admonemur, quia *operit cœlum nubibus*, quia *parat terræ pluviam*, quia *producit in montibus fenum*, quia *dat jumentis escam ipsorum et herbam servituti hominum et pullis corvorum invocantibus eum.* (*Psal.* CXLVI, 8, 9.) In his enim omnibus Dei et providentia significatur et bonitas; ut, subtecto nubibus cœlo, terris pluvias infundat, ut vertices collium feno vestiat, jumentis pabulum præbeat et avibus cibos præstet, quia ab eo alimoniam universa quæ creavit exspectent.

S. Ephrem., *De virt. et pass.*, tom. III. —Omnia a Deo sunt, tum bona, tum molesta et indigna. Verum illa quidem per beneplacitum, illa vero per dispensationem, illa autem per permissionem, quando secundum virtutem dirigimur. Vult enim Deus ut sine peccato vivamus, et cum pietate ac virtute nostro officio fungamur. Secundum dispensationem autem cum errantes, peccantesque corrigimur : secundum permissionem vero, cum neque a correctione convertimur. Complacuit enim Deo, ut homo salvus fiat, quemadmodum et angeli clamabant dicentes : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, in hominibus bona voluntas.* (*Luc.* II, 14.) Per dispensationem rursus erudit nos Deus peccantes, *ut ne mundo damnemur*, ut ait Apostolus : *dum judicamur autem, a Domino corrigimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* (*I Cor.* II, 32.) Et : *Non est malum in civitate, quod non fecerit Dominus;* hoc est fames, pestes, morbos et occasiones bellorum. Hæc enim omnia peccati sunt remedia. Permittit autem, atque omnino deserit eos qui nolunt aut sine peccatis vivere, aut correpti minime emendari, sed in pravitate permanere, sicut scriptum est : excæcavit oculos eorum Deus et obduravit eorum cor, *et tradidit eos in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* (*Rom.* I, 28.) Hoc est, sivit per eorum libertatem. Et : *Indurans indurabo cor Pharaonis.* hoc est permittam ut induretur propter contumaciam illius.

S. Ephrem, *Reprehensio sui ipsius*, tom. I. —Qui dicit omnia casu fortuitoque fieri, is divinitatem e medio tollit. Istud cogitavi, non inficior. Resipui; sed an Deum mihi placaverim, nescio. De ipso prædicavi : sed utrum verba mea ipsi grata fuerint atque accepta, me latet. De providentia scripsi : sed an id Deo placuerit, ignoro. Domos vidi, et œconomum adesse cognovi. Mundum intuitus sum et providentiam intellexi. Navem absque gubernatore submergi aspexi et inanes hominum labores sine Dei gubernatione esse animadverti. Civitates et respublicas diversas bene constitutas vidi et Dei ordinatione atque præscripto consistere cuncta cognovi. Ex pastore grex viget : et ex Deo cuncta quæ super terram sunt, crescunt et coalescunt. Per agricolam inter triticum et spinas discernitur : et a Deo omnis quæ in terris est prudentia et intelligentia procedit. A rege militaris exercitus dependet ordo : et a Deo vera cunctarum rerum constitutio atque dispositio. Nihil in terra absque capite et origine, quoniam cunctarum rerum principium est Deus. Flumina ex fontibus scaturiunt et a divina sapientia leges. Fructus producit terra, si tamen ex cœlo ipsa fuerit irrigata : adeo ex se ipso fieri nihil potest. Dies lucis copiam suggerit; sed tamen sole indiget ad sui perfectionem. Sic et bona ab omnibus efficiuntur, sed per Deum perficiuntur.

Sol lumen continet; at cœlo, in quo requiescat, opus habet : similiter et Deo pii ac sancti homines indigent, a quo reparentur. Neque lumen sine igne, neque tenebræ absque caligine. Mutuo enim cuncta auxilio indigent. Hoc illius ope indiget; solus autem Deus nullius indiget. Nihil sua sponte in rerum natura existit, quoniam se ipsum facere nemo potest. Nam si quis seipsum faceret, is esset, priusquam fieret; et quo pacto postea talis factus esset; nam quod existit antequam fiat, non indiget ut id fiat quod jam erat. Et quomodo alieno opus habet adminiculo, ad illius quod jam existebat constitutionem, solus igitur Deus non factus sibi quippe repugnat, ut aliquid sponte et a se ipso fiat. Neque ignorat Deus se factum non esse, neque ut nos principium infantiæ habuit. Non est ignarus substantiæ atque essentiæ suæ ; neque enim eam quisquam ipsi concessit. Novit id quod est, omnemque humanam cogitationem excedit. Non invidet, sed parcit nobis. Neque enim audire valemus naturam aut principium rei non factæ, quia nec dici quidem potest. Rei principio carentis principium intelligere nequimus, cum neque tantam intelligendi facultatem habeamus.

Terrena Deus ex monte Sina locutus est; et infinita populi contabuit multitudo : quid igitur si cœlestia loquatur, agemus? E terra locutus est, et homines infiniti contabuerunt ; quid ergo faciemus, si nos e cœlo

Digitized by Google

alloquatur? Rogavit populus, ne Dei vocem audiret; et Deus illi quod petebat, concessit. Moyses Deum, ut cum populo permaneret, oravit : et mortui sunt multi, quia ad divinam naturam appropinquare non poterant. Ostendit igitur Deus fieri propter justitiam suam, ut hominibus justis appropinquet : sicut contra, immedicabilis fit plaga injustis. Parcit itaque nobis et subducit se ut vivamus : sic quoque arcana tegit quæ capere nequimus. Accessit ad Aaron et quod filios ipsius comperiret reos, interemit eos. Accessit ad populum et multos peccatores occidit. Si igitur divina nobis dixerit et non crediderimus, omnes nos interficiet. Ideo autem ea nobis non dicit, quia prævidet nos credituros non esse. Recte igitur agit, prospiciens et consulens nobis, ne moriamur. Non tantam nobis intelligentiam præbet, ne liberæ voluntatis propositum exstinguat. Non majores vires nobis tribuit, ne naturam obruat. Benignitatem non exhaurit, ne a dignitate superetur. Non facit homines angelos, ne suam potestatem confundat : neque angelos efficit Cherubim, ne suum opificium pervertat. Tantum autem cuique tribuit, quantum creata quælibet natura capere potuit. Naturas constituit; et ipsas, utpote mutabiles, misericordiæ indigere reperit : noverat quippe majori eas gratia subsistere. Naturæ enim suam essentiam impertivit, ut subsisteret; sed quod est amplius, pro cujusque viribus misericorditer tribuit intelligendi facultatem, ne superbiæ illis occasio esset, sicut qui pueros ad malum exercent, ipsi magis rei sunt. Quod capere poterant, dedit eis et quod non poterant, ignovit : cum a nemine quod vires superet, exigat. Ne igitur, o mortales, ejus potentiam incusaveritis, quod naturam non fecerit ea capere, quæ capi nequeunt : non enim opifex in causa est, sed ipsa creatura. Artem habet aurifex; sed ei non plus tribuere vult, quam capere possit : sic quoque Deus, quamvis possit, non tamen amplius tribuit, quam rei cujusquam natura patiatur. Et artifex congruentem volens operi suo attribuere venustatem, tantam auri materiam adhibet, quantam capit et non amplius; licet multum illi adhuc auri supersit : nullus enim opifex intelligens adesse plus materiæ auri, de suo subjicit materiam, ut imago perficiatur. Et Deus cum novit omnia admiranda, novit etiam suæ naturæ similem materiam esse non posse. Maximas divitias in res creatas effudit.

Sed quod fieri non potest, ut id fieret, neque cogitavit, neque invenit, neque fecit. Si rem factam efficeret infectam, suam naturam accusaret, quasi ipsa quoque facta esset, et quæcunque volens fecit, non ex sua sapientia produxisset. Non est comprehensibilis Dei potestas, o mortales : cum enim majora possit in rebus creatis, egit quantum capaces erant. Novi mercatores multos posse etiam supra quam possideant. Nam propter illa quæ habent, in omnibus fides eis habetur: at non nisi iis quæ possident, facile negotiantur. Deus quoque nisi res quæ sunt facile fecisset, jure existimaretis qui vultis reprehendere, eum plura non potuisse. Vultis ineffabilem potestatis ejus cernere facultatem? Cœlos et quæcunque in eis sunt, verbo fecit : ex quibus constat, multa majora ac plura eum posse; sed natura procreata amplius non capit. Novi artifices plura quam materia fuerat, excogitare, et ex iis, quæ prompte et expedite elaborant, suæ artis præstantiam declarare. Quanto ergo magis credere oportet, Deum in rebus a se creatis tantum decorem atque pulchritudinem exprimere posse! Quanto autem verbis præstantiora sunt opera, tanto citra ullam comparationem rebus procreatis divina præcellit virtus atque potentia! Facit igitur cuncta ad uniuscujusque necessitatem. Non tamen ulla ipse coactus necessitate tot differentias invenit ac fecit. Qui enim naturas fecit, eum constat et differentias naturarum constituisse : quoniam de primis experimentum dedit in secundis. Non necessitas causa tantæ pulchritudinis exstitit : aliequin opus alterius esset, et non ipsius Dei. Necessitas enim liberam excludit voluntatem; sed cuncta quæ voluit, fecit in cœlis et in terra, sicut Scriptura testatur. Si inordinata rerum confusio Dei laudem celebrat, non sane malum causa boni est, neque ad pietatem adducit. Si malum prius exstitisset, bonum utique fieri non permisisset : alias bonum ipsius fuisset. Si materia adversus Deum constitisset, magnus est error putare rem inanimatam posse pugnare. Quod si materia animam confusionis actionem habuisse dicatur; perabsurdum esset arbitrari animam actionis esse motum : cum nihil eorum, quæ quisquam nostrum facit, anima sit.

Quod si dicas materiæ efficacitatem ex quodam intus coexistente ortam esse; valde sane stultum est existimare in materia, quæ semper in mutatione versatur, aliquid inesse perpetuum. Quomodo enim æternum esse potest, quod est mutabile? Nihil igitur erat, quando non erat, nisi solus Deus; et propterea illo indigent omnia. Ipse enim suapte voluntate fecit illa, non autem aliqua coactus necessitate. Et singula fecit, sicut voluit. Propriam autem habet voluntatem, quæ nulli necessitati subjecta est : atque ideo non sunt illi coæterna quæ fecit. Nam si voluntas ipsius conjuncta necessitati esset, coæterna quoque forent ei quæ ab ipso sunt facta; et operatio voluntati congrueret. At operatio ipsius non fuit necessitati subjecta; alioquin coæterna illi fuissent, quæ sunt ab ipso facta; et sic passionis fuissent expertia, ut voluntas ejus et majestas veneratione atque adoratione dignissima. Ideo non ex necessitate sibi adorationem constituit : nam alias ut adoraretur ea quæ fecit sibi coæterna fecisset. — Ideo jam dicta recensui, ut et in ipsa cognitionis ejus distributione divinam ejus providentiam ostenderem. Ait enim et ipse Christus : *Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo, si cœlestia vobis dixero, credetis?* (*Joan.* III, 12.) Ego vero ita sermonem

Digitized by Google

converto, et dico : Si cœlestia audire nequimus, quo pacto quæ ad divinam pertinent naturam audientes percipiemus atque credemus? Intelligite, fratres, hæc omnia quæ ante dicta sunt, propter me ipsum a me conscripta esse; siquidem vereor ne deteriore illa morte afficiar. De cognitione quippe disserui, ut me in Dei cognitione deliquisse commonstrarem.

S. Chrysost., *De compunct., ad Stelec.*, l. II, c. I. — Etiamsi sexcenties moriamur, etiamsi omnem exhibeamus virtutem, nihil dignum reddimus honoribus quibus a Deo affecti sumus. Vide enim quomodo, cum nullo ex nostris egeret, sed sibi ipse sufficeret, non existentes nos existere fecit, animam inspiravit qualem nulli ex terrenis animalibus, paradisum plantavit. Cœlum extendit, terram substravit, luminaria accendit splendida, terram stagnis, fontibus, fluminibus, floribus et plantis ornavit, cœlum vario astrorum choro distinxit, noctem non minus quam diem, utilem fecit, propter quietem et vires a somno reparatas : nam somnus, non minus quam cibi, corpora nostra alit, ut vel inde palam est, quod famis quidem multas sæpe dies tolerari videamus, absque somno autem vix paucas : ille est qui diei flammam, sive ex radio solari, sive ex diurnis laboribus proveniat, refrigerat et dissolvit, sicque nos vegetos restituit, et adeundis iterum laboribus pares. Hiberna vero tempestas, longiore noctis cursu, plus nobis confert requiei et solatii, dum nos sub tecto manere cogit. Tenebræ autem non frustra, nec temere huic tempori deputatæ sunt : sed pro majori quiete. Quemadmodum enim matres prolis amantes, cum vagientes infantes ad quietem provocant, ulnis complexos, tunicaque oculos eorum operientes dormire faciunt; sic et Deus, tanquam velamen quoddam tenebras per orbem expandens, homines a laboribus quiescere facit. Nisi enim ita esset, nimis negotiis vel pecuniæ cogendæ cupiditate, omnes distraheremur : nunc autem nos vel invitos remittere sudores facit, nec modo corporibus, sed etiam animis non minus quam corporibus, quietem hic rerum ordo procurat.

Quid enim dicatur de temporis hujus quiete et tranquillitate? Quomodo nempe omnia silentio plena et tumultu vacua sint, nulliusque vox audiatur velut in die, ubi alii de paupertate conqueruntur, alii damnum sibi importari clamant, alii morbos mutilaque corpora lugent, pars propinquorum mortem, pars jacturam pecuniarum, alii humanas alias ærumnas, quæ sane plurimæ sunt : ex quibus omnibus veluti procellis eripiens, humanum genus ad portum suum nox recipit. Hæc nobis a nocte bona conferuntur, a die autem illa quæ scimus universi. Quid vero dicatur de commercii facultate? Etenim, ne itinerum longitudo nos a mutuo consortio averteret, breviorem nobis viam, mare scilicet, ubique per orbem Deus diffudit, ut in orbe toto, quasi in domo una habitantes, sic frequenter possimus alii alios adire, ut sua quique commoda proximis suis singuli tradentes, aliena mutuo recipiant, et parvam terræ portionem occupantes, omnibus ubique positis bonis, quasi Domini potiantur : quemadmodum in lauta mensa singulis convivis, quæ ante se posita sunt aliis longe remotis dare, et ab illis, quæ penes se habent extensa solum manu accipere licet.

Quod si quis alia sermone persequi tentaverit, in longitudinem immensam incidet, nec vel exiguam partem attingere poterit. Quomodo enim, homo cum sit, infinitam Dei sapientiam metiri aggrediamur? Cogita interim plantarum varietatem, fructiferarum, infructuosarum, earum quæ in desertis, quæ in agris cultis, in montibus, in planitie. Considera diversitatem in seminibus, in oleribus, in floribus, in animalibus terrestribus, in amphibiis, in natatilibus. Perpende visibilia omnia propter nos facta, cœlum, terram, mare et omnia quæ in iis sunt. Quemadmodum enim si quis regiam splendidam construxerit, multo fulgentem auro, multo gemmarum nitore : ita mundum fabricatus Deus, hominem introduxit ut in hæc omnia regnum obtineret. Quodque longe mirabilius in hac domo est, non ex lapidibus tectum concinnavit, sed ex alia pretiosiore materia condidit, neque candelabri aurei flammam accendit; sed superne lampadas ponens, eas per domus tectum discurrere jussit, ita ut id non utile modo esset, sed magnam etiam nobis pareret voluptatem, pavimentum autem instar opiparæ mensæ adornavit : et hæc præbuit ei qui nihil adhuc boni exhibuerat. Verumtamen post tanta dona, cum erga beneficium homo se ingratum præbuisset, non ideo illum honore privavit; sed expulit tantum ex paradiso, atque sic castigavit, ut ingratum animum ultra procedere cohiberet, et ad pejora declinare impediret.

Hæc porro omnia, hisque plura, secum reputans Apostolus, utpote divino motus Spiritu, quæ ab initio, quæ quotidie, quæ in singulos, quæ in omnes simul, quæ palam, quæ clanculum, multo plura iis quæ manifesta sunt; item quæ secundum œconomiam unigeniti Filii Dei, futura quoque bona, et omnia demum circumspicieus, atque inenarrabilem Dei amorem undique colligens et cogitans, quasi in immensum pelagus delapsus, sic edidicit quot et quantis esset rationibus reddendis obnoxius, quarum ne minimam partem exhibere poterat. Quapropter talia loquebatur, et minima quidem peccata magna cum diligentia scrutabatur; recte facta autem oblivioni mandabat. Sed non perinde nos qui delictorum quidem, licet multa magnaque sint, nec rationem habemus, nec mentionem facimus : si quid autem vel minimum boni fecerimus, id ultro citroque jactamus, nec prius jactandi et gloriandi finem facimus, quam parvum illud per arrogantiam deleamus. Hæc item perpedens David dicebat : *Quid est homo, quod memor es ejus?* (*Psal.* VIII, 5.) Neque id solum, sed ingratum ani-

Digitized by Google

mum ejus incusans dicebat : *Homo cum in honore esset, non intellexit ; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est eis.* (*Psal.* XLVIII, 13.)

S. HIERON., *Commentar. in Ecclesiasten*, tom. II. — Neque fortis in suo confidat robore ; nec sapiens divitias et opes æstimet prudentia congregari ; nec eloquens et doctus per eloquentiam et doctrinam apud populum invenire se posse gratiam ; sed omnia Deo fieri disponente. Et *nisi* ille suo cuncta arbitrio rexerit et *ædificaverit domum, in vanum laboravere qui ædificant eam. Nisi ille custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam.* (*Psal.* CXXVI, 1.) Non est itaque ut illi putant, unus eventus, et incertus vitæ hujus status ; quia, quando non æstimant, repentina morte subducti ad judicium venient.

Idem, *Commentar. in Isaiam*, t. II.—*Quomodo non cognoscis tu quæ sit via spiritus ; et sicut ossa in utero prægnantis, sic nescis opera Dei qui facit omnia.* (*Eccle.* II, 5.) Sicut nescis viam spiritus et animæ ingredientis in parvulum ; et ignoras ossium et venarum varietates in ventre prægnantis ; quomodo ex vili elemento corpus hominis in diversas effigies artusque variatur ; et de eodem semine, aliud mollescat in carnibus, aliud durescat in ossibus, aliud in venis palpitet, et aliud ligetur in nervis ; ita Dei opera scire non poteris, qui factor est omnium. Ex quo docet (Propheta) contraria non timenda ; nec temere de ventis et nubibus — judicandum : cum suo tenore et cursu debeat sator pergere, et eventum Domini sententiæ reservare. *Non enim volentis, neque currentis, sed Dei miserentis est.* (*Rom.* IX, 16.)

Idem, *ibid.* — Providentia Dei omnia gubernantur, et quæ putatur pœna, medicina est.

S. AUG. in lib., *De sing. cler.*—Ubicunque fuerit providentia, frustrantur universa contraria ; ubi autem providentia negligitur, omnia contraria dominantur.

S. AUG. lib. *De serm. Dom. in monte.* — Cum viderimus aliquem servum Dei providere ne ista necessaria sibi desint, non judicemus eum de crastino sollicitum esse ; nam et ipse Dominus propter exemplum loculos habere dignatus est ; et in Actis apostolorum scriptum est : ea quæ ad victum sunt necessaria, procurata esse in futurum propter imminentem famem.

THEODORET., *De providen.*, tom. IV. — Multi admodum et varii eorum qui blasphemiis operam dare student, cunei sunt, et diversa multum blasphemiarum tela et jacula. Mendacium enim multiplex et varium, sed veritatis gratia simplex est. Poetarum siquidem phalanx, dum divinum numen verbis quasi in partes dividit, et mendacia fabularum voluptate condit, ex multis quodammodo et diversis herbis confusam potionem miscens, eo errore qui deorum multitudinem docet, hominum mentes inebriavit. Altera autem illa, quæ pallio albo, et barbæ prolixitate, et capitis capillitio philosophiam metitur, poeticæ theologiæ ludicrum et risu dignum figmentum cernens, alias errorum semitas excogitavit, quæ tamen in idem poetici erroris exitium homines deduxere. Quidam enim illorum fastuoso orationis et verborum ornatu, atque argumentorum fortissimis copiis, turpe illud et fœdum de diis commentum velaverunt. Alii vero ipsis affectibus et perturbationibus hominum, Dei nomina et appellationes tribuere ausi sunt. — Dum hujusmodi quæ jam superbo admodum supercilio, et Attica facundia, non sine summa auditorum admiratione effundunt, complures hominum in aliam traduxerunt erroris speciem : adeo ut qui philosophiam professi, et eo qui ab externo habitu provenit honore potiti, homines affectibus dominari jusserunt, iisdem ut affectus colorent auctores fuerint, mentemque hominis liberam, ut et sui juris existentem, cui affectuum habenæ commissæ sunt, concupiscentiæ et iræ, furto et ebrietati, aliisque affectibus sacrificare imprudenter et stulte persuaserint. Alii rursum, cum nihil præter ea quæ oculis cernuntur, mente concipere possent sed sensibilium duntaxat consideratione mentem constringerent, res istas externas et visibiles deos dixerunt.

Et augustum illud quod horrore hominum aures concutit nomen, alii quidem elementis, alii vero eorumdem partibus assignare dignati sunt. Et hi quidem mundum per se temere factum esse, alii pro uno plures mundos esse stulta quadam imaginatione somniaverunt. Alii item Deum omnino nullum esse, alii vero, esse quidem Deum, sed nullam eorum quæ in rerum natura sunt, curam gerere ; alii rursum, illum quidem res mundi curare dixerunt, sed id perparce admodum et negligenter facere, et lunæ finibus providentiam terminare, reliquam vero mundi partem fati necessitati servire coactam fortuito ferri tradiderunt. Sunt præterea alii quidam qui Christianorum quidem nomine gloriantur, veritatis autem dogmata palam oppugnant.

Cæterum alios quidem omnes nunc omittamus ; nec enim fieri potest ut sermo noster, ceu in acie consistens, contra omnes hosce simul argumentorum jacula emittat. Quapropter omnes aliæ impiorum turmæ quietem agant : nos vero eorum qui Dei providentiam negare audent, acie in medium protracta, eamdem argumentorum vi perrumpere, perruptam distrahere, et confertis illorum cohortibus dissolutis ipsos captivos ducere conemur, omnemque intellectum in Christi pertrahamus obedientiam. Reliqua vero impiorum turba spectatorum vices agat, et pugnæ certamen spectet. Nam verisimile est nequaquam opus fore, ut cum singulis privatim congressi decertemus ; sed ipsæ sua sponte ad veritatis castra confugient, ubi devictorum stragem viderint, et veritatis vim ac potentiam considerarint.

Quin sequens quoque oratio, etiamsi tar-

Digitized by Google

dior incedat, eos tamen fortasse qui non audiunt, et qui post in ipsius lectionem inciderint, aliquo modo afficiet : *Induti ergo armaturam spiritus, thoracem justitiæ, scutum fidei, galeam salutis, et circumcinctis lumbis balteo per veritatem, et calceati pedibus in præparatione Evangelii pacis : super omnia autem arrepto gladio spiritus qui est verbum Dei, pugnam capessamus : divina autem tuba nostram infirmitatem fulciens succinat.* (*Ephes.* VI.) Nos vero in ipso statim limine adversarios interrogemus quam ob causam providentiæ verbo contradicant, atque hoc, cum Creatorem suum esse fateantur. Ad hos enim nobis in præsentia sermo sit. Unde ad hanc impietatem tanto proruistis impetu ? Quid ex omnibus quæ oculis exposita sunt, inornatum et indecorum vobis videtur ? Quid in toto rerum creatarum numero inordinatum cernitis ? Et quænam creaturæ totius pars justa proportione caret ? Quænam vel formæ, vel quantitatis defectu laborat ? Aut quæ res non rite et concinne mota hanc nobis impietatem peperit ? Inspicite ergo nunc (siquidem hactenus noluistis), visibilium omnium naturam, situm, ordinem, statum, motum, proportionem, consonantiam, decorem, pulchritudinem, quantitatem, usum, delectationem, varietatem, immutationem, et illum qui subinde in idem fit regressum, sed et eam, quæ in corruptibilibus est, perseverantiam et durationem. Cernite, inquam, ipsam Dei providentiam, quæ per singulas mundi partes prospicit, apparet et loquitur, tum etiam per ipsas res tantum non clamitans indomita vestra obturat ora, et effrenes vobis linguas freno coercet. Videte eam in cœlo et in luminibus quæ in cœlo sunt, sole nimirum, luna et stellis : in aere et nubibus, in terra et mari, in omnibus item quæ in terra sunt, in plantis et herbis, in seminibus, in animalibus, tam rationalibus quam brutis, pedestribus, volatilibus, aquatilibus, reptilibus et amphibiis, mansuetis et silvestribus, cicuribus et indomitis.

THEODORET., *De provid.*, t. IV. Ipsi vobiscum perpendite quisnam ille sit qui cœlestes orbes continet, ut in tot annorum millibus cœlum nec consenuerit, nec aliquam e temporis diuturnitate subierit mutationem, idque cum natura patiendi necessitati obnoxia constet, sicut beatus ille David docet : *Ipsi*, inquit, *peribunt, tu vero permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent, et quasi pallium involves ipsos, et mutabuntur. Tu autem unus et idem es, et anni tui non deficient.* (*Psal.* CI, 27,28.) Verumtamen cum et passibili et corruptibili substantia constet, integrum tamen et salvum permansit hactenus, non alia re, quam creatoris sui verbo conservatum. Quod enim hoc condidit Verbum, ipsum quoque conservat, et firmitatem simul soliditatemque illi, quoad voluerit, largitur. Hanc ergo ob causam, cum tantus circa hoc ignis volvatur, solis nimirum, lunæ et reliquorum siderum, tot tamen annorum evolutionibus nec liquefactum funditur, nec arescit, nec incensum ardet. Hasce enim vires ignis natura a creatore acceptas habet. Aurum quippe et argentum, ferrum item et æs, plumbum et stannum, ceram et picem, et quæcunque alia sunt hujus generis, liquefacta dissolvit, et in fluxam naturam transmutat. Lutum vero et palustria, aquisque cœnosa loca, humore consumpto, arere facit. Lapides autem excoquit, et omni duritie exuit, quia solidissimam horum naturam in pulverem redigit. Lignum et fenum et stipulam ocius et facillime incendit.

Atqui nihil horum cœli natura patitur. Nec enim quod in illo glaciale apparet, liquefactum funditur, cum tanta adsit illi ignis copia, nec eadem illius levitate nocet, nec sphæricam quæ in eo est figuram, asperam vel inæqualem reddit ; sed quem primo situm accepit, eumdem in finem usque conservat. Qui enim hoc ceu fornicem constituit, et idem quasi tentorium ad inhabitandum extendit, contrarias sibi invicem naturas amicitiæ legibus constrinxit. Nec ignis naturam aquarum copia exstinguit, nec glaciale illud vel aerium et nubilum cœli corpus nimio illo et ardenti ignis ardore liquescit aut perit. Sed licet vicina sibi cohabitent, celant tamen hostiles vires, et Creatoris sui verbo persuasa perpetuam sanxerunt amicitiam, idque cum inanimata sint, et mente gubernatrice careant : manent tamen, et eum, qui ab initio ipsis constitutus est, terminum custodiunt. Creaturam enim ipse Creator regit, nec navim, quam ipse construxit, regimine et gubernatore destitui patitur. Sed cum idem ipse navim fabricarit, et materiam e qua constat plantaverit, simulque materiam crearit, navimque exstruxerit, clavum quoque ejusdem constanter tenet et regit. Testatur hoc ipsum tot annorum circuli et longissimum temporis spatium, quod navim hanc non corrupit, sed salvam et integram non primis modo hominibus, sed posteritati quoque spectandam exhibet.

Postquam ergo Dei Providentiam in cœlo apparere vidisti, o amice, age nunc ad alias naturæ creatæ partes te deducamus, et ut in pueris fieri consuevit, qui primos gressus figere incipiunt, dextera tua apprehensa, te pedetentim omnem hanc totius creaturæ machinam obambulare et lustrare doceamus. A cœlis itaque in solem ceu in gradum primum descendito, nec ardorem vel incendium metuas, sed ipsum conscende, et diligenter undequaque inspice : nec enim aduret te, si animus tibi erga Creatorem suum candidus et gratus sit : quin potius opificem illum tibi monstrabit, qui ipsum naturæ viribus in contrarium uti jussit. Ignis enim naturali motu in altum ferri consuevit, quemadmodum aqua fluxu deorsum vergente labitur. Nec fas est aquam, ut a montis radice exorta cacumen versus sursum feratur, dirigere, vel igni ut flammam suam deorsum emittat persuadere. Quin si quis, lampadem aut facem tenens, illam manu deorsum deprimere vel mille

Digitized by Google

contendat, flamma tamen in altum fertur, manumque qua fax tenetur impetit, et motum quo illam primo donavit rerum opifex non relinquit, sed intra naturæ fines consistit. Creatori autem facilia factu sunt omnia. Nam quod tuæ dextræ parere recusat, Creatoris et opificis nutibus facile cedit. Et quidem solem et lunam, una cum toto illo stellarum cœtu, cœlo terga vertisse, et radios suos deorsum emittere vidimus. Creatori enim serviunt, et natura illis est quem Creator constituit terminus.

Theodoret., *De provid.*, t. IV.—Tibi quidem minime parebit ignis natura, nec a propria sua potentia recedet, conversus enim tibi est, Creatoris autem nutibus sese accommodat, et cujus natura erat sursum tendendo in altum ferri, deorsum ferri incipit. Similiter et aquarum naturam, cum fluida et laxa sit, sublimem tamen in altum subvehit idem opifex, et ex imis mundi partibus in altum subductam, mediam inter cœlum et terram extendens constituit, non aliquo suffultam præsidio, sed solo verbo in altum subvectam simul et suspensam. Cæterum interea nihil de nubibus audire desideres, nec currere velis priusquam ingredi possis; sed pedetentim circa mundi machinam obambulans, pietatis cursum perdiscito. Verumtamen hic quoque Dei providentiam inspice, quæ soli et lunæ et reliquis stellis insistit, et has ceu voce quadam hominibus faces præferre jubet; nec simpliciter modo faces præferre, sed et temporis divisiones et spatia absolvere. Exoriens enim sol diei auctor est; occidens vero, et se veluti occultans, nocti cedit, cujus caliginosas tenebras lunæ et stellarum beneficio ille rerum conditor temperat. Et sane diem et noctem veluti sorores quasdam videre est, quæ temporis spatia ad hominum usus invicem mutuantur simul et benevole reddunt.

Deficiente enim jam hieme, et novo illucescente vere, quando multi admodum hominibus circa sua opera labores exoriuntur, utpote profectiones et peregrinationes, naviumque e portu deductiones, quando et mare stratum et hiberni frigoris rigore liberum est, terraque segetibus superbiens agricolam ad culturam vocat, et plantæ hortulanum ad putationem, purgationem, rigationem et sarritionem invitant: tunc, inquam, dies operationis tempus hominibus augens a nocte horas mutuo sumit, et paulatim quidem eas recipit, ne nimio augmento iis noceat, qui ejus opera ad res suas conficiendas utuntur. Nimius enim et major solito labor, si subitus incidat, corporibus non mediocriter nocet, quæ nullos aliquandiu labores exercuerunt. Quapropter paulatim suum illud incrementum recipit dies. Ubi vero ad medium æstatis perventum est desinit quidem mutuo sumere, mox vero debiti solutionem aggreditur, adeo ut hanc ne vel in unius diei moram procrastinando rejiciat. Paulatim autem et sensim, quem admodum ante acceperat, ita quod acceptum reddit. Deinde ubi autumni tempore nocti æqualis factus est, se hac minorem fieri non pudet, nec sororem conjugem debito fraudare sustinet, sed deficiens licet, non ante cessat quam debitum omne persolverit, tunc quoque non contemnendam et longam quietis, qua homines curari possint, temporis opportunitatem conficiens. Cum enim frigoris, pluviarum item, luti et cœni molestia domi desidere cogimur, nox ipso die nobis multo jucundior est.

Quin tales quoque est invenire homines, qui ne sic quidem in tantum extenso noctis spatio, quietis et somni satietatem capiunt, sed diluculi orientis fulgorem molestissime ferunt. Porro ubi debitum omne nox recepit, idem diei mutuo reddere non recusat. Et sic quidem omnis vitæ nostræ cursus his spatiis absolvitur, nec minorem quam dies, nox utilitatem hominibus confert. Primo etenim tenebrarum lucisque varietas, ipsam nobis jucundiorem magisque gratam reddit. Unde aurora meridie multo desiderabilior est. Ubi enim nos lucis satietas interdiu cepit, nocturna quiete nobis opus est. Hanc autem assecuti, satietatis fastidium ponimus, et denuo lux nobis gratissima oritur. Similiter laborum quoque tædio capti, fatigatum diurnis operibus corpus noctu quieti tradimus: et ubi hoc lecto simul et somno atque quiete probe curatum est, idem sub auroram, ceu novum ad opera afferimus; tantæ nobis et talis utilitatis nox auctor est. Hujus beneficio mercenarius requiescit, et servus laboribus finem et quietem invenit. Noctis enim tenebræ vel laboriosissimos quosque a laboribus cessare cogunt. Hanc ipsam belligerantes quoque et pugnantes sæpius optaverunt; hi nempe qui et victoria usi, hostes fugientes persecuti sunt; et hanc adventantem conspicati, persequendi finem fecerunt, fugientibus vero fugam concessere securiorem, et magis tutam. Eadem homines domum congregat, et dulcem somnum illis conciliat; feras autem ad pastum educit, et liberum tutumque pascendi tempus exhibet. Quapropter magnus ille David, Deum omnium Dominum et Creatorem celebrans, exclamat: *Fecit lunam in tempora, et sol cognovit occasum suum. Posuisti tenebras, et facta est nox: in ipsa transibunt omnes feræ silvestres. Catuli leonum rugientes ut rapiant, et quærant a Deo escam sibi. Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus collocabuntur. Exibit homo ad opus suum, et ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperum.* (*Psal.* CIII, 19 et seqq.) Quare hanc etiam commoditatem nos exhibet, quod et homines quiete fovet, et feris escam suam tuto quærendi occasionem præbet.

Idem, *ibid.* — Sed objiciat forte aliquis ex eorum qui providentiam negant numero, cur autem feras curavit Dominus? quænam ab his ad homines redit utilitas? Sed objectionis hujus dilutionem in eum usque sermonem exspectet, quem de feris singularem habebimus: interea suum iter et institutum persequatur oratio. Atqui noctis usum hominibus necessarium, et cum pri-

Digitized by Google

mis utilem esse sufficienter, meo quidem judicio, ea quæ modo diximus, docere possunt : addemus tamen et alia quædam, quæ priora ista suo testimonio confirment. Quoniam enim natura nobis mortalis est, et finitam certisque circumscriptam temporum spatiis vitam vivimus, oportebat utique nos temporum quoque mensuras edoceri. Nox itaque, diebus media intercedens, temporis mensuras constituit. Nam si lux quædam perpetua nullo alio intercedente medio permansisset, certe nec annorum orbes, nec mensium numerum discere, vel edoceri potuissemus; sed unica illa dies continua totius præsentis sæculi mensura fuisset. — Illum quippe diem sine vespero fore, et omni alia successione carituram esse edocti sumus. Etenim ejusmodi sæculum iis qui immortales futuri sunt, convenit. Cum vero in præsenti hoc, propter naturam nostram mortalem fatoque obnoxiam multa nobis desint, temporis mensuras et spatia novisse necessarium est; ut, dum tempus hoc elabi cernimus, salutis cura tangamur, nosque ad peregrinationem et abitionem e sæculo præparemus. Nox itaque diei succedens, temporis mensura est. Et cum hæc septies diem excepit, hebdomadis vel septimanæ spatium complet. Mensi vero spatium ex Luna colligimus, unde nomen etiam illi inditum est. —

Postquam igitur solis et lunæ usum, simulque noctis et diei æquales successiones una cum fructu, qui inde ad iniquos et injustos redit homines, cognovisti, nunc quoque quatuor anni partium jucundissimam simul utilissimamque successionem mihi considera. Nec enim bifariam solummodo anni circulum divisit rerum opifex, nec æstatem duntaxat dedit et hiemem, nec ab extremis sine medio ad extrema transimus, sed ver et autumnus, quibus medium quoddam temperamentum inest, inter frigus et æstum media intercedunt. Et quidem extreme humidum, et frigidum, non æstas extreme sicca et calida excipit, sed vernum tempus, quod dum hujus quidem calori et illius frigori participat, optimum inter extremas hasce anni qualitates temperamentum constituit, et ab iis quæ sibi invicem contrariæ sunt, ceu manibus quibusdam apprehensum, nempe hiemis frigore et æstatis calore in consortium et amicitiam pertrahit, quæ alioqui hostiliter pugnant. Quapropter dum ab hieme ad æstatem progredimur, sine omni modestia id facimus. Nam dum pedetentim illius frigora deserimus, et hujus calori appropinquamus, non ullum damnum ob nimiam mutationem subire cogimur. Similiter ab æstate quoque ad hiemem transimus, medio rursum nobis intercedente autumno, qui nos extreme contrariis non subito appelli patitur, sed summum calorem summo frigori miscens, et aliud quoddam temperamentum constituens, paulatim ad illud quoque extremum nos deducit. Tantam nostri curam gerit summus ille rerum Conditor, qui hoc modo per anni partium successiones non molestia modo nos liberat, sed voluptate quoque delectat !

Sed exsurgat fortasse ingratus quispiam, qui ea quoque quæ bene et pulchre facta sunt, simul sapienter et commode administrantur, reprehendere vel culpare volens dicat, cur sodes, istæ anni conversiones fiunt ? Et quænam ex hisce anni partium successionibus ad nos utilitas redit ? Sed ohe ! sapientissime fortissimeque providentiæ accusator, tu potius dicito, quænam bona non harum beneficio nobis contingant ? Initium enim sumente hieme, semina terris mandamus : qui vero eam nobis artem tradidit, pluviis et nubibus demissis illa nutrit ac fovet, et marinas aquas verbo in altum subvehens, atque sublimes ferens, salsas illas et amaras dulcedine conditas transmutat, et in guttas discernit, quas nunc quidem parvulas demittit, nunc vero majores, et torrentis instar ruentes, perinde ac si cribro aliquo hosce nubium fetus discernat. In hunc ergo usum hibernum tempus conditum est, ut te ingratissimum alat, ut tibi, inquam, iniquissimo beneficiorum cœlestium censori necessarium victum suppeditet. Novo autem incunte vere, alii quidem agricolis vites putare incipiunt, alii vero novas alias conserunt, aerisque calore soluti laxatique palmites gemmare coguntur. Deinde ubi æstas viguerit, et solares radii aerem vehementiori calore incenderint, triticum quidem agricolam ad messem vocat, uvæ nigrescunt, oleæ emtrito jam fructu turgent, et maturescunt pomorum genera. His superveniens autumnus hæc permatura cultoribus suis exhibet, qui ubi fructus omnes collegerunt ad sementem faciendam denuo accinguntur. Desine igitur ingratus esse; desine per ipsius providentiæ munera illi calumnias struere; desine, inquam, bona quæ tibi data sunt, contra datorem et largitorem ceu tela ejaculari. Quin potius in omnibus, quæ hactenus dicta sunt, Dei providentiam agnoscere discito, quæ omnia regit et gubernat, simulque omnium bonorum copiam tibi liberaliter parat.

THEODORET., *De provid.*, t. IV.—Sed stellarum quoque naturam, earumdem situs, ordinem, figuras varias, jucunditatem, utilitatem, motum, ortus et occasus inspice. Has enim summus ille rerum opifex, non in hunc modo finem condidit, ut noctis tenebras suo fulgore illuminent, et luna non fulgente lucis usum hominibus exhibeant ; sed ut iter facientes deducant, et navigantibus viam monstrent. In has enim respicientes nautæ, nullis tritas vestigiis aquarum semitas secant, et harum situs attenti observantes navim regunt, et ad quoscunque voluerint portus appellunt. Quandoquidem enim aquarum natura, nec equorum, nec asinorum, nec mulorum, nec viatorum pedibus calcari, nec curruum rotis percurri, nec etiam aliquibus indiciis notisque signari potest, in quæ, viatores respicere, et iter certum percurrere queant, astrorum situs, ceu vestigia quædam marinorum itinerum per alta

Digitized by Google

maria navigantibus constituere summo illi rerum Domino visum est. O amorem erga homines ineffabilem! O sapientiam inenarrabilem! Quis utique divinæ providentiæ bonitatem, potentiam, in dubiis copiam, in difficilibus facilitatem, operum magnitudinem, divitias pro dignitate admiretur? *Revera mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, non potero ad eam.* (*Psal.* CXXXVIII, 6.) Idem et ego clamo. Quod si vero mihi parueris, eamdem mecum vocem edes, et benefactorem pro virili laudabis, et infinitis beneficiis affectus gratos sermones illi referes. Porro ne tibi nunc primum gressus figere incipienti longioris viæ spatio laborem et molestiam pariamus, hic te quieti tradentes, ut Dei providentiam quæ in cœlo et cœlestibus apparet contempleris, relinquemus. Credo enim fore ut qui hucusque deductus es, contemplationem hanc ipse augeas, et quæ brevitatis studio in hac oratione nostra omissa sunt, ex iis quæ diximus facile colligas, tandemque cum Propheta exclames: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti!* (*Psal.* CIII, 24.) tibi sit gloria in æternum. Amen.

B. THEODORET., *De Providentia*, orat. 5, tom. IV.— Quanta Creatoris et omnium opificis circa nostram naturam cura sit, vobis utique probe perspectum est, o amici et socii, nec ulla verborum doctrina indigetis. Cum enim beneficiorum fontes illinc assidue perspiciatis, largitori horum laudes pro virili offertis. Quia vero nonnullos invenire licet, qui magna stupiditate correpti divina hæc munera non sentiunt, sed cum in bonis divinitus concessis luxurientur, ingratissimas tamen contra Creatorem suum voces eructant, necessarium omnino fuit ut oratio nostra mundum hunc omnem celeri cursu percurrens, et humanam naturam in medium statuens, Dei providentiam, in singulis tam mundi quam nostræ naturæ partibus, evidenter et palam apparere demonstraret. Eadem quoque simul nonnullarum artium, quæ humanæ mentis industria inventæ sunt, sapientiam simul et usum declaravit. Erunt autem fortassis aliqui ex eorum numero qui, cum Deum celebrare nesciant, eumdem calumniis proscindere probe noverunt, qui Deum artium inventionem non soli hominum naturæ et ingenio tradidisse dicent.

Nam minimum illud, inquiunt, volucrum genus, apes nimirum, videre licet, quæ politicæ et sociæ vitæ leges studiose sectantur, propter imbecillitatem autem aculeo armatæ, per vices et ordines ex alvearibus avolant, et aere trajecto nemora et prata camposque circumvolant, et floribus et foliis ac fructibus insident, et quod in his lanuginosum ipsisque ex usu est colligunt, et seipsas onerant, atque ulnis hæc sua onera cervicibus imponunt, deinde sic onustæ in alvearia revertuntur. Præterea favos ædificant, nec regula nec gnomone indigentes, et angulos coæquales omni mathematica scientia præstantiores efficiunt. Sed et parietum texturas, et mellis interstitia vel septa tenuia admodum, veluti ex filis et membranulis quibusdam contexunt, humidamque mellis naturam tenuibus istis, sed crebris tabulatis probe cohibentes, hoc modo dulcissimis liquoribus vasa replere consueverunt. Et quid unquam, aiunt, huic simile ab humano genere, quod in discipulos et doctores distributum, multo labore et tempore, artis cognitionem plene correxit, excogitatum esse constat, quale laboriosum illud et honestati amans apum genus effinxit, quod nec doctorum et discipulorum ordinibus distinctum est, nec per lora et ferulas artem didicit, sed cognatam sibi et a natura insitam habens tam difficilis operis construendi scientiam favos contexit, et nec mensuris, nec centris, nec angulis indigens, vasa sua complet? Vasa, inquam, complet, cum nec botros uvasque exprimat, nec ullis frugibus noceat, sed tenuiorem duntaxat roris partem hauriens, mellis substantiam ingeniose conficit. Sed agedum ex hac ipsa accusatione defensionis argumenta contexamus; facillime enim per seipsam dissolvi poterit. Apes enim, copiosum illum ingeniosumque laborem et optimum atque dulcissimum laboris fructum, humano generi fruendum offerunt. Et tanquam vernæ quidam, quos justi dominii lex cogit, domibus suis exeunt, quod illorum operi conducit legunt, oneribus ferendis satagunt, studiose ædificant, et mellis quod intulerunt liquori, tanquam thesauro signacula et sigilla imprimunt, illumque hominibus, ceu regibus suis, instar tributi et vectigalis assidue persolvunt: quid ergo, o miser, calumniaris? Et cum vectigali hoc fruaris, hujus exactorem conviciis laceras? Et qui alienis laboribus voluptatem tuam adimples, eorumdem largitorem ingratus hisce petis sermonum jaculis?

Nec laborum modo fructus ab hisce percipis, sed aliud quoque hinc metis commodum. Primo enim quanta bona hominibus concordia conferat, et quam dulces illius fructus sint, discis. Politicam enim vitam apum examina imitantur. Nec quidquam apud illas privatum est aut proprium, sed communis opum thesaurus, et indivisa rerum possessio. Non lites habent nec fora; nec enim se mutuis afficiunt injuriis; nec quod plus aut nimium est appetunt: operi faciendo assidue incumbunt, unde fucos a præsepibus arcent, ceu ignavum pecus, qui cum laborare non possint, otiosi tamen alienos labores devorant. Confusam inter multos potestatem, et democratiam odio habent, unum ducem observant, huic parere illis gratissimum est. Et hæc quidem singula faciunt simul et patiuntur, cum nec aliorum sermones audiant, nec legum volumina evolvant, nec doctorum scholas frequentent. Nec enim aliqua illarum alia sapientior est, nec quæ senior est, juniore plus novit aut intelligit. Omnes vero simul ea quæ diximus

Digitized by Google

exsequuntur, cum non in rationali scientia, sed in naturæ scriniis a communi omnium Creatore laboriosum illud et honestissimum operis sui faciundi studium acceperint.

THEODORET., *De provid.*, t. IV —Ad te vero omnium horum, omnisque commodi materia redit. A brutis enim et irrationabilibus, tu qui ratione præditus es, discis otiosam vitam ceu noxiam abominari, virtutis labores alacri animo persequi, ejusdem thesaurum undequaque conquirere principatum, si absit minime ambire, venientem vero et tuæ fidei concreditum recte et juste administrare; res tuas vel opes communes æstimare, et earum fruitionem indigentibus permittere. Illis enim, qui vera sapientia præditi naturæ suæ caracterem integrum conservant, innata ratio ad eruditionem et doctrinam sufficit: eos vero, qui hunc corruperunt, vitamque sequuntur belluinam, rapacem nimirum et sanguinariam, concinna illa et ordinarie instituta brutorum animalium politia vere arguit. Tuæ ergo utilitati vel saluti prospiciens rerum opifex, naturalibus hisce prærogativis brutas animantes ornavit, ut ab iis quoque aliquam utilitatem percipere posses. Et hujus rei Salomon testis est, qui tibi acclamat dicens : *Vade ad formicam, o piger, et æmulare vias ejus. Et proficiscere ad apiculam, et cognosce ut operaria est et opus suum, ceu honestum facit; cujus labores tam reges quam privati ad valetudinem conservandam adhibens.* (*Prov.* VI.) Testis est simul communis ille omnium Deus per prophetam dicens : *Turtur, et cicada, et hirundo, ac passeres agri cognoverunt tempora adventus sui : populus autem meus non cognovit judicia Domini* (*Jer.* VIII.) Et rursus per Isaiam : *Agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui : Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit.* (*Isa.* I, 3.) Homines ergo quos ratione donavit Dominus, hæc brutorum animantium circa res suas administrandas studia accusant. Quamobrem dolore correptus Propheta et hominum ad irrationalem conditionem relapsum tragice exagitans clamavit : *Homo in honore existens non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis.* (*Psal.* XLVIII, 2.)

Feras quoque et belluas atque serpentum genera rerum opifex condidit, ut tuum illum juveniliter insolescentem, et audacem animum ad virtutem erudiret, ac ferarum terrore te divini auxilii indigum faceceret. Horum enim timor ac metus tibi imminens, teque assiduo dolore pungens ac stimulans, ad preces excitare solet, et auxiliatoris opem atque auxilium implorare cogit. Cum vero auxilium petere jubet necessitas, tum quoque colere et observare illum satagis, qui auxilium ferre potest, et eidem assidere cogeris, ut insidiantium damna effugias. Tum enim animo in altum respiciens vindicem quæris, ab iis quæ lædunt liberari cupiens. Unde timor hic tibi ducis loco est, quo ducente ad Deum pervenis. Ne vero indesinenter et assidue hoc timore perculsus, vitam tristitia et doloribus plenam ageres, eadem hæc longiori abs te spatio removit. Venenata enim antris quibusdam abscondit, et in subterraneis cavernis vitam transigere jussit, nequaquam illis liberum faciens, ut audacter, et omni metu posito, homines invadant, sed semper occultari, et raro admodum comparare; visaque hominum conspectum (utpote dominorum suorum) fugere voluit, legemque illis statuit, ut paucissimos et non nisi raro lædant, idque dum non ipsa pugnam exoriuntur, sed lacessita contra hostes sese defendunt. Nec enim aliquis horum timor unquam nos affecisset, si illorum vires humana natura nunquam fuisset experta.

Idem, *ibid.* — Quadrupedum vero generi silvas et cautes et antris plena loca ab hominum consuetudine remotissima, summus ille omnium gubernator ad inhabitandum decrevit. Ad pastum vero certum illis tempus distribuit, noctem videlicet. *Posuisti enim*, inquit Scriptura, *tenebras, et facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes feræ silvestres. Catuli leonum rugientes ut rapiant et quærant a Deo escam sibi. Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis collocabuntur. Exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam.* (*Psal.* CIV, 20 seqq.) Deinde hanc Dei dispensationem admiratus Propheta exclamat : *Quam magnificata sunt opera tua, Domine, omnia fecisti in sapientia.* (*Psal.* CIII, 24.) Quod vero post peccati ingressum, hæc quoque hominum imperium rejecerint, antea vero subjecta fuerint, et servitutem agnoverint, Adam humani generis conditor abunde testatur, qui omnibus nomina indidit, nec timore illorum perculsus, nec fugam arripiens, nec aliquo ab illis nocumento læsus est. Testatur idem secundus ille hominum generis princeps, totius humani generis scintilla et fomes, beatus scilicet Noe, qui non mitium modo, verum etiam ferocissimorum animalium pastor in arca fuit, et per integrum anni spatium tam hæc quam illa uno in loco pascens, carnivora herbarum pabulo vesci coegit. Testatur idipsum salvus et integer custoditus, mundorum animantium numerus.

Testimonium quoque nobis fert magnus ille Daniel, qui leonibus in escam appositus, ipsos virtutis fulgore perterruit, et divinæ imaginis charactere percul t. Postquam enim in imagine archetypi exemplum valde sincerum et integrum conspexere, servitutis jus confessi sunt, et ferociam omnem deposuerunt, Adamum illum se videre putantes, qui ante peccatum nomina ipsis imposuerat. Simile item Paulo apostolo contigit. Cum enim hic lignorum fasciculum accensæ pyræ alimenti loco inferret, et aeris rigorem ignis auxilio tempera et, in lignis delitescens vipera, ignem quidem utpote sibi noxium fugit, apostoli vero manum corripuit, tanquam illum ultura a quo perdenda fuerat : ubi vero levem mollemque peccati naturam non invenit, quin po-

Digitized by Google

tius in fortem et infractam virtutis armaturam impegit, illico resiliit instar jaculi quod in solidum quipiam emissum ad ejaculantem resilire solet ; in pyram autem ardentem abiit ; quasi temeritatis pœnam a seipsa exigens, quod videlicet Domini sui manum furore suo impetiisset. Feræ ergo loris, ferulis, et pædagogicis castigationibus similes videntur. Hæ enim ab iis qui jam perfecti sunt, et puerilem ætatem transierunt, facile contemnuntur ; iis vero qui mente adhuc parvuli sunt, cum primis necessariæ et utiles existunt. Et quemadmodum *justo*, juxta divini Apostoli sententiam, *non est lex posita, injustis vero et immorigeris, impiis et peccatoribus, impuris et profanis, parricidis, et horum similibus* (*I Tim.* I, 9) ; ita feræ, instar castigationis alicujus, hominibus impositæ sunt, quæ eos quidem qui ad peccandum proni sunt, timore percellit et territat ; a virtutis autem alumnis tanquam ludus quisquam contemnitur.

Quapropter cum hinc quoque Dei erga te curam deprehenderis, et omnivariam ejus providentiam cognoris, desine tandem, o amice, calumniari, et laudes dignas benefactori persolvito. Quomodo enim non absurdum fuerit, litteratorem quidem, qui ad tempus pueros cædit, et ferula ignaviæ torporem excutiens, loris firmam litterarum memoriam infigit, collaudare, et medico gratias agere, non modo cum cibum potumque laboranti præbet, verum etiam cum secat, urit, et morbo sese hostiliter opponit, ne ille auctus ulterius serpat, prohibens : Deum vero, qui uberiore sapientia et diligentiori cura animarum saluti prospicit, et bonorum largitione flagrorumque metu virtutis elementa nos edocet, ac malitiæ morbum radicitus evellit, solidamque animæ salutem operatur blasphemiis ac conviciis proscindere ? Prohibe ergo linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur blasphemiam : *Diverte a malo, et fac bonum.* (*Psal.* xxxv, 15.) Curam quam de te habet inspice, et eum qui sua providentia tibi prospicit, collauda, ut tuam circa gratuita sua beneficia gratitudinem conspicatus, et nunc beneficiis te plene affundat, et promissis bonis dignum indicet : quæ utinam et nos consequamur in Christo Jesu Domino nostro, cui sit gloria in æternum, Amen.

PRUDENTIA

[Ex SS. Patribus]

Philo Jud. *De Abrahamo.*— Visus oculorum quidem inter omnes sensus est præcipuus, quo solo percipimus res pulcherrimas, solem, lunam, cœlum, mundum universum, mentis autem excellit inter omnes potentias animæ. Visus enim mentis nihil aliud est quam prudentia. Quod si cui contigit non solum rerum naturæ notitia, verum etiam Patris factorisque omnium, is se sciat summum felicitatis attigisse fastigium. Nihil enim est Deo superius, ad quem si quis pervenit obtutu animæ, precandum est ei ut possit ibi consistere. Nam arduæ viæ, laboriosæ, tardæque sunt : descensus autem per proclivia, qui tractim magis fit quam gradatim, et velox est et facilis ; et sunt multa quæ deorsum deprimunt, quæ nihil possunt efficere, quando Deus animam temperatam suis potentiis, vehementiore momento ad seipsum attrahit.

Idem, *ibid.*, *De temulentia.* — Ait propheta non moriturum qui sobrius sacrificat : quod ruditas mortem, immortalitatem afferat eruditio. Nam sicut nostris corporibus interitum morbus, incolumitatem affert sanitas ; itidem animas prudentia servat, cum ipsa sit mentis sanitas : imprudentia vero interimit, cum sit morbus earum insanabilis.

Idem, lib. I *Legis allegoriarum.* — Dicendum prudentiam fortitudinemque posse murum et vallum adversus contraria vitia ducere, imprudentiam timiditatemque, expugnareque sic ea ; infirmæ enim ambo capiuntur facile. Nam imprudens non ægre in potestatem prudentis redigitur, timidus itidem in fortis. At temperantia non valet concupiscentiam voluptatemque circumvallare ; graves enim sunt adversariæ, nec facile expugnantur. Non vides vel temperatissimos necessitate mortalis corporis ad cibos ac potus adigi, unde ventris voluptates procedunt ? Satius igitur est resistere ac repugnare concupiscentiarum generi.

Idem, *De plantatione Noe.* — Donec in sapientiæ viam mens non progreditur, sed errabunda vagatur, silvestres tantummodo curat arbores, quæ vel in totum steriles sunt, vel fructum ferunt ad cibos incommodum. Sed quando ingressa viam prudentiæ, per decreta ejus ascendit, et incipit in his omnibus decurrere, tum mites et mitium fructuum feraces colit, pro illis silvestribus, tranquillitatem pro perturbationibus, pro ignorantia scientiam, pro malis bona. Quoniam igitur is qui in virtutem introducitur longe a fine abest, merito postquam plantavit, jubetur auferre a planta impuritatem.

Idem, *De sacrificiis.* — Equidem quando aliquem bonum virum habitantem in aliqua domo aut urbe video, et domum et urbem illam beatam prædico, ratus tum præsentem felicitatem ei mansuram perpetuo, tum absentem exspectandam cumulatiorem, Deo ultra modum mensuramque divitias suas in gratiam dignorum etiam in indignos profundere solito. Quibus quia ne senescant precari mihi non licet, precor vitam longissimam, existimans tam diuturnam felicitatem fore hominibus, quam longum illis vitæ tempus contigerit. Proinde, audita morte alicujus eorum, magna tristitia magnoque dolore afficior, non tam

Digitized by Google

ipsorum vicem dolens quam superstitum. Illos enim naturæ ordine necessario manet is exitus, ut post vitam feliciter exactam gloriosa mors eos excipiat. Istis vero destitutis magna potentique manu qua protecti antea fuerant, suorum malorum sensus imminet ; nisi natura tanquam in arbore de qua maturi fructus defluunt, alios recentes substituat, quibus alantur fruanturque quibuscunque datum est. Quemadmodum igitur civitatum certissimum munimentum viri fortes sunt ; ita in uniuscujusque nostrum civitate, quæ constat ex anima et corpore, pro firmissimo propugnaculo sunt cogitationes amicæ prudentiæ.

S. Justin., *Dialog. cum Tryphon.* — Quid majus meliusve facere quisquam possit, quam si rationem omnibus imperare demonstret, illamque apprehendens, eique veluti insidens aliorum errores et studia consideret, quomodo nihil agant quod sanum sit, nihil quod Deo placeat. Prudentia autem sine philosophia et recta ratione inesse nemini potest. Idcirco omni homini philosophandum est, atque hoc maximum et præclarissimum opus existimandum, cætera vero in secundis et tertiis ponenda ; ac philosophiæ quidem si adjuncta fuerint, mediocria, et quæ assumantur digna, si vera incomitata et destituta ab ea sint, cum iis importuna quorum manibus tractantur, tum etiam illiberalia ducenda sunt.

S. Clemens, Alex. *Strom.* — Quemadmodum scientia est habitus sciendi, a quo scire evenit : fit autem ei comprehensio quæ dimoveri non potest a ratione ; ita etiam ignoratio est conceptio cedens, quæ dimoveri potest a ratione ; quod autem dimovetur, ut id quod constituitur ac confirmatur a ratione est in nostra potestate. Scientiæ autem est adjuncta et experientia, quæ Græce dicitur *eidésis*, et quæ *sunesis*, et intelligentia et cognitio. Et erit quidem *eidésis* universorum scientia per species. Experientia autem, scientia comprehensiva, quæ singularia perscrutatur quomodo se habeant. Intelligentia autem est scientia ejus quod sola mente percipitur. Et *sunesis* est scientia ejus quod potest in unum conferri, aut compago quæ dimoveri non potest : aut facultas simul conferendi ea circa quæ versantur prudentia et scientia, et unius et singulorum et omnium quæ in unam conferuntur rationem. Cognitio autem est rei prout est scientia ; aut scientia iis quæ fiunt congrua. Veritas autem veri scientia. Habitus autem veritatis in scientia verorum. Scientia autem consistit per rationem, et alia ratione dimoveri non potest ; et hic cognitionem inquirit. Quæ autem non facimus, ea aut non facimus propterea quod non possimus, aut propterea quod nolimus, aut propter utrumque. Non volamus itaque, quoniam nec possumus nec volumus. Non natamus autem adhuc, verbi gratia, quoniam possumus quidem, sed non volumus. Non sumus autem sicut Dominus, quoniam volumus quidem, sed non possumus. *Nullus est enim discipulus super magistrum : satis est autem, si facti fuerimus sicut magister* (*Matth.* x, 24, 25; *Luc.* vi, 40), non essentia (fieri enim non potest, ut id quod est adoptione, sit essentia æquale ei, quod est natura), sed quod facti simus sempiterni, et ad contemplationem eorum quæ sunt, admissi, et filii appellati simus, et patrem ex iis solum quæ sunt ei conjuncta, videamus. Velle ergo omnia antecedit ; rationales enim facultates sunt voluntatis ministræ. *Velis*, inquit, *et poteris*. Gnostici autem et voluntas, et judicium, et exercitatio est eadem. Si sunt enim eædem animi propositiones, eadem quoque erunt et dogmata, et judicia, ut et verba, et vita, et mores sint ejus instituto consentanea. *Cor autem rectum exquirit cognitiones, et illas exaudit, Deus docuit me sapientiam, et novi sanctorum cognitionem.* (*Prov.* xxvii ; xxx.)

Idem, *ibid.* — Clarum est ergo, omnes quoque alias virtutes, quæ scriptæ sunt apud Moysem, præbuisse Græcis principium totius loci moralis, fortitudinem, inquam, et temperantiam et prudentiam, et justitiam, et tolerantiam etiam, et patientiam, et modestiam, et honestatem, et continentiam, et quæ eas superat pietatem. Sed de pietate quidem est cuilibet manifestum, quod supremam et antiquissimam causam doceat colere et honorare. Eadem quoque lex exhibet justitiam ; et docet etiam prudentiam per abstinentiam a simulacris sensibilibus, et ad universorum effectorem et patrem evocationem. Ex qua quidem sententia, tanquam ex fonte aliquo, augetur omnis intelligentia. *Sacrificia enim iniquorum sunt Domino abominatio : vota eorum autem qui recta via incedunt, sunt ei accepta.* (*Prov.* xv, 8.) Deo enim magis est accepta justitia, quam sacrificium.

S. Basil., *hom. in princ. Proverb.*, tom. II. — Licet intelligere prudentiæ sermones ei qui attendit Proverbiis, ex eisque impigre utilitatem capit. Prudentiam itaque unam esse scimus ex generalibus virtutibus, qua nos homines bona, malaque, et indifferentia edocemur. Prudens enim utique a prudentia per derivationem appellatus est. Quomodo igitur serpens bestiarum omnium prudentissimus fuisse perhibetur ? Et rursus Dominus : *Estote prudentes sicut serpentes.* (*Matth.* x, 16.) Imo villicus iniquitatis prudens vocatus est. At non liquet prudentiæ nomen duplex esse. Una enim suum ipsius commodum tuetur, sic tamen ut simul struat proximo insidias, qualis est serpentis prudentia, caput suum custodientis. Hæc ista videtur astuta quædam esse morum malignitas, quæ cito quod sibi utile est comminiscitur, ac simpliciores deprædatur : quali prudentia fuit villicus iniquitatis. Vera autem prudentia agendorum et non agendorum cognitio est et secretio ; quam qui sequitur, nunquam recedet a virtutis operibus, nunquam exitioso vitii jaculo transfigetur. Itaque qui intelligit prudentiæ sermones, novit qui captiosi sint et ad decipiendum compositi, quinam quoque, qui de optimis in vita agendis nos

Digitized by Google

submoneant, atque mensarii boni more, ut retinebit quod bonum fuerit, ita ab omni specie mala abstinebit. Hæc prudentia tribuit ædificanti domum suam, ut fundamentum ipsius supra petram ponat; hoc est Christi fide suffulciat, ut in imbribus ventisque et fulminum incursibus permaneat immota. Immobilem enim in tentationibus constantiam, tam in iis quæ humanæ sunt, quam in iis quæ nobis e supernis inducuntur, Dominus nobis hujus parabolæ verbis ostendit. Prætereaque nos docet necessaria non negligere, sed vitæ viaticis præmature instructos, in cordis alacritate sponsi adventum exspectare.

S. Ambros. lib. I *De officiis ministrorum*, tom. II. — Prudentia in veri investigatione versatur, et scientiæ plenioris infundit cupiditatem. — Primi igitur nostri definierunt prudentiam in veri consistere cognitione.

S. Ambros., *exposit. Evang. — Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* (*Luc.* VI, 65.) Habes prudentiam, cujus est flere occidua, et ea quæ æterna sunt quærere; lugere sæcularia, quæ se ipsa compugnent: Deum pacis inquirere, qui stulta mundi elegit, ut confundat sapientes; et qui ea quæ non sunt destruat, ut quæ sunt possit adipisci.

S. Chrysost., hom. 41. — Nihil ita prudentes reddit, ut virtus; etenim gratos reddit, probos, benignos, mites, mansuetos, modestos: cætera omnia bona hæc parere solet. Quid hoc modo affectis prudentius? Fons enim vere et radix prudentiæ virtus est; malitia vero ex amentia ortum habet. Arrogans enim et iracundus deficiente prudentia his morbis capitur. Ideo Propheta dicebat: *Non est sanitas in carne mea. Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ.* (*Psal.* XXXVII, 46) Ostendens peccatum quodvis ex insipientia ortum habere; contra vero virtute præditum ac timentem Deum, omnium esse sapientissimum.

S. Hieronym., *Super Oseam.*—Age, tibi ostendam quod etiamsi a supremis ad infima deduxeris eum qui est prudentia præditus, non injicies in animi ægritudinem et tristitiam; et si vis, præfectum e sede urbis dejectum priva illa dignitate. Ipse enim hæc quæ diximus cogitare si velit, nihil inde dolebit. Neque enim reputabit ea quæ sunt ei ablata, sed ea quæ tunc habet, etc. *Vide verb.* Ambitio.

Estote prudentes sicut serpentes (*Matth.* X, 16), quia prudentia absque bonitate malitia est, et simplicitas absque ratione stultitia nominatur.

D. August., *De diversis quæstionibus.* — Prudentia est rerum bonarum et malarum, neutrarumque scientia. Partes ejus memoria, intelligentia, providentia. Memoria, est per quam animus reperit illa quæ fuerunt; intelligentia, per quam ea perspicit quæ sunt; providentia, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum est.

Idem, *De civit. Dei.*—Quid illa virtus quæ prudentia dicitur? Nonne tota vigilantia sua bona discernit a malis, ut in illis appetendis, istisque vitandis nullus error obrepat? Ac per hoc et ipsa nos in malis, vel mala in nobis esse testatur. Ipsa enim docet nos, malum esse ad peccandum consentire, bonumque esse ad peccandum non consentire libidini. Illud tamen malum, cui nos non consentire docet prudentia, facit temperantia, nec prudentia, nec temperantia omnino, vel imprudentiam, vel intemperantiam tollit huic vitæ.

Idem, *ibid.* — Qui sine Salvatore salutem vult habere, et sine vera sapientia æstimat se prudentem fieri posse, non sanus sed æger, non prudens sed stultus in ægritudine assidua laborabit, et in cæcitate noxia demens et stultus permanebit.

B. Theodoret., *De providentia*, tom. IV. — Prudentia sano est rationis qua præditi sumus vigilantia: quemadmodum videlicet desipientia, vel imprudentia, ejusdem est ebrietas quæ ex affectibus genita, et quasi in nubem quamdam condensata, rationem obscurat, eamque quod illi opus est videre non permittit. Unde ejusdem sanitas prudentia nominari consuevit.

S. Greg Mag., epist. 40. — In Scriptura sacra cum in bona intelligentia ponitur simplicitas, vigilanter sæpe prudentiæ atque rectitudini sociatur. Unde etiam de beato Job scriptum est: *Erat vir simplex et rectus.* (*Job* I, 1.) Et beatus Paulus apostolus admonet dicens: *Estote simplices in malo, et prudentes in bono.* (*Rom.* XV, 19.) Et per semetipsam admonet Veritas, dicens: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* X, 16), esse valde inutile indicans, si aut simplicitati prudentia, aut prudentiæ simplicitas desit. Ut ergo servos suos ad cuncta eruditos, efficeret, esse eos et simplices sicut columbas, et prudentes ut serpentes voluit: quatenus in eis et serpentis astutia columbæ simplicitatem acueret, et columbæ simplicitas serpentis astutiam temperaret.

S. Bernard., lib. I *De consideratione*, tom. I.— Ibi etiam advertere tibi est suavissimum quemdam concentum complexumque virtutum, atque alteram pendere ex altera; sicut vides fortitudinis matrem esse prudentiam; nec fortitudinem, sed temeritatem esse quemlibet ausum quem non parturivit prudentia. Hæc item est, quæ inter voluptates et necessitates media, quasi quædam arbitra sedens, utrinque certis limitibus disterminat fines, istis assignans et præbens quod sat est; illis quod nimis est demens; et sic ex alterutro tertiam formans virtutem quam dicunt temperantiam.

Idem, *Tract. de ordine vitæ*, tom. II. — Prudentia agnitione veri delectat. — Decorum agit illud, quod ex radice honestatis proficiscitur. Siquidem prudentia est agnitio veræ fidei, et scientia Scripturarum, in quo intueri oportet illud trimodum genus intelligentiæ, quorum primum est *historicum*; secundum *allegoricum*; tertium superior ille intellectus, quem dicunt *anagogen*.

Idem, serm. 23 *in Cantic.* — Prudentia carnis legi Dei aut repugnat, et inimica est; aut omnino perit, et nulla est; aut resistit, aut ex toto desistit. Potest perimi ut penitus non sit; non potest premi ut ei contemperata sit. Tuum ergo et os et cor hujusmodi

Digitized by Google

exercitatum optas habere prudentia, quæ legi Dei non potest vel associari, vel subjici. Prudentia spiritus vita est et pax. Vitalis est enim prudentia spiritus, usum habens vitæ quæ nunc est, et futuræ. Prudentia vero carnis in præsenti tantum exercetur vita, nullum in ea quæ sequitur, habitura locum. Cupiditatis enim apud inferos nec opus, nec usus est, sed excruciatio. Ista pax est, illa litigium. Et bene pax, cui hoc est evacuari, quod paci non vacare Talem prudentiam ad sponsæ pulchritudinem Christus commemorat. Talis in oculis columbarum depingitur, quæ simplicitatem et spiritualitatem redoleat, eo quod in columbæ figura Spiritus sanctus intelligi soleat. Non solet esse vacua talis simplicitas : multum enim subest latentis gratiæ.

PURGATORIUM

[Ex SS. Patribus.]

Orig., *in Exod.*, tom. II. — Qui salvus fit, per ignem salvus fit, ut si quid forte de specie plumbi habuerit admistum, id ignis decoquat et resolvat, ut efficiantur omnes aurum bonum; quia aurum terræ illius bonum esse dicitur, quam habituri sunt sancti; et sicut fornax probat aurum, sic homines justos tentatio. Veniendum est ergo omnibus ad ignem, veniendum est ad conflatorium (9). Sedet enim Dominus, et conflat et purgat filios Juda. (*Malac.*, III, 3.) Sed et illuc cum venitur, si quis multa opera bona, et parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum tanquam plumbum igni resolvitur ac purgatur, et totum remanet aurum purum. Et si quis plus illuc plumbi detulerit, plus exuritur, ut amplius decoquatur, ut etsi parum aliquid sit auri, purgatum tamen resideat. Quod si aliquis illuc totus plumbeus venerit, fiet de illo hoc quod scriptum est, demergetur in profundum, tanquam plumbum in aquam validissimam. Sed longum est si per ordinem velimus exponere, sufficiat pauca perstringere.

Idem, hom. 2 *in Jerem.*, t. III.— Is qui post fidem et magisterium Dei (*Mss. Regii*, mysterium Dei) rursum ad scelera conversus est, cruciatu purgetur incendii. Beatus qui lavacrum accepit Spiritus sancti, et ignis lavacro non indiget. Miserabilis autem et omni fletu dignus qui, post lavacrum Spiritus, baptizandus est igni. Utrumque siquidem habet baptisma Jesus : *Exiit namque virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendit* (*Isa.* XI); virga peccatoribus, flos justis. Sic Deus et ignis consumens, et lumen in Scripturis dicitur, ignis peccatoribus, lumen sanctis; et : *Beatus qui habet partem in resurrectione prima.* (*Apoc.* XX,6) Si quis servaverit lavacrum Spiritus sancti, iste in resurrectionis primæ parte communicat. Si quis vero in secunda resurrectione servatur, iste peccator est, qui ignis indiget baptismo, qui combustione purgatur, ut quidquid habuerit lignorum, feni et stipulæ, ignis consumat. Quamobrem cum talia post mortem nobis residere videamus, Scripturas diligenter simul recitantes, reponamus eas in cordibus nostris, et juxta earum præcepta vivere nitamur, ut ante excessionis diem, si fieri potest, peccatorum sordibus emundati cum sanctis valeamus assumi, in Christo Jesu, cui est gloria et imperium.

Idem., homil. 16 *in Jerem.*, tom. III.— Quid igitur sequitur, nisi ut primum propter ligna ignis tibi detur, qui consumat lignum, fenum, vel stipulam? Deus quippe noster apud eos qui possunt intelligere divina, ignis dicitur esse consumens. Et cum dicat propheta : *Deus noster ignis consumens est* (*Deut.* IV, 24), non apposuit quid consumat, tibi derelinquens de manifestioribus intellectum. Neque enim id, quod ad imaginem et similitudinem suam permanet, ignis iste consumit, non proprias creaturas; sed superædificata ligna, fenum, stipulam.

D. Cyprian., epist. 52, *ad Antonianum.*— Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam venire, aliud missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem. (*Matth.* V, 26.) Aliud statim fidei et virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari et purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse, aliud denique pendere in diem judicii ad sententiam Domini, aliud statim a Domino coronari.

S. Hilar., *in psal.* CXVIII.— Dimissa sunt tibi peccata, nec ultra peccaveris. (*Matth.* IX, 2.) Si post lavacrum et veniam delictorum, rursus ad pristinas sordes fuerimus reversi, et adhuc imperfecto sensu ab apostolorum vestigiis recedentes, aut injusta gesserimus aliqua, aut certe in ipsa justitia sint aliqua nata peccata, quid nobis fiat consideremus. Utrumne egredientes de præsenti sæculo, si habuerimus vitia vel virtutes, recipiemus pro virtutibus præmia, et dimittentur nobis ea quæ scientes peccavimus; amplectemur pro delictis, neque recipiemus præmia pro virtutibus? Sed neutrum horum verum est, quia et pro peccatis torquebimur, et pro justitia recipiemus præmia quæ meremur. Si enim post fundamentum Jesu Christi, non solum in tuo corde aurum, et argentum, et lapidem pretiosum (si tamen habes aliquid auri vel argenti) superædificaveris; verum et ligna, fenum et stipulam, quid tibi vis fieri cum anima sejuncta fuerit a corpore? Utrumnam ingredi vis in sancta cum lignis tuis, cum feno et stipula, ut polluas regnum Dei? an propter lignum, fenum, et stipulam foris residere, et pro auro, argento et lapide pretioso nihil mercedis accipere? Sed neque hoc æquum est.

Idem, *ibid.* — Et forte si quis existimet sibi in sacramento baptismi perfectam illam innocentiæ, et cœlesti vitæ dignam redditam puritatem, Joannem Bapti-

(9) De hoc loco consule clarissimum Huetium, *Origenianorum* libro secundo, quæstione undecima, num. 2 seqq.

Digitized by Google

stam dixisse recolat : *Ego quidem baptizo vos in aqua pœnitentiæ ; qui autem post me venit, fortior me est : ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni* (*Matth.*, III, 11) : ipsum autem Dominum baptizatum a Joanne, cum adhuc esset in corpore, meminerit locutum, « Adhuc habeo alio baptismo baptizari. » Est ergo, quantum licet existimare, perfectæ illius emundatio puritatis etiam post baptismi aquas reposita : quæ nos sancti Spiritus sanctificet adventu, quæ judicii igni non decoquat, quæ per mortis injuriam a labe morticinæ et societate purgabit, quæ martyrii passione devota ac fideli sanguine abluet.

Et idcirco sanctus Propheta victurum se dicit cum vivat, per hanc scilicet umbram vitæ ad veram illam regionem viventium transferendum. Secundum quod exemplum, ut dixit *vivam ;* ita et *custodiam sermones tuos.* (*Psal.* CXVIII, 17.) Custodiuntur interim secundum apostolum Paulum pro parte et *per speculum.* (*I Cor.* XIII, 9, 12.) Sunt enim multa sæculi scandala quæ prohibent perfectam in nobis mandatorum esse custodiam. Taceo de naturis corporum, quæ nos interim aut per infirmitatem, aut per incentiva vitiorum imperfectos esse compellunt. At vero morte victa, et aculeo ejus obtuso, et cum facie ad faciem audiemus atque cernemus, tunc vere et vivemus, et mandata Dei servabimus.

S. Ephrem., *Testam.* — Accedentes, fratres mei, pacem præbete mihi, et dimittite me, quoniam deficiens abeo. Adjuro vos, charissimi, reminiscamini mei in precibus et orationibus ; nam dies meos et horas meas complevi. — Accedite, fratres, et extendentes componite me : statutum est enim me non amplius permansurum. Viaticum suppeditate mihi in orationibus, in psalmis, et in oblationibus ; et quando diem trigesimum complevero, mei memoriam, fratres, facite : mortui enim oblatione juvantur, quam viventes faciunt.

Audi patienter ; et ego tibi de Scriptura, si volueris, proferam. Ad tertiam generationem Moyses in benedictionibus Rubenum vivificavit. Si ergo mortui non adjuvantur, qua de causa Amramides illum benedixit ? Et si defuncti sensu carent, audi quid dicat Apostolus : Si omnino mortui non resurgent, cur pro iis baptizantur ? (*I Cor.* XV, 29) Quod si viri Mathathiæ, qui in mysterio res ordine gestas, quemadmodum legistis, detinebant, debita eorum qui in bello ceciderant, cum essent operibus suis gentilium labe inquinati, in oblationibus mundarunt (*II Mac.* XII), quanto magis sacerdotes Filii Dei, in sanctis oblationibus suis, et in deprecationibus linguarum suarum, mortuorum debita delere poterunt ?

S. Cyril. Hierol., *Ad S. August.* — Ad extremam horam venerabili Eusebio pervenienti gloriosus Hieronymus apparuit, eum benigne confortans. — Tunc ille paulisper tacens, dixit : Quæles credis pœnas et tormenta non solum damnatis, sed etiam in purgatorio existentibus præparari ? Ad quem ego : De incertis quænam vera potest proferri sententia ? Ut enim puto, nostris quibus affligimur pœnis æquari non possunt. Ad quod ille : Si omnes quæ in mundo cogitari possunt pœnæ, tormenta, afflictiones, minori, quæ illic habetur pœnæ, et tormento comparentur, solatia erunt. Mallet enim quilibet viventium omnes quæ hic videntur pœnæ et tormenta, si illas experientia nosceret pœnas, usque ad finem mundi omnibus his simul sine remedio cruciari, quas omnes homines ab Adam huc usque singillatim pertulerunt, quam uno die in inferno sive in purgatorio, minori quæ illic habetur pœna torqueri. Et ideo si causam mei fletus interrogas, timor pœnarum est, quæ peccatoribus juste dantur. Scio namque me erga Deum meum peccasse ; et ipsum justum fore non dubito. Qua de re non mireris si plango ; cum potius si non plangerem, vehementer admirari deberes. Sed potius admirare quare homines qui se mori non dubitant, saltem aliorum experimento tanta hic securitate vivunt, nec tantas cogitant evadere pœnas. Ad hæc dolore tactus intrinseco, ita ut vix verba formare possem, dixi : Heu quid audio ! Sed, quæso, in quo tormenta differunt infernalia ab iis quæ sunt in purgatorio dicas.

Et ille : Nihil inter se differunt, quia eædem sunt magnitudine pœnæ purgatorii et inferni, sed unum est quo differre possunt, quia infernales finem non exspectant, sed augmentum, scilicet in judicii universalis die, quando corpora ibidem cruciabuntur cum animabus : et purgatorii sunt cum fine, nam post expletam pœnitentiam inde exempti, gaudiis beatissimis perfruentur. Ad hæc ego : Sunt omnibus in purgatorio existentibus æqualia tormenta, vel diversa ? Ad hæc ille : Diversa quidem. In aliquibus majora ; in aliquibus vero leviora, juxta magnitudinem peccatorum. Nam in patria etiam beatorum omnes animæ gloriosæ divinam contemplantur speciem, in qua omnis consistit gloria. Quæ quamvis singulæ tanta habeant gaudia quanta velle vel cogitare possunt ; tamen in gaudiis non sunt pares, quia majora hæc possidet, et minora illa, juxta opera quæ fecerunt. Sed si tibi aliqua ex hoc oriretur admiratio, quomodo sanctis possit inesse diversitas gaudiorum, quorum causa est solus ipse Deus, in quo nulla potuit unquam fore diversitas, solutio satis patet. Nam cum divina contemplatio et cognitio, sive intelligentia sit tota merces et gloria ; in aliquo potest esse sanctorum minor, in aliquo vero major. Idcirco cum omnes simul animæ Deum sicuti est videant et cognoscant, aliqua minus videt et intelligit, et sic minor sibi inest gloria ; aliqua vero clarius videt et subtilius intelligit, et sic majorem possidet gloriam. Sic etiam de illorum miserorum damnatorum pœnis dici potest. Nam cum omnes animæ damnatorum in uno consistant pœnarum loco, tamen diversis cruciantur pœnis juxta vitiorum qualitates. Tantum siquidem differt inter Christianorum qui ibi torquentur pœnas, et pa-

Digitized by Google

ganorum, ut paganorum cruciamenta respectu eodem, quæ falsi Christiani et peccatores sustinent, sint quasi nulla ; quanquam ineffabilia sunt, nec a viventibus cogitabilia ut dignum est. Nam illi gratiam Dei in vacuum receperunt, nec voluerunt a peccatis corrigi dum vixerunt, sacris continue vociferantibus Scripturis quas pro nihilo putavere.

Tum ego : Horribile est, inquam, quod dicis ; et utinam sedulo mortalium insistere non cessarent mentibus, tum vel tantarum pœnarum terrore a pravis cessarent, si nollent amore gloriæ ! Sed, quæso, quid ergo te pridie exeunte anima, peccatum est, breviter innotesce. Ad quod ille : Adveniente, inquit, mortis meæ hora, tanta in loco quo migraturus jacebam, nefandorum affluit spirituum multitudo, quod præ multitudine dinumerari omnino non possent ; quorum species talis erat, quod ea nil pœnosius, nilve horribilius excogitari potest. Potius enim quilibet hominum flammis ardentibus arsurum se exponeret, quam earum formarum ictu oculi visione prestringi : qui ad me venientes, omnia quæcunque perpetravi opera contra Deum, ad meam memoriam revocabant, suadentes mihi ut amplius divinam misericordiam, quam tam graviter offenderam, non sperarem, et certe noveris, quod nisi me divina miseratio adjuvisset, eis resistere non valuissem. Nam dum omni vigore spiritus destitutus, eorum verbis paululum assentirem, gloriosus adfuit Hieronymus, magno vallatus agmine angelorum, septies sole splendidior, me confortans, qui ubi illos spiritus immundos fuit intuitus me tam dure exacerbantes, valde commotus erga eos, voce terribili eis dixit : Quid ad hunc, nequitiæ et omnis maledictionis spiritus, venistis ? Nesciebatis hunc meis fore fovendum auxiliis ? Protinus hunc relinquentes, abite, et vestras ab eo elongate nequitias, quantum distat oriens ab occasu. Hic illa maledictorum spirituum societas perterrita, diris ululatibus et clamoribus limen loci in quo jacebam excessit.

Tunc gloriosus Hieronymus aliquibus imperans angelis ne a me discederent, sed quousque reverteretur exspectarent, cum cæteris angelis festinanter abscessit. Eo itaque abeunte, angeli qui ad me custodiendum remanserant, me confortare cæpere, blanda et dulcia promittentes, si forte animo perdurarem. Inter hæc autem consolationis colloquia, hora quasi decursa, secundo beatus Hieronymus veniens, stansque in limine : Velociter, inquit, venite. Tunc subito anima corpus relinquit tam graviter et acerbe, quod certe quantæ fuerint pressuræ et angustiæ intellectu non caperet mens humana, nisi, ut ego, per experientiam didicisset. Si enim omnis humana intelligentia quas vellet angustias et dolores æstimaret, respectu animæ dissolutionis a corpore, tamen illa pro nihilo computaret. Hæc et alia non minus ardua, et valde mortalibus formidanda, quæ pro longitudine præsenti operi non inscribam, audivi, eo loquente. Incipiebat itaque claudi dies occasu solis, quo necesse fuit quid ei post mortem contigerit non explere. Sed quia id præ cæteris affectabam scire, sequenti die duobus aliis cum eo insimul convocatis, ad narrationis illius seriem redii, hoc cupiens ab illis etiam duobus aliis peraudire, ut trium testimonio solidius edocerer. Itaque cum hi jam dictare inciperent, sic respondi : Quanquam hæc utilia sint, nec tæderet sæpius ipsa fari, tamen iis quæ jam audivi omissis, quæso, et quid vobis post dissolutionem corporis evenerit, meo hianti detegatis animo.

S. Cyril., Hier. *Ad S. Aug.* — Ad hoc ille, qui mihi quæ audisti transacto narraverat die : Quod, Cyrille, inquit, interrogas, non est possibile plene fari ; quoniam spirit alia nostris minime sensibus comprehenduntur. Scis namque non te exanimem fore ; tamen quid, aut qualis sit anima, non cognoscis. Deum certe scis omnium esse principium et finem, a quo incipiunt omnia, atque ad quem tendunt ; et tamen quid sit Deus, aut qualis, dum carnis istius gravissimæ corruptibile portas onus, non intelligis ; nisi per speculum scilicet et in ænigmate. Sic etiam de angelis et cæteris incorporeis idem liquet. Cum enim multa, quæ sunt notissima in natura nostræ parvæ intelligentiæ defectu intelligere non possimus, supercœlestia et spiritalia omnino aliena a naturæ cognitione quomodo intelligemus ? Ut dicis, inquam, est ; sed ut potes, quæso, dicas. At ille : Circumloquor, inquit, id quod optas ; et dicam paulo minus quod possum. At hi qui mecum ea, quæ pridie dixi, sunt experti, si ita est, testificabuntur. Mea pridie anima a corpore toto, ut supra fatus sum, pressuris et doloribus dissoluta, subito in ictu oculi ineffabiliter fuit ante Dei judicantis præsentiam deportata. Sed a quibus, et quomodo non agnosco. Nec certe mirum. Nam nunc carnis mole aggravor, tunc autem erat anima sine carne. Fuerunt etiam ibidem istorum animæ, terroribus inexcogitabilibus, quid judex ageret formidantes ? Heu ! cur mortales nesciunt, quibus hoc eveniet quod tunc nobis ? Certe si illorum non foret ignorantia, toties non peccarent. Nullum, quæ toto tempore gessimus peccatorum judicem latere potuit : imo cuncta quæ fecimus, tanquam si forent præsentia, cunctis astantibus clara erant ; ita ut minimum nostrorum cogitaminum, sicuti fuerat, apparebat. Considera quibus et quot agitabatur terroribus. Hinc dæmonum multitudo stabat, mala testificantes quæ fecimus ; locum, modum et tempora declarantes. Hinc nos ipsi ad ea quæ objiciebantur, nullatenus contradicere poteramus, tum quia judicem cuncta scientem, tum quia ipsum quilibet nostrum justissimum sciebat. Heu quid dicam ? Quam sententiam præstolabimur, ob ejus memoriam nunc formido. Hinc mala undique vindictam judici acclamabant, nec ullum pene apparebat bonum quo misericordiam speraremus. Hinc nos dignos sup-

Digitized by Google

plicio omnes qui aderant, exclamabant. Cumque jam nihil deesset nisi sententiam publicari quæ peccatoribus digne datur, ecce gloriosus Hieronymus cunctis splendidior astris, beato Joanne Baptista, summoque apostolorum principe Petro, necnon angelorum ingenti multitudine comitatus, ad præsidentis judicis thronum veniens, nostram sententiam suspendi modico temporis, nosque sibi dari ob reverentiam et devotionem quam sibi contuleramus et propter erroris destruendi necessitatem, ut voluit, impetravit.

S. August., *in psal.* xxxvii. — *Domine, ne in indignatione tua arguas me, neque in ira tua emendes me.* (*Psal.* xxxvii, 2.) Futurum est ut quidam in ira Dei emendentur, ut in indignatione arguantur. Et forte non omnes qui arguuntur emendabuntur; sed tamen futuri sunt in emendatione quidam salvi. Futurum est quidem, quia emendatio nominata est: *Sic tamen quasi per ignem.* (*I Cor.* iii, 15.) Futuri autem quidam qui arguentur, et non emendabuntur. Nam utique arguet eos quibus dicet: *Esurivi et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non potastis me* (*Matth.* xxv, 42), et cætera quæ ibi prosequens, quamdam inhumanitatem et sterilitatem increpitat, malis ad sinistram constitutis, quibus dicitur: *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus.* (*Matth.* xxv, 41.) Hæc iste graviora formidans, excepta vita ista, in cujus malis plangit et gemit, rogat et dicit: *Domine, ne in indignatione tua arguas me.* Non sim inter illos quibus dicturus es: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Neque in ira tua emendes me*, ut in hac vita purges me, et talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus sit; propter illos qui salvi erunt, sic tamen quasi per ignem. Quare, nisi quia hic ædificant supra fundamentum ligna, fenum, stipulam? (*I Cor.* iii, 12.) Ædificarent autem aurum, argentum, lapides pretiosos, et de utroque igne securi essent, non solum de illo æterno qui in æternum cruciaturus est impios, sed etiam de illo qui emendabit eos qui per ignem salvi erunt. Dicitur enim: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* (*Ibid.*, 15.) Et quia dicitur, salvus erit, contemnitur ille ignis. Ita plane quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita. Et nostis quanta hic passi sunt mali, et possunt pati: tamen tanta passi sunt, quanta potuerunt pati et boni. Quid enim quisque maleficus, latro, adulter, sceleratus, sacrilegus pertulit legibus, quod non pertulit martyr in confessione Christi? Ista ergo quæ hic sunt mala, multo faciliora sunt; et tamen videte quemadmodum ea homines ne patiantur, quidquid jusseris faciunt. Quanto melius faciunt quod jubet Deus, ne ista graviora patiantur!

Idem, *De civitate Dei.* — *Ecce venit, dicit Dominus omnipotens: et quis sustinebit diem introitus ejus, aut quis ferre poterit ut aspiciat eum? Quia ipse ingreditur quasi ignis conflatorii, et quasi herba lavantium: et sedebit conflans, et emundans, sicut aurum et sicut argentum, et emundabit filios Levi et fundet eos sicut aurum et argentum: et erunt Domino offerentes hostias in justitia. Et placebit Domino*, etc., etc. (*Malach.* iii, 1 seqq.) Ex his quæ dicta sunt, videtur evidentius apparere in illo judicio quasdam quorumdam purgatorias pœnas futuras. Ubi enim dicitur: *Quis sustinebit diem introitus ejus?* etc. quid aliud intelligendum est? Dicit tale aliquid et Isaias: *Lavabit Dominus sordes filiorum et filiarum Sion, et sanguinem emundabit de medio eorum spiritu judicii et spiritu combustionis.* (*Isa.* iv, 2.) Nisi forte sic eos dicendum est emundari a sordibus, et eliquari quodammodo, cum ab eis mali per pœnale judicium separantur, ut illorum segregatio atque damnatio purgatio sit istorum, quia sine talium de cætero permistione victuri sunt. Sed cum dicit: *Et emundabit filios Levi, et fundet eos sicut*, etc., utique ostendit eos ipsos, qui emundabuntur, deinceps in sacrificiis justitiæ Domino esse placituros, ac per hoc ipsi a sua injustitia mundabuntur, in qua Domino displicebant. Hostiæ porro in plena perfectaque justitia, cum mundati fuerint, ipsi erunt. Quid enim acceptius Deo tales offerunt, quam se ipsos? Verum ista quæstio de purgatoriis pœnis, ut diligentius pertractetur, in tempus aliud differenda est.

S. Bernard., *De obitu Humberti.* — Fratres, dico vobis: volat irrevocabile tempus; et dum creditis vos cavere pœnam istam minimam, incurritis ampliorem. Illud enim scitote quia post hanc vitam in purgabilibus locis centupliciter, quæ fuerint hic neglecta, reddentur usque ad novissimum quadrantem. Scio ego quia durum est homini dissoluto apprehendere disciplinam, verboso silentium pati, vagari solito stabilem permanere; sed durius erit futuras illas molestias tolerare.

[Ex conciliis.

Professio fidei præscripta Waldensibus ad Ecclesiam reducibus ab Innocentio III. — Eleemosynas, sacrificium cæteraque beneficia fidelibus posse prodesse defunctis credimus.

Confessio fidei Michaelis Palæologi, ipsi a Clemente IV an. 1267 *proposita ab ipso in concilio œcumenico Lugdunensi* II, 1274 *Gregorio X oblata.* — Hæc est vera fides catholica et hanc in supradictis articulis tenet, et prædicat sacrosancta Romana Ecclesia, sed propter diversos errores, a quibusdam ex ignorantia et ab aliis ex malitia introductos, dicit et prædicat eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram pœnitentiam suorum consequi veniam peccatorum. Quod si vere pœnitentes in charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et omissis: eorum animas pœnis purgatoriis, seu catharteriis, sicut nobis Joannes explanavit, post mortem purgari.

Digitized by Google

Concilii Florentini decreta. Decretum unionis Græcorum in bulla Eugenii IV Lætentur cœli. — Item, si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem et ut a pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta.

Errores 41 Martini Lutheri damnati a Leone V per bullam Exsurge, Domine, 16 Maii 1520. — Purgatorium non potest probari ex sacra Scriptura, quæ sit in canone.

Ibid. — Animæ in purgatorio non sunt securæ de earum salute, saltem omnes, nec probatum est ullis aut rationibus, aut Scripturis, ipsas esse extra statum merendi aut augendæ charitatis.

Ibid. — Animæ ex purgatorio liberatæ suffragiis viventium, minus beantur, quam si per se satisfecissent.

Ibid. — Animæ in purgatorio peccant sine intermissione, quandiu quærunt requiem et horrent pœnas.

Ibid. — Imperfecta charitas morituri fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere pœnam purgatorii et impedit introitum regni.

Professio fidei Tridentinæ a Pio IV per constitutionem Injunctum nobis 18 *Nov.* 1564, *ex decreto Tridentino sess* 24, *cap.* 12 *de ref. et sess.* 25 *cap.* 2 *de ref. præscripta.* — Profiteor quoque septem esse vere et proprie sacramenta novæ legis a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis licet non omnia singulis, necessaria.

Profiteor pariter in missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis.

Ibid., ex decret. Trident. sess. 25, cap. 11. — Constanter teneo purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse eosque orationes Deo pro nobis offerre atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis, nec non aliorum sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Decreta dogmatica concilii Tridentini. de justificatione. — Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ vel in hoc sæculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit.

Decreta dogmatica concilii Tridentini. Decretum de purgatorio. — Cum catholica Ecclesia, Spiritu sancto edocta, ex sacris litteris, et antiqua Patrum traditione, in sacris conciliis, et novissime in hac œcumenica synodo docuerit purgatorium esse; animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari; præcipit sancta synodus episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam, a sanctis Patribus, et sacris conciliis traditam, a Christi fidelibus credi, teneri, doceri, et ubique prædicari, diligenter studeant. Apud rudem vero plebem difficiliores ac subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio a popularibus concionibus secludantur; incerta item, vel quæ specie falsi laborant, evulgari, ac tractari non permittant; ea vero, quæ ad curiositatem quamdam, aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala, et fidelium offendicula prohibeant.

PURIFICATIO BEATÆ MARIÆ

[Ex SS. Patribus.]

S. Bernard., serm. 1 *in Purific.* — Hodie templi Dominum in templum Domini Virgo mater inducit: Joseph quoque sistit Domino, non suum, sed ejus Filium dilectum, in quo ei bene complacuit. Agnoscit Simeon justus quem exspectabat; Anna quoque vidua confitetur. Ab his quatuor primo hodierna processio celebrata est, quæ postmodum exsultatione universæ terræ, in omni loco et ab omni gente celebraretur. Nec sane mirum, si tunc parva fuit, quandoquidem parvus erat qui suscipiebatur. Nullum ibi locum peccator habuit: omnes justi, omnes sancti, omnes fuere perfecti. Sed nunquid hos tantum salvabis, Domine? Crescat corpus, crescat et miseratio. *Homines et jumenta salvabis, Domine* (*Psal.* xxxv, 7), cum multiplicaveris misericordiam tuam, Deus. In secunda jam processione præeunt turbæ, turbæ sequuntur, nec Virgo portat, sed asellus. Neminem itaque dedignatur, nec ipsos qui computruerunt tanquam jumenta in stercore suo: non dedignatur, inquam, sed si apostolica vestimenta non desint, si doctrina eorum, si morum justitia, si obedientia, si charitas cooperiat multitudinem peccatorum, ex hoc jam processionis suæ gloria non censebit indignos. Magis vero et ipsam, quæ tam paucis collata videtur, nobis quoque ab ipso invenire est reservatam. Quidni reservaret posteris, quam et prærogavit antiquis?

Idem, *ibid.* — David, rex et propheta, *exsultavit ut videret diem istum: vidit, et gavisus est.* (*Joan.* viii, 56.) Alioquin si non viderat, unde psallebat: *Suscepimus*, inquit, *Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.* (*Psal.* xlvii, 10.) Suscepit hanc misericordiam Domini David, suscepit Simeon, suscepimus

Digitized by Google

et nos, et quicunque sunt prædordinati ad vitam : siquidem Christus heri, et hodie, et in æternum. In medio enim templi misericordia est, non in angulo aut diversorio, quia non est acceptio personarum apud Deum. In communi posita est, offertur omnibus, et nemo illius expers, nisi qui renuit. Derivantur aquæ tuæ foras, Domine Deus : nihilominus tamen fons tuus tibi proprius est, et non bibit alienus ex eo. Qui tuus est, non videbit mortem, donec viderit Christum Domini, ut securus dimittatur in pace. Quidni dimittatur in pace, qui Christum Domini habet in pectore? Ipse enim est pax nostra, qui per fidem habitat in cordibus nostris. Tu quomodo hinc exibis, anima misera, quæ ducem itineris Jesum ignoras? Ignorantiam enim Dei quidam habent. Unde hoc? Nempe quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. *Et lux*, inquit, *in tenebris lucet. Et tenebræ eam non comprehenderunt.* (*Joan.* I, 5.) Ac si dicat : Et in plateis derivantur aquæ, et alienus non bibit ex eis ; et misericordia in medio templi est : nemo tamen accedit ex his quos manet æterna damnatio. Medius vestrum stat, o miseri, quem vos nescitis (*ibid.*, 26), ut morientes, antequam videritis Christum Domini, non in pace dimittamini : sed potius rapiamini a rugientibus præparatis ad escam.

Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui. (*Psal.* XLVII, 10.) Longe est hæc gratiarum actio a voce illa gementis : *Domine, in cœlo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes.* (*Psal.* XXXV, 6.) Quid enim? Videturne tibi in medio fuisse misericordia, cum apud solos cœligenas Spiritus haberetur? At ubi sane minoratus est Christus paulo minus ab angelis, factusque est Dei et hominum mediator, ac velut lapis angularis pacificavit per sanguinem suum quæ in cœlis sunt, et quæ super terram ; ex hoc plane jam *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.* (*Psal.* XLVII, 10.) Eramus enim et nos natura filii iræ, sed consecuti sumus misericordiam. Cujus iræ filii, et quam misericordiam consecuti? Nempe filii ignorantiæ, ignaviæ, captivitatis ; et consecuti sumus sapientiam, virtutem, redemptionem. Ignorantia mulieris seductæ excæcaverat nos : mollities viri abstracti et illecti a propria concupiscentia enervaverat nos : malitia diaboli expositos juste a Deo captivaverat nos. Sic ergo nascimur universi, primum quidem viæ civitatis habitaculi prorsus ignari ; deinde imbecilles et ignavi, ut etsi nota nobis esset via vitæ, propria tamen præpediremur et detineremur inertia ; postremo captivi sub pessimo crudelissimoque tyranno, ut, licet prudentes essemus atque robusti, ipsa tamen miseræ servitutis opprimeremur conditione. Nunquid non misericordia et miseratione multa opus habet tanta miseria? Aut certe si jam salvi facti sumus ab hac triplici ira per Christum, *qui factus est nobis sapientia a Deo Patre, et justitia et sanctificatio, et redemptio* (*I Cor.* I, 30), quanta nobis vigilantia opus est, dilectissimi, ne forte quod absit! inveniantur nostra novissima pejora prioribus, si denuo contingat iram incidere, utpote qui, non natura jam sed propria voluntate filii iræ sumus?

Amplectamur itaque misericordiam, quam in medio templi suscepimus, et cum beata Anna non dimoveamur a templo. *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*, ait Apostolus. (*I Cor.* III, 17.) Prope est hæc misericordia, prope est verbum in ore vestro, et in corde vestro. Denique in cordibus vestris per fidem habitat Christus. Hoc templum ejus, et hæc sedes ejus ; nisi forte excidit vobis, quoniam *anima justi sedes sapientiæ est.* Quod ergo frequenter, imo et semper admonere cupio fratres meos, obsecro et nunc, ambulemus non secundum carnem in carne, ne displiceamus Deo. Non simus amici hujus sæculi, ne Dei constituamur inimici. Resistamus quoque diabolo et fugiet a nobis, ut libere jam ambulemus in spiritu, et in corde sit conversatio nostra. Siquidem corpus quod corrumpitur, aggravat, et enervat, et effeminat animam ; et terrena inhabitatio sensum multa cogitantem deprimit (*Sap.* IX, 15), ut ad cœlestia non assurgat. Unde et sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum ; et a maligno qui superatur, ei et servus addicitur. Porro in corde suscipitur misericordia, in corde habitat Christus, in corde *loquitur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor.* (*Psal.* LXXXIV, 9.)

Idem, serm. 3. — Purificationem beatæ Mariæ virginis hodie celebramus, quæ secundum legem Moysi facta est, transactis a nativitate Domini quadraginta diebus. In lege enim scriptum erat, ut mulier quæ, suscepto semine, peperisset filium, immunda esset septem diebus, et octava die circumcideretur puer : dehinc ablutioni et purificationi intenta, abstineret ab ingressu templi triginta tribus diebus : quibus expletis, offerret filium Domini cum muneribus (*Levit.* XII). Sed quis non advertat, in ipso sententiæ hujus initio, liberam omnino, Matrem Domini ab hoc præcepto? Putas enim quia dicturus Moyses mulierem quæ peperisset filium, immundam esse, non timuerit super Matre Domini blasphemiæ crimen incurrere, et idcirco præmiserit, *suscepto semine?* Alioquin nisi parituram prævidisset sine semine virginem, quæ necessitas erat de suscepto semine fieri mentionem? Patet itaque quod lex ista Matrem Domini non includit, quæ non suscepto semine filium peperit, sicut prædictum erat per Jeremiam, *quia novum faceret Dominus super terram.* (*Jer.* XXXI, 12.) Quæris quod novum? *Mulier*, inquit, *circumdabit virum.* (*Ibid.*, 22.) Non ab altero virum suscipiet, non humana lege concipiet hominem : sed intra viscera intacta et integra virum claudet : ita sane ut, intrante et exeunte Domino, juxta alium prophetam, porta orientalis clausa jugiter perseveret.

Putas ergo, non poterat moveri animus ejus, et dicere : Quid mihi opus purifica-

Digitized by Google

tione? Cur abstineam ab ingressu templi, cujus uterus nesciens virum, templum factus est Spiritus sancti? Cur non ingrediar templum, quæ peperi Dominum templi? Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum : nimirum cum proles ista fons puritatis sit, et purgationem venerit facere delictorum; quid in me legalis puriticet observatio, quæ purissima facta sum ipso partu immaculato? Vere, o beata Virgo, vere non habes causam, nec tibi opus est purificatione. Sed nunquid filio tuo opus erat circumcisione? Esto inter mulieres tanquam una earum : nam et filius tuus sic est in numero puerorum. Circumcidi voluit : et non multo magis velit offerri? Offer Filium tuum, Virgo sacrata, et benedictum fructum ventris tui Domino repræsenta. Offer ad nostram omnium reconciliationem hostiam sanctam, Deo placentem. Omnino acceptabit Deus Pater oblationem novam, et pretiosissimam hostiam, de qua ipse ait : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* (*Matth.* III, 17.) Sed oblatio ista, fratres, satis delicata videtur, ubi tantum sistitur Domino, redimitur avibus, et illico reportatur.

Veniet, quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, sed extra civitatem inter brachia crucis. Veniet, quando non redimetur alieno, sed alios redimet sanguine proprio, quia redemptionem eum misit Deus Pater populo suo. Illud erit sacrificium vespertinum, istud est matutinum. Istud quidem jucundius, sed illud plenius. Istud enim tempore nativitatis, illud jam in plenitudine ætatis. De utroque tamen potes accipere quod propheta prædixit : *Oblatus est, quia ipse voluit.* (*Isa.* LIII, 7.) Nam et modo oblatus est, non quia opus habuit, non quia sub legis edicto fuit, sed quia ipse voluit : et in cruce nihilominus oblatus est, non quia meruit, non quia Judæus potuit, sed quia ipse voluit. *Voluntarie sacrificabo tibi, Domine* (*Psal.* LIII, 8), quia voluntarie oblatus es pro mea salute, non tua necessitate.

Sed quid, fratres, nos offerimus, aut quid retribuimus illi pro omnibus quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hostiam pretiosiorem quam habuit, nimirum qua pretiosior esse non potuit : et nos ergo faciamus quod possumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod sumus utique nosmetipsi. Ille seipsum obtulit : tu quis es qui te ipsum offerre cuncteris? Quis mihi tribuat, ut oblationem meam dignetur majestas tanta suscipere? Duo minuta habeo, Domine, corpus et animam dico : utinam hæc tibi perfecte possim in sacrificium laudis offerre! Bonum enim mihi, longeque gloriosius atque utilius est, ut tibi magis offerar, quam ut deserar mihi ipsi. Nam ad me ipsum anima mea conturbatur, in te vero exsultabit spiritus meus, si tibi veraciter offeratur. Fratres, morituro Domino Judæus mortuas hostias offerebat : sed jam nunc : *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat.* (*Ezech.* XXXIII.) Non vult Dominus mortem meam : et non libenter offero illi vitam meam? Hæc est enim hostia placabilis, Deo placens hostia, hostia viva. Sed in oblatione illa Domini tres fuisse leguntur : et in oblatione nostra tria nihilominus a Domino requiruntur. Fuit in oblatione illa Joseph sponsus Matris Domini, cujus filius putabatur : fuit et ipsa Virgo Mater, et puer Jesus qui offerebatur. Sit ergo et in oblatione nostra constantia virilis, sit continentia carnis, sit conscientia humilis. Sit, inquam, in proposito perseverandi animus virilis, sit in continentia castitas virginalis, sit in conscientia simplicitas et humilitas puerilis, amen.

Vid. verb. NATIVITAS MARIÆ.

Q

QUERIMONIA, MURMURATIO

[Ex SS. Patribus.]

S. CHRYSOST., *hom. in Epist. ad Philippen.* — *Ut sitis sine querela, et simplices filii Dei sine reprehensione, in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis : sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam meam in diem Christi.* (*Philip.* II, 15, 16.) Vides hos a Paulo institui ne obmurmurent? Est enim iniqui, ac stupidi servi obmurmurare. Ecquis enim, dic mihi, filius est, qui in bonis paternis, ac sibi ipse laborem capiens, obmurmuret? Cogita, inquit, te tibi ipsi laborare, tibi ipsi colligere : illorum vero proprium est obmurmurare, qui aliis laborant, aliis sudant : qui autem sibi ipse colligit, cur obmurmurat? Satius est nihil agere, quam murmurando agere? Nam et hoc ipsum, quod fit, perit. An non vides in ipsismet domibus nostris hæc nobis semper in ore esse : satius est isthæc minime fieri, quam obmurmurando fieri? Ac sæpe malumus ministerio, quod nobis exhibetur, carere, quam murmurantem ferre. Gravis enim res, gravis est murmuratio, ac prope ad blasphemiam accedit : alioqui cur tantum de illis supplicii sumptum fuisset? Vitium istud ingrati animi est. Qui murmurat, ingratus est erga Deum : qui vero erga Deum ingratus est, profecto blasphemus etiam est. Ac sane eo maxime tempore continentes tentationes erant, et frequentia pericula : nulla dabatur requies, nulla cessatio : undique innumerabilia ingruebant mala; nunc vero summa pax ac tranquillitas.

Cur igitur murmuras? Quod pauper es? Job illum cogita. Morbo laboras? Quid igi-

Digitized by Google

tur faceres, si tantorum tibi bonorum, ac sanctus ille rectorumque factorum conscius, in morbum incidisses? Rursus illum cogita. Ille quidem perdiu erat, cum vermes emittere, in stercore sedere, scabiem fricare perseveraret. Nam cum multum, inquit, temporis præcessisset, dixit ad eum mulier : Quousque uteris patientia ista, ac perges dicere, Adhuc paululum quiddam temporis exspecto? Dic verbum aliquod contra Dominum, ac morere. At filius tibi obiit? Quid igitur, si omnes amisisses, et acerba quidem morte, quemadmodum ille? Nostis enim, nostis, assidere ægrotanti, os ori conferre, oculos claudere, contrectare genas, suprema audire verba, quantum solatii afferat. At horum nullo dignatus est justus ille; sed omnes simul obruti occubuerunt. Et quid hæc dico? Si ipse jussus esses filium tuum interimere, et immolare, et combustum spectare, ut beatus ille patriarcha, quid fecisses? Ille autem quanto animo et altare ædificabat, et ligna imponebat, et filium ligabat? At nonnulli sunt, qui te conviciis consectentur? Quid igitur tibi animi esset, si hæc eadem ab amicis, qui consolationis causa advenissent, audires? Nam nunc quidem habemus peccata, jureque probris afficimur. Tunc vero ille verax justus, pius, qui sese ab omni crimine abstinebat, secus omnia ab amicis audiebat.

Quid vero, dic mihi, si mulierem exprobrantem audires, ac dicentem : Ego quasi erratica quædam mulier, et famula locum ex loco, domum ex domo circumerrans, solis aliquando occasum exspectans, ut a doloribus me undique prementibus requiescam? Cur ista inquis, o stolida? Num harum rerum tibi causa est vir? Non ille, sed diabolus. *Dic*, inquit, *verbum aliquod adversus Dominum, et morere.* (*Job* II, 9.) Itane? Si decumbens hoc diceret, ac moreretur : tibine melius esset? Non est morbus illo gravior, etiamsi sexcentos afferas. Talis ac tantus erat, ut ne domi quidem, ac sub tecto manere posset : talis erat, ut omnes delicerent. Non enim, si ullam admisisset medicinam, extra urbem sedisset; deteriori conditione, quam illi qui elephantiasi laborant. Nam isti quidem et domos subeunt et inter se congregantur. Ille vero sub dio in stercore nudus pernoctabat, ac ne vestem quidem induere poterat : quomodo enim? Quin etiam fortasse crevisset dolor. *Macero*, inquit, *glebas terræ saniem scalpens* (*Ibid.*, 8) : carnes ipsius saniem, ac vermes scaturiebant, idque assidue. Sentis, quam quisque nostrum hæc audiens horrescat? Quod si ea sunt auditu intolerabilia, quanto magis perpessu? Attamen perpessus est justus ille non unum, aut alterum vel tertium diem, sed perdiu; nec peccavit quidquam in labiis suis. Ecquem hujusmodi morbum potes mihi afferre? tot refertum doloribus? Annon iste cæcitate deterior erat. Fetidos enim sentio cibos meos; neque hoc solum, sed neque etiam, quod aliis solet recreationi esse, nox et somnus, huic quidquam solatii afferebat; sed quovis tormento gravior erat, idque ex ipsius verbis cognosce. *Cur terres me per somnia, et per visiones errore concutis? Cum advenit diluculum, dico, quando adveniet vespera?* (*Job* VII, 4.) Ac tot tantisque malis affectus non obmurmuravit.

Neque vero id solum molestiæ inerat; sed etiam quam multi de ipso conceperant mala opinio. Nam ex calamitatibus quæ illi acciderant, sexcentorum jam criminum reum existimabant : quod et ei dicebant amici, « Minora peccatis tuis flagella passus es (*Job* XI, 6); » quamobrem et ipse dicebat : *Et monent me infimi homines, quos canibus pastorum meorum minime dignos existimassem.* (*Job* XXX, 1.) Quot mortibus non erat istud gravius? Verumtamen tantis undique fluctibus pressus, ac tam sæva undique ingruente tempestate, in mediis nubibus, procellis, fulminibus, turbinibus, ac vorticibus manet ipse immotus, in tanta, tamque gravi tempestate, perinde atque in placido quodam portu quietus sedens; neque obmurmuravit. Atque hæc ante gratiæ tempus, antequam de resurrectione, de gehenna, de pœna, de supplicio quidquam dictum esset. Nos vero qui et prophetas et apostolos, et evangelistas audimus, et sexcenta cernimus exempla, atque ea quæ resurrectionem nobis exploratam faciunt, didicimus, adhuc ægre ferimus : quamvis nemo sit qui tot ac tanta sibi mala accidisse queat dicere. Nam tametsi quis pecunias amisit, at non tot filios, filiasque, ac si amisit, fortasse quod peccaverit. Ille vero repente in mediis sacrificiis, illo ipso tempore, dum deserviret, et cultum tribueret Deo : quod si filios, ac divitias simul tantas, quod vix fieri potest : at non per totum corpus ulceribus scatet, ac saniem effundit. Quod si hoc quoque; at non insultantes nactus est, atque exprobrantes; quod quidem omnium maxime nos pungere consuevit, magisque quam calamitates ipsæ. Etenim si ubi in malis adsunt qui nos consolentur, ac dolorem leniant, bonasque nobis spes injiciant; tamen adeo frangimur, atque animum despondemus : cogita quantum illud fuerit, exprobrantes habere. Si illuc : *Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni* (*Psal.* LXVIII, 25), grave atque intolerabile erat : quantum tandem mali erit pro consolantibus incidere in exprobrantes : *Consolatores*, inquit, *malorum omnes!* (*Job* XVI)

S. Chrysost., *hom. in Epist. ad Philipp.* — Si hæc assidue versaremus, si hæc essemus ratiocinati, nulla sane præsentium rerum dolore nos affecisset, in illum intuentes athletam, in adamantinam illam animam, in mentem illam æneam, et quæ frangi non posset : perinde quasi æreo, vel lapideo corpore circumdatus esset, ita omnia generose ac patienter ferebat. Hæc cogitantes, omnia sine murmurationibus atque hæsitatione faciamus. Boni quidpiam facis ac murmuras? Cur? Num forte imposita tibi necessitas est? Novi, inquit, multos qui circum vos sunt, vos pene cogere ut murmuretis. Hoc enim subindicat illis verbis : *In medio nationis pra-*

Digitized by Google

væ et pereversæ. At hoc demum admirabile est, neque etiam cum pungaris, atque impellaris eo adduci. Nam et sidera in nocte fulgent, in tenebris emicant ; tantumque abest, ut ullam pulchritudinis suæ jacturam faciant, ut splendidiora etiam appareant. Ubi enim lux advenerit, non æque apparent. Ita etiam tu, si inter perversos homines, rectus manseris, lucebis magis, longeque admirabilius erit, sine reprehensione esse. Ergo ne hoc afferant, occupans ipse id attulit. Quid est *Verbum vitæ continentes?* Id est, qui ad vitam venturi estis, qui ex numero eorum estis qui salutem consequuntur. Vide quam continuo subjecerit præmia : luminaria, inquit, rationem ac facultatem lucis continent. Quid est verbum vitæ? Semen vitæ, in vobis habetis, hoc est pignora ; et semen vitæ habentes, hoc vocat verbum vitæ. Ergo cæteri omnes mortui. Id enim verbis istis indicavit ; alioquin et alii verbum vitæ continuissent. *Ad gloriam*, inquit *meam.* Quid hoc est? Et ego, inquit, particeps sum vestrorum bonorum. Tanta est vestra virtus, ut non solum salutem det vobis, sed me etiam clarum faciat.

Quænam gloria, o beate Paule? Flagellis cæderis, expelleris, contumeliis afficeris nostra causa : propterea, inquit, *In diem Christi, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi.* Sed semper est unde glorier me non frustra cucurrisse : *Sed etsi immolor.* Non dixit, etiamsi moriar, quemadmodum neque ad Timotheum scribens. (*II Tim.* IV, 5.) Nam et ibi eadem dicit : *Ego enim jam immolor*, partim consolans illos de sua ipsius morte, partim instituens ut mortem pro Christo moderate ferant. Victima, inquit, quædam, et hostia evado : o beatam animam ! Hostiam vocat introductionem illorum. Multo satius immolare animam, quam bovem immolare. Quapropter si in hoc sacrificio me ipsum tradidero, inquit, quasi victimam ; gaudeo, inquit, de mea morte. Hoc enim ista verba significant : *Supra sacrificium obsequium fidei vestræ et congratulor omnibus vobis. Idipsum autem et vos gaudete, et congratulamini mihi.* (*Philipp.* II, 17, 18.) Quid congratularis? Vides quomodo ostendat gaudendum illis esse? Gaudeo igitur, inquit, me libamen fieri, congratulor autem quod simul sacrificium offeram. *Idipsum autem et vos gaudete, et congratulamini mihi*, quod oblatus sum. Congratulamini, inquit, mihi in mea ipsius morte gaudenti. Non igitur lacrymis dignus est justorum obitus, sed lætitia. Si ipsi gaudent, gaudendum cum ipsis est. Absurdum enim fuerit gaudentibus illis nos lugere. Sed consuetudinem requirimus, inquit. Commenta isthæc sunt, et prætextus. Vide quid Paulus admoneat Philippenses, *Gaudete et congratulamini mihi.* Et tu consuetudinem requiris? Si tibi quidem ipsi hic manendum sit, recte dicis : sin autem paulo post ad illum qui abiit perventurus es, quam requiris consuetudinem? Ille enim merito consuetudinem requirat, qui ab aliquo in perpetuum divellitur. Sed si idem tibi iter confleiendum est, quam consuetudinem requiris? Eos qui peregre absunt, cur non lugemus? Nonne paucis emissis lacrymis, confestim post unum aut alterum diem a fletu cessamus? Si consuetudinem requiris, tantum duntaxat fleto, quantum satis sit ad ostendendum, te natura hominem esse : deinde vero gaude, quemadmodum Paulus, qui ita dicebat : nihil mihi molesti accidit, sed etiam gaudeo ad Christum abiens : *Et vos gaudete*, inquit, *congratulamini mihi.* Gaudeamus igitur et nos cum justum viderimus interiisse, vel potius quando aliquem etiam ex desperatis. Nam ille quidem discedit, laborum suorum mercedem accepturus, hic vero quidpiam de peccatorum suorum numero detraxit. Sed fortasse, inquit, vivens vitam mutasset suam. At non illum rapuisset Deus, si vitam ille mutaturus fuisset. Etenim qui omnia pro salute nostra facit ac disponit, cur non cum sivisset vivere qui aliquando talis futurus esset ut placeret? Si sinit eos qui non convertuntur, multo magis eos qui convertuntur. Undique igitur fletus nobis amputatus sit, undique lamenta sublata. Quæcunque eveniant, de omnibus gratias agamus Deo, omnia sine murmurationibus faciamus, lætemur, atque in omnibus illi placeamus ut futura etiam consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi.

S. August., *enar. in psal.* CXXXII, tom. IV. — In quibus non est perfecta charitas Christi, et cum in uno sint, odiosi sunt, molesti sunt, turbulenti sunt, anxietate sua turbant cæteros, et quærunt quid de illis dicant : quomodo in junctura inquietum jumentum non solum non trahit, sed et frangit calcibus quod junctum est. Si autem habet *rorem Hermon, qui descendit super montes Sion* (*Psal.* CXXXII, 3), quietus, placatus, humilis, tolerans, pro murmure precem fundit. Nam murmuratores omnes magnifice descripti sunt quodam loco Scripturarum : *Præcordia fatui sicut rota curri?* (*Eccli.* XXXIII, 5.) Quid est : *Præcordia fatui sicut rota carri?* Fenum portat et murmurat. Non enim potest rota carri quiescere a murmure. Sic sunt multi fratres, non habitantes in unum nisi corpore. Sed qui sunt, qui habitant in unum? Illi de quibus dictum est : *Et erat illis anima una et cor unum in Deum ; et nemo dicebat aliquid suum esse, sed erant illis omnia communia.* (*Act.* IV, 32.) Designati sunt, descripti sunt qui pertineant ad oram vestimenti, qui numerentur inter montes Sion. Et si sunt ibi alii murmuratores, meminerint dicti Domini : *Unus assumetur, et unus relinquetur.* (*Matth.* XXIV, 50.)

Idem, *enar. in psal.* XCIX, tom. IV. — Noli servire cum murmure ; non enim id agunt murmura tua ut non servias, sed ut malus servus servias. Servus est Domini, libertus es Domini, non te sic quæras manumitti, ut recedas de domo manumissoris tui.

Digitized by Google

S. Bernard., *serm., in Domin.* 6 post Pentecost. — *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum fidenter egit.* (*Psal.* xciii, 1.) Tu putas quia non vindicat? Vindicat Deus ultionum. Quid est *Deus ultionum?* Deus vindictarum. In eo certe murmuras, quia non vindicatur in malos; noli murmurare ne inter illos sis in quos vindicatur, etc. *Vide* Acceptio personarum.

De eo quid dicam, qui in murmure et impatientia obstinato perdurat animo; aut quem pœnitet adhæsisse Deo, et contra morem, et contra rationem, bonum factum pœnitentia comitatur, qui sine dubio miserationibus Dei non modo non habet gratiam, sed et contumeliam reddit? Omnino enim, quantum in se est, inhonorat eum a quo vocatus est, quisquis in ejus servitio in tristitia permanet et rancore, eam dico tristitiam quæ secundum carnem est, et mortem operatur. Putas ergo quia major illi detur gratia; et non magis etiam quod videtur habere, auferebatur ab eo? Nonne enim jure perditum reputatur, quod ingrato donatum est? Aut dedisse non pœnitet, quod periisse videtur? Oportet proinde gratum esse hominem et devotum, qui percepta gratiæ munera non modo manere sibi desiderat, sed et multiplicari.

Idem, serm. 2, *tempore paschali.* — Cum adversi quidquam contigerit murmuramus, impatientiæ verbum tanquam iepræ sanies effluit. Sed ab hac mundamur, si illum attendimus, qui *Tanquam ovis ad occisionem ductus est, et non aperuit os suum.* (*Act.* viii, 32.) *Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur.* (*I Petr.* ii, 23.)

Idem. — *Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt,* in deserto videlicet, *et perierunt ab exterminatore* (*I Cor.* x, 10.) Igitur periculosum est nobis murmurare, ne forte pereamus ab exterminatore, — sicut illi perierunt in deserto. Linguas ergo nostras a murmuratione custodiamus, ne quod absit! sicut illi perierunt in hoc sæculo, nos pereamus in futuro. Non ergo murmuremus, ne forte sicut illi perierunt in hac vita, nos pereamus in futura. Caveamus ab omni murmuratione, ne forte quod illi passi sunt in corporibus, nos patiamur in animabus.

S. Gregor, *Moral.* — Qui contra suprapositam sibi potestatem murmurat, liquet quod illum redarguit, qui eamdem homini potestatem dedit.

S. Isidor. *De summo bono.* — Discat non murmurare, qui mala patitur. Per hoc quisque se juste pati arbitretur, quia ab illo judicatur, cujus nunquam injusta judicia sunt.

R

RECREATIO

[Ex SS. Patribus.]

S. Ephrem, *De judicris.* — In rebus judicris non esse tempus a Christianis consumendum, omnes novimus, et ex divinis quidem Scripturis hausimus, præsertim cum Dominus comminando in Evangelio dicat: *Væ vobis qui ridetis nunc, quia ibi lugebitis, et flebitis* (*Luc.* vi); rursusque alibi: *Nolite,* inquit, *in sublime tolli: hæc enim omnia gentes faciunt.* (*Luc.* xii, 29, 30.) Isaias autem propheta, aut potius ipse Deus per prophetam ait: *Væ iis qui cum tympanis ac tibiis et citharis bibunt.* (*Isa.* v, 12.) Quin et beatus David, tanquam animi elationem abominans, et in Domino glorians, dicebat: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.* (*Psal.* cxxx, 1.) Atque Jacobus frater Domini: *Lugete,* inquit, *et plorate: risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mœrorem.* (*Jac.* iv, 9.) Quin et beatus apostolus Paulus idololatras vocat ludentes, dum ait: *Nolite idololatræ fieri, sicut scriptum est.* (*I Cor.* x.) Ac rursus: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed potius sermo bonus.* (*Ephes.* iv, 29.) *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* (*I Cor.* x, 31.) Idemque denuo ait: *Fratres, estote imitatores Dei, et ambulate in dilectione. Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis; aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio.* (*Ephes.* v, 1 seq.) Aliaque multa sacris Scripturis huc spectant; et non est qui intelligat. Verum in nobis impletur sermo Domini: *Erratis nescientes Scripturas.* (*Matth.* xxii, 129.) Impletur quoque Pauli prophetia in nobis, quæ sic habet: *Veniet tempus, quando sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus: et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertuntur.* (*II Tim.* iv, 3, 4.) Hæc in nos pervenerunt, o dilecti, et ecce jam cernimus quod dicitur re ipsa comprobatum.

Quis enim hodie Scripturas sacras sustinet? Quis sedulo Christi mandatis intentus est? Quis sapiens et custodiet hæc? Quis ostendet nos non esse prævaricatores legis? Multi potentes, multi sapientes secundum carnem, inquit, multi nobiles, multi scientes, Scribæ et legis periti, et doctores, divites et pauperes, servi et liberi, solitariam vitam sectantes et virgines, et in cœlibus aliorum viventes, et senes, et juvenes. Quis autem horum omnium demonstrare poterit

Digitized by Google

convenire Christianis, citharizare, aut tripudiare, aut cymbala pulsare, aut tibiis ludere, aut acclamare, aut aruspicem agere, aut phylacteria quæ vocant facere, aut eadem circumgestare, aut dæmonia consulere aut inebriari, aut tolerare eos qui ejusmodi res impias sectantur? Quis, ut ante dixi, hæc Christianorum esse ostenderit? Quis ex prophetis? Quod Evangelium? Cujusmodi apostolorum liber? Si omnino ista Christianis conveniunt, omnia vana, et erroribus plena, et lex, et prophetæ, et apostoli et Evangelia. At si Dei hæc sint verba et vera, et divinitus inspirata, ut revera sunt: nefas sane fuerit, Christianos quæ jam diximus, agere. Nam ecce ab oriente ad occidentem usque, et a finibus orbis terrarum, divina Scriptura per Ecclesias, et in omni loco legitur, lex, et prophetæ, et apostoli, Dominus universorum, et cuncti deiferi Patres. Neque usquam reperitur hæc Christianis permissa esse; verum, sicut scriptum est: Unusquisque nostrum propria errat via, et transgreditur, et est transgressor, et mendax, et sine Deo, et per prævaricationem legis Deum inhonorat. Et ne durum vobis appareat quod dixi: sine Deo; non enim hic meus est sermo, sed Joannis theologi, sic dicentis: *Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Dei, Deum non habet.* (*II Joan.*, 9) Quis hoc infelicior; et eo qui Deum istud mandantem atque loquentem per legem, et prophetas, atque apostolos contemnit abominabilior? Quique væ illud a Domino per prophetam prædicatum, secum portat: *Væ per quos nomen meum blasphematur inter gentes.* (*Rom.* II, 24.)

Ne, quæso, sic dies nostræ consumamus pœnitentiæ: verum David prophetam clamantem, et nos exhortantem, atque dicentem audiamus: *Venite, exsultemus Domino;* festinansque subjungebat: *Præoccupemus faciem ejus in confessione.* (*Psal.* XCIV, 1, 2.) Præoccupemus, antequam aperte veniat, et nos otio atque desidia torpentes inveniat, antequam clamor ille fiat: *Ecce sponsus venit.* (*Matth.* XXV, 6.) Tunc qui parati erunt, gaudebunt. Tunc qui misericordes fuerint, exsultabunt. Viles, et abjecti conflictabuntur: et digni lætitia ineffabili gloriabuntur. Sed *præoccupemus*, fratres, et curramus, dum per tempus licet. Antequam throni constituantur, antequam nos ab invicem segregemur, *præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei.* In psalmis, inquit, et non in rebus ridiculis; in psalmis et non in canticis dæmoniacis. Ait: *Venite, adoremus et procidamus ante Deum, atque ploremus.* (*Psal.* XCIV, 6.) Non autem cymbalis ludamus, aut citharis. Verum ploremus, inquit, in psalmis et hymnis. Psalmus enim dæmonas propellit; psalmus telum in timoribus nocturnis; psalmus diurnorum requies laborum; psalmus infantibus tutela; psalmus senibus consolatio; mulieribus ornamentum decentissimum. Hic festa collustrat; hic eum qui secundum Deum est, dolorem procreat. — Psalmus angelorum opus; cœlestis vitæ ratio et institutum, spiritalisque quidam suffitus. Hic mentem illuminat; hic in cœlum reducit; hic homines Deo familiares colloquio reddit. Animam lætificat, otiosas collocutiones removet, visumque exterminat; de judicio nos admonet, dissidentes reconciliat. Ubi psalmus cum compunctione, ibi et cum angelis Deus adest. Ubi autem adversarii cantica, ibi ira Dei, et væ, remuneratio risus. Ubi libri sacri, et lectiones, ibi lætitia justorum, et auscultantium salus, ac diaboli confusio. Ubi autem citharæ ac chori, et plausus manuum; ibi virorum tenebræ, et mulierum perditio, angelorum tristitia, et diaboli festum.

S. EPHREM, *De Judicris.*—O improbum diaboli consilium! Quomodo unumquemque fraudulenter supplantat, fallitque ac mala pro bonis facienda suadet. Hodie, ut videre licet, psallunt ex ordinatione Dei, et cras studiose choreis incumbunt juxta doctrinam Satanæ. Hodie abrenuntiant Satanæ, et postero die iterum sequuntur ipsum. Hodie conjunguntur Christo, et cras abnegant inhonorantque eum. Hodie Christiani, et cras ethnici. Hodie pii, et cras impii. Hodie fideles et servi Christi, et cras apostatæ, inimicique Dei. Nolite errare, fratres mei, nolite errare. Nullus servus potest duobus dominis servire, sicut ait Christus Dominus: *Quia nemo potest Deo servire, et mammonæ* (*Matth.* VI, 24), ac cum diabolo choreas ducere. Ad imaginem Dei formati sumus, non dedecoremus imaginem ipsius Dei; sed tanquam milites Christi, illum sequamur, illi serviamus. — Noli hodie sacras lectiones audire, tanquam Christo dilectus auditor, ac cras citharis intentus esse, ut prævaricator, et Christi inimicus. Noli pœnitentiam agere de peccatis, et cras in perditionem tuam saltare in choreis. Ne hodie jejuniis ac temperantiæ operam des: cras autem ebrius venias, huc illucque agiteris, ac omnium irrisione ludaris. Ne, obsecro, fratres mei, ne sic tempus pœnitentiæ deperdamus, quod nobis ad pœnitentiam atque salutem concessit Deus. Meminerimus illius, quod comminando dixit Dominus: *Væ vobis qui ridetis nunc, quoniam lugebitis postea.* (*Luc.* VI, 25.) Ac rursus: *Beati qui lugent.* (*Matth.* V, 5.) Nemo vos seducat, Christo dilecti, mei fratres. Non est ista apostolorum doctrina, qui dicunt: *Si quis vos doceat ejusmodi quæ vos non docuimus, anathema esto.* (*Galat.* I.) Non sunt enim Christianorum illa, sed infidelium gentilium qui non obediunt Evangelio, sicut ait Dominus: Quoniam cuncta ista gentes faciunt, quibus non est ulla spes salutis.

Nostis, fratres mei, quia quotquot in Christo baptizati sumus, Christum induimus. Quo pacto ergo Christum exuentes, Antichristo servire vultis? Mandatum ab Apostolo accepimus incessanter orandi, et omnia in gloriam Dei faciendi; tu autem ad ista non attendis, sed auditum avertis, et oculos claudis. *Novissima* vero *amara quasi absynthium, et acuta quasi gladius biceps* (*Prov.* V, 4) tibi erunt. Iterum dico:

Digitized by Google

Ne occipiamini, fratres Christo dilecti ; non sunt ista Christianorum, sed gentium Deum non habentium. Consideremus, fratres, quod homo vanitati sit similis, et dies ejus, ut flos feni, sic præteribunt uno temporis momento, et cuncta cessabunt. Quid frustra turbaris, o homo ! Unico febris impetu, tuæ salutationes atque lasciviæ finem capient. Una hora te ab iis quibuscum tripudiare solebas, separabit. Una nox intercedet, et caro tibi marcescet, pedesque ad malum cursum dispositi deficient, manus tibi dissolventur, oculi tui tabescent, lingua ex improviso quiescet, et incomposita tua vox deficiet, gemitus tibi abundabit, et lacrymæ inutiles tibi profundentur ; cogitationes tuæ peribunt, et nemo erit, qui juvare possit (Deum enim contempsisti et dedecorasti), ac cuncti, te relicto, recedent, nemoque præsto erit, præter invisibiles dæmones quibus obsecutus es. Qui autem eo missus erit angelus truculentus, dejecto vultu a longe consistens, assensum a Domino exspectabit, ut infelicem tuam animam rapiens, abducat in præparatum sibi locum, ut metat quæ seminavit, ubi colitur, et exsuperat, redundatque fletus, tribulatio, angustia, stridor dentium et væ.

Quid frustra turbaris, miser? Ibi ebriosorum oculi tabescent : ibi tripudiantium carnes marcescent : ibi dolore affligentur atque esurient, qui cum citharis ac tibiis vinum bibunt. Ibi magno cum dolore plorabunt et dentibus stridebunt vultumque percutient fornicatores, adulteri, fures, homicidæ, divinatores, venefici, incantatores, falsarii, masculorum concubitores, puerorum corruptores, raptores, sanguivori : hi omnes et horum similes, absque pœnitentia ad fidem usque peccantes, et per latam ac spatiosam incedentes viam quæ ducit ad perditionem, idoneum omnino ibi diversorium reperient. Neque enim licet, et hic cum dæmonibus choreis delectari, et ibi cum angelis saltare, sicut ait Dominus : *Væ qui ridetis nunc, quia ibi lugebitis et flebitis.* (*Luc.* VI.) Fieri non potest, fratres, ut modo Christiani, modo ethnici simus. Nusquam, ut ante diximus, conceditur agere aliquid Christianis hominibus hujusmodi. Dominus si quidem noster et Salvator, in hunc mundum veniens, cuncta illa, ut dictum est, funditus delevit ac sustulit : hoc est universam diabolicam doctrinam, qua male instructus homo, factus est transgressor mandati Dei Creatoris sui, et e paradiso exsul, didicitque omne quod sub cœlo vocatur malum ; atque hæc cuncta, ut jam diximus, veniens Christus Dominus repressit exterminavitque et per semetipsum et per discipulos suos, dicens : *Euntes docete omnes gentes ; baptizantes eos, et docentes servare omnia quæcunque mandavi vobis.* (*Matth.* XXVIII, 19, 20.) Ac si dicat, dicite ipsis : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* (*Matth.* III, 2.) Non dixit : Ebrietati vos tradite, non choreis ; sed pœnitentiam agite. Lugete, et vigilate : orate et semper estote parati ; quoniam adventus Domini appropinquavit, et regnum cœlorum pro foribus est. Quocirca simus parati, ac digni ; ut cum venerit Dominus noster, inveniat nos cum pœnitentia paratos, nullumque ex nobis condemnet, sed hæredes sui nos regni constituat. Quoniam ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

S. CHRYSOST., hom. 6. *in Matthæum.* — Neque ideo convenimus ut cachinnos infundamus : sed ut gemamus, atque ex hujusmodi gemitu regni hæreditatem nanciscamur. Tu vero, si coram imperatore steteris, ne subridere quidem audebis ; et ipsum angelorum Dominum domi habens, non stas tremens cum modestia decenti, sed rides illo etiam sæpe irato ? Nec cogitas te illum magis ad iram concitare dum hæc agis, quam dum peccas? Non enim ita peccatores aversatur Deus, ut eos qui post peccatum non sese cohibent. Attamen ita sunt quidam omni sensu vacui, ut post hæc audita verba dicant : Absit ut unquam lacrymas fundam, mihi vero id concedat Deus, ut semper rideam et ludam. Quid hujusmodi cogitatione insanius? Non enim Deus id dat ut ludamus, sed diabolus. Audi igitur quid passi sint ii qui ludebant : *Sedit,* inquit, *populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* (*Exod.* XXXII, 6.) Tales erant Sodomitæ, tales etiam illi, tempore diluvii. Nam de illis dicitur : *In superbia, in prosperitate et in saturitate panum deliciis affluebant.* (*Ezech.* XVI, 48.) Illi vero qui tempore Noe erant, cum per tot annos construi arcam viderent, sine ulla cura vel sensu lætabantur, nihil de futuris rebus prospicientes ; ideoque universos diluvium submersit, et commune orbis naufragium tunc effecit.

Idem. — Saltatio barathrum est diaboli.

S. AUG., lib. IV *De civitate Dei.* — Aleam invenit dæmon.

REGULA VITÆ

[Ex SS. Patribus.]

S. HIERONYM., in hæc Apostoli verba, *Redimentes tempus.* — Quod in diebus malis est, quodammodo immutamus illud, et dies malos in bonos vertimus, et facimus illos non præsentis sæculi, sed futuri.

S. VALERIUS, *homil. de bona discipl.* — Omnia profecto natura confunderit, nisi munduum disciplinæ ratio gubernaret.

S. AMBROS, lib. VII *in Lucam.* — Non solum media nocte Dominus, sed omnibus prope docet vigilandum esse momentis.

Idem, lib. I *Offic.*, c. 19. — In omni servandum ætate, ut deceat quod agas, et conveniat, quadret sibi ordo vitæ tuæ.

Idem, l. I *Offic.*, cap. 22. — In omni actu vitæ id cavere debemus, ne rationem

Digitized by Google

nimius animi motus excludat, sed teneamus consilii locum.

S. Ambros., l. I *Offic.*, c. 50.— Cum solveris auctori debitum, licet ut opera tua in beneficentiam et alimenta hominum conferas.

Idem, *in Hexam.*, cap. 7.— Dum Deus successive hunc mundum produxit et perfecit, imitatorem sui nos esse voluit, ut primo faciamus aliqua, postea venustemus, ne dum utrumque adorimur, neutrum possimus explere.

S. Augst. — Omnia quanto magis ordinata sunt, tanto magis utique bona sunt.

Idem, l. XIX *De civit.*, c. 13. — Pax omnium rerum tranquillitas ordinis.

Idem, *ibid.*—Ordo est, parium disparium-que rerum sua cuique distribuens dispositio.

Idem, l. I *De lib. arbit.*, c. 8. — Non ordo rectus, aut ordo appellandus est omnino, ubi deterioribus meliora subjiciuntur.

Idem, *Tract in Joannem.* — Unusquisque paterfamilias in domo sua ecclesiasticum, et quodammodo episcopale impleat officium.

Idem, *Lib.* LXXXIII *Quæst.*, quæst. 27. — Summo Deo cuncta administrante quæ fecit, nihil inordinatum in universo, nihilque injustum est, sive scientibus, sive nescientibus nobis.

Idem, *De vera relig.*, cap. 41. — Nihil est ordinatum quod non sit pulchrum; et sicut ait Apostolus : *Omnis ordo a Deo est.*

Idem, lib. VI *contra Faust.*, cap. 8. — Omnia quæ naturaliter sunt in ordine suo, bona sunt, et nemo in eis peccat, nisi qui ordinem suum, in Dei obedientia non custodiens, eorum quoque ordinem male utendo perturbat.

Idem, *De Ordine.* — Ordo est quem si tenuerimus in vita, perducit ad Deum, et quem nisi tenuerimus, non pervenimus ad Deum.

Greg., l. V *Moral. in Job* XXVII.— Male se rectum putat, qui regulam summæ rectitudinis ignorat.

Idem, l. IX *Moral. in Job* II. — Ordinata esse nequeunt, quæ superni moderaminis dispositionem perdunt.

Idem, l. I *Pastor.*, c. 4.— Impar quisque invenitur ad singula, dum confusa mente dividitur in multa.

Cassiodor. l. I *Variar. epist.*, epist. 46, nomine regis Theodori, ad regem, Burgundionum. — Distinguat (quisque) spatia diei actibus suis, horarum aptissime momenta constituat, ordo vitæ confusus agitur, si talis discretio sub veritate nescitur.

S. Bernard., *in Apolog. ad Guillelm. abbat.* — Nullus ordo quidpiam recipit inordinatum; quod vero inordinatum est, ordo non est.

Idem, in 16 parvis serm. — Pax domus, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium.

Richard. a Sancto Vict., *in Psal.*—Ordo in operibus nostris cogitate quam necessarius videatur, quandoquidem in sermonibus nostris etiam observandus proponitur.

Laurent. Justin., *De discip. et perfect.* —Si in humanis et corporalibus rebus, ordo expedit ut servetur, ne confusione deficiant, quanto magis in spiritualibus habendus est.

RELIGIO

[Ex SS. Patribus.]

S. Justinus, Append., part. I, *quæst. et rep. ad orthod.—Quæst.* Si quia superatus est gentilismus a christianismo, spem restitutionis non habet; quomodo superata antiquitus a gentilismo, vera religio nunc in integrum restituta est? Nam ante errorem viguisse veritatem testantur divinæ Scripturæ, quæ Adamum et multos deinceps post eum declarant non simulacra, sed Deum coluisse, quamvis nonnullorum ex eis nefanda reperiantur facinora.

Resp. Si præsentis rerum status finis est impiorum per ignem judicium, prout testantur Scripturæ prophetarum et apostolorum, atque etiam, ut ait beatus Clemens in epistola ad Corinthios, Sibyllæ; quod si ipsum judicium ille per Jesum Christum qui crucifixus est a Judæis ac regnum Christianorum obtinet sempiternum, quod ei datum est, secundum Danielem prophetam; propterea nullam habet spem restitutionis gentilismus. Deinde vero si quem habuit dominatum populus Dei, eum solutum minime recuperavit; an non frustra nunc exspectat gentilismus restitutionem pristinæ suæ potestatis? Quam autem ob causam exspectat gentilismus pristini sui dominatus restitutionem? Omnino ut cruciatibus cogat Christianos discedere a Filii Dei cultu et fide, et cultui dæmonum adhærere. Sed cruciatus, quibus etiam antea usus est gentilismus, sperans se eorum beneficio insuperabilem fore, gentilismum quidem abolevérunt, christianismum autem firmius stabilierunt.

Tertull., *Apolog.* — Nihil (*illa religio*) de causa sua deprecatur, quia nec de conditione miratur. Scit se peregrinam in terris agere, inter extraneos facile inimicos invenire; cæterum genus, sedem, spem, gratiam, dignitatem in cœlis habere. Unum gestit interdum, ne ignorata damnetur. — Quid enim iniquius, quam oderint homines quod ignorant; etiamsi res mereretur odium.

Idem. — Corpus sumus de conscientia religionis et disciplinæ unitate, et spei fœdere. Coimus in cœtum ac congregationem, ut ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est.

Digitized by Google

Oramus etiam pro imperatoribus, pro ministris eorum et potestatibus sæculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Coimus ad divinarum litterarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere. Certe fidem sanctis verbis pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus; ibidem etiam exhortationes, castigationes, et censura divina. Nam et judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit ut a communicatione orationis et conventus et omnis sancti commercii relegetur.

Tertull., *Apolog.* — Præsident probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti. Neque enim pretio ulla res Dei constat. Etiamsi quod arcæ genus est, non de ordinaria summa, quasi redemptæ religionis congregatur, modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, et si modo possit, apponit; nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque; et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, ætateque domitis senibus, item naufragis, et si qui in metallis, et si qui in insulis vel in custodiis, duntaxat ex causa Dei sectæ, alumni suæ confessionis fiunt.

Idem, *ibid.* — Jam nunc si putas delectamentis exigere spatium hoc, cur tam ingratus es, ut tot et tales voluptates a Deo contributas tibi satis non habeas, neque recognoscas? Quid enim jucundius quam Dei Patris et Domini reconciliatio? quam veritatis revelatio? quam errorum recognitio? quam tantorum retro criminum venia? Quæ major voluptas, quam fastidium ipsius voluptatis, quam sæculi totius contemptus, quam vera libertas, quam conscientia integra, quam vita sufficiens, quam mortis timor nullus; quod calcas deos nationum, quod dæmonia expellis, quod medicinas facis, quod revelationes petis, quod Deo vivis? Hæ voluptates, hæc spectacula Christianorum, sancta, perpetua, gratuita.

Lactant., *De falsa religione.* — Naturam hominis hanc Deus esse voluit, ut duarum rerum cupidus et appetens esset; religionis et sapientiæ. Sed homines ideo falluntur, quod aut religionem suscipiunt, omissa sapientia; aut sapientiæ soli student, omissa religione: cum alterum sine altero esse non possit verum. Cadunt ergo ad multiplices religiones, sed ideo falsas quia sapientiam reliquerunt quæ illos dòcere poterat deos multos esse non posse; aut student sapientiæ, sed ideo falsæ, quia religionem summi Dei omiserunt, qui eos ad veri scientiam potuit erudire. — In his duobus, religione et sapientia, inseparabiliter connexis, et officium hominis et veritas omnis inclusa est.

Idem, *ibid.* — Non potest fieri ut qui in omnibus vitæ suæ actibus non errant, in ipsa summa errent, hoc est in religione quæ rerum omnium caput est. Impietas enim suscepta in eo quod est summum per cætera sequitur; eoque fieri non potest ut ipsi qui errant in omni vita, non et religione fallantur. Quoniam pietas, in summo regulam tenens, tenorem suum servat et in cæteris.

Idem, *ibid.* — Si una natio providentia caret, cæteras omnes habere intelligentiam recti necesse est. Cum vero ab ortu solis usque ad occasum lex divina suscepta sit et omnis sexus, omnis ætas, et gens et regio, unitis ac paribus animis Deo serviant, eadem sit ubique patientia, idem contemptus mortis, intelligere debuerant aliquid in ea re esse rationis, quod non sine causa usque ad mortem defendatur; aliquid fundamenti ac soliditatis, quod eam religionem non tantum injuriis ac vexatione non solvat, sed augeat semper et faciat firmiorem. Cum videat vulgus dilacerari homines variis tormentorum generibus, et inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam, existimant id quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatus tantos posse superare.

Idem, *ibid.* — Non est opus vi et injuria; quia religio cogi non potest: verbis potius quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas. Distringant aciem ingeniorum suorum; si ratio eorum vera est, afferatur. Parati sumus audire, si doceant. Tacentibus certe nihil credimus, sicut nec sævientibus cedimus. Imitentur nos, aut rationem totius rei exponant. Nos enim non illicimus, ut ipsi objectant, sed docemus, probamus, ostendimus. Itaque nemo a nobis retinetur invitus. Inutilis est enim Deo, qui devotione ac fide caret. Et tamen nemo discedit, ipsa veritate retinente.

S. Athanas., *De incarnat.* — Signum est hoc et ingens documentum de Christi adventu, quod Jerusalem non amplius consistit, neque prophetæ excitantur, neque visio illis revelatur. Et jure quidem optimo. Adveniente enim eo qui designabatur, quid opus fuit rebus significantibus, et præsente veritate, quid amplius opus fuit umbra? Quando idolorum cæremonias inceperunt abjicere, ubique gentium oracula cessaverunt, contemni cœperunt poetarum dii et heroes, ac pro mortalibus tantum haberi, dæmonum fraus et malitia contempta fuit, ars magica et scholæ præstigiarum inceperunt sordescere; quando ethnicorum sapientia infatuata est, nisi cum vera sapientia Dei sese in terris ostendit?

S. Greg. Naz., orat. 3. — Ubinam et apud quos homines sancitum est ut qui maledicuntur, benedicant; qui blasphemantur, obsecrent; quod scilicet non tam objectum crimen quam veritas ipsa non lædat; qui persecutionem patiuntur, cedant; qui vestibus spoliantur, amplius adhuc se exuant; atque, ut uno verbo dicam, audaciam et importunitatem benignitate vincant, eosque

Digitized by Google

a quibus injurias accipiunt, patientia sua meliores efficiant?

S. Greg. Naz., orat. 4.—An vero hæc ad nostram religionem et doctrinam accedunt, apud quos lex et norma amicitiæ quisque ipse est, atque eadem proximis velle quæ et sibi ipsis: crimen autem, non modo malum exstitisse, sed etiam a malo parum abfuisse, nimirum cupiditate quoque ipsa pene, ut actione, pœnam luente; apud quos tantum pudicitiæ studium est, ut oculus quoque frenetur ac reprimatur; et manus sanguinaria et mortifera ita longe arcetur, ut ira etiam ipsa coerceatur: perjurium autem adeo atrox et nefarium censetur, ut jusjurandum quoque ipsum nobis solis interdictum sit? Jam vero pecuniæ, multisne unquam quidem ullæ fuerunt: multi rursum hoc uno nomine multa libenter habuerunt, ut multa contemnerent, extremam inopiam instar omnium opum colentes. Ventre porro, tanquam acerbo quodam et detestabili domino, malorumque omnium parente, ad crassum vulgus abjecto; non sane magnum fuerit hoc de ipsis dicere, quod eam sibi vim adhibeant, ut pene carnis quoque omnis expertes esse videantur, nimirum id quod mortale est, per id quod immortale, absumentes; ac virtutis ipsis hæc una lex est, ne levissimis quidem vitiis, atque ab omnibus neglectis, succumbere. Nihil etiam præclarius ac præstantius, quam quod, aliis scelerum fines juxta leges vindicantibus, nos principia quoque ipsa plectimus, ac velut malum quoddam, quodque vix sisti ac reprimi queat, profluvium multo ante cohibemus.

Ubinam autem, quæso, et apud quos homines, sancitum est ut qui maledicuntur, benedicant, qui blasphemantur, obsecrent, quod scilicet non tam objectum crimen quam veritas ipsa nos lædat, qui persecutionem patiuntur, cedant, qui vestibus spoliantur, amplius adhuc se exuant, qui maledictis et exsecratione afficiuntur, pro maledicentibus orent: atque, ut uno verbo dicam, audaciam et importunitatem benignitate vincant, eosque a quibus injuriam accipiunt, patientia sua meliores efficiant? Atque ut hoc demus, eos fucat s suis præceptis vitium reprimere, quo tandem modo ad virtutis et doctrinæ nostræ gradum pervenerint, qui, non in virtute proficere, nec ex veteribus subinde novos effici, sed eodem statu hærere, in vitio ponimus? Ita enim nobis idem quod trochis, acciderel, quos in orbem volvi, non autem progredi videmus, atque immote, ut sic loquar, scuticæ vi impulsos rotari. Quocirca nos ita constitutam habere vitæ rationem oportet, ut virtutes partim jam exsequamur, partim in eas incumbamus, partim cupide appetamus, quousque ad finem ac deificationem illam pervenerimus ob quam creati sumus, et ad quam properamus, si modo animo excelso et in altum penetrante sumus, atque aliquid Dei magnificentia dignum speramus.

S. Ambros., *De Abrah.* — *Pone me ut signaculum in cor tuum, ut sigillum in brachium tuum.* (*Cant.* VIII, 6.) Signaculum Christus in fronte est, signaculum in corde. In fronte, ut semper confiteamur; in corde, ut semper diligamus; signaculum in brachio, ut semper operemur. Luceat ergo imago ejus in confessione nostra, luceat in lectione, luceat in operibus et factis; ut, si fieri potest, tota ejus species exprimatur in nobis. Ipse sit caput nostrum, quia caput viri Christus; ipse oculus noster, ut per illum videamus Patrem, etc.

Idem, *in Ep. ad Ephes.* — Ex conversatione et moribus, Dei servi etiam tacentes intelligendi sunt: ut quantum distat verum a falso, tantum distent Dei servi a servis diaboli.

S. Gaudent., *De lect. Evang.* — Infelices illæ domus sunt quæ nihil discrepant a theatris. Auferantur, quæso, universa ista de medio. Sit domus Christiani immunis a choro diaboli, sit plane humana, sit hospitalis. Orationibus sanctificetur assiduis, psalmis, hymnis, canticisque spiritualibus frequentetur: sit sermo Dei et signum Christi in corde, in ore, in fronte, inter cibos, in cubilibus, in ingressu et egressu, in lætitia, in mœrore; ut juxta beati Pauli doctrinam: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid agitis, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi qui vos vocavit ad gratiam, facialis.*

Orig., *De princip.* — Quod si ad id animum attenderimus, quo pacto annis tam paucis, tot insidiis structis adversus Christianos quorum nonnulli necati, alii bonis mulctati sunt, potuerit hæc doctrina, licet alioqui non magna sit doctorum copia, ubique terrarum prædicari, ita ut Græci et barbari, sapientes et insipientes ad verum per Jesum Christum Dei cultum sese adjunxerint, rem humanis viribus majorem dicere non dubitabimus, cum præsertim summa potestate et fiducia docuerit Christus nunquam suam victum iri doctrinam. Itaque jure pro oraculis habendæ sunt ejus voces quales hæ sunt: *Ad reges et præsides ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus* (*Matth.* x, 18); et: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo manducavimus, et in nomine tuo bibimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus? Et dicam eis: Discedite a me qui operamini iniquitatem. Nunquam novi vos.* (*Matth.* VII, 22, 23.) Hæc enim temere prolata, nec proinde vera esse, forte olim verisimile erat: at, cum deinde evenerint quæ tanta cum auctoritate dicta fuerant, perspicuum est Deum vere hominem factum salutarem hominibus doctrinam tradidisse.

Quid vero attinet dicere prænuntiatum fuisse Christum, tunc nempe defuturos principes ex Juda et duces de femore ejus, cum venisset cui repositum est, regnum videlicet, et prodiisset exspectatio gentium? Ex historia enim et iis qui hodie cernuntur, manifestum est a Christi temporibus nullos deinde Judæorum reges exstitisse, fractis et dissipatis rebus omnibus Judaicis quibus

Digitized by Google

gloriabantur, templo nempe, altari, rei divinæ consueto ritu et indumentis pontificis. Impleta est quippe prophetia quæ dicit : *Per multos dies sedebunt filii Israel sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine sacerdotio, sine responsis.* (*Ose.* III, 4.) Quibus verbis utimur adversus eos qui, dum urgentur iis quæ in Genesi ab Jacob ad Judam dicta sunt, permanere etiamnum ex genere Judæ asserunt principem, qui populo dominetur, neque defuturos ex semine ejus duces usque ad eum quem sibi animo fingunt Christi adventum. Si enim *per dies multos sedebunt filii Israel sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine sacerdotio* : ex quo autem eversum est templum, non est sacrificium, non altare, non sacerdotium, perspicuum est defecisse principem ex Juda et ducem de femore ejus. Quoniam igitur prophetia dicit : *Non deficiet princeps ex Juda, nec dux de femore ejus donec veniant reposita ei.* (*Gen.* XLIX, 10.) venit certe cui reposita sunt, exspectatio gentium. Quod et manifestum est ex multitudine gentium quæ per Christum in Deum crediderunt.

Quid autem opus est de iis dicere quæ de Christo præcinuntur in psalmis ubi canticum inscribitur *pro dilecto*, cujus lingua esse dicitur *calamus scribæ velociter scribentis* : ipse *speciosus forma præ filiis hominum, quoniam diffusa est gratia in labiis* ejus (*Psal.* XLIV, 2, 3.) Indicium enim diffusæ gratiæ in labiis ejus, hoc est quod licet pauco tempore docuerit (annum enim et menses aliquot docuit), universus tamen orbis doctrina ejus et vero per ipsum Dei cultu impletus est. Orta est enim *in diebus ejus justitia et abundantia pacis* (*Psal.* LXXI, 7), permanens usque ad consummationem, quæ ablatio lunæ vocata est, *et dominatur a mari usque ad mare et a fluminibus usque ad terminos orbis terrarum.* (*Ibid.*, 8.) Datum est præterea signum domui David. Virgo enim peperit et concepit, et peperit filium et nomen ejus Emmanuel, quod est nobiscum Deum. Id impletum est quod ait idem propheta : *Nobiscum Deus : cognoscite gentes et vincimini, potentes cedite.* (*Isa.* VIII, 9.) Superati enim et victi sumus quos ex gentibus gratia doctrinæ ejus cepit. Sed et locus natalium ejus prædictus est apud Michæam : *Tu enim*, inquit, *Bethlehem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda, ex te enim exibit dux qui regat populum meum Israel.* (*Mich.* V, 2.) Et septuaginta hebdomades impletæ sunt usque ad Christum ducem juxta Danielem : venitque is qui in libro Job dicitur ingentem cetum subegisse, et qui veris suis discipulis proculcandi serpentes et scorpiones potestatem dedit et omnem inimici vim ita proterendi ut nihil ab illis lædantur. Apostolorum etiam quos ad promulgandum Evangelium misit Jesus, peregrinationem per universum orbem consideranti, res humanis viribus major, susceptæ Dei jussu, videbitur. Et si perpendamus quo pacto homines novam doctrinam peregrinosque sermones audientes ad apostolos se applicuerint et quomodo voluntatem illis insidiandi posuerint divina quadam victi potestate quæ istorum saluti consulebat, nulli dubitabimus eos miracula quoque edidisse, sermonibus ipsorum testimonium reddente Deo per signa et prodigia et varias virtutes.

Idem.—His autem breviter de Jesu divinitate demonstratis et prophetarum de eo prolatis vaticiniis, una quoque divinitus inspiratas esse quæ de eo prænuntiant Scripturas demonstramus, et quæ ejus adventum doctrinamque annuntiant, litteras omni et potestate et auctoritate ita constare, ut propterea gentium electio subsecuta sit. Huc adde propheticorum sermonum divinitatem et legis Mosaycæ spiritum adventu Jesu resplenduisse : nec enim, ante Christi adventum, manifestis argumentis ostendi poterat veteres Scripturas divinitus fuisse inspiratas ; Christi autem adventus iis qui suspicari poterant legem et prophetas non esse divinos, perspicue declaravit cœlesti gratia esse conscriptos. Sed et qui diligenter attenteque in lectione prophetarum versatus erit, divini afflatus vestigium sentiet et inde persuasissimum habebit non hominum esse sermones, quos pro divinis habemus. Lumen igitur Moysis legi inhærens quod velamine obtegebatur, adveniente Jesu Christo, refulsit, ablato velamine et bonis quorum umbram habuit littera, in notitiam sensim prodeuntibus.

Operosum nunc fuerit antiquissimas de singulis quæ futura erant prædictiones recensere, ut qui dubitat, iis tanquam divinis perculsus, omni dubitatione et ancipitis animi hæsitatione deposita, Dei sermonibus tota se mente dedat. Quod si indoctis non videntur majores humano captu sententiæ singulis locis occurrere, nihil mirum : in operibus enim illius quæ mundum universum complectitur, providentiæ, alia liquet illius esse opera ; alia sic abstrusa et occulta sunt, ut dubitandi ansam præbere videantur an Deus arte et potentia inenarrabili cuncta administret. Neque enim in iis quæ supra terram sunt tam aperta est providentiæ Dei artificiosa ratio, quam in sole et luna et astris : neque tam manifesta est in humanis eventis et casibus, quam in anima et corpore animantium : cum plane compererint qui his perscrutandis diligentiam adhibent, cur, quamque ob causam hi sint impetus, hæ species in animo, hæ naturæ animantium, hæc fabrica corporum. Sed quemadmodum Providentia apud eos qui eam probe perceperunt, nihil quidquam detrimenti capit ob ea quæ non comprehenduntur : ita neque Scripturæ divinitati per eam totam diffusæ quidquam detrahitur, ex eo quod ingenii nostri imbecillitas in unaquaque dictione minime possit pervenire ad arcanum sententiarum splendorem in humili et abjecta locutione delitescentem : *Habemus* enim *thesaurum in vasis fictilibus, ut sublimitas virtutis Dei* fulgeat, *et non* putetur esse *ex nobis* hominibus. (*II Cor.* IV, 7.) Nam si tritæ inter homines demonstra-,

Digitized by Google

tionum viæ nostris libris insertæ convertissent humanum genus, merito quis suspicari potuisset fidem nostram in humana sapientia et non in virtute Dei sitam esse?

Nunc viro cuilibet oculos attollenti perspicuum est sermonis et prædicationis vim in multitudinem, non in persuasibilibus positam fuisse sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus et virtutis. (*I Cor.* II, 4.) Quamobrem cum nos virtus cœlestis, imo cœlesti superior ad eum solum colendum qui nos creavit, excitet relicto sermone initiorum Christi, hoc est primorum elementorum, ad perfectionem omni animi contentione feramur, ut ea quæ perfectis edisseritur sapientia, nobis quoque exponatur. Sapientiam enim promittit is qui eam adeptus est, loqui se inter perfectos, aliam plane a sapientia hujus sæculi et a sapientia principum hujus sæculi quæ destruitur. Hac autem sapientia aperte informabimur, quæ et revelabit mysterium ab æterno absconditum, nunc vero manifestum per scripta prophetarum et per adventum Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi : cui gloria in omnia sæcula, amen.

S. Cyprian., *De idolor. vanit.* — Quod Christus sit et quomodo per ipsum nobis salus venerit, sic est ordo, sic est oratio. Judæis primum erat apud Deum gratia. Sic olim justi erant, sic majores eorum religionibus obediebant. Inde illis et regni sublimitas floruit et generis magnitudo provenit. Sed illi negligentes et indisciplinati et superbi postmodum facti et fiducia patrum inflati, dum divina præcepta contemnunt, datam sibi gratiam perdiderunt. Quam vero fuerit illis profana vita, quæ contracta sit violatæ religionis offensa, ipsi quoque testantur qui, etsi voce tacent, exitu confitentur. Dispersi et palabundi vagantur, soli et cœli sui profugi per hospitia aliena jactantur. Necnon Deus ante prædixerat fore ut, vergente sæculo et mundi fine jam proximo, ex omni gente et populo et loco, cultores sibi allegeret Deus, multo fideliores et melioris obsequii, qui indulgentiam de divinis muneribus haurirent, quam acceptam Judæi, contemptis religionibus, perdidissent. Hujus igitur gratiæ disciplinæque arbiter et magister, sermo et Filius Dei mittitur, qui per prophetas omnes retro illuminator et doctor humani generis prædicabatur. Hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia ejus et gloria. Hic in Virginem illabitur, carnem Spiritus sanctus induitur, Deus cum homine miscetur. Hic Deus noster, hic Christus est, qui mediator duorum, hominem induit quem perducat ad Patrem.

Quod homo est esse Christus voluit, ut et homo possit esse quod Christus est. Sciebant et Judæi Christum esse venturum. Nam hic illis semper, prophetis admonentibus, annuntiabatur. Sed significato duplici ejus adventu, uno qui exercitio et exemplo hominis fungeretur, altero qui Deum faceret, non intelligendo primum adventum, qui in passione præcessit occultus, unum tantum credunt qui erit in potestate manifestus. Quod autem hoc Judæorum populus intelligere non potuit, delictorum meritum fuit. Sic erant sapientiæ et intelligentiæ cæcitate mulctati, ut qui vita indigni essent, haberent vitam ante oculos, nec viderent. Itaque cum Christus Jesus, secundum a prophetis ante prædicta, verbo et vocis imperio dæmonia de hominibus excuteret, paralyticos restringeret, leprosos purgaret, illuminaret cæcos, claudis gressum daret, mortuos rursus animaret, cogeret sibi elementa famulari, servire ventos, maria obedire, inferos cedere, Judæi qui illum crediderant hominem tantum de humilitate carnis et corporis, existimabant magnum de licentia potestatis. Hunc magistri eorum atque primores, hoc est, quos et doctrina ille et sapientia revincebat, accensi ira et indignatione provocati insecuti sunt et postremo detentum Pontio Pilato, qui tunc ex parte Romana Syriam procurabat, tradiderunt, crucem ejus et mortem suffragiis violentis ac pertinacibus flagitantes. Hoc eos facturos et ipse prædixerat et prophetarum omnium testimonium sic ante præcesserat, oportere illum pati, non ut sentiret mortem, sed ut vinceret et cum passus esset, ad superos denuo regredi, ut vim divinæ majestatis ostenderet.

Fidem itaque rerum cursus implevit. Nam et Crucifixus provento carnificis officio spiritum sponte dimisit, et die tertio rursus a mortuis sponte surrexit. Apparuit discipulis suis talis qualis et fuerat, agnoscendum se videntibus præbuit, simul vinctus et substantiæ corporalis firmitate conspicuus, ad dies quadraginta remoratus est, ut de eo ad præcepta vitalia instrui possent, et discerent quæ docerent. Tunc in cœlum circumfusa nube sublatus est, ut hominem quem dilexit, quem induit, quem a morte protexit, ad patrem victor imponeret, jam venturus e cœlo ad pœnam diaboli, et ad censuram generis humani, ultoris vigore et judicis potestate; per orbem vero discipuli, magistro et Deo monente, diffusi præcepta in salutem darent, ab errore tenebrarum ad viam lucis adducerent, cæcos et ignaros ad agnitionem veritatis ocularent. Ac ne esset probatio minus solida, et de Christo delicata confessio, per tormenta, per cruces, per multa pœnarum genera tentantur. Dolor, qui veritatis testis est, admovetur, ut Christus Dei Filius, qui hominibus ad vitam datus creditur, non tantum præconio vocis, sed et passionis testimonio prædicaretur. Hunc igitur comitamur, hunc sequimur, hunc habemus itineris ducem, lucis principem, salutis auctorem, cœlum pariter et patrem quæ credentibus et credentibus pollicentem. Quod est Christus erimus Christiani, si Christum fuerimus imitati.

Euseb. Pamph., *Depræpar. evang.*, l. I, c. 1. —Quid illud sibi velit quod Evangelium appellamus, diligenter in primis enucleare juvat. Est igitur Evangelium, quod faustam cœlestium maximorumque bonorum præsentiam humani generis universitati annuntiat; quæ cum prædicta jam olim fuissent, tum vero novissime omnibus illuxerunt.

Digitized by Google

Illud porro nec cæcarum opum, nec vitæ hujus brevissimæ ac miserrimæ copiam facit, nec illius omnino rei, quæ cum corpore sit et corruptione conjuncta ; sed earum duntaxat quæ cum animis intelligente natura prædilis necessitudinem ac societatem iniere; a quibus ea quæ corporis propria sunt ita pendent, ut eas etiam instar umbræ consequantur.

Caput autem horum omnium pietas est, non jam ista quæ nomen ementita suum infinitis erroribus implicatur ; sed ejusmodi quæ hanc sibi appellationem, suffragante veritate, defendit. Hæc illa est quæ, cum sensus nostros ad eum quem unum ac solum, uti vere est, omnia Deum constituentur, erigit, tum vitæ nostræ rationes ex ipsius quoque voluntate moderatur. Ex hoc autem vitæ genere nascitur hominis cum Deo amicitia, cui ter illa felix, et singulari Dei benevolentia constitutus finis comitatur, qui cum cœlitus ex rerum immortalium connexione aptus est, tum ad earum exemplum ac similitudinem regitur, atque in iis postremo acquiescit. Quid vero felici hac et divitiis omnibus circumfluente Dei amicitia beatius cogitari possit? Non ille vitæ, lucis, veritatis, bonorumque omnium quæstor veluti ac dispensator est? Non quamobrem omnia sint atque vivant, causam in se ipse complectitur?

Qui ergo semel divinæ hujus amicitiæ munere ornatus sit, quid tandem is ultra desideret? Quid, inquam, ei desit, qui bonorum auctorem omnium sibi devinctum habuerit? Cujus denique rei laboret inopia, qui magnum illum præsidem ac præpotentem hujus universitatis moderatorem, in patris ac tutoris locum obtinuerit? Nihil profecto dici potest, quo ad summam cumulatamque tum animi, tum corporis, externorumque bonorum felicitatem indigeat, qui propius ad regem universorum Deum vi caritatis accesserit, quique ab eo fuerit beatissimi amoris gratiam, pietatis hujus, scientiæ ac sapientiæ conciliatricis, merito consecutus. Hanc igitur adeo lætam ac salutarem hominum cum Deo necessitudinem, missus ad nos cœlitus ex Deo summe bono Deus Verbum, sic tanquam splendor aliquis immensi luminis, cunctis hominibus feliciter annuntiat. Is non ex uno alterove loco, sed ex omnibus orbis universi nationibus homines ad rerum omnium Deum vehementer invitat, Græcosque pariter ac Barbaros, viros simul, feminas ac puerulos, inopes æque ac divites, sapientes et idiotas, ut properare, oblatumque munus omni cum animorum alacritate ac studio suscipere velint, exstimulat; ac ne ipsum quidem servile genus ab ejusmodi societate vocationis excludit. Quippe qui enim una eademque omnes substantia naturaque procreavit omnium parens, is jure omnes pariter in unius æqualisque munificentiæ communionem ascivit, notitiam amoremque sui cum iis omnibus prolixe communicans, qui morem vocanti gerere, gratiæque suæ beneficium libenter accipere complectique voluerint.—

Supervacaneum, opinor, fuerit verborum fidem quærere, ubi res ipsas iisdem longe clariores et illustriores intueri liceat, quas cœlestis ac divina Servatoris nostri vis ac potestas, universis hominibus divinam ac cœlestem vitam feliciter annuntians, palam etiamnum et evidenter ostendit. Nam cum ipse non tantum fore prædixerit, ut (quod suæ apud omnes populos monumentum voluntatis exstaret) tradita ab eo doctrina, ubi degeret hominum genus, longe lateque prædicaretur ; verum etiam divina præsensione, illam ipsam quæ aliquanto post ejusdem numine ex omnium gentium societate conflata est, quæque, necdum eo tempore quo vitam inter homines homo ipse degebat, coaluisse videbatur, Ecclesiam, nullis unquam viribus expugnandam, ac ne ab ipsa quidem morte superandam : at penitus inconcussum illius robur mansurum esse prænuntiarit, utpote, quæ vi ejus ac potestate, si tanquam immoto ac nullis omnino machinis perrumpendo scopulo, altis defixa radicibus niteretur : hujus sane prædictionis veritas exitu comprobata, hiantem ac procacem hominum istorum buccam omni oratione justius obstruxerit, qui vulgo nihil non intemperanter et impudenter effutiunt. Quis enim verax illud Christi oraculum esse non fateatur, cum res ipsæ tantum non magna palam et aperta voce pronuntient, non humanæ id naturæ, sed numini divino tribuendum, quod res illas priusquam fierent, eo futuras modo prospiciens ita prædixerit, ut easdem operis ipsius fine compleret? Etenim jam universum, qui solis quidem radiis illustretur, orbem terrarum illius Evangelii fama pervasit, jam omnes undequaque populos nationesque percurrit, ipsiusque prædicatio, via plane cum ejusdem verbis cohærente, longius in dies etiamnum latiusque procedit.

Præterea quam nominatim ipse divinitus prænuntiavit Ecclesia, jam profundis nixa radicibus, hominumque sanctorum ac Deo dilectorum precibus votisque sublata, ad cœlestium usque orbium fornicem caput attollit, ac novis quotidie dignitatis incrementis aucta, spiritali ac divino prædicatæ ab illo pietatis fulgore passim ita coruscat, ut non suis tantum hostibus, sed ne ipsis quidem mortis foribus vel tantillum debilitata concedat. Quæ quidem omnia huic uni ab eo quondam prolatæ voci accepta ferenda sunt : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* (*Matth.* xvi, 18.) Cæterum infinita sunt id genus alia, a Servatore nostro prænuntiata, quibus in proprium ac singulare argumentum locumque congestis dum congruentes et consentaneos divinis ejus præsensionibus rerum ipsarum exitus ante oculos ponimus, eorum quæ nobis de ipso persuademus, certiorem omni dubitatione veritatem esse demonstramus.

Eusebius, Pamph., *De præpar. Evang.*, l. i, c. 1. — Neque vero levis et contemnenda est, si ad superiores adjungatur,

Digitized by Google

eidem veritati asserendæ fides, quam ex Hebraicarum litterarum testimonio arcessimus, cum iis ante tot annos præsentium bonorum promissionem Hebræi prophetæ generi mortalium universo prædicarint, ipsiusque a Deo Christi nominis ita meminerint, ut futurum simul ad homines ejusdem adventum prædixerint. Adde quod novum etiam et insolens ejus quæ per omnes populos funderetur doctrinæ genus indicarunt, futuram quoque Judaicæ nationis incredulitatem et obfirmatam in repugnando contumaciam prædicentes, nec non quidquid adversus eum impie molita est, ac quæcunque illam propterea non dilatæ longius, sed quasi e vestigio secutæ calamitates oppressere : supremam intelligo regiæ ipsorum metropolis obsidionem, ipsamque adeo regni funditus excisi eversionem, cum eorum per omnes gentes dispersione, quamque sub inimicorum et hostium dominatu patiuntur, servitute conjunctam. Quæ certe prædictionibus illis consentanea, post ejusdem nostri Servatoris adventum, in omnium oculis pertulere. Jam vero, quis non illustres illas atque perspicuas eorum prophetarum voces, quibus futuram, Christo jam ex rebus humanis subducto, cum Judæorum prolapsionem ac repudiationem, tum gentium vocationem feliciter prænuntiarunt, admiratione defixus obstupescat, cum hæc similiter Servatoris nostri doctrinæ beneficio, palam exitum nacta fuerit cum illorum prophetiis omnino congruentem? Per ipsum enim effectum est, ut innumerabilis ex omni hominum genere multitudo, rejectis idolorum erroribus, veram præpotentis rerum omnium moderatoris Dei notitiam religionemque susciperet, cumque cæterorum quæ prisci fuderunt oraculorum, tum hujus in primis Jeremiæ prophetiæ, fidem quodammodo facere videretur : ***Domine Deus meus, ad te gentes venient ab extremo terræ, et dicent, quod falsa patres nostri idola possederunt, nec erat in ipsis utilitas. Si faciet sibi homo deos, et ipsi non sunt dii.*** (*Jer.* XVI, 19, 20.)

At vero cum sese primum Christus ostendisset, (de quo prophetæ olim ista cecinerant : ***Orietur in diebus ipsius justitia et multitudo pacis.*** (*Psal.* LXXI, 7.) ***Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces, non sumet gens adversus gentem gladium, nec discent amplius bellum gerere***) (*Isa.* II, 4), oraculorum veritatem continuo rerum exitus comprobavit. Etenim multiplex ille Romanorum principatus illico sublatus est, cum Augustus sub ipsum nostri Servatoris adventum summam rerum unus accepisset. Ex eo vero tempore ad ætatem usque nostram, civitates ut antea cum civitatibus dimicantes, populosque cum populis commissos, hominum denique vitam rerum omnium perturbatione contritam nemo vidit. Quis ergo non jure miretur si diligenter secum ipse cogitet quid causæ fuerit, quamobrem homines olim, quo tempore gentes universas dæmones tyrannide oppressas tenebant, et summo cunctis a mortalibus cultu celebrabantur, deorum ipsorum œstro perciti, in mutua bella furioso quodam impetu ruerent : sic, ut modo Græci cum Græcis, modo cum Ægyptiis Ægyptii, Syri cum Syris, cum Romanis denique Romani ipsi bella susciperent, aliique vicissim alios vel in servitutem abducerent, vel obsidionibus conficerent, quemadmodum veteres illorum temporum historiis consignatum ac testatum reliquere. Ut primum autem religiosissima pacisque amantissima Servatoris nostri doctrina increbuit, non ille tantum error, qui deorum multitudinem invehebat, funditus tolleretur; verum etiam importatæ dudum per ista populorum dissidia calamitates subito conquiescerent? Equidem id vel maximum arbitror divinæ arcanæque Servatoris nostri potestatis argumentum.

Idem, *ibid.* — Illius autem utilitatis, quæ palam doctrinæ hujus prædicationem consecuta est, cuivis rem secum attente reputanti clarum hoc in primis et illustre specimen intueri liceat, quod nec alias unquam ex omni hominum memoria, nec ab eorum ullo qui fama quondam nominis et existimatione floruerunt, sed tantum ex quo ipsius doctrinæ per universum orbem diffusæ verbis et concionibus hominum aures affari cepere, continuo factum sit, ut qui ferini prius ac barbari nationum omnium mores fuerant, iidem lenioribus et humanioribus institutis mansuescerent. Itaque nec Persæ qui semel ejus disciplinæ nomen dederunt, nuptias amplius cum matribus ineunt : nec Scythæ, quod in eorum quoque regionem Christi sermo penetrarit, humana jam carne pascuntur, nec alia barbarorum genera incesto filiarum ac sororum concubitu polluuntur : nec ad mares furioso libidinis æstu mares ipsi rapiuntur, nec cæteras, quæ naturæ leges violant, corporis voluptates persequuntur, nec canibus atque volucribus necessariorum ac propinquorum suorum cadavera quibus id quondam in more fuerat, objiciunt : nec senio jam confectis, ut antea, laqueos injiciunt, nec sibi amicissimorum carne, post obitum, antiquo ritu saginantur : nec majorum instituto dæmonibus tanquam diis homines immolant, nec sibi charissimos jugulant falsa pietatis opinione delusi. Hæc nimirum illæ sunt, aliaque id genus propemodum infinita, quibus infesta quondam hominum vita habebatur.

Jam vero quod neque expertia vitæ, surdaque simulacra, neque conscelerati dæmones suarum in iis præstigiarum vim exerentes, neque partes mundi hujus aspectabilis, neque hominum pridem exstinctorum manes, neque animantium ratione carentium teterrimæ ac nocentissimæ deorum amplius in numero habeantur; sed istorum omnium loco, per unam hanc Evangelicam Servatoris nostri doctrinam effectum sit, ut ex Græcis pariter ac barbaris, quotquot ejus verbum sincero animo, non si-

Digitized by Google

mulatione quadam et inani ostentatione suscipiunt, eum supremæ philosophiæ gradum attingant, ut unum eumdemque summum Deum, nullis hujus aut universitatis aut ævi finibus comprehensum, præpotentem cœli terrarumque Regem ac Dominum, solis, astrorum, totiusque mundi procreatorem venerentur, celebrent, Deumque fateantur : ita porro vitam quasi adamussim exigere conformareque studeant, ut ipsum etiam oculorum sensum disciplinæ legibus contineant, nihilque non temperatum, ex aspectu cum cupiditate conjuncto, in animum subire patiantur, ac vel ipsa ex cogitatione radicitus genus omne fœdæ perturbationis exscindant : hæc omnia quis plurimum cunctis hominibus ad bene beateque vivendum momenti afferre non videat? Præterea, quod nullo plane jurejurando opus habeant, (tantum abest ut perjurio locus esse possit) eo quod nunquam omnino jurandum esse, at rejecto mendacio verum constanter et ubique retinendum ex illo didicerunt, adeo ut, ita vel non in omnem partem satis esse patent, quippe qui vel ipsam animi indictionem omni sacramento firmiorem atque certiorem exhibeant.

Similiter, quod ne in levissimis quidem voculis, ac mutuis quotidianisque congressionibus sese negligentius habere velint, sed in iis etiam accurate quidquid loquuntur expendant, ne quod ipsis verbum aut vanum, aut contumeliosum, aut turpe, minusve compositum excidat, idque propter unum hoc ejusdem monitum ; *De omni verbo otioso reddetis rationem in die judicii* (*Matth.* XII, 36) ; totum, inquam, illud cujus obsecio vitæ est, quamque sublime philosophiæ genus profitentis? Ad hæc, quod infinita virorum, mulierum ac puerorum, servorum pariter atque liberorum, ignobilium, nec non barbarorum simul atque Græcorum, omnibus in locis, oppidis, regionibus et quotquot soli subjectæ sunt nationibus, ad subeundam eorum præceptorum quibus nuper informati sumus disciplinam, denso agmine multitudo confluat, ejusmodique sermonibus aures præbeat, quibus ad coercendam non actionum modo petulantiam, verum etiam earum quæ in sola mente versantur cogitationum turpitudinem, omnesque tum ventris, tum quæ sub ventre sedem habent voluptates domandas excitetur : quodque nullum non genus hominum divinæ doctrinæ præceptionibus imbuatur, ut lacessentium inimicorum injurias excelso exaggeratoque animo ferre, non mutuis ac similibus improbos homines ulcisci velit ; ut iracundiæ vim, ut impotentem ac furiosum cupiditatis omnis impetum regere ac frenare conetur, adeoque ut opes fortunasque suas cum inopibus egentibusque communicet : ut quemlibet, hominem communis humanitatis nomine complectatur, quemque vulgo tanquam peregrinum habent, eum quasi naturæ lege conjunctissimum ac veluti fratrem agnoscat. Hæc qui simul universa congerat, fierine poterit quin idem prædicatam a nobis doctrinam eam esse fateatur, quæ summa veraque bona cunctis hominibus feliciter nuntiaverit, quodque præcipuum et quasi caput ad bene beateque vivendum per sese erat, hominum vitæ contulerit?

Euseb. Pamph., *De præpar. evang.*, l. v, c. 1. --Ex quo divina hæc et evangelica assertoris nostri virtus radiis suis hominum genus omne lucis instar illustravit, eo jam usque amplius furere neminem, ut charissimi cujusque sanguine, hominumque jugulatorum sacrificiis, illos cædis et cruoris avidos, et infestissimos humano generi dæmones placare conetur : qui tamen ritus omnium olim sapientium atque regum, quos dæmonis utique furor agebat, animos occuparat. Et vero pessimorum dæmonum, ex quo hominum societatem Servator noster inierit, vim ac potestatem amplius nullam esse, vel ipsemet Porphyrius, magnus ætatis nostræ dæmonum patronus, in eo quod adversus nos conscripsit volumine, his verbis testatum reliquit. Et nunc mirum, inquit, ulli videatur, civitatem hoc morbo tot jam annos conflictari, cum Æsculapius cæterique dii hominum sese consuetudini consortioque subduxerint? Ex quo enim Jesus coli cœptus est, communem ac publicam deorum opem nemo sensit. Hæc ille verbis totidem. Si ergo vel istius confessione, nihil ex quo Jesum colere cœperunt, communis ac publicæ deorum opis quisquam expertus est, Æsculapio simul ac reliqua numinum turba ex hominum societate summota : unde tandem vana de illis tanquam de diis aut heroibus subrepsit opinio? Quidni enim potius Æsculapii cæterorumque vis deorum, Jesu potestatem ac numen evertit? Enimvero, si homo ille tantum est, ut ipsi garriunt, morti obnoxius, (impostorem forte ac circulatorem etiam addiderint); hi contra servatores ac dii ; qui fieri potuit, uti fugam simul cum Æsculapio capesserent, mortalique homini, quique nullus, ut blaterant, omnino jam sit, non terga darent ipsi modo, sed etiam humanum genus quasi vinctum deinceps constrictumque traderent universum? At vero Jesus ille noster, hoc ipso sane quod etiam post obitum inter omnes populos nominis sui cultum quotidie propagare pergit, clarissimum vereque divinum iis, qui modo intueri possunt, vitæ post mortem suæ objicit argumentum. Ille igitur, unus ipse cum sit, atque ut suspicari quis forte queat, plane solus, immensam illam tot deorum toto quondam orbe dominantium multitudinem externat, eaque potestate ipsorum honorem et cultum contemptui ludibrioque subjicit, ut nec uli amplius dii sint, nec virium quidquam habeant, nec uspiam vel leviter appareant, nec in civitatum conventus, ut olim sese amplius inferant, utpote qui non dii, sed mali dæmones essent : contra vero Christi unius duntaxat, ejusque a quo missus est Dei rerum omnium præponentis veneratio magis in dies

Digitized by Google

ac magis augeatur, novaque cum accessione dignitatis, radices in populorum omnium mentibus agat altiores.

S. Chrysost., *Contra Anom.* 11.—Non audistis apud majores nostros tantum centum et viginti fuisse totum fidelium numerum (*Act.* I, 15) : imo ante illos centum et viginti, duodecim tantum erant, et neque hi manserunt omnes, sed unus ex eis Judas periit? Et erant undecim omnes, attamen ex undecim illis facti sunt centum et viginti; ex centum et viginti tria millia, deinde quinque millia, denique totum orbem terrarum impleverunt cognitione Dei : ejus vero rei causa hæc est, nunquam conventum deserebant, sed simul in templo conversabantur, et lectionibus intenti; propterea nunquam diffluxerunt, sed totum attraxerunt orbem. Hos et nos quoque imitemur.

Idem, *De pœnitent* —Quemadmodum nihil prodest iis qui seminant, si juxta viam semina jaciant : ita neque nobis quidquam proderit, si Christiani dicamur, nisi quæ appellationi nostræ conveniant opera præstemus. Ejus rei, si placet, adhibebo fide dignum testem fratrem Dei Jacobum dicentem : *Fides sine operibus mortua est.* (*Jac.* II, 17.) Ergo ubique opus est mandatorum operatione. Nam, illa absente, neque Christiani nominis appellatio nobis prodesse poterit. Et ne mireris. Quid enim, dic mihi, lucri habet miles quando in exercitu est, nisi militia dignus sit, et pro rege a quo alitur, militet? Forte autem, tametsi terribile est quod dicitur, melius ei erat non militare, quam in militia curam et honorem regis negligere. Qui enim fieri potest, ut non puniatur is qui a rege nutritur, pro rege autem non certat? Quid autem dico pro rege? Utinam etiam pro nostris animabus curam gereremus. Et quomodo, ait, possibile in mundo et medio hominum sic versantem salvari? Quid dicis, homo? Vis breviter ostendam non esse locum qui salvet, sed mores et voluntatem? Adam in paradiso ut in portu naufragium fecit. Loth in Sodomis, sicut in pelago servatus est. Job in stercore justificatus est. Saul in thesauris versans, regno præsenti et futuro excidit. Non est defensio, quod dicis te non posse, etiam in mundo versantem, in medio negotiorum salvari; sed hæc gravia unde accidunt? Quia alii divinis precibus, alii conventibus frequentes non adestis. Annon videtis eos qui volunt dignitatem a terreno rege accipere, quomodo assident, quomodo alios ad patrocinandum incitant, ut potiantur eo quod quærunt? Hæc ego dixerim ad eos, qui divinas collectas relinquunt, et sub horam terribilis et mysticæ mensæ, colloquiis et vanis sermocinationibus occupati sunt.

Idem, serm. 7. — *Sapientiam autem loquimur inter perfectos; sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur. Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram.* (*I Cor.* II, 6, 7.) Tenebræ videntur esse luce opportuniores, iis qui laborant oculis; ideoque magis ad adumbratam ædiculam confugiunt. Hoc etiam usu venit in spirituali sapientia. Dei quidem sapientia externis videbatur esse stultitia; eorum vero sapientia, quæ vere stultitia erat, ab ipsis sapientia reputata fuit. Et perinde contingebat, ac si quis sapientia et arte gubernandi utens, polliceretur se sine nave et velis pelagus immensum esse transmissurum; deindeque tentaret ratiociniis probare hoc fieri posse; alius vero quispiam omnium imperitus, navi, gubernatori et nautis sese committens, sic cum securitate navigaret; hujus enim ea quæ videtur esse imperitia, illius sapientia sapientior esset. Bona quippe est ars gubernandi; sed cum majora quam par sit pollicetur, stultitia quædam est, ut et omnis ars quæ non suis contenta est terminis. Sic etiam externa sapientia, si usa est Spiritu. Sed quia sibi omnia permisit, nec se auxilio ullo opus habere putavit, stultitia facta est, etsi videretur sapientia esse. Quapropter, cum prius illam ex rebus ipsis confutasset, tunc illam stultitiam vocavit; et cum prius Dei sapientiam ex illorum sententia stultitiam vocasset, tunc ostendit illam esse sapientiam. Nam post probationes, tunc maxime possunt contradicentes pudore suffundi. Et ait : *Sapientiam autem loquimur inter perfectos.* Nam cum ego, qui stultus esse et stulta prædicare existimor, sapientem superavero, non per stultitiam superavi sapientiam; sed per sapientiam perfectiorem, et tantam tantoque illa majorem, ut illa stultitia esse videatur. Ideo cum prius illam ita vocasset, ut illi tunc nominabant, et ex rebus ipsis victoriam exhibuisset, illosque admodum stultos esse probasset, de cætero nomen ipsi dat quod ei conveniat dicens : *Sapientiam vero loquimur inter perfectos.*

Sapientiam autem dicit prædicationem et modum salutis, nempe salvum fieri per crucem; perfectos autem, eos qui crediderunt : et enim illi perfecti sunt, qui humana videntes esse valde infirma, illaque despicientes, persuasum habent illa nihil sibi conferre, cujusmodi fuerunt fideles. Sapientiam autem non hujus sæculi. Ubi namque utilis est externa sapientia quæ hic quidem evertit, et ulterius non progreditur, neque hic prodesse potest iis qui illa sunt præditi. Principes autem sæculi hic, non dæmones quosdam dicit, ut quidam suspicantur; sed eos qui in dignitatibus et in magistratu, qui rem illam existimant præclaram, philosophos, oratores, scriptores; nam hi sæpe imperabant, et plerumque populi ductores erant. Hujus autem sæculi principes vocavit, quia ipsorum imperium non ultra præsens sæculum procedit; quamobrem subjunxit : *Qui destruuntur*, ex re ipsa illam confutans, et ex iis qui illa utuntur. Cum ostendisset enim illam falsam esse et stultam, et nihil invenire posse, infirmamque esse, ostendit etiam parvo tempore consistere : *Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio.* (*I Cor.* II, 7.) In quo mysterio? Atqui dicit Chri-

Digitized by Google

stus. *Quod in aure audistis, prædicate super tecta.* (*Matth.* x, 27.) Quomodo ergo illam vocat mysterium? Quia neque angelus, neque archangelus, neque ulla creata potestas id noverat antequam fieret. Ideo ait: *Ut innotescat nunc principatibus et potestatibus in cœlestibus, per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* (*Ephes.* III, 10.) Hoc autem fecit Deus nos honorans, ut nobiscum audirent mysteria. Nam nos quoque, eis quos nobis fecerimus amicos, hoc argumentum dicimus esse amicitiæ nostræ, quod nemini priusquam ipsis secreta revelemus.

Audiant ii qui prædicationem traducunt, omnibusque indiscriminatim margaritas et dogma enuntiant, et sancta canibus et porcis superfluisque ratiociniis projiciunt. Mysterium namque probatione opus non habet; sed id solum quod est annuntiatur. Etenim non erit totum mysterium divinum, cum a te ipso aliquid addideris. Alioquin vero mysterium vocatur, quia non quod videmus, credimus; sed alia videmus, alia credimus. Talis namque est mysteriorum nostrorum natura. Alio igitur modo ego, et alio infidelis circa hæc affecti sumus. Audio ego quod crucifixus sit Christus, et ejus erga homines amorem statim admiror; audit ille, et imbecillitatem putat. Audio quod servus factus sit, et providentiam admiror; audit ille et dedecus esse putat. Audio quod mortuus sit, et de potentia ejus, obstupesco: quod a morte non superatus sit, imo etiam mortem dissolverit; audit ille et imbecillitatem suspicatur. Cum audit ille resurrectionem, fabulam esse putat; ego vero post acceptas ex rebus ipsis demonstrationes, Dei œconomiam adoro. Lavacrum audiens ille, aquam tantum esse putat. Ego vero non quod videtur solum aspicio; sed etiam purificationem animæ per Spiritum. Existimat ille solum mihi ablutum esse corpus; ego autem credo animam quoque puram et sanctam factam esse, et cogito sepulcrum, resurrectionem, sanctificationem, justitiam, redemptionem, adoptionem, hæreditatem, regnum cœlorum, datum spiritum. Non enim ex visu judico illa quæ apparent, sed mentis oculis. Audio corpus Christi, aliter ego dictum intelligo, aliter infidelis

S. Chrys., hom. 7 *in Epist ad Cor.* — *Sed, ut scriptum est: Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparavit Deus diligentibus se.* (*I Cor.* II, 9.) Et ubinam scripta sunt hæc? Dicitur enim, scriptum est, etiamsi non verbis, sed in rebus ipsis hæc posita sint, ut in historiis; vel si ipse quidem sensus reperiatur, licet non ipsis verbis sicut hic. Illud enim, quibus non annuntiatum est de illo, videbunt, et qui non audierunt intelligent, idipsum est atque illud, oculus non vidit, nec auris audivit. Aut hoc igitur dicit: aut verisimile est scriptum fuisse in libris qui perierint. Nam multi libri perditi fuerunt, et pauci servati sunt, etiam in prima captivitate. Et hoc perspicuum est in *Paralipomenis*; dicit enim Apostolus: *A Samuele et iis qui postea fuerunt prophetis, omnes de illo dixerunt* (*Act.* XIII, 20): at non omnino hæc ita feruntur. Paulum vero legisperitum, et ex Spiritu loquentem, verisimile est omnia accurate scivisse. Et quid dico de captivitate? Nam etiam ante captivitatem multi periere libri, Judæis in extremam impietatem delapsis, quod palam est ex fine quarti libri *Regum*. *Deuteronomium* enim vix repertum fuit in sterquilinio defossum. Alioquin autem sunt aliquando duplices prophetiæ, sapientioribus facile cognitæ, ex quibus occulta multa possunt percipi. Quid ergo? non vidit oculus quæ præparavit Deus? Non. Quis enim hominum vidit ea quæ dispensanda erant? Num ergo neque auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt? Et quomodo?

Si enim prophetæ dixerunt, inquies, quomodo auris non audivit, nec in cor hominis ascenderunt? Non enim de ipsis solis loquitur, sed etiam de universa natura humana. Quid ergo prophetæ non audierunt? Audierunt quidem: at non erat auris hominis, sed auris prophetica: non enim ut homines audierunt, sed ut prophetæ. Quapropter dicit: *Adjecit mihi aurem ad audiendum* (*Isa.* L, 4), adjectionem a Spiritu factam dicens. Unde manifestum est, quod priusquam audiret, nec in cor quidem hominis ascenderant. Nam postquam datus Spiritus fuerat, cor prophetarum non erat cor hominis, sed cor spirituale, quemadmodum et ipse ait: *Mentem Christi habemus.* (*I Cor.* II, 16.) Quod dicit autem, hujusmodi est. Antequam Spiritu frueremur et arcana edisceremus, nec ex nobis, nec ex prophetis quisquam ea intellexit. Quomodo enim, cum nec angeli quidem ipsa nossent? Quid enim, inquit, dicendum est de principibus hujus sæculi, cum nullus homo ea sciret, neque supernæ potestates? Quænam autem sunt ea? Quod per prædicationis stultitiam, quæ talis esse videbatur, et gentes inducentur, et Dei cum hominibus reconciliatio erit, et tot tantaque nobis ventura sunt bona. Quomodo ergo cognovimus? *Nobis autem*, inquit, *revelavit Deus per Spiritum suum.* Non per externam sapientiam. Ipsa enim tanquam ancilla quædam contempta, non permissa fuit intus ingredi, et mysteria Dominica inspicere.

Viden' quantum discrimen inter hanc et illam sapientiam? Quæ angeli non noverunt; ea nos hæc docuit, externa vero contrarium fecit; non modo non docuit, sed etiam impedivit et arcuit: et postquam illa facta fuerunt, illa obscuravit, et crucem exinaniit. Non ergo ex eo quod didicerimus ostenditur honor nobis concessus, nec ex eo quod cum angelis didicerimus; sed ex eo quod per Spiritum ejus didicerimus. Deinde postquam magnitudinem ostendit, ait: Nisi Spiritus qui scit arcana Dei, revelasset, non didicissemus. Ita curabat Deus ut in arcanis esset. Quapropter illo opus habuimus doctore, qui hæc clare sciret. *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam pro-*

Digitized by Google

funda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt nemo novit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. (*I Cor.* II, 10, 11, 12.) Hic enim illud *scrutari*, non ignorantiam, sed accuratam scientiam indicat. Hac igitur dictione etiam de Deo loquens usus est, dicens : *Qui autem scrutatur corda, novit quis sit sensus Spiritus.* (*Rom.* VIII, 27.) Deinde cum accurate locutus esset de cognitione Spiritus, et ostendisset eam ita exæquari cognitioni Dei, ut ipsa hominis cognitio sibi ipsi ; et docuisset nos omnia inde didicisse, et inde necessario subjunxit : *Quæ etiam loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus sancti, spiritualibus spiritualia comparantes.*

Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis instruxit eum? Nos autem mentem Christi habemus : id est ea quæ in mente Christi sunt nos scimus, nec non ea quæ ipse vult et revelavit. Quia enim dixit Spiritum revelasse ; ne quis Filium repellat subjunxit, etiam Christum hæc nobis ostendisse : non hoc dicens, nos omnia quæ ipse novit scire; sed omnia quæ scimus non humana esse, ut sint suspecta ; sed mentis illius et spiritualia. Mentem enim quam de his habemus, ut Christi mentem habemus ; id est cognitionem quam de rebus fidei habemus, spiritualem habemus; ita ut jure a nemine dijudicemur. Neque enim potest animalis homo divina cognoscere. Ideo dicebat : *Quis enim cognovit mentem Domini ?* Mentem nostram circa res istas, illius esse mentem dicens, et illud : *Qui instruet eum* non sine causa adjecit : sed respiciens ad id quod jam dixit : *Spiritualem nemo dijudicat*, si enim nemo potest nosse mentem Domini, multo minus potest illum docere et corrigere, hoc enim sibi vult illud qui instruet eum. Viden' quomodo undique repellat sapientiam externam, et spiritualem plura et majora scire ostendat? Quia enim causæ illæ, nempe ut non glorietur omnis caro ; et quod ideo stulta elegerit, ut confunderet sapientes; et ut non evacuetur crux Christi; infidelibus non admodum fide dignæ neque inducentes, vel necessariæ et utiles videbantur esse, demum apponit principem causam ; quia hoc maxime modo videre possumus, ex quo sublimia et arcana, et quæ supra nos sunt scire possimus. Nam evacuabatur ratio, quod ea quæ supra nos sunt per externam sapientiam comprehendere non possumus. Viden' quod sic magis conferebat ediscere a Spiritu? Est enim hæc doctrina et facillima et clarissima. Nos autem mentem Christi habemus ; hoc est, spiritualem, divinam, humanum nihil habentem. Non enim Platonis, nec Pythagoræ sensa, sed sua Christus menti nostræ indidit.

Ideo igitur pudore afficiamur, dilecti, et vitam exhibeamus optimam, quando et ipse hoc facit magnæ amicitiæ, argumentum cum arcana revelat, dicens : *Non jam vos dicam servos, omnes enim vos amici mei estis : quia omnia quæ audiri a Patre meo annuntiavi vobis* (*Joan.* XV, 15) ; id est, cum fiducia tradidi vobis. Si autem hoc solum est amicitiæ argumentum, fidere ; cum palam sit eum non modo cum fiducia verborum mysteria tradidisse, sed eadem ipsa operibus nobis largitum esse, cogita quantæ illud sit amicitiæ. Hac ergo de re pudore afficiamur. Etsi nulla nobis tanta habeatur gehennæ ratio ; at sit nobis gehenna terribilius, quod erga adeo amicum et benificum ingrati simus. Neque ut mercenarii famuli ; sed ut filii et liberi omnia faciamus propter amicitiam Patris, et tandem cessemus mundo addicti esse, ut etiam gentes pudore afficiamus. Nam nunc cum velim contra illos disputare, renuo ; ne dum illos rationibus et dogmatum veritate vincimus, ingentem nobis risum ex vitæ comparatione inferamus; quando illi qui errori addicti sunt, et qui nihil hujusmodi persuasum habent, philosophiæ dant operam, nos autem plane contrarium facimus. Attamen dicam fortassis enim, fortassis adversus illos pugnare meditantes, vita etiam illis meliores effici contendemus.

S. Chrys., hom. 7 *in Epist. ad Cor.*—Nuper dicebam apostolos ea quæ prædicarunt nunquam prædicaturos fuisse, nisi divina movente gratia ; et non modo id non perfecturos, sed neque hac de re consultaturos fuisse. Age vero, hodie quoque eam rem excutiamus, ostendamusque non potuisse eos id suscipere vel cogitare, nisi Christum secum habuissent ; non quia imbecilli adversus fortes; non quia pauci contra multos; non quia pauperes contra divites ; non quia indocti contra sapientes aciem instruebant ; sed quia præjudicatæ opinionis magna vis erat. Scitis enim nihil apud homines validius esse, veteris consuetudinis tyrannide. Quamobrem, etiamsi non duodecim tantum numero fuissent, neque ita viles et quales erant ; sed alius orbis fuisset huic par, ac multitudinem habuissent adversæ sibi æqualem, imo multo majorem, sic quoque difficilis res fuisset. Illis namque opem ferebat consuetudo, his vero novitas adversabatur. Nihil enim ita turbat animum, etiamsi utile quidpiam aggrediatur, ut innovare et peregrinum quid inducere, maxime cum de cultu religionis et de Dei gloria agitur. Et quanta sit hujus rei vis, jam palam faciam. Primo illud dicam : alteram fuisse difficultatem circa Judæos. Nam quod ad gentiles spectat et deos et dogmata illorum, confutabantur omnia ; apud Judæos autem non ita disputabant. Sed ex dogmatibus multa abrogabant, Deum vero qui legem posuerat adorare jubebant, et cum dicerent oportere legislatorem colere, addebant : Ne in omnibus obsequaris legi ab illo positæ ; verbi gratia, in observatione Sabbati, aut circumcisionis, aut sacrificiorum, aut aliorum similium. Itaque non modo sacrificium impedimento erat ; sed etiam quod cum Deum juberent ado-

Digitized by Google

rare, multas ipsius leges abrogare præciperent. Apud gentiles autem magna erat consuetudinis tyrannis.

Etenim etiamsi decem annorum tantum, nec dico tanti temporis; etsi paucorum hominum, nec dico totius orbis consuetudinem aggressi illi fuissent; sic quoque mutatio difficilis fuisset. Nunc autem et sophistæ et oratores et patres et avi et abavi et multi antiquiores errore erant præoccupati : et terra, mare, montes, saltus, Barbarorum omnia genera, Græcorum populi omnes, sapientes, idiotæ, principes, subditi, mulieres et viri, juvenes et senes, heri et servi, agricolæ et artifices, qui urbes et qui vicos incolebant omnes, et par erat illos omnes cathecumenos dicere. Quid hoc est? Omnesne qui orbem incolunt sunt decepti? Sophistæ, oratores, philosophi, scriptores, et qui nunc sunt et qui ante fuerunt, Pythagora et Plato, duces, consules, imperatores, urbium ab initio cives et habitatores, Barbari et Græci? Et duodecim piscatores ac tentoriorum artifices, atque publicani, illis omnibus sunt sapientiores? Et quis hæc ferre potuerit? Attamen hæc non dixerunt, nec cogitarunt, sed quieti sustinuerunt noveruntque illos esse omnium sapientissimos, ideoque omnes superaverunt. Et ut discas quanta sit vis consuetudinis, ea Dei præcepta sæpe superavit. Et quid dico præcepta? Ipsa quoque beneficia. Judæi enim manna habentes, quærebant alia; et libertate fruentes, servitutis recordabantur, et Ægyptum frequenter optabant ob consuetudinem; adeo tyrannica est consuetudo. Et si velis etiam ab exteris id discere, dicitur Plato, etiamsi probe sciret errorem esse ea quæ de diis dicebantur, ad festos dies colendos et ad cætera omnia se demisisse, ut qui non posset consuetudinem impugnare, ac reipsa a magistro hoc edidicerat. Hic enim cum in suspicionem innovationis venisset, tantum abfuit ut quod optabat perficeret, ut etiam vitam amiserit, etiamsi apologia sese purgasset.

Quot etiam nunc videmus homines, ex præjudicata opinione in impietate detentos, qui nihil possunt rationi consonum dicere, cum accusantur quod ut gentiles sentiant, allegantque patres, avos et proavos? Ideo exterorum quidam consuetudinem secundam naturam vocant. Cum autem in dogmatibus consuetudo adest, ea firmior est. Omnia enim facilius mutaverint, quam cultum, et pudor, una cum consuetudine, ad impedimentum satis erat, et quod videantur in extrema senectute dediscere, etiamque ab iis qui minus intelligerent. Et quid miraris si in anima id eveniat, quando etiam in corpore magnam vim consuetudo habet? Apostolorum vero tempore aliud erat majus impedimentum, quod non modo consuetudo tam antiqua mutaretur; sed etiam quod mutatio illa cum periculo fieret. Non modo enim a consuetudine ad consuetudinem trahebant; sed a consuetudine securitatem habente, ad rem pericula minitantem. Credentem statim accidebat publicari, pelli, a patria excidere, ab omnibus odio haberi, communem hostem esse et suis et alienis. Itaque etiamsi vocassent a novitate ad consuetudinem, etiam sic difficilis res fuisset; cum autem a consuetudine ad novitatem vocarent, et hæc adessent mala : cogita quantum erat illud impedimentum; præter ea autem quæ dicta sunt, aliud non levius erat quod mutationem difficilem redderet.

Ad consuetudinem enim et ad pericula id addas, quod hæc præcepta onerosiora essent, et ea, a quibus abducebant, levia et facilia. Nam a fornicatione ad castitatem vocabant, ab amore vitæ ad mortem, ab ebrietate ad jejunium, a risu ad lacrymas et compunctionem, ab avaritia ad paupertatem, a securitate ad pericula, et per omnia extremam exigebant accurationem. Nam ait : *Turpitudo et stultiloquium, et scurrilitas, ne exeant ab ore vestro.* (*Ephes.* v, 4) Et hæc dicebant iis qui nihil aliud sciebant, quam inebriari, ventri indulgere, iis qui dies festos agebant, non alio modo consistentes, quam ex turpitudine, risu et universa comœdia. Itaque non modo quod philosophiam exigerent, onerosa illa præcepta erant; sed quod hominibus proferrentur, qui in licentia, turpitudine, stultiloquio, risu, rebusque comicis educati essent. Quis enim in talibus vitam ducens cum audit : *Nisi quis tollat crucem suam, et sequatur me, non est me dignus* : et, *Non veni pacem mittere, sed gladium, et separare hominem a patre suo, et filiam a matre sua* (*Matth.* xvi, 24, x, 34, 35) non obtorpuerit?

S. Chrys., hom. 7 *in epist. ad Cor.* — Quis autem audiens : Nisi quis renuntiaverit domui, patriæ et divitiis, non est me dignus, non dubitaverit, non repudiaverit? Attamen non modo non obtorpuerunt, non modo non respuerunt hæc audientes; sed etiam accurrebant, et ad gravia insiliebant, ac quæ præcipiebantur arripiebant. Audire autem illud : de omni verbo otioso rationem reddituri sumus; et : *Qui respicit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam;* (*Matth.* v, 28) et : Qui irascitur temere, in gehennam incidet; quem non abegisset eorum qui tunc erant? Attamen omnes accurrebant, et multi etiam septa transiliebant. Quid ergo illos inducebat? Annon virtus ejus qui prædicabatur, ut palam est? Nisi enim hoc esset et contrarium esset, et illi isti fuissent, isti vero illi; an fuisset facile repugnantes trahere? Dici recte id non potest. Itaque per omnia ostenditur divinam virtutem fuisse quæ hæc perfecit. Nam unde, quæso, persuaserunt mollibus et diffluentibus, ad vitam ducentes duram et asperam? sed præcepta quidem hujusmodi erant. Videamus autem an dogma vim haberet alliciendi. Atqui hoc ipsum satis erat ad abigendos infideles. Quid enim dicebant ii qui prædicabant? Crucifixum esse adorandum, illumque Deum esse putandum, qui ex Judæa muliere natus esset. Ecquis illis credidisset, nisi movente divina virtute? Quod enim crucifixus et sepultus fuisset, omnes sciebant; quod autem resurrexisset et as-

Digitized by Google

cendisset, prætor apostolos nemo viderat.

At promissis illos erigebant, inquies, et verborum sono deceperunt. Hoc ipsum vero maxime ostendit præter ea omnia quæ dicta sunt, res nostras non esse fallaciam : nam difficilia omnia, hinc eveniebant; utilia vero post resurrectionem promitti oportebat. Hoc ipsum autem, iterum dicam, ostendit prædicationem nostram divinam esse. Cur enim nemo credentium dixit : Non accedo, neque ferre possum ; difficilia mihi hic comminaris, et bona post resurrectionem futuram esse? Quis eorum qui decesserunt venit? Quis mortuorum resurrexit? Quis horum dixit : Quid futurum sit post nostrum hinc exitum? At nihil horum cogitarunt ; sed et animas dederunt pro Crucifixo. Itaque hoc ipsum maximæ virtutis erat, quod cum nihil horum unquam audissent, statim de tantis rebus persuaderentur, et sese appararent ut difficilia in experimentum acciperent, bona vero in spe haberent. Si autem decipere voluissent, contrarium facturi erant ; hic bona promisissent, et terribilia tacuissent, tam præsentia, quam futura. Ita enim facere solent qui decipiunt et adulantur. Nihil asperum, durum vel onerosum proponunt, sed contrarium totum ; hæc quippe fallacia est.

Sed multorum amentia, inquies, fecit ut dictis fidem haberent. Quid dicis? Quando sub Græcis fuere, non erant stulti ; sed quando ad nos translati sunt, tunc stulti evaserunt? Atqui non alios homines, neque ex alio orbe accipientes apostoli, ad fidem deduxerunt : quanquam gentilium instituta simpliciter tenebant ; nostra vero cum periculo susceperunt. Itaque si cum majori ratione illa tenuissent, cum tanto tempore in illis vixissent, non ab illis abscessissent, cum maxime non absque periculo abscedere possent. Postquam autem ex ipsa rerum natura cognoverunt, ridicula illa esse et errore plena ; ideo cum etiam mortis minæ intentarentur, a consuetis resilierunt et ad nova confugerunt, utpote cum hoc dogma secundum naturam esset, illud vero præter naturam. At qui credebant, inquies, erant famuli, mulieres, nutrices, obstetrices et eunuchi. At non ex his solum nobis constituta est Ecclesia, quod utique est omnibus manifestum. Si autem ab his, hoc maxime prædicationem admirabilem reddit, quod alia dogmata, quæ Plato et sui temporis alii excogitare non potuerunt, statim potuerint piscatores omnium indoctissimum genus, ad recipiendum inducere. Neque enim si prudentibus solum persuasissent, adeo admiranda res fuisset : cum vero famulos, nutrices et eunuchos ad tantam deduxerint philosophiam, ut illos angelis pares fecerint, magnam præbuere divinæ inspirationis demonstrationem. Nam si vilia quædam præcepissent, esset forte rationi consentaneum eorum persuasionem ad demonstrandam dictorum vilitatem proferre. Si autem magna et sublimia humanamque naturam fere superantia, quæ sublimi mente opus habent, philosophabantur ; quo magis stultos ostendes eos qui persuasi sunt, eo magis sapientes et divina gratia repletos ostendes eos qui persuaserunt.

Sed magnitudine promissorum, inquies, persuaserunt. An hoc ipsum non miraris, quomodo persuaserint illis ut post mortem præmia et mercedes exspectarent? Ego vero hac ipsa de re obstupesco. At hoc, inquies, ex stultitia. Quanam, quæso te, stultitia? Nam anima immortalis est, et judicium incorruptum post hanc vitam nos excepturum est, et rationes verborum, rerum et cogitationum dabimus Deo qui novit arcana, et malos quidem punitos, bonos autem coronatos videbimus. Hæc enim non stultitiæ, sed maximæ philosophiæ sunt. Hoc igitur, dic mihi, præsentia spernere, magnam rem esse virtutem putare, non hic præmia quærere, sed alterius spe progredi animamque sic constantem et in fide firmam tenere, ita ut a nullo malorum præsentium, ad futuram spem impediatur, hæc, inquam, quantæ fuerint philosophiæ?

S. Chrysost., hom. 7 *in Epist. ad Cor.* — Ea ergo quæ dicta sunt paucis repetamus. Quænam est rerum natura, num ut imbecilli superentur a potentibus, an secus? Qui facilia dicunt, an qui difficiliora? Qui cum periculis attrahant, an qui secure? Qui innovant, an qui consuetudinem firmant? Qui in asperam viam ducunt, an qui in facilem? Si qui a patriis institutis abducunt, an ii qui non peregrinas leges statuunt? Si qui, postquam hinc abscesserimus, omnia bona pollicentur, an ii qui in præsenti vita adulantur? Multi a paucis, an pauci a multis? At vos etiam, inquies, hic promisistis. Quid hic promisimus? Peccatorum remissionem et lavacrum regenerationis, vere quidem baptisma plus habet boni in futuris. Et Paulus clamat dicens. ***Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo, in Deo. Cum autem vita vestra manifestata fuerit, tunc et vos cum ipso apparebitis in gloria.*** (*Coloss.* III, 3, 4.) Si autem hic quoque habet bona, ut certe habet, et hoc quoque magnum est miraculum, quod potuerint persuadere iis qui mala fecerant innumera, et quod nemo alius fecerat, fore ut omnia abluerentur, et nullius scelerum suorum rationem essent reddituri! Itaque ea de causa maxime admirari oportebat, quod barbaris hominibus persuaserint ut talem fidem susciperent, et bonam de futuris spem haberent, ac deposita priorum peccatorum sarcina, cum magna animi alacritate, deinde pro virtute labores susciperent, et ad sensilia nulla inhiarent, omnibusque corporeis rebus superiores effecti, spiritualia acciperent dona : ac Persa, Sarmata, Maurus, et Indus, scirent animæ expiationem, Dei potentiam, et benignitatem ineffabilem, fidei philosophiam, Spiritus sancti adventum, corporum ressurrectionem, et vitæ immortalis dogmata. Hæc quippe omnia et his plura Barbarorum genera piscatores in baptismo mysteriis initiantes, philosophari suaserunt. Hæc itaque omnia accurate servantes, illa eis dicamus, et a vita quoque

Digitized by Google

nostra demonstrationem rursum ipsis exhibeamus, quo utrinque et nos salutem consequamur, et illos ad Dei gloriam attrahamus : quia ipsi est gloria in sæcula, amen.

S. Augst., *in Joan. Evang.* — Fratres mei, sequamur Christum lumen mundi, ne ambulemus in tenebris. Tenebræ metuendæ sunt morum, non oculorum : et si oculorum, non extèriorum, sed interiorum : unde discernitur non album et nigrum, sed justum et injustum.

Cum dixisset Dominus noster Jesus Christus : *Ego sum lux mundi : qui me sequitur, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* (*Joan.* VIII, 12.) Responderunt Judæi : *Tu de te testimonium dicis, testimonium tuum non est verum.* (*Ibid.*, 13.) Antequam veniret Dominus noster Jesus Christus, multas ante se lucernas prophetas accendit et misit. De his etiam erat Joannes Baptista, cui tam magnum ipsum lumen, quod est Dominus Christus perhibuit testimonium, quale nulli hominum : ait enim : *In natis mulierum non surrexit major Joanne Baptista.* (*Matth.* XI, 11.) Hic tamen, quo nemo erat major in natis mulierum, dicit de Domino Jesu Christo, Ego *quidem baptizo vos in aqua, qui autem venit fortior me est, cujus non sum dignus calceamentum solvere.* (*Luc.* III, 16.) Videte quemadmodum se lucerna diei submittat. Lucernam vero ipsum Joannem fuisse Dominus ipse testatur : *Ille erat*, inquit, *lucerna ardens et lucens* (*Joan.* V, 35), et vos voluistis ad horam exsultare in lumine ejus. Quando autem dixerunt Judæi Domino : Dic nobis in qua potestate ista facis ? (*Matth.* XXI, 23) sciens Dominus quia Joannem Baptistam pro magno haberent, et quod ipse quem pro magno habebant, eis de Domino testimonium perhibuisset, respondit eis : *Interrogabo vos et ego unum sermonem.* (*Ibid.*, 24.) Dicite mihi, baptismus Joannis unde est, de cœlo, an ex hominibus? Turbati illi intra semetipsos cogitabant, quia si dicerent ab hominibus, lapidari possent a turba, quæ Joannem prophetam esse credebant; si dicerent de cœlo, responderet eis : Ille quem confitemini de cœlo habuisse prophetiam, mihi testimonium perhibuit, et ab illo audistis in qua ego ista faciam potestate. Viderunt ergo, quodlibet horum respondissent, in laqueum se casuros ; et dixerunt : Nescimus. Et Dominus eis : *Nec ego dico vobis, in qua potestate ista facio.* (*Luc.* XX, 8) Non vobis dico quod scio, quia non vultis fateri quod scitis. Justissime utique repulsi, confusi abscesserunt ; et impletum est quod in psalmo per prophetam dicit Deus Pater : *Paravi lucernam Christo meo.* (*Psal.* CXXXI, 17), id est, ipsum Joannem : *Inimicos ejus induam confusione.* (*Ibid.*, 18.)

Habebat ergo Dominus Jesus Christus testimonium prophetarum ante se præmissorum præconum judicem præcedentium ; habebat testimonium a Joanne ; sed ipse majus testimonium erat, quod sibi perhibebat. Illi autem infirmis oculis lucernas quærebant, quia diem ferre non poterant ; nam Joannes idem ipse apostolus, cujus Evangelium in manibus habemus, in ipsius Evangelii sui capite ait de Joanne : *Erat homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes : hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per eum. Non erat ille lumen, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in mundum.* (*Joan.* VI seqq.) Si omnem, ergo et Joannem. Unde dicit et ipse Joannes : *Nos omnes de plenitudine ejus accepimus.* (*Joan.* I, 16.) Discernite ergo ista, ut proficiat mens vestra in fide Christi, ne semper infantes sitis ubera quærentes, et a cibo solido resilientes. Debetis apud matrem sanctam Ecclesiam Christi nutriri et ablactari, et ad escas solidiores accedere, mente, non ventre. Hoc ergo discernite, aliud esse lumen quod illuminat, aliud esse quod illuminatur. Nam et oculi nostri lumina dicuntur ; et unusquisque ita jurat, tangens oculos suos, per lumina sua : Sic vivant lumina mea ; usitata juratio est. Quæ lumina si lumina sunt, desit lumen in cubiculo tuo clauso, pateant, et luceant tibi ; non utique possunt. Quomodo ergo ista in facie quæ habemus, et lumina nuncupamus, et quando sana sunt et quando patent, indigent extrinsecus adjutorio luminis ; quo ablato aut non illato, sana sunt, aperta sunt, nec tamen vident : sic mens nostra, quæ est oculus animæ, nisi veritatis lumine radietur, et ab illo quis illuminat, nec illuminatur, mirabiliter illustretur, nec ad sapientiam nec ad justitiam poterit pervenire. Ipsa est enim via nostra juste vivere. Quomodo autem non offendat in via cui non lucet lumen ? Ac per hoc in tali via videre magnum est. Nam Tobias in facie oculos clausos habebat, et Filius Patri manum dabat, Pater Filio viam præcipiendo monstrabat

Idem, *ibid.* — Responderunt ergo Judæi : *Tu de te testimonium dicis, testimonium tuum non est verum.* (*Joan.* VIII, 13.) Videamus quid audiant : audiamus et nos, sed non sicut illi. Illi contemnentes, nos credentes ; illi occidere Christum volentes, nos per Christum vivere cupientes. Interim ista distantia distinguat aures mentesque nostras, et audiamus quid Judæis responderit Dominus : *Responderit Jesus, et dixit eis : et si ego de me testimonium perhibeo, verum est testimonium meum ; quia scio unde veni et quo vado.* (*Joan.* VIII, 14.) Lumen et alia demonstrat et seipsum. Accendis lucernam verbi gratia, ut quæras tunicam, et præstat tibi ardens lucerna ut invenias tunicam : nunquid accendis lucernam ut videas ardentem lucernam ? Lucerna quippe ardens idonea est et alia quæ tenebris operiebantur nudare, et seipsam tuis oculis demonstrare. Sic et Dominus Christus et inter fideles suos, et inimicos Judæos, tanquam inter lucem et tenebras distinguebat ;

Digitized by Google

tanquam inter illos quos radio fidei perfundebat, et illos quorum clausos oculos circumfundebat. Nam etiam sol iste et videntis faciem illustrat, et cæci : ambo pariter stantes, et faciem ad solem habentes illustrantur in carne, sed non ambo illuminantur in acie : videt ille, ille non videt ; ambobus sol præsens est, sed præsenti soli unus est absens. Sic et sapientia Dei, verbum Dei, Dominus Jesus Christus ubique præsens est quia ubique est veritas, ubique est sapientia. Intelligit quis in Oriente justitiam ; intelligit alius in Occidente justitiam : nunquid alia est justitia quam ille intelligit, alia quam iste? Separati sunt corpore, et in uno habent acies mentium suarum. Quam video justitiam hic constitutus, si justitia est, ipsam videt justus nescio quot mansionibus a me carne sejunctus, et in illius justitiæ luce conjunctus. Ergo testimonium sibi perhibet lux : aperit sanos oculos, et sibi ipsa testis est, ut cognoscatur lux. Sed quid agimus de infidelibus? Nunquid illis non est præsens? Est præsens et illis : sed quibus eam videant, oculos non habent cordis. Audi de illis ex Evangelio ipso prolatam sententiam : *et lux lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt.* (*Joan.* I, 5.) Ergo ait Dominus, et verum ait, *Et si ego de me testimonium perhibeo, verum est testimonium meum : quia scio unde veni et quo vado.* (*Joan.* VIII, 14.) Patrem volebat intelligi : Patri gloriam dabat Filius. Æqualis glorificat eum a quo est missus ; quantum debet homo glorificare eum a quo est creatus!

Scio unde veni et quo vado. (*Ibid.*) Iste qui in præsentia vobis loquitur, habet quod non deseruit, sed tamen venit : non enim veniendo inde discessit, aut redeundo nos dereliquit. Quid miramini? Deus est. Non potest hoc fieri ab homine ; non potest hoc fieri ab ipso sole. Quando pergit ad occidentem, deserit orientem ; et donec oriturus redeat ad orientem, non est in oriente. Dominus autem noster Jesus Christus et venit, et ibi est ; et redit, et hic est. Audi ipsum evangelistam alio loco dicentem : et si potes, cape ; si non potes, crede. *Deum*, inquit, *nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* (*Joan.* I, 18.) Non dixit, fuit in sinu Patris, quasi veniendo deseruerit sinum Patris. Hic loquebatur, et ibi se esse dicebat : qui et hinc discessurus, quid dixit? *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* (*Matth.* XXVIII, 20.)

S. Aug., *in Joan. Evang.*—Ergo verum est testimonium luminis, sive se ostendat, sive alia : quia sine lumine non potes videre lumen, et sine lumine non potes videre quodlibet aliud quod non est lumen. Si idoneum est lumen ad demonstranda ea quæ non sunt lumina, nunquid in se deficit? Nunquid se non aperit, sine quo alia patere non possunt? Locutus est propheta verum ; sed unde haberet, nisi de fonte veritatis hauriret? Locutus est Joannes verum ; sed unde locutus est, ipsum interrogo : *Nos omnes*, inquit, *de plenitudine ejus accepimus.* (*Joan.* I, 16.) Ergo idoneus est Dominus noster Jesus Christus, qui sibi perhibeat testimonium. Sed plane fratres mei, in nocte hujus sæculi audiamus et prophetiam intente : modo enim ad fragilitatem nostram nocturnasque cordis nostri intimas tenebras humilis voluit venire Dominus noster. Homo venit contemnendus et honorandus, venit negandus et confitendus ; contemnendus et negandus à Judæis, honorandus et confitendus a nobis : judicandus et judicaturus ; judicandus injuste, judicaturus juste. Talis ergo venit, ut oporteret ei lucernam testimonium perhibere. Nam quid opus erat, ut Joannes tanquam lucerna perhiberet testimonium diei, si dies ipse ab infirmitate nostra posset videri? sed non poteramus : *Infirmus factus est infirmis* (*I Cor.* IX, 22,) per infirmitatem sanavit infirmitatem : per mortalem carnem, carnis abstulit mortem : de corpore suo collyrium fecit luminibus nostris. Quia ergo Dominus venit, et in nocte sæculi adhuc sumus, oportet ut et prophetias audiamus.

Nam de prophetia convincimus contradicentes paganos. Quis est Christus, dicit paganus? Cui respondemus : Quem prænuntiaverint prophetæ. Et ille : Qui prophetæ? Recitamus Isaïam, Danielem, Jeremiam, alios sanctos prophetas, dicimus quam longe ante illum venerint, quanto tempore adventum ejus præcesserint. Hoc ergo respondemus : Prævenerunt eum prophetæ, prædixerunt eum esse venturum. Respondet aliquis eorum : Qui prophetæ? Nos recitamus, qui nobis quotidie recitantur. Et ille : Qui sunt hi prophetæ? Nos respondemus : Qui et prædixerunt ea quæ fieri videmus. Et ille : Vos, inquit, vobis ista finxistis, vidistis ea fieri, et quasi ventura prædicta essent in libris quibus voluistis, conscripsistis. Hic contra inimicos paganos occurrit nobis aliorum testimonium inimicorum. Proferimus codices a Judæis, et respondemus : Nempe et vos et illi, fidei nostræ estis inimici. Ideo sparsi sunt per gentes, ut alios ex aliis convincamus inimicis. Codex Isaiæ proferatur a Judæis, videamus si non ibi lego : Sicut ovis ad immolandum ductus est, et sicut agnus coram tondente fuit sine voce, sic non aperuit os suum : in humilitate judicium ejus sublatum est : livore ejus sanati sumus : omnes ut oves erravimus, et ipse traditus est pro peccatis nostris. (*Isa.* LIII.) Ecce lucerna una. Alia proferatur, Psalmus aperiatur, etiam inde prædicta Passio Christi recitetur. *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea : ipsi vero considerauerunt et conspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestimentum meum miserunt sortem. Apud te laus mea, in Ecclesia magna confitebor tibi. Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terræ : et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium ; quia Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.* (*Psal.* XXI, 18 seqq.) Erubescat unus inimicus,

Digitized by Google

quia codicem mihi ministrat alius inimicus. Sed ecce de codicibus prolatis ab uno inimico alterum vici : et ipse qui mihi codicem protulit, non relinquatur ; ab illo proferatur, unde et ipse vincatur. Lego alium prophetam, et invenio Dominum loquentem ad Judæos : Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, nec accipiam sacrificium de manibus vestris : quoniam ab ortu solis usque ad occasum, sacrificium mundum offertur nomini meo. (*Malac.* I, 11.) Non venis, Judæe, ad sacrificium mundum : convinco te immundum.

Ecce et lucernæ perhibent testimonium diei propter infirmitatem nostram, quia diei claritatem tolerare et videre non possumus. Nam et nos ipsi Christiani in comparatione quidem infidelium lux jam sumus ; unde dicit Apostolus : *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, sicut filii lucis ambulate :* (*Ephes.* v, 8), et alibi dixit : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit : abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamus nos arma lucis, sicut in die honeste ambulemus.* (*Rom.* XIII, 111.) Tamen quia in comparatione illius lucis ad quam venturi sumus, adhuc nox est etiam dies in quo sumus, audi Petrum apostolum ; delatam dicit Domino Christo vocem de magnifica potestate : Tu es filius meus dilectus, in quo bene sensi. Hanc vocem, inquit, de cœlo audivimus delatam, cum essemus cum illo in monte sancto. Sed quia nos non ibi fuimus, et istam vocem de cœlo tunc non audivimus, ait ad nos ipse Petrus : *Et habemus certiorem propheticum sermonem.* (*II Petr.* I, 19) Non audistis vocem de cœlo delatam, sed certiorem habetis propheticum sermonem. Prævidens enim Dominus Jesus Christus impios quosdam futuros, qui miraculis ejus calumniarentur, magicis artibus ea tribuendo, prophetas ante præmisit. Nunquid enim, si magus erat et magicis artibus fecit ut coleretur et mortuus, magus erat antequam natus ? Prophetas audi, o homo mortue, et vermescendo calumniose, prophetas audi : lego, audi, ante Dominum venerunt. *Habemus*, inquit apostolus Petrus, *certiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, sicut lucernæ, in obscuro loco, donec dies lucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.* (*Ibid.*)

S. Aug., *in Joan. Evang.* — Quando ergo Dominus noster Jesus Christus venerit, et, sicut dicit etiam apostolus Paulus, illuminaverit occulta tenebrarum et manifestaverit cogitationes cordis, ut laus sit unicuique a Deo, tunc præsente tali die lucernæ non erunt necessariæ : non legetur nobis propheta, non aperietur codex apostoli, non requiremus testimonium Joannis, non ipso indigebimus Evangelio. Ergo omnes Scripturæ tollentur de medio, quæ nobis in hujus sæculi nocte tanquam lucernæ accendebantur, ne in tenebris remaneremus : istis omnibus sublatis, ne quasi nobis luceant indigentibus, et ipsis hominibus Dei, per quos hæc ministrata sunt nobiscum lumen illud verum clarumque videntibus, remotis ergo his adjumentis quid videbimus ? Unde pascetur mens nostra ? Unde obtutus ille lætabitur ? Unde erit illud gaudium, *quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit?* (*II Cor.* II, 9.) Quid videbimus ? Obsecro vos, amate mecum, currite credendo mecum ; patriam supernam desideremus. Supernæ patriæ suspiremus, peregrinos nos esse hic sentiamus. Quid tunc videbimus ? Dicat nunc Evangelium : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* (*Joan.* I, 1.) Unde tibi ros inspersus est, ad fontem venies : unde radius per obliqua et per anfractuosa tibi ad cor tenebrosum missus est, nudam ipsam lucem videbis, cui videndæ ferendæque mundaris. Dilectissimi, quod et hesterno commemoravi, Joannes ipse dicit : *Filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus : scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* (*I Joan.* III, 2.) Sentio vestros affectus attolli mecum in superna : sed corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.

S. Bernard., *De divers. serm.* — Magna est super nos, dilectissimi, magna valde misericordia Dei nostri, quos tam ineffabili Spiritus sui virtute, tam inæstimabili dono gratiæ suæ eripuit de vana nostra conversatione hujus sæculi, in quo eramus aliquando tanquam sine Deo, aut certe (quod exsecrabilius est) etiam contra Deum, non ignorantiam ejus habentes, sed contemptum. Cujus vitæ, aut potius mortis *anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur.* (*Ezech.* XVIII, 4.) Utinam frequenter in oculis cordis nostri tetra versetur imago quanta videlicet cæcitas, quanta perversitas illa fuerit ; ut sedula meditatione pensantes miseriæ pondus, etsi non tam perfecte sicut est, aliquatenus tamen æstimare possimus liberatricis misericordiæ quantitatem. Jam vero si quis ex nobis diligenter considerare non negligat, non modo unde erutus, sed et ubi sit constitutus ; non solum quid evaserit, sed et quid acceperit ; non tantum unde revocatus sit, sed etiam quo vocatus : inveniet sine dubio cumulum hujus misericordiæ omnino mensuræ prioris excedere quantitatem. Neque enim fecit taliter omni nationi, ut non solum judicia, sed et consilia sua manifestaret eis (*Psal.* CXLVII, 20) : sed omnino magnificavit facere nobiscum, non solum in servos assumens, sed et eligens in amicos. Neque enim nos eligimus eum, sed ipse elegit nos, et posuit nos ut eamus, et fructum afferamus (*Joan.* XV, 16) : fructum, inquam, non solum non peremptorium, quod ad judicium pertinens, notum sit etiam servis ; sed nec quidem periturum, quod de consilio est, et revelatur amicis.

In hoc siquidem positi sumus, ut nec peccato serviamus. (Ipse enim est peremptorius labor :) nec sæculo quoque, quemadmodum hi quos videmus subditos curis terrenis, etsi non culpis ; corporalibus

Digitized by Google

officiis, etsi non flagitiis implicatos, et in ea quæ præterit hujus mundi figura, pro sua suorumque præsenti sustentatione, laborantes : quorum utique labor etsi non ad damnationem, minime tamen pertinet ad salutem, ita ut etsi conservaverint fundamentum, detrimentum tamen patiantur, pereuntibus quæ superædificaverant ; ipsi vero salvi sint, sic tamen quasi per ignem. Nobis autem quid dicitur ? Quod consilium datur amicis ? *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* (*Joan.* VI, 27.) Nec cessamus ab operando hoc cibo, etiam cum terrenis forte occupamur operibus, aut obedientia dictante, aut fraternæ charitatis intuitu ; quoniam dissimilis nobis intentio est ab his, quorum laborem periturum esse prædiximus. Dissimili proinde radici inhærens labor similis, non similiter habet perire ; quoniam radicatus est in ea, quæ numquam perit, æternitate.

Denique si forte non quidem illicita, nec tamen expedientia sectantes, priori forsitan fornicatione relicta, stetissemus in conjugii castitate, non capientes quod de cælibe vita datum novimus esse consilium ; sed a rapinis et fraudibus abstinentes, licite propriis rebus uteremur, necdum tamen ad perfectionem evangelicam attingentes, sicut scriptum est : *Si vis esse perfectus, vade ; et vende omnia quæ habes, et veni, sequere me* (*Matth.* XIX, 21) : hoc ipsum quantæ pietatis esset, si a tantis criminibus, in quibus multi ex vobis involuti, solum in se responsum mortis et judicium certæ damnationis haberent, datum esset vel in inferiori aliquo respirare gradu ? Prodigus certe filius ad filiorum numerum aspirare timebat, beatum se reputans, si forte vel in mercenariorum numero recipi mereretur : minime tamen sufficere potuit paternæ pietati, nisi tam copiosam ei misericordiam exhiberet, cui posset et ipse, qui nunquam a patre recesserat senior filius invidere. Sic et nos, dilectissimi, abundanter effusa super nos misericordia Dei nostri, de filiis iræ et diffidentiæ non solum in electorum recepit numerum, sed vocavit ad collegium perfectorum. Nam etsi forte aliquorum negligentia ad perfectionem non assurgit, ipsi viderint quid excusationis possint afferre ; quoniam apostolicam omnes nos vitam professi sumus, apostolicæ perfectioni nomina dedimus universi. Quod sane non de ea gloria sanctitatis dixerim, quam non sibi tantum, sed universo orbi suscipere meruerunt. Sicut scriptum est : *Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam.* (*Psal.* LXXI, 36.) Sed de eorum potius professione, quam pro omnibus Petrus loquitur dicens : *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te.* (*Matth.* XIX, 37.)

[Ex conciliis.]

Conc. œcum. Lateranensis, an. 1123, *canones.* — Sanctorum Patrum exempla sequentes et officii nostri debito innovantes, ordinari quemquam per pecuniam in Ecclesia Dei vel promoveri, auctoritate Sedis Apostolicæ modis omnibus prohibemus. Si quis vero in Ecclesia ordinationem vel promotionem taliter acquisierit, acquisita prorsus careat dignitate. Hæc contra hæresim Simoniacam, quæ ideo hæresis vocabatur, quia Simoniaci illi non solum contra legem peccabant, sed et licitam esse illam pro ordinibus pecuniæ solutionem contendebant, adeoque ipsam morum regulam impetebant, vel ab ea non esse prohibita dicebant, quæ ipsi tamen aversabantur. Contra hanc pestem sequentibus decretis pontifices et concilia pugnaverunt : Chalcedon. can. 2, Clemens II in Rom. syn., Leo IX in Rom. I, Rhemens., Mogunt., Nicolaus II in Rom., Alex. II in Rom., Greg. VII in Rom. I, II, V, Urbanus II in Trojan, Placentin, Rom., Claromontan., Nemausen., Calixtus II in Tolosan., Rhemen., synodi œcumenicæ Lat. I, can. 1, Lat. II, can. 1, 2, Lat. III, can. 7, 15, Lat. IV, can. 63. Quibus decretis ordinationes et promotiones quæcunque Simoniacæ et redemptiones altarium prohibentur.

Conc. Lateran. II, *an.* 1139 *canones.* — Si quis præbendam, vel prioratum, seu decanatum, aut honorem, vel promotionem aliquam ecclesiasticam, seu quodlibet sacramentum ecclesiasticum, utpote chrisma, vel oleum sanctum, consecrationes altarium, vel ecclesiarum, interveniente exsecrabili ardore avaritiæ per pecuniam acquisierit, honore male acquisito careat, et emptor atque venditor et interventor nota infamiæ percellantur. Et nec pro pastu, nec sub obtentu alicujus consuetudinis ante vel post a quoquam aliquid exigatur, vel ipse dare præsumat : quoniam Simoniacum est ; sed libere et absque imminutione aliqua, collata sibi dignitate atque beneficio perfruatur.

Ut nihil pro oleo sacro, chrismate, visitatione et unctione infirmorum exsequiis, sepultura, baptismo, eucharistia, benedictione nubentium, aliisque sacramentis et benedictionibus exigeretur statuerunt Leo IX in Rhemen. syn., Urbanus II in Placentin., Calixtus II in Tolosana et Rhemen. Lat. IV. can. 66. Lat. II can. 2, 24. Quod intelligendum est de iis, qui ad modum venditionis rei ipsius sacræ aliquid exigunt, vel ut provisionem ad evitandum Simoniæ periculum.

Conc. œcum. Lateran. III, *an.* 1179 *decreta.* — Monachi non pretio recipiantur in monasterio... Si quis autem exactus pro sua receptione aliquid dederit, ad sacros ordines non ascendat. Is autem qui acceperit officii sui privatione mulctetur.

Conc. Lateran. IV, *an.* 1215 *decreta. Cap.* 62. *De reliquiis sanctorum.* — Cum ex eo quod quidam sanctorum reliquias exponunt venales et eas passim ostendunt, Christianæ religioni detractum sit sæpius : ne in posterum detrahatur, præsenti decreto statuimus, ut antiquæ reliquiæ amodo extra capsam nullatenus ostendantur, nec exponantur venales. Inventas autem de novo,

Digitized by Google

nemo publice venerari præsumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ, etc.

Decreta dogmat. concilii Tridentin. Decretum de sacramentis. De sacramentis in genere. — Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quæcunque ecclesiarum pastorem mutari posse; anathema sit.

Decreta dogmat. conc. Trid. Doctrina de communione sub utraque specie et parvulorum. cap. 2. *Ecclesiæ potestas circa dispensationem sacramenti eucharistiæ.* — Præterea declarat hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret. Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait : *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (*I Cor.* IV, 1); atque ipsum quidem hac potestate usum esse, satis constat, cum in multis aliis, tum in hoc ipso sacramento cum ordinatis nonnullis circa ejus usum : *Cætera*, inquit, *cum venero, disponam* (*I Cor.* XI, 34.) Quare agnoscens sancta mater Ecclesia hanc suam in administratione sacramentorum auctoritatem licet ab initio Christianæ religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis latissime jam immutata illa consuetudine, gravibus et justis causis adducta, hanc consuetudinem, sub altera specie communicandi approbavit, et pro lege habendam decrevit : quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare non licet.

Ibid., cap. 5. *De solemnibus missæ sacrificii cæremoniis.* — Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditatorem sustolli; propterea pia mater Ecclesiæ ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiore, in missa pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

Ibid. De sacrificio missæ. — Si quis dixerit cæremonias, vestes, et externa signa, quibus in missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis; anathema sit.

Ibid. Decretum de sacrificio missæ. cap. 4 *de canone missæ.* — Et cum sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium; Ecclesia Catholica, ut digne reverenterque offerretur, ac perciperetur, sacrum canonem multis ante sæculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem, ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat; is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque pontificum piis institutionibus.

Ibid. — Si quis dixerit canonem missæ errores continere, ideoque abrogandum esse; anathema sit.

Ibid. De baptismo. — Si quis dixerit ita revocandos esse homines ad baptismatis susceptí memoriam, ut vota omnia, quæ post baptismum fiunt, vi promissionis in baptismo ipso jam factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea et fidei, quam professi sunt, detrahatur, et ipsi baptismo; anathema sit.

Ibid., de sacramento matrimonii. — Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, nonobstante lege ecclesiastica, vel voto, et oppositum, nil aliud esse quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit : cum id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari. (*I Cor.* X, 13.)

Decreta Martini V et concilii Constantiensis. Articuli 39, *de quibus errorum Wikleff et Huss suspecti, ex mandato Martini papæ V in bulla* Inter cunctas *interrogandi sunt.* — Item, utrum credat, quod deliberato animo contemnens ritum Ecclesiæ, cæremonias exorcismi et catechismi, aquæ baptismatis consecratæ, peccet mortaliter.

Ibid. — Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad corroborandos humanos contractus et commercia civilia.

Item, utrum credat, asserat, quod in nullo casu sit licitum jurare.

Ibid. — Utrum credat, quod perjurium scienter commissum, ex quacunque causa vel occasione, pro conservatione vitæ corporalis propriæ vel alterius, etiam in favorem fidei, sit mortale peccatum.

Ibid. — Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis eis in temporalibus subvenientibus.

Ibid. — Item, utrum credat, quod laicis ipsa ab eis auferre potestate propria non liceat; imo quod sic auferentes, tollentes et invadentes bona ipsa ecclesiastica, sint tanquam sacrilegi puniendi, etiam si male viverent personæ ecclesiasticæ bona hujusmodi possidentes.

Ibid. — Item, utrum credat, quod hujusmodi ablatio et invasio, cuicunque sacerdoti, etiam male viventi, temere vel violenter facta, vel illata, inducat sacrilegium.

Propositiones damnatæ sub Innocentio XI. Decretum 2 *Martii* 1679. — Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando

Digitized by Google

temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

Ibid. — Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur quam res spiritualis.

Propositiones damnatæ sub Innocentio XI. Decretum 2 *Martii* 1679. — Si quis, vel solus vel coram aliis, sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis causa; sive quocunque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit; intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit; vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur; nec est perjurus.

Ibid. — Qui, mediante commendatione vel munere, ad magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.

Ibid. — Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia; propter quam velit aut possit damnare hominem.

Ibid. — Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

Professio fidei præscripta Waldensibus ad Ecclesiam reducibus ab Innocentio III. — Non condemnamus juramentum, imo credimus puro corde, quod cum veritate et judicio et justitia licitum sit jurare. De potestate sæculari asserimus, quod sine peccato mortali potest judicium sanguinis exercere, dum modo ad inferendam vindictam non odio, sed judicio, non incaute, sed consulte procedat.

Errores Fraticellorum damnati a Johanne XXII constitutione edita an. 1318. — Tertius istorum error in Waldensium errore conjurat, quoniam et ii et illi in nullum eventum asserunt fore jurandum, dogmatizantes mortalis criminis contagione pollui et pœna teneri, quos contigerit juramenti religione constringi.

Propositiones damnatæ ab Alexandro VII. Die 23 *sept. An.* 1665.—Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis : quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente; non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

Propositiones 101 *Paschasii Quesnelli damnatæ a Clemente XI, constitutione* Unigenitus, 8, *sept.* 1713.— Nihil spiritui Dei et doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia; quia hoc est multiplicare occasiones perjurandi, laqueos tendere infirmis et idiotis, et efficere, ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.

Declaratæ et damnatæ tanquam falsæ, captiosæ, male sonantes, piarum aurium offensivæ, scandalosæ, perniciosæ, temerariæ, Ecclesiæ et ejus praxi injuriosæ, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in potestates sæculi contumeliosæ, seditiosæ, impiæ, blasphemæ, suspectæ de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, nec non hæreticis et hæresibus, ab etiam schismati faventes, erroneæ, hæresi proximæ, pluries damnatæ, ac demum hæreticæ, variasque hæreses et potissimum illas, quæ in famosis Jansenii propositionibus, et quidem in eo sensu, in quo hæc damnatæ fuerunt, acceptis, continentur. manifeste innovantes respective.

Propositiones 85 *synodi diœcesanæ Pistoriensis damnatæ a Pio VI per constitutionem* auctorem fidei 28 *Aug.* 1794. *De officiis, exercitationibus, institutionibus ad religiosum cultum pertinentibus. Et primum de adoranda humanitate Christi.* — Doctrina; quæ devotionem erga sacratissimum cor Jesu rejicit inter devotiones, quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas; intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata; falsa, temeraria; perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem iniuriosa.

Ibid. — Item, in eo quod cultores cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant sanctissimam carnem Christi; aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione aut præcisione a divinitate adorari non posse cultu latriæ : quasi fideles cor Jesu adorarent cum separatione vel præcisione a divinitate, dum illud adorant ut est cor Jesu, cor nempe personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut præcisione a divinitate adorabile fuit in sepulcro; captiosa, in fideles cordis Christi cultores injuriosa.

Ibid. De ordine præscripto in piis exercitationibus obeundis. — Doctrina, quæ velut superstitiosam universe notat quamcunque efficaciam, quæ ponatur in determinato numero precum et piarum salutationum, tanquam superstitiosa censenda esset efficacia, quæ sumitur non ex numero in se spectato sed ex præscripto Ecclesiæ certum numerum precum vel externarum actionum præfinientis pro indulgentiis consequendis, pro adimplendis pœnitentiis, et generatim pro sacro et religioso cultu rite et ex ordine peragendo; falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati fidelium injuriosa, Ecclesiæ auctoritati derogans, erronea.

Ibid. — Propositio enuntians, irregularem strepitum novarum institutionum

Digitized by Google

quæ dictæ sunt exercitia vel missiones... forte nunquam aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur; et exteriores illos commotionis actus, qui apparuere, nil aliud fuisse quam transeuntia naturalis concussionis fulgura; temeraria, male sonans, perniciosa, mori piè ac salutariter per Ecclesiam frequentato et in verbo Dei fundato injuriosa.

Propositiones 85 *synodi diœcesanæ Pistoriensis damnatæ a Pio VI per constitutionem* Auctorem fidei 28 *Aug.* 1794. *De convenienti ordine in cultu servando.* — Item præscriptio vetans, ne super altaria sacrarum reliquiarum thecæ floresve apponantur; temeraria, pio ac probato Ecclesiæ mori iniuriosa.

Ibid., de systemate pro reformatione regularium. — Inter occupationes vitæ monasticæ pars sua labori manuum inviolate servanda, relicto tamen congruo tempore psalmodiæ impendendo, aut etiam (si cui libuerit) litterarum studio; psalmodia deberet esse moderata, quia nimia ejus prolixitas parit præcipitantiam, molestiam, evagationem; quo plus auctæ sunt psalmodiæ, orationes, preces, tantumdem peræqua proportione omni tempore, imminutus fervor est sanctitasque regularium.

Ibid., De convenienti ordine in cultu servando. — Propositio synodi enuntians conveniens esse, pro divinorum officiorum ordine et antiqua consuetudine, ut in uno quoque templo unum tantum sit altare, ubique adeo placere morem illum restituere temeraria, perantiquo, pio, multis abhinc sæculis in Ecclesia, præsertim Latina, viginti et probato mori injuriosa.

Ibid., de festis. — Propositio enuntians novorum festorum institutionem ex neglectu in veteribus observandis, et ex falsis motionibus naturæ et finis earumdem solemnitatum originem duxisse : falsa, temeraria, scandalosa, Ecclesiæ injuriosa, favens hæreticorum in dies festos per Ecclesiam celebratos conviciis.

Ibid. — Deliberatio synodi de transferendis in diem Dominicam festis per annum institutis, idque pro jure, quod persuasum sibi esse ait, episcopo competere super disciplinam ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales; ideoque et præceptum missæ audiendæ abrogandi diebus, in quibus ex pristina Ecclesiæ lege viget etiamnum id præceptum; tum etiam in eo quod supperaddit de transferendis in adventum episcopali auctoritate jejuniis per annum ex Ecclesiæ præcepto servandis; quatenus astruit episcopo fas esse jure proprio transferre dies ab Ecclesia præscriptos pro festis jejuniisve celebrandis, aut inductum missæ audiendæ præceptum abrogare; propositio falsa, juris conciliorum generalium et Summorum Pontificum læsiva, scandalosa, schismati favens.

Ibid. — Doctrina, quæ porhibet beati temporibus nascentis Ecclesiæ juramenta visa esse a documentis divini præceptoris atque ab aurea evangelica simplicitate adeo aliena, ut ipsummet jurare sine extrema et ineluctabili necessitate reputatus fuisset actus irreligiosus, homine christiano indignus; insuper continuatam Patrum seriem demonstrare, juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse; indeque progreditur ad improbanda juramenta, quæ curia ecclesiastica, jurisprudentiæ feudalis, ut ait, normam secuta, in investituris et in sacris ipsis episcoporum ordinationibus adoptavit; statuitque adeo implorandam a sæculari potestate legem pro abolendis juramentis, quæ in curiis etiam ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis et officiis, et generatim pro omni actu curiali; falsa, Ecclesiæ injuriosa, juris ecclesiastici læsiva disciplinæ per canones inducta et probatæ subversiva.

RELIGIOSA VITA

[Ex SS. Patribus.]

Ignatius, martyr, *in Epist ad Roman.* — Jam incipio Christi esse discipulus, nihil eorum quæ sunt in mundo desiderans.

Ambros. — Christi jugum suave est, si ornamenta putes cervici tuæ esse, non onera.

Euseb., Emissen., hom. 5 *ad Monach.* — Venire ad eremum summa perfectio est, non perfecte in eremo vivere summa damnatio est.

S. Hieron., *in psal.* cxv. Quod faciunt angeli in cœlis, hoc monachi faciunt in terra.

Idem, *epist ad Marcellam.* — Certe fias quidam, et pretiosissimus lapis inter ecclesiastica ornamenta, monachorum et virginum chorus.

Idem, epist. 13, quæ est *ad Paulinum.* — Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est.

Idem, epist. 26, *ad Pammachium.* — Prima virtus monachi est contemnere hominum judicia, et recordari Apostoli dicentis : *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* (*Gal.* I, 10.)

S. Chrysost., hom. 15 *ad popul Antioch.* — Sicut e summo montis vertice prospectantibus omnia pusilla videntur, sic religiosi animo in cœlis habitante, omnia terrena quasi parva et villa despiciunt.

Idem, l. III *advers. vituperat. vit. monast.* — Reliquis procella et fructibus jactatis, religiosi soli in tranquillo portu et securitate summa, in monasteriis residentes, velut ex cœlo ipso, cæterorum naufragia prospectant.

S. August. — Ipse homo Dei nomini consecratus, et Deo devotus in quantum mundo moritur, ut Deo vivat sacrificium est.

S. Gregor., hom. 20 *in Ezech.* — Cum aliquis omne quod habet, omne quod vivit,

Digitized by Google

omne quod sapit, omnipotenti Deo vivit holocaustum est.

S. Greg., orat. 12. — Horum odes sunt in paupertate, possessio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fecunditas in cœlibatu.

Idem, *ibid.* — Qui delictis minime studere pro deliciis habent, qui regni cœlestis gratia humiles fiunt, qui in mundo nihil habent, et supra mundum existunt, qui pro portione Dominum habent, qui propter regnum cœleste inopia laborant et per inopiam regnant.

Idem, l. II *Epist.*, epist. 61. — Plerique sunt, qui nisi omnia reliquerint, salvari nullatenus possunt.

Idem, hom. 32 *in Evang.* — Fortasse laboriosum non est homini relinquere res suas; sed valde laboriosum est relinquere se ipsum.

Joan. Climacus, gradu 2 et 23. — Attendamus nobis ipsis; ne forte dum angustam et arduam et spatiosam vitam tentamus.

S. Bernard.—Religio sancta, in qua homo vivit purius cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, moratur frequentius, quiescit securius, moritur confidentius, purgatur citius, remuneratur copiosius.

Idem, epist. 114. — Modica transitoria, terrena sunt quæ deseris, maxima cœlestia, æterna sunt quæ appetis. Plus etiam, ut vera dicam, tenebras deseris, et lucem ingrederis de profundo fluctuum emergis ad portum, et de misera servitute, ad felicem libertatem aspiras, et de morte denique transis ad vitam.

Idem, *Serm. de sanctis.* — quid sibi vult quod eadem promissio facta est pauperibus et martyribus, nisi qua vere martyrii genus est paupertas voluntaria.

Idem, serm. 30 *in Cantic.* — Genus martyrii est spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum quo membra cuduntur, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.

Idem, *Serm. de S. Benedicto.* — Infirmis et pusillis corde necesse est ut quem semel ponere pro Christo non sufficiant, saltem mitiori quodam sed diuturniori martyrio sanguinem fundant.

S. Bernard., vel alius Auctor, *Ad Frust., de monte Dei.* — Quos, quo nomine appellem nescio homines cœlestes, an angelos terrestres, degentes in terris, sed conversationem habentes in cœlis.

Idem, serm. 1 *De dedic. Eccles.* — Vere crux nostra inuncta est per gratiam Spiritus adjuvantis, suavis et delectabilis est pœnitentia nostra.

S. Thomas, 2-2, quæst. 186. — Religiosi sunt illi qui se suaque divino servitio mancipant quasi holocaustum Deo offerentes.

Laurent. Justinian., *De monast perfect.* c. 6. — In humanis rebus, et in hac peregrinatione, nihil tam efficaciter gerit in se imaginem cœlestis patriæ, quam monastica conversatio, et congregatio divino cultui addicta.

Ibidem, c. 9. — Consueto gratiam religionis Deus occultavit, ne si cognosceretur ejus felicitas, omnes ad eam confugerent.

Imit. Christi, l. I, c. 17. — Ad serviendum venisti, non ad regendum, ad patiendum et laborandum scias te vocatum, non ad otiandum et fabulandum.

Ibid., c. 19. — Vita boni religiosi omnibus virtutibus pollere debet, ut sit talis interius, qualis videtur hominibus exterius.

Idem, cap. 25. — Cogita frequenter ad quid venisti? et cur sæculum reliquisti, nonne ut Deo servires, et spiritualis homo fieres?

— *Ibid.* O grata et jucunda Dei servitus, qua homo veraciter efficitur liber et sanctus!

Vid. etiam verb. Perfectio christiana, Consilia evangelica, Sancti, etc.

RELIGIOSI, MONACHI, MONASTERIUM, MONIALES

[Ex conciliis.]

I. *Religiosi, monachi* (10).

Ex conc. Nicæn. gen. I, *sub Silvestro I, an.* 325, *edition. Arabicæ.* —54. Eligat chorepiscopus eos qui sunt idonei, et in sermone suo constantes, quos ecclesiis et monasteriis præficiat, et eis qui curam habent Ecclesiarum, ne imponat curam monasteriorum, et eis qui præfecti sunt monasteriis, ne mandet curam Ecclesiarum obligetque eos ad ea loca quæ eis data sunt.

76. Ut religiosi tum monachi, tum moniales habeant alia indumenta et alios mores quam habent laici, ac tondeant caput in modum coronæ, et cingant se honeste, nec sigillis aureis aut argenteis obsignent, nec ferant crumenam ad latus, nec cultellos, quin potius sint probi, et inter se et alios patientes, et ne eant per plateas, nisi cum modestia, nec inter se joculariter et ridicule loquantur, ne alius alium irrideat, aut ludat, sed potius silentium teneant, et gravitatem.

Ex conc. Carthaginensi I, *sub Julio I, an.* 348. — 3. Nullus, nullaque sanctimoniæ et virginitati deserviens, propter blasphemiam Ecclesiæ in una domo cum extraneis penitus commorari debent, si sanum consilium respuunt, si laici sunt post commonitionem si contempserint, a communione separentur.

Ex conc. Arelatensi II, *sub Siricio, an.* 389. — 25. Hi qui post sanctam religionis professionem apostatant et ad sæculum re-

(10) Toutes ces autorités qui de nos jours ont moins leur application prouvent combien de tout temps l'Eglise a attaché d'importance à la vie monastique.

Digitized by Google

deunt, et postmodum pœnitentia, communionem penitus non accipiant, quos etiam jubemus ad clericatus officium non admitti, et quicunque ille fit post pœnitentiam, sæcularem habitum non præsumat, quod si præsumpserit ab Ecclesia alienus habeatur.

Ex conc. Carthagin. secundum Gratianum. — 4. Si quis clericus aut monachus verba scurrilia, joculatoria, risum moventia loquitur, acerrime corripiatur.

Ex conc. Arausicano I, *sub Leone I, an.* 441. — 28. Hi vero qui sunt desertores professæ castitatis, prævaricatores habendi, et his omnibus per pœnitentiam legitimam consulendum.

Ex conc. Andegavensi, sub Leone I, an. 453. — 8. Monachi qui cœptam observationis viam relinquunt, et absque epistolis, et absque certis negotiis vel necessitatibus per regiones vagantur alienas, cognita districtione, si se non emendaverint, ab abbatibus suis, vel a sacerdotibus ad communionem non recipiantur.

Ex conc. Venetico, sub Leone I, an. 453. — 5. Monachis, sine commendatitiis epistolis episcopi sui, licentia non pateat ambulandi aut evagandi, et in omni loco ad quem sine epistolis episcopi sui venerint, a communione habeantur alieni.

Ex conc. Aurelian. I, *sub Symmacho, an.* 507. — 21. Monachi abbatibus omni obedientia et devotione subjaceant, quod si quis per contumaciam exstiterit indevotus, aut per aliqua loca vagari, aut peculiare aliquid habere præsumpserit, omnia quæ acquisierit ab abbatibus auferantur secundum regulam monasterio profutura, ipsi autem qui fuerant pervagati, ubi inventi fuerint cum auxilio episcopi tanquam fugaces sub custodia revocentur.

Ex conc. Tarraconensi, sub Hormisda, an. 507. — 11. Monachi a monasterio foras egredientes, ne aliquod ministerium ecclesiasticum præsumant agere, nisi forte cum abbatis imperio, similiter nullus monachorum forensis negotii susceptor, vel executor existat, nisi id quod monasterii exposcit utilitas, abbate sibi nihilominus imperante, canonum ante omnia Gallicanorum de eis constitutione servata.

Ex conc. Turonensi, sub Joanne III, an. 570. — 15. Nullus sacerdotum, aut monachorum colligere alium in lecto suo præsumat, nec liceat monachis cellulas habere communes, ubi, aut bini maneant, aut singulares reponi possint, sed schola labore communi construatur ubi omnes jaceant, aut abbate aut præposito gubernante, ut dum duo vel tres vicissim et legant et excubent, alii consolentur.

17. Ut mulier intra septa monasterii nullatenus introire permittatur, si abbas in hac parte, aut præpositus negligens apparuerit, qui eam viderit, et non statim ejecerit, excommunicetur.

Ex conc. Toletano III, *sub Pelagio II, an.* 589. — 4. Si episcopus unam de parochianis ecclesiis suis monasterium dicare voluerit, ut in ea monachorum regulariter congregatio vivat, hoc de consensu concilii sui habeat licentiam faciendi, qui etiam de rebus Ecclesiæ pro eorum substantia aliquid quod detrimentum Ecclesiæ non exhibeat, eidem loco donaverit, sit stabile, etc.

Ex conc. Parisiensi VI, *sub Deusdedit, an.* 615. — 12. Si quis monachus aut monacha in congregatione positi religiosam conversationem elegerint, et postea aut ad parentes, aut ad quamcunque propriam substantiam se de congregatione ipsa subtraxerit, et ab episcopo suo per epistolam admoniti ad septa monasterii sui redire distulerint, sint usque ad exitum vitæ a communione suspensi.

Ex conc. Hispalensi, sub Bonifacio II, an. 619. — 10. Si quis nostrum, vel nobis succedentium sacerdotum quodlibet monasterium, aut vi cupiditatis exspoliandum, aut simulatione aliqua fraudis convellendum, aut dissolvendum tentaverit, anathema sit.

Ex conc. Toletano IV, *sub Honorio I, an.* 633. — 48. Monachum aut paterna devotio aut propria professio facit, quidquid horum fuerit alligatum tenebit, proinde his ad mundum revertendi intercludimus aditum, et omnes ad sæculum interdicimus regressus.

49. Clerici qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt liberos eis ab episcopo in monasteriis largiri oportet ingressus.

50. Nuntiatum est præsenti concilio quod monachi episcopali imperio, servili operi mancipentur, et jura monasteriorum contra instituta canonum illicita præsumptione usurpentur, etc. Monemus eos qui ecclesiis præsunt, ut ultra talia non præsumant, sed hoc tantum sibi in monasterio vindicent sacerdotes, quod præcipiunt canones, id est monachos ad conversationem sanctam prædicare, abbates aliaque officia instituere, atque extra regulam facta corrigere.

52. Religiosi propriæ religionis, qui nec inter clericos, nec inter monachos habentur, sive hi qui per diversa loca vagi feruntur, ab episcopis in quorum conventu commorari noscuntur licentia eorum coerceatur, ut aut in clero, aut in monasterio deputentur, etc.

Ex conc. Toletano VI, *sub Honorio I, an.* 638. — 6. Quisquis virorum vel mulierum habitum semel induerit spontanee religiosum, aut si vir deditus ecclesiæ choro, vel femina fuerit, aut fuit delegata puellarum monasterio in utroque sexu prævaricator, ad propositum invitus reverti cogatur, ut vir detondeatur, et puella ad monasterium regrediatur, si autem quolibet patrocinio desertores permanere voluerint, sacerdotali sententia, ita a Christianorum cœtu habeantur extorres, ut nec locus eis sit ullus communionis.

Ex conc. Toletano VII, *sub Theodoro, an.* 646. — 5. Jubemus eos quos in cellulis

Digitized by Google

propriis reclusos sanctæ vitæ ambitio tenet, hos et Dei auxilio, et nostro favore tutos existere, illos vero quos in tale propositum ignavia intulit, non prudentiæ cognitio deputavit, quosque nulla vitæ dignitas ornat, sed et ignorantia fœdat et morum exsecratio turpat, decernimus ab his abjici cellulis atque locis in quibus aut feruntur vagi, aut tenentur inclusi, atque ab episcopis sive rectoribus monasteriorum ex quorum congregatione fuerunt, vel in quorum vicinitate consistunt, in monasteriis omnimodo deputentur, etc.

Ex conc. Cabilonensi, sub Vitaliano, an. 663. — 5. Abbates vel monachi aut agentes monasteriorum, patrocinio sæculari penitus non utantur, nec ad principis præsentiam sine episcopi sui permissu ambulare audeant.

Ex conc. Augustodunensi, sub Adeodato, an. 670. — 1. Abbates vel monachi peculiare non habeant, et monachi ab abbate victum, et vestitum consuetum accipiant.

6. Ut in civitatibus non inveniantur, quod si causa utilitatis monasterii, cum litteris abbatis sui ad archidiaconum civitatis scriptis dirigantur.

8. Ut abbati suo ac præposito sint obedientes.

10. Ut nullus familiaritates extranearum mulierum præsumat habere, ut mulieribus in monasterium monachorum nullatenus ingredi liceat, nullus monachum alterius absque permissu sui abbatis præsumat retinere, sed cum inventus fuerit vagans, ad cellam propriam revocetur, ibi juxta culparum merita coercendus.

15. De abbatibus vero vel monachis, ita observare convenit, ut quidquid canonicus ordo vel Regula sancti Benedicti edocet, et implere et custodire in omnibus debeant.

Ex Conc. in Palatio vernis sub Stephano III, an. 756. — 5. Ut monasteria tam virorum quam puellarum secundum ordinem regulariter vivant, et si hoc facere contempserint, episcopus in cujus parochia esse videntur, hoc emendare debeat, quod si non potuerit, illi quem metropolitanum constituimus hæc innotescant, et ipse hoc emendari faciat, quod si hoc nec ipse emendare potuerit, ad synodum publicam exinde veniant, et ibidem canonicam sententiam accipiant.

10. Ut monachi qui veraciter regulariter vivunt, ad Romanam Sedem vel alicubi vagari non permittantur, nisi obedientiam abbatis sui exerceant, et si talis causa invenerit quod ille abbas sic remissus vel negligens inveniatur, et in manus laicorum ipsum monasterium veniat, et hoc episcopus emendare non potuerit, et aliqui tales monachi ibidem fuerint, qui propter Deum de ipso monasterio migrare velint, propter eorum animas salvandas, hi per consensum episcopi licentiam habeant.

11. De illis hominibus qui dicunt quod se propter Deum tonsurassent, et modo res eorum, vel pecunias habent, et nec sub manu episcopi sunt, nec in monasterio, sint sub ordine regulari, aut sub manu episcopi sub ordine canonico, et si aliter fecerint, et correpti ab episcopo suo se emendare noluerint excomunicentur, et de ancillis Dei eadem forma servetur.

Ex conc. Nicæno II, univers. VII, *sub Adriano I, an.* 787. — 17. Quidam monachi suis monasteriis relictis, ut qui imperare desiderent, et parere recusent, oratoria ædificare aggrediuntur, cum ea non habeant, quæ ad perfectionem pertinent ; si quis ergo hoc facere aggressus fuerit, prohibeatur ab ejus loci episcopo, etc.

21. Non oportet monachum vel monacham proprium relinquere monasterium, et ad aliud se conferre ; si hoc autem contigerit ipsum ut hospitem accipi est necessarium, sed eum recipi sine mente monasterii ejus præfecti non convenit.

22. Cui quieta est vita et solitaria, ut qui Domino Deo jugum monasticum tollere statuerit in solitudine et silentio sedebit, atque nec iis etiam qui vitam sacerdotalem elegerint, licet omnino seorsum cum mulieribus comedere, nisi utrique cum divinis et religiosis viris ac mulieribus ut ipsum etiam convivium ad spiritalem correctionem adducat.

Ex conc. Arelatensi IV, *sub Leone III, an* 813. — 8. Ut non amplius suscipiantur in monasterio canonicorum et monachorum, seu etiam puellarum, nisi quantum ratio permiitit, et in eodem monasterio absque necessariarum rerum penuria vivere possint.

Ex conc. Mogunt., sub Leone III, an. 813. — 12. Monachi ad sæcularia placita nullatenus veniant, neque ipse abbas sine consilio episcopi sui, et cum necessitas exigit, nequaquam tamen contentiones aut lites aliquas ibi movere præsumat, sed quidquid quærendum vel etiam respondendum sit, per advocatos suos hoc faciat, abbates et monachi usque ad interrogationem silentium habeant, et cum interrogantur, cum humilitate et reverentia respondeant alias querelas omnino devitent, in eorum claustro permaneant, nullusque ex eis foras vadat, nisi per necessitatem ab abbate mittatur in obedientiam, nec foras manducent, neque bibant, sine permissione abbatis, nec ad convivia sæcularia vadant.

Ex conc. Remensi I, *sub Leone III, an.* 813. — 15. Ut monachi et canonici pleniter consilium habeant qualiter Deo militare, animasque eorum melius valeant custodire, ne, propter aliquam necessitatem, occasionem quærant evagandi.

16. Ut monachi et canonici tabernas ad edendum vel bibendum non ingrediantur.

27. Ut in civitatibus et monasteriis non major numerus servientium Deo mittatur, quam possibilitas eis ministrandi fuerit.

28. Ut cupiditatis et avaritiæ malum nullatenus sectentur.

29. Ut monachi ad placita sæcularia nullatenus vadant.

Digitized by Google

30. Ut nemo sacerdotum, vel monachorum negotiis illicitis se implicet.

32. Ut turpia lucra et usuras minime exerceant.

Ex conc. Aquisgranensi I, *sub Stephano V, an.* 816. — 115. Quia monachi nihil sibi proprium reliquerunt, manifestum est illos copiosius Ecclesiæ sumptibus quam canonicos qui suis et Ecclesiæ licite utuntur rebus, indigere.

Ex conc. Aquisgranensi, sub Paschali I, an. 817. — 2. Ut monachi omnes qui possunt, regulam memoriter teneant.

3. Ut officium quod in Regula sancti Benedicti continetur, celebrent monachi.

4. Ut in coquina, in pistrino, et in cæteris officinis, propriis operentur manibus, et vestimenta sua, opportuno tempore lavent.

5. Ut nullo unquam tempore post vigilias causa dormiendi, nisi contigerit eos ante horam constitutam surgere, ad lectos redeant suos.

6. Ut in Quadragesima nisi in Sabbato sancto non radantur, in alio enim tempore semel per quindecim dies radantur, et in octavis Paschæ.

7. Ut balnearum usus in arbitrio prioris consistat.

8. Ut volatilia intus forisve, nisi pro infirmitate, nullo tempore comedant.

9. Ut nullus episcoporum monachis volatilia comedere præcipiat.

10. Ut poma et lactucæ, nisi quando alius sumitur cibus, non comedantur.

11. Ut certum phlebotomiæ tempus non observent, sed unicuique quod necessitas exspostulat concedatur, et specialis in cibo et in potu tunc consolatio præbeatur.

12. Ut si necessitas poposcerit ob operis laborem post refectionem vespertinam, etiam et in Quadragesima pari modo, et quando officium mortuorum celebratur priusquam lectio completorii legatur, bibant.

13. Ut cum a quocunque priore suo increpatus quis eorum fuerit, mea culpa primo dicat, dehinc prosternens se illius pedibus, cum cappa si habuerit, veniam petat, et tunc, jubente priore, surgat, et unde interrogans fuerit, rationem humiliter reddat.

14. Ut nudi, pro qualibet culpa, coram fratrum obtutibus non flagellentur.

15. Ut soli sine alio fratre, in via non dirigantur.

16. Ut sibi compatres, commatres non faciant, neque osculent feminas.

17. Ut si necessitas fuerit eos occupari in frugibus colligendo constitutum legendi, et meridie pausandi tempus præmittatur, et operantes non murmurent.

18 Ut quarta et sexta feria jejunantes ante nonam, aut post nonam, si necessitas fuerit, juxta prioris arbitrium levia opera exerceant.

19. Ut in Quadragesima libris de bibliotheca, secundum prioris dispositionem, acceptis, alios, nisi prior decreverit expedire, non accipiant.

20. Ut eis vestimenta nec multum vilia, nec multum pretiosa, sed mediocria dentur.

21. Ut mensura cucullæ duobus consistat cubitis.

23. Ut in Quadragesima sicut et in alio tempore vicissim sibi pedes lavent, et antiphonas huic officio congruentes decantent.

24. Ut mandatum post cœnam fiat.

26. Ut villas frequenter et, nisi necessitas coegerit, non circumeant, neque suis illas monachis custodiendas committant, et si eos ire ad eas necessitas fuerit, expleto necessitatis negotio ad sua mox monasteria redeant.

28. Ut servitores non ad unam mensam, sed in propriis locis post refectionem fratrum reficiant, quibus eadem lectio quæ fratribus recitata est, recitetur.

29. Ut lectori nihil, nisi quod regula jubet, detur.

30. Ut alleluia in Septuagesima dimittatur.

33. Ut de senioribus monasterium circumeuntibus quidam cum fratribus in obedientiam exeant, quidam in monasterio remaneant.

34. Ut novitio non facilis in monasterium tribuatur ingressus, et ut in cella hospitibus serviat paucis diebus, res vero quas habet parentibus suis commendet, expleto probationis suæ anno, secundum quod regula præcipit inde faciet; ipse vero nec tondeatur, nec vestimenta pristina immutet, priusquam obedientiam promittat.

35. Ut monachus professione facta, tribus diebus cuculla coopertum habeat caput.

36. Ut puerum pater aut mater tempore oblationis offerant altari, et petitionem pro eo coram laicis testibus faciant, quam tempore intelligibili ipse puer confirmet.

37. Ut infantes oblati carnem, nonnisi causa infirmitatis, manducent.

38. Ut quando fratres post sextam dormiunt, si quis eorum voluerit legere, in ecclesia aut in lecto suo legat.

39. Ut in Quadragesima usque ad nonam operentur fratres, quatenus, missa celebrata, congruo tempore reficiant.

40. Ut domus semota habeatur hujusmodi his qui fugere, aut pugnis baculisve inter se voluerint confligere aut quibus ex integro factæ sunt regulares disciplinæ, qua in hieme ignis possit accendi, et atrium juxta sit in quo valeant, quod eis injungitur operari.

41. Ut si quis negligenter sonitum fecerit, aut aliud quid excesserit in refectorio, mox a priore veniam petat.

42. Ut nullus plebeius seu clericus sæcularis in monasterio adhabitandum recipiatur, nisi voluerit fieri monachus.

43. Ut nemini liceat sermonem juramenti aut affirmationis, nisi sicut sancti Patres soliti fuerint loqui.

45. Ut schola in monasterio non habeatur, nisi eorum qui oblati sunt.

46. Ut in præcipuis solemnitatibus, id est in Natali et in Octavis Domini in Epiphaniâ,

Digitized by Google

in Pascha quoque et Ascensione, Domini, in Pentecoste, et in SS. festivitatibus, id est sancti Stephani, B. Joannis evangelistæ. Et in Natali infantium, in Purificatione et Assumptione sanctæ Mariæ, similiter et in BB. Apostolorum, festis, et in sancti Joannis Baptistæ, Nativitate, sancti quoque Laurentii atque Martini, seu in natalitiis quibuslibet sancti, cujus honor in qualicunque parochia specialiter celebratur, plenarium officium agatur, et bisdecimæ pauperibus reliciatur.

47. Ut in Parasceve non aliud nisi panis et aqua sumatur.

48. Ut benedictio post completorium a sacerdote dicatur.

49. Ut de omnibus in eleemosyna datis tam Ecclesiæ quam fratribus decimæ pauperibus dentur.

50. Ut prætermissis partialibus Psalterii psalmis, speciales pro eleemosynariis et defunctis cantentur.

51. Ut in hebdomada Pentecostes non flectantur genua et non jejunetur, nisi statuti fuerint dies.

52. Ut laicus causa manducandi ac bibendi, in refectorium non ducatur.

53. Ut quoties exposcit necessitas, vestimenta et calceamenta, et omnia necessaria fratribus dentur.

55. Ut senior decanus reliquis decanis præponatur, et abbate vel præposito præsente locum proprium teneat.

56. Ut præpositus, decanus, cellarius de eorum ministerio, nisi causa utilitatis, aut necessitatis non removeantur.

57. Ut libra panis 30 solidis per 12 denarios metiatur.

58. Ut dormitorium juxta oratorium constituatur, ubi supervenientes monachi dormiant.

60. Ut duo tantum signa ad tertiam, sextam, nonamque pulsentur.

61. Ut monachi cappas disconsutas præter villosas non habeant.

63. Ut docti fratres eligantur qui cum supervenientibus monachis loquantur.

64. Ut de furto incerto, oratio et excommunicatio a corpore et sanguine Christi fiat, quousque culpabilis confiteatur.

65. Ut si frater adversus fratrem pro qualibet culpa testimonium protulerit, fratri perfectiori credatur.

66. Ut psalmus invitatorius et gloria pro defunctis non cantetur.

67. Ut lector stando benedictionem postulet

68. Ut eulogiæ fratribus a presbyteris in refectorio dentur.

69. Ut ad capitulum primitus Martyrologium legatur, et dicatur versus, deinde regula aut homilia quælibet legatur, deinde *Tu autem Domine* dicatur.

70. Ut ad capitulum lectio tradatur similiter ad consolationem, si tempus fuerit opportunum.

71. Ut quando fratres æstivo tempore jejunant, post sextam dormiant.

72. Ut is qui noxæ culpa tenetur, die Dominico remissius habeat, et veniam non petat.

74. Ut ad missam, *Sanctus*, stantes, et *Pater noster*, genuflectentes dicant.

75. Ut nullus pro munere recipiatur in monasterio, nisi quem bona voluntas, et merita commendant.

76. Ut unicuique fratri in cibo et potu sua mensura separatim detur, et de tota mensura sibi data alicui nihil tribuat.

77. Ut fratres aliquid pinguedinis in victu quotidiano habeant, excepta sexta feria, et diebus octo ante Natale Domini, et a Quinquagesima usque ad Pascha.

78. Ut volatilia in Natale Domini, et in Pascha tantum quatuor diebus (si est unde) comedant, si vero non fuerit unde, non requiratur per debitum, si autem abbas aut monachi abstinere se voluerint, in eorum sit arbitrio.

79. Ut muffulæ vervecinæ monachis dentur.

Ex conc. Aquisgranensi, sub Gregorio IV, an. 836. — 3. Monachi non debent parvipendere pastores suos in cujuscunque parochia consistentes, sicut aliqui faciunt.

Ex conc. Moguntino, sub Leone IV, an. 847. — 14. Nullus monachorum aliquid proprietatis habeat, et res sæculares quibus renuntiavit nullatenus sibi usurpet, nec parochias ecclesiarum accipere præsumat sine consensu episcopi, de ipsis vero titulis in quibus constituti fuerint, rationem episcopo, vel ejus vicario reddant, et convocati ad synodum veniant.

Ex conc. Ticinensi, sub Leone IV, an. 855.— 9. Ea monasteria quæ adhuc statum suum retinent, unumquemque episcoporum, in cujus parochia constituta sunt providere oportet, utrum ordinem suum teneant, quod si aliter invenerit, una cum rectore monasterii corrigere debebit; quod si rectoris monasterii principaliter culpa fuerit, et se suosque subditos ad episcopi sui admonitionem corrigere dissimulaverit, synodica debet auctoritate percelli.

Ex conc. Tullensi II, *sub Nicolao, an.* 860. — 5. Clericis et monachis vagis omnis necessitas imponatur, quatenus ad ordinationem episcoporum et abbatum suorum revertantur, et sub disciplina eorum maneant.

Ex conc. Triburiensi, sub Formoso, an. 895. — 26. Si quis monachus pro lucro animæ, vel animarum a suo monasterio exire, et aliud proposuerit intrare, consentientibus episcopo, abbate et fratribus, consentimus et concordamus, quia id fecisse multos sanctos legimus; si vero fuga regularis disciplinæ elapsus, propositum sanctitatis calcaverit, omnimodis coercendus, et ab omnibus detestandus, atque omni onere est gravandus, ut saltem rubore verecundiæ confusus, et onere paupertatis afflictus redeat, quem relicta singularitatis professione inimicus tenebat.

Ex conc. Toletano, sub Victore II, an. 1056. — 5. Si quis clericorum, adipiscendæ abbatiæ causa monachus effectus fuerit, in abbatia quidem monachus permaneat, sed ad ipsum honorem ad quem spirabat, nullatenus accedat; quod si præsumpserit, excommunicetur.

Digitized by Google

6. Abbates et curam monasteriorum exerceant, et eis victum et vestitum secundum Regulam sancti Benedicti præbeant, et hoc agentes proprium eos habere nullatenus permittant, ipsi vero monachi absque voluntate abbatis præposituram aliquam non teneant.

Ex conc. Anglicano, sub Gregorio VII, an. 1063. — 2. Monachi ordinem debitum teneant, infantes præcipue et juvenes, in omnibus locis deputatis sibi idoneis magistris custodiam habeant, nocte luminaria ferant, generaliter omnes nisi a prælatis concessa prioritate careant, si quis aliquid proprii, sine præfata licentia, habere in morte fuerit deprehensus, nec ante mortem id reddiderit, nec signa pro eo pulsentur, nec salutaris pro ejus absolutione hostia immoletur, nec in cœmeterio sepeliatur.

Ex conc. Lateran. III, *univers.* X, *sub Innocentio II, an.* 1139. — 9. Monachi et regulares canonici leges temporales et medicinam gratia lucri temporalis non addiscant, episcopi autem abbates et priores tantæ enormitati consentientes, et non corrigentes propriis honoribus spolientur, et ab ecclesiæ liminibus arceantur.

Ex conc Turonensi, sub Alexandro III, an. 1163. — 8. Nulli omnino post votum religionis, post factam in aliquo loco professionem ad physicam, legesve mundanas legendas permittantur exire; si vero exierit, ac ad claustrum suum infra duorum mensium spatium non redierit, ab omnibus evitetur.

Ex conc. Later. IV, *univers.* II, *sub Alexand. III, an.* 1179. — 6. Ne monachi sive quicunque religiosi pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem prælati sui et capituli disciplinam appellare præsumant, sed humiliter et devote suscipiant quod pro salute sua utiliter eis fuerit injunctum.

9. Religiosi in ecclesiis quæ ad eos pleno jure non pertinent, instituendos presbyteros episcopis præsentent, ut eis quidem de plebis cura respondeant, ipsis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem, institutos autem, episcopis inconsultis, non audeant removere.

10. Monachi non pretio recipiantur in monasterio, non peculium permittantur habere, non singuli per villas et oppida, seu ad quascunque ponantur ecclesias parochiales, sed in majori conventu, aut cum aliquibus fratribus maneant, nec soli inter sæculares homines spiritualium hostium conflictionem exspectent, etc. Si quis autem exactus pro sua receptione aliquid dederit ad sacros ordines non ascendat, etc. Prioratus quoque sive obedientiæ pretii datione nulli tradantur, alioquin et dantes et accipientes a ministerio ecclesiastico fiant alieni.

Ex conc. Eboracensi, sub Celestino III, an. 1194. — 14. Ne monachi, canonici regulares redditus, quos obedientias vocant, ad firmam teneant, nec iter peregrinationis arripiant, nec extra monasteria sine certa et rationabili causa, nec absque societate cujus certa sit honestas et indubitata, proficiscantur.

Ex conc. Lateran. univers. XII, *sub Innocent. III, an.* 1215. — 13. Ne quis de cætero novam religionem inveniat, sed quicunque voluerit ad religionem converti, unam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religiosam domum fundare de novo, regulam et institutionem accipiat de religionibus approbatis, etc, ne quis in diversis monasteriis locum monachi habere præsumat.

57. Quibusdam regularibus Sedes Apostolica indulsit, ut iis qui eorum fraternitatem assumpserit, si forsan Ecclesiæ ad quas pertinent fuerint officiis interdictæ, ipsosque mori contingat, sepultura ecclesiastica non negetur, nisi excommunicati vel interdicti fuerint nominatim, suos confratres quos ecclesiarum prælati apud ecclesias suas non permiserint sepeliri, nisi excommunicati vel interdicti fuerint nominatim, ipsi ad ecclesias suas deferant tumulandos, hoc autem de illis confratribus intelligimus, qui vel adhuc manentes in sæculo eorum ordini sunt oblati, mutato habitu sæculari, vel qui eis sua bona dederunt, retento scilicet, quandiu in sæculo vixerint usufructu, qui tamen sepeliantur apud ipsorum regularium vel aliorum interdictas ecclesias in quibus elegerint sepulturam, etc. Illud etiam pro hujusmodi regularibus est indultum, si qui fratrum suorum qui ab eis missi fuerint ad recipiendas fraternitates seu collegas in quamlibet civitatem, castellum vel vicum advenerint, si forte locus ille a divinis sit officiis interdictus, in eorum jucundo adventu semel in anno aperiantur ecclesiæ, ut exclusis excommunicatis divina ibi officia celebrentur, sic intelligi volumus quod in eadem civitate aut castro, aut villa, una tantum ecclesia ejusdem ordinis fratribus semel aperiatur in anno.

59. Ne quis religiosus absque abbatis et majoris partis capituli sui licentia pro aliquo fidejubeat, vel ab alio pecuniam mutuo accipiat, ultra summam communi providentia constitutam, alioquin non teneatur conventus pro his aliquatenus respondere.

61. Ne quilibet regulares ecclesias seu decimas sine consensu episcoporum de manu præsumant recipere laicali, nec excommunicatos vel nominatim interdictos admittant aliquatenus ad divina, etc. In ecclesiis vero quæ ad ipsos plene jure non pertinent, episcopis, etc.

Ex conc. Oxoniensi, sub Honorio III, an. 1222. — 50. De cætero pro receptione alicujus in domum religionis pecuniam aut quidquid aliud extorquere non præsumant, adeo ut si præ paupertate domus, debeat vestire seipsum, prætextu vestium, ultra justum pretium earum ab eo nihil penitus recipiatur.

54. Tam monachi quam canonici regulares et moniales in uno dormitorio pariter dormiant et quiescant, singulis personis singulis lectis assignatis, et in uno refectorio simul edant, nec per se cuilibet, sed communiter omnibus victualia præparentur, nec singulis eorum denarii pro vestibus tribuantur, sed talia per certas personas ad hæc deputatas puta camerarios vel camera-

Digitized by Google

rias diligenter expediantur, etc. Et cum eis nova tradita sunt, vetera ab eis recipiantur, quæ in usus pauperum vel alias necessitates de consilio abbatis vel priorissæ vel abbatissæ vel prioris convertantur; camerario autem vel camerariæ non liceat aliquid recipere, etc. Monachus non recipiatur minor 18 annis, nisi evidens utilitas seu necessitas inducat.

55. Tam a monachis quam canonicis regularibus, et monialibus silentium imponimus observari in temporibus et locis constitutis, nec viris aut mulieribus religiosis absque superioris licentia egredi liceat septa domus, nec sine certa et honesta causa egrediendi eis licentia concedatur, ita tamen quod nulli claustralium causa orationis aut visitandi parentes pateat aditus exeundi, nisi talis forte fuerit de quo nihil sinistrum possit quis aut debeat merito suspicari, qui semper habeat collegam, et quoties aliter licentia exeundi indulgeatur, certus dies eidem præfigatur in quo redeat. Ubicunque propter excessum viderit episcopus vel abbas vel prior conventualis non habens abbatem expedire, ut quis ad tempus alibi moretur, ad aliam domum religionis ejusdem in eodem episcopatu transferatur, etc. Ita ut si ex mora ipsius ecclesia in qua moratur gravata videatur, vice versa mittat aliquem de suis qui interim moram faciat in monasterio delinquentis, nec prius rediens ipse qui deliquit in domo sua recipiatur, quam plene pœnituerit de commisso, et per suum superiorem revocetur.

56. Omnem singularitatem interdicimus in refectorio, ut cibus aliter uni quam alteri præparetur, sed qui præest videat, ut scilicet interdum talia præparentur, de quibus aliorum debilitas, vel infirmitas, prout viderit expedire, valeat relevari, etc. Totum residuum, sine diminutione aliqua, cedat in eleemosynam indigentibus fideliter erogandam, ita quod nec abbas nec prior, nec eleemosynarius possit hoc dispensare.

57. Per nullam societatem vel considerationem admittantur monachi in alterius monasterio ad moram faciendam, nisi cum litteris episcopi, vel abbatis vel prioris conventualis non habentis abbatem; idem inter canonicos regulares et moniales volumus observari.

58. Nulla persona in regulari ordine constituta condere testamentum præsumat, cum nihil habeat suum temporale quod transferre valeat in dominium alienum, nec monachus, nec canonicus ecclesiam vel monasterium, vel quodlibet prædium ecclesiæ suæ audeat retinere ad firmam.

59. Nec monachi, nec canonici regulares nisi statutis locis et horis, potationi aut comessationi vacare præsumant; si quis vero sitiverit, impetrata licentia refectorium regulariter intret, etc. Ab hac generaliter eximimus infirmos, et eos qui fuerint in obsequio prælatorum.

60. Cum ratione debilitatis vel alia justa ratione monachi seorsum in misericordia morentur, semper habeant secum ad minus alios seniores, qui aliorum levitatem debita correctione compescant, et qui postmodum in capitulo testificentur qualiter in misericordia fuerint conversati.

Ex concilio Salzburgensi, sub Greg. X an. 1274. —21 Nulli religioso liceat extra suam professionem vel ordinem sibi eligere confessorem, nisi de prælati sui licentia speciali.

23. Si adversus correctionem superioris sui monachus aut religiosus quicunque, sæcularis personæ adjutorium aut potentiam duxerit invocandam, si hujusmodi invocatione usus fuerit, carcerali custodia tantopere concludatur donec præsumptionem hujusmodi pro superioris arbitrio pœna sufficiens recompenset, et præsumptor nullo unquam tempore in eadem ecclesia seu monasterio, cujusquam dignitatem vel administrationis officium consequatur.

Ex conc. Mediolan, sub Nicolao IV, an. 1287, — 2. Abbates monachi et reliqui omnes religiosi ex Formula sancti Benedicti et sancti Augustini vivant.

Ex conc. Salisburgensi, sub Martino IV, an. 1291. — 2. Prælatus cujuslibet conventus semel in anno de omnibus redditibus et proventibus monasterii plenam faciat rationem, præsente episcopo vel ejus nuntio ad hoc specialiter deputato, si episcopus fuerit ad hoc requisitus, et bis vel ter in anno a suis officialibus, monachis et laicis computationem discretam faciat et fidelem.

3. Item a festo sancti Martini ab omnibus religiosis usque ad Nativitatem Domini jejunium observetur, et a Quinquagesima jejunium in cibis quadragesimalibus inchoetur.

Ex conc. Ravennat. II, *sub Clemente V, an.* 1311. — 14. De cætero quolibet anno tempore magis apto et loco fiat capitulum provinciale abbatum et priorum ordinis Sancti Benedicti non exemptorum, juxta institutiones canonicas et si ex causa legitima non posset dictum capitulum provinciale, fieri, saltem singuli abbates et priores cujuscunque diœcesis pro reformatione conveniant certo tempore loco et die sicut melius viderint expedire, et hoc de prioribus et præpositis canonicorum regularium observetur.

22. Nulli apostatæ et maxime mendicantium ordinum de cætero admittantur, vel recipiantur, vel eligantur in ecclesiis sæcularibus vel regularibus, seu ad divinum officium, non obstante seu eis alicujus excusationis patrocinium afferente, quod ab observantia suorum ordinum fuerint absoluti, vel datam ei licentiam quamcunque a prælatis eorum habuerint ad religiones alias vel observantias transeundi, vel beneficium curatum acceptandi sive obtinendi, et qui contra fecerint ipso jure ab officio et beneficio sint suspensi, a qua suspensione non possint absolvi, nisi in concilio provinciali, prius satisfactione præstita cum effectu, ad metropolitani arbitrium, et talium receptio sive ipsius facta promissio sit irrita ipso jure, etc. Nec prædicti apostatæ dum in apostasia permanserint aliquo privilegio ecclesiasticæ immunitatis vel defensionis gau-

Digitized by Google

deant, etc. Idem intelligatur de aliis religiosis monachis et canonicis ordinis sancti Augustini.

24. *Vid.* ORDINES SACRI.

Ex conc. Ravennat. IV, *sub Joanne XXII, an.* 1317. — 6. Nonnulli religiosi prælati nostræ provinciæ propter minas et potentiam laicorum coguntur indebite nonnullos in suorum locorum fratres recipere vel conversos, declaramus quod modo prædicto recepti in fratres seu conversos quorumcunque locorum ad eligendum tam active quam passive fiant inhabiles, nec ad tractus quoslibet admittantur, nec eisdem in vestimentis per locorum prælatos modo aliquo debeat provideri, quod et in receptis in monialium monasteriis modo prædicto volumus habere vigorem.

17. Ne de cætero religiosi venari seu ad venandum exire præsumant, siquidem abbates, priores vel præpositi, seu alias administrationes habentes fuerint, per annum ipso facto sint suspensi ab omni administratione, donec ad mandatum ordinarii plene satisfecerint; inferiores vero sint ineligibiles, et ultimi semper in choro habeantur, donec ad mandatum abbatis, prioris vel præpositi sufficienter pœnitentiam egerint de commissis.

Ex conc. Frisingensi, sub Eugenio IV, an. 1440. — 15. Abbates, præpositi, priores, decani cæterique monasteriorum professi, monastica et regulari vigeant disciplina, regulamque eis a sanctis Patribus institutam, præsertim tria ordinis substantialia videlicet abdicationem proprietatis, obedientiam et continentiam cæremonialiaque religionis studeant in omnibus observare.

Ex conc. Lateran. univers. XVII, *sub Leone X, an.* 1517, *sess.* 2, *De religiosis.* — 2. Religiosi a prælatis ad processiones solemnes pro tempore faciendas requisiti, dummodo eorum loca suburbana ultra unum milliare a civitatibus non sint remota, accedere teneantur, necnon superiores eorumdem fratrum fratres quos ad audiendas confessiones subditorum eorumdem prælatorum pro tempore elegerint, eisdem prælatis personaliter exhibere ac præsentare, si eos sibi exhiberi et præsentari petierint, alioquin eorum vicariis, dummodo ad prælatos ultra duas diœtas accedere non cogantur omnino teneantur, possintque illi per eosdem episcopos et prælatos super sufficienti litteratura, et aliqua saltem hujusmodi sacramenti peritia duntaxat examinari, etc. Ipsique fratres etiam forensium confessiones audire valeant, laicos tamen et clericos sæculares a sententiis ab homine latis nullatenus absolvere possint.

4. Eucharistiæ et extremæ unctionis aliaque sacramenta illis quorum etiam infirmorum ac decedentium confessiones audierint, dicentibus proprium sacerdotem illa sibi dare denegasse, dare nequeant, nisi denegatio sine legitima causa facta vicinorum testimonio probata, aut requisitio coram notario publico facta doceretur.

5. Eorumdem fratrum obsequio insistentibus sacramenta hujusmodi nullatenus ministrare valeant, nisi illorum durante obsequio.

6. Pacta et conventiones inter eosdem fratres et prælatos atque curatos pro tempore inita valeant, nisi per subsecutum capitulum proximum generale vel provinciale refutata, ac per eos refutatio hujusmodi intimata debito tempore fuerit.

7. Parochias cum cruce, ad levanda funera eorum, qui apud ecclesias domorum et locorum eorumdem suam elegerint sepulturam, intrare non possint, nisi prius præmonito et requisito, ac non recusante parochiano presbytero, et tunc sine ejus et ordinarii præjudicio.

8. Volentes sepeliri in habitu eorumdem fratrum in claustra non degentes, sed in propriis domibus habitantes, in eorum ultima voluntate sepulturam sibi libere eligere possint.

9. Fratres ipsi ad ordines promovendi per ordinarios de grammatica et sufficientia examinari, et dummodo competenter respondeant, per eosdem ordinarios libere admitti, ac nullatenus in eorum ecclesiis seu domibus aut aliis eorum locis ab alio quam a diœcesano episcopo vel ejus vicario, super hoc cum debita reverenti requisito, et absque rationabili causa contradicente, vel eo in diœcesi absente ad dictos ordines promoveri debeant..

10. Nec ab alio episcopo consecrationem ecclesiæ vel altaris, aut cœmeterii benedictionem petere, seu in ecclesiis per eos pro tempore ædificandis, primum lapidem per alienum episcopum poni facere possint, nisi ubi ordinarius, bis aut ter cum debitis reverentia et instantia requisitus, sine legitima causa id recusaverit.

15. Conservatores eisdem fratribus pro tempore a Sede Apostolica deputandi, doctrina et probitate præstantes, et in ecclesiastica dignitate constituti esse debeant, et coram eis, per eosdem fratres quibus dati fuerint, ultra duas diœtas a loco suæ solitæ habitationis, nullus trahi possit.

21. Fratres, episcopos loco sanctorum apostolorum subrogatos, pro debita et nostra ac Apostolicæ Sedis reverentia, congruo honore, et convenienti observantia venerentur, episcopi fratres ipsos affectu benevolo prosequentes, charitative tractent, ac benigne foveant, seque illis minime difficiles ac duros vel morosos, sed potius faciles, mites, propitios, piaque munificentia liberales exhibeant, ac in omnibus prædictis tanquam in agro Dominico cooperatores eorumque laborum participes, prompta benignitate recipiant, eorumque jura omni cum charitate custodiant atque defendant.

Ex conc. Senonensi, sub Clemente VII, an. 1528, *De moribus.* — 22. Abbates, abbatissæ, priores, priorissæ, et alii religiosorum superiores, sic sua monasteria in cultu divino, vita et moribus vestimentis monachalibus, cibis et potibus reforment, et suos religiosos et moniales ad vitam regularem et monasticam, secundum institutiones suorum or-

Digitized by Google

dinum reducant, quod in eis nihil reperiatur, quod divinam majestatem, et simplicium animas offendere possit.

27. Cum concilium Viennense statuerit ut monachi in suis sibi commissis administrationibus et prioratibus non præsumant soli habitare, sed si proventus soli non suppetant, duobus aliis vicinioribus locis ad eorum monasteria pertinentibus, vel ipsorum monasteriorum officiis, aut inter se invicem prout erit commodius, cum consensu et consilio abbatum per locorum ordinarios uniantur, nos illud statutum observari præcipimus.

37. Illi soli mendicantes habeant potestatem absolvendi, qui primum per suos provinciales, custodes, ministros, priores, guardianos, aliosve eorumdem mendicantium prælatos electi fuerint tanquam sufficientes et idonei, vita probati, discreti, modesti atque periti, inde episcopis in suis diœcesibus per præfatos prælatos præsentati, qui ab eisdem episcopis ad audiendas confessiones sint commissi, etc. Declaramus autem non competere mendicantibus sic deputatis in absolvendo ampliorem potestatem quam curatis est a jure concessa, nisi forsan eis ecclesiarum prælati uberiorem, in hac parte, gratiam specialiter duxerint faciendam.

Ex conc. Coloniensi I, *sub Paulo III, an.* 1536, *part.* IV. — 7. Fratres mendicantes ad verbi ministerium non ante accedant, quam per ipsorum prælatos, ut viri inculpatæ vitæ, discreti pariter ac modesti, ac verbi divini probe gnari judicentur, deinde vicariis in pontificalibus præsentati, tales inventi fuerint ac permissi.

8. — Qui cum in subsidium tantum vocati sint, ordinariis ecclesiarum rectoribus molesti esse desinent, ita videlicet ne eosdem, cum suo munere fungi ipsimet velint, præoccupent.

16. Ex ordine mendicantium qui oppidatim soli commorantur, quos terminarios appellamus vitam interdum agere monachismo plurimum dissimilem cognovimus, etc. hos, cum officio prædicationis statis illis diebus perfuncti fuerint, ad monasteria sua regredi malumus quam vitam communem, ne dicamus licentiosam inter civium turmas ducere, ubi tamen monasteria ab oppidis aut vicis tam longe dissita fuerint, ut unius diei itinere repeti non possint, volumus terminarios istos hac lege teneri.

Ibid., *part.* X. — 3. Parentes, liberos in monasterium invitos non detrudant.

5. Habendus est in virorum monasteriis vir pius ac doctus, qui doceat monachos ab adolescentia meditari in lege Domini die ac nocte, ad quod munus in monasteriis monialium, sanctimonialis cæteris vita et doctrina præstantior deligatur.

6. In monasteriis verbi prædicator erit pius quidem, ac eruditus.

7. Possunt aliquot ex monachis bonæ indolis ad universitates publicas et bene christianas, aliquot annos theologicis studiis operam navaturi mitti, illic tamen non alibi quam in monasteriis seu gymnasiis sub cura et oculis præceptorum commoraturi.

Ex conc. Augustensi, *sub Paulo III, an.* 1548. — 12. Monasteria cujuscunque ordinis secundum regulas quas professi sunt, etc. Intermissa sacrarum litterarum, atque etiam, per quæ ad sacras litteras pervenitur, studia apud opulenta monasteria, intra sex mensium spatium restaurentur, etc. a rerum profanarum exercitio monachi abstineant, atque intra monasterii septa, nisi concionum, aut sacrorum peragendorum gratia a suis prælatis dimittantur, seu ad aliud monasterium destinentur, vel a nobis tanquam ordinario ad curam animarum secundum canonum permissionem evocentur, sese contineant, etc. frugaliter in humanitate vivant, et quæ necessitati sunt pauperibus, studiosorumque educationi erogent, etc. monasteria excisa, aut deserta, quantum fieri poterit, restaurentur.

Ex conc. Trevirensi, *sub Paulo III, an.* 1548. — 7. Utriusque sexus apostatæ ad propria monasteria, habita singulorum justa ratione aggregentur.

8. Nullus post hac sub censuris, tales apostatas recipere, fovere, tueri, aut animarum curis præficere ullamve in Ecclesia provinciam illis committere præsumat.

9. Quocunque loco, vel sub quacunque ecclesiastica vel profana ditione, monachi, monialos aut aliis sacris ordinibus initiati, nuptiali fœdere delitescant, ab officialibus prehensi suis impensis ordinario præsententur.

Ex conc. Coloniensi II, *sub Paulo III, an.* 1549, *Censura contra abusus.* — 2. Nuptias monachorum, sanctimonialium et sacerdotum pronuntiamus illicitas, profanas, sacrilegas, atque incestuosas esse, et nusquam tolerandas, et anathemate eos omnes qui ita contraxerunt esse innexos, prolesque inde susceptas illegitimas esse, etc.

3. Monachi apostatæ qui ministeriis ecclesiasticis perfunguntur, et scortis seu concubinis adhærent, severiori ordinis disciplinæ pro tanti scandali expurgatione submittantur.

4. Quidam monachi profugi extra obedientiæ jugum, et ordinis sui observantiam, alii in habitu, alii habitu cum religione rejecto degentes, regimini se intromittunt ecclesiarum, præcipimus sub anathemate ne quis tales ecclesiarum regimini, aut sacramentorum administrationi admoveat.

6. Monachis apostatis præcipimus, ut relictis falsis conjugibus et concubinis, si quibus adhærent, postpositisque negotiis quibus se implicuerunt, habitum religionis suæ resumant, et ad suum quique monasterium revertantur.

10. Si qui apostatæ ordinis sui desertores excæcati non patiantur se, invitati ad vitæ emendationem, aut ad Ecclesiæ sinum benigne adduci, eos decernimus post spretam benevolentiam nostram paternam, vi cogendos per Dei ministros illos qui gladium

Digitized by Google

tenent ad vindictam malorum et laudem bonorum, ut intrare vel inviti compellantur, qui sponte redire nolebant.

11. Qui dispensationes apostolicas obtinuerunt, ut extra monasteria degant in habitu et obedientia suæ religionis quam professi sunt, coram episcopis compareant, atque ita dispensationes exhibeant examinandas, et vocatis eorum superioribus ac quorum intererit discutiendas, aut si jam habitum temere et absque prævia bullarum examinatione deposuerunt, eum reassumant, et in monasterio ac sub obedientia se contineant, donec dispensationibus ad examinandum oblatis, inveniantur non etiam Summum Pontificem et ejus legatos, vel alios dispensatores fefellisse, aut sinistre aliquid impetrasse; quod si dispensationibus obtentis aliter atque jam statutum est voluerint uti, eos pro apostatis habendos, vitandos, a magistratu capiendos, et superioribus cum rebus omnibus quas habent, expensis tamen monasteriorum tradendos decernimus.

Ex conc. Moguntino, sub Paulo III, an. 1549. — 27. Nulli religioso liceat cuiquam laico sacrosanctæ eucharistiæ communionem, sine speciali consensu parochi, ad cujus curam ille pertinet, porrigere.

66. Monasteria opulentiora, intermissa studia, inprimis vero theologica, apud se instaurent.

78. Monasteriorum abbates, et prælati, abbatissæ, præpositi, priores et magistratus cujuscunque ordinis nobis subjecti, regulares personas in apostasiam ex quacunque causa lapsas, et cum humilitate redire volentes, juxta cujuscunque ordinis disciplinam sive regulam, et consuetudinem observatam benigne recipiant; prælatos vero huic constitutioni contravenientes, sententiæ suspensionis a divinis, simul etiam ab administratione tam spiritualium quam temporalium volumus subjacere; religiosos per ordinarios locorum ad regimen ecclesiarum evocatos, sub eorumdem obedientia, qui eos corrigere et revocare valeant, volumus permanere.

Ex conc. Trevirensi sub Paulo III, an. 1549. — 11. Ne aliquis ante 15 annum ad probationis annum admittatur, ne quis anno probationis non completo, ad professionem recipiatur, etc. Religiosi quascunque mulieres et religiosas et servientes Deo in ambitum seu periodum monasterii recipere aut introducere nullatenus præsumant, convivia sæcularium, non frequentent, sed nec facile illos ad cœnobia invitent, etc. Non nudis byrrhis aut pileis, sed capitibus cucullo tectis in publico incedant, nullatenus ad balnea promiscua, aut alia loca publica intrent, sed nec ad nuptias, aut nuptiarum convivia vadant, neque pueris de sacro baptismatis fonte per se vel suffectas personas suscipere præsumant, nullus monachorum pro lucro terreno de monasterio suo exire nefandissimo ausu, aut sæcularibus negotiis sese immiscere præsumat; mendicantium ordinum prælati provideant, ne posthac terminarii eleemosynarum partem quovis modo sibi vindicent, sed eas colligentes cum honestate morum, integram ad conventum et in commune conferre et præsentare studeant.

Ex. conc. Trident., gen. XVIII, *sess.* 25, *sub Pio IV, an.* 1562. *De regularib.* — 1. Omnes regulares tam viri quam mulieres ad regulæ quam professi sunt præscriptum vitam instituant, et componant, omnisque cura et diligentia a superioribus adhibeatur tam in capitulis generalibus et provincialibus quam in eorum visitationibus quæ suis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur.

2. Nemini regularium tam virorum quam mulierum liceat bona immobilia, et mobilia cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere vel tenere, sed statim ea superiori tradant, conventuique incorporentur, nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem aut commendam, etc. mobilium vero usum, ita superiores permittant ut eorum supellex statui pauperlatis quam professi sunt conveniat, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam quod sit necessarium, eis denegetur.

3. Concedit sancta synodus omnibus monasteriis tam virorum quam mulierum et mendicantium (exceptis domibus fratrum, sancti Francisci Capucinorum, et eorum qui Minorum de Observantia vocantur) etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia possidere liceat, in prædictis autem monasteriis et domibus tam virorum quam mulierum bona immobilia possidentibus vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur ac imposterum conservetur qui vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possint sustentari, nec de cætero similia loca erigantur, sine episcopi licentia prius obtenta.

4. Ne quis regularis, sine sui superioris licentia prædicationis vel lectionis, aut cujusvis pii operis prætextu, subjiciat se obsequio alicujus prælati, principis vel universitatis vel communitatis, aut alterius cujuscunque personæ seu loci, nec liceat regularibus a suis conventibus recedere, etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint, qui vero sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab ordinariis locorum tanquam desertor sui instituti puniatur. Illi autem qui studiorum causa ad universitates mittuntur in conventibus tantum habitent, alioquin ab ordinariis contra eos procedatur.

8. Monasteria omnia quæ generalibus aut episcopis non subsunt, nec suos habent ordinarios regulares visitatores, sed sub immediata Sedis Apostolicæ protectione ac directione regi consueverunt, teneantur infra

Digitized by Google

annum a fine præsentis concilii, et deinde quolibet triennio sese in congregationes redigere, ibique certas regulares personas deputare, quæ de modo et ordine, de prædictis congregationibus erigendis, ac statutis in eis exsequendis deliberent et statuant; quod si in his negligentes fuerint, liceat metropolitano in cujus provincia prædicta monasteria sunt, tanquam Sedis Apostolicæ, delegato eos pro prædictis causis convocare, etc. Quod si etiam, metropolitano instante, prædicta exsequi non curaverint, episcopis in quorum diœcesibus loca prædicta sunt tanquam Sedis Apostolicæ, delegatis subdantur.

11. In monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium, præter eas quæ sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia, personæ tam regulares quam sæculares hujusmodi curam exercentes, subsint immediate in iis quæ ad dictam curam, et sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi in cujus diœcesi sunt sita, nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de ejusdem consensu ac prævio examine, per eum aut ejus vicarium faciendo, excepto monasterio Cluniacensi cum suis limitibus, et exceptis etiam iis monasteriis seu locis in quibus abbates, generales aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque aliis monasteriis seu domibus in quibus abbates aut alii regularium superiores jurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos exercent.

12. Censuræ et interdicta necdum a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab ordinariis promulgata, mandante episcopo, a regularibus, in eorum ecclesiis publicentur atque serventur, dies etiam festi quos in diœcesi sua servandos idem episcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam regularibus serventur.

13. Exempti omnes tam clerici sæculares quam regulares, quicunque etiam monachi ad publicas processiones vocati, accedere compellantur, iis tantum exceptis qui in strictiori clausura perpetua vivunt.

14. Regularis non subditus episcopo qui intrà claustra monasterii degit, et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, episcopo instante a suo superiore intra tempus ab episcopo præfiendum, severe puniatur, ac de punitione episcopum certiorem faciat; sin minus a suo superiore officio privetur, et delinquens ab episcopo puniri possit.

15. In quacunque religione tam virorum quam mulierum professio non fiat ante 16 annum expletum, nec qui minore tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur.

16. Nulla quoque renuntiatio aut obligatio antea facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque causæ piæ valeat, nisi cum licentia episcopi sive ejus vicarii fiat, intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione, etc., finito tempore novitiatus, superiores, novitios quos habiles invenerint ad profitendum, admittant, aut e monasterio ejus ejiciant (per hæc tamen sancta synodus non intendit aliquid innovare et prohibere, circa religionem clericorum societatis Jesu) sed neque ante professionem, excepto victu et vestitu, novitii vel novitiæ illius temporis quo in probatione est, quocunque prætextu a parentibus vel propinquis, aut curatoribus ejus, monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur, etc. Quin potius præcipit sancta synodus sub anathemate, dantibus et recipientibus, ne hoc ullo modo fiat, et ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur quæ sua fuerant, quod ut recte fiat episcopus etiam per censuras ecclesiasticas, si opus fuerit compellat.

19. Quicunque regularis prætendat se per vim et metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere, aut etiam cum habitu discedere, sine licentia superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis, et tunc non aliter nisi causas quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo et ordinario, etc. nemo etiam regularis transferatur ad laxiorem religionem, nec detur licentia cuiquam regulari occulte ferendi habitum suæ religionis.

20. Quandiu durabunt commendæ, priores claustrales, aut in prioratibus conventum habentibus, subpriores qui correctiones et spirituale regimen exercent, a capitulis generalibus, vel ipsorum ordinum visitatoribus instituantur.

Ex conc. Avenionensi, sub Clemente VIII, an. 1594. — 53. Monasteria quæ animarum curam habent annexam, quoties erit eligenda persona ad eam exercendam idonea, ordinariorum judicium et examen omnino sequantur, meminerint regulares sibi non licere clericis aut laicis sacramentum unctionis extremæ vel eucharistiæ, ministrare matrimonia absque licentia parochi solemnisare, aut quemcunque absolvere excommunicatum a canone, præterquam in casibus a jure expressis, aut vigore privilegiorum a Sede Apostolica concessorum, vel a sententia per decreta conciliorum, provincialium aut diœcesana promulgata; quod si in aliquo ex supradictis contrafecerint, excommunicationem Sedi Apostolicæ, reservatam incurrant.

Ex conc. Narbonensi, sub Paulo V, an. 1609. — 20. Si religiosus cujuscunque ordinis, extra monasterii sui septa repertus fuerit sine regulari habitu, per locorum ordinarios incarceretur, et juxta sanctiones canonicas puniatur.

33. Extra septa monasterii degere religiosum non sinant episcopi, nisi eidem ad hoc concessam in scriptis facultatem ab ejus superiore videntes, cujus si causam legitimam non probaverint, intra monaste-

Digitized by Google

rium redire compellant; intra claustra virorum debite disposita, non ingrediantur mulieres sub excommunicatione ubi vero claustra diruta, aut ita disposita sunt, ut intra illa mulieres admittere cogantur, volumus ea infratres annos per abbates in bonum statum regularium disponi, etc. *Vid.* conc. Trid. sess. 25· c. 14. Monasteria· quævis ista componant abbates aut superiores illorum, ut sub una clavi et sera claudi possint, quam noctu servent, nec liceat cuiquam religiosorum quoquomodo egredi per portas sibi proprias, alias per diœcesanum expensis monasterii claudantur.

II. *Monasterium.*

Ex conc. Cæsaraugustano, sub Sergio, an. 691. — 4. Placuit ut nullus abinceps sæcularium seu potestative, seu etiam vel ex permisso abbatis cujuslibet monachorum infra claustra monasterii, hospitandi vel commorandi habeat receptaculum, excepto quos vita probabiles, egenos aut paupertate depressos inspectio præviderit abbatis; de reliquis autem personis sæcularibus nullum penitus patimur infra claustra monasteriorum hospitandi habere receptaculum, cæterum si secretius aut sequestratim monasterio, ad id quod constructum pro supervenientibus domicilium patuerit, ibi eos suscipere abbates vel monachos oportebit.

Ex conc. Aquisgranensi, sub Gregorio IV, an. 836. — 15. In custodiis congregationum tam canonicorum quam monachorum, nec non sanctimonialium, summopere studendum censuimus, ut in omnibus locis claustra eis prævideantur religioni eorum congruentia, sed et habitacula domorum in quibus religionis Deum sequi volentibus perfici atque augeri possit, potius quam vitia nutriri.

18. Monasteria divinis solummodo cultibus dicata non debere sæcularibus dari, et canonica prodit auctoritas, et ipsorum destructio locorum; sed quia id exigit reipublicæ, necessitas saltem collapsa loca erigi debent, et clerici locis in quibus fuerant restitui, quo usque opportunitas id permittat emendari plenius.

Ex conc. Meldensi, sub Sergio II, an. 845. — 10. Contra omnem auctoritatem, contra Patrum decreta, et totius christianæ religionis consuetudinem, in monasteriis regularibus laici in medio sacerdotum et levitarum ac cæterorum religiosorum virorum ut domini, et magistri resident, et velut abbates de illorum vita et conversatione decernunt, eosque dijudicant, ac regimina animarum ac divina eis secundum regulam, non solum sine præsentia, verum etiam sine conscientia episcopi committunt sacraria, et ita præsumptive docent, qui noluerunt fieri discipuli veritatis, et saltu inordinato magistri fiunt erroris, etc. Si quis hoc de cætero præsumpserit, et admonitus a tali præsumptione se corrigere noluerit, et idem et qui ei faverit, vel consenserit, a corpore Christi separetur et sanguine; qui autem de monachis per talem manum obedientiam regularem susceperit, gravioris culpæ vindicta puniatur, etc. Si monachus contemnens, gradum ecclesiasticum habuerit, eo privetur, et si non habuerit gradum, pane et aqua contentus ergastulo diebus 40 detrudatur, etc. Episcopi vero qui hactenus tantam silentio consenserunt præsumptionis perniciem, durius arguantur, et si deinceps istud sine vindicta dimiserint, aut agere suis parochiis consenserint, tribus mensibus hoc synodali judicio a missarum solemniis se abstineant, et suæ tantum ecclesiæ communione contenti fiant.

41. Providendum est regiæ majestati, ut monasteria ab hominibus Deum timentibus in sua proprietate constructa prædecessores illius causa defensionis, et mundeburdi susceperant, ut libera libertate, remota spe hæreditaria de illorum propinquitate ibidem religio observaretur, et nunc in allodium fundata, quapropter omnis exinde religio funditus est eversa, qualiter vota fidelium inconvulsa permaneant, ne voces eorum contra se ante Deum clamantes, adjuncto periculo de eorum perditione, qui in eisdem locis necessitate non frangantur, condemnabiles sentiant.

60. Ut hi qui monasteria atque sacra loca vel ecclesias infringunt, et deposita vel alia quælibet exinde abstrahunt, et sacerdotes ac viros ecclesiasticos non solum dehonorant, verum et diverso atque adverso modo affligunt, velut sacrilegi canonicæ sententiæ quæ ex his decreta esse dignoscitur, subigantur.

Ex conc. Herbipolensi, sub Honorio IV, an. 1287. — 39. Conservatores qui personis religiosis et monasteriis maxime dari consueverunt, exemplis per summum pontificem aut legatos ejus missos a latere, sub certa forma cum additione illa videlicet attentius provisurus, ut eis et de his quæ causæ cognitionem exigunt, et quæ indulta hujusmodi non attingunt, se nullatenus intromittant.

Ex conc. Trident. gener. XVIII· *sub Paulo III, an.* 1543, *sess.* 5, *De reformat.* — 1. In monasteriis monachorum ubi commode fieri queat, lectio sacræ Scripturæ habeatur, qua in re, si abbates negligentes fuerint, episcopi locorum in hoc ut Sedis Apostolicæ delegati, eos ad id opportunis remediis compellant, in conventibus vero aliorum regularium ubi commode poterit, sacræ Scripturæ lectio habeatur.

Ex conc. Trevirensi, sub Paulo III, an. 1549. — 12. — Multi barones, præfecti officiati, aut alii nobiles et ignobiles in transigendis aut componendis suis vel aliorum controversiis et dissidiis, vel simili prætextu sese cum equis et jumentis in monasteria vel earum curtes aut possessiones conferunt, et hospitio excipi volunt, prædictis mandamus, ut nunc et post hac talia jam prædicta tentare et facere nullo modo præsumant, etc. Ac singulis abbatibus, prioribus et religiosis, ne deinceps tales,

Digitized by Google

etiam proprio suo consensu recipiant .vel admittant.

Ex conc. Mediolan. IV, *sub Gregor. XIII, an.* 1578 *parte* 3.—10. Si quæ femina cujusvis conditionis et dignitatis ac generis splendore illustris, virorum regularium claustra ingrediatur contra Pii V, et Gregorii XIII constitutiones, pro earum sanctionum jure, episcopus pœnarum censurarumve declaratione et irrogatione contra illam severe agat; in claustrorum autem finibus censeantur etiam horti ac viridaria, vineæ et ejusmodi loca quæ monasteriis domibusque regularium ita continenter sunt adjuncta, ut ab illis domibus vel monasteriis ad eos hortos locave aditus sit, nulla via locove publico interjecto.

III. *Moniales.*

Ex conc. Valentino in Gallia, sub Damaso, I, an. 374. — 2. De puellis quæ se Deo voverunt, si ad terrenas nuptias sponte transierint, id custodiendum esse decrevimus, ut pœnitentialis non statim detur, et cum data tamen fuerit, nisi plene satisfecerint Deo quantum ratio poposcerit eorumdem communio differatur.

Ex conc. Chalcedonensi gener. IV, *sub Leone I, an.* 451. — 16. Si qua virgo se dedicaverit Deo similiter et monachus, non licere eis jungi nuptiis; si vero inventi fuerint hoc facientes, maneant excommunicati, statuimus vero posse facere in eis humanitatem, si ita probaverit loci episcopus.

Ex conc. Agathensi, sub Symmacho, an. 506. — 19. Sanctimoniales quantumlibet vita eorum et mores probati sint, ante annum ætatis suæ 40, non velentur.

28. Monasteria puellarum longius a monasteriis monachorum, aut propter insidias diaboli, aut propter oblocutiones hominum collocentur.

Ex conc. Epaunensi, sub Symmacho, an. 509. — 36. Monasteria puellarum, nonnisi probatæ vitæ, et ætatis provectæ, ad quascunque earum necessitates vel ministrationes permittantur intrare; ad faciendas vero missas qui ingressi fuerint, statim exacto ministerio regredi festinabunt; alias autem nec clericus, nec monachus juvenis, velum ad puellarum congregationem, habebit accessum, nisi hoc aut paterna aut germana necessitudo probatur admittere.

Ex conc. Aurelianensi III, *sub Vigilio, an.* 540.—16. Si quis consecratæ vel devotæ, id est religionem professæ vim inferre præsumpserit a communione ecclesiastica usque ad exitum repellatur, viatico tantum ei infirmitatis periculo reservato, quod si rapta dicitur cum raptore habitare consenserit, et ipsa excommunicatione simili feriatur, quæ forma et de pœnitentibus ac viduis in proposito manentibus sub districtione ecclesiastica conservetur; quod si quis sacerdos sciens, hujusmodi personis communicaverit, anno integro pacem Ecclesiæ non habebit.

Ex conc. Aurelianensi V, *sub Vigilio, an.* 552. — 19. Quæcunque puellæ seu propria voluntate monasterium expetunt, seu a parentibus offeruntur, annum in ipsa qua intraverint veste permaneant, in his vero monasteriis ubi non perpetuo tenentur inclusæ, triennium in ea qua intraverint veste permaneant, et postmodum secundum statuta monasterii ipsius, in loco quo elegerint permanere, vestimenta religionis accipiant; quæ si deinceps, sacra relinquentes loca, propositum sanctum sæculi ambitione transcenderint, illæ quæ domibus propriis tam puellæ quam viduæ, commutatis vestibus conversantur, cum his quibus conjugio copulantur Ecclesiæ communionem priventur.

Ex conc. Parisiensi, sub Joanne III, an. 559. — 5. De earum erit conjunctionibus abstinendum (et hi qui eas rapere et competere voluerint a communione sunt removendi) quæ vestium commutatione tam viduæ quam puellæ religionem, pœnitentiam, aut virginitatem publica fuerint declaratione professæ: quod si contra interdicta quis venerit, et in præsenti a communione Ecclesiæ catholicæ habeatur extraneus, et perpetuo anathemate feriatur.

Ex conc. Matisconensi I, *sub Pelagio II, an* 582. — 2. Nullus episcopus, presbyter diaconus, clericus vel quicunque sæcularis in monasteriis puellarum nisi probatæ vitæ et ætatis provectæ, præter utilitatem, aut pro quacunque reparatione monasterii in quacunque earum necessitate habitare, aut secretas collocutiones habere præsumat, ne intra salutatorium aut oratorium ingredi permittantur præcipue Judæi.

Ex conc. Lugdunensi II, *sub Pelagio II, an.* 587. — 3. Puellæ quæ se voluntarie dedicaverint, et intra monasterium puellarum conclusionem elegerint, et se de eodem monasterio quacunque animi levitate aut vilitate corporis, extra captivitatis incursum voluntate sua subtraxerint, etc. quousque in monasterium unde egressæ sunt revertantur a communionis gratia segregentur, viaticum tamen illis miserationis intuitu præbeatur.

Ex conc. Barcinonensi, sub Gregor. I, an. 599. — 4. Si qua virgo propria voluntate, abjecta laicali veste, devotarum more induta, castitatem servare promiserit, vel si qui hominum utriusque sexus pœnitentia benedictionem expetendo a sacerdote perceperint, et ad terrena connubia sponte transierint, aut violenter abstractæ feminæ, a pudicitiæ violatore se sequestrare noluerint, utrique ab ecclesiarum liminibus expulsi, ita ab hominum communione sint separati, ut nulla prorsus ei vel colloquii consolatio sit relicta.

Ex conc. Parisiensi VI, *sub Deusdedit, an.* 615. — 13. De viduabus et puellis quæ sibi vestes in habitu religionis in domibus propriis tam a parentibus, quam per semetipsas mutaverint, et se postea contra statuta Patrum, vel præcepta canonum conjugio crediderint copulandas, tandiu utrique habeantur a communione suspensi, quousque quod

Digitized by Google

illicite perpetraverant emendent, aut si emendare neglexerint, a communione ecclesiastica, vel omnium christianorum convivio in perpetuum sint sequestrati.

Ex conc. Hispalensi II, *sub Bonifacio V, an.* 619. — 11. Monasteria virginum, monachorum administratione ac præsidio gubernentur, etc. ea tamen circa monachos cautela servata, ut remoti ab earum familiaritate, nec usque ad vestibulum habeant accedendi familiarem permissum, sed neque abbati, nec ei qui præficitur, extra eam quæ præest, loqui virginibus Christi aliquid quod ad institutionem morum non pertineat, licebit, neque cum ea sola quæ præest, frequenter eis loqui oportet, sed sub testimonio duarum vel trium sororum, ita ut rara sit accessio, et brevis omnino locutio, etc. Unus monachorum probatissimus eligatur, cujus curæ sit prædiis earum rusticis vel urbanis intendere, fabricas exstruere, et si quid aliud est ad necessitatem monasterii providere, sane is qui ab abbate proponitur judicio sui episcopi comprobetur.

Exconc. Remensi sub Honorio I, an. 630. — 29. Viduas quæ se Domino consecrari petierunt, vel puellas Domino consecratas, nullus neque per auctoritatem regiam, neque qualicunque potestate suffultus, aut propria temeritate rapere aut trahere audeat; quod si utrique consenserint, communione priventur.

Ex conc. Toletano X, *sub Vitaliano, an.* 656. — 5. Omnibus feminis quæ jam in præteritum religionis veste probantur indutæ fuisse, nihil excusationis valeat in oppositionem quælibet objecti, etc. Commoneantur sacerdotis auctoritate ut redeant sponte; quæ si redire noluerint, impulsu sacerdotis ad religionis habitum reducantur, et in monasteriis redactæ, excommunicationis condignæ sententia feriantur.

Ex conc. in Palatio vernis, sub Stephano III, an. 756.—6. Nulla abbatissa duo monasteria præsumat habere, nec extra monasterium licentiam habeat exire, nisi hostilitate cogente, sed dominus rex quando aliquam de ipsis abbatissis ad se venire jusserit, semel in anno per consensum episcopi in cujus parochia est, ut tum ad eum aliqua veniat ex sua jussione, si necessitas fuerit et alibi omnino non debeat, nec per villas, nec per alia loca demorari, nisi tantum quam celerius potuerit ambulare, et reverti, et ante non moveat de suo monasterio, antequam suum missum ad dominum regem mittat, et si jusserit rex venire veniat, similiter nec illæ monachæ extra monasterium exire debeant; quod si aliqua in aliquem lapsum ceciderit, infra monasterium per consilium episcopi pœnitentiam agat, etc. Si tales feminæ velatæ ad præsens ibidem congregatæ inveniuntur, quæ regulariter vivere non velint, nec ad hoc dignæ sunt, ut cum illis aliis habitent, episcopus vel abbatissa prævideat locum aptum, ubi separatim cum custodia in pulsatorio habitare debeant, vel operari manibus quod ipsa abbatissa eis jusserit.

Ex conc. Forojuliensi sub Adriano I, an. 791. — 12. Monasteria puellarum quæ sub disciplina regulæ degunt, obstructius munitis claustris nulla pateant, nisi forte summa compellente necessitate, aditu virorum, sed neque presbyteri vel diacones, vel quilibet de clero, vel etiam archimandritæ quasi visitationis vel prædicationis causa, sine permissu episcopi civitatis, sibi licentiam tribuant ineundi, quin etiam nec episcopus absque sacerdotibus vel clericis suis, ut decet et honeste convenit, adire illuc licentius se existimet, nulla ullo unquam tempore licentia sit abbatissæ vel cuilibet monachæ quasi orationis causa Romam adire, vel alia loca venerabilia circuire.

Ex conc. Turonensi III, *sub Leone III, an.* 813. — 26. In monasteriis puellarum multa inveniri possunt quæ emendatione indigent; nam quædam abbatissarum negligentius quam oporteat vivere dicuntur, et ob hoc eorum vita et conversatio, a multis diffamatur, sed et talium actus subditam familiam imitari velle credendum est, victus etiam et vestimenta, aliaque necessaria quæ jure ab abbatissis præparari debuerant, abstracta sibi eadem conqueritur familia.

27. Juvenes viduæ cito nequaquam velentur, usque dum probetur illarum religio, et bona eis nota conversatio.

28. Virginibus sacrum velamen accipiendum decreta Patrum interdicunt, ante 25 annos, nisi forte aliqua cogente necessitate.

29. Presbyteris, diaconis, cæterisque clericis infra claustra monasteriorum puellarum non sit concessum habitare, neque intrent monasteria, nisi tempore quo missarum solemnia celebranda sunt, vel alia quælibet ecclesiastica officia peragenda, quibus peractis statim egrediantur, ne ibi postea aliquam moram faciant, similiter et aliis hominibus eadem monasteria importune frequentare cupientibus omnis aditus præcludatur.

Ex conc. Cabilonensi II, *sub Leone III, an.* 813. — 52. Monasteriis puellaribus tales præesse debent feminæ et abbatissæ creari, quæ et se et subditum gregem cum magna religione et sanctitate custodire norint, et his quibus præsunt, prodesse non desinant.

53. Libuit huic sacro conventui quasdam admonitiunculas breviter eis sanctimonialibus scribere, quæ se canonicas vocant, quoniam hæ quæ sub monasticæ regulæ norma degunt, totius vitæ suæ ordinem in eadem quam profitentur regulam scriptum habent.

54. Abbatissa diligentem habeat curam de congregatione sibi commissa, et provideat ut in lectione et in officio, et in psalmorum modulatione, ipsæ sanctimoniales strenuæ sint, et illis stipendia tribuat necessaria.

55. Abbatissa cum viris clericis sive laicis, horis incompetentibus non loquatur, sed quidquid cum masculis clericis sive laicis de rebus necessariis peragere debet, a prima hora usque ad vespertinam peragat,

Digitized by Google

et hoc non cum singulis sed coram pluribus.

56. A vespera usque ad primam, neque abbatissa, neque aliqua sanctimonialium cum quibuslibet masculis ullum colloquium habeant, nisi forte talis fuerit occasio quam evitare non possint, et si necessitas incubuerit, id coram testibus facere debebunt.

57. Abbatissa quæ in civitate monasterium habet, nequaquam de monasterio egrediatur, nisi per licentiam episcopi sui, aut qui ejus vicem obtinet, nisi forte aut imperialis jussio eam cogat, aut prolixitas itineris id facere minime permittat, etc.

58. Habeat abbatissa studium aut in ædificando ea quæ ad sanctimonialium necessitatem pertinent, aut in restaurando.

59. Sanctimoniales in monasterio constitutæ habeant studium in legendo, et in cantando, et in psalmorum celebratione sive oratione, et horas canonicas, matutinam videlicet, primam, tertiam, sextam, nonam, vespertinam, completorium pariter celebrent, et omnes, excepta quam infirmitas tenet, in dormitorio dormiant, et omnibus diebus ad collationem veniant.

60. Non debere presbyteros amplius in monasterio puellari immorari, nisi donec missarum solemnia celebrent, aut aliquid ibi de Dei servitio et suo ministerio expleant.

61. Non debere sanctimoniales in propriis mansionibus cum aliquibus masculis clericis sive laicis consanguineis sive extraneis bibere sive comedere, sed si quando id agendum est, in auditorio agatur, et ubi auditorium deest fiat, et cum nullo masculo eis colloquium habere liceat, nisi in auditorio et ibi coram testibus.

62. Sanctimoniales, nisi forte abbatissa sua pro qualibet necessitate incumbente, illas mittente, nequaquam de monasterio egredientur; hæ vero quæ famulos et famulas non habent ad exercenda negotia, ad mediam portam monasterii perveniant, et ibi coram testibus negotium suum exerceant.

63. Nullus vassus abbatissæ, nec minister aliquis, nec clericus nec laicus claustra ancillarum Dei ingrediatur, nisi forte quando necessitas operandi incumbit.

65. Portaria non eligatur, nisi quæ ætate matura sit et testimonium habeat bonum, et vitæ probabilis sit.

66. Quidquid in his capitulis minus est, ab episcopo suo abbatissa perquirat, et illi in omnibus obediens sit.

Ex conc. Parisiensi, sub Gregorio IV, an. 829. — 43. Quædam abbatissæ et cæteræ sanctimoniales non solum viduas, sed etiam virgines puellas velare solitæ sunt, etc. idcirco etenim hujusmodi hoc modo potius quam a sacerdote velari volunt, quia dum clanculo se corrumpunt, nihil sibi obesse tale velamentum putant, hoc ergo ita habetur in usu, ut vix aut viduæ velari a presbyteris aut puellæ virgines consecrari expetant a pontificibus, verum ne deinceps fieri præsumatur, decrevimus, etc. Quod si abbatissa aut alia sanctimonialis hoc præsumat, congrua ab episcopo suo correctione coerceatur, et pœnitentiæ canonicæ usque ad satisfactionem subdatur.

46. Canonici et monachi monasteria sanctimonialium tam monacharum quam canonicarum inconsulto episcopo suo adire non præsumant; quod si sermo prædicationis faciendus est congruo in loco coram omnibus fiat, si vero colloquendum cum aliqua, id non alicubi nisi in constituto loco, id est in auditorio sub testimonio virorum religiosorum, et religiosarum feminarum fiat; quando vero sacerdotibus missarum celebrationes faciendæ sunt, cum ministris sibi deputatis illuc ingrediantur, quibus rite peractis non ad secretas collocutiones sanctimonialium se ullo modo divertant, sed cum ministris suis illico egrediantur; porro si sacerdotibus sanctimoniales peccata sua confiteri voluerint, id non nisi in ecclesia coram sancto altari astantibus haud procul testibus faciant, etc. Episcopis sane idcirco summopere providendum est, ne canonicorum aut monachorum accessus indiscretus in monasteriis puellaribus passim fiat, quia persæpe hac occasione multos utriusque ordinis canonici videlicet et monastici viros, muscipulam diaboli incurrisse cognovimus.

Ex conc. Aquisgranensi, sub Gregorio IV, an. 836. — 13. Admonendæ sunt prælatæ monasteriorum subditas moribus probis atque exemplis præcedant, et de necessariis subditarum victualibus ad proprios usus subtrahere non præsumant.

14. Admonendæ prælatæ sunt ut prævideant, ne in ipsis monasteriis multimodi sint anguli vel talia loca quæ sint tenebrosa, aut certe visui prælatorum occulta in quibus Deus pro sceleribus inibi commissis ad iracundiam provocetur.

Ex conc. Meldensi, sub Sergio II, an. 845. — 70. Ut illæ quæ quasi sanctimoniales velamine religionis degere cognoscuntur, sed potius, juxta Apostolum, in deliciis viventes mortuæ in divinis oculis computantur, libidinibusque et cæteris carnis voluptatibus inservire accusantur, si manifeste detegi potuerint, episcopali auctoritate, et regia potestate in talibus locis residere, sub testimonio religioso cogantur, ubi pœnitentiam si fecerint dignam, assequantur etiam fructuosam; si autem manifeste detegi non valuerint, erga Ecclesiam suæ opinionis malam famam legaliter purgare cogantur, et ut religiosius de cætero vivant, episcopali decreto et regia potestate coerceantur.

Ex conc. Wormatiensi, sub Adriano II, an. 868. — 20. Feminæ quæ sacro velamine sunt consecratæ, si fuerint fornicatæ, velamen deponere non præsumant, sed pœnitentiæ jugo summissæ, submopere decertare festinent, ut ad indulgentiæ et remissionis valeant gratiam pervenire.

Ex conc. Triburiensi, sub Formoso, an. 895. — 23. Si quis sacro velamine, consecratam in conjugium duxerit, et post dicatum Deo propositum, incæsta fœdera sacrilega-

Digitized by Google

que miscuerit, protinus æquum est a sacra communione detrudi, et nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino recipi, si tamen pœnituerint, transeuntibus de sæculo viaticum non negetur, etc. Præcipimus ut omnino separentur, et juramento colligentur, ulterius sub uno non cohabitent tecto, nec familiari frui colloquio, excepto in ecclesia et in publico, aut pariter ullam habere communionem, etc. Si quæ etiam inter se dividenda sint dividantur, et uterque sua provideat.

Ex conc. Nannetensi, sub Formoso, an. 895. — 19. Nulla sanctimonialis virgo vel vidua conventus generales adeat, nisi a principe fuerit evocata, aut ab episcopo suo, nisi forte propriæ necessitatis ratio impulerit, et hoc ipsum cum licentia episcopi sui.

Ex conc. Augustano, sub Joanne XII, an. 952. — 8. Sanctimonialis quæ spontanea voluntate strictiori vitæ proposito se alligare voluerit nulla re obstante, id quod bona intentione disposuerat peragendum ab episcopo impediatur.

Ex conc.. Lateranensi univer. II, *sub Alexand. III, an.* 1179. — 11. Monasteria sanctimonialium si quisquam clericus sine manifesta et necessaria causa frequentare præsumpserit, per episcopum arceatur, et si non destiterit, a beneficio ecclesiastico reddatur immunis.

Ex conc. Lateran. univers. XII, *sub Innocent. III, an.* 1215. — 64. Simoniaca labes adeo plerasque moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, paupertatis prætextu volentes hujusmodi palliare, etc. Quæcunque de cætero talem pravitatem commiserit, tam recipiens quam recepta, sive sit subdita, sive prælata, sine spe restitutionis de suo monasterio expellatur in locum arctioris regulæ ad agendum perpetuam pœnitentiam retrudenda, de his autem quæ ante hoc synodale statutum taliter sunt receptæ, ita duximus providendum, ut remotæ de monasteriis quæ perperam sunt ingressæ, in aliis locis ejusdem ordinis collocentur, quod si propter nimiam multitudinem alibi forte nequiverint commode collocari, ne forte damnabiliter in sæculo evagentur, recipiantur in eodem monasterio dispensative de novo mutatis prioribus locis, et inferioribus assignatis, etc. Hoc etiam circa monachos et alios regulares decernimus observandum.

Ex conc. Oxoniensi, sub Honorio III, an. 1222. — 49. Moniales et cæteræ mulieres divino cultui dedicatæ, velum vel peplum sericum non habeant, nec in velo acus argenteas vel aureas audeant portare, nec ipsæ vel monachi vel canonici regulares zonas sericas auri vel argenti ornamenta habentes, nec de cætero burneta, vel aliquo panno irregulari utantur, metiantur etiam juxta dimensionem corporum vestem suam, ita quod longitudinem corporum non excedat, sed pede decenter superducto sufficiat eis, sola monialis consecrata deferat annulum, et uno solo sit contenta.

55. Ne moniales intra sepia domorum suarum præter necessarios servientes, nec ad cohabitandum mulieres sæculares recipiant, nisi episcopi diœcesani accedat assensus.

56. Ne moniales aliquæ singulariter in refectorio comedant carnes, in quibus non solent communiter carnes comedere.

57. Provideant episcopi quod moniales in omnibus necessariis competenter sustentari possint de bonis monasterii, ne sustineant ultra numerum, aliquam admitti, nec etiam suscipiatur aliqua, quousque redactæ fuerint ad numerum illum, etc. Confiteantur moniales sacerdotibus ab episcopo sibi deputatis, clerici autem vel laici frequentem non habeant accessum ad claustra monialium sine causa rationabili.

Ex conc. Germanico, sub Honorio III, an. 1225.—15. Quicunque pudicitiam sanctimonialium cujuscunque habitus, ausu sacrilego sollicitare præsumpserit, ab officio si clericus fuerit, si laicus a perceptione corporis Domini noverit se suspensum, qui vero sacrilegum carnis commercium cum talibus habuerit, ipso facto excommunicatum se noverit, sanctimonialis vero seu canonissa quæ hujusm. crimen perpetraverit, ulterius ad officium aliquod in monasterio nullatenus admittatur, sed in signum iniquitatis suæ ultima tam in claustro maneat, quam in choro.

Ex conc. Salisburgensi, sub Martino IV, an. 1281. — 9. Volumus ut moniales communiter regularia loca frequentent, et in eodem refectorio communibus cibis utantur, et quod abbatissa ab adventu Domini usque ad octavam Epiphaniæ, et a Septuagesima usque ad octavam Paschæ in dormitorio dormiat, et in refectorio comedat cum eisdem.

Ex conc. Herbipolensi, sub Honorio IV, an. 1287. — 3. Personis ecclesiasticis maxime in dignitatibus et sacris ordinibus constitutis frequentationem claustrorum seu monasteriorum monialium, ac inhonestam collocutionem, vel ludum noxium cum ipsis monialibus in cameris vel publice prohibemus sub pœna excom. hanc circa monialium curam, abbatissas et priorissas volumus adhibere cautelam, ut monialis post 12 aut 15 ætatis suæ annum probatione in monasterio facta, ultra annum, professionis velum cogatur recipere, ac sibi capillos juxta scapulas amputare, eisque sine manifesta vel rationabili causa exitus claustri per eam quæ regit monasterium prohibeatur omnino.

Ex conc. Subinensi, in Hispania sub Joanne XXII, an. 1322. — 12. Prælati in quorum diœcesibus monasteria mulierum consistunt, vel prælati sui ordinis qui jurisdictionem in eis exercent de privilegio vel de jure, certos viros antiquos probatos et honestos omni suspicione carentes, et maxime sui ordinis si habere potuerint deputent, qui circa ipsarum custodiam invigilent diligenter, ne quivis sæculares vel religiosi suspecti ad eas intrent, vel ipsæ exeant ad eosdem, si vero ex aliqua rationabili causa aliquæ bonæ et non suspectæ personæ ad

Digitized by Google

eas intrare debuerint, vel ipsæ exire ad eas, hoc fiat de voluntate expressa illius qui ad custodiam earum fuerit deputatus, de licentia illius qui monasterio illi præest, eis etiam cum dictis personis confabulari non liceat, nisi sub testimonioduarum vel trium sororum, loco convenienti et hora congruenti.

Ex conc. Coloniensi I, *sub Paulo III*, *an.* 1536, *part.* X. — 8 Sint in monasteriis virginum præsertim, præter abbates aut præpositos, alii conscientiarum examinatores; ac confessoribus, at saltem virginibus, liberum sit bis aut ter in anno, aliis quos elegerint probis ac doctis viris, de suorum superiorum consensu, conscientias suas exomologesi exponere. Confessiones autem monialium non privatim audient, sed in cæterarum conspectu.

Ex conc. Colon. II, *sub Paulo III*, *an.* 1549 *medio* III. — 7. Abbatissæ canonissarum, collegiis suis adsint et perpetuo resideant, ac diligenter observent, num omnes in dormitorio communi nocte decumbant, et in habitu ipsas incedant, decenti, ac horas canonicas rite persolvant.

Ex conc. Trevirensi, sub Paulo III, an. 1549. — 11. Moniales nulla ratione vel causa, nisi tanta et talis sit quod omnino notorie excusat, monasteria sua egredi facultatem habeant, sed et tunc nonnisi eam honesto et decenti habitu, et associata egrediantur, idque de expressa licentia episcopi, abbatis, visitatoris, aut ab iis potestatem habentis, quam patri confessori concedi prohibemus : nulli prorsus inhonestæ personæ, nec etiam honestæ, nisi rationabilis et manifesta causa subsit, ac tunc speciali licentia illius ad quem spectat, petita et obtenta, accessus, vel ingressus ad moniales pateat, ne moniales ordinem aliquem professæ confessorem habeant alium quam ejusdem, ordinis et regulæ.

Ex conc. Trident. gener. XVIII, *sub Pio IV*, *an.* 1562, *sess.* 25, *de Regular.* — 5. Episcopi in omnibus monasteriis sibi subjectis, ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicæ, auctoritate clausuram sanctimonialium ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est conservari maxime procurent, inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas, aliasque pœnas quacunque appellatio, ne postposita, compescentes, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis, etc. Nemini autem sanctimonialium liceat post professionem exire a monasterio etiam ad breve tempus quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab episcopo approbanda, etc. Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cujuscunque generis aut conditionis sexus vel ætatis fuerit sine episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicatione ipso facto incurrenda, et quia monasteria monialium extra mœnia urbis vel oppidi constituta, malorum hominum prædæ et aliis facinoribus sine ulla sæpe custodia sunt exposita; curent episcopi et alii superiores, si ita videbitur expedire, ut sanctimoniales ex iis ad nova vel antiqua monasteria intra urbes vel oppida reducantur, invocato etiam auxilio, si opus fuerit, brachii sæcularis

7. Abbatissa et priorissa, et quocunque alio nomine præfecta vel præposita appelletur, eligatur non minor annis 40 et quæ 8 annis post expressam professionem laudabiliter vixerit, quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, in alio ejusdem ordinis eligi possit, si hoc etiam incommodum superiori qui electioni præest videatur, ex iis quæ in eodem monasterio annum 30, excesserint, et 5 saltem annis post professionem recte vixerint, episcopo vel alio superiore consentiente eligatur, duobus vero monasteriis nulla præficiatur, et si qua duo vel plura quocunque modo obtinet cogatur uno excepto intra sex menses cætera resignare, post id vero tempus nisi resignaverit, omnia ipso jure vacent.

9. Monasteria sanctimonialium sanctæ Sedi Apostolicæ, immediate subjecta, ab episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis gubernentur, etc. Quæ vero a deputatis in capitulis generalibus vel ab aliis regularibus reguntur, sub eorum cura et custodia relinquantur.

10. Sanctimoniales saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, et sacrosanctam eucharistiam suscipiant, etc. Præter ordinarium autem confessarium alius extraordinarius ab episcopo et aliis superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat, quod vero sanctissimum Christi corpus intra chorum vel septa monasterii, et non in publica ecclesia conservetur sancta synodus prohibet.

17. Si puella quæ habitum regularem suscipere voluerit major 12 annis fuerit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa vel alia professionem emittat quam exploraverit episcopus, vel eo absente, vel impedito ejus vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus virginis voluntatem diligenter an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat, etc., libere profiteri liceat, cujus professionis tempus, ne episcopus ignoret teneatur præfecta monasterio, eum ante mensem certiorem facere.

18. Anathemati sancta synodus subjicit omnes et singulas personas cujuscunque qualitatis fuerint, tam clericos quam laicos, sæculares vel regulares, si quomodocunque coegerint aliquam virginem vel viduam aut aliam quamcunque mulierem invitam præterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscunque religionis, vel ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi vel profiteri, quoquomodo eidem actui vel præsentiam vel consensum, vel auctoritatem interposuerint, simili anathemati subjicit eos qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquomodo sine justa

Digitized by Google

causa impedierint; eaque omnia quæ ante professione fieri oportet serventur, non solum in monasteriis subjectis episcopo, sed et in aliis quibuscunque.

Ex conc. Mediolanensi 1, *sub Pio IV, an.* 1565, *part.* III. — 3. Monasteria in quibus 12 non sunt quæ professæ velo utantur, quæque eum numerum propriis fructibus aut consuetis eleemosynis alere non possunt, transferre, et cum aliis monasteriis ejusdem aut alterius ordinis unire studeat episcopus, vocatis ad id superioribus regularibus si modo res agatur ejus monasterii, cujus cura ad illos pertineat, etc. Si vero ejusmodi unio minime expedire videatur, eum numerum monialium tempore interire, et ad nihilum redigi sinat, adempta omnino illis monialibus facultate recipiendi novitias, etc.

4. Præfecta monialium ne minor 40 annis eligatur, etc, Vid, *conc. Trid.* 1562, c. 7. Præfecta vicaria et discretæ a capitulo tacitis suffragiis coram superiore, aut ejus ministro eligantur qui extra monasterium ad cancellos sive clathros stet, etc. In quibus monasteriis plures germanæ sorores sunt, si earum una monasterio præficitur, reliquæ sorores neque vicariæ, neque discretæ, neque janitrices fieri, neque scribæ aut celerariæ officio fungi possint, etc. Earum officia ad quæ electæ fuerint sint duorum annorum, aut in quibus ea esset consuetudo ad summum trium. Illis cum perfunctæ fuerint, tantumdem saltem temporis vacent ab officiis, etc. Novitiarum curam sola magistra electa, loco a cæteris monialibus, separato, habeat, etc. Januæ septorum monasterii die clausæ sint una saltem clave, quæ ab antiquiori janitrice custodiatur, nequaquam autem aperiantur nisi duabus janitricibus præsentibus, at noctu duabus clavibus diversis claudantur quarum altera asservetur a præfecta, altera vero ab eadem janitrice antiquiore, etc., præfecta et moniales, bona monasterii alienare, permutare, locare aut contrahere, nullo modo possint, nisi sciente, consentiente, aut præsente earum superiore, aut ejus vicario; si vero aliqua moritur, confessor cum comite quem superior approbarit ingrediatur septa monasterii tunc cum ejus corpus ad sepulturam dandum fuerit.

5. In iis monasteriis in quibus moniales pauciores sint 50, duæ tantum germanæ sorores, aut tres quæ sint unius generis ac familiæ recipi possint, ubi vero plures sunt 50 ibi tres tantummodo sorores aut quatuor ejusdem familiæ recipi liceat, etc. Puella postquam monialium vestem suscepit, amplius e monasterii septis exire non possit, si vero semel exierit, nulla illi in posterum facultas redeundi concedatur, novitiæ causa ante professionem nihil monasterio detur, præter id quod necessarium sit ad victum et vestitum ejus temporis quo fuerit in novitiatu.

6. Præfecta monasterio 30 ante diebus episcopo significet quo tempore novitia professura sit, ut vel ipse vel alius cui ille id negotii dederit novitiæ voluntatem cognoscat, novitia ne examinetur intra septa monasterii, sed extra in publica ejus monasterii ecclesia, etc., nulla renuntiatio bonis a novitia fiat, nisi facultate ab episcopo vel ejus vicario permissa ad duos proximos menses ante professionem fiat, etc. Quo die puella profitetur, vel monialem habitum induit, in foresteriis ædibusque monialium ab ejus propinquis et amicis, convivia ne fiant, neve bellaria dentur.

7. Moniales et velatæ et conversæ præter horas canonicas, aliasque orationes quas ex officio habere debent, quotidie in chorum universæ convenientes nisi necessario impediantur, saltem per horam mentalem orationem adhibeant, semihora videlicet post Matutinum, itemque post Nonam aut Completorium.

8. In omnibus monasteriis quod ad cibum, potum, somnum, cæterasque res attinet omnes communiter vivant, neque ulla sit quæ quidquam possideat, aut adhibeat ut proprium, etiamsi ad necessitatem concessum sit, ter autem in singulos annos præfecta una cum discretis cellas et supellectilem singularum monialium diligenter inquirat et scrutetur, ne ulla quidquam habeat proprii, aut plusquam quantum ei ad suum usum concessum fuerit, quod si quæ proprii aliquid tenere deprehensa fuerit, ea bienno activa et passiva voce privata sit.

9. Curent episcopi, ut ad omnes fenestellas ubi colloquendum sit duo ferrei clathri seu cancelli constituantur, qui saltem palmo distent alter ab altero, inter virgas ferreas, quibus singuli cancelli compacti sunt, non plus omnino quam uncia intersit, intimo vero cancello quo moniales ad colloquendum accedunt, ferrea lamina appingatur quæ moveri nequeat, sitque exiguis foraminibus ad audiendi tantum commoditatem perforata, cui lineus pannus nigri coloris, lineis tabellis affixus instar fenestræ quæ aperiri possit cum erit colloquendum, apponatur. In ea lamina fieri possit quadrata fenestellula 9 tantummodo unciarum, cujus clavis a præfecta custodiatur, neque eam fenestellulam aperire liceat, nisi quo tempore colloquendum sit cum episcopo vel ordinis superioribus, aut cum parentibus et aliis arcta propinquitate conjunctis, aut cum instrumentum aliquod confici, aut sacrum sermonem audiri oporteat, etc. Omnes fenestræ et cancelli, et quicunque locus per quem moniales externam ecclesiam introspicere possint ædificentur, præter fenestram in qua collocata est rota, et fenestellulam ad solum sacrosanctæ eucharistiæ sumendæ usum constitutam, ac illam fenestram per quam corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi a sacerdote celebrante aspicere possint. Regulares viri in posterum ne areas monasteriis monialium proximas ædificandi causa emant, unde monialium aspectus fieri possit, moniales monasteriorum ædificatione vicina regularium virorum ædibus, aut iis locis

Digitized by Google

unde ipsæ ab illis inspici possint prohibemus, etc. Quicunque clericus sive regularis sive sæcularis, cujuscunque ordinis, aut laicus cujuscunque status aut dignitatis, ipsarum monialium septa interdiu vel noctu introire ausus fuerit, præter excommunicationem quam ex concilio Tridentino, ipso jure subit, aliis etiam gravissimis pœnis, habita personæ criminisque ratione puniatur, quo decreto excipimus eos quibus ob necessariam monasterio earum operam et industriam superior septa ingrediendi facultatem quotannis renovandam scripto permiserit, etc. Intra septa monasterii mares et feminæ cujusvis generis nulla de causa pernoctare possint, proposita excommunicatione latæ sententiæ, quam et is qui pernoctari, et præfecta quæ id permiserit subeat, etc. Moniales cum nomine externo omnino colloquantur, nisi is licentiam scriptam et obsignatam a superiore monasterii, aut ab eo quem is suo nomine substituerit, atque in cancellaria episcopali gratis descriptam attulerit, etc. Quibus diebus sumitur sacrosancta eucharistiæ, et quoties dies festi ex præcepto celebrantur tempore etiam Adventus et Quadragesimæ in vigiliis de præcepto, omni denique tempore, cum divina fiunt officia, moniales cum externo nemine colloqui possint, nisi id necessitas ita postulet; nulli moniali fas sit ad quemquam secreto litteras scribere præter episcopum et superiorem, si de aliqua gravi re esset admonendus, neque ad se missas litteras aperire et legere, nisi prius præfecta eas coram vicaria legerit, aut se præsente legi jusserit.

10. Conversis minimum 40 annis natis et superiori probatis facultas sit exeundi septis monasterii, propter negotia monasterio necessaria, etc. Ad funera ne prodeant, aut nisi quæ ordinis sint mendicantium, exeuntes binæ prodeant, neque longius discedant altera ab altera, quam ut se invicem aspicere et audire possint.

11. Puellæ sæculares quæ nunc in clausura monasterii, educationis aliave causa commorantur, post annum e monasterio exire cogantur, nisi omnibus iis præditæ quæ ad suscipiendam religionem requiruntur, monachalem vestem sumere voluerint, etc. In posterum puellæ educationis causa in monasterio ne recipiantur, sine licentia scripto permissa ab episcopo ac superiori regulari, si ei subjectum fuerit monasterium, hæc autem licentia non concedatur puellis quæ habeant a quibus regi et educari commode possint; aut iis quæ decimum annum non compleverint, aut majoribus 15 annis, quæ semel exeunt e monasterio, amplius aut in illud, aut in ullum præterea aliud admitti non possint, nisi cum moniales fieri voluerint, nigri tantummodo, aut fusci vel albi coloris vestes non sericas adhibeant, etc. Cum propinquis aliisve externis ne colloquantur, nisi eisdem servatis quæ de monialibus, eo in genere decreta sunt.

12. Qui monasteriis præsunt doctos prudentes ac pios concionatores adhibeant, quibus saltem in singulos menses ad cancellos collocutionis monialium, vel ad fenestellas ecclesiæ, Dei verbum prædicent, etc. Nemo regularis peccata monialium possit audire, nisi prius e generali capitulo, aut sui ordinis generali, aut eo absente ab ipsius vicario generali, probatus fuerit. Iidem monasterii septa ingredi non possint, nisi id eis a superiore aliqua de causa concessum fuerit, excepta causa administrandi sacramenta ægrotis monialibus, etc. Confessores in monasteriorum locis quos foresterias vocant cibi capiendi causa ne morentur, nisi confessionis tempore, etc. Regularibus qui fratres sint monialium permissu superiorum semel in singulos annos cum sororibus monialibus tantum colloqui liceat, idque præsentibus iis quæ collocutioni præpositæ sunt.

13. In singulis monasteriis ab aliqua moniali, cæteris professis audientibus quotidie legatur saltem caput unum constitutionum regulæ aut ordinis cui ascriptæ sunt.

Ex conc. Mediolanensi III, *sub Gregorio XIII*, *an.* 1573. — 20. Qui ordinarius confessor in aliquo monialium monasterio constitutus aliquando fuerit, ne idem ad earum confessiones extraordinarie audiendas mittatur.

Ex conc. Mediolan. V, *sub Gregorio XIII*, *an.* 1582, *part.* II. — 18. Tempore pestis ne extra clausuræ septa finesve egrediendi facultas, nisi urgente necessariaque causa, monialibus permittatur, si vero aliquando necessitas efflagitat, ut illæ intus visitentur aut inspiciantur, hoc ne a viris fiat sed a feminis honestis curabit episcopus.

Ex conc. Mediolan. VI, *sub Gregor. XIII*, *an.* 1582. — 29. Ne quis clericus laicusve cujuscunque conditionis sexus, ætatisve sit, absque episcopi aut ejus vicarii concessu litteris exarato, ad monialium monasteria quovis prætextu, ac ne eo quidem nomine invisendi alloquendive puellas tantum quæ ibi educantur unquam accedat, etc. Ne quis absque ejusdem episcopi facultate scripta intra septa monasterii monialium ingredi audeat, sub excomunicatione ipso facto incurrenda, a qua nisi a summo Pontifice, absolvi non possit, abbatissæ et priorissæ aliæque moniales quæ ingredi permiserint eamdem excommunicationem incurrant.

Digitized by Google

RESURRECTIO MORTUORUM

[Ex SS. Patribus.]

S. CLEMENT., *epist.* 2 *ad Cor.* — Et nemo vestrum dicat, quod hæc caro non judicatur, neque resurgit. Agnoscite in quo servati estis, in quo visum recepistis; nisi dum in hac carne vivitis. Nos ergo decet, carnem sicut templum Dei custodire. Quemadmodum enim in carne vocati estis, ita in carne venietis. Jesus Christus Dominus qui nos servavit; cum primum esset spiritus, caro factus est, atque sic vocavit nos: ita etiam nos in hac carne mercedem recipiemus. Diligamus igitur nos invicem, ut veniamus omnes in regnum Dei. Donec tempus habemus in quo sanemur, dedamus nos medico Deo, remunerationem ipsi tribuentes. Quam? Pœnitentiam ex sincero corde. Namque præscius omnium est, et quæ in corde nostro versantur, novit. Demus itaque illi laudem, non ab ore solum, sed etiam ex corde; ut nos tanquam Dei filios suscipiat. Etenim Dominus dixit: *Fratres mei sunt ii qui faciunt voluntatem Patris mei.* (*Matth.* XII, 50.)

Ergo, fratres mei, faciamus voluntatem Patris, qui vocavit nos ut vivamus; et persequamur potius virtutem; vitium autem derelinquamus, veluti præcursorem supplicionum nostrorum; et fugiamus impietatem, ne nos mala comprehendant; nam si bene agere studuerimus, consectabitur nos pax. Ob eam siquidem causam non est reperire hominem. Quilibet enim humanis timoribus ductantur, præponentes voluptatem præsentem repromissioni futuræ. Ignorant enim quantum habeat tormentum hujus sæculi usus; et quales habeat delicias futura promissio. Ac quidem si ipsi soli ista facerent, tolerabile esset: jam vero perseverant insontes animas pravis doctrinis imbuere, nescientes quod duplicem habebunt condemnationem, et ipsi, et qui audiunt nos.

Constit. apost. lib. V, t. I. — Ipse nos resuscitabit omnipotens Deus, per Dominum nostrum Jesum Christum, juxta promissionem suam veracem; et nos cum omnibus qui ab initio sæculi obierunt excitabit, tales, quales in præsenti forma existimus, nulla mutilatione vel corruptione affectos; quandoquidem incorrupti resurgemus. Sive enim in mari mortui fuerimus, sive in terra dissipati, sive a bestiis, vel avibus discerpti; suscitabit nos sua potentia, quia totus mundus manu Dei continetur. *Capillus*, inquit, *de capite vestro non peribit.* Quapropter admonet dicens: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* (*Luc.* XXI, 18, 19.) Porro de resurrectione mortuorum, et de martyrum remuneratione Gabriel Danieli dicit: *Et multi de his qui dormierunt ex terræ pulvere, excitabuntur; alii quidem in vitam æternam, alii vero in ignominiam et opprobrium sempiternum. Et qui intellexerunt, refulgebunt sicut sol, et sicut firmamentum ac stellæ.* (*Dan.* XII, 2; *Matth.* XIII, 43.) Refulsuros ergo sanctos instar luminarium cœlestium, prædixit omni sanctitate ornatus Gabriel; quippe quos veritatem intellexisse idem sacer angelus testatus est.

Non solum autem martyrium promisit resurrectionem, sed et omnibus hominibus, justis pariter ac injustis, piis et impiis; ut unusquisque pro meritis exsolvat. *Adducet* enim, inquit, *Deus omnem actionem in judicium, in omni impercepto, sive bonum, sive malum sit.* (*Eccle.* XII, 14.) Hanc resurrectionem non credentes Judæi, olim dicebant: *Arida facta sunt ossa nostra, defecimus.* Quibus Deus respondens, ait: *Ecce ego aperio sepulcra vestra; et educam vos ex eis, et dabo spiritum meum in vobis, et vivetis, et cognoscetis quia ego Dominus locutus sum, et faciam.* (*Ezech.* XXXVII, 11 seq.) Et per Isaiam: *Resurgent*, inquit, *mortui, et expergiscentur qui sunt in monumentis, et lætabuntur qui in terra quiescunt; quia ros tuus sanatio illis est.* (*Ezech.* XXVI, 19.) Multa etiam alia de resurrectione dicta sunt, et de justorum gloria immortali, et de impiorum supplicio, casu, rejectione, damnatione, ignominia, æterno igne, et vermе perpetuo.

Ibid. — Qui Adami corpus ex terra fecit, post interitum corpus primi hominis et reliquorum excitabit; prout id debetur rationali hominum naturæ, animus perpetuo vivere. Qui ergo dissolutionem corporis et animæ infert, idem et resurrectionem operatur; et qui dixit: *Accepit Dominus pulverem de terra, et formavit hominem, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ; et factus est homo in animam viventem* (*Gen.* II, 7); quique post inobedientiam, subjunxit: *Terra es, et in terram redibis* (*Gen.* III, 19): idem et in posterum promisit nobis resurrectionem: *Audient* enim, inquit, *omnes qui in monumentis sunt, vocem Filii Dei; et qui audierint, vivent.* (*Joan.* V, 28.) Præterea credimus resurrectionem fore, vel ob ipsam Domini resurrectionem. Ipse enim est qui Lazarum quatuor dierum mortuum resuscitavit; qui filiam Jairi, filiumque viduæ ad vitam reduxit; qui de mandato patris, in tertia post mortem die excitavit se ipse, arrhabo resurrectionis nostræ: *Ego*, enim inquit, *sum resurrectio et vita.* (*Joan.* XI, 25.) Qui Jonam viventem ac illæsum tertio die eduxit e ventre ceti, et tres pueros ex fornace Babyloniæ (*Jon.* II), et Danielem ex ore leonis (*Dan.* III); is non carebit viribus ad suscitandum nos quoque.

Quod si Græci seu gentiles, nostris Scripturis non creduli, cachinnant; eis fidem faciat vel prophetissa eorum Sibylla, ita illos ad verbum alloquens (in fin libri IV):

Omnia sed postquam in cineres collapsa jacebunt,
Æternusque Deus succensum exstinxerit ignem,
Inque hominem Deus ipse iterum formaverit ossa,
Et cineres, mortalibus ut fuerant renovatis:
Judicium tunc certe erit, in quo jus feret æquum

Digitized by Google

Ipse Deus, mundi judex : ac qui impietate
Peccarint, iterum injecta tellure tegentur;
Contra iterum in mundo vivent pietatis amici,
Sanctis dante Deo vitam, flatum atque favorem.
Se tunc agnoscent omnes, seseque videbunt.

Cum ergo hæc quoque resurrectionem confiteatur, et instaurationem non neget, discernat autem pios ab impiis, temere nostra non credunt.

Constit. Apost. lib. v, t. I. — Isaias Deum deprecans, *Nos*, inquid, *lutum; et tu fictor noster.* (*Isa.* LXIV, 8. Si ergo homo creatura Dei est, per Deum factus; profecto etiam per eum post mortem resurget; ut vel coronetur pro virtutibus, vel puniatur pro delictis. Quod si justitia judicat, ut legislator; quemadmodum punit impios, sic fideles et qui propter eum ab hominibus sunt mactati sanctos, beneficus salvat; partim sicut astra splendidos reddens, partim velut luminaria refulgentes, quod Danieli prolocutus est Gabriel. Igitur fideles omnes, qui Christi sumus discipuli, promissis ejus credimus; nam qui promisit, mentiri non potest. Dicit autem beatus propheta David : *Fideles Dominus in omnibus verbis suis; et sanctus in omnibus operibus suis.* (*Psal.* CXLIV, 13.) Certe qui sibi corpus ex Virgine construxit, is et cæterorum hominum est Conditor; et qui se a mortuis excitavit, idem et omnes in morte jacentes ad vitam eriget. Qui frumentum, etc.

S. EPHREM, *De resurr. mortuorum*, t. III. — *Interr.* Quid sibi vult sermo ille scriptus : *Nihil intulimus in hunc mundum; manifestum quod nec auferre quid possumus?* (*1 Tim.* v.)

Resp. Arbitror hoc quod ait, tale esse : nihil intulimus in mundum, neque efferre quid poterimus; quandoquidem propria Creatoris sunt omnia : nos vero advenæ sumus et peregrini. Quod si quis divitias atque substantiam sub manibus habet, non est proprie Dominus rerum, sed dispensator; eo quod et ipse ab altero tradita sibi bona acceperit; rursusque post ipsum in alterum transferetur sors, opificis arbitratu unde confiteri oportet illius qui dedit gratiam. Hæc igitur scientes sapientes œconomi, ne negligant opus justitiæ, beatitudine illa perfrui volentes. Ait enim Dominus : *Beatus ille servus quem, cum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quia super omnia bona sua constituet eum.* (*Matth.* XXIV.) Dispensavit enim digne sua in judicio, unde in æternum non commovebitur. Dicit namque Spiritus sanctus : *Beatus vir qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur. In memoria æterna erit justus : ab auditione mala non timebit. Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus, donec despiciat inimicos suos. Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum sæculi, cornu ejus exaltabitur in gloria. Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet, desiderium peccatorum peribit.* (*Psal.* III, passim.) Justus autem in memoria æterna erit, et ab auditione mala non timebit, et quæ qualisque est ista auditio mala? Ego eam existimo ejusmodi : *Tollatur impius, ne videat gloriam Domini* (*Isa.* XXVI, 10). Et istud : *Ligate manus et pedes ejus, et projicite inutilem servum in tenebras exteriores.* (*Matth.* XXV, 30.) Et illud : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus.* (*Ibid.*, 41.) Contra vero audiet justus : *Euge, serve bone, et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam : intra in gaudium Domini tui.* (*Ibid*, 21.)

Unde et Dominus largitor omnium bonorum edixit, ne afficiamur hujus vitæ rebus, cum dixit : *Nemo potest duobus dominis servire.* (*Luc.* XVI, 13.) Et, *non potestis Deo servire et mammonæ.* (*Ibid.*) Et, *Nolite thesaurisare vobis super terram, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures perfodiunt, et furantur : ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit.* (*Matth.* VI, 19.) Et rursus ait : *Vendite bona vestra, et date eleemosynam, et facite vobis sacculos non veterascentes, thesaurum reconditum in cœlis.* (*Ibid.*, 20.) Ac iterum : *Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* (*Luc.* XVI, 9.) Qui enim confidunt in propria virtute, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur, ut homines morientur, et sicut unus de principibus cadent : non enim benevolentiam servarunt erga Creatorem. Qui autem sustinuerint Dominum, ipsi hæreditate possidebunt terram. Nam lumen in iis est verbum, et sal, et potentia, juxta hanc Domini vocem : *Vos estis sal terræ.* (*Matth.* V, 13.) Unde et mundus consistit usque adhuc, in se continens sal et luminaria : sunt enim e generatione in generationem inservientes Domino, alioquin non consisteret mundus. *Si enim*, inquit, *sal infatuatum fuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet amplius, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus.* In Sodomis, quoniam nihil hujus partis repertum est, præter unum solum, momento temporis perierunt. Verum ne quandiu quidem justus cum illis fuit, effudit in eos manus omnipotens iracundiam, ne quid mali hic etiam ex illorum societate contraheret.

Quamobrem felix regio, felix civitas, felix generatio, quæ in se multitudinem continet justorum; feliciores autem justi ipsi, per quos mundus salvatur. Beatitudines enim et laudes justis repositæ sunt. Idcirco deponentes actiones ab honestate alienas, imitemur vitæ instituta justorum; ut cum iis hæreditate possideamus laudes, facti lumen et potestas, et civitas magni regis, ut ipse sit nostra gloriatio : *Quia in manu ipsius sunt omnes fines terræ.* (*Psal.* XCIV, 4.) Ipse dat secundum Psalmistam, *nivem sicut lanam; nebulam sicut cinerem spargit; mittit crystallum suam sicut buccellas; ante faciem frigoris ejus quis sustinebit? Emittet verbum suum, et liquefaciet ea : flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.* (*Psal.* CXLVII, 16 et seq.) Tunc terra suscipiens odorem conten-

Digitized by Google

plationis, induitur decorem suum Dei jussu. Et quemadmodum vas gemmatum, et auro intertextum, delectat spectatores; et aves devolantes reddunt sonum dulcem, aeris serenitate se oblectantes; quadrupedia quoque in agris exsultant, quia germinarunt campi solitudinis; et pastores exsultantes, lætantur in donis Domini. Flumina contra asperitatem et immoderatum cursum aquarum, quiete dum feruntur, lætificant aquosa loca, et pisces exsiliunt ad splendorem solis; arbores foliis destitutæ reflorescunt foliis ornatæ, ac fructuum copia. Montes et colles, et valles, omnisque terra reflorescens gloriam Domini prædicant; quod sicut sponsam ornatu mundo ipsam exspolierint. Et nos filii hominum, abjicientes tristitiam hiemis, lætamur, perfruentes aeris temperie et copia fructuum. Faciamus ergo et nos fructus justitiæ Domino acceptos, ut audacter dicere queamus ad Creatorem: *Lætabitur Dominus in operibus suis.* (*Psal.* CIII, 31.) Vere enim lætatur Dominus super facientibus justitiam.

Ne quis igitur inani extollatur prudentia, aut potentia, aut divitiis; hæc enim ut fenum exarescent. At qui gloriatur, glorietur in Domino. Quid majus pretiosiusve apud homines regali diademate? Neque hoc quidem per sæcula remanet in capite hominis, cum ex generatione in generationem transeat a capite in caput. Quid porro habet rex, quod non dedit Deus? Nonne ipse fecit Dominus cœlum et terram, et quæ in eis sunt? Nonne ipse creavit aquam, super quam fundavit terram? Cui igitur imperat rex, quod non dedit Dominus, qui corporibus et armis, atque thesauris dominatur? Sed, cedo, quis hæc fecit? Et quis est qui corpora multiplicat per filiorum procreationem, et rerum necessariarum abundantiam, quibus et ingenium parandi arma existit? Nonne ipse Dominus producens omnia? Quis metalla inquirentibus suppeditat, nisi Dominus? Quis vel solo respectu commovet terram tanquam frondem, aut festucam in aqua natantem? Nonne ipse Dominus? Quanquam et istud in oculis ejus leve sit; cum et in commovenda illa, habitantes in ea turbationem doloremque passuri sint. Quod si porro quæcunque præsto nobis fuerint, aurum, argentum, et vestimentum, servi, et ancillæ pecorum, et boum armenta, equorum et camelorum greges; non oriatur autem sol; pro nihilo putabuntur: sapiens contemptui fuerit, potens languescat, divesque ad inopiam redigatur. Justum igitur confiteri quod nihil hic possideamus, cum Creatoris propria sint universa: nos autem nostram agnoscamus infirmitatem. Quemadmodum enim, dum eorum qui obdormierunt, contuemur ossa aut crania, suspiramus: sic et qui post nos, nostra inspecturi sunt ossa, vultum contrahent: nam ex eodem limo terræ compositi sumus cuncti filii hominum.

Hæc igitur præcognoscentes, fratres dilectissimi in Domino, humiliemus animas nostras sub potenti manu Dei, ut nos exaltet in tempore visitationis. Odio habeamus inanem gloriam, et insolentiam quæ est insipientia. Fugiamus superbiam, huic enim Deus resistit: diligamus autem humilitatem, ut cum mansuefacti simus, doceat Deus vias suas. Quam multi in terris dominati sunt post orbem conditum, et omnes in pulvere dormiunt! et nulla apparet differentia ossium regalium ab ossibus captivi; non, possidentis currum, et equos cum frenis aureis, ab eo qui propriis præcucurrit pedibus; non, vescentis deliciis, ab eo qui in paupertate vixit; non, ejus qui formæ elegantia præcellit, ab eo qui pulchritudinis est expers; non, occisoris ab occiso. Verum cuncti sub terræ cumulo dormiunt, donec sancta resonet tuba, suscitans eos qui a sæculo sunt mortui: ut referat unusquisque quæ in corpore suo gessit, sive bona, sive mala. Res mira, fratres, spectare repente sepulcra aperta ad sonum tubæ, et mortuos resuscitatos universos, qui defuncti sunt ab Adam usque ad horam illam, in momento, et in ictu oculi, omnes pariter resurgentes: angelos circumcursantes cum tuba vocis magnæ, justosque congregantes a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum. Hæc ipsa vox cunctos vivificabit ad unum, et nullus hominum relinquetur. Et hi quidem resurgent in resurrectionem vitæ, hi vero in resurrectionem judicii.

Audientes autem de mortuorum resurrectione, non diffidamus Christo, dilecti fratres: omnia enim sunt possibilia Deo, impossibile autem apud Deum nihil. Et quemadmodum projectos in caminum ignis, et instar sepulcri sub flamma tectos, conservavit illæsos et non solum capillus ipsorum non est combustus, sed ne odor quidem tantæ, atque elatæ flammæ ipsis adhæsit: ita etiam mortui surgentes incorruptibiles, non modo capillus ipsorum non relinquetur, sed ne odor quidem corruptionis invenietur in ipsis, postquam tandiu dormierint. Omnia si quidem Deo sunt possibilia, impossibile vero ipsi nihil. Sed audi quoque Ezechielem prophetam dicentem: *Et facta est super me manus Domini, et eduxit me in spiritu, et posuit me in medio campi, qui erat plenus ossibus humanis. Et circumduxit me per ea in gyrum. Erant autem multa valde super faciem campi, siccaque vehementer. Et dixit ad me: Fili hominis, vaticinare de ossibus istis, et dices eis: Ossa arida, audite Verbum Domini: hæc dicit Dominus ossibus istis. Ecce ego intromittam in vos spiritum vitæ; et dabo super vos nervos, et reducam super vos carnes, et superextendam in vobis cutem, et dabo spiritum meum in vobis, et vivetis, et scietis, quia ego sum Dominus. Et prophetavi sicut præceperat mihi Dominus. Factus est autem sonitus prophetante me, et ecce commotio: et accesserunt ossa ad ossa unumquodque ad compositionem suam. Et ecce super ea nervi et carnes natæ sunt: et ascendit in eis cutis desuper et spiritus non erat in ipsis. Et dixit ad me: Vaticinare, Fili hominis; vaticinare super*

Digitized by Google

Spiritum, et dices ad spiritum : Hæc dicit Dominus Deus : a quatuor ventis veniat spiritus. Et insufflet super interfectos istos, et reviviscant. Et prophetavi sicut præceperat mihi : et ingressus est in ea spiritus, et vixerunt, steteruntque super pedes suos, exercitus grandis nimis valde. Et dixit Dominus ad me : Fili hominis, ossa hæc, universa domus Israel est ; ipsi dicunt : aruerunt ossa nostra, et periit spes nostra, et abscissi sumus. Propterea vaticinare, et dices ad eos : hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris, et introducam vos in terram vestram. Et scietis quia ego Dominus, cum aperuero tumulos vestros, et eduxero vos de sepulcris vestris, populo meus ; et dedero Spiritum meum in vobis, et vixeritis, et introduxero vos in terram vestram ; et scietis quia ego Dominus locutus sum, et faciam, ait Dominus Deus. (*Ezech.* XXXVII, 1-14.)

Unde quoque adveniens Dominus noster, et Deus Jesus Christus, divino suo ore dixit : *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent* (*Joan.* V, 25.) Et rursus : *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei ; et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.*, XXVIII, 29.) Scriptum est enim : *Attende cœlum, et loquar, et audiat terra verba oris mei : Expectetur sicut pluvia doctrina mea, et descendant sicut ros eloquia mea.* (*Deut.* XXXII, 2.) Hic est ros qui oriri facit, et vivificat mortuos. Quemadmodum et alius propheta exclamat, dicens : *Resurgent mortui, et resuscitabuntur qui sunt in monumentis, et lætabuntur qui sunt in terra. Ros enim, qui à te sanatio eis est.* (*Isa.* XXVI, 19.) Omnia siquidem possibilia Deo, impossibile vero ei nihil. Sive enim homines, sive terra, sive pelagi marium, sive abyssi, sive quæ alia creatura, cuncta in manu ejus sunt, et veluti nihil sunt. Fidemque tibi faciat propheta dicens : *Quis mensus est manu aquam, et cœlum palmo, et omnem terram pugno? Quis statuit montes in statera, et saltus in lance?* (*Isa.* XL, 12.) Et iterum ait : *Omnes gentes, ut stillicidium a cado ; et ut momentum lancis reputatæ sunt, et tanquam oliva reputabitur. At Libanus non satis est ad combustionem sacrificiorum ; et omnes pecudes non sunt satis ad fructum sacrificiorum reddendum, omnesque gentes quasi nihil sunt et pro nihilo habentur.* (*Isa.*, XV, 18.) Habacuc autem : *Domine, audivi auditionem tuam, et timui : Domine, consideravi opera tua, et expavi.* (*Habac.* III, 20.) Scriptum est enim : *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba : canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti ; et nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem corruptum hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria. ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus? Ubi victoria tua, inferne?* (*I Cor.* XV, 52-55.)

Itaque nequaquam fleat pauper, nequaquam infletur dives, nequaquam tristetur infirmus, et nequaquam extollatur potens : non doleat servus, neque glorietur dominus. Omnes namque e terra et in terram dissolvens corpus, quoadusque venerit Dominus qui vivificabit corpora nostra. Glorientur vero justi et lætentur in Domino. Beati enim cuncti, qui tunc digni fuerint inventi benedicta illa voce : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* (*Matth.* XXV, 34.) Persistite igitur qui operamini justitiam, labores pro veritate Dei tolerantes. Etenim labores hujus momentaneæ vitæ, multam vobis præbebunt fiduciam in futurum : et angustia præsentis vitæ vobis erit profutura in requiem, exaltationem et gloriam ; et qui nunc est fletus, fiet vobis in consolationem et refrigerium. Scriptum est enim : *Beati omnes qui immanent in ipso : quia populus sanctus habitabit in Sion.* (*Isa.* XXX, 18.) Tunc rursus fiet quod scriptum est : *Ecce servi me lætabuntur, et vos confundemini ; ecce servi mei exsultabunt in lætitia ; vos autem clamabitis præ dolore cordis vestri, et præ contritione spiritus ululabitis. Et dimittetis oculos vestros, in saturitatem electis meis. Et interficiet vos Dominus Deus. Et servos suos vocabit nomine novo, quod benedicetur super terram. Et rursus dicit : Obliviscentur enim angustiarum suarum priorum, et non ascendent super cor eorum. Erit enim cœlum novum et terra nova, et non erunt in memoria priora, et non ascendent ipsis super cor ; sed gaudium, et exsultationem in iis invenient.* (*Isa.* LXV, 14-18.)

Ego vero peccator mecum cogitans, cujusmodi bona reposita sint justis, qualisque furor ante denuntiatus sit peccatoribus, meipsum despicio ; et cum non sim mihi boni alicujus operis conscius, hanc ad te qui bonus es et redemptor, vocem emitto : Deus, propitius esto mihi peccatori : Ille siquidem publicanus cum me præstantior atque perfectior esset, in pedes stans, deorsum aspiciebat, et pectus percutiens, supplicabat : ego vero peccatis eum superans, in terram super faciem cadens, frontemque in pavimentum concutiens, clamo ad te misericordem, et immaculatum, atque tremendum : Deus, propitius esto mihi peccatori, et indigno : non sit mihi in judicium, quod audeam nefaria mea lingua, impurisque labiis meis nominare sanctum tuum nomen, et superexaltatum in sæcula. Verum sit mihi invocatio nominis tui, Domine, in illuminationem, et sanctificationem carnis et spiritus. Unguentorum odor ascendens, odore complet domum : quanto magis memoria tua, Domine, dulcior melle et favo, implet animam sanctificatione et illuminatione, iis qui in cognitione te Salvatorem requirunt? Da mihi desiderium in salutari tuo, Domine, tanquam terræ sitienti et exspectanti pluviam :

Digitized by Google

ut faciam fructum ante mortem, et non confundar in die tribulationis. Miserere omnium nostrum, quia bonus es. Gratias agimus bonitati tuæ, Domine, quod dignaris nos licet indignos servire nomini sancto tuo, et manus extendere ad te Patrem universorum.

Libera nos ab omni operatione satanica, et da gloriam sancto nomini tuo, Domine; concede nobis, ut inveniamur sicut terra pulchra et bona, ut cum susceperimus semen tuum, fructificemus in centuplo, et sexacuplo, et tricecuplo. Da nobis, Domine, ut digne mercemur in tuo argento, quæ apud nos deposuisti, ut mannam decies multiplicantes, offeramus tibi fructum justitiæ, et digni reddamur habere potestatem super decem civitates. Da nobis, Domine, alacritatem vigilandi ad tuum occursum, ut habeamus lumbos mentis succinctos, et spiritales lucernas animæ inexstinguibiles, te exspectantes Deum nostrum, et Salvatorem Jesum Christum. Dignare nos, Domine, raptu justorum, quando in nubibus occurrent tibi universorum Domino: ut non experiamur amarum et inevitabile illud judicium. Dissipa, Domine, intolerandum peccatorum nostrorum onus ante mortem, ut non impedimento nobis sit in hora judicii, trahatque in ignem inexstinguibilem, extra conventum justorum. Justitia ala est celerrima, justos e terra in cœlum elevans. Gratia tua, Domine, fortitudo nobis fiat, et assumat nos in nubibus cum justis, et electis in aera, in occursum tibi regi universorum; ut nos sancti angeli cum gaudio suscipiant et hilari facie, et adoremus, sicut oportet, coram throno gloriæ sanctæ tuæ, Domine: et cum viderimus gloriam ineffabilem, gaudio magno repleti clamemus: Gloria induenti humiles et corruptibiles, gloria et incorruptione. Gloria donanti mortalibus immortalitatem. Gloria ei qui ex ore leonis et destructionis inimici liberavit nos, quique nos in supercœleste regnum suum vindicavit. Hæc radix est omnium bonorum: hic lumen est inenarrabile: hic nox non insequitur: hic gaudium ineffabile, quod a dolore aut alio quopiam non destruitur. Hic incorruptibilitas corruptioni non est subjecta: hic vita a morte non dissolvitur. Revera nunc aufugi dolor, et tristitia ac gemitus: ex hoc cum Domino semper erimus. Hæ justorum sunt voces atque sanctorum, et ascetarum atque electorum, in ipsius præsentia omniumque eorum qui per pœnitentiam complacuerunt Domino. Vigilemus igitur et nos, dilecti, et attendamus nobis ipsis; ut cum justis mansionem habeamus, et gaudeat cor nostrum, et gaudium nostrum nemo tollat a nobis, laudantes ac benedicentes, adorantesque sanctam et immaculatam ac consubstantialem Trinitatem in sæcula. Amen.

S. Ephrem, *De resurr. mortuorum*, t. III. — Cum Ethnicis sentis, et dicis mortuorum resurrectionem non esse. O os abominandum et Deo inimicum, per quod diabolus loquitur, et mendax et mendacii auctor. O os mendax, aut verius sepulcrum patens! ex maligno thesauro cordis malignum afferens, et dicens, quod mortuorum resurrectio non sit. Quomodo non tremuisti hoc tuum indoctum os aperire, et contumeliis Christum afficere, primogenitum mortuorum? Quomodo non dehiscit terra, et absorbet te vivum? Quomodo non percussit te angelus, qui resurrectionem prædicavit, dixitque mulieribus: quia surrexit Christus ex mortuis primitiæ dormientium? Ubi te statuemus? cum gentilibus aut cum Christianis? quem te appellabimus? paganum an Christianum? Sed absit a me, te sic sentientem Christianum nuncupare; qui enim ita sentiunt, Christiani dici non debent. Si vero et se Christianos appellant ipsi se seducunt: non enim pars ipsorum erit cum Christo vero Deo nostro, qui nobis donavit resurrectionem; sed in gehenna illorum portio erit, ubi vermis eorum non moritur, et ignis ipsorum non exstinguitur. Qui enim resurrectionem non sperat nec credit, melius esset ipsi, quod natus non esset.

Quid te igitur nunc dixero, qui ita mentem obscuratam habes? Quem te appellem? Sadducæumne, an Judæum, an Samaritanum? an utrumque? An potius Sadducæum aut Samaritanum? Nam etiam hi negant resurrectionem, et tu quibuscum pars tua erit, nisi resipiscas. Cujusmodi tenebræ tuos obtexerunt oculos? Quæ obstinatio tuum cor occupavit? Quomodo te rapuit lupus ex ovili Christi? Quomodo depravator separavit te ab orthodoxa fide? Qualis doctor cordi tuo inseruit hujusmodi blasphemiam, teque a catholica avulsit Ecclesia? quo pacto audes, miser, contueri cœlum? et Christum abs te violatum invocare? Qua fiducia, miser, teipsum Christianum nuncupas? Christum sprevisti, Spiritum sanctum contumelia affecisti. Quomodo manifestabis te sanctis apostolis, et prophetis, miser: qui quidem annuntiarunt nobis resurrectionem, et in omnes fines terræ? Quomodo igitur ingredi audebis Ecclesiam, ubi Isaias propheta exclamat, dicens: *Resurgent mortui, et expergiscentur qui in monumentis sunt?* (*Isa.*, XXVI, 19.) Qua, inquam, fronte ingredieris in aulam Christi ubi sancti libere nobis resurrectionem annuntiant, prophetæ prædicant, apostoli tradunt, evangelistæ nuntiant? Cujusmodi oculos spectabis sanctissimum, et immaculatum corpus Domini nostri Jesu Christi qui mortem destruxit, et diabolum conculcavit, et tertia die resurrexit, et vitam atque resurrectionem mundo donavit? Quod quidem cuncti fideles participantes in fide clamant: *Exspecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi sæculi.*

Ibi Paulus orator pietatis, disciplina sacrorum imbuit fideles, dicens: Ecce mysterium vobis dico: *Omnes quidem non obdormiemus, sed omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in novissima tuba. Canet enim tuba, et mortui resurgent incorru-*

Digitized by Google

pti. (*I Cor.* xv, 52) Et rursus reprehendens, et confundens negantes esse mortuorum resurrectionem, adjungit, dicens : *Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit : si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides nostra : inveniemur autem et falsi testes Dei qui prædicavit resurrectionem in fines orbis.* (*Ibid.*, 13-15.) Et denuo idem Paulus quemadmodum tales derideat atque subsannet, ait : *Si omnino mortui non resurgunt, manducemus et bibamus : cras enim moriemur.* (*Ibid.*, 32.) Quod si omnino, ut tu dicis, miser, mortui non resurgunt ; cur baptisaris ? Quamobrem immaculata participas mysteria ? Hoc vero nosce quod quamdiu ita sentis, non in peccatorum remissionem participas ; sed in judicium, et condemnationem, et in augmentum peccatorum. Si enim, ut dicis indigne, mortui non resurgunt : quamobrem te jejuniis, vigiliis, et orationibus maceras ? Quorsum virginitas ? quorsum certamina cum lacrymis ? si omnino, demens, mortui non resurgunt ; omnia scripta tam in Veteri quam in Novo Testamento falsa sunt, sicut dicis : et martyres decepti sunt, tradentes propria corpora tam multis tormentis ob futuram vitam, et omnes sancti.

Vides, miser, quot quantosque sanctos, mendaces scelesto et impuro illo tuo ore feceris ; neque solum sanctos, sed et ipsum omnium sanctorum Dominum ? Quid ages, miser, quoniam omnium sanctorum inimicum te fecisti, et a Christo alienum, sicut et reliqui illi qui spem non habent ? Quem deinceps invocabis ? Ad quem confugies ? Inimicum enim te et Deo et sanctis reddidisti. Non te pudet ingredi Ecclesiam Dei, in qua Paulus clamat dicens : *Quoniam ipse Dominus, in jussione, in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo. et qui mortui sunt in Domino, resurgent primum : deinde nos qui vivimus, qui residui sumus, una cum ipsis rapiemur in nubibus in occursum Domini, in aera, et sic semper cum Domino erimus.* (*I Thess.* iv, 15.) Cujusmodi manibus suscipies pretiosum corpus Dei, et admovebis impuro et blasphemo tuo ori, quod ipsum Dominum violavit ? Desiste posthac, o miser, desiste ab hac gravi blasphemia, desine contumeliis afficere sanctos, et Deum negare, Deoque contradicere, et ea quæ non decet effutire. *Qui enim resistit potestati Dei, ordinationi resistit*, ut inquit Apostolus. (*Rom.* xiii. 2.) Quid igitur illi eveniet, qui Deo ipsi resistit ? Qui terreni regis mandatum non suscipit, non retinetur in vita : qualia ergo supplicia apprehendent non obedientem mandato regis cœlestis, hoc est, immaculato ejus Evangelio ? Quomodo patitur clementissimus Deus, et est longanimis ? quomodo sustinet, et non e vestigio obstruit talium impiorum ora ? quomodo terra suum non aperit os, et similes absorbet vivos ? Dominus dicit : Resuscitabuntur mortui ; et tu dicis : Resurrectio mortuorum non est ? Verbo Domini ex non subsistentibus ad esse producta sint omnia, cœlestia atque terrestria, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive archangeli, sive principatus, sive potestates. Cuncta per ipsum, et in ipso condita sunt, portatque universa verbo virtutis suæ, sicut scriptum est : Cœli verbo ejus firmati sunt, et terra super aquas firmata est ; cœlestia ac terrestria, et quæ subtus terram sunt, et omnes abyssi, verbo ejus obediunt, et cum tremore auscultant ; et tu non credis ? Væ qui judicatur ab eo, qui illum finxit.

Time, o homo : durum est tibi contra stimulum calcitrare : convertere ad Dominum, homo : et noli esse incredulus. Qui enim fidem non habet filio, non aspiciet vitam ; sed ira Dei manet super ipsum. Non igitur sis incredulus ; sed crede, ut cum fidelibus connumereris, Crede in Dominum nostrum Jesum Christum, doctorem omnis boni ; et audi ipsum dicentem : *Amen, amen dico vobis ; quia venit hora, quando mortui audient vocem filii hominis, et qui audierint vivent.* (*Joan.* v, 25.) Et rursus ait : *Cum venerit filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super thronum majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes* (*Matth.* xxv, 31), a mortuis videlicet resuscitatæ. Audi iterum Dominum ipsum dicentem : *Cum enim a mortuis resurrexerint, neque generabunt neque generabuntur neque nubent, neque nubentur* (*Matth.* xxii, 30) neque enim ultra mori poterunt : *Sed sunt sicut angeli Dei in cœlis.* (*Ibid.*)

Annon sufficiunt ista ? Num persuasimus nobis, ut a blasphemia discedamus ? Nemo igitur sit, qui non credat resurrectionem mortuorum. Quis Deo fidelior testis ? Ipse Deus testatur ; nemo maneat incredulus, sed omnes simul una voce acclamemus : credimus in Dominum, ipsumque adoramus, dicentes : Adoro et credo videre resurrectionem mortuorum et vitam venturi sæculi : cernitis, quomodo convertitur quis retrorsum ? Omnis qui sentit talia, Christum exuit. Quod si quæ in verbis, hujusmodi sunt ; quæ in rebus, cujusmodi erunt ? Quæ si velimus in medium adducere, et omnia enarrare ; universum mihi tempus non suffecerit ad cunctas absurdas explicandas insolentias, quibus recte depositis atque abjectis, iterum male implicamur : et quæ recte obliti eramus, rursus male in memoriam revocamus, conversi retrorsum ; rursus eadem assumpsimus opera impiorum hominum, habitus, et negotia, et verba, et actiones : quæ quidem pudor foret revelare, et in medium afferre.

O improbum dæmonem ! O honestatis inimicum et hominum et immundum spiritum ! Quomodo unumquemque fraudulenter supplantat, ac fallit, et nequiter persuadet ? Clamat Dominus per prophetas, et per apostolos, et per Evangelia, et ex multis pauci attendunt. Vocat diabolus per citharas, per tripudia, et cantilenas dæmoniacas, et multitudinem congregat. Humani generis amator invitat quoscunque, et dicit : *Venite ad me, omnes ;* et nemo est, qui obediat, nemo qui studiose contendat : hominum hostis diabolus exhor-

Digitized by Google

tatur, et omnes accurrunt. Si quando autem prædicari contigerit jejunium, aut vigilias, cuncti consternantur ac deplorant, et veluti mortui redduntur. At si quando denuntientur, prandia, aut cœnæ, aut citharæ, aut cantilenæ dæmoniacæ; omnes hilares fiunt, ad cursum agiles, vigiles, et se invicem convocant, simulque ad malum cursum concurrunt, et malum certamen decertant, non amplius honeste, sicut decet Christianos, sed sicut ethnici; non amplius ut Dei ministri, sed ut servi et fugitivi; et frequenter per totos dies, laborantes propter ventrem, totamque noctem insomnem ducunt in perditionem animarum suarum, ludentes, et illusi, aliudve nihil ex labore et vigiliis lucri facientes sibi, præter væ: quemadmodum ait Dominus: *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis.* (*Luc.* VI, 24.) Nam qui hic noluerint modicum lugere, ibi plorabunt in omnem æternitatem. Nemo vos seducat, fratres; non Christianorum hæc sunt, sed infidelium gentium, sicut dixit Dominus: Ne distrahamini; hæc enim cuncta gentes mundi faciunt, quibus non est spes salutis, neque desiderium æternorum bonorum. Nobis autem dictum est: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis autem diligit mundum, non est charitas Patris in eo: quia omne, quod est in mundo, aut concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est; et mundus transit, et concupiscentia ejus. *Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.* (*I Joan.* II, 17.)

Nostis, fratres, quod quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Quomodo igitur Christum induti, diabolo inservitis? Nescitis imaginem et gloriam Dei vos esse? Quo pacto ergo imaginem Dei ferentes, eam non honoratis: verum inhonoratis ipsam rebus gentilium? O quibus quantisque bonis privamur per has ipsas res! Jussus es, frater, ab Apostolo, omnia in gloriam Dei facere; tu vero rebus ethnicis diabolum oblectas; hominum autem amatorem Deum ignominia afficis. Admoneris, ut assidue ores; tu autem assidue distraheris. Jussus es mundanas abnegare concupiscentias: mandatum a Domino accepisti, ne in altum extollaris; tu vero ad hæc non attendis, sed auditum avertis; postea vero felle acerbius reperies, acutumque magis gladio ancipite. Talis enim est peccati natura: delectat parum, cruciat multum; delectat ad tempus, cruciat in perpetuum. Vultis ut planum faciam vobis idololatriam esse in lusibus positam! Audi quid dicat Apostolus: *Nolite fieri idololatræ, sicut scriptum est: sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* (*I Cor.* X, 7.) Vide igitur, ne dum ludere appetis, et quisque metet, inveniaris cum idololatris. Unusquisque enim proprium onus portabit, et quisque metet quod seminavit. Vide, ne hic seminaveris spinas, risus, distractiones: et ibi metas lacrymas atque suspiria.

Multa habeo dicere; sed nequeo in præsentia cuncta referre. Hoc autem norit quisque, quod definitus certusque Deo statutus sit dies, quo judicabit mundum; verum longanimis est, nolens quemquam perire, sed omnes ad pœnitentiam venire. Veniet autem dies Domini, quo cœli conflagrantes solventur, uti scriptum est: et omnes velimus nolimus, ibi congregandi sumus, statuendi ad tribunal Christi. Ubi etiam angeli cum timore adstant. Ubi aperientur libri, quos nunc legentes, et audientes, non suscipimus: hos illic videbimus, dum aperientur atque legentur, et condemnabunt nos, sicut ait Apostolus: *In die qua judicabit Deus secreta hominum, secundum Evangelium meum.* (*Rom.* II, 16.) Et Dominus dicit: *Sermo quem locutus sum, ille judicabit mundum in novissimo die.* (*Joan.* XII, 48.) Videte quoniam secundum Evangelia sumus judicandi in die illa. Attendite diligenter quæ scripta sunt, et non despexeritis. Væ contumelia afficientibus Scripturas sacras. Multi namque sunt vaniloqui, seipsos decipientes, qui, si quando de judicio et supplicio audierint, deridentes dicunt: nunquid ego melior sum toto mundo? Ubi universus mundus, et ego. Præ toto mundo quid mihi accidere debet? Fruar interea hujus sæculi bonis, et sicut totus mundus, et ego. Tandem completo vitæ suæ termino, venit missus angelus severus, ipsius animam repetens, dicensque: Completa est tua via in hac vita: veni igitur ad alium mundum, veni ad proprium locum. Deinde relinquent illum oblectamenta vitæ hujus, quibus existimabat se perpetue fruiturum, et abit, tractus ab angelis malis in locum supplicii: quem aspiciens, contremiscet, verberabitque manibus faciem suam, et circumspiciens huc illucque effugere volens, non enim reperit ibi aufugiendi modum: nam detinetur arcte constrictus ab iis qui eum adducunt ad tormenta.

Tunc dicunt ei angeli qui ipsum tenent: Quid contremiscis, infelix? quid turbaris? quid dolore angeris? quid vereris, miser? quid, miser, extimescis? Tu tibi ipse hunc locum præparasti: tu jam mete, quod seminasti. Audiebas de formidabilibus tormentis et deridens dicebas: Ubi mundus totus, et ego. Et nunc quid tremis? Non es solus, ne fleas: ubi totus mundus, et tu. Deinde ingressus in locum illum volens nolens, acriterque tortus, incipit miserabiles emittere voces, et obsecrare eos qui in judicio ipsum sistunt, ut vel exiguam impetrent relaxationem. Et respondent ei: quid clamas? Nunquid tu melior es mundo? Ubi totus mundus, et tu, sicut ipse audiebas. Tuncque ex profundo cordis suspiria ducens, ait: Et quid mihi profuit universus mundus? Væ mihi, quia deceptus sum illusus! Justum est judicium Dei. Nunc cognovi ego miser, quoniam quod seminaverit homo, hoc et metet. Et quod ligaverit onus, hoc et portabit. Væ mihi, quia audivi et non suscepi! Quod decertantes vidi, et vigilantes, ac jejunantes, misericordiæque opera exercentes; et cunctos maledictis incessebam, et

Digitized by Google

irridebam ! Quot ego spectabam gementes, et flentes, et omnes illudebam ! Væ mihi, quia illusus sum ! Utilius mihi fuisset centum ibi annos luxisse atque plorasse, et jejunasse, ac potius lapides mandere, quam venire in hunc locum tormenti. Quis mihi dabit tempus pœnitentiæ trium dierum in illo sæculo, quod male consumpsi miser? Verum panegyris atque celebritas jam soluta est, et non est amplius pœnitentiæ tempus. Hæc et similia dicturi sunt in tormentis, qui sacras hic Scripturas subsannant. Timeamus igitur minas illorum suppliciorum, desinamusque inhonorare Deum, quem decet omnis gloria in sæcula sæculorum. Amen.

S. Chrysost., hom. 5 *in Epist. ad Col.*, c. II, t. II —Vultis in iis quæ cernuntur deducamus orationem ? In iis quæ jam evenerunt? Die mihi quomodo bellua Jonam habebat in ventre, et non peribat ? Annon id est expers rationis? Annon temere movetur ? Quomodo justo pepercit ? Quomodo calor non eum suffocavit ? Quomodo non putrefecit ? Nam si in profundo solum esse, periculosum est, esse etiam in visceribus, et in illo calore, longe periculosius. Quomodo illinc spirabat aerem ? Quomodo duobus animantibus sufficiebat respiratio ? Quomodo autem eum evomuit illæsum ? Quomodo et loquebatur ? Quomodo et apud se erat, et precabatur ? Annon sunt hæc incredibilia, si ratione exquiramus? Sin autem fide, valde credibilia. Dicam et quod est hoc amplius. Frumentum in sinu terræ corrumpitur et resurgit. Vide miracula contraria, et quæ alterum ab altero vincuntur. Est mirandum quod non putruerint. Est mirandum quod putrefacta resurrexerint.

Ubi sunt qui non credunt resurrectioni, et dicunt : Hoc os quomodo huic conglutinatur? Et ejusmodi fabulosa introducunt. Dic mihi : Elias quomodo ascendit in curru ignis? Ignis solet urere, non sursum tollere. Quomodo vivit tantum tempus ? in quo est loco ? Quare hoc factum est ? Quo autem translatus est Enoch ? Eone cibo vescitur quo nos ? Et quid vetat quominus sit hic? At non vescitur ? Et cur fuit translatus ? Vide Deum paulatim nos erudientem. Transtulit Enoch : hoc non est magnum. Hoc nos rursus docuit in Eliæ in altum evectione. Rursum inclusit Noe in arca. Neque hoc est ita magnum. Hoc nos docuit in prophetæ inclusione in ceto. Sic vetera quoque præcursoribus opus habuerunt et figuris. Sicut enim in scalis primus gradus transmittit ad secundum; ita hic quoque. Et vide signa signorum ; et videbis hoc in scala quam vidit Jacob. Superius quidem firmus et stabilis stabat Dominus : inferius autem angeli ascendebant et descendebant. Prophetice nuntiabatur quod Filium haberet Pater : oportebat hoc credi. Undenam vis ostendam signa ? ab alto infra, ab imo supra? Ostendendum erat quod gignat impatibiliter; propterea genuit primum sterilis. Imo vero ab alto petitum ducamus sermonem. Credi oportebat quod ex ipso. Quid ergo ? Hoc fit, sed obscure, utpote in umbra et figura ; sed fit : et procedendo fit quodammodo manifestius. Ex homine solo est mulier, et ille manet integer. Rursus conceptionis ex virgine oportebat esse aliquod signum. Parit sterilis, non semel, sed bis et ter, et sæpe. Generationis ergo ex virgine sterilis fuit quidem typus, et illa mentem transmittit ad fidem, hoc rursus fuit typus quod solus Deus, possit gignere. Si enim quod est præstantius homo, etiam absque eo paritur, multo magis generatur ex eo quod est illo præstantius.

Est alia quoque generatio typus veritatis ; nempe nostra ex spiritu. Hujus rursus typus est sterilis, quoniam non ex sanguinibus. Ipsa vero supernæ generationis typus est. Atque illa quidem ostendit ejus impatibilitatem; hæc vero ex solo posse generari. Est Christus superne in omnes dominatum obtinens. Oportebat hoc credi. Fit hoc in terra in homine. *Faciamus hominem*, inquit, *ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26.), ut brutis omnibus imperet. Ita non verbis, sed rebus etiam nos docuit. Naturæ separationem significabat paradisus, et omnium optimum et præstantissimum esse hominem. Christus erat resurrecturus : vide jam quot signa ; Enoch, Elias, Jonas, quæ facta sunt in fornace, quæ tempore Noe facta est inundatio, semina, plantæ, nostra et omnium animalium generatio. Nam quoniam in hoc omnia periclitabantur, hoc maxime omnium multas habuit figuras. Quod omnia non sine providentia gerantur, ex iis quoque quæ apud nos fiunt potest conjici. Nullum enim eorum sine providentia manet. Sed et greges, alia omnia opus habent ut regantur. Et quod casu non facta sint omnia, ostendit gehenna ; ostendit etiam diluvium quod fuit tempore Noe, ignis, demersio Ægyptiorum, quæ facta sunt in deserto. Oportebat et baptismum multa præcedere; facta sunt illa quæcunque in aqua, atque alia innumerabilia, ut quæ facta sunt in veteri, quæ in piscina ; quod qui sanus non erat mundaretur, ipsum diluvium, baptisma Joannis. Oportebat credi quod filium suum tradat Deus : hoc prius fecit homo. Quis ille? Abraham patriarcha. Horum ergo omnium typos si velimus inveniemus, si quæramus in Scriptura. Sed ne defatigemur, verum in his nos componamus. Firmam et stabilem habeamus fidem : exactam et accuratam ostendamus vitæ nostræ institutionem; ut cum per omnia Deo gratias egerimus, promissis etiam iis qui diligunt eum dignemur bonis, gratia et bonitate Domini nostri Jesu Christi.

Idem, *De resurrectione*, t. II. — *Ingemiscimus gravati eo quod nolumus exui, sed superindui desiderantes.* (*II Cor.* III, 4.) — Hoc est non carnem volumus deponere, sed corruptionem ; non corpus, sed mortem. Aliud est corpus, aliud mors ; et aliud corpus, aliud corruptio ; neque corpus corruptio, neque corruptio est corpus, et corruptibile quidem corpus est, non autem corruptio corpus ; item corpus mortale est, sed non mors est. Nam corpus opus est Dei,

Digitized by Google

corruptio autem et mors a peccato invectæ sunt. Igitur ait: Id quod alienum est exuere volo, non quod proprium; alienum autem est, non corpus, sed corruptio. Et propter hoc ait, *eo quod nolumus exui:* hoc est, auferri corpus, sed superindui in corpore incorruptionem. Corpus medio se modo habet inter corruptionem et incorruptionem. Exuit igitur corruptionem, et induit incorruptionem: abjicit quod accepit a peccato, et possidet quod dedit Dei gratia. Ut discas quod exuere, non de corpore dicit, sed de corruptione et morte, audi ea quæ mox subjiciuntur. Nam postquam dixit, *Nolumus exui, sed superindui:* non dixit, ut absorbeatur corpus ab incorporeitate, sed quid? *Ut absorbeatur mortalitas a vita*, hoc est, ut evanescat, ut aboleatur: ita abolitionem non corporis vocat, sed corruptionis et mortis. Adveniens enim vita non corpus abolet et absumit, sed mortem et corruptionem quæ illud invaserant. Gemitus ergo ille non propter corpus est, sed propter corruptionem quæ illi inest. Etenim corpus grave est et onerosum, ac molestum; non secundum suam naturam, sed secundum mortalitatem, quæ postea illi supervenit: verumtamen corpus non est corruptibile, sed incorruptibile et immortale. Tanta quippe ipsius est nobilitas, ut in ipsa corruptione suam dignitatem ostenderit. Nam apostolorum umbræ incorporeas expulerunt virtutes: item cinis et pulvis eorum dæmones vicit, et amicula, quæ illorum adhæserant corporibus morbos fugarunt, sanitatemque contulerunt.

Nihil ergo mihi de phlegmate, et bili, et sudore, et sordibus, atque aliis dixeris, quæ corporis accusatores narrant: neque enim ex natura corporis hæc fuerunt, sed a posteriore corruptione invecta sunt. Nam si ejus virtutem addiscere voles, considera membrorum omnium formationem, figuram, operationes, mutuamque concordiam; et accuratius quavis civitate dispositam optimis legibus gubernata, quæ nonnisi sapientes cives habeat, videbis diligentem membrorum inter se administrationem. Sin sursum deorsum, obiterque hæc prætercurris, et objicis solam corruptibilitatem et mortalitatem, ne sic quidem deerit nobis responsio. Nam quod hinc humano generi non solum nihil damni, sed etiam plurimum commodi accesserit, inde liquet: Sancti enim omnes in corpore viventes angelicum exhibuere vivendi genus, nullumque hinc ipsis ad virtutis cursum accidit detrimentum. Iis vero qui ad impietatem propensi erant, non parum impedimento fuit corporis corruptio, ne longius per iniquitatem suam progrederentur. Cur enim homines nonnulli etiam mortali et patibili hoc corpusculo circumdati, æquales se Deo esse sibi visi sint, et ob hoc tanta se gloria observari curaverint: quos non ex stolidioribus decepissent, si non passioni corruptionique obnoxium corpus, utpote certum infirmitatis suæ indicium sortiti fuissent?

Quia ergo corpus obstat impietati, quæ summa est malitia, et in sanctis efficit, ut animæ fortitudinem declarent: quam veniam consequentur ii qui ipsum accusant, et malum clamant? Non enim hæc solum nobis de illo dicenda suppetunt; sed etiam quod hinc nobis ad Dei notitiam patet via. Si enim invisibilia ejus, a conditione mundi in facturis considerata conspiciuntur, et fides ex auditu est: satis manifestum, quod per oculos et aures manuducitur anima, ut agnoscat Deum qui illam fecit. Idcirco istuc ipsum Paulus amat et clamat, ac dicit: *Nolumus illud exui, sed superindui ipsi immortalitatem.* (*II Cor.* v, 2.) Neque vero mihi illud objicias, quo possit modo resurgere corpus, fierique corruptionis immune? Cum enim Dei potentia operatur, illud quomodo non est addendum. Sed quid de Deo loquor? Te ipsum fecit Deus, ut resurrectionis esses opifex, id quod patet in seminibus, artibus, materiisque metallorum. Etenim semina nisi prius moriantur, et putrescant et corrumpantur, non pariunt spicam. Sicut igitur qui vides ibi granum quod corrumpitur et dissolvitur, non dubitas de resurrectione, sed certissimam demonstrationem facis; etenim si ita maneret, et non corrumperetur, vel dissolveretur, certum quod nunquam resurgeret: sic cogita et de corpore tuo, cum vides corruptionem, tunc potissimum de resurrectione philosophare. Nam mors nihil aliud est quam plena corruptionis consumptio. Neque enim mors simpliciter corpus, sed corruptionem corporis absumit. Hoc etiam in metallorum materiis vides evenire. Terram enim aureis ramentis plenam accipiunt ejus artis periti, et in conflatorium mittentes, faciunt aurum: et ex arena aliaque materia purum vitrum conficiunt.

Jam si tantum potest ignis vis, cur, quæso, non et divina gratia? Et quis mentis compos hæc diceret? Cogita quomodo te a principio fecit, nec erit quod de resurrectione ambigas. Nonne terram accepit, et formavit? Tametsi quid operosius, an formari e terra carnem et venas, et cutem, et ossa, et fibras, et nervos, et arterias, et instrumentalia, et simplicia corpora, oculos, aures, nares, pedes, manus, et ubique horum tam propriam, quam communem inde operationem, an corruptibilia facta, efficere incorruptibilia? Annon vides quomodo uniformis quidem terra, corpus autem multiforme et varium, nempe in operationibus, coloribus, figuratione, essentiis et aliis omnibus? Dic igitur quid ita de futuris dubitas? Et quid opus est dicere de corporibus? Quomodo, quæso, fecit virtutes immensas, turmas cœlestes angelorum et archangelorum, superioraque his agmina? Dic, oro, modum quo fecit. Hic nihil dicere aliud possum, quam quod sola voluntas ad hæc sufficerit. Ergone qui tot incorporeos formavit exercitus, hominis corpus corruptum renovare iterum, et in majorem provehere dignitatem nequit? Et quis sic insensatus est, qui de his dubitet, et resurrectionem fore inficias eat?

Digitized by Google

Ad hæc, si non resurgit corpus, non resurgit homo. Homo enim non est anima sola, sed corpus et anima. Si ergo anima sola resurget, dimidium animal resurget, et ita non integrum. Alias vero de anima non proprie dicitur resurrectio. Resurrectio enim ejus est quod cecidit, et quod dissolutum est : anima autem non dissolvitur, sed corpus. Quid ergo id est, quod ait : *Siquidem et induti, non nudi inveniamur?* Sacramentum magnum et ineffabile nobis ibi adumbratur. Quale autem hoc? Nempe id quod et in epistola ad Corinthios dicit : *Omnes quidem resurgemus, unusquisque autem in suo ordine.* (*I Cor.* xv, 23.) Quid autem est, quod hic dicitur? Hoc videlicet, quod Græcus et Judæus, et hæreticus, et omnis homo, qui venit in hunc mundum, in illo die resurget : et hoc ipsum declarat, dicens : *Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur, in momento, in ictu oculi in novissima tuba.* (*I Cor.* xv, 51.)

Quia ergo communis est omnibus resurrectio, et piis et impiis, et malis et bonis hominibus, ut ne ideo putes injustum quoddam fieri judicium, neque dicas apud te ipsum, quidnam hoc est? Ego qui multo studio et labore et in miseria vixi, resurgo, et Græcus et impius, et idololatra, et qui ignorat Christum, etiam ipse resurgit, et simili honore mecum fruitur? Ut ne talia dicens conturberis, audi quid dicit : *Siquidem induti, non nudi inveniamur.* (*II Cor.* v, 3.) Et quomodo dicit eum, qui indutus est incorruptionem et immortalitatem, inveniri nudum? Videlicet si gloria privamur, et fiducia ad Deum destituimur. Etenim peccatorum quoque corpora incorruptibilia resurgunt, et immortalia : sed hic honor fomentum et viaticum ipsis erit suppliciorum et ultionis : incorruptibilia enim resurgunt, ut semper urantur. Nam cum ille ignis sit inexstinguibilis, opus est illis corporibus, quæ et ipsa nunquam consumantur. Eapropter dicit : *Siquidem et induti, non nudi inveniamur.* Non enim hoc solum est quod quæritur, ut resurgamus et immortalitatem induamus : sed ut, cum resurrexerimus, indutique fuerimus immortalitatem, non inveniamur nudi a gloria, fiduciaque erga Deum, neve igni illi tradamur, et ob hoc dicit : *Siquidem et induti, non nudi inveniamur.* Post hæc iterum fide digniorem de resurrectione sermonem reddit : et cum dixit futurum ut absorbeatur mortale hoc a vita, adjecit : *Qui autem nos fecit ad hoc ipsum Deus* (*Ibid.*) ; ac si diceret : A principio propter hoc hominem formavit, inquit, non ut pereat, sed ut ad incorruptionem pergat. Ita ut quando mortem permisit, hoc ipsam consilio permiserit, ut supplicio prudentior factus et melior, possis denuo ad immortalitatem reduci.

Ratum atque firmum hoc consilium, et hæc sententia ab initio apud Deum, atque hac ratione primum hominem formavit, idque statim nobis ex proœmiis ipsis subindicavit. Nisi enim voluisset ab initio nobis resurrectionis januas aperire, non permisisset Abelem omni virtute præditum, factumque sibi amicum, quæ passus est pati. Nunc autem nobis ut demonstraret, quod ad aliam vitam pergimus, et aliud quoddam sæculum justis relictum est, in quo coronas et retributiones sibi repositas accipiant : permisit ut is qui primum hic juste vixerat, laborum suorum mercedes hic non acciperet ; sed hinc abiens, clamaret per ea quæ hic passus est, et ad omnes diceret : Post hanc vitam est aliqua, et merces et remuneratio. Propterea etiam Enoch transtulit, et Eliam per eos adumbrans dogma resurrectionis. Sufficit igitur ad argumentorum copiam sola Conditoris potentia ; at si quis est infirmior, et aliam insuper demonstrationem habere vult, et pignus futuræ resurrectionis, etiam idipsum nobis Deus magna liberalitate et copia dedit, spiritus scilicet gratiam. Quocirca cum Paulus de resurrectione fide dignum sermonem habuisset, ex Christi resurrectione, eo quod Deus ejus auctor esset, adducit et hoc dictum : Et arrhabonem nobis dedit, non auri nec argenti, sed arrhabonem spiritus. Arrhabo autem pars est totius, et de toto fidem facit. Nam sicut in conviviis, qui acceperit arrhabonem, fidem habet, et securus est de toto reliquo : ita et tu cum acceperis arrhabonem, spiritus dona, inquam, non jam dubitare debes de cæteris bonis tibi repositis. Qui enim excitasti mortuos, qui curas cæcos, dæmones expellis, leprosos mundas, morbos emendas, mortem solvis, et tot tantaque potes facere in fragili et in mortali corpore, quam assequeris veniam, de resurrectione dubitans? Si enim cum nondum resurrectionis tempus advenit, sed cum adhuc certatur, tantas tribuit tibi coronas Deus, cogita, quanta præmiorum tempore bona tibi daturus sit.

At si quis dicat, sed non videmus hæc signa nunc fieri, neque nobis tanta virtus concredita est, illud responderim nihil differre, sive nunc, sive olim hæc facta sint. Nam quæ prius ab apostolis sunt facta, testantur per omnem orbem Ecclesiæ, et populi, et civitates, et gentes, quæ ad idiotas ac piscatores recurrerunt. Neque enim toti orbi prævaluissent illiterati, et inopes, et pauperes, et viles, nisi miraculis adjuti. Verum nec tu gratiæ spiritus factus es expers : sed etiamnum multa manent donationis illius symbola, atque iis, quæ enumerata sunt, multo majora, et magis admiranda. Non enim æquale est, corpus mortuum suscitare, et animam a peccatis occisam ab interitu liberare, quod per baptismum fit. Non æquale est pellere morbum carnis, et abjicere pondus peccatorum. Non est æquale oculum cæcatum restituere, et animam obtenebratam illustrare. Nisi enim nunc etiam esset arrhabo spiritus, neque baptisma adhibitum esset, neque peccatorum remissio, neque justitia et sanctificatio facta esset : neque adoptionem filiorum Dei accepissemus, neque percepissemus mysteria : corpus enim et sanguis mysticus non fiunt absque Spiritus gratia : neque sacer-

Digitized by Google

dotes habuissemus; neque enim has ordinationes, sine tali descensu fieri est possibile. Sed multa alia possemus dicere gratiæ spiritus symbola. Itaque etiam tu spiritus arrhabonem habes, et mortem animæ pellis, cæcitatemque cogitationum, et vitam exuisti immundam. Ne igitur dubitemus de futuris, præsertim cum talia acceperimus pignora : sed undequaque de resurrectione sermonem solidum colligentes ; vitam tanti dogmatis dignam exhibeamus, ut et assequamur hic bona immobilia, quæ sermonem ac mentem humanam transcendunt.

S. Chrys., *in quatriduanum Lazarum*, t. II. — Cum jam instaret passionis tempus, et jam proximum esset ut crux defigeretur, Lazarum mortuum suscitat, ut opere discipulos doceat, non infirmitatis esse passionem et crucem; ut præsentibus fidem faciat, se et morti imperare, et terrenis vinculis solutam animam revocare. Atque secundum aliquem scopum spontaneam mortem suam proponit, forteque in Lazaro suam post triduum resurrectionem prius describit, ac de brevissimo illo tempore sub terra versaturus erat, imbecilles animo consolatur; atque in crucis limine discipulorum metum opportune solvit, docetque illam, quam alteri impertit gratiam, sibi ipsi facile procuraturum esse : ipsisque operibus dubios animi commonefacit, rebus gestis vocem quodammodo adaptans, ipsoque facto sic prope loquens : assumptam humanitatem divina operatione vacuam nunquam reliqui; verum nunc ut homo, nunc ut Deus, cum naturam subindicans, tum œconomiæ fidem faciens, docensque humiliora ad humanitatem, sublimiora vero ad divinitatem referenda esse, atque per inæqualem hanc operum temperationem, inæqualem naturarum unionem interpretans, ac per potestatem in passiones voluntarias esse passiones meas declarans; ut Deus per jejunium et inediam quadraginta dierum naturam refrenavi; sed postea ut homo defatigatus esurivi. Utique ut Deus efferatum mare sedavi; ut homo a diabolo tentatus sum; ut Deus dæmonas expuli; ut homo pro hominibus sum passurus. Verum ne suspicemini id per infirmitatem accidere, priusquam mors adveniat, a morte detentum ad vitam revoco : ac postquam divinitatis vim operationemque declaravi, tunc humanitatis antiquum debitum depono; postquam vincula solvi, tunc vinculis alligor, atque rebus ipsis demonstro, me potestatem habere ponendi animam meam, et potestatem habere iterum sumendi eam.

Hæc est Servatoris doctrina ipsis operibus exhibita. Nisi enim hoc esset, ac nisi quadam ratione suum in Lazaro miraculum concinnasset, nequaquam nuntiata sibi, dum iter ageret, Lazari infirmitate; *miserunt* enim, ait, *sorores ejus ad Dominum, dicentes : ecce quem amas infirmatur* (*Joan.* xi, 3) nequaquam sane post nuntium hujusmodi cunctatus esset; sed quemadmodum erga centurionem et syrophœnissam se gessit, cum illius absentis filium, et hujus pariter absentis filiam sanavit; sic et erga Marthan fratris morbum indicantem se gessisset. Nunc vero de industria donec moriatur expectat, fit mora longior, et ex providentia adventum suum differt, ut victoriam de morte reportatam vel ante mortis certamen ostendat : tribusque diebus moratur, ut mortis veritas palam fiat; Judæis vero præsentibus aperiri sepulcrum jubet, ut testes miraculi redderet eos qui se pellebant. Per orationem autem et Patris invocationem Lazarum suscitat, ne videretur Creatoris legibus repugnare. Ac vide mihi rem plane stupendam : non dixit : Lazare, revivisce; sed quid? *Lazare, veni foras* (*Joan.* xi, 43); ut doceret præsentes, ipsum esse qui vocat ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt; ut ostenderet præsentibus, ipsum esse Deum vivorum et non mortuorum; ut demonstraret divinum præceptum a nullo posse obice tardari, simulque præsentibus in memoriam revocaret eum qui dicebat : *Fiat firmamentum. Congregentur aquæ in collectionem unam. Germinet terra herbam feni. Educant aquæ reptilia animarum viventium.* (*Gen.* i, 6, 9, 11, 20.) *Lazare, veni foras :* et hoc ad majorem et firmiorem concurrentium fidem; ut habitus et fasciæ mortem testificarentur, atque obedientia sine mora metusque a nullo cohibitus Dominicam auctoritatem prædicarent. *Lazare, veni foras :* et solutus erigebatur, et putridus sentiebat, mortuus obediebat, vinctus currebat, qui deflebatur saltabat. Cum clamore nunc utitur Servator? Ait quippe evangelista : *Hæc cum dixisset, voce magna clamavit : Lazare, veni foras.* Forte per clamorem futuram resurrectionem subindicavit. Nam *tuba canet*, inquit, *et mortui resurgent.* (*I Cor.* xv, 52.)

S. August., tract. 49, *in Joan.* ii, t. III, part. ii. — *Mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur.* (*I Cor.* xv, 52.) Ideo credimus et carnis resurrectionem; non tantum quia reparatur anima, quæ nunc propter carnales affectiones caro nominatur; sed hæc etiam visibilis caro quæ naturaliter est caro, cujus nomen anima non propter naturam, sed propter affectiones carnales accepit : hæc ergo visibilis, quæ proprie dicitur caro, sine dubitatione credenda est resurgere. Videtur enim Paulus apostolus eum tanquam digito ostendere, cum dicit, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem. Ibid.* 53.) Cum enim dicit, *hoc*, in eam quasi digitum intendit. Quod autem visibile est, id potest digito ostendi : quoniam posset etiam anima corruptibilis dici; nam vitiis morum ipsa corrumpitur. *Et mortale hoc induere immortalitatem*, cum legitur, eadem significatur visibilis caro, quia in eam identidem velut digitus intenditur. Potest enim et anima sicut corruptibilis propter morum vitia, ita etiam mortalis dici. *Mors* quippe *animæ est apostatare a Deo.* (*Eccli.* x, 14.) Quod primum ejus peccatum in paradiso sacris litteris continetur.

Idem, *De fide et symbolo*, t. VI. — Resurget igitur corpus secundum Christianam fidem, quæ fallere non potest. Quod cui vi-

Digitized by Google

detur incredibile, qualis nunc sit caro attendit, qualis autem futura sit non considerat : quia illo tempore immutationis angelicæ non jam caro erit et sanguis, sed tantum corpus. Cum enim de carne Apostolus loqueretur, *Alia*, inquit, *caro pecorum, alia volucrum, alia piscium, alia serpentum; et corpora cœlestia, et corpora terrestria.* (*I Cor.* xv, 39.) Non enim dixit : Et caro cœlestis ; dixit autem : *et cœlestia et terrestria corpora.* Omnis enim caro etiam corpus est, non autem omne corpus etiam caro est : primo in istis terrestribus, quoniam lignum corpus est, sed non caro; hominis autem vel pecoris et corpus et caro est : in cœlestibus vero nulla caro, sed corpora simplicia et lucida, quæ appellat Apostolus spiritalia ; nonnulli autem vocant ætherea. Et ideo non carnis resurrectioni contradicit illud quod ait : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* (*Ibid.* 50.) Sed quale futurum sit quod nunc caro et sanguis est, prædicat. In qualem naturam quisquis hanc carnem converti posse non credit, gradibus ducendus est ad fidem. Si enim ab eo quæras utrum terra in aquam possit converti ; propter vicinitatem non ei videtur incredibile. Rursum si quæras utrum aqua possit in aerem ; neque hoc absurdum esse respondet, vicina enim sunt sibi. Et de aere si quæratur, utrum in æthereum corpus, id est cœleste, possit mutari jam ipsa vicinitas persuadet.

Quod ergo per hos gradus fieri posse concedit, ut terra in corpus æthereum convertatur, cur non, accedente Dei voluntate, qua corpus humanum supra aquas potuit ambulare, celerrime id fieri posse, quemadmodum dictum est : *In ictu oculi* (*Ibid.*, 52), sine ullis talibus gradibus credit, sicut plerumque fumus in flammam mira celeritate convertitur ? Caro enim nostra utique ex terra est : Philosophi autem, quorum argumentis sæpius resurrectioni carnis resistitur, quibus asserunt nullum esse posse terrenum corpus in cœlo, quodlibet corpus in omne corpus converti et mutari posse concedunt. Qua corporis resurrectione facta, a temporis conditione liberati, æterna vita, ineffabili charitate atque stabilitate sine corruptione perfruemur. Tunc enim fiet illud quod scriptum est : *Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, aculeus tuus? Ubi est, mors, contentio tua?* (*Ibid.*, 54.) Hæc est fides quæ, paucis verbis tenenda, in symbolo novellis Christianis datur. Quæ pauca verba fidelibus nota sunt, ut credendo subjugentur Deo, subjugati recte vivant, recte vivendo cor mundent, corde mundato quod credunt intelligant.

S. Aug., tract. 49, *in Joan.* II, t. III, part. II. — Inter omnia miracula quæ fecit Dominus noster Jesus Christus, Lazari resurrectio præcipue prædicatur. Sed si attendamus quis fecerit, delectari debemus potius quam mirari. Ille suscitavit hominem qui fecit hominem : ipse enim est unicus Patris per quem, sicut nostis, facta sunt omnia; si ergo per illum facta sunt omnia, quid mirum est si resurrexit unus per illum, cum tot quotidie pascantur per illum ? Plus est homines creare quam resuscitare. Dignatus est tamen et creare et resuscitare: creare omnes, resuscitare quosdam. Nam cum multa fecisset Dominus Jesus, non omnia scripta sunt ; sicut idem ipse sanctus Joannes evangelista testatur, multa Dominum Christum et dixisse et fecisse, quæ scripta non sunt : electa sunt autem quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur. Audisti enim quia Dominus Jesus mortuum suscitavit ; sufficit tibi ut scias quia, si vellet, omnes mortuos suscitaret. Et hoc quidem sibi ad finem sæculi reservavit. Nam quem audistis magno miraculo quatriduanum mortuum suscitasse de sepulcro, veniet hora, sicut ipse ait, quando omnes qui sunt in monumentis, audient vocem ejus, et procedent. Resuscitavit putentem, sed tamen in cadavere putente adhuc erat forma membrorum ; ille, in novissimo die, ad unam vocem cineres est restituturus in carnem. Sed oportebat ut modo aliqua faceret, quibus datis velut suæ virtutis indiciis, credamus in eum, et ad illam resurrectionem præparemur, quæ erit ad vitam, non ad judicium. Ita quippe ait: Veniet hora, quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus : et procedent qui bene fecerunt ad resurrectionem vitæ, qui male egerunt ad resurrectionem judicii.

Tres tamen mortuos a Domino resuscitatos in Evangelio legimus, et forte non frustra. Domini quippe facta non sunt tantummodo facta, sed signa. Si ergo signa sunt, præter id quod mira sunt, aliquid profecto significant : quorum factorum significationem invenire, aliquanto est operosius, quam ea legere vel audire. Admirantes audiebamus, tanquam magni miraculi spectaculo ante oculos nostros constituto, cum Evangelium legeretur, quemadmodum revixerit Lazarus. Si attendamus mirabiliora opera Christi, omnis qui credit, resurgit : si attendamus omnes, et intelligamus detestabiliores mortes, omnis qui peccat moritur. Sed mortem carnis omnis homo timet, mortem animæ pauci. Pro morte carnis quæ sine dubio quandoque ventura est, curant omnes ne veniat. Inde est quod laborant : laborat ne moriatur homo moriturus, et non laborat ne peccet homo in æternum victurus. Et cum laborat ne moriatur sine causa laborat ; id enim agit ut multum mors differatur, non ut evadatur : si autem peccare nolit, non laborabit, et vivet in æternum.

O si possemus excitare homines, et cum ipsis pariter excitari ut tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sunt homines amatores vitæ fugientis ! Quid non facit homo sub mortis periculo constitutus ? Gladio impendente cervicibus, prodiderunt homines quidquid sibi unde viverent, reservabant. Quis non continuo prodidit ne percuteretur ? Et post proditionem, for-

Digitized by Google

tasse percussus est. Quis non ut viveret, continuo perdere voluit unde viveret, eligens vitam mendicantem quam celerem mortem? Cui dictum est: Naviga, ne moriaris; et distulit? Cui dictum est: Labora, ne moriaris; et piger fuit? Levia Deus jubet, ut in æternum vivamus: et obedire negligimus. Non tibi Deus dicit: Perde quidquid habes, ut vivas exiguo tempore in labore sollicitus; sed, Da pauperi unde habes, ut vivas semper sine labore securus. Accusant nos amatores vitæ temporalis, quam nec cum volunt, nec quandiu volunt habent: et nos invicem non accusamus, tam pigri, tam tepidi ad capessendam vitam æternam, quam si voluerimus habebimus, cum habuerimus non amittemus: hanc autem mortem quam timemus, etiamsi noluerimus, habebimus. Si ergo Dominus magna sua gratia, et ad calmagna sua misericordia animas suscitat, ne moriamur in æternum; bene intelligimus tres illos mortuos quos in corporibus suscitavit, aliquid significare et figurare de resurrectionibus animarum quæ fiunt per fidem; resuscitavit filiam archisynagogi adhuc in domo jacentem, resuscitavit juvenem filium viduæ extra portas civitatis elatum, resuscitavit Lazarum sepultum quatriduanum: intueatur quisque animam suam; si peccat, moritur; peccatum mors est animæ.

[Ex conciliis.]

Symbolum fidei a Leone IX propositum Petro episcopo. — Credo sanctam, catholicam et apostolicam, unam esse veram Ecclesiam, in qua unus datur baptismus et vera omnium remissio peccatorum. Credo etiam *verum resurrectionem ejusdem carnis, quam nunc gesto, et vitam æternam.*

REUS, IN REGEM REX, POTESTAS REGIA

[Ex SS. Patribus.]

Constit. apost., lib. v, tom. I. — Omnibus regibus ac principibus, in rebus quæ placent Deo, subjecti estote, tanquam ministris Dei, et punitoribus impiorum: exhibete illis omnem debitum timorem, omne vectigal, omne tributum, omnem honorem, collationem, censum. Hoc enim est Dei mandatum, nemini quidquam debere, nisi amicitiæ tesseram, quam Deus per Christum constituit.

Canon. apost., can. 75, t. I. — Quicunque contumelia affecerit regem, vel magistratum, præter jus, pœnas luat, et si quidem clericus est, deponatur; si vero laicus, segregetur.

Philo Jud., lib. II *De vita Mosis.* — Regis officium est jubere quæ oportet fieri, et vetare a quibus abstineri decet. Cæterum jussio faciendorum et interdictio cavendorum, proprie ad legem pertinet. Atque ita consequitur ut rex animata lex sit, lex vero sit rex justissimus. Quisquis autem est rex simul et legislator, debet non solum humani, verum etiam divini juris peritus esse. Nec enim sine divina Providentia regnum bene administratur, et ex subditorum utilitate. Quamobrem talis vir (Moses) pontificatu opus habuit, ut obeundo perfecta sacra juxta perfectam divini cultus scientiam, mala deprecando averteret, rerum vero bonarum copiam sibi subditisque impetraret, annuente votis Deo propitio. Quomodo enim non faceret rata vota, qui est suapte natura placabilis, et germanos cultores sui numinis ornare solet privilegiis? Sed quoniam innumera vel regi, vel legislatori, vel pontifici humana divinaque sunt incognita, nimirum nato mortali etiamsi alioqui felicissimo, necessario prophetia quoque adjungitur, ut quidquid ratio non percipit, suppleatur divinitus: quo enim mens non potest pertingere, eo prophetia pervenit.

S. Theophil. Antioc., *Ad Autolycum*, lib. I, cem Oper. S. Justini. — Regem colam, non tamen eum adorans, sed preces pro eo fundens. Verum autem et vere existentem Deum adoro, cum regem ab eo factum sciam. Dices igitur mihi: Cur regem non adoras? Quia non ideo rex factus est ut adoretur, sed ut legitimo honore observetur. Neque enim Deus est, sed homo a Deo constitutus, non ut adoretur, sed ut juste judicet. Est enim quodammodo administratio ei a Deo commissa; ac ipse quidem quos sub se præfectos habet, reges vocari non patitur. Est enim rex ipsius nomen, quo nomine alium vocari non licet: ita nec adorari nisi solum Deum. Itaque in omnibus, o homo, errore duceris. Regem igitur cole, sed eum diligendo cole, eique parendo, et orando pro eo. Hoc enim si facies, voluntatem Dei exsequeris, ita enim præcipit lex divina: *Honora, fili mi, Deum et regem, nec eis inobediens sis. Subito enim ulciscentur inimicos suos* (*Prov.* XXIV, 21, 22.)

S. Clemens. Alex., *Stromat.*, lib. I, tom. I. — Regii officii una quidem species est divina, ut quæ sit secundum Deum et sanctum ejus Filium, a quibus cum quæ ex terra bona sunt, et quæ externa, tum etiam perfecta felicitas suppeditatur. *Petite* enim, inquit, *magna, et parva vobis adjicientur.* (*Luc.* XII, 31.) Secunda est autem regni species, post eam administrationem quæ rationalis pure est ac divina, irascibili animæ parte solum in regnando utitur: qua Hercules quidem Argivorum, Alexander vero rex fuit Macedonum. Tertia est, quæ unum solum concupiscit, nempe ut vincat et evertat: in malum autem vel bonum finem victoria uti, ei minime inest: qua quidem usi sunt Persæ, cum bellum gererent adversus Græciam. Nam irascibilis appetitus alias quidem prorsus est contentiosus, qui imperium quærit solius dominationis gratia: alias vero boni studiosus, quo anima ad id quod bonum est et honestum, utitur. Quarta autem regnandi species est omnium

Digitized by Google

pessima quæ, prout fert libido, ordinatur : quale fuit regnum Sardanapali, et eorum qui hunc finem sibi proponunt, ut quamplurimum indulgeant suis cupiditatibus.

Regnandi autem scientiæ, tam quæ virtute vincit, quam quæ vi, instrumentum est ordinandi scientia. Ea vero pro objecti sui diversitate varia est. Nam arma quidem et pugnacia animalia, ope cum animatorum, tum etiam inanimatorum, anima et mens ordinat : animæ autem affectus, in quas ope virtutis imperium obtinemus, ordinat ratio, ut quæ continentiam et temperantiam cum sanctitate, et bonam cognitionem cum veritate obsignet, omnia demum ad pietatem Deique cultum referens; sic enim virtute utentibus prudentia est, quæ res ordinat : ac divinas quidem, sapientia : humanas vero, politica : universas autem, scientia regnandi. Rex itaque is est, qui imperat secundum leges et præditus est scientia imperandi volentibus : cujusmodi est Dominus qui eos, qui in ipsum credunt, admittit. Omnia enim tradidit Deus, et omnia Christo subjecit, Regi nostro, *ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confiteatur quod Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* (*Philip.* II, 10, 11.)

S. Basil., *Hom. in Prov.*, t. II. — Multum conducit ut monita suscipiantur, regem esse eum qui sermonem conscribit. Etenim si regnum dominium est legitimum, perspicuum est documenta a rege data (qui scilicet hoc nomine vere dignus sit) æquitatis multum et juris habere; cum ad communem omnium utilitatem spectent, non ad privatæ utilitatis scopum referantur. Nam tyrannus a rege in hoc differt, quod ille commodum suum undecunque attendit; hic vero subditorum consulit utilitati.

S. Gregorius Naz., orat. 17, t. I. — Imperatores, purpuram vereamini; nam sermo noster legislatoribus quoque leges statuet, etc.

Idem, *ibid.* — Cum Christo imperium geris, cum Christo munus hoc administras. Ab illo gladium accepisti, non tam ut eo utaris, quam ut mineris ac terreas. Quare tibi videndum est, ut illum, tanquam donarium quoddam purum et integrum, ei qui dedit serves. Imago Dei es : verum Dei quoque imagini imperas; quæ quidem hic certa dispensatione gubernatur, ad aliam autem vitam migrat, ad quam omnes quoque concedemus, posteaquam in hoc vitæ carcere, vel stadio, vel præsignatione, vel adumbratione, aliquantisper luserimus. Flectat te naturæ cognatio; moveat te exemplar tuum; ad Deum te adjunge, non ad acerbum tyrannum. *Ille homicida erat ab initio.* (*Joan.* VIII, 44.) Ille et primo homini per mandati transgressionem vulnus inflixit, et ærumnosam vitam invexit, et, tum inferendæ, tum subeundæ pœnæ legem per peccatum induxit. (*Gen.* III, 17 et seq.) Tibi vero, homo Dei, in mentem veniat, quis te finxerit, quo voceris, quot quantaque habeas, quot nominibus obstrictus sis, a quo rationem, legem, prophetas acceperis, a quo hoc ipsum quod Deum cognoscis, quod bona in exspectatione posita non desperas. Quocirca Dei humanitatem et misericordiam æmulare. Nihil tam divinum homo habet quam benignitatem ac beneficentiam. Licet tibi ullo labore Deum fieri : noli divinitatis consequendæ occasionem abjicere.

S. Chrysost., In dictum illud Isaiæ (VI, 1) : *Vidi Dominum.*—Nuper diximus quam fuerit pius Ozias, et quomodo evaserit improbus, et unde orsus, quæ superbiæ prolapsus sit : hodie vero dicendum erit quomodo templum ingressus sit, quomodo tentarit adolere incensum, quomodo prohibuerit illum sacerdos, quomodo ille non cesserit, quomodo in se provocaverit iram Dei, quomodo lepræ obnoxius vitam finierit, et quam ob causam propheta, prætermissis vitæ illius diebus, mortis fecerit mentionem, ita loquens : *Anno quo mortuus est Ozias rex.* (*Isa.* VI, 1.) Hæc enim causa fuit cur totam ab exordio historiam tractaremus, sed auscultate diligenter : *Et factum est*, inquit, *cum invaluisset Ozias rex, elatum est cor ejus usque ad corruptionem, et injuriam fecit in Domino Deo suo.* (*II Paral.* XXVI, 16.)

Idem, *ibid.* — Quis injuriæ modus ? *Ingressus est*, inquit, *in templum Domini, ut adoleret incensum super altare thymiamatis.* (*II Paral.* XXVI, 16.) O audaciam ! o impudentiam ! Adversus ipsa sacra adyta ausus, in Sancta sanctorum irrupit, qui locus omnibus erat inaccessus, præterquam summo sacerdoti, hunc profanare conatus est. Talis est anima in arrogantiam sublata. Semel enim desperata salute nequaquam desinit furere : verum habenas salutis sum laxans, irrationabilibus cupiditatibus quovis rapitur, nec aliter quam equus ferociens, ubi frenum ore, sessorem tergo excussit, fertur quovis vento velocius, omnibus obviis intolerabilis, diffugientibus cunctis, neque quoquam audente cohibere : sic et anima, ubi Dei timorem ipsam refrenantem excussit, et rationem habenas moderantem ejecit, ad quævis malitiæ loca decurrit, donec in exitii barathrum delata, præcipitarit suam ipsius salutem. Quapropter oportet assidue illam refrenare, ac pietatis ratione seu freno quodam irrationabilem illius impetum inhibere : quod non fecit Ozias, sed adversus ipsum omnium supremum principatum legem transgressus est. Si quidem sacerdotium principatus est, ipso etiam regno venerabilius ac majus. Ne mihi narres purpuram, neque diadema, neque vestes aureas, umbræ sunt isthæc omnia, vernisque flosculis leviora. *Omnis enim*, inquit, *hominis gloria sicut flos feni* (*Isa.* XL, 6); etiamsi ipsam gloriam regalem dixeris. Ne, inquam, mihi narres ista, sed si vis videre discrimen quantum sit regem inter et sacerdotem, expende modum potestatis utrique traditæ, videbis sacerdotem multo sublimius rege sedentem.

Quanquam enim nobis venerandum vide-

Digitized by Google

tur solium regium ob gemmas ei affixas, et aurum quo cinctum est: tamen rerum terrenarum administrationem sortitus rex est, nec ultra potestatem hanc quidquam habet auctoritatis: verum sacerdotii solium in cœlis collocatum est, et cœlestia administrandi habet auctoritatem. Quis hæc dicit? Ipse cœlorum Rex: *Quæcunque* enim *ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlis; et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis.* (*Matth.* XVI, 19.) Quid cum hoc honore conferri possit? A terra judicandi principalem auctoritatem sumit cœlum. Nam judex sedet in terra, Dominus sequitur servum, et quidquid hic in inferioribus judicarit, hoc ille in supernis comprobat. Itaque medius stat sacerdos inter Deum et naturam humanam, illinc venientia beneficia ad nos deferens, et nostras petitiones illuc perferens, Dominum iratum reconcilians communi naturæ, nos qui offendimus eripiens ex illius manibus. Idcirco Deus ipsum regale caput sacerdotis manibus subjecit, nos docens, hunc principem esse illo majorem. Siquidem id quod minus est benedictionem accipit ab eo quod præstantius est. Verum de sacerdotio quantaque sit illius dignitas, alio tempore declarabimus. Interim consideremus quanta sit regis vel tyranni potius iniquitas. *Ingressus est in templum Domini, ingressus est et Azarias sacerdos post eum.* (*II Par.* XXVI, 16, 17.) An temere dicebam sacerdotem rege majorem esse? Neque enim ut regem ejecturus, sed ut profugum, et ingratum famulum expulsurus cum vehementia ingressus est, non aliter quam generosus canis incurrit ad impuram bestiam, ut illam exigatab ædibus herilibus.

Vidisti sacerdotis animum multa fiducia plenum, excelsique spiritus? Non aspiciebat principatus fastum, non expendebat quanta res esset animam cupiditate temulentum cohibere; non audiebat illud Salomonis: *Minæ regis sicut ira leonis* (*Prov.* XIX, 12); sed sublatis oculis ad verum Regem cœlorum, atque illud tribunal, easque pœnas considerans, et his cogitationibus sese muniens, impetum fecit in tyrannum. Noverat enim, noverat, inquam, certe, minas regis similes esse iræ leonis duntaxat iis qui terram spectarent. Verum homini qui cœlum habebat præ oculis, quique sic induxerat animum, ut vitam citius in ipsis adytis deponeret, quam sacras leges sineret violari, quovis cane vilior erat ille. Nihil enim eo imbecillius, qui divinas conculcat leges, ut contra nihil potentius eo qui leges divinas defendit. Nam *qui peccatum committit, servus est peccati* (*Joan.* VIII, 34); etiamsi decem millia coronarum habeat in capite: contra, si quis justitiam operatur, ipso rege regalior est, etiamsi fuerit omnium infimus. Hæc ille præclarus apud sese philosophatus, adortus est regem. Ingrediamur et nos, si videtur, cum illo, ut videamus quid loquatur regi; licet enim, neque mediocrem afferet utilitatem, spectare regem a sacerdote redargui.

Quid igitur dicit sacerdos? *Non licet tibi, Ozia, adolere incensum Domino.* (*II Paral.* XXVI, 18.) Non appellavit eum regem, neque imperii titulum dedit, quia ipse præveniens sese dignitate dejecerat. Vidisti fiduciam sacerdotis? Proinde disce et mansuetudinem. Non enim fiducia nobis tantum opus est in reprehendendo, verum multo magis opus est mansuetudine quam fiducia. Quia enim neminem mortalium sic aversantur oderuntque ii qui peccant, ut eum qui reprehensurus est: capiuntque occasionem arripere, ut elabantur, effugiant reprehensionem; necesse est ut eos mansuetudine humanitateque retineamus. Objurgator enim non solum cum vocem promit, verum etiam cum videtur, gravis est peccantibus: *Gravis enim*, inquit, *nobis est etiam aspectu.* (*Sap.* II, 13.) Ideo plurimam mansuetudinem præstare oportet: ideo nobis sermo propheticus ob oculos posuit et eum qui peccavit, et eum qui ipsum corrigere parabat. Etenim sapientes medici, cum membra putrefacta secturi sunt, aut lapides in membris affixos extracturi, aut aliud naturæ vitium correcturi, non id faciunt eo qui laborat in angulum abducto, sed eo in mediis foris deposito, postquam seu theatrum prætereuntium sibi pararunt, ita demum admovent sectionem. Hoc autem faciunt non quod velint humanas traducere calamitates, sed ut unicuique propriæ sanitatis commendent curam. Itidem et Scriptura facit, ubi quem arripuit peccantium, alta voce illum curandum proponit, non in mediis foris, sed in media terra: et posteaquam totius orbis circumsteterit theatrum, tum curationem adhibet, erudiens nos, ut circa propriam salutem cautiores simus.

Videamus igitur quo pacto sacerdos tunc illum corrigere sit aggressus. Non dixit: O impie, o sceleratissime! omnia subvertisti confudistique, ad extremam impietatem prorupisti: neque sermonem accusationis in longum produxit, sed quemadmodum ii qui secant, hoc breviter facere student, celeritate sectionis cruciatus sensum fallentes: itidem et hic asperitatem objurgationis paucis verbis constringens, regis iracundiam cohibuit. Quod enim est in iis qui laborant sectio, hoc est in iis qui peccant redargutio. Denique præter alia etiam ipsa brevitate sermonis, moderationem nobis exhibet. Quod si cupis verborum quoque sectionem videre, et ubi ferrum occultarit, audi: *Non licet*, inquit, *tibi adolere incensum Domino, sed solis sacerdotibus filiis Aaron consecratis.* Hic inflixit vulnus. Quomodo? Ego dicam. Cur enim non simpliciter dixit, *sacerdotibus:* sed addidit, *Aaron.* Is primus fuit pontifex, simileque facinus illius temporibus quidam ausi sunt. Dathan enim, et Core, et Abiron, conjurati adversus illum cum aliis aliquot, voluerunt et ipsi sacerdotium obire; sed alios quidem terra dehiscens absorbuit, alios vero de cœlo emissus ignis exussit. Hujus ergo historiæ volens illum commonefacere, mentionem fecit Aaronis, qui tunc

Digitized by Google

fuit injuria affectus, ut ad calamitatem eorum qui fecerant injuriam, hujus cogitationem transmitteret. Cæterum nihil hæc profuere, non propter sacerdotem, sed ob regis ferociam. Cum enim debuisset laudare sacerdotem, proque consilio gratias agere : *Ille*, inquit, *indignatus est* (*II Par.* XXVI, 19), et vulnus eddidit acerbius. Neque enim perinde mala res est peccatum, atque post peccatum impudentia. Atqui non eodem modo David, sed quomodo? Postquam a Nathan incusatus esset de Bethsabee : *Peccavi*, inquit, *Domino.* (*II Reg.* XII, 13.)

Vidisti cor contritum? Vidisti ut etiam lapsus sanctorum sint egregii? Quemadmodum enim præclara corpora etiam in adversa valetudine, multa nobis formæ vestigia ostendunt : sic et sanctorum animæ in ipsis etiam erratis suæ virtutis signa præ se ferunt. Et tamen ille in media regia accusabatur a propheta multis præsentibus ; hic vero intus in adytis nullo teste redargutus est ; verum ne sic quidem tulit increpationem. Quid igitur? Insanabilis permansit? Nequaquam, propter Dei clementiam. Sed quemadmodum de lunatico, cum discipuli non valerent ejicere dæmonium, dicit Christus : *Adducite mihi eum huc.* (*Matth.* XVII, 16.) Sic et hic, cum sacerdos non posset morbum quovis dæmonio sæviorem, nempe peccatum, ejicere, ipse Deus laborantem aggreditur : et quid facit? Lepram immittit fronti ipsius. *Factum est*, inquit, *cum illeminaretur sacerdoti, lepra efflоruit in fronte ejus.* (*II Paral* XXVI, 19.) Jamque exibat : sicut ii qui ad mortem abducuntur funem ore gestantes damnationis signum; sic et ille ignominiæ signum in fronte gestans, non carnificibus ipsum trahentibus, sed lepra loco carnificis ipsum præcipitem agente. Ingressus ut sacerdotium usurparet, etiam regnum perdidit. Ingressus est ut fieret venerabilior, et factus est exsecrabilior. Nam cum immundus esset, quovis homine privato posthac vilior erat : adeo res est mala non manere intra fines nobis a Deo præscriptos, sive honoris, sive cognitionis res fuerit. Nonne vides hoc mare quam est ob violentiam intolerabile, quantis insurgat fluctibus : attamen postea quam vehementer insurrexit, multoque cum tumore progressum est, ubi venerit ad terminum ipsi a Deo præscriptum, fluctibus in spumam solutis, in sese redit. Et tamen quid arena possit esse infirmius? Verum non illa est quæ prohibet, sed ejus metus qui terminum posuit. Quod si hoc exemplum non te revocat ad moderationem, quæ Oziæ acciderunt erudiant te, quæ nunc a nobis dicta sunt.

Verum quoniam iram Dei vidimus, dignamque ultionem, age et humanitatem ejus multamque æquitatem commonstremus. Neque enim ea tantum dicenda sunt quæ pertinent ad iram, verum etiam quæ ad mansuetudinem, ut neque in desperationem conjiciamus auditores, neque in socordiam. Sic enim et Paulus facit, ex utraque temperans admonitionem, hunc in modum loquens : *Vide igitur bonitatem ac severitatem Dei.* (*Rom.* XI, 22.) Quo simul e terrore et bona spe excitet eum qui lapsus est. Vidisti severitatem Dei? Vide et bonitatem. Quomodo igitur videbimus bonitatem? Si cognoverimus quare dignus fuerit Ozias. Quibus igitur erat dignus? Ut simul atque intra sacrum vestibulum tanta cum impudentia irrupisset, mille fulminibus, extremo supplicio cruciatuque afficeretur. Si enim illi qui hæc primum sunt ausi, hanc dedere pœnam, videlicet Dathan, Core et Abiron, multo magis hunc ad eum modum puniri oportuit, qui ne illorum quidem calamitatibus fuerit castigatus. Verum hoc non fecit Deus, sed prius illi sermones admovit per sacerdotem, multa plenos humanitate : quodque Christus adhortatus est, ut facerent homines quoties in se invicem peccaverint, hoc Deus fecit erga hominem. Nam ait : *Cum peccaverit in te frater tuus, abi, argue eum inter te et ipsum solum.* (*Matth.* XVIII, 15.) Sic et regem hunc redarguit Deus. Et Christus quidem dicit : *Si te non audierit, sit tibi velut ethnicus et publicanus* (*ibid.*) : at Deus clementia proprias supergrediens leges, nec sic quidem illum resecuit, nec audire nolentem indignantemque dejecit, sed iterum aggreditur castigatque modo correctionem habente potius quam ultionem. Neque enim fulmen vibravit e sublimi, neque exussit impudens caput, sed tantum lepra castigavit.

Atque ea quidem quæ Oziæ acciderunt, sic habent : ego vero si unum quiddam adhuc addidero, dicendi finem faciam. Quid autem hoc est? Quod pridem ab initio quærebamus, cur cum in rebus externis inque prophetiis, omnes soleant designare tempora vitæ regum, hic, eo prætermisso, tempus sumat quo mortuus sit Ozias, ad hunc loquens modum : *Et factum est anno quo mortuus est Ozias rex.* Et tamen poterat regis tum regnantis tempus exprimere, quemadmodum omnibus prophetis mos erat. Verum id non fecit. Quam ob causam igitur non fecit? Mos erat vetus leprosum e civitate expellere, ut et hi qui in civitate vivebant melius haberent, et ipse leprosus non esset iis qui contumeliam inferre vellent, scommatum, ac derisionis occasio, sed ut extra civitatem commorans, solitudinem veli loco haberet obtentam adversus injuriam calamitatis. Hoc et regem hunc perpeti oportuit post lepram : sed non perpessus est, iis qui in civitate erat illum ob principatum reverentibus, verum manebat domi suæ clanculum. Hoc ad iracundiam provocavit Deum, hoc prophetiam inhibuit : quodque tempore Heli factum est, verbum pretiosum erat, nec erat visio distinguens.

Tu vero mihi hic quoque considera Dei humanitatem. Non enim subvertit civitatem, neque perdidit inhabitantes, sed quod amici faciunt erga æquales amicos, quoties habent aliquid quod merito expostulent, obiter silentio ferunt exspectantes : hoc et Deus erga gentem facit majore pœna supplicioque dignam. Nam ego quidem, inquit,

Digitized by Google

ejeci illum e templo, vos autem ne e civitate quidem : ego illum vinctum lepra, ita privatum reddidi, vos autem ne sic quidem validiores evasistis, sed a me condemnatum non sustinuistis e civitate propellere : tametsi quis rex factum hoc patienter tulisset, neque civitatem funditus subvertisset, cum videret eum, qui in exsilium ire jussus esset, in civitate commorari? Verum Deus hoc non fecit : Deus enim erat, non homo. Ubi vero finita est hujus vita, simul et iram adversus illos deposuit, prophetiæque fores aperuit, ac rursus ad eos rediit. Tu vero ex reconciliationis modo considera Dei indulgentiam. Nam si quis expenderit justitiæ rationem, ne tum quidem se reconciliari debuit. Quam ob causam? Quia non illorum opera ejectus est Ozias. Neque enim illi arreptum abegerant, sed mors naturæ lege superveniens eum tunc e civitate ejecit. Verum erga nos Deus non minimarum rerum usque adeo rationem habet. Sed tantum hoc quærit, modum sese nobiscum reconciliandi. Proinde super his omnibus gratias agamus illi, glorificemus illius ineffabilem benignitatem, qua nos omnes dignos haberi contingat, gratia et misericordia unigeniti Filii ejus Domini nostri Jesu Christi.

S. Hier., *Comment. in Eccle.*, tom. II.— *Væ tibi, terra, cujus rex adolescens, et principes tui mane comedunt. Beata terra cujus rex tuus filius ingenuorum, et principes tui in tempore comedunt, in fortitudine, et non in confusione.* (*Eccle.* x, 16, 17.) Videtur quidem reprobare juvenum principatum, et luxuriosos judices condemnare, quod in altero per ætatem sit infirma sapientia, in aliis etiam matura ætas deliciis enervetur. Et e contrario principem probare nobis moribus, et liberaliter institutum, et eos judices prædicare, qui nequaquam voluptatem negotiis civium præferant; sed post multum laborem et administrationem reipublicæ, cibum capere quasi necessitate cogantur. Verum mihi sacratius quid latere videtur in littera : quod juvenes dicantur in Scriptura, qui a veteri auctoritate desciscunt, et cana præcepta parentum contemnunt, qui, neglecto Dei mandato, cupiunt statuere traditiones hominum. De quibus et in Isaia Israeli Dominus comminatur : eo quod noluerit aquam Siloe quæ vadit cum silentio, et veterem piscinam averterit, eligens sibi fluenta Samariæ, et gurgites Damasci : *Et dabo*, inquit, *juvenes principes eorum, et illusores dominabuntur eis.* (*Isa.* III, 4.) Lege Daniel, et Vetustum dierum invenies Deum. Lege Apocalypsim Joannis; et caput Salvatoris candidum ut nivem, et quasi lanam albam reperies. Jeremias quoque, quia sapiens erat, et cani ejus in sapientia reputabantur, prohibetur juvenem esse se dicere.

Væ ergo terræ cujus rex est diabolus, qui semper novarum rerum cupidus, etiam in Abessalon adversus parentem rebellat, quæ judices et principes eos habet, qui ament hujus sæculi voluptates : qui antequam dies mortis adveniat, dicunt : *Manducemus et bibamus; cras enim moriemur.* (*Isa.* XXII, 13.) E contra beata terra Ecclesiæ, cujus rex est Christus filius ingenuorum; de Abraham, Isaac et Jacob, prophetarum quoque et sanctorum omnium stirpe descendens, quibus peccatum non fuit dominatum, et ob id vere fuerunt liberi. Ex quibus nata est Virgo liberior sancta Maria; nullum habens fruticem, nullum germen ex latere; sed totus fructus ejus erupit in florem, loquentem in Cantico canticorum : *Ego flos campi et lilium convallium.* (*Cant.* II, 1.) Principes quoque ejus sunt apostoli et omnes sancti, qui regem habent filium ingenuorum, filium liberæ : non de ancilla Agar, sed de Saræ libertate generatum. Nec comedunt mane, nec velociter. Non enim in præsenti sæculo quærunt voluptatem : sed tempore suo manducabunt, cum retributionis tempus advenerit : et manducabunt in fortitudine, et non in confusione. Omne bonum præsentis sæculi confusio est; futuri perpetua fortitudo. Tale quid et in Isaia dicitur : *Ecce qui serviunt mihi, manducabunt, vos autem esurietis.* Et iterum : *Ecce qui serviunt mihi, lætabuntur, vos autem pudebit.* (*Isa.* LXV, 13 et 14.)

Theophil. ep. Alex., *Litt. ad Ægypt. episc*, Hieronymo int. (ejusd. Hier. Op. t. I, ep. 100). —Oremus pro piissimis imperatoribus; et observatione legis Dei, jejuniorum præcepta decoremus : quia virtus absque ulla necessitate custodit sectatores suos, et sensum in cogitationes varias fluctuantem, de terrenis ad excelsa sublimat, nequaquam pulchritudinem corporum, sed conversationem ac morum ordinem contemplans, ostendens ei lætantium in cœlo angelorum choros, et docens splendentium disciplinarum fulgura, ut in præsenti sæculo quasi athleta fortissimus illatas sustineat plagas, et futuram pro his gloriam præstoletur : nequaquam vitiis subjacens, sed interiorem hominem desiderio ad æterna sustollens, atque omnes impetus voluptatis, ratione compescens, illud cogitet quod futurus est, et quantum potest sustinere humana fragilitas, recedat a corporalium rerum sollicitudine, præferens carnalibus spiritualia, ut etiam ipsum corpus despiciens, et præsentium voluptatum duriorem, sed meliorem vitam inire persuadeat, ut qui tum libidini serviebat, libertate bona serviat castitati, et retractus a præcipitiis, mollia jejuniorum frena suscipiat. Etenim si absque rectore fuerit ac magistro corporum infirma natura, nec imperanti animo voluerit obedire, et sibi e rectore concitat infinita naufragia, et pertrahit eum ad turpissimas libidines, ac barathrum voluptatum, ut nequaquam honesta consideret, sed fugiens bona in cœno ac sordibus commoretur.

Virtus vero cum aurigæ modo animum rexerit, et quasi in curru stans impetus ejus et varios appetitus doctrinæ habenis composuerit, de humilibus eum ad excelsa sublevat, invisibilia, æternaque pro visibilibus ostendens, mansionem in cœlis parat, et amicos illi efficit eos, qui Dei ministerio

Digitized by Google

servientes spiritualibus deliciis perfruuntur : ut quod hic cernebat in imagine, ibi in veritate perspiciat, et majorem solis radiis videat claritatem, quæ nobis huc ex parte descendit, ut de minoribus ad majora tendamus, et quasi per litteras ac syllabas ad legendum proficiamus, quia et illa his, et hæc illis indigens, ibi cum fuerimus beatorum juncti consortio, audiemus : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam : intra in gaudium Domini tui.* (*Matth.* XXV, 21.)

S. Aug., *De civitate Dei*, lib. V, tom. VII. — Neque enim nos Christianos quosdam imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes reipublicæ domuerunt, vel inimicos cives adversus se insurgentes et cavere et opprimere potuerunt. Hæc et alia vitæ hujus ærumnosæ, vel munera, vel solatia, quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quo pertinent isti : et hoc ipsius misericordia factum est, ne ab illo ista, qui in eum crederent, velut summa bona desiderarent. Sed felices eos dicimus, si juste imperant, si inter linguas sublimiter honorantium et obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, sed se homines esse meminerunt; si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum, majestati ejus famulam faciunt; si Deum timent, diligunt, colunt; si plus amant illud regnum, ubi non timent habere consortes; si tardius vindicant, facile ignoscunt; si eamdem vindictam pro necessitate regendæ tuendæque reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odiis exserunt; si eamdem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent; si quod aspere coguntur plerumque decernere, misericordiæ lenitate et beneficiorum largitate compensant; si luxuria tanto eis est castigatior, quanto posset esse liberior; si malunt cupiditatibus pravis, quam quibuslibet gentibus imperare : et si hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ; si pro suis peccatis, humilitatis, et miserationis, et orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt. Tales Christianos imperatores dicimus esse felices interim spe, postea reipsa futuros, cum id quod exspectamus advenerit.

Idem, epist. 93, *ad Vincent. Rogatistam*, t. II. — Eripe te, frater, dum in hac carne vivis, ab ira quæ ventura est pertinacibus et superbis. Terror temporalium potestatum quando veritatem oppugnat, justis fortibus gloriosa probatio est, infirmis periculosa tentatio : quando autem veritatem prædicat, errantibus cordatis utilis admonitio est, et insensatis inutilis afflictio. *Non est* tamen *potestas nisi a Deo : qui autem resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Principes enim non sunt timori bono operi, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex illa.* (*Rom.* XIII, 1-3.) Sive enim potestas veritati favens aliquem corrigat, laudem habet ex illa qui fuerit emendatus : sive inimica veritati in aliquem sæviat, laudem habet ex illa qui victor fuerit coronatus. Tu autem non bonum facis, ut timere non debeas potestatem.

Atto, epist. 12. — Non te, domine, lædat, quod aliquid quasi magistrando tibi insinuare præsumam, qui ut familiaris vernaculus suggerere vestræ magnificentiæ opportuna desidero. Unde, domine mi, tanta vestro cordi subripere potuit temeritas? Unde tanta exquiri potuit occasio? Unde vestra mens tam cito potuit concitari, ut sacerdotalis immemores reverentiæ, ex improviso a vestro discederetis seniore, vestrisque benevolis confratribus, et gratis in ipsos insurgere non veremini? Non leve est regalem impugnare majestatem, etsi injusta in aliquo videatur. Dei enim ordinatio est, Dei est dispensatio. Profanum est enim violare quod Deus ordinat. Ait enim Dominus per Moisen : *Principem populi tui ne maledicas.* (*Exod.* XXII, 28.) Namque cui nec maledicere licet, liquido patet quia et persequi non licet.

Et per beatum David : *Nolite tangere christos meos.* (*Psal.* CIV, 15.) Quod quanta mansuetudine ipse observaverit, manifestum est. Certe jam Saul sua protervia ab ipso Deo fuerat reprobatus; jam et ipse David divina gratia in regem fuerat unctus, et tamen cum in spelunca in manus ipsius Saul incidisset, dixerunt servi David ad eum : *Ecce dies de qua Dominus locutus est ad te : Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo David, et præcidit oram chlamydis Saul silenter. Post hæc percussit cor suum David eo quod abscidisset oram, dixitque ad viros suos : Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia christus Domini est. Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut descendens in prælium perierit, propitius sit mihi Dominus, ne mittam manum meam in christum Domini. Et confregit David viros suos sermonibus, et non permisit eos, ut consurgerent in Saul.* (*I Reg.* XXIV, 5 et seq.) Quamvis enim de illius abjectione suaque electione minime dubitaret, eoque persequente usque ad interna coarctaretur speluncæ, tamen manum in eum extendere noluit, sed divinum judicium exspectavit. Et quod oram tantummodo chlamydis ipsius absciderit, postea eum pœnituit, eo quod principis indumentum vel in aliquo dehonestaverit. Sic rex electus reprobato pepercit, quamvis ab ipso innocens persequeretur, nimisque angustaretur injuste.

Samuel quoque, cum, jubente Domino, hunc jam regem super Israel unxerit, vocatus a Saul ire non distulit, quin et pro eo se oraturum spopondit, dicens : *Absit a me ut cessem orare pro te!* (*I Reg.* XII, 25.) Sed nunc rebelles milites resistere domino suo manu armata non formidant, eumque expellere a regni solio omnimodis laborant. De

Digitized by Google

talibus enim ait Dominus : *Sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum : cæcus enim si cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt.* (*Matth.* xv, 14.) Sacerdotes vero Dei, quibus divina sunt perscrutanda mandata, non tantum se custodire a talibus, sed etiam alios quos valent retrahere convenit. Certe ipse Dominus tributum, jubente Cæsare, dare nullo modo prohibuit, dicens : *Reddite quæ Cæsaris sunt, Cæsari.* (*Matth.* xxii, 21.) In quo non tantum tributi redditio, sed totius debiti honoris reverentia intelligenda est. Quod etiam ipse cum ab exactoribus ut redderet urgeretur, non dedignatus est persolvere ; sed ait Petro : *Vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore ejus invenies staterem; illum sumens da eis pro me, et pro te.* (*Matth.* xvii, 26.) Unde et ipse tanta magistri eruditus doctrina, admonet Ecclesiam omnimode regibus servare obedientiam. Ait enim : *Deum timete, regem honorificate.* (*I Petr.* iii, 14.) Nam post timorem Dei, qui sapientiæ initium est, regium statim præcepit servandum esse honorem. Et item : *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* (*I Petr.* ii, 13.) Sic enim nos regi subjectos esse docet sicut præcellenti ; sic ducibus tanquam ab eo missis. Multum namque est inter principem, et missum ab eo. Sed hæc princeps docet Ecclesiæ.

Videamus quid et ejus socius. *Non est potestas nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem, bonum fac et habebis laudem ex illa. Dei minister est tibi in bonum. Si autem male feceris, time. Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est ; vindex in iram ei qui male agit. Ideo necessitate subditi estote : non solum propter iram, sed et propter conscientiam; ideo enim et tributa præstatis : ministri enim sunt Dei, in hoc ipsum servientes. Reddite omnibus debita : cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal : cui timorem, timorem : cui honorem, honorem.* (*Rom.* xiii, 1 et seqq.) Item ad Timotheum : *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus, qui sunt in sublimitate constituti.* (*I Tim.* ii, 1, 2.)

Nam et beatus David, cum peccatum suum Domino confiteretur, ait : *Tibi soli peccavi.* (*Psal.* l, 6.) Quam sententiam diligentissime exponens Cassiodorus dicit : « De populo si quis erraverit, et Deo peccat et regi : nam quando rex delinquit, soli Deo reus est, quia hominem non habet qui ejus facta dijudicet. Merito ergo rex Deo tantum dicit se peccasse, quia solus erat, qui ejus potuisset admissa discutere. » Sed quid dicendum est de omnibus aliis sanctis doctoribus in hoc consentientibus? Qui vero contra hos omnes calcitrare voluerit, liquido patet quia ex Dominicis ovibus non erit ; vocem Domini non audit, bonum pastorem non cognoscit, pascentem oves non intelligit, magistrum spernit. Superest ut fur sit et latro, mactet et perdat. Et si in ovili Dominico se conspicit, consideret unde vel quomodo intravit. Ait enim Dominus : *Qui mecum non est, adversum me est : et qui mecum non colligit, spargit.* (*Luc.* xi, 23.) Sane sciendum quia, cum Deus omnipotens utilem populo principem donare dignatur, justum est ut ei hoc pietati adscribant, et grates exinde dignas persolvant ; si autem adversus fuerit, suis hoc imputent peccatis, ipsumque flagitare non desinant, ut hoc secundum multitudinem misericordiæ suæ propitius disponat. Nam dejiciendus vel impugnandus nullo modo est a populo, quia jam ordinatus a Deo. Equidem scriptum est in Daniele : *Quia dominatur Excelsus in regno hominum ; et cui voluerit, ipse dat illud.* (*Dan.* iv, 14.) Nullus de alicujus dejecti regis injuria sibi assumat fiduciam. — Quod si cui enumerare liceat ab ipsius gentis exordio, diligentissime perquirat, et tunc cognoscere poterit populi hujus destructionem maxime propter hanc evenisse occasionem. Quia donec regibus repugnare quærunt, et a paganis undique opprimuntur, et a finitimis gentibus adeo conculcantur ; et dum præsumunt illicita, a debitis nihilominus privantur honoribus.

Sed quid de regia fidelitate beatus Gregorius dicat, audiamus ; ait enim ad Mauritium scribens imperatorem : « Omnipotenti Deo reus est, qui serenissimis dominis in omne quod agit et loquitur, purus non est. Ego autem indignus pietatis vestræ famulus in hac suggestione mea neque ut episcopus, neque ut servus jure reipublicæ, sed jure privato loquor, quia, serenissime domine, ex illo jam tempore dominus meus fuisti, quando adhuc dominus omnium non eras. » Quamvis enim Mauritius in quibusdam inclementer ageret, et maxime contra ipsum, sicut ipsius scriptis declaratur, tamen Domino hoc committebat, eique fidem servabat, et pro eo orare non differebat. Denique, enumeratis injuriis ab eo sibi inflictis, ait rursus : « Inter hæc omnia incerta, ad solas lacrymas redeo, petens ut idem omnipotens Deus piissimum dominum nostrum et sua hic manu regat, et in illo terribili judicio liberum ab omnibus delictis inveniat. » Sed quia Dominus sibi commissam vindictam non differat, eidem Mauritio postea aperte demonstratum est.

Atto, epist. 12. — Beatus quoque Ambrosius cum injuste persequeretur a principe, totum se Domino commendabat, nec defendendo resistere quærebat. Taliter sacerdotes Dei se contra iniquos principes munire debent. Sicut ait beatus Paulus apostolus : *Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est : Mihi vindictam ; ego retribuam, dicit Dominus.* (*Rom.* xii, 19.) Nam

Digitized by Google

armis defendi, deprædatione vel devastatione vindicari, præda ditari, vel homicidio vel d truncatione timeri, non sacerdotum, sed dæmonum est. Ait namque beatus David : *Nolite sperare in iniquitate, et in rapinis nolite concupiscere.* (*Psal.* LXI, 11.) Talia etenim perpetrantes mercenarii dici possunt, pastores autem nullatenus esse possunt. Aut quomodo Deo sacrificium offerre præsument, cum audiunt ipsum Dominum dicentem : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo ; et tunc veniens offeres munus tuum.* (*Matth.* v, 23. 24.)

Igitur quæ de perversis regibus servanda fidelitate huc usque diximus, ideo annotare curavimus, ut exinde intelligere valeamus quanta diligentia quantaque cautela bonis obedire debeamus, quando nec etiam malos a subditis vexandos esse monemur. Quod si ira principis in tantum desæviat, vel si tam gravis fuerit culpa, ut ad ejus gratiam redeundi aditus nullo modo reperiatur, neque sacerdotali interventu, neque magnatum precibus, verum etiam nec familiarium consiliis vel supplicationibus, nullaque satisfactione ipsius animus placari possit, tunc fugiendum esse consulimus, dicente Domino : *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.* x, 23), donec mittat Dominus auxilium de sancto, et de excelso misereatur omnipotens. Congruentius itaque fieri potest, ut aliquis procerum furorem regis sui fugiendo declinet, quam rex infra sui regni fines rebellantem adversum se persequi omittat. Audivimus etenim quosdam sic evadentes, ad pristinos postmodum felicissime remeasse honores. Quosdam vero pertinaciter intrantes, usque etiam ad contemptibilem exitum pervenisse. Est etenim naturale remedium, ut qui pro diversitate morum simul permanere non poterint, majores minores expellant, minores ipsos majores fugiant. Nam ut a subditis præpositi violentiam diu patiantur, ignominiosum est. Ait enim Dominus : *Non est discipulus super magistrum, neque servus super dominum suum.* (*Ibid.*, 24.)

Venerabilis etiam Joannes Chrysostomus in quadam homilia sic ait : « Sicut enim videmus in istis mundialibus regnis quomodo in primis quidem nemo potest facere seipsum regem, sed populus eligit sibi regem, quem vult : sed cum rex ille fuerit factus et confirmatus in regno, jam habet potestatem in hominibus, et non potest populus jugum ejus de cervice sua repellere. Nam primum quidem in potestate populi est facere sibi regem quem vult ; factum autem de regno repellere jam non est in potestate ejus, et sic voluntas populi postea in necessitatem convertitur. »

Sancti quoque Patres sacra celebrantes concilia pro robore regum et stabilitate regni sagacissima protulerunt decreta. Ex concilio Toletano, cap. 75, post instituta quædam ecclesiastici ordinis, vel decreta quæ ad quorumdam pertinent disciplinam : « Postrema nobis cunctis sacerdotibus sententia est, pro robore nostrorum regum et stabilitate gentis Gothorum, pontificale ultimum sub Deo judice ferre decretum. Multarum quippe gentium, ut fama est, tanta exstat perfidia animorum, ut fidem juramento promissam regibus suis servare contemnant, et ore simulent juramenti professionem, dum retineant mente perfidiæ impietatem. Jurant enim regibus suis, et fidem quam pollicentur prævaricantur, nec metuunt volumen illud judicii Dei, per quod indicitur maledictio. Multaque est pœnarum comminatio super eos qui jurant in nomine Dei mendaciter.

« Quæ igitur spes talibus populis contra hostem laborantibus ? Eritne fides ultra cum aliis gentibus in pace credenda ? Quod fœdus non violandum ? Quæ in hostibus jurata sponsio permanebit, quando nec ipsis regibus propriis juratam fidem conservant ? Quis enim adeo furiosus est, qui caput suum manu propria desecet ? Et illi, ut notum est, immemores salutis suæ, propria manu seipsos interimunt, in semetipsos, propriosque reges suos convertendo vires. Et dum Dominus dicat : *Nolite tangere christos meos* (*Psal.* CIV, 15) ; et David : *Quis, inquit, extendet manum suam in christum Domini, et innocens erit ?* (*I Reg.* XXVI, 9) illis nec vitare metus est perjurium, nec regibus suis inferre exitium. Hostibus quippe fides pacti datur, nec violatur. Quod si in bello fides valet, quanto magis in suis servanda est ? Sacrilegium quippe est, si violetur a gentibus regum suorum promissa fides, quia non solum in eos fit peccati transgressio, sed in Deum quidem in cujus nomine pollicetur ipsa promissio. Inde est quod multa regna terrarum cœlestis iracundia ista permutavit, ut impietate fidei et morum alterum ab altero solveretur. Unde et nos cavere oportet casum hujusmodi gentium, ne similiter plaga feriamur præcipiti, et pœna puniamur crudeli. Si enim Deus angelis in se prævaricantibus non pepercit, qui per inobedientiam cœleste habitaculum perdiderunt, unde et per Isaiam dicit : *Inebriatus est gladius meus in cœlo* (*Isa.* XXXIV, 5) : quanto magis nostræ salutis interitum timere debemus, ne per infidelitatem eamdem sævientis Dei gladio pereamus ? »

Quapropter, reverendissime domine, hæc et hujusmodi considerantes ad gratiam serenissimi regis et domini nostri reverti non dedignemini, recolentes qualem ei jurejurando polliciti estis fidelitatem. Scriptum quidem est, dicente Domino : *Non assumas nomen Dei tui in vanum, quoniam non habebit Dominus insontem eum qui nomen ejus in vanum assumpserit.* (*Exod.* XX, 7.) Memores estote regiæ dignitatis, memores estote et vestri ordinis. Erimus enim in quantum possumus, si jubetis, in his fautores. Erimus et fidelissimi adjutores. Nihil dubites, Pater mi, non expedit quidem : diligimus enim, Deo teste, bonum pacis, et ad fructum festinamus pervenire charitatis. Non etenim omnis pax eadem pax est ; est enim-

Digitized by Google

que salutaris pax, invenietur et noxia. Salutaris quidem pax est de qua Dominus ait in Evangelio: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* (*Joan.* XIV, 27.) Et quia dissimilem agnoverat, subdidit: *Non quomodo hic mundus dat, ego do vobis.* (*Ibid.*) Item bona pax est quam angeli pastoribus nuntiavere dicentes: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14), et de qua ait beatus Paulus apostolus: *Christus est pax nostra, qui fecit utraque unum.* (*Ephes.* II, 14.)

An non ipse diabolus quem per fortem intelligimus armatum, pacem Domino quærebat, cum procidens ante eam, scilicet fortiorem, diceret: *Jesu, Fili Dei Altissimi, adjuro te per Deum, ne me torqueas?* (*Marc.* V, 7.) Sed quia eam injuste quæsivit, impetrare apud eum minime meruit. Beatus quoque David noxiam putans pacem impiorum ait: *Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* (*Psal.* LXXII, 3.) Sicut enim angeli bonorum pacem utilem judicabunt, sic iste impiorum inutilem judicabat. Unde cum magna discretione pax est inquirenda, ut et salutarem omnimodis firmare laboremus, et inutilem vitare valeamus. Melius itaque est nobis adversarios utcunque tolerare, quam cum ipsis inique pacisci, dicente Domino: *Cavete a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* (*Marc.* VIII, 13.) Dicit enim beatus Paulus apostolus: *Si fieri potest quod ex vobis est* (*Rom.* XII, 18), id est ex vestra parte; ac si diceret: Quidquid mali homines faciant, vos semper illorum salutem quærite, opportuna docete, inutilia quamvis ingrati arguite, et, si fieri potest, corrigere studete; hæc est enim utilis pax: quam si despexerint, non ideo nobis a rectitudine convenit deviare: nam a bono recedere, et alienis erroribus implicari, inutile conspicitur. Scriptum quippe est: *Qui tetigerit picem, coinquinabitur ab ea; et qui communicaverit superbo, induetur superbia.* (*Eccli.* XIII, 1.)

ATTO, epist. 12. — Ad tramitem ergo veræ pacis, id est Domini nostri Jesu Christi, sanctorumque Patrum exempla vel documenta, sincera mente conveniamus, fidelitatem regiam, ut ipsos docere cognoscimus, firmiter teneamus; nosque in Dei omnipotentis servitio, nostrique senioris obsequio, ac fidelium confratrum suffragio paratissimos instituamus, et quoscunque possumus ad hæc omnimodis invitemus. Qui vero talibus monitis rebelles exstiterint, inter hos jam non est pacis vinculum inserendum, sed separationis consilium perquirendum, ut aliquem ex ipsis ad societatis possimus perducere gratiam, ne simul omnes pereant in culpa. Hanc quidem immittere separationem ipsius Salvatoris, quod jam præmisimus, sacro cogimur exemplo; quoniam valde dignum est ut eum qui se justitiæ dari vult, ab eis qui noluerint separare curemus. Quia, si cum ipsis in errore permanserit, neque illum prodiderit, et ipse cum illo pariter interibit. Sicut enim bonorum consortio multi proficiunt, sic malorum societate plurimi pereunt.

Sed ne nobis solummodo consulere videamur, ad cæteros etiam redeamus. Secundi quoque ordinis milites ita nos admonere oportet, ut divina jugiter mandata custodiant, suique regis fidelitatem, quam jurando promiserant, inviolabilem teneant, et suæ legis transgressores nullo modo efficiantur. Quæ etiam in ipso exordio de regum infidelitate omnino castigat, et qualis transgressoribus pœna debeatur, insinuat, quantaque sit regum excellentia demonstrat: nam si quis horum mandatorum observator exstiterit, maximum et in præsenti sæculo decorem acquirere, et in futuro suæ animæ lucrum felicitatis adipisci merebitur. Qui autem in his repugnando mortis judicium incurrerit, periculum suæ animæ procul dubio sustinebit. Heu, heu! quid de episcopo qui sibi commendatos, quin etiam et commissos contra divini eloquii præceptum, contraque promissum sacramentum, contra sæcularem quoque legem, in qua etiam mortis periculum assignatur. Regi præcipit repugnandum? Quis de illorum animarum dispendio luet supplicium? Restat omnino ut cujus exemplo vel documento periclitatæ fuerint, de ipsorum manibus requirantur: prædia quoque et facultates Ecclesiarum, sive res pauperum, cujus exigentibus culpis devastatæ fuerint, ad ipsius interitum prævalere potuerint. Fateor enim coram Deo plus propter divina præcepta, sanctorumque Patrum monita, quam pro alicujus terreni commodi desiderio, aut rebellantis inimicitia me ejus assequi velle fidelitatem. Ait enim Dominus in Evangelio: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* (*Matth.* XVI, 26.) Audi beatam Susannam clamantem: *Melius est mihi absque opere incidere in manus hominum, quam peccare in conspectu Domini.* (*Dan.* XIII, 23.) Et beatus David: *Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas.* (*Psal.* XXXVI, 16.) Salomon quoque ait: *Melius est buccella sicca cum gaudio, quam tota domus plena victimis cum jurgio.* (*Prov.* XVII, 11.) Quapropter Dominum Jesum Christum suppliciter imploremus, ut qui beato Petro mergenti manum ut erigeret porrexit, a cunctis nos malis eripiat, et ad rectitudinis semitam perducat. Amen.

S. BERN. epist. 255, *ad Ludovicum* (*Grossum*) *regem Francorum.* — Regna terræ et jura regnorum tunc sane sana suis dominis atque illæsa persistunt, si divinis ordinationibus ac dispositionibus non resistunt. Cur, domine, irascitur furor tuus contra Dei electum, quem tua quoque sublimitas suscepit, et præelegit, tibi quidem in patrem, filio autem tuo etiam in Samuelem? Armatur regia indignatio, non plane in extraneos, sed in semetiosam et

Digitized by Google

suos. Non mirum si, juxta Scripturam : *Ira viri justitiam Dei non operatur* (*Jac.* I, 20), quæ propriæ quoque utilitatis, sed dignitatis, sed salutis facit sæpe ut nec manifestum omnibus advertas periculum, sentias damnum. Colligitur concilium. Quid in hoc detrahitur regiæ gloriæ, regni utilitatibus? Ibi universæ Ecclesiæ commendabitur ac rememorabitur excellentiæ vestræ prompta et specialis devotio, quod regum primus, aut certe inter primos, rabiei persequentium eamdem matrem vestram strenuissime et christianissime defendendo obviastis. Ibi gloriose ab ingenti illa multitudine debitæ gratiæ referentur vobis : ibi a millibus sanctorum orabitur pro vobis et vestris.

Alias autem quam sit hoc tempore necessarius conventus episcoporum, nullus ignoral, nisi qui durus corde matris Ecclesiæ angustias non attendit. At calor, inquiunt, nimius est. Quasi nos glacialia corpora habeamus. An corda nobis magis congelata sunt, et nemo est qui, juxta prophetam, compatiatur super contritione Joseph ? Sed hæc alias. Nunc autem ego minimus in regno vestro, sed dignitate, non fidelitate, dico vobis, Non expedit velle impedire tantum et tam necessarium bonum. Nec desunt evidentes causæ, quibus id manifestum facere possem, quas et nunc proferre in medium ad manum mihi est, nisi quod sat arbitror dictum sapienti. Tamen si quid ex apostolicæ auctoritatis rigore processit, unde se merito esse turbatam celsitudinis vestræ serenitas arbitretur; qualiter hoc ipsum revocetur, aut temperetur, prout oportet ad honorem vestrum, fideles vestri qui aderunt totis viribus enitentur. Inter quos nos quoque, si quid possumus, non dissimulamus.

[Ex conciliis.]

Ex conc. Toletano IV, *sub Honorio I*, *an.* 633. — 7. De futuris regibus hanc sententiam promulgamus, ut si quis ex eis contra reverentiam legum superba dominatione, et fastu regio in flagitiis et facinoribus sive cupiditate crudelissimam in populis potestatem exercuerit, anathema sit.

Ex conc. Toletano IV, *sub Honorio I*, *an.* 636. — Omni benignitate omnique firmitate circa omnem posteritatem principis nostri Chintillani regis teneatur dilectio et præbeatur rationabile defensionis adminiculum, etc. Quod si quisquam nostræ contestationis temerator exstiterit atque contemptor, et quacunque argumentatione odiose eos molestare, aut in aliquo fuerit conatus lædere, sit anathema.

3. Si quis ad regiæ majestatis pervenire fastigium meditatus fuerit, quem nec electio omnium præficit, nec Gothicæ gentis nobilitas ad hunc honoris apicem trahit, sit anathema.

4. Quisquis inventus fuerit, vivente principe, in alium attendisse, pro futura regni spe, aut alios in se propter id attraxisse, a conventu catholicorum excommunicationis sententia expellatur.

5. Ne quis in principem maledicta congeret, etc. Quod si quis fecerit, excommunicatione ecclesiastica plectatur.

6. Quisquis superstes principum exstiterit, juste in rebus profligatis aut largitate principis acquisitis, nullam debet habere jacturam.

7. In omni concilio episcoporum Hispaniæ, universalis conc. decretum quod propter principum nostrorum et salutem constitutum, peractis omnibus in synodo publica voce debet pronuntiari.

8. In his omnibus quæ præmisimus, potestatem indulgentiæ in culpis delinquentium principi reservamus, etc.

Ex conc. Toletano IV, *sub Honorio I*, *an.* 638. — 14. Si post Chintillani regis discessum quispiam repertus fuerit ejus vitæ fuisse infidelis, quidquid largitate ipsius in rebus habuit conquisitis careat, confiscandum et fidelibus largiendum.

16. Præbeatur filiis regis dilectio benigna et firma, et tribuantur, ubi loci opportunitas exhibuerit, defensionis adminicula justa, ne de rebus juste provisis, aut parentum dignitate procuratis, aut largitate principum vel alicujus impensis, aut etiam proprietate debitis fraudentur, quibuslibet insidiis calliditatis, quia dignum est et cujus regimine habemus securitatem, ejus posteritati decreto concilio impertiamus quietem.

17. Regis vita constante, nullus sibi aliquo opere vel deliberatione, cujuscunque dignitatis, laicus seu gradus episcopatus, presbyterii aut diaconi consecratus, etc., regem provideat contra viventis regis utilitatem et voluntatem, nullo blandimento vel suasione pro eadem spe aut alios in se trahat, aut ipse in alium acquiescat, etc. Rege vero defuncto, nullus tyrannica præsumptione regnum assumat, nullus sub religionis habitu detonsus aut turpiter decalvatus, aut servilem originem trahens, vel extraneæ gentis homo nisi genere et moribus dignus promoveatur ad apicem regni, temerator autem hujus præceptionis feriatur perpetuo anathemate.

18. Nemo intendat in interitum regis, nemo vitam principis nece attrectet, nemo eum regni gubernaculis privet, etc. Quod si in quidpiam horum quisquam nostrorum temerario ausu præsumptor exstiterit, anathemate divino percussus, absque ullo remedii loco habeatur condemnatus æterno judicio.

Ex conc. Toletano VII, *sub Theodoro*, *an.* 645. — 1. Si quicunque catholicæ fidei prævaricator princeps surrexerit, sacerdos nullatenus favore principis vel terrore, a rectæ credulitatis lumine ad tenebras cogatur reverti, si quicunque laicorum quandoque intra fines patriæ Gothorum superbiens regni

Digitized by Google

apicem sumere fortasse tentaverit, eique clericorum quilibet adjutorium vel favorem præstiterit, atque ad regnum pervenire contigerit, ex ea die eumdem episcopum vel cujuslibet ord. clericum excommunicatum manere oportebit.

Ex conc. Toletano x, *sub Vitaliano, an.* 656. — 2. Si quis religiosorum ab episcopo usque ad extremum ordinis clericorum sive monachorum, generalia juramenta in salutem regiam, gentisque aut patriæ data reperiatur violasse, mox propria dignitate privatus, et loco et honore habeatur exclusus.

Ex conc. Emeritensi, sub Vitaliano, an. 664. — 3. Quandocunque regem causa ingredi fecerit contra suos hostes, unusquisque nostrum in ecclesia sua hunc teneat ordinem, ita ut omnibus diebus per bonam dispositionem sacrificium omnipotenti Deo pro ejus suorumque fidelium atque exercitus sui salute offeratur, etc.

Ex conc. Toletano XII, *sub Agathone, an.* 681. — 1. Non erit ab anathematis sententia alienus, aut a divinæ animadversionis ultione securus, quisquis contra salutem principis aut erexerit vocem, aut commoverit cœlum, aut quamcunque exquisiverit lædendi ultionem.

Ex conc. Toletano XIII, *sub Leone II, an.* 683. — 5. Si quis præsumpserit aut superstitem reginam post decedentis principis mortem sibi in connubio copulare, aut adulterina pollutione contaminare, sive sit rex, sive quilibet hominum, sit ab omnium Christianorum communione seclusus.

Ex conc. Cæsaraugustano, sub Sergio, an. 691. — 5. Statuimus ut deinceps relicta principis, statim arcessito ab sæculo principe, vestem sæcularem deponat, et alacri curiositate religionis habitum assumat, quam etiam et confestim in cœnobio virginum mancipandam esse censemus.

Ex conc. Toletano XVI, *sub Sergio, an.* 693. — 9. Sponsio principibus compromissa absque aliquo fraudis nævo custodiatur, et fides eis reddita nullis factionibus, nullisque etiam nequitiæ machinationibus temeretur.

Ex conc. Ratisponensi, sub Zacharia, an. 742. — 5. Unum vel duos episcopos cum capellanis presbyteris princeps secum habeat in exercitu, et unusquisque præfectus unum presbyterum qui hominibus peccata confitentibus indicare pœnitentiam possit.

Ex conc. Arelatensi IV, *sub Leone III, an.* 813. — 2. Ut pro domino nostro Carolo rege seu liberis ejus omnes episcopi, presbyteri seu abbates et monachi in unum collecti, psalmodiam, missarum solemnia, atque litaniarum officia omnipotenti Deo exsolvant, decrevimus.

Ex conc. Turonensi III, *sub Leone II, an.* 813. — 1. Admonuimus cunctos qui nostro conventui interfuere, ut obedientes sint excellentissimo imperatori nostro, et fidem quam ei promissam habent inviolabiliter conservare studeant, orationes quoque assiduas intente fundere pro ejus stabilitate aut incolumitate.

Ex conc. Cabilonensi, sub Leone III, an. 813. — 66. Ab omnibus indesinentes orationes fiant pro vitæ incolumitate, pro salute animæ et corporis domini imperat., prolisque ejus, pro statu regni, pro remissione peccatorum, et cœlestis regni collatione, ita duntaxat ut semper magis ac magis, per incrementa temporum, talis crescat observatio.

Ex conc. Rhemensi I, *sub Leone III, an.* 813. — 40. Ut pro domino imperat. suaque nobilissima prole orationes et oblationes super has quæ hactenus pro ipsis Deo omnipotenti oblatæ sunt, augeantur.

41. Ut dominus imperator misericordiam faciat, ne solidi qui in lege habentur per 40 denarios discurrant, quoniam propter eos multa perjuria, multaque falsa testimonia reperiuntur.

42. Ut in sua eleemosyna firmiter statuat, ne quilibet in suum pergentibus servitium ullatenus prohibere audeat, neque aliis quibus necessitas incumbit.

43. Ut ejus magnificum et cuncto imperio ejus, suis et futuris temporibus, firmetur capitulum sive ab anno tertio a quo adhuc testes haberi possint, etc. Qualiter omnes lites et jurgia in sua misericordia terminum habere potuissent, pro talibus multa perjuria, multæque dissensiones oriuntur in populo.

44. Ut de falsis testibus ejus simili modo piissimum firmetur capitulum, etc. Ne propter eorum falsa testimonia, iniquaque perjuria, tot damna, totque injustitiæ oriantur.

Ex conc. Aquisgranensi, sub Gregorio IV, an. 836. — 12. Si quispiam episcoporum aut quilibet sequentis ordinis ecclesiastici deinceps timore aut cupiditate, aut qualibet suasione, a domino et orthodoxo Ludovico imperatore defecerit, aut etiam sacramentum fidelitatis illi promissum violaverit, et ejus contrariis malevola intentione quolibet modo se copulaverit, gradum proprium canonica atque synodali sententia amittat; quod si quisquam laicus superius comprehensa facere tentaverit, sciat se ab universo gradu anathematizandum.

Ex conc. Vernensi, sub Sergio II, an. 844. — 1. Cultum Dei rex omnibus præferat et misericordiam cum judicio et justitia conservet.

2. Mittantur a rege legati qui scelerum patratores, et apostolicæ disciplinæ contemptores coerceant.

Ex conc. Meldensi, sub Sergio II, an. 845. — 14. Si quis contra regiam dignitatem dolose, callide ac perniciose satagere comprobatus fuerit, nisi dignissime satisfecerit, anathematizetur.

15. Si quis potestati regiæ contumaci ac inflato spiritu contra auctoritatem et rationem pertinaciter contradicere præsumpserit, et ejus justis et rationabilibus imperiis secundum Deum et auctoritatem ecclesiasticam ac jus civile obtemperare irrefragabiliter noluerit, anathematizetur.

71. Ut auctoritatem sigillo regio roboratam more tractatoriæ Christianissimus prin-

Digitized by Google

ceps singulis donet episcopis, quam quisque episcoporum penes se habeat, ut, quando ei necesse fuerit, per eamdem auctoritatem reipublicæ ministros conveniat, ut ipsi in quibuscunque civili indiguerit adjutorio, reipublicæ ministris concurrentibus, suum imo divinum possit peragere ministerium.

74. Provideant viri potentes et maxime potentes feminæ, ut in suis domibus adulteria et luxuriæ concubinaticæ, et incesta adulteria non vigeant.

75. Si capellas vestras presbyteris aut viris ecclesiasticis dederitis, et Dominicas decimas acceperint, sarta tecta ecclesiæ et luminaria exinde competenter provideant, et presbyteri parochianas decimas accipiant, et populi necessitatibus debite invigilent; si autem laici capellas habuerint, a ratione et auctoritate alienum habetur, ut ipsi decimas accipiant, et inde canes aut geniciarias pascant, sed potius presbyteri ecclesiarum eas accipiant, etc.

Ex conc. Ticinensi, sub Leone IV, an. 850. — 16. Suggerendum est beatissimis imperatoribus, quia hi qui monasteria et xenodochia sub defensione sacri palatii posuerunt, ideo fecisse probantur quod a nullo melius quam a summis potestatibus protegenda crediderint, et si ea contra decreta institutorum personis quibus non licet dederint, ipsi impugnatores efficiuntur qui propugnare debuerunt, et cavendum summopere principibus, ut quia minime nunc judicantur, ne in futuro judicio ab omnipotenti Deo gravius judicentur, etc.

Ex conc. apud S. Macram, sub Joanne VIII, an. 881. — 1. Quod distinctæ sint potestas regia, et auctoritas pontificum.

6. Admonitio ad regem et ministros reipublicæ.

8. Ad regem, ut bonos deligat consiliarios.

Ex conc. Moguntino, sub Stephano VI, an. 888. — 1. Statuimus ut oratio ab omnibus nobis tam pro glorioso rege Arnulpho, seu etiam pro gloriosa conjuge sua, necnon et pro statu totius Christianitatis, prout nos debitores esse cognoscimus, in ecclesiis nostris assidue celebretur.

2. Ut annuntietur glorioso nostro regi Arnulpho quid sit rex, quidve vocari debeat. Rex a recte regendo vocatur: si enim pie et juste misericorditer regit, merito rex appellatur; si his caruerit, non rex sed tyrannus est, etc. Ita se sanctæ matris Ecclesiæ meminerit filium, ut ejus paci atque tranquillitati per universum mundum prodesse suum faciat principatum.

3. Regale ministerium specialiter est populum Dei gubernare et regere cum æquitate et justitia, et ut pacem et concordiam habeat studere.

Ex conc. Romano, sub Joanne X, an. 904. — 2. Ut imperiales homines ad colloquium sive servitium imperatoris properantes, suis stipendiis sint contenti.

Ex conc. Coyacensi, sub Leone IX, an. 1050. — 13. Omnes, majores et minores, veritatem et justitiam regis non contemnant.

Ex conc. Melfitano, sub Urbano II, an. 1090. — 9. Quia novum hoc tempore clericorum acephalorum genus emersit, qui morantur in curiis, et viris et feminis ad sui ordinis dedecus subditi, etc., prohibemus ne quis retineat hujusmodi, sed procures ab episcopis animarum suarum procurent clericos postulare.

REVELATIO IN GENERE

[Ex SS. Patribus.

S. Just., *Cohort. ad Græcos*, c. 3. — Quandoquidem igitur Græci suis doctoribus magnopere gloriantur, et nobis commemorando quos Anaximandros, et Empedocles, cum Pythagoris quoque et Platonibus, aliisque præterea adjectis, qui eis impiorum dogmatum auctores, vel, ut ita dicam, ignorantiæ fontes existere, magnum stuporem incussuros putant: age dicamus.

Idem, *ibid.*, c. 4. — Videtis igitur perturbationem eorum qui apud vos sapientes habiti sunt, quosque vobis magistros religionis fuisse dicitis: aliis aquam omnium principium esse pronuntiantibus, aliis aerem, aliis aliud quidquiam eorum quæ prædiximus; omnibus vendibili quadam oratione ad eorum quæ non belle statuerunt confirmationem utentibus, ac ut propria opinio præstantior videatur enitentibus. Hæc ab illis dicta. Quomodo igitur his, qui salutem adipisci cupiunt, tutum sit existimare, o Græci, se veram religionem ab his posse perdiscere, qui ne sibi ipsis quidem persuadere potuerunt, ut ne inter se litigarent?

Idem, *ibid.*, c. 5. — Fieri non potest ut qui tam magna et divina a peritis non didicerunt, ea aut sciant ipsi, aut alios recte valeant edocere.

Idem, *ibid.*, c. 7. — Nam si quis accurate illorum scripta expendere velit, ne in suis quidem ipsi opinionibus permanendum sibi esse statuerunt. Nunc enim Plato tria universi principia docet, Deum, materiam et formam; nunc quatuor. Addit enim illam omnia permeantem animam. Rursus, qui prius materiam non factam dixit, factam deinceps asserit: et qui prius singularis principii rationem formæ attribuit, eamque per substantiam esse pronuntiat, postea illam in mentis notionibus recenset. Quin

Digitized by Google

etiam postquam quidquid factum est corruptioni obnoxium esse decrevit, deinceps nonnulla quæ facta sunt, dissolutionem et corruptionem effugere posse declarat.

S. Just., *cohort. ad Græcos*, c, 7 — (Quid igitur causæ est cur, non solum inter se, sed etiam secum pugnant, qui apud vos habiti sunt sapientes? Nimirum quod a peritis discere noluerint; sed esse existimaverint mentis humanæ solertia claram cœlestium rerum cognitionem assequi posse, cum ne terrestrium quidem potuerint.

Idem, *ibid.* — Quidam ex vestris philosophis animam humanam in nobis, alii circa nos esse dicunt. Nam nec ea de re consentire inter se voluerunt; sed quasi ignorationem variis modis partiti essent, etiam de anima litigare inter se, et digladiari statuerunt: horum enim alii animam ignem esse dicunt, alii aerem, alii mentem, alii motionem, alii exhalationem, quidam vim ex astris fluentem, nonnulli numerum movendi facultate præditum; alii denique aquam genitalem. Ac omnino incondita apud eos, et discors quædam inveteravit sententia, quæ hac una re æquis judicibus laudanda videtur, quod sese invicem conati sint erroris et ignoratæ veritatis crimine premere.

Idem, *ibid.*, cap. 8. — Igitur cum nihil veri ex magistris vestris de religione disci possit, ut qui vobis idonea suæ et rerum ignorationis documenta mutuis dissensionibus præbuerint, sequi mihi videtur ut ad majores nostros recurramus, qui et multo antiquiores vestris fuere, nec quidquam proprio marte excogitatum nos docuerunt: nec inter se digladiari, aut suas invicem opiniones evertere conati sunt, sed sine ullo contentionis et partium studio scientiam a Deo acceperunt, eamque nos docuerunt. Neque enim natura, aut humani ingenii acie res tam magnæ ac divinæ cognosci ab hominibus possunt: sed eo, quod tunc in sanctos homines descendebat, dono.

Idem, *ibid.*, c. 11. — Harum sententiarum (de immortalitate animæ) quæ vera sit, deus aliquis viderit; quæ verisimillima, magna quæstio est.

Idem, *ibid.*, c. 22. — Quæritur primum in ea quæstione de natura deorum, sintne dii, necne sint. Difficile est negare, credo, si in concione quæratur; sed in hujusmodi sermone et in consessu, facillimum. Itaque ego ipse, pontifex, qui cæremonias, religionesque publicas sanctissime tuendas arbitror, id quod primum est, esse deos, persuadere mihi, non opinione solum, sed etiam ad veritatem plane velim. Multa enim occurrunt quæ conturbent, ut interdum nulli scisse videantur.

Idem, *ibid.*, cap. 36. — Socrates propterea sapientem se esse dictum ait, quod cum cæteri homines simulent se scire quæ nesciant, ipse non pigretur nihil se scire confiteri. Ita enim dicebat: Videor igitur hac re perexigua esse sapientissimus, quod quæ nesciam, non me existimem scire. Nemo autem existimat Socratem ironia quadam ignorationem præ se ferre, eo quod ita se gerere in colloquiis soleat. Extrema enim verba defensionis, quam in carcerem abiens pronuntiavit, argumento sunt serio illum et vere ignorationem esse confessum. Sic enim loquitur: Sed jam tempus est ut abeamus, ego quidem moriturus, vos autem victuri; utri autem ad meliora proficiscantur, nemini notum, nisi Deo.

Idem, *De monarchia*, c. 1. — Postquam oblivio propter Dei patientiam mentes hominum occupavit, facinus aggressa est; et nomen soli vero Deo congruens ad mortales transtulit; et a paucis nequitiæ contagio ad multos pervenit, in quibus stabilium et immutabilium rerum cognitio, non consuetudo popularis obscuravit.

Idem. *ibid.*, c. 6. — Si quis enim eorum qui feruntur deorum actiones, cum non noverit, imitatur, is adhuc impurus, et a vita et humanitate alienus existimetur. Si quis autem noverit, probabilem habebit pœnæ effugiendæ ansam, delictum non esse demonstrans divinorum facinorum imitationem.

Idem, apol. 1, c.11 — Præscribit ratio ut qui vere pii et philosophi sunt, verum unice colant et diligant, recusantes majorum opiniones sequi, si pravæ sint.

Idem, *ibid.*, cap. 44. — Atque omnia quæcunque de immortalitate animæ, vel pœnis post mortem, vel cœlestium rerum contemplatione, vel similibus sententiis, tum philosophi, tum poetæ dixerunt, sumpto ex prophetis argumento, et intelligere res illas potuerunt et exposuerunt. Hinc omnibus videntur inesse veritatis semina.

Idem, apol. 2, cap. 10. — Deum autem, quem ignorabant, ut rationis investigatione cognoscerent his eos verbis (Socrates) hortabatur: Parentem et opificem universorum, neque invenire facile, neque, si inveneris, apud omnes prædicare tutum est.

Idem, *ibid.*, cap. 13. — Quæcunque igitur apud alios omnes præclare dicta, ea nostra sunt Christianorum.

S. Theophil. Antiochen., *Ad Autolyc.*, lib. II, cap. 34. — Cæterum auctor tibi sum, res divinas, id est ea quæ a prophetis dicta sunt, summo studio scruteris, ut consentione facta eorum quæ a nobis, et eorum quæ a cæteris dicuntur, verum invenire possis.

Idem, *ibid.*, lib. III, c. 3. — Pugnantia locuti sunt (philosophi), ac sua ipsorum dicta plerique dissolverunt. Neque enim sese invicem solum evertunt, sed jam nonnulli sua ipsorum decreta irrita fecerunt; ita ut eorum gloria in ignominiam et stultitiam evaserit. Nam condemnantur ab hominibus intelligentia præditis. Vel enim de diis locuti sunt, ac postea nullum esse Deum docuerunt; vel de mundi origine, ac postremo sua sponte orta esse omnia docuerunt. Quin etiam de providentia disputantes, rursus nulla mundum regi providentia decreverunt.

Idem, *ibid.*, c. 6. — Nam et de infando scelere pene inter vos omnes convenit, qui in philosophiæ choro erraverunt.

Digitized by Google

Ac primus quidem Plato, qui præclarius inter eos philosophatus videtur, nominatim in primo *De republica* libro, sancit, veluti quidam legislator, communes esse omnium uxores; auctore utens Jovis filio, et Cretentium legislatore (ut per interpositam causam fecunda proles ex talibus nasceretur; simul quod eos qui labores exantlarent, hujusmodi copulis demulceri oportebat), quamvis ea res legibus prohiberetur... Epicurus autem, præter quam quod Deum non esse docet, auctor est ut cum matribus et sororibus consuetudo stupri habeatur, ac ejusmodi facinora patrentur, quæcunque reliquis legibus Romanorum et Græcorum prohibentur. Cur igitur Epicurus et stoici incestos cum sororibus et masculis concubitus docent? Qua doctrina bibliothecas impleverunt, ut a teneris infanda flagitia ediscerentur.

S. Irenæus, *Contra hæres.*, lib. II, c. 38, n. 2.— Et non est mirum si in spiritualibus et cœlestibus, et in his quæ habent revelari hoc patimur nos: quandoquidem etiam eorum quæ ante pedes sunt (dico autem quæ sunt in hac creatura, quæ et contrectantur a nobis, et videntur et sunt nobiscum), multa fugiunt nostram scientiam; et Deo ipsi committimus: oportet enim eum præ omnibus præcellere.

Idem, *ibid.*, lib. IV, cap. 13, n. 1. — Edocuit tamen Dominus quoniam Deum scire nemo potest, nisi Deo docente: hoc est, sine Deo non cognosci Deum.

Idem, *ibid.* — Et quia Dominus naturalia legis, per quod homo justificatur, quæ etiam ante legislationem custodiebant, qui fide justificabantur et placebant Deo, non dissolvit, sed extendit et implevit, ex sermonibus ejus ostenditur.

Minucius Felix, *Octav.*, c. 35. — Si vobiscum Christiani comparemur, quamvis in nonnullis disciplina nostra minor sit, multo tamen vobis meliores deprehendemur. Vos enim adulteria prohibetis, et facitis; nos uxoribus nostris solummodo viri noscimur: vos scelera admissa punitis, apud nos et cogitare peccare est; vos conscios timetis, nos etiam conscientiam solum, sine qua esse non sumus.

S. Clemens. Alex., *Stromat.* lib. I, c. 20.— Philosophia confert ad comprehendendam veritatem cum sit inquisitio veritatis, non quod sit causa comprehensionis.

Idem, *ibid.*, l. IV, c. 8. — Licet ei qui ex more nostro vitam instituit, etiam absque litteris philosophari; seu sit barbarus, seu Græcus, seu servus, seu senex, seu puellus, seu mulier.

Idem, *ibid.*, lib. V, cap. 1. — Fidem autem non otiosam et solam, sed cum inquisitione ostendere oportet. Non hoc enim dico non oportere omnino quærere; Quære enim, inquit, et invenies.

Idem, *ibid.*, lib. VI, cap. 18. — Philosophi Græcis solis, neque iis omnibus placuere: sed Platoni quidem Socrates, et Xenocrati Plato, Aristoteles Theophrasto, et Cleanthi Zeno, qui suos solos persuaserunt asseclas. Magistri autem nostri verbum non mansit in sola Judæa, sicut philosophia in Græcia; sed diffusum est per totum orbem terrarum, Græcorum et barbarorum gentibus, et vicis, et totis urbibus persuadens, totas domos et seorsum unumquemque de iis qui auscultarunt, et ex ipsis etiam philosophis non paucos jam traducens ad veritatem.

Idem, *Recogn.*, l. III. — Et Petrus: Noli, inquit, putare nos quod ex fide sola recipienda esse dicamus, sed ex ratione asserenda. Neque enim tutum est nudæ hæc fidei absque ratione committere, cum utique veritas ratione non careat. Et ideo qui hæc ratione munita susceperit, perdere eam nunquam potest. Qui vero absque assertionibus ea suscipit, simplicis sermonis assensu, neque servare ea tuto potest, neque si vera sint certus est, quia qui facile credit, facile et recedit. Qui autem rationem quæsierit eorum quæ credidit, quasi vinculis quibusdam rationis ipsius colligatus, nunquam ab his quæ credidit divelli aut separari potest. Et ideo quanto quis propensior fuerit in expetenda ratione, tanto erit firmior in conservanda fide.

Tertullianus, *Apol.*, c. 3. — Quid quod ita plerique clausis oculis in ejus odium impingunt, ut bonum alicui testimonium ferentes, admisceant nominis exprobrationem? Bonus vir Caius Sejus, tantum quod Christianus. Item alius: Ego miror Lucium, sapientem virum, repente factum Christianum. Nemo retractat: non ne ideo bonus Caïus et prudens Lucius, quia Christianus, quia prudens et bonus? Laudant quæ sciunt, vituperant quod ignorant; et id quod sciunt, eo quod ignorant, corrumpunt: cum sit justius occulta de manifestis præjudicare, quam manifesta de occultis prædamnare. Alii, quos retro ante hoc nomen vagos, viles, improbos noverant, ex ipso dementant quo laudant; cæcitate odii in suffragium impingunt. Quæ mulier! quam lasciva! quam festiva? Qui juvenis! quam ludius! quam amasius! Facti sunt Christiani: ita nomen emendationi imputatur. Nonnulli etiam de utilitatibus suis cum odio isto paciscuntur, contenti injuria, dum ne domi habeant quod oderunt. Uxorem jam pudicam maritus jam non zelotypus ejecit; filium jam subjectum pater retro patiens abdicavit; servum jam fidelem dominus olim mitis ab oculis relegavit: ut quisque hoc nomine emendatur, offendit. Tanti non est bonum, quanti est odium Christianorum.

Idem, *ibid.*, c. 4.—Nulla lex vetat discuti quod prohibet admitti... Nulla lex sibi soli conscientiam justitiæ suæ debet, sed eis a quibus obsequium exspectat. Cæterum suspecta lex est quæ probari se non vult; improba autem, si non probata dominetur.

Origenes, *Contra Celsum*, lib. VI, n. 10.— Neque dicimus id quod nobis nugator ille tribuit: Crede eum de quo tibi loquor esse Dei Filium, quamvis fuerit ignominiose vinctus, aut turpi affectus supplicio; quamvis heri et nudius tertius in oculis omnium probosissime habitus sit. Neque dicimus: Ob hoc ipsum magis crede: nam de sin-

Digitized by Google

gulis rebus plura conamur argumenta afferre, quam supra exposuimus.

Orig., *Contra Celsum*, lib. VII, n. 37.—Equis non merito Celsum derideat Christianis tribuentem quæ nunquam a Christianis dicta sunt.

S. Athanas., epist. 4, *ad Serapionem*, n. 5. — Quæ fide traduntur cognitionem habent non curiose perscrutandam.

Idem, *De Assumptione hominis*, lib. III. — Dedit se Deus credendum, et non definiendum : mihi enim credere jussum est, non discutere permissum.

Idem, *ad Antiochum*, quæst. 1. — Curiose scrutanda non est rectæ religionis ratio, nec investigatione, sed sola fide agnoscenda est, et adoranda. Siquidem Deus, si comprehendatur, non est Deus.

Idem, *Orat. ad gentes*, n. 6.—Ita enim prisci insipientes homines, ubi in carnis cupiditates et fallaces illecebras demersi sunt, Deique notitiam et cognitionem oblivione deleverunt, obtusa ratione, vel potius rationis expertes facti, res aspectabiles deos esse finxerunt, ipsamque creatam naturam pro Deo honoraverunt; et opera potius quam operum auctorem et opificem Dominum Deum Dei titulo divinisque honoribus decorarunt.

Idem, *De Incarn. Verbi Dei*, n. 47. — Quod autem ad gentilem sapientiam, et philosophorum magniloquentiam attinet, neminem esse reor, qui nos de hac re verba facere exoptet : quippe cum ante omnium oculos res ipsa admiranda sane obversetur, quod cum gentilium sapientes tot scriptis voluminibus, nec paucos saltem ex vicinis regionibus adducere potuerint, ut suam de immortalitate doctrinam amplecterentur, ac virtutem sequerentur, solus Christus, humili ac vulgari sermone, nec disertis hominibus usus, per universum terrarum orbem plurimis hominum cœtibus persuasit, ut, morte contempta, immortalia saperent; et, rebus caducis neglectis, sola æterna bona suspicerent ; ac denique ut, terrenam gloriam nihili ducentes, ad solam cœlestem aspirarent.

S. Cyrillus Hierosol., catech. 4, cap. 2.— Ratio divini cultus ex his duobus constat : piis dogmatibus, et actionibus bonis; neque doctrina sine operibus bonis accepta Deo, neque opera recipit Deus a religiosis dogmatibus sejuncta.

S. Gregorius Naz., *Adv. Julian.*, orat. 3. — Philosophi partim ne Deum quidem omnino esse, partim rerum humanarum cura non tangi, verum temere et fortuito omnia fieri censent; partim sideribus duci necessariisque et fatalibus figuris, haud scio unde et a quo ductis; partim omnia voluptatem appetere, idque vitæ humanæ finem arbitrantur. Virtus porro ipsis speciosum duntaxat nomen est; nec ultra hanc vitam porrigitur, nec ulla postea rerum in hac vita gestarum censura injustitiam reprimens.

Idem, *ibid.*, n. 115. — Etenim quos remotis etiam vitiorum illecebris a malo avertere, atque a deteriori parte ad meliorem traducere difficile est, quis tandem his ut placidi, et moderati sint persuaserit, cum deos vitiosarum affectionum duces et patronos habeant : ubi vitiosum esse, non turpe, sed honorificum etiam existimatur : utpote deorum aliquem defensorem, ac patronum assumens, qui vitiosa hac affectione laborat, atque aris et sacrificiis ornatur.

Idem, *ibid.*, orat. 10.—Philosophari enim, ut maximum, ita difficillimum est, nec id aggredi multorum est, nec aliorum quam quos divina mentis magnitudo, quæ probæ hominum voluntati manum porrigere solet, advocarit.

Idem, *ibid.*, orat. 30. — Non cujusvis est, o viri, de Deo disserere; non, inquam, cujusvis... Quoniam Iris duntaxat id muneris incumbit, qui exactissime explorati sunt, ac contemplando longe processerunt : priusque etiam corpus et animam a vitiorum sordibus purgarunt, aut, ut parcissime loquar, jam hoc agunt, ut se a vitiorum labe purgent. Impuro enim rem puram attingere, ne periculo quidem fortasse caret; quemadmodum nec ægris oculis solis radios intueri.

Idem, *ibid.*, orat. 34. — Ad hunc modum ratio illa divinitus hominibus insita, et prima in pectoribus nostris condita lex, cunctisque mortalibus innexa, nos ab iis rebus quæ oculis cernuntur ad Deum subvexit.

Idem, *ibid.*, orat. 40. — Eodem modo iis qui baptismum non assequuntur res se habet. Alii enim pecudum omnino vel ferarum vitam imitantur, prout vel amentia vel animi pravitate laborant, qui scilicet ad cætera mala hoc quoque adjunxerunt ut nec baptismum ipsum, ut opinor, magnopere venerentur, eoque animo sint ut siquidem, eum non gravatim accipiant : si non detur, susdeque ferant. Alii donum quidem agnoscunt, atque honore prosequuntur, verum moras producunt, partim ob ignaviam, partim ob inexplicabilem peccandi libidinem. Alii ne accipere quidem possunt, vel propter infantiam fortasse, vel propter inopinatum prorsus et violentum aliquem casum; quo efficitur ut ne cupientibus quidem gratia potiri liceat. Quemadmodum igitur in illis magnum discrimen invenitur, ita etiam inter istos : nam, qui plane baptismum aspernantur, sceleratiores sunt iis qui nimia peccandi cupiditate, vel socordia, a baptismo suscipiendo retardantur; atque hi rursus in graviori crimine sunt quam illi qui per ignorantiam, vel tyrannidem, a baptismo exciderunt; tyrannis enim nihil aliud est quam rei alicujus consequendæ inopinata erepta facultas. — Ac futurum existimo ut primi quidem, cum illorum scelerum, tum etiam baptismi contempti pœnas luant. Alii autem pœnas quidem, leviores tamen pendant; ut qui non tam animi pravitate quam stultitia, a baptismo erraverint. Postremi denique, nec cœlesti gloria, nec suppliciis a justo judice afficiantur; utpote qui, licet signati non fuerint, improbitate tamen careant; atque hanc jacturam passi potius

Digitized by Google

fuerint quam fecerint. Neque enim quisquis dignus supplicio non est, protinus honorem quoque meretur; quemadmodum nec quisquis honore indignus est, statim etiam pœnam promeretur.

S. Ambros., *Enarr. in psal.* xxxvi, n. 50.— Ita est medium, quod et ipse qui a Domino dirigitur, viam Domini cupiet: quia, duce ipso, omnis levatur labor, omnia impedimenta removentur, incentiva subministrantur.

Idem, epist. 37, *ad Simplicianum*, n. 51. — Servit igitur peccator formidini, servit etiam cupiditati, servit avaritiæ, servit libidini, servit malitiæ, servit iracundiæ, et videtur sibi liber! Sed magis servit, quam si sub tyrannis positus.

Idem, *De Virgin*, lib. III, cap. 11, n. 5. — Qui moderari nescit cupiditatibus, is sicut equis raptatus indomitis, volvitur, obteritur, laniatur, affligitur.

Idem, *De Elia et jejun.*, cap. 22, n. 83. — Suscipite jugum Christi. Nolite timere quia jugum est; festinate, quia leve est. Non conterit colla, sed honestat. Quid dubitatis? quid procrastinatis? Non alligat cervicem vinculis, sed mentem gratia copulat; non necessitate constringit, sed voluntatem boni operis dirigit.

Idem, *De offic. ministr.*, lib. I, cap. 26, n. 122. — Itaque tractant in veri investigatione tenendum illud decorum, ut summo studio requiramus quid verum sit; non falsa pro veris ducere, non obscuris vera involvere, non superfluis vel implexis, atque ambiguis occupare animum.

Idem, *ibid.*, n. 124 et 125. — Nihil est enim quo magis homo cæteris animantibus præstet, quam quod rationis est particeps, causas rerum requirit, generis sui auctorem investigandum putat, in cujus potestate vitæ necisque potestas sit, qui mundum hunc suo nutu regat, cui sciamus rationem esse reddendam nostrorum actuum. Omnibus igitur hominibus inest, secundum naturam humanam verum investigare, quæ nos ad studium cognitionis et scientiæ trahit, et inquirendi infundit cupiditatem.

Idem, *ibid.*, lib. II, cap. 5, n. 19. — Sunt tamen qui in hoc corpore tam infirmo, tam fragili, impossibilem beatam vitam putent, in quo necesse est angi, dolere, deplorare, ægrescere. Quasi vero ego in corporis exsultatione dicam vitam beatam consistere; et non in altitudine sapientiæ, suavitate conscientiæ, virtutis sublimitate: non enim in passione esse, sed victorem esse passionis, beatum est.

Idem, *in psal.* cxviii, serm. 3, n. 6. — Portare jugum Christi suave est, si ornamenta putes cervicis tuæ esse, non onera.

Idem, *De Abraham*, lib. II, cap. 11, n. 84. — *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* (*Joan.*, III, 5.) Utique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate. Habeant tamen illam opertam pœnarum immunitatem, nescio an habeant regni honorem.

Idem, *De fide*, lib. XIII, cap. 1, n. 7. — Noli ex nostris æstimare divina, sed divina crede, ubi humana non invenis.

Idem, epist. 17, *ad Valentinianum*, n. 4. — Cœli mysterium doceat me Deus ipse qui condidit; non homo qui seipsum ignoraverit. Cui magis de Deo quam Deo credam?

Idem, epist. 73, *ad Irenæum*, n. 5. — Ergo quia per inobedientiam prærogativa naturalis legis corrupta atque interlita est, ideo scriptum legis æstimatum et necessarium.

Idem, *ibid.*, n. 2. — Si naturalem legem, quam Deus creator infixit singulorum pectoribus, homines servare potuissent, non fuerat opus ea lege, quæ in tabulis scripta lapideis, implicavit atque innodavit magis generis humani infirmitatem, quam elaqueavit atque absolvit.

S. Hieronym., *Epist. ad Algasiam*, quæst. 8. — Quomodo medicina non est mortis causa, si ostendat venena mortifera, licet his male homines abutantur ad mortem, et vel se interficiant, vel insidientur inimicis; sic lex data est ut peccatorum venena monstret, et hominem male libertate sua abutentem, qui prius ferebatur improvidus, et per præcipitia labebatur, freno legis retineat, et compositis doceat incedere gressibus.... Hanc legem nescit pueritia, ignorat infantia, et peccans absque mandato, non tenetur lege peccati. Maledicit patri et matri, et parentes verberat; et quia necdum accepit legem sapientiæ, mortuum est in eo peccatum. Cum autem mandatum venerit, hoc est tempus intelligentiæ appetentis bona, et vitantis mala, incipit peccatum reviviscere, et ille mori, reusque esse peccati. Atque ita fit ut tempus intelligentiæ, quo Dei mandata cognoscimus, ut perveniamus ad vitam, operetur in nobis mortem, si agamus negligentius, et occasio nequitiæ seducat nos, atque supplantet, et ducat ad mortem. Non quod intelligentia peccatum sit (lex enim intelligentiæ sancta, et justa, et bona est), sed per intelligentiam peccatorum atque virtutum mihi peccatum nascitur; quod priusquam intelligerem, peccatum esse non noveram. Atque ita factum est, ut quod mihi pro bono datum est, meo vitio mutetur in malum; et, ut hyperbolice dicam, novoque verbo utar ad exprimendum sensum meum, peccatum, quod priusquam haberem intelligentiam, absque peccato erat, per prævaricationem mandati incipiat mihi esse peccantius peccatum.

Idem, *Comment. in Amos*, lib. III, cap. 9. — Unde et ipsa religio a religando dicta; et in fascem Domini vinciendo nomen accepit.

Idem, *Comment. in Isai.*, lib. VIII, cap. 24. — Qui igitur has leges (naturales) observaverint, præmia consequentur: qui autem neglexerint, eas sustinebunt quæ nunc propheticus sermo comminatur.

Idem, *Comment. in Eccle.*, cap. 10. — Lege Platonem; Aristotelis revolve versutias; Zenonem et Carneadem diligentius intuere: et probabis verum esse quod dicitur: *Labor stultorum affliget eos.* (*Eccle.* x, 15.) Verita

Digitized by Google

tem illi quidem omni studio quæsierunt; sed, quia non habuerunt ducem et prævium itineris, et humanis sensibus rate sunt, se comprehendere posse sapientiam, ad veritatem minime pervenerunt.

S. Chrysost., *in Gen.*, hom. 25, n. 14. — Quando enim Deus operatur aliquid, dilecte, noli humana ratiocinatione ejus opera exquirere; transcendunt enim mentem nostram, et nunquam potest humana cogitatio attingere, et comprehendere eorum quæ a Deo condita sunt rationem.

Idem, *Expos. in psal.* cxi, n. 1.—Qui meretricis itaque amore captus est, etiamsi afficiatur probro et contumelia, etiamsi verberetur, etiamsi se turpiter et indecore gerat, etiamsi expellatur a patria, etiamsi bonis paternis evertatur, etiamsi patris benevolentia privetur, etiamsi graviora patiatur, ea fert jucunde et lubenter, propter amorem impudicum. Quod si illa cum voluptate suscipiunt, quomodo non multo magis Dei præcepta, quæ sunt salutaria, et gloria plena, et magnam nobis præbent philosophiam, et animam meliorem efficiunt, oportet cum magna voluptate suscipere, et nihil esse difficile in eis existimare.

Idem, *Expos. in psal.* cxv, n. 3.— Vides quantum sit periculum res fidei permittere humanis rationibus, et non fidei.

Idem, *Expos. in psal.* cxxiv, n. 2.—Unde datum est, etiam ante supplicium, vitium ipsum supplicium infligere; et ante remunerationem virtutem remunerari.

Idem, *in psal.* cxlvii, n. 3. — Judæi soli peculiari quodam privilegio hæc omnia consecuti sunt, verum universa natura humana habuit sufficientem legem conscientiæ.

Idem, *in Epist. ad Romanos*, hom. 7, n. 4. — Etenim tibi lex scripta data fuit, illis vero lex naturalis; et hi nihil minus habebant, si voluissent, sed vincere poterant.

Idem, *in Matth.*, hom. 37, al. 39, n. 3. — Quod si post hæc omnia difficilis virtus esse tibi videtur, cogita difficiliorem esse nequitiam; quod ipsum subindicans, non primo dixit: *Tollite jugum meum* (*Matth.* xi, 29): sed promisit: *Venite qui laboratis et onerati estis* (*Ibid.*, 28); declarans peccatum esse labori obnoxium, et onus esse grave, ac gestatu difficile. Neque enim laborantes solum dixit, sed etiam oneratos. Hoc etiam Propheta dicebat, ejus naturam describens: *Sicut onus grave gravatæ sunt super me.* (*Psal.* xxxvii, 5.) Illud quoque describens Zacharias, ait ipsum plumbi talentum esse idipsumque experientia declarat. Nihil enim ita aggravat animam, ita mentem excæcat ac deprimit, ut conscientia peccati; nihil illam voluntatem ita sublimem efficit, ut justitiæ ac virtutis possessio.

Idem, *in Joan.*, hom. 66, n. 3. — Quod si postea quid noverunt, id evenit postquam in Ægypto cum nostris collocuti sunt.

Idem, *in Joan.*, hom. 66, al. 55, n. 3.—Quod apud nos vidua novit, Pythagoras prorsus ignoravit.

Idem, *in Joan.*, nom. 66, al. 65, n. 3. — Neque enim, vel de Deo, vel de creatura, quid sanum illi invenire potuerunt.... Sed dicunt animam fruticem, piscem canem fieri... Primus eorum aquam dixit esse Deum, qui secutus est, ignem: alius aerem, et omnes ad corpora delati sunt. Hos ne quæso mireris, qui ne incorporei quidem Dei notitiam attigere... Si illorum doctrinam proponere incipiamus, quid de Deo, quid de materia, quid de anima et de corpore dixerunt, magnus consequetur risus, neque nostra egebunt confutatione. Ipsi enim sese mutuo confodiunt.

Idem, *in Acta apost.*, hom. 4, n. 4.—Multæ turpitudinis leges protulit (Plato). Communes, inquit, sunto mulieres: nudæ virgines sub oculis amantium luctantur; communes sunto et parentes, et filii.

Idem, *in Epist. ad Romanos*, hom. 2, n. 5. — Communis quippe omnibus doctrina prostat: non dignitatis discrimen novit, non gentium excellentiam, non aliud quidquam simile. Fide namque tantum eget, non syllogismis, ideoque maxime admiranda est, non modo quod utilis et salutaris sit, sed etiam quia facilis et ab omnibus nullo negotio excipitur: id quod maxime Dei providentiæ opus est, qui sua omnibus communia proponit. Nam quod in sole, in luna, in terra, in mari, cæterisque fuit, non plura ex illis tribuens divitibus et sapientibus, nec pauciora pauperibus, sed æqualem omnibus usum fructum proponens, hoc et in prædicatione fecit.

Idem, *in Epist. ad Romanos*, hom. 3, n. 2. — Causamque apponit cur in tantam amentiam (idololatriæ) delapsi sunt. Quænam autem illa est? Ratiociniis suis omnia commiserunt.

Idem, *in Epist. ad Romanos*, hom. 3, n. 3.— Sibi mutuo adversati sunt. Aristoteles insurrexit contra Platonem; stoici in hunc infremuere; et alter alteri hostis fuit.

Idem, *in Epist. I ad Corinth.*, hom. 7, n. 1. — Sic etiam externa sapientia, si usa esset spiritu; sed quia sibi omnia permisit, nec se auxilio ullo opus habere putavit, stultitia facta est, et si videretur sapientia esse.

Idem, *in Epist. I ad Corinth.*, hom. 22, n. 4. — Itaque, si velimus, magnam undique habemus ad virtutem propensionem. Si autem mihi voluptatem ex nequitia partam dicas, cogita nos illam majorem ex virtute decerpere. Etenim bonam habere conscientiam, omnibus in admiratione esse, bonamque spem tenere, omnium jucundissimum est ei qui voluptatis naturam perpenderit; ut contraria omnium molestissima sunt ei, qui doloris naturam novit.

Idem, *in Matth.*, hom. 53; al. 54, n. 4.— Si laboriosa in exercitio virtus est, sed conscientiam multa replet lætitia; et tantam intus immittit voluptatem, quantam ne explicare quidem possumus.

Idem, *in Epist. I ad Tim.*, hom. 1, n. 2.—

Digitized by Google

Viden quam has quæstiones improbat. Ubi enim fides est, quæstione non est opus ; ubi nihil curiose inquirendum, quid opus est quæstione? Quæstio fidem tollit : nam qui quærit nondum inveniet ; qui quærit non potest credere. Ideo ait, ne hujuscemodi quæstionibus operam demus. Nam si quærimus, id fides non est : fides enim ratiocinium sedat.

S. Chrysost., *De Trinit.*, lib. VIII, n. 1.—Servata illa regula, ut quod intellectui nostro nondum eluxerit, a firmitate fidei non dimittetur.

Idem, *De incomprehens. Dei nat.*, serm. 2, n. 2. — Cum Deus aliquid sancit quod non debeat curiosius explorari fide accipiatur oportet. Etenim de hujus modi rebus curiose perquirere, et rationes exposcere, modumque sciscitari, audacissimi et temerarii animi est.

Idem, *ibid.*, serm. 2, n. 5. — Deinde ut ostendat (Paulus) quantum sit Deum inter et hominem intervallum, id demonstrat non quidem quantum oporteret ; sed tamen ex proposito exemplo, longe majus discrimen esse quam intelligi potest. Quid igitur ait? *Nunquid dicet figmentum ei qui se finxit : Quid me fecisti sic?* (*Rom.* IX, 20.)

Idem, *ibid.*, serm. 5, n. 5. — Verum quid sapientes illi objiciunt? Ergo ignoras, aiunt, quid colis? Huic plane objectioni no respondendum quidem esset, postquam ex Scripturis perspicue demonstratum est cognosci non posse quid secundum substantiam sit Deus, sed id se nosse contendere illud esse Deum ignoscere. Dic enim mihi, si duo homines de magnitudinis cœli notitia inter se contenderent, quorum alter diceret non posse humano oculo cœlum comprehendi, alter vero affirmaret posse hominem palmo totum dimetiri ; quem ex his diceremus cœli magnitudinem nosse : eumne qui contenderet se nosse quot palmas habeat, an eum qui se ignorare profiteretur? Quod si is qui cœli magnitudini cedit, ipse potius novit ejus magnitudinem : quare non Deo pari cum reverentia loquemur?

Idem, hom., *De perfecta charit.*, n. 5. — Unde præcepta onerosa esse videntur? Ex segnitie nostra. Quemadmodum enim, si studiose, diligenterque agamus, quæ videntur esse gravia, levia faciliaque erunt ; sic, si segniter agamus, tolerabiliora quoque difficilia nobis videbuntur?

Idem, hom. 1 *ad populum Antioch.*, n. 1. — Externa quippe doctrina, multas jactans nugas, et multam infundens auditoribus futilitatem, eos vacuit remittit manibus, neque magnum, neque parvum lucratos emolumentum. Spiritus vero gratia non hujusmodi, sed in contrarium omnino, per modica verba, omnibus advertentibus philosophiam affert ; et multis sæpe verbum unum sufficit hinc excerpsisse, ut totius vitæ viaticum habeant.

S. Cyrillus. Alex., *Contra Julian.*, lib. II. — Atqui Græci fabulas de diis continxerunt incredibiles et portentosas. Nam Saturnum filios devorasse dixerunt, deinde rursus evomuisse, mox incestas nuptias Jovis, nempe cum matre congressum, susceptis que ex ea liberis, filiæ nupsisse eam denique constupratam alteri collocasse, aiunt. Ad hæc feruntur Bacchi laniatus, et membrorum conglutinationes. Hujusmodi res Græcorum fabulis produntur.

S. August., serm. 15 *De verbis evang.*, cap. 8. — Dominus dura jussit, sed magna promisit.

Idem, *Enar. in psal.* 69, n. 8. — Alia sarcina premit et aggravat te. Christi autem sarcina sublevat te ; alia sarcina pondus habet, Christi sarcina pennas habet. Nam et avi si pennas detrahas, quasi onus tollit, et quo magis onus abstulisti, eo magis in terra remanebit ; quam exonerare voluisti jacet ; non volat, quia tulisti onus : redeat onus, et volat. Talis est Christi sarcina ; portent illam homines, non sint pigri ; non attendantur illi qui eam ferre nolunt, ferant illam qui volunt, et invenient quam sit levis, quam suavis, quam jucunda, quam rapiens in cœlum, et a terra eripiens.

Idem, serm. 62 *De verbis evangel.*, c. 2, n. 22. — De Deo loquimur : Quid mirum si non comprehendis? Si enim comprehendis, non est Deus. Sit pia confessio ignorantiæ magis quam temeraria professio scientiæ. Attingere aliquantulum mente Deum, magna beatitudo est ; comprehendere autem, ommino impossibile.

Idem, serm. 70 *De verbis evangel.*, c. 3, n. 3. — Sed in his omnibus qui hæc non amant, eadem graviora patiuntur : qui vero amant, eadem quidem sed non gravia, pati videntur. Omnia enim sæva et immania, prorsus facilia et prope nulla efficit amor. Quanto ergo certius et facilius ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam quantum potuit cupiditas fecit.... ! Ecce unde illud jugum suave est et sarcina levis : et si angusta est paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Psalmista : *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* (*Psal* XVI, 4.)

Sed quæ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitescunt amantibus.

Idem, serm. 96 *De verbis evang.*, c. 1, n. 1. — Durum videtur et grave quod Dominus imperavit, ut si quis eum vult sequi, abneget semetipsum (*Matth.* XVI, 24) ; sed non est durum nec grave quod ille imperat, qui adjuvet ut fiat quod imperat.

Idem, serm. 126 *De verbis evangel.*, cap. 2, n. 3. — *Fides est*, sicut alibi definitum est, *sperandarum substantia rerum* (*Hebr.* XI, 1), convictio rerum quæ non videntur. Si non videntur, quomodo convincuntur quia sunt? Unde enim sunt ista quæ vides, nisi ex illo quod non vides? Utique vides aliquid, ut credas aliquid, et ex eo quod vides credas quod non vides ; ne sis ingratus ei qui te fecit videre, unde possis credere quod nondum potes videre. Dedit tibi Deus oculos in corpore, rationem in corde : excita rationem cordis.... Crede in eum quem non vides, propter ista quæ vides.

Digitized by Google

S. Aug., serm 141 *De verbis evangel.*, cap. 1, n° 1. — Veritatem et vitam omnis homo cupit, sed viam non omnis homo invenit. Deum esse vitam quamdam æternam immutabilem, intelligibilem, intelligentem, sapientem, sapientes facientem, nonnulli etiam hujus sæculi philosophi viderunt. Veritatem fixam, stabilem indeclinabilem, ubi sunt rationes rerum omnium creatarum, viderunt quidem, sed de longinquo; viderunt, sed in errore positi; et idcirco ad eam tam magnam, et ineffabilem et beneficam possessionem qua via perveniretur, non invenerunt.

Idem, serm. 342 *De divers.*, n. 4. — Jugum Domini in cervicem sumpsisti : leve et si bene conaris asperum si reluctaris.

Idem, *Enarr. in Psal.* sermo 26, n. 4. — Multo magis ergo prævaricatores facti sunt lege divina, qua naturalis illa, sive instaurata, sive sarcita, sive firmata est.

Idem, *in Joan.* tractat. 79, n. 1. — Hæc est enim laus fidei, si quod creditur non videtur. Nam quid magnum est si creditur quod videtur? Secundum illam ejusdem Domini sententiam, quando discipulum arguit, dicens : Quia vidisti credidisti; beati qui non vident et credunt. (*Joan.* xx, 29.)

Idem, *Enar. in psal.* cxliv, n. 6. — Quandoquidem aciem oculorum nostrorum usque ad cœlum extendimus, et a sole et luna, et a stellis, rursus revocamus ad terram; et hoc totum spatium est ubi vagatur acies nostra : ultra cœlos quis extendat vel aciem mentis, non dicam carnis.

Idem, *De civitate Dei*, lib. iv, cap. 10 n. 3.—In his sacris civilis theologiæ has partes potius elegit Seneca sapientiæ, ut eas in animi religione non habeat, sed in actibus fingat. Ait enim : Quæ omnia sapiens servabit tanquam legibus jussa, non tanquam diis grata... Omnem istam ignobilem deorum turbam, quam longo ævo superstitia congressit, sic adorabimus, ut meminerimus cultum ejus magis ad morem, quam ad rem pertinere.

Idem, *ibid.*, cap. 22. — O Scævola pontifex maxime, ludos tolle, si potes; præcipe populis ne tales honores diis immortalibus deferant, ubi crimina deorum libeat mirari et quæ fieri possunt placeat imitari.

Idem, *ibid.*, lib. vi, cap. 27. — Hæc pontifex (Scævola) nosse populos non vult : nam falsa esse non putat. Expedire igitur existimat falli in religione civitates. Quod dicere etiam, in libris rerum divinarum, ipse Varro non dubitat. Præclara religio!

Idem, *ibid.*, cap. 31, n. 1.—Ego ista conjicere debui nisi evidenter alio loco ipse (Varro diceret, de religionibus loquens,) multa esse vera quæ non modo vulgo scire non sit utile; sed etiam, tametsi falsa sunt, aliter existimare populum expediat; et ideo Græcos mysteria taciturnitate parietibusque clausisse. Hic certe totum consilium prodidit velut sapientium, per quos civitates et populi regerentur.

Idem, *ibid.*, lib. xvi, c. 32, n. 1. — Quamvis divino intonante præcepto obediendum sit, non disputandum.

Idem, *ibid*, lib. xxi, cap. 5, n. 1et 2. — Verum tamen homines infideles, qui, cum divina vel præterita, vel futura miracula prædicamus, quæ illis experienda non valemus ostendere, rationem a nobis eorum flagitant rerum, quam, quoniam non possumus reddere (excedunt enim vires mentis humanæ) existimant falsa esse quæ dicimus, ipsi de tot mirabilibus rebus quas vel videre possumus vel vidimus, debent reddere rationem. Quod si fieri ab homine non posse pervideren, fatendum est eis, non ideo aliquid non fuisse, aut futurum non esse, quia ratio inde non potest reddi : quandoquidem sunt ista de quibus similiter non potest. Hi tamen fidei reprehensores, exactoresque rationis, quid ad ista respondent, de quibus ratio reddi ab homine non potest, et tamen sunt, et ipsi rationi naturæ videntur esse contraria?...

Idem, *De util. cred.*, 1, 2. — Quid enim aliud me cogebat, annos fere novem, spreta religione quæ mihi puerulo a parentibus insita erat, homines illos (Manichæos) sequi ac diligenter audire? nisi quod nos superstitione terreri, et fidem nobis ante rationem imperari dicunt; se autem nullum premere ad fidem, nisi prius discussa et enodata veritate.

Idem, *ibid.*, cap. 3, n. 9. — Nos hæc omnia vera esse concedimus, nec illam legem necessariam esse dicimus, nisi iis quibus est adhuc utilis servitus, ideoque utiliter esse latam; quod homines qui revocari a peccatis non poterant, tali lege coercendi erant pœnarum scilicet istarum quæ videri a stultis possunt minis atque terroribus.

Idem, *ibid.*, cap. 8, n. 18. — Sed revera revocabat nos, atque prohibebat a quærendo, aut alicujus legis sanctio, aut advertentium potentia, aut sacratorum persona vilis, aut fama turpis, aut institutionis novitas, aut occulta professio? Nihil horum est : omnia divina, et humana jura permittunt quærere catholicam fidem.

Idem, *ibid.*, cap. 9, n. 21. — Vera religio... sine quodam gravi auctoritatis imperio, iniri recte nullo pacto potest.

Idem, *ibid.*, cap. 10, n. 23. — Si quem dicam indignum, non intelligis eum dico qui ficto pectore accedit.

Idem, *ibid.*, cap. 11, n. 25. — Duæ enim personæ in religione sunt laudabiles : una eorum qui jam invenerunt, quas etiam beatissimos judicare necesse est; alia eorum qui studiosissime et rectissime inquirunt. Prima ergo sunt jam in ista possessione, alteri in via qua tamen certissime pervenitur.

Idem, *ibid.*, cap. 16, n. 24. — Sed id nunc agitur ut sapientes esse possimus, id est inhærere veritati; quod profecto sordibus animus non potest. Sunt autem sordes animi, ut brevi explicem, amor quarumlibet rerum præter animum et Deum, a quibus sordibus, quanto est quis purgatior, tanto verum facilius intuetur.

Digitized by Google

S. Aug., *Contra Acad.*, lib. III, cap. 1, n. 1.— Negotium nostrum non leve aut superfluum, sed necessarium ac summum esse arbitror, magnopere quærere veritatem.

Idem, *De vera relig.*, cap. 54, n. 3, 113. — Ad unum Deum tendentes, et ei uni religantes animas nostras, unde religio dicta creditur, omni superstitione careamus.... religet ergo nos religio omnipotenti Deo.

Idem, *Contra Faustum*, lib. XIX, n. 2. — In nullum autem nomen religionis, seu verum seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligantur.

Idem, *De quantitate animæ*, capite 7, n. 12. — Auctoritate credere magnum compendium est, et nullus labor. Quod si te delectat, poteris multa legere quæ magni et divini viri de his rebus quæ necessaria videbantur salubriter imperitioribus, quasi nutu quodam locuti sunt, credique sibi voluerunt ab iis, quorum animis, vel tardioribus, vel inspicatioribus alia salus esse non posset.

Idem, *Contra Julian.*, lib. V, cap. 11. — Ego non dico parvulos sine Christi baptismate morientes tanta pœna esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret; cum hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestioribus et impiissimis dixerit. Si enim quod de Sodomis ait, et utique non de solis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die judicii punietur; quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui solum habet originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissima futuras. Quæ qualis et quanta erit, quamvis definire non possem, non tamen audeo dicere, quod eis ut nullis essent, quam ut ibi essent, potius expediret.

Idem, *Ad inquis. Januar.* epist. 44; al. 118, lib. I, cap. 1, n. 1. — Primo itaque tenere te volo, quod est hujus disputationis caput, Dominum nostrum Jesum Christum sicut ipse in Evangelio loquitur, leni jugo suo nos subdidisse et sarcinæ levi. Unde sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit.

Idem, epist. 120; al. 222, ad Consentium, cap. 2, n. 8. — Habet namque fides oculos suos, quibus quodammodo videt verum esse quod nondum videt, et quibus certissime videt nondum se videre quod credit.

Idem, epist. 162; al. 179, *ad Hilarium*, cap. 2, n. 6. — Nam et ipsa lex in hoc adjutorium data est illis qui ea legitime utuntur, ut per illam sciant, vel quid justitiæ jam acceperint, unde gratias agant, vel quid adhuc eis desit, quod instanter petant.

Idem. *Ad Hieronym.* seu epist. 167, al, 29, cap. 4, n. 1. — Si autem præcepta non essent, non utique esset ubi se homo certius inspiceret et videret, unde averteretur, quo conaretur, quare gratularetur, quid precaretur?

Idem, *De gratia et libero arbitrio*, l. II, n. 2. — Ideo data sunt (divina præcepta) ut homo excusationem de ignorantia non haberet; sicut Dominus dicit in Evangelio de Judæis: *Si non venissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent; nunc accusationem non habent de peccato suo* (*Joan.* XV, 22.) *Ita ut sint inexcusabiles.* (*Rom.* I, 20.) Quomodo dicit inexcusabiles? nisi de illa excusatione quod volet dicere humana superbia: si scissem, fecissem; ideo non feci quia nescivi, aut, si scirem facerem, ideo non facio, quia nescio. Hæc eis excusatio tollitur, quando præceptum datur, vel scientia non peccandi manifestatur.

Idem, *De moribus Eccles. cathol.*, lib, I. cap. 27, n. 31. — Nam si sapientia et veritas non totis animi viribus concupiscatur, inveniri nullo pacto potest; et si ita quæratur ut dignum est, subtrahere se atque abscondere a suis dilectoribus non potest.

S. Prosper, *Expos. in psal.* CV. — Cur autem illi habeant aures audiendi, illi non habeant? hoc est cur illis datum sit a Patre ut veniant ad Filium, illis autem non sit datum? Quis agnovit sensum Dei? (*I Cor.* XI, 16.) aut *quis ejus consiliarius fuit?* (*Rom.* XI, 34), aut *tu quis es, homo, qui respondeas Deo?* (*Rom.* IX, 20.) Nunquid ideo negandum est quod apertum est, quia comprehendi non potest quod occultum est? Nunquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, ita non esse, quoniam cur ita sit non possumus invenire.

S. Leo, *De vocat., omnium gentium*, lib. I. cap. 13 et 14. —Sed horum judiciorum mysteriorumque causas, pius et doctus magister maluit ad altitudinem divitiarum sapientiæ Dei scientiæque suspendere, quam justissimæ veritatis et misericordissimæ bonitatis subtractum ab humana cogitatione secretum temeraria inquisitione discutere; nihil omittens de his quæ non oportet ignorari, nihil de his quæ non licet sciri. Multa enim sunt in dispensatione divinorum operum, quorum, causis latentibus, soli monstrantur effectus; ut, cum pateat quod geritur, non pateat cur geratur, negotio in medium deducto et in occultum ratione subducta; ut in eadem re, et de inscrutabilibus præsumptio comprimatur, et de manifestis falsitas refutetur.

Idem, c. 43, n. 54. — Ipse quidem nostra comprehensibiliter conspicit, nos autem quæ ejus sunt comprehendere nullatenus valemus.

Idem, serm. 36, *de Epiphan.* V, 3. — Nihil ergo, dilectissimi, arduum est humilibus, nihil asperum mitibus, et facile omnia præcepta veniunt in effectum, quando et gratia prætendit auxilium, et obediendo mollit imperium.

S. Greg. Mag., *Moral.*, lib. I, c. 16, n. 20. — Quæ ad portandum humerum supponit; quia, conspecta superna requie, præceptis etiam gravibus se subjicit; et quidquid intolerabile pusillanimitas asserit, hoc et leve et facile spes remunerationis ostendit.

Idem, lib. I, c. 20, n. 37.—Omnis humana sapientia, quantolibet acumine polleat, divinæ sapientiæ comparata, insipientia est; omnia enim humana quæ justa, quæ pul-

Digitized by Google

chra sunt, Dei justitiæ et pulchritudini comparata, nec justa, nec pulchra sunt, nec omnino sunt.

S. Greg. Mag., *Moral*, l. iv, c. 30, n. 57.— Omnes enim qui vel illicita appetunt, vel in hoc mundo videri aliquid volunt, densis cogitationum tumultibus in corde comprimuntur; dumque desideriorum turbas intra se excitant, præstatam mentem pede miseræ frequentationis calcant.

Idem, *Moral.*, lib. v, c. 36, n. 66.—Mens, cum in contemplationis sublimitate suspenditur, quidquid perfecte conspicere valet, Deus non est.

Idem, *Moral.*, lib. vii, c. 36, n. 90.—Bene autem eum vincere scientiam nostram narrat Job, quem videri ab omnibus dixerat quia, et si ex ratione conspicitur, magnitudo tamen illius nulla nostri sensus subtilitate penetratur. Quidquid namque de claritate ejus magnitudinis scimus, infra ipsum est; et tanto ab ejus scientia longe repellimur, quanto ejus potentiam nos comprehendisse suspicamur. Nam quamvis in altum mens nostra rapiatur, ejus tamen magnitudinis immensitate transcenditur; cujus tunc aliquid quasi ex parte cognoscimus, quando eum nos digne cognoscere non posse sentimus.

Idem, *Moral.*, lib. x, c. 6, n. 7. — Quæ nimirum secreta ejus pauci valent inquirere, sed nullus invenire, quia quod super nos de nobis ab immortali sapientia haud expresse disponitur justum profecto est ut a nobis adhuc mortalibus ignoretur.

Idem, *Moral.*, lib xxvii, c. 4, n. 8.— Ut etenim unum de multis loquar, duo ad hanc lucem parvuli veniunt; sed uni datur, ut ad redemptionem per baptisma redeat; alter ante subtrahitur quam hunc regenerans unda perfundat: et sæpe fidelium filias sine fide rapitur; sæpe infidelium concesso fidei sacramento renovatur... Occulta sunt ejus judicia: et quanta obscuritate nequeunt conspici, tanta debent humilitate venerari.

Idem, *Super. Cant. expositio*, cap. 8, n. 18. — Dum reprobæ mentes ad audienda vel legenda verba Dei perversa intentione accedunt digno judicio veritatem non inveniunt, quam digno appetitus non requirunt.

Idem, *in Ezechiel*, lib. ii, hom. 5, n. 13. — Psalmistam audio dicentem: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* (*Psal.* xvi, 4.) Atque in Evangelio Dominus dicit: *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* (*Matth.* xi, 30.) Quomodo ergo, aut lata charitas, si angusta porta, aut quomodo jugum suave est et onus leve, si in præceptis Dei viæ duræ sunt quæ custodiuntur? Sed hanc nobis quæstionem ipsa charitas solvit; quia via Dei et inchoantibus angusta est, et perfecte jam viventibus lata; et dura sunt quæ contra consuetudinem spiritualiter, animo proponimus, et tamen onus Dei leve est, postquam hoc ferre experimur: ita ut pro amore ejus, etiam persecutio placeat, et omnis pro eo afflictio in mentis dulcedine veniat; sicut sancti quoque apostoli gaudebant, cum pro Domino flagella tolerabant.

Idem, *in Ezechiel*, lib. ii, hom. 8, n. 10. — Divinæ autem virtutis mysteria, quæ comprehendi non possunt, non intellectu discutienda sunt, sed fide veneranda.

Idem, *in Evangel.*, lib. ii, hom. 26, n. 1. — Sciendum nobis est quod divina operatio, si ratione comprehenditur, non est mirabilis; nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.

S. Bonavent., lib. ii *Sent.*, art. 3, quæst. 1 et 2. — Conclusio. Parvuli decedentes in peccato originali sine gratia, privantur Dei visione, ponuntur in loco vili, non tamen punientur pœna sensus, cum actuale non habeant peccatum.—Conclusio. Parvuli decedentes in peccato originali, non cruciantur spirituali dolore interius.

S. Thomas, Summa, part. iii, quæst. 1, art. 4. — V. idem, in 2. sentent. dist. 33. quæst. 2. art. 1. Ad secundum dicendum est quod peccato originali in futura retributione non debetur pœna sensus.

RITUS CÆREMONIÆ, CULTUS

[Ex SS. Patribus.]

S. Clemens Alex., *Stromat.*, l. vii. — *Vere beati sunt qui scrutantur testimonia Domini; toto corde exquirentes ipsum.* (*Psal.* cxix, 5.) De Domino autem testimonium ferunt lex et prophetæ. Est ergo nobis propositum ostendere, solum gnosticum esse sanctum, et pium riteque eum qui est vere Deus colere, prout ejus decet majestatem: eum autem qui sic Deum colit prout ejus majestatem decet, consequitur ut ipse a Deo ametur, et Deum amet. Quidquid ergo est excellens, existimat esse honorabile pro dignitate; et in rebus quidem sensibilibus esse honorandos magistratus et parentes, et omnem seniorem: in iis autem quæ docentur, antiquissimam philosophiam et vetustissimam prophetiam: in his autem quæ intelligentia percipiuntur, id quod est vetustius generatione, tempore et principio carens principium, et eorum quæ sunt primitias, Filium a quo dicere oportet eam, quæ superius est, causam, nempe Patrem universorum, quæ quidem est vetustissima, et omnium beneficentissima, et voce non utique traditur, sed reverentia, et silentio cum sancta admiratione est præcipue colenda et veneranda; quæ quidem enuntiatur a Domino, quantum possunt audire ii qui discunt, intelligitur autem ab iis qui a Domino electi sunt ad cognitionem, qui sunt, ut ait Apostolus, *exercitati sensibus*. (*Hebr.* v, 14.) Dei ergo cultus, quem præstat

Digitized by Google

gnosticus, consistit in continua animæ suæ cura, et occupatione circa Deum per indesinentem charitatem.

TERTULL., *De jejun.* — Aguntur per Græcias (*per varias Græciæ provincias, in quibus varia concilia coacta sunt.*) illa certis in locis concilia ex universis Ecclesiis, per quæ et altiora quæque in commune tractantur, et ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur. Et hoc quam dignum fide auspicante congregari undique ad Christum ? Vide *quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Psal.* CXXXII, 1.) Hoc tu psallere non facile nosti, nisi quo tempore cum pluribus cœnas. Conventus autem illi stationibus prius et jejunationibus operati, dolere cum dolentibus, et ita demum congaudere gaudentibus norunt. Si et ista solemnia, quibus tunc præsens patrocinatus est sermo, nos quoque in diversis provinciis fungimur in spiritu invicem repræsentati, lex est sacramenti. Horum igitur tempora observantes, et dies, et menses, et annos galaticamur (11). Plane, si judaicarum cæremoniarum, si legalium solemnitatum observantes sumus : illas enim Apostolus dedocet, compescens Veteris Testamenti in Christo sepulti perseverantiam, et Novi sistens. Quod si nova conditio in Christo, jam nova et solemnia esse debebunt; aut si omnem in totum devotionem temporum et dierum et mensium et annorum erasit Apostolus, cur Pascha celebramus annuo circulo in mense primo? Cur quinquaginta exinde diebus in omni exsultatione decurrimus? Cur stationibus quartam et sextam Sabbati dicamus, et jejuniis Parasceven ? Quanquam vos etiam Sabbatum si quando continuatis, nunquam nisi in Pascha jejunandum secundum rationem alibi redditam, nobis certe omnis dies etiam vulgata consecratione celebrantur. Nec ergo apud Apostolum differentiæ ratio, distinguentem nova et vetera.

Sed et hic inæqualitas vestra ridebitur, cum vetustatum formam nobis exprobratis, in quo causam novitatis accusatis. Reprobat etiam illos qui jubebant cibis abstinere, sed de providentia Spiritus sancti, prædamnans jam hæreticos perpetuam abstinentiam præcepturos ad destruenda et despicienda opera Creatoris : quales inveniam apud Marcionem, apud Tatianum, apud Jovem, hodiernum de Pythagora hæreticum, non apud Paracletum. Quantula est enim apud nos interdictio ciborum ? Duas in anno hebdomadas Xerophagiarum, nec totas, exceptis scilicet Sabbatis et Dominicis offerimus Deo ; abstinentes ab eis quæ non rejicimus, sed differimus. Atquin ad Romanos scribens, vos nunc compungit detractores hujus officii.

ORIGEN., *Contra Celsum.* — Neque vero Deum colemus, quasi nostro cultu indigeret, aut quasi doleret se a nobis non coli : sed ut ipsi pietatis in Deum fructus capiamus, et ut summo Deo per unigenitum ejus Verbum et sapientiam servientes, a molestiis pœnisque liberemur. Vide et istud quam inconsideratum sit : *Nam si quid aliud eorum quæ in universo sunt coleres :* Quo innuit nos colendo Deo duci, absque ullo detrimento, ad cultum cujuslibet rei quæ pertineat ad Deum. Sed quasi sensisset id quod dixit non esse sanum, *Nam si quid aliud eorum quæ in hoc universo sunt coleres;* mox redit ad se, et dictum corrigens : *Non licet,* inquit, *quempiam coli, nisi cui istud a Deo datum est.* Verum de cultis illis aut diis aut dæmonibus, aut etiam heroibus, Celsum interrogemus : unde probaveris, o bone, illis, ut colerentur, datum esse a Deo, non vero ab hominibus, qui ignorantia errabant et inscientia, quique ab illo exciderant cui cultus proprie defertur ? Adriani coluntur Amasii, ut paulo ante dixisti, Celse; et profecto non affirmaveris Antinoo datum a summo Deo fuisse ut coleretur. Idem de aliis dicemus petemusque ut demonstret illis, ut colantur, a summo Deo datum fuisse. Quod si a nobis quid simile de Jesu postulet, probabimus datum illi a Deo fuisse ut coleretur, *Ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem.* (*Joan.* V, 23.) Nam prophetiæ omnes antequam nasceretur editæ, cultum illius commendabant. Sed et miracula quæ fecit non arte magica, ut existimat Celsus, sed divinitate a prophetis prædicta, a Deo testimonium habuerunt, ut qui Filium qui Verbum est colit, is cum nihil contra rationem faciat, ex illius cultu utilitatem percipiat; et qui colit illum qui est veritas, is ex veritatis cultu melior fiat. Quod idem dicendum de cultu sapientiæ, et justitiæ, et omnium quæ Filium Dei esse testantur divinæ Scripturæ.

Jam vero Filii Dei æque ac Dei et Patris cultum in integra vita positum esse, vide an non doceat hic locus : *Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras.* (*Rom.* II, 23.) Et iste : *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit.* (*Hebr.* X, 29.) Nam si per prævaricationem legis inhonorat Deum is qui legem violat, et si, conculcato verbo, filius conculcatur; evidens est Deum honorari ab illo qui legem servat, et Deum coli ab eo qui Verbo Dei ornatus convenienter præceptis ejus vivit. Si novisset Celsus quinam ad Deum pertineant, et solos esse sapientes, quinam vero ab illo alieni sint, et solos esse malos qui nunquid ad suscipiendam virtutem propendent, certe intellexisset quid sibi velit istud : *Quisquis honorat et colit omnes qui ad illum pertinent, quid ille contristat Deum ad quem omnes pertinent ?*

Idem, hom. 23 *in Num.* — Sed interim videamus Moysis magnificentiam. Recessurus de sæculo orat Deum ut provideat ducem populo. Quid agis, o Moyses ! Nunquid filii tibi non sunt, Gersum et Eliezer ? Aut si

(11) Insanimus ut Galatæ.

Digitized by Google

aliquid de ipsis dubitas, non sunt filii fratris magni et egregii viri? Quomodo non oras Deum pro ipsis, ut eos constituat populo duces? Sed discant Ecclesiarum principes successores sibi non eos, qui consanguinitate generis juncti sunt, nec qui carnis propinquitate sociantur, testamento signare, neque hæreditarium tradere Ecclesiæ principatum, sed referre ad judicium Dei, et non eligere illum, quem humanus commendat affectus, sed Dei judicio totum de successoris electione permittere. Numquid non poterat Moyses eligere, principem populo, et vero judicio eligere, et recta justaque sententia, ad quem dixerat Deus: *Elige presbyteros populo quos tu ipse scis presbyteros esse* (*Num.* XI, 16), et elegit tales in quibus continuo Dei Spiritus requiesceret, et prophetarent omnes? Quis ergo ita posuit eligere principem populi, ut Moyses poterat? Sed hoc non facit, non elegit, non audet. Cur non audet? Ne posteris præsumptionis relinquat exemplum.

Sed ausculta quid dicit: *Provideat, Dominus Deus spirituum et omnis carnis, hominem super Synagogam hanc, qui egrediatur ante faciem eorum, et qui ingrediatur, et qui producat eos, et qui reducat.* (*Num.* XXVII, 16, 17.) Si ergo tantus ille ac talis Moyses non permittit judicio suo de eligendo principe populi, constituendo successore; quis erit qui audeat, vel ex plebe quæ sæpe clamoribus ad gratiam, aut pretio fortassis excitata moveri solet? Vel ex ipsis etiam sacerdotibus quis erit qui se idoneum ad hoc judicet, nisi si cui oranti, et petenti a Domino reveletur? Sicut et Deus dicit ad Moysen: *Assume ad temetipsum Jesum filium Nave, hominem qui habet Spiritum Dei in semetipso, et imponens manus tuas super eum, et statues eum coram Eleazaro sacerdote, et præcepta data ei in conspectu totius Synagogæ, et præcipe de ipso coram eis, et dabis claritatem tuam super illum, ut audiant illum filii Israel.* (*Num.* XXVII.) Audis evidenter ordinationem principis populi tam manifeste descriptam, ut pene expositione non egeat. Nulla hic populi acclamatio, nulla consanguinitatis ratio, nulla propinquitatis habita contemplatio est. Propinquis agrorum et prædiorum relinquatur hæreditas: gubernatio populi illi tradatur quem Deus elegerit: homini scilicet tali, qui habet (sicut scriptum audistis) in semetipso Spiritum Dei, et præcepta Dei in conspectu ejus sunt, et qui Moysi valde notus et familiaris sit, id est, in quo sit claritas legis et scientia, ut possint eum audire filii Israel. Verum quoniam mysteriis cuncta referta sunt, non possumus quæ pretiosiora sunt omittere, etiamsi hæc quæ secundum litteram mandantur, necessaria videantur et utilia.

Consideremus ergo quæ sit Moysis mors, finis sine dubio legis: sed legis illius quæ secundum litteram dicitur. Quis autem ejus finis est? Sacrificiorum scilicet interruptio, et cæterorum quæ simili observantia mandantur in lege. Hæc ergo ubi finem accipiunt, Jesus suscipit principatum: *Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti.* (*Rom.* X, 4.) Et sicut de prioribus dictum est, *Omnes in Moyse baptizati sunt in nube, et in mari.* (*I Cor.* X, 2.) Ita et de Jesu dicitur, quia omnes in Jesu baptizati sunt in Spiritu sancto et aqua. Jesus namque est, qui transit aquas Jordanis, et in ipsis quodammodo jam tum populum baptizat: et ipse est qui terram hæreditatis, terram sanctam partitur universis, non priori populo, sed secundo. Prior enim populus propter prævaricationem suam cecidit in deserto. De Jesu autem temporibus dicitur, quia *terra quievit a bellis* (*Jos.* XI, 23): quod Moysi tempore dici non potuit. Sed de Jesu hoc dicitur meo Domino, non illo Nave.

Atque utinam mea terra cesset a bellis! Et cessare posset si ego Jesu principi meo fideliter militarem. Si enim paream meo Domino Jesu, nunquam caro mea insurget adversus spiritum meum, nec impugnabitur terra mea ab adversariis gentibus, diversis scilicet concupiscentiis stimulata. Oremus ergo ut Jesus regnet super nos, et cesset terra nostra a bellis, cesset ab impugnationibus carnalium desideriorum; et cum ista cessaverunt, tunc unusquisque requiescet sub vite sua, et sub ficu sua, et sub oliva sua. Sub velamento enim Patris, et Filii, et Spiritus sancti requiescet anima quæ pacem in se recuperaverit carnis, ac Spiritus.

ORIGEN., hom. 5 *in Lucam.*—Zacharias sacerdos cum in templo offerret incensum, silentio condemnatur et retinetur, imo tantum nutibus loquitur, et mutus usque ad ortum Joannis filii perseverat. Quo hæc tendit historia? Silentium Zachariæ silentium prophetarum est in populo Israel. Nequaquam loquitur eis Deus, et sermo qui a principio erat apud Patrem Deus, ad nos transiit, nobisque non tacet Christus, apud illos usque hodie silet: quamobrem et Zacharias propheta tacuit. Manifestissime ex sermonibus ipsius comprobatur, quod et propheta fuerit et sacerdos. Quid vult autem hoc quod sequitur: *Annuebat eis.* Et damnum vocis nutibus compensabat? Ego puto talia esse opera absque sermone, quæ ratione nihil nutibus differunt. Ubi vero ratio et sermo præcesserit, et ita opus fuerit subsecutum, non debent existimari simplices nutus qui ornantur sermone, aut ratione. Si igitur videris conversationem Judæorum sine ratione atque sermone, ita ut non queant eorum quæ agunt rationem reddere, intellige quod tunc in Zacharia præcessit, in imagine ipsius huc usque compleri. Circumcisio eorum nutibus similis est. Nisi enim circumcisionis ratio reddatur, nutus est circumcisio et opus mutum. Pascha et aliæ solemnitas nutus magis sunt, quam veritas. Usque hodie populus surdus et mutus est: neque poterat fieri, ut non surdus esset et mutus, qui a se sermonem abjecerat.

Et olim quidem Moyses loquebatur. *Ego*

Digitized by Google

autem alogos sum (*Exod.* IV, 10) : quod licet latinus aliter expresserit, tamen proprie transferri potest absque sermone sive ratione ; et postquam hoc ait, accepit rationem et sermonem quem confessus fuerat se antea non habere. Populus autem Israel, priusquam legem acceperat, absque ratione et sermone quodam modo mutus erat : deinde accepit sermonem, cujus imago fuit Moyses. Iste igitur non confitetur modo quod tunc confessus est Moyses, eo quod sit mutus et alogos ; sed nutibus et silentio indicat se non habere sermonem, et non habere rationem. Nonne tibi videtur confessio esse stultitiæ, quando nullus eorum potest legalium præceptorum, et prophetici vaticinii rationem reddere? Cessavit Christus esse in eis, reliquit eos sermo completum est illud quod in Isaia scribitur : *Relinquetur filia Sion sicut tabernaculum in vinea, et sicut custodia in cucumerario, ut civitas quæ expugnatur* (*Isa.* I, 8.) Quibus relictis salus translata est ad nationes, ut illi concitentur ad zelum. Intuentes ergo dispensationem et arcanum Dei, quomodo Israel abjectus sit in salute nostra, cavere debemus ne forte et illi nostri causa ejecti sint ; et nos majori supplicio digni simus, propter quos et alii derelicti sunt, et nos nihil dignum adoptione Dei et ejus clementia fecerimus, qua adoptavit nos, et in suos filios reputavit, in Christo Jesu : cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum.

S. Cyril. Hier., catech. 4. — Merito Salvator et Dominus ad eos qui putabant in sola Hierusalem, aut in montibus quibusdam, sive certis determinatisque locis Deum adorari oportere, sic ait : *Venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem, neque in monte hoc, neque in Hierusalem. Spiritus enim Deus, et ipsum odorantes, in spiritu et veritate oportet adorare.* (*Joan.* IV, 23.) Quibus rebus ita ab illo prædictis, continuo nec longo post tempore, Hierosolymis obsidione oppressis, et ejus loci sanctificatio, et ad eumdem usum constructum altare, et adoratio, quæ a Moyse tradita fuerat sublata, evertaque sunt. Eodemque tempore in omnes homines patefacta est, et emicuit ea, quæ ante Moysen viris sanctis a principio data fuerat, pietas et religio, et quæ per illam omnibus gentibus promissa fuerat benedictio, quæ a primo ascensus gradu, et a primis illis adorationis Mosaicæ elementis, eos qui ad se accedunt, ad meliorem perfectioremque vitam adducit. Itaque protinus quando beatos illos, Deoque amicos viros, non in aliquo certo determinatoque loco adorasse constat, neque sub ullis signis, aut figuris, sed quomodo Salvator noster et Dominus docet, in spiritu et veritate, eadem adorandi ratio per ejusdem Salvatoris nostri adventum omnibus gentibus insinuata est. Quod quidem futurum etiam prophetæ veteres tanto ante cognoverant.

Dicit itaque plane Sophonias : *Apparebit Dominus super eos, et perdet omnes deos gentium terræ, et adorabunt eum unusquisque de loco suo.* (*Sophon.* II, 11.) Malachias autem simul et ad eos qui ex circumcisione sunt, sermonem dirigit, et de gentibus talia prædicit : *Non est voluntas mea, dicit Dominus omnipotens, et sacrificium non suscipiam de manibus vestris, quoniam ab ortu usque ad occasum nomen meum glorificatum est in gentibus, et in omni loco incensum offertur nomini meo, et sacrificium mundum.* (*Malach.* I, 10.) Quod enim in omni loco dicit, incensum et sacrificium offerri Deo, quid aliud significat, nisi non Hierosolymis, neque definite in hoc aut in illo loco id futurum? Sed in omni regione et in omnibus gentibus, quæ quidem et orationis incensum et sacrificium, quod mundum dictum est, non per cruores, sed per pias actiones summo Deo essent oblaturæ? Clamat autem palam, et vociferatur Isaias vaticinans simul ac dicens : *Erit altare Domino in terra Ægypti, et cognoscetur Dominus ab Ægyptiis, et mittet eis hominem qui salvos faciet eos, et cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, et facient sacrificia, et vovebunt vota Domino, et reddent, et convertentur ad Dominum, et exaudiet eos, et sanabit eos.* (*Isa.* XIX, 21, 22.)

Ecquid tibi videmur veram legis Moysi conversionem dicere? — Et propheticis vocibus vaticinari? Etenim Moyses altare et sacrificia nusquam terrarum in sola Judæa, et in hujus una duntaxat civitate constitui, lege a se posita jubet : prophetia autem in terra Ægypti ait altare Domino struendum, dicendumque esse, et Ægyptios ipsos non amplius diis patriis rem sacram, sed ipsi prophetarum Deo facturos ; et quod verum Deum sint agnituri, non Moysen illis neque alium ex prophetis quempiam auctorem fore, sed novum quemdam divinitus missum hominem. Porro autem translato, commutatoque altari, præter Moysis constitutiones atque decreta, necesse est penitus etiam legis Moysis fieri mutationem. Quod si summo Deo sacrificaturi sunt Ægyptii, prorsus etiam sacerdotii munus sunt adepturi. At quæ de Levitis et Aaron successoribus a Moyse sunt constituta, nulli plane usui Ægyptiis amplius esse posse perspicuum est. Tempus igitur jam tum fuerit, legem novam, ad ea quæ dicta sunt confirmanda, ponere opus esse.

Quid igitur? Temere hæc enuntiata sunt? An exitum invenit oratio? Inspice igitur si non hodie, hoc est nostris interim ipsorum temporibus, ipsis oculis cernuntur qui solum Ægyptii, verum etiam omne genus hominum, non antehac simulacris addicti erant, quosque Ægyptiorum appellatione prophetica prædictio significat, a multorum deorum ac dæmonum impio cultu liberatum, et verum prophetarum Deum invocans et adorans. Vota autem faciunt, non pluribus amplius dominis, sed uni soli Domino, quemadmodum sacrum prædixit oraculum. Et huic quidem altare incruentarum et rationalium hostiarum, ut nova Novi Testamenti mysteria postulant, per totum terrarum orbem erectum est ; et cum in Ægypto, tum in reliquis gentibus, quæ mores Ægyptiorum imitantes, superstitionis errore tene-

Digitized by Google

bantur : hac ipsa ætate nostra, cognitio veri Dei relucens, fidem iis, quæ a prophetis prædicta sunt, indubitatam adjungit. Hæc autem cum re ipsa interim perfici videas, nec amplius, ut quondam audita exspectari, si tempus quæras unde principium ejusmodi res acceperit, non aliud invenies, quam cum Salvator noster advenit. Ipse igitur ille fuit, quem oraculum significabat, cum diceret : Deum et Dominum universi missurum Ægyptiis hominem, qui salvos faciat eos; quem et Moysi vaticinia perhibebant, ubi ait : Egredietur homo de semine ejus, et dominabitur gentibus multis : (*Psal.* XXI, 29), in quibus sane gentibus, et Ægyptios numerari par est.

S. CYRIL. Hier., catech. 4.—Verum de his quidem longior esset oratio, et per otium huic ipsi rei dicatum, absolutius reddenda. Quod præsentis loci sit proprium, illud teneatur : ea quæ prædicta sunt, non alias quam post adventum Jesu Salvatoris nostri esse completa. Ab illo enim ad hunc usque diem apud Ægyptios, apud Persas, Syros, Armenios, apud extremas terrarum oras incolentes barbaros, et eum apud has ipsas prius immanissimas et ferocissimas nationes, tum vero etiam apud eos qui insulas colunt (quando et de his prophetia non indignum putavit facere mentionem) ipsa illa, quæ, auctore Abraham, comprobatur civilis ratio, et omnium antiquissimus colendi Deum mos celebratur. Et quis non ipsa rei mirabilitate obstupescat ? cum eos qui a condito ævo, lapidibus, et lignis, et dæmonibus, belluisque humana carne vicitantibus, et reptilibus venenatis, animalibusque omnis generis, et feris informibus, ignique, et terræ, et ipsius universi inanimatis elementis, divinum honorem et cultum tribuebant : altissimum Deum, et cœli ac terræ opificem, ipsum utique prophetarum Dominum, Deumque Abraham, et avorum ejusdem, post Salvatoris nostri adventum, videat invocantes : et eos qui paulo ante a matribus et filiabus libidinem non abstinebant, seque mutuo inter se corrumpebant, et omnis generis cruentationibus et cædibus inquinabant, qui nihil ab immanibus feris, victu ipso differebant, nunc per Salvatoris nostri divinam virtutem mutatos, et quasi ex aliis alios factos, sermones de virtute, modestiæque præcepta ut discant, in communes scholas assidue convenientes ? Atque adeo quidem, ut tam feminæ quam viri, tam pauperes quam divites, tam vulgares et ignari, quam docti etiam pueri, et mancipia, non minus in agris, quam in urbibus, in loca certa conveniant, ut supremam illam philosophiam ediscant, quæ admonet, ne intueri quidem petulantibus oculis fas esse, neque verbum emittere otiosum, neque ea quæ communia sunt, et omnibus consueta patrare et doceantur verum illum morem quem ubique locorum in cultu et obsequio summi Dei, servare conveniat, sicut dixit prophetia : *Et adorabunt eum, unusquisque de loco suo.* (*Sophon.* II, 11.)

Adorant igitur summum Deum omnes barbari et Græci, non Hierosolymam currentes, neque cruoribus aut sacrificiis placantes, sed domi suæ, apud se ipsos, in spiritu et veritate, incruento puroque obsequio illum colentes. Et hoc fuerat ipsum Novum Testamentum, quod non instar prioris illius, et Veteris factum est. Vetus autem intelligito, non sanctorum hominum qui ante Moysen fuere, sed quod legis loco universæ Judæorum nationi ab ipso Moyse positum est. Quocirca oraculum ipsum adjungit ea, quibus planum faciat, quodnam vetus illud dixerit esse, cui quidem novum nihil simile habiturum ostendit, ubi dicit : *Condam Testamentum novum, non secundum testamentum quod condidi patribus in die, cum ego apprehendi illos manu, ut educerem eos de terra Ægypti.* (*Jer.* XXXI, 32.) Itaque cum secundum id quod legis loco a Moyse positum est, intelligit, hoc enim illud est, quod Judæis, quo tempore de Ægypto egressi sunt, traditum est, visus igitur esset novum Testamentum introducere, tanquam ejus ritus contrarium, quem sancti illi Abrahæ similes viri, in divino cultu sequebantur, nisi plane ipsis verbis significasset, ubi dixit : *Non secundum testamentum quod condidi patribus eorum, quo tempore eduxi eos de terra Ægypti.* Ergo non secundum illud quod legis loco a Moyse positum est, cum egressi sunt, et cum in deserto morabantur, novum hoc futurum respondit, sed secundum illud videlicet quod primis temporibus in vita civili sectantes, qui ante Moysen floruerunt, tanquam ii, qui plene officio suo functi essent, comprobati sunt.

EUSEB., *Demonst. evang.* —Quas quidem ob res, jam tu plane confidens posthac, cum sententias et proposita eorum, qui divinum aliquem cultum profitentur non in duos, sed in tres diviseris ordines; unum eorum qui prorsus simulacris addicti, in multorum deorum errorem deciderunt; alterum eorum qui de circumcisione per Moysen in primum pietatis gradum ascenderunt; tertium eorum, qui supremum locum per doctrinam evangelicam obtinuere. Et hunc quidem, si medium duorum constitueris, ne putato amplius eos qui a Judæis discedant, in Græcos ritus oportere ullo modo recidere, neque qui a Græcis abducantur, Judæos fieri necessario, sed ubi tertium acceperis, et medio loco constitueris, eminentem supraque alios exstantem invenies, et quasi super celsissima quadam specula sublimem collocatum, reliquos duos inferius utrinque despicere. Effugit enim et Græcorum impiam, atque erroribus plenam superstitionem, dissolutasque fornicationes atque insolentias; et Judæorum itidem quæ a Moyse perfecta est, imperfectam et quasi parvulis, atque infirmis accommodatam observantiam. Domesticam porro atque ab initio propriam non solum Judæis, sed et Græcis; et Barbaris, et quæcunque sub sole sunt, gentibus inclamans legem, vide quid dicat : *O homo, et universum mortalium genus.* Moysis quidem lex ab uno genere hominum inci-

Digitized by Google

plens, omnium primum Judæorum genus, illius promissionis gratia, quæ ad pios Deique amicos ipsorum patres facta est, ad unius Dei cognitionem, cultumque vocabat, dicto audientes, ab intolerabili dæmonum tyrannide liberaret.

Ego autem omnibus hominibus, et quæ ubique terrarum sunt, gentibus sublimius provectam Dei cognitionem, et pietatem apportans, ut ad regulam eorum qui cum Abraham vixerunt, quique ante Moysis ætatem degentes, ipso quoque Abraham antiquiores exstitere, vitæ suæ moderentur adhortor, in quibus ab externis gentibus profecti, qui de laude pietatis gloriam adepti sunt, plures memorantur. Et rursus: Moysis quidem lex, in unum terræ certum ac definitum locum, eos qui religionis propositum complexi essent, ex aliis omnibus locis currere jubebat : ego autem, condonata omnibus libertate, non in quodam terræ angulo, neque in montibus, aut quibusdam manufactis templis, Deum quærere, sed domi suæ unumquemque illum colere, atque adorare præcipio.

Et rursus : Vetus quidem lex, sacrificiis et animalium cædibus, thureque et igne, et aliis quibusdam ejusdem generis purgationibus corporis, summum Deum colere hortabatur : ego autem sacræ animæ tradens, mente purissima, animoque nitidissimo, cum modestia virtutumque sectatrice vita, rectisque sententiis, et pietatem præ se ferentibus, divinitatem venerari impero. Et rursus : Moyses quidem illorum temporum hominibus, quasi iis qui cædibus inquinari soliti essent, non occidere imperabat : ego autem iis, qui hoc ipsum antea didicerint, et primo illi præcepto satisfecerint, alterum perfectius impono, atque ut ne iræ quidem perturbatione vincantur, præcipio. Et rursus : Moyses quidem adulteris, dissolutisque hominibus legem posuit non mœchari, maribus non misceri, voluptates præter naturam non sectari, et supplicium mortis iis qui non obtemperassent adjunxit : ego autem meos volo, ne intueri quidem mulierem cum petulanti cupiditate. Et rursus : ille quidem dixit, Non pejerabis : sed reddes Deo quæ juratus fueris. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, sed erit sermo vester : est, est; non, non. (*Matth.* v, 37.) Quod autem his abundantius est, a malo est. Et rursus : ille quidem injurias ulcisci, et inferentibus easdem referre hortabatur, dicens : *Oculum pro oculo, et dentem pro dente* (*Exod.* xxii, 24) : *Ego autem dico vobis, non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, convertito ad illum et alteram; et qui velit tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium.* (*Matth.* v, 39 et seq.) Et rursus : Ille quidem docebat amicum diligere et inimicos insectari odio; ego autem ex abundantia humanitatis et clementiæ, ut inimicos vestros diligatis, et pro persequentibus vos oretis, legem vobis pono, *ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est qui solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super justos et injustos* (*Ibid.*, 45.)

Ad hæc : Ille quidem se ad multorum duritiam accommodabat, et iis apta qui perturbationibus pleni essent, præcipiebat, atque immutatum quemdam a vetere illo, inferioremque religionis modum tradebat; ego autem ad piam, religiosamque vitam eorum, qui priscis illis temporibus sancte vixerunt, revoco universos. Denique ille quidem terram fluentem lac et mel, quasi parvulis promittebat : ego autem iis qui capere possint, regnum cœleste concilio. Hæc atque ejusmodi alia, Novi Testamenti ratio, docente Christo, omnibus gentibus nuntiavit. Et hæc ipsa sunt quæ suos discipulos Christus Dei, ut omnibus gentibus nuntiarent, hortabatur dicens : Euntes disciplinam vestram tradite omnibus gentibus, *docentes eas servare omnia quæcunque præcepi vobis* (*Matth.* xxviii, 20) : quæ etiam cunctis hominibus, tam Barbaris quam Græcis cum observanda traderet, plane quidnam sit Christianismus ostendit, et quinam simus nos, et cujusmodi talium sermonum ac disciplinarum magister, ipse utique Salvator et Dominus noster Jesus qui Christus est Dei, qui novam hanc et omnes amplexam virtutes rempublicam in toto orbe constituit, adeo quidem, ut talia discere, philosopharique, tam feminæ quam viri, tam pauperes quam divites, tam servi quam Domini possint. Et tamen novæ hujusce legis introductor, tanquam is qui in omni vita legem Moysis servaverit, introductus est : quod sane ipsum admirari operæ pretium est, qui videlicet fieri possit ut novæ rationis et legis auctor futurus, novi utique Testamenti per Evangelium, non tanquam inimica et contraria ea quæ a Moyse tradita sunt, recusaverit. Si enim hoc fecisset, ipse vicissim Moysi adversa existimatus esset præcipere, ex quo impiis impiarum sectarum auctoribus contra Moysen et prophetas, obtrectationis et maledicentiæ plurimam præbuisset materiam, iis autem qui ex circumcisione sunt conspirationis contra se justam et probabilem causam, qui utique ei, quasi qui contra legem faceret, atque ab ea deficeret, insidias ad inferendam necem construxerunt.

Nunc autem postquam in omni vita Moysis legem comprobavit, apostolis suis usus est novæ suæ legis administris; in hoc ille quidem simul docens ea quæ a Moyse tradita sunt, nec a sua religione abhorrentia, nec eidem inimica existimare oportere, et simul auctorem se atque introductorem novæ et cunctis hominibus salutaris legis, constituens; ut nullo pacto dici possit quidpiam illum adversus Moysis leges, aut decreta fecisse : quin potius finem illis prius imposuisse, eademque perfecte observasse, et sic ad institutionem Evangelicæ legis transiisse.

S. Cyril., Hier., catech. 4. — Ratio divini cultus ex his duobus constat, piis dogmatibus, et actionibus bonis, neque doctrina sine operibus bonis accepta Deo; neque opera recipit Deus a religiosis dog-

Digitized by Google

matibus sejuncta. Quid enim prodest de Deo sentire recte, et turpiter fornicari? Quæ vero contra utilitas pudicum esse laudabiliter, et impie blasphema profari? Pretiosa igitur possessio dogmatum notitia est : cui rei vigilanti mente opus est, quandoquidem multi sunt qui per philosophiam et vanam fallaciam prædas agunt. Ac gentiles quidem per suaviloquentiam in diversa trahunt : *Mel* enim *distillat ex labiis mulieris meretricis.* (*Prov.* v, 3.) Qui vero ex circumcisione sunt, per divinas Scripturas, quas prave falsis interpretamentis torquent, accedentes decipiunt, a pueritia usque ad senectutem commentantes, et in ignoratione rerum consenescentes. Hæretici vero, per blandiloquentiam et dicendi suavitatem simplicium corda decipiunt, Christi nomine quasi melle, venenata impiorum decretorum jacula contegentes, de quibus omnibus simul ait Dominus : *Videte ne quis vos in errorem inducat.* (*Matth.* xxiv, 4.) Propter hoc et fidei doctrina traditur, et in eam expositiones fiunt.

S. Greg. Nys., *Contra Eunom.* — Illud Prophetæ dicamus, paululum digressi ad auditores erroris et imposturæ : *Quousque tandem gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium?* (*Psal.* iv, 3.) Quomodo non videtis fidei persecutorem ad Christianismi transgressionem eos qui ei credunt provocantem? Si enim venerandorum et honorabilium nominum sanctæ Trinitatis confessio est inutilis, inutiles etiam sunt Ecclesiæ ritus; in his autem ritibus est sigillum, deprecatio, baptisma, peccatorum confessio, ad mandata promptitudo, morum emendatio, temperanter et sobrie vivere, ad id quod justum est respicere, cupiditatibus non assuescere, neque a voluptate vinci, neque a virtute deficere. Si igitur nihil talium institutorum ad vitam bene instituendam conferre autumat, neque mystica symbola esse optima remedia ad conservanda, sicuti credimus, animi bona : averruncamenta autem et depulsiones illectamentorum, quæ credentibus a maligno insidiose struuntur : quid aliud hominibus, idque palam inclamat, quam nugas existimari debere Christianorum mysterium : deridere dignitatem divinorum nominum : ludibrium putare Ecclesiæ ritus et instituta : nugas, nescio quas, et stultitiam, omnia quæ circa mysterium efficiuntur? Quid amplius illi qui in hellenismo permanent, ad calumniam nostræ doctrinæ proferunt? Non et illi risus occasionem nominum venerandam dignitatem faciunt, in quibus fides confirmatur, et subsannant mystica symbola, ritusque et instituta quæ ab initiatis observantur? Quod autem in decretis oporteat solis putare pietatem consistere, cujus sic proprium sicut Græcorum est? Quoniam etiam illi aiunt, secundum suam opinionem aliquid esse nostra prædicatione probabilius : quemdam magnum ex ipsis quidam Deum supponunt, aliis supereminentem, atque subjectas illi quasdam potestates confitentur ordine quodam et serie inter se secundum majus, vel inferius differentes, subjectas autem omnes æqualiter ei qui supereminet. Hæc quidem novæ idololatriæ magistri prædicant : neque verentur docere illi qui hæc sequuntur, transgressoribus condemnationem imminere. Quasi non intelligant, quod aliquid absurdum facto perpetrare, multo gravius est quam verbo solo peccare. Qui igitur facto quidem fidem negant, et instituta ac ritus parvi faciunt, et nominum confessionem despiciunt, et ex mysticis symbolis sanctificationem pro nihilo ducunt, ad docta verba respicere persuasi, et ingeniti atque ingeniti artificioso sermone salutem consistere opinantes, quid aliud sunt, quam transgressores documentorum salutis?

Quod si quis putat hæc a nobis calumnia quadam ipsis inferri, quæ ab ipso scripta sunt, per se ipse consideret, et quæ nobis ad examen proposita sunt, et quæcunque ex consecutione dictis subjunguntur. Ait enim Domini legem pervertens (lex enim est divinæ institutionis traditio) non in Patrem et Filium et Spiritum sanctum baptisma fieri sicut præcipit discipulis tradens mysterium; sed in opificem et creatorem, et non solum Patrem (inquit) unigeniti, sed etiam Deum. Proh! qui proximum suum potare facit eversionem turbidam, quomodo turbat cœnosa adjectione, et inquinat veritatem, quomodo non extimuit impositam execrationem adversus eos qui divinis vocibus aliquid adjiciunt, vel qui subtrahere audent. Legamus in eo verborum vocem Domini : *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* xxviii, 19) : ubi Filium creaturam appellavit? Ubi Patrem creatorem et conditorem unigeniti esse sermo docuit? Ubi in his quæ dicta sunt Filius esse servus Dei docetur? Ubi Deus Filii in mysterii traditione prædicatur? Ergo cognoscite et intelligite, qui errore et impostura pertracti ad interitum estis, quem animarum vestrarum magistrum præfecistis, qui adulterat Scripturas sacras, qui transmutat divinas voces, qui proprio luto et cœno pura dogmata pietatis inquinat, qui non solum contra nos suam linguam armat, sed etiam ipsas sanctas voces pervertere conatur, qui suam perversionem Domini doctrina magistratam et firmiorem esse demonstrare ambitiose contendit. Non videtis quod se ipsum excitat contra nomen quod adoratur; ita ut temporis lapsu Domini nomen silentio involutum exolescat, et pro Christo Eunomius celebretur. Nondum rationis judicio intelligitis, quod meditatio, et præparatio, et exordium Antichristi adventus, hoc impium dogma et præconium a diabolo velut quoddam fundamentum prius factum est. Nam qui suas voces Christi sermonibus plus habere auctoritatis et imperii, ostendere ambitiose obnititur, et a divinis nominibus fidem demutare, et a mysticis ritibus et sacramentis ad suum errorem traducere cupide conatur, quid aliud proprie, quam Antichristus dicatur?

Digitized by Google

S. Epiphan., *Adver. hæres.*—Omnia sacrosancta volumina, Judaica instituta, legisque cæremonias docebant, usque ad Jesu Christi Salvatoris adventum : omninoque præclare sub hac lege, velut quodam institutore cum illis actum foret, si quem eadem illa lex prædixerat, venturumque monstraverat, Christum agnoscere voluissent; ut ejus divinitatem confessi, hoc ipsum quod corpore præditus advenisset, non ad legis eversionem pertinere, sed ad ejus consummationem intelligere : quoniam umbræ duntaxat atque imagines in lege, in Evangelio veritas ipsa continetur. Nam illic corporis præscripta circumcisio est, quæ in usu tandiu fuit, quoad ingens est illa circumcisio subsecuta; baptismus videlicet, quo nos a peccatis præcidimur, et in Dei nomine signamur. Habebant illi præterea Sabbatum, quod nos ad magnum illud Sabbatum, hoc est Christi Domini quietem, præparando detinet, ut a peccato cessantes velut Sabbatum quoddam in Christo celebremus. Erat penes illos et ovis victima rationis expers, quæ nos ad illam magnam cœlestemque perduceret ovem, pro nostra mundique totius salute mactatam. Præterea instituta apud illos decimatio fuit, quæ nos eo præmuniret, ne Iota litteram, quæ nota decussis est, idemque : Jesu nominis primum elementum ignorare possemus.

Quoniam igitur per umbras ac figuras traducti sunt, nec eam perfectionem assecuti, quam lex pariter, ac prophetæ, cæterique omnes, atque universa Scripturarum oracula prædicabant, ab agricolatione depulsi sunt, eorumque loco gentes introductæ : adeo ut nulla sit illis consequendæ salutis alia relicta ratio, quam ut ad Evangelii gratiam postliminio confugiant. Etenim apud ipsos omnia justitiæ præsidia cassa inaniaque reddita sunt; uti passim divinæ litteræ, et ubique fere testantur. Ex quibus unum duntaxat testimonium afferemus, quo quam immutabilis firmaque adversus illos lata sententia sit paucis ostenditur. Quid enim in ipsos a Deo decretum sit verba illa declarant. *Anima*, inquit, *quæ prophetam illum non audierit, exterminabitur a tribu sua, et ab Israele, et ab omni regione quæ cælo subjicitur.* (*Deut.* xviii) Quod nimirum quæ lex mystice tradiderat, hæc a Christo Domino consummari, munirique, perfecte ac salubriter oportebat : ac quisquis illum audire renueret, aut detractaret imperium, eum, tametsi legem usquequaque servaret, omni spe potiundæ salutis excludi. Neque enim lex præstare perfectum hominem potest; pro eo quod crassa omnia corporeaque consequendæ justitiæ præsidia complectitur, quæ in Christo Domino reipsa consummantur.

S. Basil., *Regul. brev. tract.*, tom. II. — *Inter.* Quid sit cultus, et quis sit rationalis cultus?

Resp. Cultus est, ut opinor, intenta, perpetuaque nec interrupta ejus qui colitur, cultura; sed discrimen quod interest rationalem inter et irrationalem cultum, declarat nobis Apostolus, cum ait, modo quidem : *Scitis quod cum gentes esseti, ad simulacra muta, prout ducebamini, ibatis* : modo vero, *Exhibite corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* (*Rom.* xii, 1.) Qui enim it, prout ducitur, reddit cultum irrationalem : siquidem, non præeunte ratione, sed suo impetu atque voluntate impulsus, ducentis arbitrio quoquoversum ducitur, ac etiam præter sententiam fertur : qui vero ratione sana et consilio bono, multaque cura semper et ubique id quod Deo placet, spectat et peragit, ab eo conficitur mandatum rationalis cultus, juxta eum qui dixit : *Lucerna pedibus meis lex tua, et lumen semitis meis.* (*Psal.* cxviii, 105.) Ac rursus : *Consilium meum, justificationes tuæ.* (*Ibid.*, 24.)

Idem, *De sanct. Spir.* —Nonne ex minime publicata et arcana hac doctrina, quam patres nostri silentio quieto minimeque curioso servarunt? Quippe illud probe didicerant, mysteriorum reverentiam silentio conservari. Nam quæ nec intueri fas est non initiatis, qui conveniebat horum doctrinam scriptis vulgari? Aut quid tandem sibi voluit magnus ille Moyses, qui non omnia quæ erant in templo passus sit omnibus esse pervia? Sed profanos extra sacros cancellos statuit; ac priora quidem atria purioribus permittens, levitas solos dignos censuit numinis ministerio : mactationes autem holocautomatumque oblationes, et reliqua quæ ad rem sacram pertinent sacerdotibus assignavit, atque unum ex omnibus selectum in adyta admisit, et nunc quidem semper, sed uno tantum die quotannis : quin et hujus diei certam horam qua fas esset ingredi, præstituit, quo propter novitatem et insolentiam, cum stupore intueretur Sancta sanctorum : probe sciens pro sua sapientia, res usu tritas et ex se obvias, expositas esse contemptui; rebus vero quæ sepositæ sunt ac raræ, quodammodo naturaliter conjunctam esse summam admirationem ac studium : ad eumdem profecto modum, et qui initio certos Ecclesiæ ritus præscripserunt apostoli et Patres, in occulto, silentioque mysteriis suam servavere dignitatem. Neque enim omnino mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur. Hæc est ratio, cur quædam citra scriptum tradita sint, ne dogmatum notitia neglecta, propter assuetudinem vulgo veniret in contemptum.

Aliud utique est dogma, aliud prædicatio. Nam dogmata silentur, prædicationes vero publicantur. Est autem silentii species etiam obscuritas qua utitur Scriptura, intellectu difficilem reddens dogmatum sententiam, idque ad legentium utilitatem. Hanc ob causam omnes spectamus ad Orientem, cum precamur; pauci tamen novimus quod id facientes antiquam requirimus patriam, videlicet paradisum, quem plantavit Deus in Eden ad Orientem. Erecti itidem perficimus deprecationes in una sabbati, sed rationem non omnes novimus. Non enim solum quod veluti simul cum Christo resuscitati,

Digitized by Google

quæ sursum sunt quærere debeamus, in die resurrectionis datæ nobis gratiæ stando precantes nosmetipsos commonefacimus, sed quod is dies videatur aliquo modo imago venturi sæculi. Eoque cum sit principium dierum, non primus a Moyse, sed unus appellatus est : *Facta est enim*, inquit, *vespera, et factum est mane dies unus* (*Gen.* I, 5.) tanquam qui sæpe recurrat. Igitur unus est idem et octavus, unum illum singularem ac verum octavum, cujus et Psalmista in quibusdam Psalmorum inscriptionibus meminit, per se significans, statum videlicet hoc tempus secuturum, diem non desiturum, vesperæ nescium, successoris expertem, ævum illud nunquam finiendum nec unquam senescens. Necessario igitur in hoc die Ecclesia suos alumnos docet, preces suas stando absolvere, ut assidua commonitione vitæ illius nunquam desituræ, non negligamus ad eam demigrationem parare viaticum. Quin et totum illud quinquaginta dierum tempus, admonitio est resurrectionis, quam in altero sæculo exspectamus. Nam unus ille et primus dies septies multiplicatus, septem sacræ Pentecostes hebdomadas absolvit. A primo enim incipiens in eumdem desinit, per similes, qui in medio intercedunt, dies quinquagies evolutus. Unde et æternitatem similitudine refert, dum velut in motu circulari, ab iisdem orsus signis in eadem desinit. Quo in die, corporis erecto habitu precari potius nos Ecclesiæ ritus docuerunt, nimirum per evidentem commonitionem quasi transferentes mentem nostram a præsentibus ad futura. Insuper et quoties genua flectimus, et rursus erigimur, ipso facto ostendimus, quod ob peccatum in terram delapsi sumus, et per humanitatem ejus qui creavit nos, in cœlum revocati sumus.

S. Greg., Naz., orat. 41, tom. I. — Quin per te quoque ipse Scripturas pervolvens, multos numeros observaveris, qui profundius aliquid habeant, quam quod prima fronte præ se ferunt. Quod autem præsenti tempori commodissimum est, ob has fortasse, vel his proximas, vel etiam sublimiores quasdam, ac diviniores rationes, Pentecostes diem Hebræi colunt, ac nos item colimus; quemadmodum et nonnullos alios Hebraicos ritus observamus, qui apud illos quidem typice celebrabantur, a nobis autem mystice peraguntur.

S. Chrys., hom. 20 *in Epist. ad Rom.* — Oportet undique dispicere ne corpus nostrum maculosum sit. Si enim ii qui veteres illas hostias offerebant, jubebantur omnia circumspicere, nec quod esset succisis auribus, cauda mutila, scabiosum, aut impetiginem habens, offerre permittebantur; multo magis nos qui non irrationabiles oves, sed nos ipsos offerimus, majore accuratione uti oportet atque undique puros esse, ut possimus secundum Paulum dicere : *Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat.* (*II Tim.* IV, 6.) Etenim hostia omni purior erat; ideo libamen seipsum vocabat. Erit autem hoc, si auferamus veterem hominem, si mortificemus membra quæ sunt super terram, si mundum nobis ipsis crucifigamus. Sic nec gladio, nec ara, nec igne opus habebimus; imo potius his omnibus egebimus, sed non manufactis; sed desursum nobis omnia venient, ignis aderit supernus, gladius ara nobis erit latitudo cœlestis. Si enim Elia sensibilem hostiam offerente, flamma superne demissa omnia consumpsit, aquam, ligna et lapides; multo magis pro te hoc fiet. Si quid vero fluxum et sæculare habueris, et cum recta voluntate sacrificium offeras, descendens spiritualis ignis sæculare illud absumet, et oblationem totam perficiet. Quid vero est rationabilis cultus? Spirituale ministerium, vita secundum Christum. Sicut igitur qui in domo Dei ministrat et sacrificat, quisquis tandem sit, tunc reprimitur et honorabilior efficitur; sic et nos per totam viam affectos esse oportet, ut Deo ministrantes et sacrificia offerentes. Hoc autem erit, si per singulos dies offeras illi sacrificia, et tui corporis sacerdos sis, ejusque quæ secundum mentem est virtutis : exempli causa, cum castitatem obtuleris, cum eleemosynam, cum mansuetudinem et injuriarum oblivionem, hæc cum facis rationabilem cultum offers; id est, qui nihil habeat corporeum, nihil crassum, nihil sensibile.

S. Aug., l. III *Contra duas epist. Pelagi.* — Quia Testamentum vetus pertinet ad hominem veterem, a quo necesse est hominem incipere, novum autem ad hominem novum, quo debet homo ex vetustate transire, ideo in illo sunt promissa terrena, in isto promissa cœlestia : quia et hoc ad Dei misericordiam pertinuit, ne quisquam vel ipsam terrenam qualemcunque felicitatem, nisi a Domino Creatore universitatis, putet cuiquam posse conferri. Sed si propter illam colatur Deus servilis est cultus, pertinens ad filios ancillæ : si autem propter ipsum Deum, ut in æterna vita sit Deus omnia in omnibus, liberalis est servitus, pertinens ad filios liberæ, quæ est mater nostra æterna in cœlis; quæ prius tanquam sterilis apparebat, quando perspicuos filios non habebat; non autem videmus quod de illa prophetatum est : *Lætare sterilis quæ non paris, erumpe et exclama quæ non parturis; quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum* (*Isa.* LIX, 1), id est, magis quam illius Jerusalem, quæ legis quodammodo vinculo maritata est, et servit cum filiis suis. Tempore igitur Veteris Testamenti Spiritum sanctum in eis, qui etiam tunc secundum Isaac promissionis filii erant, non solum adjutorem, quod isti sunt, dogmati suffícere existimant; verum etiam largitorem dicimus fuisse virtutis, quod isti negant, libero eam potius arbitrio tribuentes, contradicentibus illis patribus qui sciebant ad Deum veraci pietate clamare : Diligam te, Domine, virtus mea.

S. Bernard., epist. 229. — Nonne, charissimi, totus orbis terrarum Christi Ecclesiis jam ab antiquo refertus est? Cumque omnem pene numerum excedat multiplici-

Digitized by Google

tas ecclesiarum, sub una fide et eadem charitate Deo famulantium; tanta pene apud eas invenitur varietas usuum, quanta infinitas est locorum. Hoc in cantibus, hoc in lectionibus, hoc in omnibus ecclesiasticis officiis, hoc in vestitu vario; hoc præter authentica quæ mutari non possunt jejunia, in jejuniis diversis, hoc in universis similibus, quæ pro temporum, locorum, gentium, regionum varietatibus, a prælatis Ecclesiarum quibus secundum apostolum, quantum ad talia pertinet, in suo sensu licet abundare, instituta sunt. Relinquent ergo omnes istæ Ecclesiæ charitatem, quia mutaverunt consuetudinem? Cessabunt esse Christiani, quia videntur in diversis usibus varii? Peribit ab his omnibus summum pacis bonum, quia unusquisque modo operatur bonum? Non ita sensit vita et verbo doctor Ecclesiæ Ambrosius, qui de jejunio sabbati loquens, quod Romæ servari viderat, et Mediolani episcopus factus servari non inveneral, ait : « Quando Romæ sum, jejunium a Romana Ecclesia servatum custodio : quando Mediolani, morem ejusdem Ecclesiæ sequens non jejuno. » Hinc et pater Augustinus bonæ matris suæ devotionem describens, narrat eam juxta morem, quem apud Africanas Ecclesias teneri viderat, oblationes suas contra Ecclesiarum Italiæ observantiam Mediolani voluisse offerre, sed Ambrosio prohibitum fuisse.

[Ex conciliis.]

Ex conc. Toletano XVII, *sub Sergio, an.* 694. — Decernimus ut deinceps non aliter per totius Hispaniæ et Galliarum ecclesias solemnitas Cœnæ Domini celebretur, nisi pedes, unusquisque pontificum seu sacerdotum secundum sacrosanctum exemplum, suorum lavare studeat subditorum, quod si quisquam sacerdotum hoc nostrum distulerit adimplere decretum, duorum mensium spatiis se noverit a sanctæ communionis perceptione frustratum. — 4. Non tantum de sacris ministeriis, sed etiam de universis Ecclesiæ ornamentis nihil unusquisque sacerdotum pro suis usibus vel voluntatibus confringere, vendere, aut naufragare pertentet, si quis vero sacerdotum hoc violare tentaverit, honoris proprii ordinem amittat, ut sacrilegus perenni infamia denotatus, a sacræ communionis perceptione (excepto in supremo temporis cursu) omnibus diebus vitæ suæ maneat alienus.

Ex conc. Turonensi III, *sub Leone III, an.* 813. — 37. Exceptis diebus Dominicis et illis solemnitatibus quibus et universalis Ecclesia ob recordationem Dominicæ resurrectionis solet stando orare, fixis in terram genibus suppliciter Dei clementia nobis profutura, nostrorum criminum indulgentia deposcenda est.

Ex conc. Salegunstadiensi, sub Benedicto VIII, an. 1022. — 2. Si quando jejunium mensis Junii in vigilia Pentecost. evenerit, non ibi celebrandum erit, sed in ipsa hebdomada solemni Pentecostes, et tunc propter solemnitatem Spiritus sancti diacones dalmaticis induantur, et *alleluia* cantetur, et *flectamus genua* non dicatur.

Ex conc. Ravenatensi II, *sub Clemente V, an.* 1311. — 9. Omnes et singuli sacerdotes parochiales maxime quando omnibus diebus Dominicis celebrare debuerint, alba cocta sive stola induti aquam exorcizent, seu benedicant cum sale et aqua, altare ecclesiarum et populum antequam celebrent aspergant, cum antiph. *Asperges me*, etc. vel alia quæ tempore occurret, et psalmo vel versu *Miserere*, etc.

Ex conc. Frisingensi, sub Eugenio IV, an. 1440. — Omnes sacerdotes, qui parochiis præsunt, singulis diebus Dominicis aquam et sal benedicant, ac una cum toto clero ad ipsas Ecclesias spectante, horis consuetis ante missarum solemnia processionaliter circumeant, omnibus autem vere pœnitentibus confessis et contritis ipsam processionem devote sequentibus 40 dies indulgentiarum de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Ex conc. Toletano, sub Sixto IV, an. 1473. — 20. Larvas, ludos, monstra, spectacula, figmenta, et tumultuationes fieri, carmina quoque turpia, et sermones illicitos dici tam metropolitanis quam cathedralibus cæterisque nostræ provinciæ, ecclesiis, dum divina celebrantur, omnino prohibemus, et clerici qui præmissa ludibria et in honesta figmenta officiis divinis immiscuerint aut immisceri permiserint, si in metropolitanis seu cathedralibus ecclesiis beneficiati exstiterint, eo ipso per mensem portionibus suis multentur, si vero in parochialibus fuerint beneficiati 30, et si beneficiati non fuerint 15, regalium pœnam incurrant, etc. Per hoc tamen honestas repræsentationes, et devotas quæ populum ad devotionem moveant, non intendimus prohibere.

Ex conc. Coloniensi I, *sub Paulo III, an.* 1536, *Parte* III. — 28. Collegia in civitate Coloniensi in quatuor summis anni festis ac diebus celebribus sequentibus, quæque in suis ecclesiis divinum officium statis horis concelebrent ac peragant, neque his diebus, nisi cum nos in summo templo nostro præsentes erimus, collegialiter accedant.

29. Reliquas processiones, more antiquo, observari volumus.

30. Collegia singula in suis templis, vigilias in anniversariis episcoporum devote absolvant, deinde ecclesiam majorem ad sacrum tantum accedant, illic tantisper lacturi moram donec id compleatur.

Parte XI. — 8. Processiones ac supplicationes de cætero, intra septa ecclesiarum, religiose fiant.

Ex conc. Augustensi, sub Paulo III, an. 1548. — 23. Quotiescunque in sacris concionibus aut missis, nominis sanguinis vel corporis Christi, aut Dei genitricis Mariæ virg. fiet mentio, aut quando *Gloria in excelsis*, aut *Gloria tibi, Domine*, ante Evangelii initium, aut Nativitatis Christi ex virg. et incarnatio in symbolo, aut gratia-

Digitized by Google

rum actio in præfatione canuntur, vel commemorantur, omnes, detecto capite, genibusque flexis ante altare, vel ut locus tempusque postulaverit, Deo reverentiam exhibeant debitam.

Ex conc. Coloniensi II, *sub Paulo III, an.* 1549, *cens. contra abusus.* — 22. Quidquid non valet ad devotionem excitandam, a processionibus removeatur, sed sint processiones compositæ, graves et modestæ, absint risus, joci, et confabulationes, nec beatæ Virginis aut alterius cujuslibet sancti, plures quam imago una unius cujusque circumferatur, at ubi populus unus noluerit abusum hunc corrigere, et insolentiam prohibere sacerdotes et clerus talibus processionibus non intersint.

23. In omnibus cujuscunque generis processionibus, clerus exemplis bonis populum ædificet, et aut oret, aut cantet, cum gravitate per plateas incedens, nec dilabantur adjentacula, nec in ecclesiis dum sacrum in stationibus peragitur deambulent aut confabulentur, sed choro omnes intersint.

25. Decanis ruralibus committimus, ut ruri ubi major est abusus per suas regiunculas pastores adhortentur, ut ad prædictum modum suas processiones instituant, nec vagi et incompositi per agros discurrant, et præsertim rogationis tempore.

Ex conc. Moguntino, sub Paulo III, an. 1549.— 39. Veterem morem quem in Ecclesia sequimur dum salem, aquam et cæteras quasdam res in usum fidelium per orationes in verbo Dei, præparamus, præcipimus conservandum.

40. Reliquas cæremonias quales sunt quæ in administratione sacramentorum adhiberi consueverunt, quibus adnumeramus ut templa per loca idonea habeantur, ad quorum ornatum in iis signa crucis, aliasque imagines, vexilla, vestes sacras, altaria, et vasa sacra conservari volumus.

42. Ordinariis locorum injungimus ut si forte in territoriis suis imaginem aliquam concursus fieri, et homines ad ipsius figuram respectum habere, et quasi quamdam divinitatis opinionem illi tribuere animadverterint, ipsam imaginem (adhibitis prius in consilium theologis, et christianarum antiquitatum scientissimis, juxta ac pientissimis viris) pro causæ qualitate, aut tollant aut mutent, et aliam a prima, notabili quantitate differentem reponant.

Ex conc. Mediolanensi I, *sub Pio IV, an.* 1565. *Parte* II.—60. Præfecti ecclesiarum collegiatarum cum suis quisque canonicis ac beneficiatis vocatus superpelliceo vel aliis sacris vestibus indutus publicas processiones prælata cruce semper obeat, ad hujusmodi processiones episcopi, cum eis videbitur, vocent regulares omnes quamvis exemptos. cruces clerici ferant talari veste et superpelliceo induti, etc. Edendi ac bibendi consuetudinem, secumve esculenta et poculenta deferendi, aut ea vendendi in sacris supplicationibus habendis vineisque lustrandis, et suburbanis ecclesiis visitandis parochi tollere studeant.

Parte 3.—1. Curent episcopi, ut retento piæ eleemosynæ instituto, tollantur publicæ illæ comessationes, cæteraque hujus generis quæ a sodalitatibus quas confratrias vel confraternitates vocant præsertim intra ambitum ecclesiarum die Pentecostes, et die cœnæ Domini, aut certis aliis solemnibus festis diebus pietatis specie fieri solent.

Ex conc. Mediolanensi II, *sub Pio IV, an.* 1569, *titulo* 2. — 7. Quæ processiones post solemnem illam quæ mane in celebritate corporis Domini fit vel eo die, vel reliquis septem diebus sequentibus obiri solent, ea ne fiant, nisi quibus ecclesiis episcopus concesserit, iisque facultatem tantum det, ut mane non a prandio habeantur.

10. Sexta quoque feria in singulas hebdomadas, paulo ante horam nonam signum in unaquaque Ecclesia campanæ sono detur, quo fideles admoniti eadem hora Jesu Christi Domini passionem recolant, terque orationem Dominicam et Salutationem angelicam pronuntiantes quadraginta dierum indulgentiam, quam in sua quisque episcopus diœcesi concedet, consequantur.

18. Ne quis ad templa ornanda, peristromatis auleisque utatur quæ obscenis figuris intexta sint, neque item pictas imagines et signa adhibeat, quæ vel ethnicorum hominum vel aliarum rerum loci sanctitati repugnantium formam et speciem præ se ferant, in omni præterea publicarum supplicationum processionumve apparatu, quæ obscenarum rerum speciem ostendunt, ea ne adhibeantur.

Ex conc. Mediolanensi III, *sub Gregorio XIII, an.* 1573. — 5. Curet episcopus et sacrosanctæ crucis insigne vel ligno vel lapide vel marmore expressum in urbe et diœcesi sua, ubi trivia frequentiora sunt publice proponatur, et ne humi exprimatur, neve sordidis et aliqua labe inquinatis locis; singulis diebus Dominicis sacerdos missæ parochialis sacrum facturus, antequam illud inchoet, aquam sale aspersam benedicendo renovet, eamque ut moris est aspergat. Constitutio Gregorii XIII, qua sub excommunicatione ipso facto interdicitur, ne agni imagines figuratæ ceræ illæ formæ, et per Romanum Pontificem consecratæ, minio auro aut ullo colore inficiantur, neque venales proponantur promulgetur in Ecclesia, etc. Dominico die qui de Palmis dicitur, in ecclesia palmæ et olivæ solemni ritu benedicantur, ut festo die Purificationis beatæ Mariæ virginis candelæ, etc. Ad preces quæ super puerperam funduntur, cum post prolem emissam illa actura gratias ad ecclesiam se conferi, parochus puerperæ domum ne ingrediatur, nec illis panis benedictus sub hostiæ forma præbeatur.

Ex conc. Mediolanensi IV, *sub Gregorio XIII, an.* 1576. *Parte* I. — 14. Parochialis ecclesia campanas tres aut saltem duas habeat, simplex ecclesia oratoriumve unam tantum campanulam, nec ipsis res ulla profana de-

Digitized by Google

inceps insculpatur, sed crux et sacra aliqua imago, neque rursus eæ, in turrim campanilem sustollantur antequam ab episcopo rite precibus ac benedictione consecratæ sint.

Parte II. — 10. In omni processione, in illa præsertim quæ solemni die corporis Domini agitur, clerus sæcularis superpelliceo mundo candidoque indutus adsit, etc. Sacrarum imaginum insignia vexillave cleri, ne laicus homo in processione præferat, ubi clericus quisquam est qui hoc munus præstare possit, etc. Musicis vero cujusvis generis instrumentis in processionibus sonari ne ullo modo permittantur.

Ex conc Mediolanensi VI, *sub Gregorio XIII, an.* 1582. — 17. Stati dies processionum quæ pro gratiarum actione fient, hi sint, Dominicus dies, vel feria quinta, si vero pro calamitatibus peste, bello, fame, aliisque id generis supplicandum est, processiones publicæ agantur feria quarta, sexta et Sabbato.

Ex conc. Aquensi, sub Gregorio XIII, an. 1585. — 15. Populorum processiones quæ festis diebus ad aliquas ecclesias devotionis causa fieri consueverunt approbantes præcipimus ipsarum ecclesiarum curatis, ut studeant paratum ibi habere concionatorem, etc. Comessationes vero, ebrietates, lusus improbos et inhonestos, choreas, turpes cantilenas, omnem denique luxum et lasciviam, atque omnem festorum profanationem damnamus et reprobamus.

24. Die festo beatæ Mariæ virginis Purificationi dicato, etc. Vide conc. Mediol. 1573, c. 5, utroque autem tempore in singulis ecclesiis ubi solemnis illa candelarum et olivarum benedictio facta est, aut in earum ambitu alibive processio agatur, Curati ne permittant esculenta appendi olivis benedicendis, moneantque populum benedictionem illam non cadere super esculenta, sed super olivas, caveant ne benedictionem impertiant ad veneficia, maleficia, aut alia hujusmodi superstitiosa, parochus puerperam ne benedicat nisi in ecclesia cui etiam solum detur aliqua sacra imago deosculanda, cum aspersione aquæ benedictæ, neque ullo modo detur panis benedictus sub hostiæ forma, aut quid hujusmodi.

33. Controversias omnes de præcedentia quæ persæpe oriuntur inter ecclesiasticas personas sæculares quam regulares, tum in processionibus publicis, tum in iis quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus et in deferenda umbella et aliis similibus, episcopus amota omni appellatione, et non obstantibus quibuscunque componat. In processionibus clerici omnes sæculares et regulares et qui in ecclesia cathedrali dignitates obtinent bini semper procedant, neque inter eos laici homines ullo modo interjecti incedant, neque item inter eosdem et episcopum laicis locus sit. Sacras imagines, etc. Vid. *conc. Mediol.* 1576, p. II, c. 10. ad tollendas controversias declaramus clericos seminarii esse de gremio ecclesiæ cathedralis, et propterea in processionibus acaliis actibus publicis cum clero ecclesiæ cathedralis incedere debere.

34. Parochus concionatorve quo tempore indulgentiæ exponuntur doceat diligenter ejus consequendæ causa non esse necessariam præstitutæ eleemosynæ largitatem, ut celebrem eum ecclesiæ thesaurum spiritualiaque munera exponi omnes intelligant, non ad quæstum sed ad peccatorum satisfactionem.

Ex conc. Avenionensi, sub Clemente VIII, an. 1594. — 48. Parochus concionatorve indulgentiarum valorem interdum explicet simulque ostendat, quo in pretio a cunctis fidelibus haberi debeat.

Vide etiam. verb. EUCHARISTIA, SACRAMENTA, SACRAMENTALIA.

RIXÆ

[Ex SS. Patribus.]

ORIG., *in Matthæum*, tom. III. — Quod si super terram consentientes videre velis, eos vide qui hæc audierunt : *Ut cohæretis eadem mente, et eadem sententia* (*I Cor.* I, 10) et illud affectarunt. *Omnium credentium erat cor unum, et anima una* (*Act.* IV, 32); qui tales evaserant (si quidem inter plures tale quid reperiri possit) ut ne minima quidam inter illos existeret dissensio, quemadmodum decachordi psalterii cordarum nulla invicem discrepantia est. At non consentiebant super terram qui dicebant : *Ego quidem sum Pauli, ego vero Cephæ, ego autem Christi.* (*I Cor.* I, 12.) Sed inter ipsos erant schismata, quibus dissipatis, una cum Pauli spiritu, virtuti Domini Jesu Christi, consociabantur, ne se amplius morderent et comederent, ita ut vicissim alius ab alio consumerentur ; consumit enim et atterit discordia, quemadmodum corradit et accumulat concordia, et filii Dei capax est, qui in medio consentientium duntaxat reperitur. Ac sunt duo generalia in quibus proprie concordia existit : consensus, cum eædem habentur animo sententiæ ; et ejusdem voluntatis consensio, cum par est utrobique et similis vitæ tenor. Quod si *duobus ex nobis consentientibus super terram de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre Jesu qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII, 15), quotiescunque a Patre qui in cœlis est postulata quælibet non impetrantur, duos illic super terram non consensisse perspicuum est, et cur votis ac precibus non potiamur illud in causa esse, quod neque opinionibus, neque vitæ instituto simul consentiamus. Præterea vero si corpus sumus Christi, et *posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore*, ut *pro invi-*

Digitized by Google

cem sollicita sint membra (*I Cor.* XII, 18), et sibi invicem consentiant, *et si quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra : sive gloriatur unum membrum, congaudeant.* (*Ibid.* XXV, 26.) exercenda nobis est symphonia quæ a divina musica oritur, ut cum in nomine Christi fuerimus congregati, in medio nostrum sit Christus, qui Dei Verbum est, et Dei sapientia, ipsiusque virtus.

S. CYPRIAN., *De zelo.* — Qui zelare non novit, quique unanimis et mitis fratres suos diligit, dilectionis et pacis præmio honoratur. In hoc virtutum stadio quotidie currimus, ad has justitiæ palmas et coronas sine intermissione temporis pervenimus; ad quas ut pervenire tu etiam possis, qui fueras zelo et livore possessus, omnem illam malitiam qua prius tenebaris adjice; ad viam vitæ æternæ vestigiis salutaribus reformare. Evelle de pectore tuo spinas et tribulos, ut te Dominicum semen fertili fruge locupletet, ut divina et spiritalis seges in copiam fecundæ messis exuberet. Venena fellis evome, discordiarum virus exclude, purgetur mens quam serpentinas livor infecerat, amaritudo omnis quæ intus insederat, Christi dulcedine leniatur. Si de sacramento crucis et cibum sumis et potum, lignum quod apud merrham profecit in imagine ad saporis dulcedinem, tibi in veritate proficiat ad mulcendi pectoris lenitatem, nec ad medelam prosperandæ valetudinis laborabis. Unde vulneratus fueras, inde curare. Ama eos quos ante oderas; dilige illos quibus injustis obtrectationibus invidebas. Bonos imitare, si sectari potes. Si autem eos sectari non potes, collætare certe et congratulare melioribus. Fac te illis adunata dilectione participem, fac te consortio charitatis et fraternitatis vinculo cohærentem. Dimittentur tibi debita, quando et ipse dimiseris; accipientur sacrificia tua, cum pacificus ad Deum veneris. Sensus atque actus tui divinitus dirigentur, quando ea quæ divina et justa sunt cogitaveris, sicut scriptum est ? *Cor viri cogitet justa, ut a Domino dirigantur gressus ejus.* (*Prov.* XVI.) Habes autem multa quæ cogites. Paradisum cogita, quo Cain non ingreditur, qui zelo fratrem peremit. Cogita cœleste regnum, ad quod non nisi concordes atque unanimes Dominus admittit. Cogita quod filii Dei hi soli possint vocari qui sint pacifici, qui nativitate cœlesti et lege divina ad similitudinem Dei Patris et Christi respondeant adunati. Cogita sub oculis Dei nos stare, spectante ac judicante ipso, conversationis ac vitæ nostræ curricula decurrere, pervenire nos tunc demum posse ut eum videre contingat, si ipsum nunc videntem delectemus actibus nostris, si nos dignos gratia ejus et indulgentia præbeamus, si placituri semper in regno, in hoc mundo ante placeamus.

S. BASIL., Proœm. *De judicio, Dei.* — *Vos estis corpus Christi, et membra ex parte.* (*I Cor.* XII, 27.) Quippe unum et solum verum caput, quod est Christus, continet ac connectit unumquodque cum altero ad concordiam. Apud quos vero non exstat concordia, non vinculum pacis servatur, non in spiritu lenitas custoditur : imo vero, dissidium, lis et æmulatio reperitur. Magnæ quidem audaciæ ac temeritatis fuerit eos qui sunt ejusmodi, membra Christi appellare, aut dicere ipsos ab eo regi; sed ingenui animi fuerit fidenter affirmare, illic dominari ac regnare carnis affectum juxta hanc Apostoli vocem, qui modo decretorio ait : *Cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis.* (*Rom.* VI, 16) Recenset autem perspicue hujusce affectus proprietates, cum sic loquitur : *Cum enim sint inter vos zelus et contentio, et desidia, nonne carnales estis?* (*I Cor.* III, 3.) Simulque horum vitiorum exitum gravem esse, nihilque ipsis esse cum pietate commune asseveranter docet, his verbis : *Affectus carnis inimicitia est adversus Deum : legi enim Dei non est subjecta : nec enim potest duobus dominis servire.* (*Matth.* VI, 24.)

S. CHRYST., hom. 33 *in Genes.* — *Ne sit,* inquit, *rixa inter me et te, inter pastores meos et tuos, quoniam homines fratres sumus.* (*Gen.* XIII, 8.) Multa verborum lenitas, *inter me et te.* Considera quomodo ei loquitur seu honore pari, quamvis opinor non aliunde rixas fuisse exortas, quam quod pastores patriarchæ non permiserint illis eadem licentia frui, qua ipsi. Sed justus æquabiliter omnia facit, specimen præbens, eminentis suæ patientiæ, ac docens non tantum præsentes, sed posteros etiam omnes, nunquam esse admittendum, ut nostris familiares cum proximis contendant. Nam eorum contentio magnam nobis affert ignominiam, et non illis imputantur quæ fiunt, sed in nos transfertur reprehensio. Quomodo enim rationi consentaneum sit, homines qui fratres sunt, qui eamdem naturam sortiti, qui ejusdem sunt familiæ, qui tanquam peregrini et advenæ hic versaturi sunt, quos mansuetudinis, lenitatis, et omnis philosophiæ doctores esse oportebat, inter se contendere et digladiari ?

Idem, hom. 15 *in Matth.* — Quomodo speras te Deum unquam propitium habiturum esse? jam vos alloquar qui in foro indecore agitis, eumque qui lædit et iniquo agit. Dic mihi, plagas incutis, calcibus impetis, et mordes? Susne silvester es, vel onager? Nec te pudet, nec erubescis, ita efferatus, qui nobilitatem tuam prodidisti? Si enim pauper es, at liber es; si artifex es, sed Christianus. Eo ipso quod pauper es, quiescere debes. Nam divitum est litigare non pauperum, divitum, inquam, qui multas habent jurgiorum causas. Tu vero qui divitiarum voluptatem non habes, mala tamen divitiarum quæris; inimicitias tibi contentiones et rixas attrahens, fratrem præfocas et angis et publice sub omnium oculis prosternis. Nec te putas magis indecore agere, dum ferarum impetum imitaris, quin etiam illis deterior effectus es. Omnia quippe illis communia sunt, simul congregantur, una incedunt. Nobis vero nihil

Digitized by Google

commune est, sed omnia sus deque posita sunt, rixæ, contentiones, convicia, inimicitiæ, contumeliæ, sed neque cœlum ipsum reveremur, quo omnes simul vocati sumus, neque terram quæ nobis omnibus obvenit, neque naturam ipsam. Sed omnia simul ira et amor pecuniarum dissipavit. Non vides illum qui decem millia talenta debebat, postquam illa sibi remissa fuerant, conservum suum suffocantem pro centum denariis, quot mala subiit, et quomodo æterno traditus sit supplicio? Non times exemplum? Non metuis ne tu eadem patiaris? Etenim nos quoque Domino plurima magnaque debemus. Ille tamen exspectat et patienter agit; non instat, ut nos conservis nostris; non nos angit et suffocat. Certe si vel minimam partem vellet a nobis exigere, jam olim periissemus. Hæc itaque cogitantes, dilecti, humiliemur, et debitoribus nostris gratiam habeamus: sunt enim nobis, si philosophemur, occasiones maximæ indulgentiæ; et pauca dantes, plurima accipiemus. Quid igitur violenter ab eo exigis, cum oporteret, etiam si ipse solvere vellet, debitum remittere, ut totum a Deo acciperes? Nunc vero nihil non agis, vim infers, contendis ut tibi nihil ex debitis tuis remittatur. Et videris quidem proximo tuo molestiam inferre, dum gladium tibi admoves, et gehennæ supplicium auges. Si autem vel tantillum hic philosopheris, leviores officis rationes pœnasque tuas. Etenim Deus ideo vult ut apud nos hujusmodi liberalitas oriatur, ut occasionem hinc captet plurima nobis donandi. Quotquot igitur debitores tibi sunt, sive de pecuniis sive de offensis agatur, hos omnes dimitte liberos, et a Deo postula, ut tantæ magnanimitatis tibi vices rependantur. Donec enim ipsos debitores habebis, Deum debitorem non habebis. Sin illos liberos dimiseris, poteris a Deo exigere cum instantia magna, tantæ philosophiæ mercedem. Si enim homo præteriens vidensque te debitorem tenere, juberet te ipsum dimittere, et abs se debitum reposcere, non certe ingratus illi foret post remissionem, utpote qui in se totum transtulerit, quomodo Deus non plura alia, imo millies plura reddet, cum ejus præcepto obtemperantes, debitores nostros, nec parvum nec magnum eis expostulantes, dimiserimus prorsus liberos? Ne temporaneam illam voluptatem attendamus, quam debita repetentes accipimus; sed damnum illud tantum quod in futuro exspectamus, in bonis immortalibus nos ipsos lædentes. Omnibus ergo superiores facti, largiamur et pecunias et offensas debitoribus nostris, ut leviores nobis rationes reddendas paremus; et quod non potuimus per alias virtutes assequi, per oblivionem injuriarum consequentes, æterna adipiscamur bona, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

S. Aug., serm. 33 *de Proverbiis.* — Bene, fratres mei, interrogate vos ipsos, cellas interiores discutite. Videte et attendite quid habeatis de charitate, et hoc quod invenietis augete. Attendite ad talem thesaurum, ut intus divites sitis. Cætera certe quæ magnum habent pretium, chara dicuntur; nec frustra. Aspicite consuetudinem sermonis vestri: charius est illud, quam illud. Quid est, charius est, nisi pretiosius est? Si charius dicitur quidquid pretiosius est, quid charius ipsa charitate, fratres mei? Quod est, putamus, pretium ejus? Unde invenitur pretium ejus? Pretium tritici, nummus tuus; pretium fundi, argentum tuum; pretium margaritæ, aurum tuum; pretium charitatis, tu. Quæris ergo unde possideas fundum, gemmam, jumentum; fundum quæris unde emas, et quæris apud te. Si vis autem habere charitatem, quære te, et inveni te. Quid enim times dare te, ne consumas te? Imo si te non dederis, perdis te. Ipsa charitas per Sapientiam loquitur, et dicit tibi aliquid, unde non exspaveseas quod dictum est: Da te ipsum. Si quis enim vellet tibi fundum vendere, diceret tibi: Da mihi aurum tuum; et si quis aliud aliquid. Da mihi nummum tuum; da mihi argentum tuum. Audi quid tibi dicat ex ore Sapientiæ charitas: Da mihi, fili, cor tuum. Da mihi, inquit: quid? fili, cor tuum. Male erat, quando a te erat, quando tibi erat: per nugas enim et amores lascivos perniciososque trahebaris. Tolle inde. Ubi trahis? Ubi ponis? Da mihi, inquit, cor tuum. Sit mihi, et non perit tibi. Vide enim, si aliquid voluit dimittere in te, unde ames vel te, qui tibi dicit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua.* (*Matth.* XXII, 37.) Quid remanet de corde tuo unde diligas te ipsum? Quid de anima tua? Quid de mente tua? Ex toto, inquit. Totum exigit te, qui fecit te. Sed noli tristis esse, quasi nihil inde gaudeas remaneat in te. *Lætetur Israel*, non in se, sed *in eo qui fecit eum.*

S. Bernard., *in Cant.* — *Fides sine operibus mortua est.* (*Jac.* II, 1.) Munus mortuum offers Deo? Si enim quædam anima fidei ipsa devotio est, quid fides quæ non operatur ex dilectione, nisi cadaver exanime? Bene honoras Deum munere fetido? Bene placas tuæ fidei interfector? Quomodo hostia pacifica, ubi tam sæva discordia est? Non mirum si Cain insurrexit in fratrem, qui suam prius occiderat fidem. Quid miraris o Cain, si ad tua non respicit munera, qui te despicit? Nec hoc mirum si non respicit ad te, qui ita divisus es in te. Si manum devotioni, quid animum das livori? Non concilias Deum tibi, discors tecum; non placas, sed peccas; et nondum quidem impie feriendo, sed tamen dividendo non recte. Etsi necdum fratricida, jam tamen fideicida teneris. Nunquid rectus, vel quando porrigis manum Deo, cujus cor in terram trahit livor et fraternum odium? Quomodo rectus, cujus fides mortua, cujus opus mors, cujus nulla devotio, amaritudo multa? Erat quidem in offerente fides, sed non in fide dilectio: recta oblatio, sed crudelis divisio.

Idem, serm. 1 *in festo S. Michael.* — Ni-

Digitized by Google

hil æque offendit, et ad indignationem provocat eos, quomodo dissensiones et scandala, si forte inveniantur in nobis. Audiamus siquidem quid loquatur ad Corinthios Paulus : *Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?* (*I Cor.* III, 3.) In Epistola quoque Judæ apostoli legimus sic : *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.* (*Judæ* I, 19.) Videre est animam hominis, quemadmodum universa corporis membra vivificet cohærentia sibi. Separa ergo quodvis a junctura cæterorum, et vide an de cætero illud vivificet. Sic est omnis qui dicit anathema Jesu : quod nemo dicit loquens in Spiritu Dei, quia anathema separatio est. Sic est, inquam, omnis qui ab unitate dividitur, nec dubites quin ab eo recesserit Spiritus vitæ. Digne igitur contentiosos, et qui separant semetipsos, apostoli carnales vocant et animales, spiritum non habentes. Dicunt ergo sancti illi et beati spiritus, ubi scandala invenerint et dissensiones : Quid nobis et generationi huic spiritum non habenti? Nam si adesset Spiritus, per eum utique charitas diffunderetur, et unitas non scinderetur. Et dicunt : Non permanemus cum hominibus istis in æternum, quia carc sunt. Quæ enim conventio luci ad tenebras? Nos de regno unitatis et pacis sumus, et homines istos in eamdem unitatem et pacem sperabamus esse venturos. Nunc autem qua ratione nobis cohæreant, qui dissident a scipsis? Videtis quam congruat huic solemnitati evangelica lectio, quandoquidem tam vehementer angelis displicent scandala. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis* (*Marc.* IX, 41), durum est quod sequitur. Sed jam præterit hora, ad missas nobis eundum est. Peto ne sit vobis molesta dilatio, quæ poterit non inutilis fore, si capitulum præsens sermone altero diligentius præsequamur.

S. Bern., epist. 132, tom. I. — Si quis item susurro in populo, diaboli sibi assumens vicem, jurgia seminare, et pacem turbare velle reperiatur, quemadmodum ille discordiæ semper est amator et auctor; huic rigidæ censuræ remedio citius obvietur, eo quippe pessimæ, quo intimæ pesti. Hostilis exercitus vastat agros, domosque spoliat: prava autem consilia corrumpunt bonos mores, et modicum fermentum totam massam corrumpit.

Idem, *in dedic. Eccles.* — Proditores quidem fiunt, quicunque in hoc Domini castrum inimicos ejus introducere moliuntur, quales sunt utique detractores, Deo odibiles, qui discordias seminant, et nutriunt scandala inter fratres. Sicut enim in pace factus est locus Domini, sic in discordia locum diabolo fieri manifestum est. Non miremini, fratres, si durius loqui videor : quia veritas neminem palpat. Omnino proditorem sese noverit, si quis forte, quod absit! vitia quælibet in hanc domum conatur inducere, et templum Dei speluncam facere dæmoniorum.

S. Greg., *Reg. pastor.* — Aliter admonendi sunt seminantes jurgia, atque aliter pacifici. Admonendi namque sunt qui jurgia seminant, ut cujus sint sequaces agnoscant. De apostata quippe angelo scriptum est, cum bonis messi inserta fuisset zizania : *Inimicus homo hoc fecit.* (*Matth.* XIII, 28.) De cujus etiam membro per Salomonem dicitur : *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, et omni tempore jurgia seminat.* (*Prov.* VI, 12.) Ecce, quem seminantem jurgia dicere voluit, prius apostatam nominavit; quia nisi more superbientis angeli a conspectu Conditoris prius intus aversione mentis caderet, foras postmodum usque ad seminanda jurgia non veniret. Qui recte describitur quod annuit oculis, digito loquitur, terit pede. Interior namque est custodia, quæ ordinata servat exterius membra. Qui ergo statum mentis perdidit, subsequenter foras in inconstantiam motionis fluit, atque exteriori mobilitate indicat, quod nulla interius radice subsistat. Audiant jurgiorum seminatores quod scriptum est : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* (*Matth.* V, 9.) Atque e diverso colligant, quia si filii Dei vocantur qui pacem faciunt, procul dubio Satanæ sunt filii qui confundunt. Omnes autem, qui per discordiam separantur a viriditate dilectionis, aretiunt. Qui etsi boni operis fructus in suis actionibus proferunt, profecto nulli sunt, quia non ex unitate charitatis oriuntur. Hinc ergo perpendant seminantes jurgia, quam multipliciter peccant, qui dum unam nequitiam perpetrant, ab humanis cordibus cunctas simul virtutes eradicant. In uno enim malo innumera peragunt. Quia seminando discordiam, charitatem quæ nimirum virtutum omnium mater est, exstinguunt. Quia autem nihil pretiosius est Deo virtute dilectionis; nihil est desiderabilius diabolo exstinctione charitatis. Quisquis ergo seminando jurgia dilectionem proximorum perimit, hosti Dei familiarius servit : quia qua ille amissa cecidit, hanc iste vulneratis cordibus subtrahens, eis iter ascensionis abscidit.

Idem, *in Ezech.*, l. I, hom. 8, t. I. — Quia autem nil sine concordia Deo placeat, ipsa per se Veritas demonstrat dicens : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ad altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.* (*Matth.* V, 23, 24.) Ecce a discordantibus accipere non vult sacrificium, holocaustum suscipere recusat. Hinc ergo perpendite, quantum sit malum discordiæ, propter quod et illud adjicitur, per quod culpa laxatur.

[Ex conciliis.]

Vid. verb. Accusatio.

Digitized by Google

S

SACERDOTIUM, PRESBYTERI OFFICIA, ETC.

[Ex SS. Patribus.]

Vid. verb. ORDO.

[Ex conciliis.]

Ex conc. Epaunensi, sub Symmacho, an. 509.— 5. Ne presbyter territorii alieni, sine conscientia sui episcopi, in alterius civitatis territorio præsumat basilicis aut oratoriis inservire, nisi forte episcopus suus illum concedat episcopo illi in cujus territorio habitare disposuit.

Ex conc. Arelatensi III, *sub Joanne I, an.* 524, *secundum Gratianum.*— Ut episcopi provideant quem honorem presbyteri pro suis ecclesiis facere debeant.

Ex conc. Vasionensi III, *sub Felice IV, an.* 529.— 1. Placuit ut omnes presbyteri, qui sunt in parochiis constituti, secundum consuetudinem quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores lectores quantoscunque sive uxorem habuerint, in domo ubi habitare videntur recipiant, eos quomodo boni patres spiritualiter nutrientes, psalmos parare, divinis lectionibus insistere, et in lege Domini erudire contendant, ut et sibi dignos successores provideant, et a Domino præmia æterna recipiant, cum vero ad ætatem perfectam venerint, si aliquis eorum pro cărnis fragilitate uxorem habere voluerit, potestas ducendi conjugem non negetur.

Ex conc. Barcinonensi, sub Vigilio, an. 540.— 5. Episcopo præsente orationes presbyteri cum ordine colligant.

Ex conc. Arelatensi, sub Pelagio I, an. 554.— 4. Ne presbyter diaconum vel subdiaconum deponere præsumat.

Ex conc. Cæsaraugustano, sub Gregorio I, an. 592.— 1. Presbyteri qui ex hæresi Ariana ad sanctam catholicam Ecclesiam conversi sunt, qui sanctam et puram fidem atque castissimam tenuerint vitam, acceptam denuo benedictionem presbyterii sancte et pure ministrare debeant, cæteri vero qui hanc suprascriptam vitam adimplere vel tenere neglexerint, ab officio depositi sint in clero, ita et de diaconis.

Ex conc. Hispalensi II, *sub Bonifacio V,* an. 619.— 7. Quamvis cum episcopis plurima presbyteris ministeriorum communis sit dispensatio, quædam novellis et ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint, sicut presbyterorum et diaconorum ac virginum consecratio, constitutio altaris benedictio vel unctio, si quidem nec licere eis ecclesiam vel altarium consecrare, nec per impositionem manus fidelibus baptizatis vel conversis ex hæresi Paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare, sed nec publice quidem in missa quemquam pœnitentium reconciliare, nec formatas cuilibet epistolas mittere, sed neque coram episcopo licere presbyteris in baptisterium introire, nec præsente antistite, infantem tingere aut signare, nec pœnitentes sine præcepto episcopi sui reconciliare, nec eo præsente sacramentum corporis et sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito populum docere, benedicere vel salutare.

Ex conc. Toletano IV, *sub Honorio I, an.* 633.— 25. Quando presbyteri in parochiis ordinantur, libellum officialem a suo sacerdote accipiant, ut ad ecclesias sibi deputatas instructi succedant, ne per ignorantiam etiam in ipsis divinis sacramentis offendant, ita ut quando vel ad litanias vel ad conc. venerint rationem episcopo reddant qualiter susceptum officium celebrent vel baptizent.

26. Quando presbyteri aut diaconi per parochias constituuntur, oportet eos primum professionem episcopo suo facere, ut caste et pure vivant sub Dei timore.

Ex conc. Emeritensi, sub Vitaliano, an. 664.— 16. Omnes presbyteri qui virtutem habuerint, episcopo suo placitum faciant, ut reparare ecclesias sibi commissas intendant, quod si facere distulerint, ab episcopo suo districti ecclesias sibi redditas digne reparent.

18. Omnes parochiani presbyteri, juxta ut in rebus sibi a Deo creditis sentiunt habere virtutem, de ecclesiæ suæ familia, clericos sibi faciant, quos per bonam voluntatem ita nutriant, ut et officium sanctum digne peragant, et ad servitium suum aptos eos habeant, hi etiam victum et vestitum dispensatione presbyteri merebuntur.

Ex conc. Toletano XVI, *sub Sergio, an.* 693.— 5. Plures ecclesiæ uni nequaquam committantur presbytero, ea scilicet ratione ut ecclesia quæ usque ad decem habuerit mancipia, super se habeat sacerdotem, quæ vero minus decem mancipia habuerit, aliis conjungatur ecclesiis.

Ex conc. Ratisponensi sub Zacharia, an. 742. — 7-10. Unusquisque presbyter in parochia habitans subjectus sit illi episcopo in cujus parochia habitat, et semper in Quadragesima rationem et ordinem missarum ipso episcopo reddat, et ostendat, et quandocunque jure canonico episcopus circumit ad confirmandos populos, semper presbyter paratus sit ad suscipiendum episcopum cum collectione, et adjutorio populi qui ibi confirmari debet, et in cœna Domini chrisma accipiat ab episcopo.

11. Statuimus ut secundùm canonicam cautelam omnes undecunque venientes episcopos ignotos vel presbyteros, ante probationem synodalem in ecclesiasticum ministerium non admittant.

Ex conc. Vermeriensi, sub Stephano II, an. 752.— 14. Ab episcopis vagis presbyteri non ordinentur.

15. Presbyter degradatus potest in necessitate baptizare.

Ex conc. in Palatio vernis, sub Stephano III, an. 756.— 8. Ut omnes presbyteri qui

Digitized by Google

in parochia sunt sub potestate episcopi esse debeant, et de eorum ordine nullus presbyter præsumat in illa parochia baptizare, nec missas celebrare, sine jussione episcopi in cujus parochia est, ut omnes presbyteri ad concilium episcopi sui conveniant.

Ex conc. Arelatensi IV, *sub Leone III, an.* 813.— 4. Ut laici presbyteros absque judicio episcopi non ejiciant de ecclesiis, nec alios immittere præsumant, quia quando presbyteri ab episcopis in parochiis ordinantur, necesse est ut ab ipsis episcopis diligenter instructi ecclesias sibi deputatas accipiant.

18. Presbyteri sub sigillo custodiant chrisma, et nulli sub prætextu medicinæ vel cujuslibet rei, donare præsumant, genus enim sacramenti est, et non ab aliis nisi a sacerdotibus contingi debet, quod si fecerint, honore priventur.

Ex conc. Turonensi III, *sub Leone III, an.* 813.— 12. Presbyterum ordinari non debere ante legitimum tempus, hoc est 30, ætatis annum, sed priusquam ad consecrationem presbyteratus accedat, maneat in episcopio discendi gratia officium suum, donec possint et mores, et actus ejus animadverti, et tunc si dignus fuerit ad sacerdotium promoveatur.

13. Unusquisque episcoporum parochiam suam diligenter perscrutari nitatur, ne aliquis presbyter ab alterius parochia in suam commigrans, officium celebrare præsumat sine litteris commendatitiis.

14. De titulo minori ad majorem migrare, nulli presbytero licitum sit, sed in eo permaneat, ad quem ordinatus est.

15. Quicunque presbyter per pretium ecclesiam fuerit adeptus, omnimodis deponatur; ne quis cuilibet presbytero præsumat dare ecclesiam sine licentia et consensu episcopi sui.

20. Presbyteris injungendum est, ne sacrum chrisma foras conclave dimittant, ubi a quolibet attingi possit.

21. Servandum presbyteris firmiter statuimus, ne tabernas ingrediantur comedendi et bibendi causa.

Ex conc. Cabilonensi II, *sub Leone III, an.* 813.— 12. Ut neque presbyteri, neque diaconi, neque monachi villici fiant.

41. Presbyter proprio loco dimisso ad alium migrans nequaquam recipiatur, nisi suæ migrationis causam dixerit, et innocenter vixisse in parochia in qua ordinatus est sub testibus probaverit, litteras etiam habebit in quibus sint nomina episcopi et civitatis plumbo impressa, quibus cognitis et talibus inventis, quibus fides adhiberi possit, recipiatur.

43. Nullus absque consensu episcopi cuilibet presbytero ecclesiam det, quam si juste adeptus fuerit, hanc nonnisi gravi culpa sua, et coram episcopo canonica severitate amittat.

44. Presbyteros in tabernis bibere, cancellarios publicos esse, nundinas insolenter peragrare, Romam sive Turonum absque licentia episcopi sui adire, penitus decrevimus inhibendum.

Ex conc. Moguntino, sub Leone III, an. 813.— 26. Ut presbyteris per monasteria puellarum opportuno tempore, liceat missarum solemnia celebrare, et iterum ad proprias ecclesias redire.

27. Presbyteri, etc. *Vid.* conc. Arelatense 813, cap. 18.

28. Presbyteri sine intermissione utantur orariis, propter differentiam sacerdotii dignitatis.

30. Laici omnino munera injusta non exigant a presbyteris propter commendationem ecclesiæ cuiquam presbytero.

Ex conc. Parisiensi, sub Gregorio IV, an. 829.— 29. Quorumdam prælatorum temerario ausu, ecclesiæ suis ad tempus viduantur sacerdotibus, quoniam si quid eis in forensibus negotiis agendum, si quid jam in diversis aliis partibus nuntiandum occasio necessitatis opponit, id potius per sacerdotes Domini currentes et discurrentes, quam per alios effici præcipiunt, non attendentes quod eorum absentia et loca Deo dicata sibi cultu debito priventur, et homines sine confessione, et infantes sine baptismatis regeneratione plerumque moriantur, etc. Cavendum est ergo omnibus prælatis ne illicita sibi presbyterorum transmissione, animarum suarum habeant damnationem, presbyteri porro qui non sui prælati imperio coacti, sed potius voluptatum suarum delectatione imo avaritiæ æstuatione succensi id facere præsumunt, etc. ab episcopo suo rigida corripiantur invectione.

Ex conc. Aquisgranensi, sub Gregorio IV, an. 836.— 5. Presbyteri in doctrina præsint populis et in officio prædicandi, nec in aliquo desides inventi appareant, item ut de omnibus hominibus qui ad eorum ecclesiam pertinent, per omnia curam gerant scientes se pro certo reddituros rationem pro ipsis in die judicii.

6. Summopere providendum ut ea quæ a domino imperatore consensu episcoporum ob honorem et amorem Dei in ecclesiis concessa sunt, non in avaritiam presbyterorum aut in rapacitatem episcopalium ministrorum cedant, sed in utilitatem ecclesiæ, et in usus clericorum et pauperum deveniant.

7. In quorumdam episcoporum parochiis quidam presbyteri contra interdicta sanctorum canonum feminas in domibus suis non solum habitare, sed etiam ministrare sibi faciunt, episcopi qui tantæ transgressionis incorrectores hactenus exstiterint, si abhinc hujus rei correptores esse neglexerint, quasi consentientes malorum coerceantur.

11. Presbyteris nulla omnino cohabitet feminarum, contemnentes autem hanc constitutionem, periculum proprii sustineant gradus.

22. De presbyteris qui hinc inde de diversis parochiis veniunt, et in palatio morantur sine proprii episcopi consensu, ibi

Digitized by Google

locum consistendi non habeant, nec recipiantur.

Ex conc. Meldensi, sub Sergio II, an. 845. — 36. Ut presbyteri nullatenus ubicunque hospitari sinantur, aut aliquo modo ipsi præsumant, sed assidue apud suas ecclesias esse studeant, propter sacra mysteria vel ministeria fidelibus exhibenda, nec etiam alibi habitare permittantur, neque mulieres quamcunque frequentationem habeant in locis in quibus presbyteri aliquem recursum habuerint.

45. Decet presbyteros cum voluntariis eulogiis tempore congruo visitare et venerari suos episcopos.

49. Ut nemo laicorum presbyteros ecclesiarum suarum turpi villicationi, et (secundum apostolum) sæculari et inhonestæ negotiationi implicare, nec secum aliorsum contra auctoritatem præsumat ducere, quo ministerium sibi commissum cogantur negligere, quod si contra interdictum præsumpserit excommunicetur.

Ex conc. Ticinensi, sub Leone IV, an. 850. — 7. Oportet per oppida singula villasque curam gerere presbyteros, qualiter pœnitentes impositam sibi abstinentiæ formam custodiant, et utrum eleemosynarum largitione, vel aliis remissionem peccatorum promerentibus piis operibus inserviant, et qua cordis contritione, vel lamentatione seipsos afficiant, ut hac consideratione, pœnitudinis tempus, rationalem possit accipere terminum, et vel extendatur si pœnitens negligenter injuncta prosecutus est, vel brevietur si desideranter veniam studuit promereri.

Ex conc. Valentino in Gallia sub Leone IV, an. 855. — 9. Placuit ut parochiales presbyteri sub episcopis quibus adjutores sunt maneant, et sub matre ecclesia liberi et quieti officium ecclesiasticum exsequantur; dotes vero a fidelibus designatæ basilicis, ad hoc quod statutum est ab eis vindicentur, nullaque redhibitio census inde a quolibet sæculari exigatur, sed quod canonice tantum ordinatum est suppleatur, si quis autem sæcularium, nostram hanc ordinationem confundere præsumpserit, ab ecclesia noverit se canonice feriendum.

Ex conc. Moguntino sub Stephano VI, an. 888. — 5. Quicunque presbyter per pretium ecclesiam fuerit adeptus, omnimodis deponatur, quoniam contra ecclesiasticæ regulæ disciplinam agere dignoscitur, qui alium presbyterum legitime ad ecclesiam ordinatum per pecuniam expulerit, eamque sibi totaliter vindicaverit, quod vitium late diffusum summo studio emendandum est, itemque interdicendum clericis sive laicis: ne quis cuilibet presbytero præsumat dare ecclesiam sine licentia et consensu episcopi sui.

Ex conc. Metensi, sub Stephano VI, an. 888. — 3. Cunctis presbyteris ut libros et sacerdotalia vestimenta suo episcopo in proxima synodo ostendant, et ut chrisma suum sub sigillo et cera semper custodiant, a prædictis episcopis expresse commendatum est.

Ex conc. Triburiensi, sub Formoso, an. 895. — 4. Si quis presbyter vulneratus, vel quibuslibet injuriis et contumeliis dehonestatus evaserit et supervixerit, tota compositio persolvatur presbytero, si autem articulo mortis præventus obierit, pretium Weregeldi tripartita partiatur divisione, id est altari cui ordinatus fuerat pars una, episcopo in cujus diœcesi erat altera, tertia parentibus de quibus ortus fuerat, si vero in atrio ecclesiæ aliquid ex istis presbytero factum fuerit, supradicto modo presbytero et pro presbytero solvatur.

Ex conc. Nannetensi, sub Formoso, an. 895. — 1. Dominicis et festis diebus antequam missas celebrent, plebem interrogent si alterius parochianus in ecclesia sit, qui proprio contempto presbytero, ibi missam velit audire, quem si invenerint statim ab ecclesia ejiciant, et ad suam parochiam redire compellant, similiter interrogent si aliqui discordantes sint, qui inter se litem implacabilem habeant, et si inventi fuerint, statim reconcilientur, quod si renuerint pace suscipere, ab ecclesia ejiciantur, usquequo ad charitatem redeant, his ita peractis, sacerdotes missarum solemnia rite peragant.

2. Ut nullus presbyter alterius parochianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad missam recipiat.

Ex conc. Engilenheimensi, sub Agapito II, an. 948. — 5. Ut nullus laicorum presbyterum fatigare, vel aliquam sibi injuriam inferre audeat.

Ex conc. Claramontano, sub Urbano II, an. 1095. — 18. Nullus presbyter, capellanus alicujus laici esse possit absque concessione sui episcopi.

Ex conc. Pictaviensi, sub Paschali II, an. 1100. — 6. Presbyter de cura animarum et de christianitatis ministerio episcopo respondeat.

7. Abbates decani qui presbyteri non sunt, presbyteri fiant.

8. Qui presbyteratus tenent, presbyteri fiant, quod si aliqui justa causa prohibente, presbyteri esse non possunt, prælationes amittant.

Ex conc. Londinensi II, *sub Paschali II, an.* 1102. — 5. Presbyter quandiu illicitam conversationem mulieris habuerit, non sit legalis, nec missam celebret, nec si celebraverit, ejus missa audiatur.

7. Filii presbyterorum non sint hæredes ecclesiarum patrum suorum.

9. Presbyteri non eant ad potationes, nec ad pinnas bibant.

Ex conc. Lateran. II, *univ.* 9, *sub Calixto II, an.* 1122. — 18. In parochialibus ecclesiis presbyteri per episcopos constituantur, qui eis respondeant de animarum cura, et de iis quæ ad episcopum pertinent decimas et ecclesias a laicis non suscipiant absque consensu et voluntate episcoporum.

Ex conc. Londonensi I, *sub Honorio II, an.* 1125. — 6. Nullus in decanum, nullus in priorem nisi presbyter, nullus in archidiaconum nisi diaconus promoveatur.

Ex conc. Lateran III, *univers.* X, *sub In-*

Digitized by Google

noc. II, an. 1139. — 10. Ne conductitiis presbyteris ecclesiæ committantur et unaquæque ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat sacerdotem.

21. Presbyterorum filios sacri altaris ministeriis removendos decernimus, nisi aut in cœnobiis aut in canonicis religiose fuerint conversati.

Ex conc. Rhemensi, sub Eugenio III, an. 1148. — 10. Vid. *conc. Lateran.* 1139, cap. 10. Nec ab ejus regimine, alicujus, nisi episcopi in cujus parochia fuerit vel archidiaconi, canonico judicio depellatur, cui de bonis ecclesiæ tantum beneficii præbeatur unde convenienter valeat sustentari.

Ex conc. Abrincensi in Norman., sub Alex. III, an. 1172. — 1. Pueri ad regimen illarum ecclesiarum, et ad illa administranda in quibus cura est animarum minime admittantur.

2. Filii sacerdotum non ponantur in ecclesiis patrum suorum.

4. Eccles æ vicariis annuis non committantur.

5. Sacerdotes majorum ecclesiarum quibus ad hoc suppetunt facultates, alium sub se presbyterum cogantur habere.

Ex conc. Londinensi, sub Alexandro III, an. 1175. — 1. Ne filii sacerdotum in paternis ecclesiis amodo personæ instituantur, nec eas qualibet occasione, media non intercedente persona obtineant.

Ex conc. Eboracensi, sub Celestino III, an. 1194. — 8. Quoties sacerdos ad puerum baptizandum, vel infirmum communicandum invitatur, moras innectere non præsumat.

Ex conc. Later. IV, *univers.* XII, *sub Innocentio III, an.* 1215. — 21. *Vid.* CONFESSIO.

32. Consuetudine qualibet episcopi vel patroni seu cujuscunque alterius nonobstante, portio presbyteris ipsis sufficiens assignetur, qui vero parochialem habet ecclesiam, non per vicarium, sed per seipsum illi deserviat in ordine, quem ipsius ecclesiæ cura requirit nisi forte præbendæ vel dignitati parochialis ecclesia sit annexa, in quo casu concedimus, ut is qui talem habet præbendam vel dignitatem, cum oporteat eum in majori ecclesia deservire, in ipsa parochiali ecclesia idoneum et perpetuum studeat habere vicarium canonice institutum, qui congruentem habeat de ipsius ecclesiæ proventibus portionem.

Ex conc. Oxoniensi, sub Honorio III, an. 1222. — 20. Presbyteri parochialium ecclesiarum plebes sibi commissas pabulo verbi Dei secundum quod eis fuerit inspiratum informare procurent, etc. Et quoties fuerint accersi celeriter accedant, et hilariter ad ægrotos.

24. Nullus episcoporum ad vicariam quemquam admittant, nisi velint in ecclesia in qua vicaria ei conceditur personaliter ministrare, aut talis existat qui infra breve tempus, super hoc limitatum, valeat et velit in presbyterum ordinari, quod si admissus fuerit forte quis et noluit in presbyterum ordinari, vicariæ beneficio privetur.

25. Ecclesiæ quæ in redditibus ultra quinque marcas non habent, nisi personis talibus conferantur, quæ resideant in eisdem, et in propria persona ministrent.

26. Vicario perpetuo ad minus redditus quinque marcarum assignetur, qui saltem pro quinque marcis dari possit ad firmam, provideat quoque diœcesanus episcopus, pensata ecclesiæ facultate, utrum vicarius onera ecclesiæ subire debeat an persona, an ad ea uterque debeat conferre.

27. In singulis parochialibus ecclesiis quarum parochia est diffusa, duo sint vel tres presbyteri, pensata pariter magnitudine parochiæ et ecclesiæ facultate.

Ex conc. Londinensi, sub Gregorio IX, an 1237. — 3. Parochiales presbyteri formam baptismi firmiter addiscentes, eam parochianis suis frequenter exponant diebus Dominicis in vulgari, ut si articulus necessitatis emergat, quo ipsos aliquem oporteat baptizare, eam sciant observare.

10. Ad vicariam statuimus nullum admittendum, nisi jam presbyterum ordinatum vel saltem diaconum in proximis Quatuor Temporibus ordinandum, qui renuntians beneficiis aliis, si quæ habet curam animarum habentia, juret residentiam ibi facere, ac eam faciat continuo corporalem, alioquin institutionem illius fore nullam decernimus, et vicariam alii conferendam, de jam institutis vero vicariis qui non sunt presbyteri, cum vicarii teneantur personis et ecclesiis deservire, præcipimus ut infra annum ad minus se faciant in presbyteros ordinare.

Ex conc. Viennensi, sub Clemente IV, an. 1267. — 13. Prælati et curam animarum habentes in suis ecclesiis corporaliter resideant, et ad hoc a suis episcopis per subtractionem fructuum compellantur

Ex conc. Lugdunensi gener. XIV, *sub Gregorio X, an.* 1274. — 13. Nullus ad regimen parochialis ecclesiæ assumatur, nisi idoneus scientia, moribus et ætate, decernentes collationes de parochialibus ecclesiis qui non attigerunt 25 annum de cætero faciendas, viribus omnino carere; is etiam qui ad ejusmodi regimen assumetur in parochiali ecclesia cujus rector exstiterit residere personaliter teneatur, quod si infra annum ad sacerdotium promotus non fuerit, ecclesia sibi commissa, nulla etiam præmissa monitione, sit præsentis constitutionis auctoritate privatus.

Ex conc. Salisburgensi, sub Gregorio X, an. 1274. — 10. Omnes et singulos clericos in Saltzburg. prov. curam animarum habentes, ad personalem in beneficiis residentiam revocamus, terminum eis, peremptorium festum Purificationis beatæ Mariæ virginis venturum proximo assignantes, etc. Quod si præmissa contempserint aut neglexerint adimplere, et tunc ipsos a perceptione fructuum et administratione temporalium suspendimus, quod si temere se injecerint, privati sint beneficiis ipso jure, fructus autem per locorum archidiaconos in utilitatem illius ecclesiæ convertantur, salva vicarii sufficienti et debita portione.

Digitized by Google

Eisdem insuper ecclesiarum rectoribus præcipimus ut ad ordinem quem beneficii sui cura requirit se faciant ordinari infra tempus a canone institutum sub eadem pœna, etc. In beneficiis quibus licet per vicarios deservire, viri idonei loci episcopo præsententur, qui per se vel per alios, ipsos in hujusmodi vicariis perpetuet, et sufficientem suis necessitatibus de ecclesiarum redditibus eis constituat portionem, alioquin singuli episcopi per suas diœceses elapso trimestri tempore providere curabunt.

Ex conc. Ravennatensi, sub Honorio IV, an. 1286. — 4. Infra proximum festum Resurrectionis Dominicæ, assumpti ad regimen parochialium ecclesiarum se faciant in presbyteros ordinari, quod si non fecerint, nulla alia monitione præmissa, omni jure, quod in ipsis ecclesiis habebant, decernimus fore privatos.

Ex conc. Herbipolensi, sub Honorio IV, an. 1287. — 10. Presbyteris duas communicaturas recipere prohibemus, qui contrafecerit prima vicaria ipso facto, et de secunda quandiu primam retinuerit, proventibus sit privatus, quos in utilitatem ipsius ecclesiæ decernimus per ordinarium convertendos.

16. Rectores qui matrices habent ecclesias a quibus dependent capellæ, circa ipsas in tali volumus cura versari, ut in ipsa capella quæ subjacet curæ suæ, si facultates suppetant, vicarium idoneum statuant qui resideat continue in ecclesia et deserviat in divinis, et parochianis spiritualia præbeat alimenta.

Ex conc. Sabinensi in Hispania sub Joanne XXII, an. 1322. — 2. Quilibet rector parochialis ecclesiæ in scriptis habeat in Latina et vulgari lingua articulos fidei, præcepta Decalogi, sacramenta Ecclesiæ, species vitiorum et virtutum, et quater in anno ipsa publicet populo, in festis videlicet Nativitatis Domini, Resurrectionis, Pentecostes, et in Assumptione beatæ Virginis et in diebus Dominicis Quadragesimæ.

Ex conc. Toletano, sub Joanne XXII, an. 1324. — 5. Nullus in curato beneficio administret donec in eo per diœcesanum episcopum institutione auctorizabili fuerit institutus, alioquin jure quod habebat in prædicto beneficio, non obstante contraria consuetudine, sit privatus.

Ex conc. Salisburgensi, sub Martino V, an. 1420. — 29. Ne quis alienum parochianum, cujus cura per episcopum vel loci archidiaconum, seu ejus vicarium alii est concessa (excepta necessitatis causa) ad confessionem recipere, aut ei aliquod ecclesiæ sacramentum porrigere præsumat, non petita desuper, et obtenta licentia proprii sacerdotis.

Ex conc. Toletano, sub Sixto IV, an. 1473. — 2. Vid. *conc. Sabinen.* 1322, c. 2. Et diebus Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in Passione exclusive solemniter publicent in suis ecclesiis, clerici vero contrarium facientes duarum regalium pro qualibet Dominica quam prætermiserint, pœnam incurrant, etc.

Ex conc. Ratisponensi, sub Clemente VII, an. 1524. — 5. Sacerdotes curati, quique vicem eorum referunt subditos in remediis et aliis juribus parochialibus ultra ea quæ sibi de jure debentur non gravent, ultraque depositionem eos ad peractiones septimi, tricesimi, vel anniversarii peragi faciendas non cogant, tum præter oblationes festis solemnibus fieri solitas, cum illa pro arbitrio fieri non debeant, ab invitis non exigant.

8. Convivia presbyterorum quæ in exequiis et fraternitatibus publice in tabernis hucusque exhibita sunt, prorsus abrogamus, si autem convivium vel consuetudo, vel locorum distantia exiget, fiat illud in domo sacerdotis, honesteque non ad luxum, sed ad necessitatem instruatur.

10. Ne cui temere cura animarum committatur, probetur prius per episcopum vel ejus officialem, etiam religionem professus, nec liceat ulli vicarium ecclesiæ et plebis suæ sufficere, illamve locare, sive emolumentum quod absentiæ nomine recipiet constituere, sine auctoritate episcopi aut vicarii.

33. Quilibet episcopus diligenter provideat, atque in primis id curet ut vicarii sive perpetui, sive pro nutu positi, competentem vivendi portionem assequantur. *Vide* PAUPERES.

Ex conc. Senonensi, sub Clemente VII, an. 1528. *De moribus.* — 8. Diœcesani ad parochiales ecclesias non instituant præsentatos ab ecclesiasticis laicisve patronis, nisi eos prius diligenter examinaverint, quod si qui sint instituti vel provisi, etiam per Sedem Apostolicam nihilominus diœcesani eos examinent, et si minus idonei fuerint inventi non admittantur, sed loco eorum per episcopos instituantur vicarii idonei, quibus congrua portio assignetur.

11. Rectores ecclesiarum compellantur per episcopos, quoad fieri poterit, ad personalem residentiam et in ecclesiis parochialibus per singulos dies Dominicos presbyteri parochiales curati per se aut vicarios eorum clara voce et intelligibili annuntient, decem præcepta Decalogi et articulos fidei.

12. Admoneant frequenter curati suos parochianos ut intersint missæ parochiali diebus Dominicis et festis, quod si legitimo cessante impedimento absque licentia sui curati per tres dies Dominicos neglexerint interesse, denuntient statim promotoribus, ut pro mensura contemptus puniantur. Parochianos etiam commoneant ne peregrinentur sine litteris testimonialibus Christianitatis eorum, quas iidem curati per se aut eorum vicarios, si petantur, liberaliter tradant. Curati diligenter advertant, si parochiani eorum ad minus semel in anno sanctam Ecclesiæ communionem eucharistiamque percipiant, et communicantium nomina, si commode fieri potest, scripto redigant.

Ex concilio Coloniensi I, *sub Paulo III, an.* 1536. *Parte* IV. — 5. Ne ulli ad verbi ministe-

Digitized by Google

rium seu prædicationis officium, nisi missi auctoritateque ordinaria approbati sint, admittantur.

6. Ordinarii verbi ministri, ecclesiarum parochialium legitimi rectores sunt, quos personaliter apud easdem ecclesias perpetuo residere volumus, qui deinceps in vicecuratos assumentur, vicarii in pontificalibus ac theologorum ei per episcopos adjungendorum censuram exspectabunt.

Parte v. — 4. Abstineant parochi ab omni avaritia, hospitales enim erunt, non turpis lucri cupidi, non opes sed animas venantes, non auri sed hominum piscatores.

6. Nesciat parochi domus commessationes crapulosas, exsecretur compotationes illas ad æquales haustus obligatorias, vitet omnia quæ pastoralem auctoritatem aut dedecorant, aut imminuunt, detestetur omnem libidinem.

Parte vi. — 7. Parochus cautissima sollicitudine agere debet per gladium Dei, id est prædicationem secantem a dextris et a sinistris, ut medium iter pateat ad incedendum per viam regiam mandatorum Dei.

Parte viii. — 2. Parochis Evangelii prædicatoribus certa ac competens subministratio victus et vestitus fiat.

3. Qui per vicarios seu vicecuratos ecclesias parochiales regendi potestatem acce perunt iisdem vicariis tantam ex proventibus ecclesiæ partem assignabunt, qua vitam congrue sustentari possint.

4. Ecclesiæ cathedrales ac collegiatæ, itidem monachi seu religiosi, qui ecclesiæ parochiales aut suis ecclesiis vel monasteriis finitas habent, aut regendas aliis committunt tantam portionem rectoribus istis assignent, unde jura episcopalia solvere, et congruam sustentationem habere possint.

5. Ubi redditus ecclesiarum non sufficerint, duæ uniantur, aut si id grave videbitur, saltem una aut plures etiam vicariæ quæ ad alteram in ejusm. ecclesiis fundatæ sunt, ipsi ecclesiæ parochiali incorporentur, sic tamen ut quoad fieri potest, parochi officium ob quod vicariæ illæ fundatæ sunt minime negligatur.

Ex conc. Augustensi, sub Paulo III, an. 1548. — 8. Parochi de fide et religione nostra populum sibi commissum doceant atque instruant, sacramenta administrent, publicis peccatis irretitos canonice, occultis vero delictis occulte arguant, et ad pœnitentiam adducant, etc. Libros apud ecclesias suas habeant quatuor, primum in quo baptizatorum, secundum in quo statuto ab ecclesia tempore confitentium et communicantium, tertium in quo eorum qui matrimonia in facie Ecclesiæ contraxerunt, et quartum in quo mortuorum et ecclesiasticæ sepulturæ traditorum nomina et cognomina cum annotatione diei et anni describantur.

19. Ne posthac presbyteri nostræ diœcesis eos qui se monasteriis aliisve locis in casibus Sedi Apostolicæ aut nobis tanquam ordinario specialiter reservatis, aut ad contentiosi fori indignationem pertinentibus absolutos esse prætendunt, tanquam rite absolutos admittant, aut tolerent, sed eos ad nos, seu ad pœnitentiarum nostrum remittant.

25. Plebanis ecclesiarum parochialium mandamus, ut singulis diebus Dominicis finita concione Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, Symbolum apostolorum et Decalogi præcepta, vernaculc sermone distincte ac tractim ita prælegant, ut populus legentem repetitione subsequi ea discere, et memoriæ mandare possit.

Ex conc. Coloniensi ii, *sub Paulo III, an.* 1549. *Medio* 2. — 6. Nemo electus confirmetur nemoque præsentatus ad dignitatem vel animarum curam instituatur, priusquam sit a suo episcopo aut archidiacono, aut in hac parte vicario, aliisque sacrarum litterarum canonum et traditionum ecclesiasticarum peritis viris examinatus.

Medio 3. — 10. Ubi collegia vel monasteria, vel habentes dignitates habent ecclesias parochiales incorporatas cum decimis juribus et censibus quam committere soleant pastoribus vel perpetuis vicariis, justa portio secundum reformationem ei de decimis collegii vel monasterii bonis assignetur sive per episcopum loci, sive per ejus visitatores.

11. Omnino vetamus ne ulla collegia, monasteria, vel habentes dignitates, locent ecclesiarum suarum regimen cum agris, vineis, silvis, pratis, et juribus rectori plus offerenti, sub annua pensione, possunt tamen colonis sæcularibus ecclesiarum prædia sub annuo censu locari, emolumentaque pro utilitate ecclesiarum commutari vel vendi, quin etiam non vetamus quin collegia et monasteria possint ecclesiæ rectori bonorum ad ipsam pertinentium administrationem plenam committere pro moderato censu quem de prædiis pendat, sic tamen, ut ei supersit honestus et sufficiens victus ac vestitus.

Ex conc. eod., censura contra abusus. — 26. Pastores rurales decanis suis obediant.

Ex conc. Moguntino, sub Paulo III, an. 1549. — 64. Singuli plurium curatorum beneficiorum detentores intra trimestre tempus post hujus concilii exitum, episcopis dispensationes exhibeant, quod ni fecerint talia beneficia quasi eo ipso illicite obtineri convincantur, post trimestre elapsum, per eos ad quos collatio eorum pertinet, aliis personis conferri debent, is cujus dispensatio legitima videbitur providebit per idoneorum vicariorum deputationem, et congruæ portionis fructum assignationem, ne cura animarum in his ecclesiis negligatur, etc.

80. Pastores ecclesiis in quibus per consensum diœcesani instituti sunt, nec tamen eisdem per se præsunt, vicarios idoneos et canonice institutos præficiant, eisque pro sufficienti victu portionem congruam de proventibus ecclesiæ assignent.

Ex conc. Trevirensi, sub Paulo III, an. 1549. — 13. Omnium et singularum eccle-

Digitized by Google

siarum parochialium curati intra annum a die acceptæ possessionis per se vel procuratorem legitimum præstent juramentum decano, quo præstito in fratrem recipiantur, et salvis juribus capituli consuetis, decanus nunc et posthac a sic recepto habeat pro se unum aureum Rhenens. et tenebitur quilibet in capitulis generalibus et annualibus similiter, quando decanus capitulum indicit, sub pœnis consuetis comparere, et quotam expensarum et sumptuum a decano factorum persolvere, etc. Singuli capellani aut vicecurati non residentium pastorum tenebuntur singulis annualibus capitul s, sub pœna excommunicationis ipso facto, comparere, et ostendere decano commissionem regendi, etc. Deinceps quocunque pastore plebano decedente, nostro nomine marcam nobis debitam ipse decanus sublevabit, et sigillifero nostro fideliter tradet, et pro se et juribus suis a quolibet sic decedente, ipse decanus habebit tres florenos Rhenens. in auro, etc. Deinceps decedentibus prælatis monasteriorum sive collegiatarum ecclesiarum quibus ecclesiæ parochiales incorporatæ sunt, ita tamen quod non per fixos vicarios, sed duntaxat mobiles capellanos regantur, quod extunc morte prælatorum intercedente, nobis marca argenti, aliis vero archidiaconis sedium christianitatis decanis et capitulis infra annum jura alias præscripta persolvantur.

14. Deinceps curatis pro licentiatorio seu dimissoriis litteris duodecim albos rotatos, pro educendis et benedicendis puerperis duodecim denarios, pro eo tempore quo sacrosanctum eucharistiæ sacramentum ad infirmos defertur, quatuor denarios, ob extremæ unctionis sacramentum duodecim denarios pro offertorio quatuor festivitatum, pro qualibet unum denarium, exigere liceat, ultra tamen nullus curatus exigere præsumat, datum tamen aut oblatum liberaliter recipere potest, pro baptismi aut pœnitentiæ sacramentis nihil exigat, liberaliter oblatum recipere potest.

Ex con. Trident., sess. 23 *de reformat.* — 12. Nemo deinceps ad dignitates quascunque quibus animarum cura subest, promoveatur nisi qui saltem 25 suæ ætatis annum attigerit, et in clericali ordine versatus, doctrina ad suum munus exsequendum necessaria, ac morum integritate commendetur

Ex conc. Mediolanensi I, *sub Pio IV, an.* 1565, *parte* I. — 4. Parochi singulis Dominicis et aliis festis diebus qui Ecclesiæ præcepto agi soleant, pueris singuli in suis parochiis initia fidei tradant.

Parte II. — 1. Quæ parochiales ecclesiæ partem habent sui populi extra mœnia urbium vel oppidorum, vel alibi quo fiat, ut parochus præsertim nocturno tempore, illis hominibus sacramenta commode administrare non possit, illis episcopi aut eam partem commodiori parochiæ uniant; aut etiam invitis rectoribus novas constituant parochias.

27. Quicunque plures parochiales ecclesias retinentes, intra tempus a conc. Trid. præstitutum non dimiserunt, eos episcopi intra duos menses beneficiis omnibus ecclesiasticis jam ipso jure privato esse declarent; qui ecclesiastica quæcunque beneficia obtinent, in quibus etsi curata non sunt, tamen residere jure vel consuetudine debent, si muneri suo defuerint; in eos episcopi et illis pœnis quæ a conc. Trid. statutæ sunt, et aliis arbitrio suo severe agant, fructusque quibus ex eodem concilio muitandi erunt, piis locis attribuant.

Ex conc. Mediolan. II, *sub Pio V, an.* 1569, *titulo* 1. — 2. Curet episcopus ut in singulis diœcesis suæ oppidis et vicis doctrinæ christianæ sodalitas instituatur, quæ in fidei initiis tradendis ipsos parochos adjuvet, etc.

8. Quæ ecclesiæ vel cathedrales vel collegiatæ peculiarem parochiam habent, neque parochiæ curatio ad certas personas ex officio pertinet, in iis curet episcopus, ut quibus ea ipsa cura committetur certum stipendium, aut emolumentum attribuatur.

14. Parochus cum vel sacrosanctam eucharistiam, vel extremæ unctionis sanctum oleum ad ægros defert, in via septem psalmos dicat, vel alias religiosas preces.

Titulo 2. — 15. Parochum urbanum ægrotantem, et is qui vicinior est parochus et clerici in illa regione ubi æger est præfectus, diœcesanum vero itidem et vicinior parochus et plebanus, vel archipresbyter vel præpositus in quorum finibus ægrotus habitat, statim invisant eique sacram eucharistiam et sacrum extremæ unctionis oleum parochus vicinior ministret, etc. Ejus mortui funus universi illius regionis parochi obeant, nisi foraneus illius regionis vicarius minorem numerum statuendum censuerit.

Ex conc. Mediolan. III, *sub Gregorio XIII, an.* 1573. — 13. Parochiali ecclesiæ præficiendus, primum episcopo juret se sanctæ Sedi Apostolicæ et episcopo ejusque successoribus obedientem fore tum se residentem in ecclesia futurum quam obtinet, tum jura illius ecclesiæ se pro viribus conservaturum ac defensurum esse, bona denique ejusdem se absque legitima auctoritate non alienaturum, etc.

Ex conc. Mediolanensi IV, *sub Gregorio XIII, an.* 1576 *Parte* I. — 8. Ne diebus festis qui præcepto Ecclesiæ, aut consuetudine votove coluntur ad alienam ecclesiam missam celebraturus parochus accedat, nisi ab eo cui id curæ episcopus dederit facultatem scripto exaratam impetrarit.

25. Clerici quicunque Dominicis festisque diebus qua hora in choro divinis officiis concelebrandis astricti non sunt, parochum intra cujus parochiæ fines habitant in doctrinæ christianæ scholis ubicunque loci intra fines illius parochiæ constitutis, adjuvent.

Ex conc. Mediolanensi VI, *sub Gregorio*

Digitized by Google

XIII, an. 1582. — 5. Quibus locis ex concil. Trid. præscripto parochias novas instituí, erigive licet, episcopus etiam in parochiis quæ regularium quovis modo sunt, illas constituat, certa fructuum portione attributa.

Ex conc. Aquensi, sub Gregorio XIII, an. 1585. — 4. Parochi omnesque alii ad quos cujus suis sacramenti administratio spectat, quam diligentissime videant, ne lethali peccato sint infecti, mundo superpelliceo stolaque ejus coloris qui sacramento ministrando congruat, induti sint semper, etc. ne ad sacramenta quævis, aliquem admittant, nisi armis depositis modestoque habitu, etc. ne pro illis administrandis ab ullo, vel omnium rerum inope sacerdote, verbis aut etiam signis quidquam prorsus, vel minimum quovis modo petatur, exigaturve, etc. Quod si laici homines eleemosynas dare consuetas impendereque renuerint, eos episcopus ex canonum jure ad pie introductam consuetudinem perpetuo retinendam cogat atque compellat.

9. Curatus in sua ecclesia nullum permittat celebrare qui in scriptis facultatem ab episcopo impetratam non habuerit, et eam licentiam quam anno uno vetustiorem reperererint ne admittant, etc. Curati ter in hebdomada sacrum faciant, aut eo etiam sæpius si vel loci consuetudo vel necessitas postulabit.

24. Concionem nullo modo diebus festis intermittat inter missarum solemnia, processionem per cœmeterium aut etiam per pagum et vicum ante missam quovis die Dominico et festo habeat. Parochi in urbe et in oppidis saltem insignioribus constituti, ut a reliquis sacerdotibus animarum curam non gerentibus internoscantur, signum aliquod quod proprium illorum insigne sit, ab episcopis in diœcesana synodo eis præscribendum ferant cum domo exeunt, exteriorem vestem, et supra superpelliceum cum in ecclesia sunt, etc. Omnes presbyteros parochiæ, sicut omnes alios parochianos, parochis decet esse obedientes, et correctioni eorum ac directioni subditos de quorum vita et officio, parochi episcopum aut vicarium foraneum certiorem sæpe reddere teneantur, etc. Nullus parochus (pœna illis excommunicationis proposita), sacramentum ullum administrare audeat hæreticis quibusvis vel quocunque modo a fide catholica aversis, nisi prius constiterit illos resipuisse, et Ecclesiæ rite reconciliatos fuisse.

25. Declaramus parochialibus ecclesiis quocunque nomine et titulo præfectos, obligari ad personalem in sua ecclesia, et parochia residentiam, neque abesse posse nisi ex justa, legitima et canonica causa ab ordinario in scriptis approbanda.

40. Curati quicunque quavis dignitate præditi vicariis foraneis obtemperent.

Ex conc. Avenionensi, sub Clemente VIII, an. 1594.— 8. Parochi singulis saltem Dominicis pueros in singulis parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter docean'

9. In ecclesiis parochialibus per parochos sive illis impeditis per alios ad id idoneos ab episcopo deputandos, impensis eorum qui eas præstare tenentur aut solent, munus prædicationis exercebitur.

42. Curabunt parochi ut omnium familiarum ac personarum numerum et qualitatem libra ad hoc peculiari deputato quam diligentissime describant. Quilibet parochus quatuor libros conficiat, baptizatorum scilicet confirmatorum, matrimoniorum et mortuorum, etc. Abusus, pravas consuetudines, superstitiones, morum ac fidei suborientes novitates, vigilantia sua tollere curet. Ubi ob locorum distantiam parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt, novæ parochiæ constituantur juxta Alexandri III, sanctionem et Trid. conc. decretum.

Ex conc. Aquileiensi, sub Celestino VIII, an. 1596.— 7. Curati extra parochiæ fines habitare non præsumant, sed inter suum gregem diverticulum habeant, sciant episcopi eorumque vicarii, licentiam curatis discedendi, gratisque non ultra bimestre tempus nisi ex gravi causa esse concedendam, etc.

10. Qui ad parochiales ecclesias vel curatas assumuntur, præter ea quæ sustinendi muneris causa requiruntur 25 annos saltem attingere debent.

SACRAMENTA

[Ex SS. Patribus.

Origen., *in Lucam.*, hom. 15, tom. III.— Ego puto, quod et per resurrectionem ex mortuis indigeamus, sacramento eluente nos atque purgante : nemo enim absque sordibus resurgere poterit ; nec ullam posse animam reperiri quæ universis statim vitiis careat. Unde in regeneratione baptismi assumitur sacramentum, ut quomodo Jesus, secundum dispensationem carnis oblatione purgatus est, ita etiam nos spirituali regeneratione purgemur.

S. Optat., *De schismat. Donatist.*, l. v. — In sacramento baptismatis celebrando, tres esse species constat, quas et vos, nec augere, nec minuere, nec prætermittere poteritis. Prima species est in Trinitate ; secunda, in credente ; tertia, in operante : sed non pari libramine ponderandæ sunt singulæ : duas enim vide necessarias, et unam quasi necessariam, principalem locum Trinitas possidet, sine qua res ipsa non potest geri : hanc sequitur fides credentis : jam persona operantis vicina est, quæ simili auctoritate esse non potest. Duæ priores

Digitized by Google

permanent semper immutabiles et immotæ: Trinitas enim semper ipsa est : fides in singulis una est : vim suam semper retinent ambæ. Persona vero operantis ; intelligitur duabus prioribus speciebus par esse non posse, eo quod sola esse videatur mutabilis. Inter nos et vos vultis ejusdem personæ esse distantiam ; et sanctiores vos æstimantes, superbiam vestram non dubitatis anteponere Trinitati : cum persona operantis mutari possit, Trinitas mutari non possit ; et cum ab accipientibus baptisma desiderari debeat, vos desiderandos esse proponitis. Cum operantes inter alios sitis, ostendite qualem in eodem mysterio locum habeatis, et an ex eodem corpore esse possitis.

Baptismatis unicum nomen est ; cui subest proprium corpus; cui corpori certa sunt membra ; quibus nec addi, nec auferri aliquid potest, interque membra si eligendus operarius invenitur, totum corpus ad operantem pertinet. Hæc omnia hujus corporis membra, et semper et semel secum sunt, et mutari non possunt : operarii vero quotidie mutantur et locis, et temporibus, et personis. Neque enim unus homo est, qui semper aut ubique baptizat. In hoc opere jamdudum alii fuerunt ; modo alii ; postea alii futuri sunt : operarii mutari possunt, sacramenta mutari non possunt. Cum ergo videatis, omnes qui baptizant, operarios esse, non dominos, et sacramenta per se esse sancta, non per homines, quid est, quod vobis tantum vindicatis ? Quid est, quod Deum a muneribus suis excludere contenditis ? Concedite Deo, præstare quæ sua sunt. Non enim potest id minus ab homine dari, quod divinum est. Si sic putatis, prophetarum voces, et Dei promissa inanire contenditis, quibus probatur, quia Deus lavat, non homo. Adest contra vos David propheta, qui in psalmo : *Lavabis me, et super nivem dealbabor* (*Psal.* L. 9.) item in eodem psalmo : *Deus, lava me ab injustitia mea, et a delicto meo munda me : lava me*, dixit ; non dixit : *Elige per quem laver* (*ibid.* 4); et Isaias propheta sic dixit : *Quoniam abluet Dominus sordes filiorum et filiarum Sion.* (*Isa.* IV, 4.) Sion Ecclesiam esse in tertio libro probavimus : ergo Deus lavat filios et filias Ecclesiæ. Non dixit : *Lavabunt ii qui se sanctos putant.*

S. Cyril. Hieros., cat. 17, *de Spiritu sancto.* — Scriptum est : *In quo etiam cum credideritis, obsignati estis Spiritu promissionis sancto.* (*Ephes.* I, 13.) Si lictus accedis, nunc quidem te baptizabunt homines, aut Spiritus te non baptizabit ; si vero ex fide accesseris, homines quidem quantum ad id quod oculis cernitur, ministrabunt ; Spiritus vero sanctus id quod sub aspectum non cadit, daturus est. Ad magnum examen, magnæ in militiæ delectum, unius horæ articulo venis : Quam horam si tibi perire pateris, inemendabile tibi malum. Sin vero gratia dignatus fueris, illustrabitur anima tua, vim quam non habebas accipies. Arma sumes dæmonibus terribilia : quæ si non abjeceris, habueris autem in anima signaculum, non accessurus est dæmon ; horrore enim refugiet : quippe cum in spiritu Dei dæmonia ejiciantur.

Si credideris, non solum remissionem peccatorum accipies, sed etiam humanis viribus superiora efficies. Utinam vero etiam dignus sis prophetiæ dono! Tantum enim accipies gratia, quantum capere poteris, et non quantum ego dico. Fieri enim potest me parva dicere, te vero majora accipere : quoniam mercatura quædam ampla est fides. Permanebit tibi igitur custos ac defensor, Paracletus : de te, uti de proprio milite, sollicitus erit, de ingressibus tuis, et de egressibus, et de insidiantibus : daturusque tibi est omnis generis gratiarum dona, si non illum per peccatum contristaveris ; scriptum est enim : *Et ne contristetis Spiritum sanctum Dei, in quo obsignati estis in diem redemptionis.* (*Ephes.* IV, 30.) Quidnam igitur est, dilecti, gratiam tueri ? Parati estote ad suscipiendam gratiam, semelque susceptam non abjiciatis.

S. Ambros., lib. IV *in Lucam*, cap. 4. — Habes Domini præceptum, vatis Elisei exemplum, gratis dare, gratis accipere, nec vendere mysterium, sed offerre. Non enim pretio taxatur Dei gratia, nec in sacramentis lucrum quæritur, sed obsequium sacerdotis. Non tamen satis est si lucrum ipse non quæras ; familiæ quoque tuæ cohibendæ sunt manus.— Quæritur non solum tua ab hujusmodi nundinis, sed etiam domus tuæ castitas.

Idem, *in I Timoth.* V. — Paulus gratiam dari significat per prophetiam et manuum impositionem. Prophetia est qua eligitur quasi doctor futurus idoneus : manus vero impositiones sunt verba mystica, quibus confirmatur ad hoc opus electus, accipiens auctoritatem teste conscientia sua, ut audeat vice Domini offerre sacrificium Deo.

Idem, *De sacramentis*, c. 4. — Auctor sacramentorum quis est nisi Dominus Jesus ? De cœlo ista sacramenta venerunt.

Tu forte dicis : Meus panis est usitatus ; sed panis iste panis est ante verba sacramentorum : ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. — Consecratio igitur quibus verbis est, et cujus sermonibus ? Domini Jesu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur : oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris. Ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum iam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum. Quis sermo Christi ? Nempe is quo facta sunt omnia. Jussit Dominus et factum cœlum ; jussit Dominus, et facta est terra. — Vides ergo quam operatorius sit sermo Christi ? Si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut esse inciperent quæ non erant : quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant et in aliud commutentur ? Cœlum non erat ; terra non erat ; sed audi dicentem : *Ipse dixit, et facta sunt.* (*Gen.* I.) — Ergo tibi ut respondeam : Non erat corpus Christi ante conse-

Digitized by Google

crationem ; sed post consecrationem, dico tibi, quod jam corpus Christi est. *Ipse dixit, et factum est ; ipse mandavit, et creatum est.*

S. Chrysost., *in Matth.*, hom. 10. — Pœnitentiam dico non solum ut a malis prioribus desistamus, verum etiam ut bonorum operum fructibus impleamur : *Facite*, inquit, *fructus dignos pœnitentiæ.* (*Luc.* III, 8.) Quo autem modo ? Si utique peccatis adversa faciamus. — Aliena rapuisti, incipe donare jam propria. Longo es tempore fornicatus ; a legitimo quoque usu suspendere conjugii. — Non enim sufficit vulnerato ad salutem, tantummodo spicula de corpore evellere, sed etiam adhibenda sunt remedia vulneribus. Deliciis ante et temulentia diffluebas ; jejunio et aquæ potu utrumque compensa, etc.

Idem, *in Joan.*, hom. 85. — Etsi male vivant sacerdotes, non tamen a subditis judicandi sunt. Tu autem si tibi consulas, nihil in his quæ illis a Deo commissa sunt, damni accipies.—

Etsi pravi sunt sacerdotes, Deus per eos omnia perficiet, et mittet Spiritum sanctum. Neque enim pura mens propter propriam puritatem Spiritum attrahit, sed gratia omnia operatur. *Omnia* enim *propter vos, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas.* (*I Cor.* III, 22.) Quidquid enim concreditum habet sacerdos, solius Dei donum est, et ubi humanam exercet sapientiam, minor illius gratia apparet. Neque hoc dico ut pigrius nos vivamus, sed ne pigre qui vobis præpositi sunt viventibus, vos his commissi aliquando mala vobis comparetis. Et quid sacerdotes dico ? Neque angelus quidquam in his quæ a Deo data sunt efficere potest ; sed Pater, et Filius, et Spiritus sanctus omnia facit. Sacerdos et linguam et manus præbet : neque enim justum est, propter alterius malitiam, ad salutis nostræ symbola fide accedentes, offendi.

Idem, hom. 8 *in Cor.* III. — Contigit aliquando laicos quidem in pietate vitam agere, sacerdotes autem in improbitate ac nequitia : et neque futurum esset baptisma, neque corpus Christi, nec oblatio per illos, si ubique dignitatem ac merita requireret gratia. Nunc autem etiam per indignos Deus solet operari, neque baptismatis gratia quidquam læditur a vita sacerdotis ; nam qui accipit, minus esset habiturus. — Hæc dico ne quispiam de vita sacerdotis curiose inquirens offendatur id mysteriis quæ peraguntur. Nihil enim affert sacerdos ad ea quæ sunt proposita, sed universum est opus Dei virtutis, et ille est qui nobis exhibet mysteria.

Idem, *in Matth.* VII, hom. 17. — Sicut si canibus dederis sanctum, aut porcis margaritas, nec sanctum canes sanctificat, nec margaritæ nutriunt porcos : sed e contra canes coinquinant sanctum, et porci margaritas sordidant, vel confringunt ; sic si hominibus caninos vel porcinos mores habentibus sanctum dederis aut mysteria sacra tradideris : nec sanctum illos sanctificat, nec mysteria veritatis illos illuminant ; sed e contra ipsi sanctum coinquinant, et mysteria veritatis blasphemant.

S. Hieronym., *Advers Jovin.*, lib. II. — Una est in mysteriis sanctificatio, quanquam pro accipientium meritis diversum fiat quod unum est.

S. Ephrem., *De sacrament.*, serm. 1, t. III. — Non satis igitur est, fratres, christianos tantummodo nos vocari, cum opera quoque ipsa a nobis requirantur. Siquidem verum esse credatis, quod magnum Jacobum, fratrem Domini dicentem percipitis : Fidem sine operibus mortuam esse. Minime itaque negligendum est præceptum de bonis operibus. Alioquin Christianismus solus nihil nos juvabit. Neque id profecto mirum. Quid enim militem pugnare juvat, nisi legitimo modo pugnet ? Sic enim illum pugnare ac dimicare oportet, ut imperator mandat. Quod si igitur et nos Christianorum tantum nomen profitemur, non autem spiritualibus, ut decet, armis præliamur, nulli nobis usui Christianismus futurus est. Verum nos neque pro aliis rite propugnamus, nec nostræ ipsorum animæ consulimus. Et quid tandem aliquando in formidabili illo judicii die respondebimus ? At quomodo, inquies, fieri potest, ut qui in mundo vivit, servetur ? Quid ais ? Brevi hæc te, si vis, docebimus. Non locum quemquam salvare scias, sed sincerum cor, firmumque serviendi Deo propositum. In paradiso existens Adamus, maxima in tranquillitate, salutis naufragium faciebat. Lot autem inter Sodomitas agens, mediisque quasi fluctibus jactatus servabatur. Saulus illi regiis habitans in palatiis, hanc pariter ac æternam vitam admittebat. Contra eo Jobus fimo immersus, magnisque ac prope innumeris miseriis et afflictionibus oppressus, coronam tamen justitiæ consequebatur. Quam recte igitur fieri posse negabis, ut quis in mundo versans incolumis evadat ? Enimvero hoc temere nimis affirmatur.

At quare non sæpius in sanctis divinisque templis convenimus, unde maxima profecto in nos utilitas redundat ? Nonne videtis eos, qui munere quodam a principe, honoribusque ornari cupiunt, nequaquam desides ac oscitantes inveniri, tolerare hiemem, calorem æstatis ferre, nullaque plane incommoda refugere, omnem inserviendi occasionem quærere, nihilque magis curare, quam ut ne minimam quidem sui principis offensionem incurrant. Hæc quidem in illos dicta volumus, qui vel templis intempestive se subducunt, vel eo quo ineffabile illud ac tremendum sacræ cœnæ mysterium administratur, tempore, in illis stantes, variis indecoris sermonibus tempus conterunt, idque tam sancto veneratioque digno loco ! Quid agis, frater ? Nonne cum verbi divini ministro orante dixisti : Elevemus ad Deum corda nostra ? Nihilne metuis, homo ? nihil te pudet tremenda hac hora mendacii crimen admittere ? O rem admirandam ! Cœlestis regis epulas apparatas ! Agnum Dei ipsum pro te mactatum ! Ignem cœlesti mensa emicantem astantes cherubinos ! Et seraphinos circumdantes, facieque alis obtecta cum omnibus cœlestibus

Digitized by Google

exercitibus una cum sacro ministro pro te orantes! Sacrum ignem exeuntem! Sanguinem Christi, tui mundanti gratia, sacro calici infusum! Nonne te pudet? Non ploras? Non tecum ipse habitas? Ut nec pro te ipso, nec pro aliis Deum ores? Quid conscientia nonne ipsa te judicabit? Centum et sexaginta octo horis hebdomas constat, hoc est septem diebus; in his tu nec unam horulam Deo tuo dicabis? Quod si tu tamen tempus hujus vitæ occupationibus, quin et ridendo garriendoque consumpseris; quo vultu audebis ad hunc divinum tremendumque ignem tanta immunditia conspurcatus accedere? Audeasne impuris manibus accedens, regis vestes tangere? Vix crediderim.

Ne putes quem hic panem, quodque vinum vides, eadem hæc existere. Minime frater: nolito hæc credere. Precibus sacerdotis, sanctique Spiritus adventu panis fit corpus, vinum sanguis. Neque enim ut alius cibus sese habet in hominibus, ita hic quoque. Sed quemadmodum candelam ceream ita exedi ac consumi flamma vides, ut nullæ particulæ in cera relinquantur: sic cum hoc mysterio quoque comparatum est; totum enim in totum corpus (scilicet hominis) abit (se digerit), inque ejus substantiam quasi resolvitur. Corporibus enim carentes seraphim ardentibus carbonibus Isaiam sanctificabant; ignis vero non unam habet naturam sed duplicem: ligno enim constat et flamma. Non aliter sacer panis non una panea natura constat, sed et divina. Corpus enim (scilicet Christi) quod unius naturæ est cum divina, non una natura gaudet sed duplici. Huc igitur si accedis Christum amans homo tremendum illud sanctissimumque sacramentum accipis non ab homine vel sacerdote, sed ab ipsis seraphinis, eodem igneo cochleari, quod Isaias vidit. Perpendite hoc igitur, dilecti mei. Dominus noster Jesus Christus ea nocte qua prodi se voluit, discipulis hoc suis et apostolis testamentum reliquit: imo vero omnibus in se credentibus, quo tempore scilicet in sancto et celebri illo monte Pascha vetus cum discipulis suis comedit atque ita totum Vetus Testamentum absolvit. Hoc facto, discipulis lavit pedes, in sancti baptismatis signum; fractoque pane, discipulis obtulit dicens: *Accipite et edite, hoc est corpus meum, fractum pro vobis in remissionem peccatorum.* Similiter vinum et aquam calici infudit, iisque dedit inquiens: *Bibite ex hoc omnes: hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* (*Matth.* XXVI, 26, 28.) *Hoc facite in memoriam mei. Quoties enim hunc panem comeditis, et calicem hunc bibitis, mortem Filii hominis annuntiatis.* (*I Cor.* IX, 14.)

Verbum Dei itaque cum sit vivum et efficax, Deusque omnia quæ voluit, creaverit, sic ut dicente eo, fiat lux, confestim lux facta sit: dicente porro, fiat firmamentum; factum sit; cum præterea verbo Dei cœlum fundatum, cœlum, inquam, et terra, aqua et ignis, aer, omnesque plane creaturæ in usum hominis, producta sint, cumque voluerit supra omnia venerandus Deus Verbum, homo nasci; quomodo is, quæso, ipse efficere non possit, ut panis ipsum corpus Christi, vinum sanguis ipsius sit? Principio terræ mandavit herbam producere; quæ propterea in hanc usque horam, pluviam mittente cœlo, vi divini, quod initio accepit, mandati, herbam emittit. Jam vero simili modo Deus dicit: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, et hoc facite in memoriam mei.* Cum igitur omnia omnipotenti ejus jussu fiant usque dum ipse veniat, prout ipse ait; dum venio: cumque pluvia in terram decidente, gramen revirescat; tum vero et spiritualis hæc pluvia, hoc est Spiritus sanctus, sacerdotis precibus ipsiusque efficacia accedens panem hunc corpus et vinum sanguinem aperte efficit.

Quemadmodum enim Deus principio quæque creans, Spiritus sancti virtute ea procreavit, ita et hodiernum omnia virtute Spiritus sancti supernaturali modo facit, quod nemo tamen nisi per fidem intelligit. Dicente enim ad archangelum sancta Virgine: *Quomodo hoc mihi eveniat, quæ nullius virinotitiam habeo?* (*Luc.* I, 34.) — Respondebat Gabriel: *Spiritus sanctus in te superveniet, virtusque Altissimi te obumbravit.* (*Ibid.*, 35.) Similiter quæres jam, quomodo panis corpus Christi fiat? En sic habeto, Spiritum sanctum adventu suo hoc efficere, quod humana mens capere non potest. Imo vero, fratres mei, non aliter mihi credite, accipimus sanctissimum Christi corpus, ac si ora nostra ad costas Domini admoventes ex iis bibamus; tam vere, inquam, accipimus vivificantem sanguinem Christi.

Quod reliquum est, quæso vos, fratres, ne templis vos subducatis, neve si in iis statis aut versamini, garriatis, hancque horam, qua cultus divinus celebratur, sine terrore transigatis; sed cum timore terroreque stantes, oculis dejectis, animi sensa ad Deum elevemus; tacitique in corde Deum invocemus. Nonne, quæso, animadvertistis quomodo ii qui in mortalium regum conpectu versantur, tremebundi eos circumsistant, pedem loco non moventes, non garriant, oculosque circumferant, sed toti propemodum contremiscentes, non aliter quam si loco affixi essent, iis adsistant. Hoc igitur, homo, cum scias; quemadmodum ad terrenum regem accedendum est, tu quoque tremebundus ad Deum accede. Sæpius hoc dixi, fratres, nec dicere desistam, quoad illi, qui sanctum templum ingrediuntur, resipiscentes, ita ut fas est, preces ad Deum concipiant. Accedamus igitur integri vitæ scelerisque puri, vere ut dicere queamus: Et remitte nobis peccata nostra, sicut et nos remittimus peccatoribus nostris. Aliter enim precari velle, nefas esset. Simplici animo simplicique hac oratione Deum invocate: Remisi, misericors Deus, peccatoribus meis, et mihi remittas velim; condonavi, Domine, et mihi condona, gratia et misericordia abundans. Veniam ego dedi, et mihi da ve-

Digitized by Google

niam. Amico qui in me peccaverat, indulgentem me præbui, et mihi servo tuo talem te præbe. Quandoquidem hæc igitur explorata amici, habeatis : diligenter eodem animo vobiscum reputantes, cum tremendum Dei judicium, ignisque inexstinguibilis immineat : a deviis semitis nostris in viam revertamur. Certum enim est adventare cœlorum Regem, qui quidem adveniens terrena ipse omnia abolebit, nec tum quisquam vel mercaturam ipse faciet, vel alium qui cum intercedat, inveniat. Præsens hoc iis sæculum datum est, qui a malo aversi ad bonam frugem se recipiunt. Futurum sæculum ad interitum eorum comparatum est, qui male vixerunt. Hoc laboris, illud quietis, hoc certaminis, illud præmii ac mercedis distribuendæ est. Revertimini ergo, omniaque quæ dixi ad animum revocate.

Secundum carnem vitam instituimus, secundum spiritum vivamus! In pigritia socordiaque viximus : ad laudem Dei in vitæ integritate vivamus! Helluati sumus; supra alios nos extulimus : resipiscamus ergo! Ecquid autem efferimur? cum quidem pulvis, cinis, lutumque simus. Ecquid contemptus aliorum superbiaque nos tenet? Cur nostris honoribus divitiisque gloriamur? Adeamus, quæso, cœmeteria; miranda ibidem et terrifica arcana contemplabimur. Ibi naturam plane destructam ac dissipatam, nudata ossa, corpus putrefactum inque cineres redactum videbimus. Ad hæc oculos converte, sapiensque videri si vis, horum quis Dominus, quis rusticus exstiterit, expone. Quemnam hic nobilissimæ, quem mediocris, quem abjectissimæ infimæque sortis fuisse dices? Ubinam hic Dominus? Ubi servus? Ubi sapiens? Ubi insipiens? Ubinam pulchra et blanda juventus? Ubinam jucunda forma? Delectabilis facies? Ubinam pulchri lucidique oculi? Ubinam jucundissimus visu vultus? Ubinam sonora vox? Nonne pulvis omnia? Nonne lutum sordesque omnia? Hæc igitur, o miseri, intuentibus nobis, ultimumque, dum in hoc corpore habitamus, vitæ mundique diem sedulo meditantibus, gravissima causa subest, vitam primo quoque tempore emendandi. Avertamur a rebus hujus vitæ caducis, ejusque nimia consuetudine, ne quando in futuro judicii die frustra nos hujus vitæ, per negligentiam actæ, pœniteat.

Enimvero, dilecti, de hoc cogitemus, inque nos ipsos descendamus, ne sempiternos ipsi cruciatus ultro irruamus, neque enim nostrum interitum Deus quærit, non pernicie nostra delectatur. Deus, æternus licet, nostri gratia in terram venit. Omnium creator rerum, quo caput reclinaret non habebat. Ipse viventium æque ac mortuorum constitutus judex, in judicium abripitur; omnium creaturarum conditor, a sua ipsius creatura flagellatur : is, quem angeli intueri non audent ab cœno ipso conspuitur, doloribus omnibus injuriisque afficitur, in sepulcro collocatur. At hæc omnia ex summo in nos amore propensioneque perpetitur. Nos contra desidia torpemus, cum ipsum despicimus, mandata ipsius non curamus. Pro quo si sanguinem nostrum cum vita profunderemus, ne minimam tamen ejus meritorum partem videremur asseculi. Sanguis enim ab illo profusus creatoris, noster servorum est. Longissimo autem intervallo Domini et servorum sanguis inter se distant. Quandoquidem igitur perspectum hoc vobis est : quam primum revertamur, omni studio ac contentione Deum, quoad spatium bene agendi nobis conceditur, quærentes : ne forte sol occidat, luxque pereat, nosque ipsi in tenebris occumbamus. Virtuti, agite, demus operam, ut æternis cruciatibus erepti, Jesu Christo benedicente, regno cœlesti digni reputemur.

S. Augost., t. IX. — Baptismus et per adulteros et in adulteris sanctus est, quamvis illi sint impudici et immundi : quia ipsa ejus sanctitas pollui non potest, et sacramento suo divina virtus assistit, sive ad salutem bene utentium, sive ad perniciem male utentium.

Idem, serm. 272, postrem. *in die Pentecost.*, t. V. — Ista, fratres, ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem ; quod intelligitur, fructum habet spiritalem. Corpus ergo Christi si vis intelligere, Apostolum audi dicentem fidelibus : *Vos autem estis corpus Christi et membra.* (*I Cor.* XII, 27.) Si ergo vos estis corpus Christi et membra, mysterium vestrum in mensa Dominica positum est; mysterium vestrum accipitis. Ad id quod estis, *amen* respondetis, et respondendo subscribitis. Audis enim, corpus Christi; et respondes, *amen*. Esto membrum corporis Christi, ut verum sit *amen*. Quare ergo in pane? Nihil hic de nostro afferamus, ipsum Apostolum identidem audiamus, qui cum de isto sacramento loqueretur, ait : *Unus panis, unum corpus multi sumus.* (*I Cor.* X, 17.) intelligite et gaudete; unitas, veritas, pietas, charitas. *Unus panis :* quis est iste unus panis? *Unum corpus multi.* Recolite, quia panis non fit de uno grano, sed de multis. Quando exorcizabamini, quasi molebamini. Quando baptizati estis, quasi conspersi estis. Quando Spiritus sancti ignem accepistis, quasi cocti estis. Estote quod videtis, et accipite quod estis. Hoc Apostolus de pane dixit. Jam de calice quid intelligeremus, etiam non dictum, satis ostendit. Sicut enim ut sit species visibilis panis, multa grana in unum conspergiuntur, tanquam illud fiat, quod de fidelibus ait Scriptura sancta : *Erat illis anima una, et cor unum in Deum.* (*Act.* IV, 32.) Sic et de vino. Fratres, recolite unde fit vinum. Grana multa pendent ad botrum, sed liquor granorum in unitate confunditur. Ita et Dominus Christus nos significavit, nos ad se pertinere voluit. Mysterium pacis et unitatis nostræ in sua mensa consecravit. Qui accipit mysterium unitatis, et non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se.

Digitized by Google

S. August, epist. 54, tom. II. — Tenere te volo, Dominum nostrum Jesum Christum, sicut ipse in Evangelio loquitur, leni jugo suo nos subdidisse et sarcinæ levi : unde sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit, sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis et sanguinis ipsius, et si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur, exceptis iis quæ servitutem populi veteris pro congruentia cordis illorum et prophetici temporis onerabant, quæ et in quinque libris Moysi leguntur. Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini passio et resurrectio et ascensio in cœlum, et adventus de cœlo Spiritus sancti, anniversaria solemnitate celebrantur, et si quid aliud tale occurrit quod servatur ab universa, quacumque se diffundit Ecclesia.

Idem, *in psal* LXXIII. — Opportune non ex nostra, sed ex Dei dispensatione factum est, ut modo audiremus ex Evangelio, quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. Si enim discernimus duo Testamenta, Vetus et Novum, non sunt eadem sacramenta, nec eadem promissa; eadem tamen pleraque præcepta. Nam : *Non occides, non mœchaberis, non furaberis, honora patrem et matrem, non falsum testimonium dixeris, non concupisces rem proximi tui, non concupisces uxorem proximi sui,* (*Deut.* XX, 12 seq.) et nobis præceptum est; et quisquis ea non observaverit, deviat, nec omnino dignus est qui accipere mereatur montem sanctum Dei, de quo dictum est : *Quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Innocens manibus, et mundo corde.* (*Psal.* XIV, 1.) Discussa ergo præcepta, aut omnia eadem inveniuntur, aut vix aliqua in Evangelio, quæ non dicta sint a prophetis. Præcepta eadem; sacramenta non eadem, promissa non eadem. Videamus quare præcepta eadem; quia secundum hæc Deo servire debemus. Sacramenta non eadem, quia alia sunt sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta Novi Testamenti dant salutem, sacramenta Veteris Testamenti promiserunt Salvatorem. Cum ergo jam teneas promissa, quid quæris promittentia, habens jam Salvatorem? Hoc dico : Teneas promissa, non quod jam acceperimus vitam æternam; sed quia jam venerit Christus, qui per prophetas prænuntiabatur.

Mutata sunt sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora. Promissa quare non eadem? Quia promissa est terra Chanaan, terra copiosa, fructuosa, affluens lacte et melle; promissum regnum temporale, promissa felicitas sæculi, promissa fecunditas filiorum, promissa subjectio inimicorum. Hæc omnia ad terrenam felicitatem pertinent. Sed quare ipsa primo promitti oportebat? Quia non primo quod spiritale est, sed quod animale : postea, inquit, spirituale. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis : qualis terrenus, tales et terreni; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est.* (*I Cor.* XV, 46 seq.) Ad imaginem terreni pertinet Vetus Testamentum, ad imaginem cœlestis Novum Testamentum.

Idem, lib. XIX, *contra Faustum.* — Quia visibilia sacramenta pietatis inesse possunt etiam impiis, sicut habuisse sanctum baptismum etiam magum Simeonem legimus : fiunt tales, quales Apostolus ait, habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Virtus autem pietatis est finis præcepti, id est *charitas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta.* (*I Tim.* I, 5.) Unde apostolus Petrus, cum de sacramento arcæ in qua Noe domus a diluvio liberata est, loqueretur : *Sic et vos,* inquit, *similis formæ baptisma salvos facit.* (*I Petr.* III, 21.) Et ne sibi sufficere putarent visibile sacramentum, per quod habebant formam pietatis, et per malos mores perdite vivendo virtutem ejus abnegarent, continuo subjecit : *Non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio.*

Proinde prima sacramenta, quæ observabantur ex lege, prænuntiativa erant Christi venturi : quæ cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt; et ideo ablata, quia impleta : *Non* enim *venit solvere legem, sed adimplere* (*Matth.* V, 17) : et alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam justitia fidei revelata, et in libertatem vocatis filiis Dei jugo servitutis ablato, quod duro et carni dedito populo congruebat.

Idem, *Enarr. in psal.* LXXVII, t. IV. — *Sed non in omnibus illis beneplacitum est Deo.* (*I Cor.* X, 5.) Omnes quidem eumdem cibum spiritalem manducaverunt, et eumdem potum spiritalem biberunt, id est spiritale aliquid significantem : sed non in omnibus illis beneplacitum est Deo. Cum dicit : *Non in omnibus :* erant ergo ibi aliqui in quibus beneplacitum est Deo. Cum dicit : *Non omnibus* erant; ergo aliquid in quibus beneplacitum est Deo; cum essent omnia communia sacramenta, non communis erat omnibus gratia, quæ sacramentorum virtus est. Sicut et nunc jam revelata fide, quæ tunc velabatur, omnibus in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizatis commune est lavacrum regenerationis; sed ipsa gratia cujus ipsa sunt sacramenta, qua membra corporis Christi cum suo capite regenerata sunt, non communis est omnibus. Nam et hæretici habent eumdem baptismum, et falsi fratres in communione catholici nominis. Ergo et hic recte dicitur : *Sed non in omnibus illis beneplacitum est Deo.*

Idem, *Serm. ad Cæsariens. Eccl. plebem,* t. IX. — Tu dicis, habent baptismum Christi? Dico. Tu dicis, habent fidem Christi? Dico.

Digitized by Google

Si ergo hæc habent, quid non habent? Quid est baptismus? Sacramentum. Audi Apostolum: *Si sciero omnia sacramenta.* (*I Cor.* XIII, 2.) Multum est, scire omnia Dei sacramenta. Quantacunque sciamus sacramenta, quis novit Dei omnia sacramenta? Quid ait Apostolus? Si sciero omnia sacramenta, si habeam omnem prophetiam. Adde adhuc, et omnem scientiam. Sed de fide dixeras. Audi adhuc, si habeam omnem fidem. Difficile est habere omnem fidem, quomodo difficile est nosse omnia sacramenta. Et quid est quod dicit, *omnem?* Ita ut montes transferam; charitatem autem non habeam, nihil sum. Intendite, obsecro vos, Apostoli vocem, et videte quare cum tantis laboribus et periculis fratres nostros quæramus. Charitas eos quærit de cordibus nostris. *Propter fratres meos et propinquos meos*, dicit Psalmus, *loquebar pacem de te*, ad sanctam Jerusalem loquens. (*Psal.* CXXII, 8.) Videte ergo, fratres mei, quid dixit Apostolus: *Si habuero omnia sacramenta, omnem scientiam, prophetiam, fidem.* Qualem fidem? *Ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* (*I Cor.* XIII, 2.) Non dixit, illa omnia nihil sunt: *Sed si charitatem non habeam, nihil sum.* Quis enim demens diceret: Nihil sunt Dei sacramenta? Quis demens diceret: Nihil est prophetia, nihil scientia, nihil fides? Non illa nihil sunt; sed cum illa magna sint, ego magna habens, si charitatem non habeam, nihil sum. Magna illa sunt, et magna habeo, et nihil sum si charitatem non habeo, per quam mihi prosunt quæ magna sunt. Si enim non habeo charitatem, illa inesse possunt, prodesse non possunt.

S. BERNARD., *Serm. in cœna Domini*, t. I. — Sacramentum dicitur sacrum signum, sive sacrum secretum. Multa siquidem fiunt propter se tantum: alia vero propter alia designanda: et ipsa dicuntur signa, et sunt. Ut enim de usualibus sumamus exemplum, datur annulus absolute propter annulum, et nulla est significatio: datur ad investiendum de hæreditate aliqua, et signum est, ita ut jam dicere possit qui accipit: Annulus non valet quidquam, sed hæreditas est quam quærebam. In hunc itaque modum appropinquans passioni Dominus, de gratia sua investire curavit suos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur. Ad hoc instituta sunt omnia sacramenta, ad hoc eucharistiæ participatio, ad hoc pedum ablutio, ad hoc denique ipse baptismus, initium sacramentorum omnium, in quo complantamur similitudini mortis ejus: unde et trina mersio tridui, quod nunc celebrandum est, formam gerit. Sicut enim in exterioribus diversa sunt signa, et ut eo, to immoremur exemplo, variæ sunt investituræ secundum ea de quibus investimur: verbi gratia, investitur canonicus per librum, abbas per baculum, episcopus per baculum et annulum simul: sicut, inquam, in hujusmodi rebus est, sic et divisiones gratiarum diversis sunt traditæ sacramentis. Quæ est ergo gratia, unde per baptismum investimur? Utique purgatio delictorum. Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi qui solus est mundus, et in quem peccatum non cadit, Deus? Hujus quidem gratiæ sacramentum prius erat circumcisio, ut originalis rubiginem culpæ, quæ manaverat a parentibus primis, cultellus eraderet: sed, veniente Domino, qui Agnus est totus suavis et mitis, cujus jugum suave est et onus leve, optime satis mutatum est, ut inveteratam rubiginem cum unctione sancti Spiritus aqua dilueret, et acerbitas illa cessaret.

Sed forte quærat aliquis, et dicat: Si deletum est in baptismo quod contraximus a parentibus, cur adhuc manet cupiditatis fomes, et velut incentivum quoddam peccati? Neque enim dubium, qua in primis parentibus in nos traducta sit lex ista peccati. Omnes siquidem peccatrice voluntate generamur, et inde voluntas nostra corrupta est tanquam ulceribus plena: unde licet inviti, pruritus quosdam concupiscentiarum, et tanquam bestiales motus sentimus. Dixi vobis sæpius, nec mente excidere debet, quoniam in casu primi hominis cecidimus omnes. Cecidimus autem super acervum lapidum, et in luto: unde non solum inquinati, sed etiam vulnerati, et graviter quassati sumus. Lavari quidem cito possumus; ad sanandum vero opus est curatione multa. Lavamur igitur in baptismo, quia deletur chirographum damnationis nostræ: et hæc gratia nobis confertur, ut jam nihil nobis concupiscentia noceat: si tamen a consensu abstineamus, atque ita tanquam sanies inveterati ulceris removetur, dum tollitur damnatio et responsum mortis, quod prius inde manabat. Sed quis poterit tam efferos motus frangere? Quis pruritum ulceris hujus ferre queat? Confidite, quia et in hoc gratia subvenit: et ut securi sitis, sacramentum Dominici corporis et sanguinis pretiosi investituram habetis. Duo enim illud sacramentum operatur in nobis: ut videlicet et sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi: gratias agat corpori et sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo; et gaudeat quod pessimum ulcus accedat ad sanitatem.

Idem., serm. 66 *in Cant.*, t. I. — Qui Ecclesiam non agnoscunt, non est mirum si ordinibus Ecclesiæ detrahunt, si instituta non recipiunt, si sacramenta contemnunt, si mandatis non obediunt. « Peccatores, inquiunt, sunt apostoli, archiepiscopi, episcopi, presbyteri: ac per hoc nec dandis, nec accipiendis, idonei sacramentis. Nunquam duo ista conveniunt, episcopum esse et peccatorem? » Falsum est. Episcopus erat Caïphas: et tamen quantus peccator, qui in Dominum mortis dictabat sententiam? Si negas episcopum, arguet te testimonium Joannis, qui eum in testimonium sui pontificatus etiam prophetasse refert. Apostolus erat Judas: et licet avarus et sceleratus, electus tamen a Domino. An tu de illius apostolatu dubitas, quem Domi-

Digitized by Google

nus elegit? *Nonne ego*, inquit, *vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est?* (*Joan.* VI, 71.) Audis eumdem electum apostolum, et exstitisse diabolum; et negas posse esse episcopum, qui peccator est? Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi, et qui non obedierunt eis tanquam episcopis, inobedientiæ rei fuerunt, etiam in ipsum Dominum præcipientem, et dicentem : *Quæ dicunt facite* (*Matth.* XIII, 3.) Patet ergo, quamvis Scribæ, quamvis Pharisæi, quamvis videlicet maximi peccatores, propter cathedram tamen Moysi, ad eos quoque nihilominus pertinere quod item dixit : *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* (*Luc.* X, 16.) Multa quidem et alia huic populo stulto et insipienti a spiritibus erroris, in hypocrisi loquentibus mendacium, mala persuasa sunt : sed non est respondere ad omnia. Quis enim omnia novit? Deinde labor infinitus esset, et minime necessarius. Nam quantum ad istos, nec rationibus convincuntur, quia non intelligunt; nec auctoritatibus corriguntur, quia non recipiunt; nec flectuntur suasionibus, quia subversi sunt. Probatum est : mori magis eligunt, quam converti. Horum finis interitus horum novissima incendium manet. Horum siquidem in facto Samson ex succensis vulpium caudis figura præcessit.

S. BERNARD., *De natura et dignit. amoris*, t. II. — In hac vita corporalium sacramentorum valet religio; quia cum vix aliquid nisi corpora et corporalia intelligamus, quandiu in imagine pertransimus, corporalibus religamur sacramentis, ne a Deo recedamus. Unde etiam a religando *religio* dicitur. Cum vero fidelis anima talibus erudita, talibus incipiet non indigere, et a corporalibus transire ad spiritualia, a spiritualibus ad spiritualium et corporalium conditorem, hoc vere erit exire a sarcinis. Relicto ergo corpore et corporeis omnibus curis et impedimentis, omnium quæ sunt præter Deum obliviscitur, nihilque præter Deum attendens, quasi se solam solumque Deum existimans : *Dilectus*, inquit, *meus mihi, et ego illi.* (*Cant.* II, 16.) *Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea, et cor meum; Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* (*Psal.* LXXII, 25-26.) Deinde venitur ad mortem. Hunc enim transitum ad vitam miseri infideles mortem appellant, fideles autem quid nisi pascha? In morte igitur corporali perfecte moritur mundo, et perfecte vivat Deo : ingreditur locum tabernaculi admirabilis, ingreditur usque ad domum Dei; et omnibus bene, et secundum ordinem præcedentibus, sicut in principio diximus, pondus suum unumquodque defert in locum suum, corpus in terram, de qua assumptum est, tempore suo resuscitandum et glorificandum; Spiritum ad Deum qui creavit eum.

Idem, *Epist. ad fratres de Monte-Dei*, t. II. — Rem sacramenti vel mysterii in omni tempore, et omni loco dominationis Dei, modo quo traditum est, hoc est debitæ pietatis affectu, agere, contrectare, et sumere sibi in salutem omnibus in promptu est, quibus dicitur : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis : ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* (*I Petr.* XXI, 9.) Nam et sacramentum sicut accipit ad vitam dignus, sic ad mortem suam et judicium indignus : rem vero sacramenti nemo percipit nisi dignus et idoneus. Sacramentum enim sine re sacramenti sumenti mors est : res vero sacramenti, etiam præter sacramentum, sumenti in vita æterna est. Si autem vis, et vere vis omnibus horis, tam diei quam noctis, hoc tibi in cella tua præsto est. Quoties in commemorationem ejus qui pro te passus est, hoc facto ejus pie ac fideliter fueris affectus, corpus ejus manducas, et sanguinem bibis. Quandiu in eo manes per amorem, et ipse in te per sanctitatis et justitiæ operationem, in ejus corpore et membris ejus computaris.

Idem, *Medit. in pass. et resurr. Domini*, t. II. — Gradere nunc et nobiscum, Domine, ne desolemur et tristemur in via hac qua ambulamus : quoniam tu ipse quondam præcedebas filios Israel in columna nubis per diem, et in columna ignis per noctem, et ad nutum tuum deponebant tentoria, et rursus erigebant. Quæ est autem nubes quæ præcedit veros Israelitas, nisi verissimum et sanctissimum corpus tuum quod in altari sumimus? In quo velatur nobis altitudo diei, immensitas majestatis tuæ, cujus et calorem et splendorem mortalis infirmitas sustinere non posset, nisi mediatrix nubes interposita et ardorem desuper temperaret, et tutam subtus viam præmonstraret. Hanc nubem totus exercitus sequitur, Domine rex Sabaoth. Qui autem non sequitur eam, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat. Relucet enim de hac nube semita quæ ducit ad vitam, semita humilitatis et patientiæ, semita mansuetudinis et misericordiæ, et quidquid humano generi per incarnationis tuæ mysterium revelare dignatus es. Relucet nobis ex hac luce legis et prophetiæ gloria, quoniam Moyses et Elias tecum apparuerunt in monte, sed nubes lucida obumbravit eos : nec ipsi enim sicut et nos, sine tua protectione salvari potuissent. Verumtamen illis sicut amicis et domesticis, imo domesticorum et amicorum tuorum præcipuis, sacramenti tui nubes erat prælucida, quæ nobis jacentibus et projectis a facie oculorum tuorum valde subobscura est : sed imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur, quoniam sub nube tua nutris et perficis, et deducis velut ovem Joseph. Hæc est columna nubis, quæ per diem præcedebat filios Israel. Columna vero ignis per noctem Spiritus sanctus est, qui super apostolos in igneis linguis apparuit, qui cæcitatis nostræ caliginem illuminat et sursum erigit, ut sapiamus ea quæ sursum sunt, non quæ super terram. Nubes ergo

Digitized by Google

per diem, et columna ignis per noctem; quia caro tua et divinitatis æstum nobis temperat, et Spiritus sancti lux tenebras nostræ mentis illustrat. Igitur dum loquereris in via duobus discipulis tecum pariter euntibus, et nubes peregrina faciem tuam tegeret: *Nonne*, inquiunt, *cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas?* (*Luc.* XXIV, 32.) Ardebat nimirum intus columna ignis, quia foris columna nubis loquebatur ad eos.

[Ex conciliis.]

Sacramenta in genere.

Paschasii II decretum in concilio Lateranensi, an. 1116. — Quoniam Ecclesia in multis locis et maxime in Teutonicis partibus diu laboravit sub hæresi et schismate, et, si omnia illa, quæ ab illis hæreticis et schismaticis ordinata sunt annullari deberent quædam Ecclesiæ omnino nudari viderentur suis clericis; nos sequentes decreta sanctorum Patrum de his, qui sub Acacio et Bonoso et Donatistis ordinati sunt, statuentes decrevimus, ut episcopi, qui sub isto schismate ordinati sunt, omnes in suis honoribus permaneant, nisi sint invasores aut criminosi. De cæteris pro vero ordinibus penes episcopos potestas sit, ut, quorum vita probabilis videatur, in suo gradu consistant.

Conc. Lateranensis II, *an.* 1139, *can.* — Eos autem, qui religiositatis speciem simulantes, Domini corporis et sanguinis sacramentum, baptisma puerorum, sacerdotium et cæteros ecclesiasticos ordines et legitimarum damnant fœdera nuptiarum, tanquam hæreticos ab Ecclesia Dei pellimus et damnamus et per potestates exteras coerceri præcipimus. Defensores quoque ipsorum ejusdem damnationis vinculo innodamus. Iste canon est contra Petrum de Bruis et Arnaldum de Brixia et ad verbum desumptus est ex concilio Tolosano, 1119 coram Calixto II habito.

Decreta dogmatica conc. Tridentini. De sacramentis in genere. — 1. Si quis dixerit sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo, Domino nostro instituta; aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem, et matrimonium, aut etiam aliquod horum septem, non esse vere et proprie sacramentum; anathema sit.

2. Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis sacramenta a sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi; anathema sit.

3. Si quis dixerit, hæc septem sacramenta ita esse inter se paria; ut nulla ratione aliud sit alio dignius; anathema sit.

4. Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; et sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci; licet omnia singulis necessaria non sint; anathema sit.

5. Si quis dixerit, hæc sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse; anathema sit.

6. Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non pœnitentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, et notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.

8. Si quis dixerit, per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam consequendam sufficere; anathema sit.

9. Si quis dixerit, in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione, et ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit.

11. Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia; anathema sit.

12. Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servarit, non conficere aut conferre sacramentum; anathema sit.

Lucii III decretum contra Albigenses, l. v *Decr., tit.* 7, c. 9, — Universos, qui de sacramento corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, vel de baptismate, seu de peccatorum confessione, matrimonio vel reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia prædicat et observat; et generaliter quoscunque eadem Romana Ecclesia vel singuli episcopi per diœceses suas cum consilio, clericorum, vel clerici ipsi, sede vacante cum consilio si oportuerit, vicinorum episcoporum, hæreticos judicaverint, vinculo perpetui anathematis innodamus.

Professio fidei præscripta Waldensibus ad Ecclesiam reducibus ab Innocentio III. — Sacramenta quoque, quæ in ea celebrantur, inestimabili atque invisibili virtute Spiritus sancti cooperante, licet a peccatore sacerdote ministrentur, dum Ecclesia eum recipit, in nullo reprobamus, nec ecclesiasticis officiis vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, sed benevolo animo tanquam a justissimo amplectimur, quia non nocet malitia episcopi vel presbyteri neque ad baptismum infantis, neque ad eucharistiam conferendam, vel ad cætera ecclesiastica officia subditis celebrata. Approbamus ergo baptismum infantium, qui si defuncti fuerint post baptismum, antequam peccata committant, fatemur eos salvari et credimus; et in baptismate omnia peccata, tam illud originale peccatum contractum, quam illa, quæ voluntarie commissa sunt, dimitti credimus. Confirmationem ab episcopo factam, id est impositionem manuum, sanctam et venerande esse accipiendam censemus. In sacrificio eucharistiæ, quæ ante consecrationem erant panis et vinum, post consecrationem esse verum corpus et verum

Digitized by Google

sanguinem Domini nostri Jesu Christi firmiter et indubitanter corde puro credimus, et simpliciter verbis fidelibus affirmamus, in quo nihil a bono majus vel a malo minus perfici credimus sacerdote; quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris et in virtute Spiritus sancti. Unde firmiter credimus et confitemur, quod quantumcunque quilibet honestus, religiosus, sanctus et prudens sit, non potest vel debet eucharistiam consecrare vel altaris sacrificium conficere, nisi sit presbyter, a visibili et tangibili episcopo regulariter ordinatus. Ad quod officium tria sunt, ut credimus, necessaria : scilicet certa persona, id est presbyter ab episcopo, ut prædicimus, ad illud proprie officium constitutus, et illa solemnia verba, quæ a sanctis Patribus in canone sunt expressa, et fidelis intentio proferentis; id est firmiter credimus et fatemur, quo quicunque sine præcedenti ordinatione episcopali, ut prædiximus, credit et contendit, se posse sacrificium eucharistiæ facere, hæreticus et perditionis fore et suorum complicum est particeps atque consors, et ab omni sancta Romana Ecclesia segregandus. Peccatoribus vere pœnitentibus veniam concedi a Deo credimus, et eis libentissime communicamus. Unctionem infirmorum cum oleo consecrato veneramur. Conjugia carnalia esse contrahenda, secundum apostolum non negamus, ordinarie vero contracta disjungere omnino prohibemus. Hominem quoque cum sua conjuge salvari credimus et fatemur, nec etiam secunda et ulteriora matrimonia condemnamus.

Professio fidei Michaelis Palæologi ipsi a Clemente IV an. 1267 *proposita, et ab ipso in concilio œcumenico Lugdunensi* II 1274 *Gregorio X oblata.* — Tenet etiam et docet eadem sancta Romana Ecclesia, septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet baptisma, de quo dictum est supra; aliud est sacramentum confirmationis, quod per manuum impositionem episcopi conferunt, chrismando renatos; aliud est pœnitentia, aliud eucharistia, aliud sacramentum ordinis, aliud est matrimonium, aliud extrema unctio quæ secundum doctrinam beati Jacobi infirmantibus adhibetur. Sacramentum eucharistiæ ex azymo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens et docens, quod in ipso sacramento panis vere transsubstantiatur in corpus et vinum in sanguinem Domini nostri Jesu Christi. De matrimonio vero tenet, quod nec unus vir plures uxores simul, nec una mulier permittitur habere plures viros. Soluto vero legitimo matrimonio per mortem conjugum alterius, secundas, et tertias deinde nuptias successive licitas esse dicit : si impedimentum canonicum aliud ex causa aliqua non obsistat.

Profess. fidei Florent. ab Eugenio IV, per bullam Exsultate Deo, *Armeni præscripta.* — Quinto ecclesiasticorum sacramentorum veritatem pro ipsorum Armenorum tam præsentium quam futurorum faciliori doctrina, sub hac brevissima redigimus formula: Novæ legis septem sunt sacramenta : videlicet, baptismus, confirmatio, eucharistia, pœnitentia, extrema unctio, ordo, et matrimonium. Quæ multum a sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant : hæc vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt. Horum quinque prima ad spiritualem unius cujusque hominis in seipso perfectionem : duo ultima, ad totius Ecclesiæ regimen multiplicationemque ordinata sunt. Per baptismum enim spiritualiter renascimur; per confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide : renati autem et roborati, nutrimur divina eucharistiæ alimonia. Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per pœnitentiam spiritualiter sanamur : spiritualiter etiam et corporaliter, prout animæ expedit, per extremam unctionem : per ordinem vero Ecclesia gubernatur et multiplicatur spiritualiter : per matrimonium corporaliter augetur. Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia : quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum. Inter hæc sacramenta tria sunt : baptismus, confirmatio et ordo; quæ characterem, id est spirituale quoddam signum a cæteris distinctum, imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt.

Professio fidei Tridentinæ a Pio IV per constitutionem Injunctum nobis 18 *Nov.* 1564, *ex decreto Tridentino, sess* 24, *cap.* 12, *de ref., et sess.* 25, *cap.* 2, *de ref., præscripta.* — Profiteor quoque septem esse vere et proprie sacramenta novæ legis a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet omnia singulis, necessaria : scilicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium : illaque gratiam conferre : et ex his baptismum, confirmationem et ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Recepta quoque et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quæ de peccato originali, et de justificatione in sacrosancta Ecclesia synodo definita et declarata fuerunt amplector et recipio. Profiteor pariter in missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo eucharistiæ sacramento esse vere, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus et totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi.

Digitized by Google

Errores Fratricellorum damnati a Joanne XXII constitutione edita an. 1316. — Quarta hujusmodi impiorum blasphemia de prædictorum Waldensium venenato fonte prorumpens, sacerdotes rite etiam et legitime secundum formam Ecclesiæ ordinatos, quibuslibet tamen criminibus pressos, non posse conficere vel conferre ecclesiastica sacramenta confingit.

Ibid. — Prædicti temeritatis atque impietatis filii, ut habet fide digna relatio ad eam sunt mentis inopiam devoluti, quod adversus præclarissimam et saluberrimam Christianæ fidei veritatem impie sentiunt, sacramenta Ecclesiæ veneranda contemnunt et in religiosum Ecclesiæ Romanæ primatum, cunctis nationibus percolendum, impetu cæci furoris impingunt.

Articuli 39, *de quibus errorum Vicleff et Huss suspecti ex mandato Martini papæ V, in Bulla* Inter cunctas. — Item, utrum credat, quod Christianus contemnens susceptionem sacramentorum confirmationis, vel extremæ unctionis, aut solemnizationis matrimonii, peccet mortaliter.

Ibid. — Item, utrum credat, quod malus sacerdos cum debita materia et forma, et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere conficiat, vere absolvat, vere baptizet, vere conferat alia sacramenta.

Errores 41 *Martini Lutheri damnati a Leone X, per bullam* Exsurge Domine, 16 *Maii* 1520. — Hæretica sententia est, sed usitata, sacramenta novæ legis justificantem gratiam illis dare, qui non possunt obicem.

Propositiones damnatæ sub Innocentio XI. Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.

Ibid. — Urgens metus gravis est causa justa sacramentorum administrationem simulandi.

De Baptismate.

Conc. Arelatensis, an. 314. *Decret. de baptismo hæreticorum.* — De Afris quod propria lege utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut si aliquis de hæresi venerit, interrogent eum symbolum et si perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.

Synodi Nicænæ an. 325 *decreta.—Canones de baptismo hæreticorum.* — De his qui se catharos, id est *puros* quandoque nominant, ad catholicam autem et apostolicam Ecclesiam accedunt, sanctæ magnæ synodo visum est, ut impositio eis manibus sic in clero maneant, ante omnia autem hoc in scriptis ipsos profiteri convenit, quod adhærebunt et sequentur catholicæ Ecclesiæ decreta, id est, et cum digamis communicabunt et cum iis, qui in persecutione lapsi sunt, etc.

Ibid. — De Paulianistis, qui deinde ad Ecclesiam confugerunt, statutum est, ut is omnino rebaptizentur. Si qui vero tempore præterito in clericorum numero erant, si quidem culpa et reprehensione alieni visi fuerint, rebaptizati ordinentur a catholicæ Ecclesiæ episcopo...

Concilii Valentini, an. 855. *Canones de prædestinatione ad Joannem Scotum.* — Item firmissime tenendum credimus, quod omnis multitudo fidelium ex aqua et Spiritu sancto regenerata, ac per hoc veraciter Ecclesiæ incorporata, et juxta doctrinam apostolicam in morte Christi baptizata, in ejus sanguine sit a peccatis suis abluta : quia nec in eis potuit esse vera regeneratio, nisi fieret et vera redemptio : cum in Ecclesiæ sacramentis nihil sit cassum, nihil ludificatorium, sed prorsus totum verum, et ipsa sui veritate ac sinceritate subnixum. Ex ipsa tamen multitudine fidelium et redemptorum, alios salvari æterna salute, quia per gratiam Dei in redemptione sua fideliter permanent, ipsius Domini sui vocem in corde ferentes : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x, 22); alios, quia noluerunt permanere in salute fidei, quam initio acceperunt, redemptionisque gratiam potius irritam facere prava doctrina, vel vita, quam servare, elegerunt, ad plenitudinem salutis, et ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire. In utroque siquidem doctrinam pii doctoris habemus : *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* (*Galat.* III, 27.) Et : *Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis.* (*Ibid.*) Et iterum : *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.* (*Hebr.* x, 22.) Et iterum : *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia.* (*Ibid.*, 26.) Et iterum : *Irritam quis faciens legem Moysis, sine ulla miseratione duobus aut tribus testibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* (*Ibid.* 28, 29.)

Decreta dogmatica concilii Tridentini de baptismo. — Si quis dixerit baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi; anathema sit.

Ibid. — Si quis dixerit, baptismum qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum; anathema sit.

Stephani I decretum contra rebaptizantes. — Si quis a quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicet tantum. — Quærendum non esse, quis sit ille, qui baptizaverit, et quod, qui baptizatus fuerit, gratiam consequi potuerit in-

Digitized by Google

vocata Trinitate nominum Patris et Filii et Spiritus sancti. Multum proficit nomen Christi, ut quicunque et ubicunque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi. — Quod accepimus ab apostolis hoc sequimur.

Liberii et Siricii decreta de baptismo hæreticorum. Apud Siricium epistola 1, *ad Himerium Tarraconensem.* — Prima itaque paginæ tuæ fronte signasti, baptizatos ab arianis plurimos ad fidem catholicam festinare et quosdam de fratribus nostris eosdem denuo baptizare velle; quod non licet, cum hoc fieri et Apostolus vetet et canones contradicant et post cassatum Ariminense concilium, missa ad provincias a venerandæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant, quos nos cum novatianis aliisque hæreticis, sicut est in synodo constitutum per invocationem solam septiformis Spiritus episcopalis manus impositione catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus Oriens Occidensque custodit : a quo tramite vos quoque post hac minime convenit deviare, si non vultis a nostro collegio synodali sententia separari.

Innocentii I decreta quædam ex epistola II, *ad Victricium Rothomagensem, c.* 8. — Ut venientes a novatianis vel montensibus per manus tantum impositionem suscipiantur : quia quamvis ab hæreticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati.

Ibid.—Epist. ad episcopos Macedoniæ, c. 5. —Ex canone Nicæni baptizandos esse paulianistas ad Ecclesiam venientes, non vero novatianos. Quod idcirco distinctum esse ipsis duabus hæresibus, ratio manifesta declarat, quia paulianistæ in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti minime baptizant et novatiani iisdem nominibus tremendis venerandisque baptizant, nec apud istos de unitate potestatis divinæ, hoc est, Patris et Filii et Spiritus sancti quæstio aliquando mota est.

Decreta quædam Alexandri III, decr. 3, *tit.* 42, c. 2. — De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmissis : « Si baptizatus es, non te baptizo : sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo, » etc.

Innocentii II decreta, l. III. *decret., tit.* 42, c. 3. — Majores, adversus petrobusianos, arnaldistas, waldenses. Quibusdam quæstionibus, quas contra catholicos hæretici moverant, nos postulas respondere. Asserunt enim parvulis inutiliter baptisma conferri... Absit, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin et ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem..... Dicimus distinguendum, quod peccatum est duplex; originale scilicet et actuale : originale quod absque consensu contrahitur; actuale, quod committitur cum consensu. Originale igitur, quod sine consensu contrahitur, sine consensu per vim remittitur sacramenti; actuale vero, quod consensu contrahitur, sine consensu minime relaxatur... Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero pœna peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus...

Benedicti XIV decretum de baptismo infantium Judæorum in epistola d. 28 *Febr.* 1747, Postremo mense, *ad vices gerentem in Urbe.* — Primo expendetur, utrum, invitis parentibus ac reluctantibus, Hebræi infantes baptizari licite possint. Secundo, si hoc nefas esse duxerimus, an casus unquam contingat aliquis, in quo id fieri non modo possit, sed etiam liceat planeque deceat. Tertio, baptismum Hebræis infantibus tunc impertitum cum fas non sit, ratumne an vero irritum haberi debeat. Quarto, quid sit faciendum, cum infantes Hebræi afferuntur, ut baptizentur, aut compertum sit, eos jam fuisse sacro baptismate initiatos : demum, quomodo probari possit, eosdem aquis salutaribus jam lustratos fuisse.

Ibid.—Fictitia res non est, quod aliquando pater Hebræus se velle catholicam religionem amplecti prædicet ac se ipsum filiosque infantes baptizandos offerat, postmodum vero sui se concilii pœniteat abnuatque filium baptizari. Id Mantuæ advenit... Res ad examen deducta est in congregatione S. Officii, ac Pontifex die 24 Sept. an. 1699, statuit, ea fieri, quæ sequuntur. « Sanctissimus, auditis votis eminentissimorum decrevit, quod duo filii infantes, alter scilicet triennis, alter quinquennis baptizentur. Alii, nempe filius octo annorum et filia duodecim, collocentur in domo catechumenorum, si ea Mantuæ adsit, sin minus apud piam honestamque personam ad effectum explorandi ipsorum voluntatem eosque instruendi.... »

Ibid. — Nihil aliud restat, ut primæ parti finis imponatur, quam exponere, quid sit faciendum, cum infantes Hebræi aut baptizandi offerantur, aut compertum sit eos jam fuisse sacro baptismate initiatos.... Ad eos spectat hic sermo noster, qui baptismo, neque a parentibus neque ab aliis, qui jus in eos habent, offeruntur, sed ab aliquo nullam habente auctoritatem. De iis præterea agitur, quorum casus non comprehenduntur sub ea dispositione, quæ sinit baptismum conferri, etiamsi majorum consensus desit : hoc quidem in casu baptizari non debent, sed ad illos remitti, quorum in potestate ac fide sunt legitime constituti. Quod si jam sacramento initiati essent, aut detinendi sunt, aut ab Hebræis parentibus recuperandi tradendique Christi fidelibus, ut ab illis pie sancteque informentur; hic enim baptismi licet illiciti, tamen veri validique, effectus est.

Ibid. — Sunt quoque aliqui infideles suos infantes Christianis offerre soliti, ut aquis salubribus abluantur, non tamen Christi ut stipendia mereantur, neque ut originalis culpa eorum ex anima deleatur; sed id faciunt indigna quodam superstitione ducti, quod nempe baptismi beneficio existimant, eosdem a malignis spiritibus, a fœtore aut morbo aliquo liberandos... Infideles aliqui, cum hoc sibi in animum induxissent, baptismi gratia infantes suos a morbis dæmonumque vexationibus liberatum iri et de-

Digitized by Google

mentiæ adducti sunt, ut mortem quoquo minitati sint catholicis sacerdotibus... Huic sententiæ refragatur congregatio sancti Officii coram Pontifice habita d. 6 Sept. 1625: « Sacra congregatio universalis inquisitionis habita coram sanctissimo, relatis litteris episcopi Antibarensis, in quibus supplicabat pro resolutione infra scripti dubii: an, cum sacerdotes coguntur a Turcis, ut baptizent eorum filios, non ut Christianos efficiant, sed pro corporali salute, ut liberentur a fœtore, comitiali morbo, maleficiorum periculo et lupis, an in tali casu possint saltem ficte eos baptizare, adhibita baptismi materia sine debita forma? Respondit negative, quia baptismus est janua sacramentorum ac protestatio fidei, nec ullo modo fingi potest. »

Benedicti XIV decretum de baptismo infantium Judæorum, loc. cit. — Inter invitum et invitum coactum, alii non absurde distinguunt, quod is, qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, et ne detrimentum incurrat, baptismi suscipit sacramentum, talis sicut et is, qui ficte ad baptismum accedit, characterem suscipit Christianitatis impressum, et ipse tanquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam fidei Christianæ.... Ille vero, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit nec rem, nec characterem suscipit sacramenti, quia plus est expresse contradicere, quam minime consentire.... Dormientes autem et amentes, si prius quam amentiam incurrerent aut dormirent, in contradictione persisterent; quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, etsi fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt sacramenti; secus autem si prius catechumeni exstitissent et habuissent propositum baptizandi, unde tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare. Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem.

Propositiones damnatæ ab Alexandro VIII. — Prop. damnatæ decreto 24 *Aug.* 1690: — Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit : Non intendo quod facit Ecclesia.

Propositiones synodi diœcesanæ Pistoriensis, damnatæ a Pio VI per constitutionem Auctorem fidei 28 *Aug.* 1794. — *De sacramentis, ac primum de forma sacramentali cum adjuncta conditione.* — Deliberatio synodi, quæ prætexta adhæsionis ad antiquos canones in casu dubii baptismatis, propositum suum declarat de omittenda formæ conditionalis mentione; temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiæ contraria.

De Eucharistia.

Conc. Lateranensis IV, *an.* 1215 *decreta.* — *Cap.* 1. *Definitio adversus albigenses aliosque hæreticos.* — Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. In qua idem ipse sacerdos est sacrificium Jesus Christus : cujus corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem, potestate divina : ut ad perficiendum mysterium unitatis, accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro, et hoc utique sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus, secundum claves Ecclesiæ, quas ipse concessit apostolis, eorumque successoribus Jesus Christus. Sacramentum vero baptismi (quod ad Dei invocationem et individuæ Trinitatis, videlicet Patris, et Filii, et Spiritus sancti, consecratur in aqua) tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesiæ a quocunque rite collatum proficit ad salutem; et si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari. Non solum autem virgines et continentes, verum etiam conjugati, per rectam fidem et operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire

Decreta dogmatica conc. Tridentini — Decretum de sanctissimo eucharistiæ sacramento, cap. 3. *De excellentia sanctissimæ eucharistiæ super reliqua sacramenta.* — Commune hoc quidem est sanctissimæ eucharistiæ cum cæteris sacramentis, symbolum esse rei sacræ, et invisibilis gratiæ formam visibilem : verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur : at in eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est: nondum enim eucharistiam de manu Domini apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret, corpus suum esse, quod præbebat, et semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere ; sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est, tantumdem sub alterutra specie atque sub utraque contineri, totus enim et integer Christus, sub panis specie; et sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, et sub ejus partibus existit.

Ibid., cap. 7, *de præparatione, quæ adhibenda est, ut digne quis sacram eucharistiam percipiat.* — Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte: certe, quo magis sanctitas et divinitas cœlestis hujus sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: *Qui manducat et bibit indigne, ju-*

Digitized by Google

dicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. (*I Cor.* XI, 29.) Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum : *Probet seipsum homo.* (*Ibid.*, 28.) Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere debeat, quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris; quod si, necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.

Decretum concilii Constantiensis. Sess. 13, *de communione sub utraque specie, confirmatum a Martino V, per bullam* In eminentis, 8 *Kal. Mart.* 1418 — Cum in nonnullis mundi partibus quidam temerarie asserere præsumant, populum Christianum debere sacrum eucharistiæ sacramentum sub utraque panis et vini specie suscipere, et non solum sub specie panis, sed etiam sub specie vini populum laicum passim communicent, etiam post cœnam vel alias non jejunum, et communicandum esse pertinaciter asserant contra laudabilem Ecclesiæ consuetudinem rationabiliter approbatam, quam tanquam sacrilegam damnabiliter reprobare conantur : hinc est, quod hoc præsens concilium..... declarat, decernit et definit, quod licet Christus post cœnam instituerit, et suis discipulis administraverit sub utraque specie panis et vini hoc venerabile sacramentum, tamen hoc non obstante sacrorum canonum auctoritas laudabilis et approbata consuetudo Ecclesiæ servavit et servat, quod hujusmodi sacramentum, non debet confici post cœnam, neque a fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis a jure vel Ecclesia concesso vel admisso. Et similiter, quod licet in primitiva ecclesia hujusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie : tamen hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula et scandala, est rationabiliter introducta, quod a conficientibus sub utraque specie, et a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur, cum firmissime credendum sit et nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri, etc. Quapropter dicere quod hanc consuetudinem aut legem observare sit sacrilegium aut illicitum, censeri debet erroneum, et pertinaciter asserentes oppositum præmissorum tanquam hæretici arcendi sunt, et graviter puniendi per diœcesanos locorum, seu officiales eorum aut inquisitores hæreticæ pravitatis, etc.

Ibid., doctrina de communione sub utraque specie, et parvulorum, bap.—Cap. 2. *Ecclesiæ potestas circa dispensationem sacramenti eucharistiæ.* — Præterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret. Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait : *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (*Tit.* I, 7); atque ipsum quidem hac potestate usum esse, satis constat, cum in multis aliis, tum in hoc ipso sacramento, cum, ordinatis nonnullis circa ejus usum : *Cætera, inquit, cum venero, disponam.* (*I Cor.* XI, 34.) Quare agnoscens sancta mater Ecclesia hanc suam in administratione sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianæ religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis latissime jam immutata illa consuetudine, gravibus et justis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, et pro lege habendam decrevit : quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare non licet.

Ibid., de sacrosancto eucharistiæ sacramento. — Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ eucharistiæ sacramentum anathema sit. Et, ne tantum sacramentum indigne, atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit, atque declarat ipsa sancta synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

Decretum S. congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum, 12 Febr. 1679, *approbatum ab Innocentio XI.* — Etsi frequens, quotidianusve sacrosanctæ eucharistiæ usus a SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus, nunquam tamen, aut sæpius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi, certos singulis mensibus, aut hebdomales dies statuerunt, quos nec concilium Tridentinum præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil recipiens, quid cuperet tantum indicavit, cum inquit : Optaret quidem sacrosancta synodus, ut in singulis missis fideles astantes sacramentali eucharistiæ perceptione communicarent. Idque non immerito : multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes; multæ e contra gratiæ et Dei dona parvulis concessa; quæ cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certe de cujusque dignitate atque integritate et consequenter de frequentiori aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui et propterea quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus confessariorum secreta

Digitized by Google

cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate et frequentiæ fructu et ad pietatem processu laicis negotiatoribus et conjugatis, prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In conjugatis, autem hoc amplius animadvertent, cum beatus Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi (*I Cor.* VII, 5), eo serio admoneant, tanto magis ob sacratissimæ eucharistiæ reverentiam continentiæ vacandum puriorique mente ad cœlestium epularum communionem esse conveniendum.

In hoc igitur pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti aut quotidiana sacræ communionis sumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se aut parochos seu confessarios sibi decernendum putet, illudque omnino provideat, ut nemo a sacro convivio, se frequenter seu quotidie accesserit, repellatur, et nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis et præparationis modo rarius aut crebrius Domini corporis suavitatem degustet.

Itidem moniales quotidie sacram communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum ordinis instituto præstitutis communicent; si quæ vero puritate mentis eniteant et fervore spiritus ita incaluerint ut dignæ frequentiori aut quotidiana sanctissimi perceptione videri possint, id illis a superioribus permittatur. Proderit etiam præter parochorum et confessariorum diligentiam opera quoque concionatorum uti et cum eis constitutum haberi, ut cum fideles ad sanctissimi sacramenti frequentiam (quod facere debent) accesserint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant, generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiorem aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores, sive conjugati, sive quicunque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate sacramenti ac divini judicii formidine discant cœlestem mensam, in qua Christus est, revereri; et si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere seque ad majorem præparationem accingere. Episcopi autem, in quorum diœcesibus viget hujusmodi devotio erga sanctissimum sacramentum, pro illa gratias Deo agant eamque ipsi adhibito prudentiæ et judicii temperamento alere debebunt, et ab eorum officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ aut scandali suspicio in veri et immaculati Agni perceptione tollatur virtutesque ac dona in sumentibus augeantur; quod abunde continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio, divina præstante gratia, tenentur, seque sacratissimo pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere seque probare cum timore et charitate assueverint...

Porro episcopi et parochi seu confessarii redarguant asserentes communionem quotidianam esse de jure divino.... Non permittant ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab episcopo aut ordinario.

Clementis V definitiones emissæ cum concilio Viennensi an. 1311, 1312 — *Damnatio errorum sectæ beguardorum et beguinarum.* (*Clementin. l.* V, *tit.* 3, *de hæreticis, c.* 3. — Quod in elevatione corporis Jesu Christi non debent assurgere, nec eidem reverentiam exhibere : asserentes quod esset imperfectionis eisdem, si a puritate et altitudine suæ contemplationis tantum descenderent, quod circa ministerium seu sacramentum eucharistiæ aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent.

De Pœnitentia.

Concilii Lateranensis IV, *an.* 1215 *decreta. Cap.* 21. *De annua confessione.* — Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha eucharistiæ sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab. ejus perceptione duxerit abstinendum : alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur et moriens Christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quispiam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipsum non possit absolvere vel ligare. Sacerdos autem sit discretus et cautus, ut more periti medici superinfundat vinum et oleum vulneribus sauciati; diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium et cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum ægrotum. Caveat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem : sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat, quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.

Confessio fidei Michaelis Paleologi, ipsi a Clemente IV an. 1667 *proposita, et ab ipso in concilio œcumenico Lugdunensi* II, 1274, *Gregorio X oblata.* — Hæc est vera fides catholica, et hanc in supradictis articulis tenet et prædicat sacrosancta Romana Ecclesia. Sed propter diversos errores, a quibusdam ex ignorantia, et ab aliis ex malitia, introductos, dicit et prædicat, eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non reba-

Digitized by Google

ptizandos, sed per veram pœnitentiam suorum consequi veniam peccatorum. Quod si vere pœnitentes in charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et omissis : eorum animas pœnis purgatoriis, seu catharteriis, sicut nobis frater Joannes explanavit, post mortem purgari : et ad pœnas hujusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, et eleemosynas, et alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta. Illorum autem animas, qui post sacrum baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam, incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus purgatæ, mox in cœlum recipi. Illorum autem animas qui in mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Eadem sacrosancta Ecclesia Romana firmiter credit, et firmiter asseverat, quod nihilominus in die judicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de propriis factis rationem.

Decreta dogmatica conc. Tridentini, de sanctissimo pœnitentiæ sacramento. — Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem; sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat, se esse absolutum : aut sacerdos non serio, sed joco absolvat ; aut dixerit non requiri confessionem pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere possit : anathema sit.

Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere ; aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum : *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo ; et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo* (*Matth.* xvi, 19) ; et : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* xx. 23) ; quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit ; secreta vero per spontaneam confessionem : anathema sit.

Decreta dogm. conc. Trident. Doctrina de sanctissimo pœnitentiæ et extremæ unctionis sacram. — *Cap.* 2. *de differentia sacramenti pœnitentiæ et baptismi.* — Cæterum hoc sacramentum multis rationibus a baptismo differre dignoscitur ; nam præterquam quod materia et forma, quibus sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet : constat certe, baptismi ministrum judicem esse non oportere ; cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. *Quid enim mihi*, inquit Apostolus, *de iis qui foris sunt, judicare?* (*I Cor.* v, 12.) Secus est de domesticis fidei quos Christus Dominus lavacro baptismi sui corporis membra semel effecit : nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito baptismo ablui, cum in Ecclesia catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit ; ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari. Alius præterea est baptismi, et alius pœnitentiæ fructus. Per baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes : ad quam tamen novitatem et integritatem per sacramentum pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus : ut merito pœnitentia laboriosus quidam baptismus a sanctis Patribus dictus fuerit. Est autem hoc sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus.

Ibid., cap. 6, *de ministro hujus sacramenti, et absolutione* — Circa ministrum autem hujus sacramenti, declarat sancta synodus, falsas esse et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alias quosvis homines præter episcopos et sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt; putantes verba illa Domini : *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt alligata et in cœlo* (*Matth.* xvi, 19) ; et : *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt.* (*Joan.* xx, 23.) Ad omnes Christi fideles indifferenter et promiscue, contra institutionem hujus sacramenti, ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit ; secreta vero per spontaneam confessionem cuicunque factam. Docet quoque, etiam sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus sancti in ordinatione collatam, tanquam Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere ; eosque prave sentire, qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. Quamvis autem absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata ; sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut a judice sententia pronuntiatur ; atque ideo non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiam si nulla illi adsit contritio, aut sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit ; putet tamen se, propter suam solam fidem, vere et coram Deo esse absolutum ; nec enim fides sine pœnitentia remissionem ullam peccatorum præstaret; nec is esset nisi salutis suæ negligentissimus, qui sacerdotem jocose absolventem cognosceret; et non alium, serio agentem, sedulo requireret.

Ibid., cap. 8, *de satisfactionis necessitate et fructu.* — Demum quoad satisfactionem, quæ ex omnibus pœnitentiæ partibus, quemadmodum a Patribus nostris Christiano

Digitized by Google

populo fuit perpetuo tempore commendata; ita una maxime nostra ætate, summo pietatis prætextu impugnatur ab iis, qui speciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt: sancta synodus declarat, falsa omnino esse, et a verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur. Perspicua enim et illustria in sacris litteris exempla reperiuntur, quibus præter divinam traditionem hic error quam manifestissime revincitur. Sane et divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati et dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritus sancti dono, scienter templum Dei violare, et Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii et contumeliosi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi freno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futuram pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis et vitiosos habitus; male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior illa via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod, dum satisfaciendo patimur pro peccatis Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit ex quo omnis nostra sufficientia est conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, et conglorificabimur. Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum: nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus: ita non habet homo, unde glorietur: sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo efferuntur Patri, et per illum acceptantur a Patre. Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere: ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem: nam claves sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres et credunt et docent; nec propterea existimarunt, sacramentum pœnitentiæ esse forum iræ vel pœnarum, sicut nemo unquam catholicus sensit, ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti, et satisfactionis Domini nostri Jesu Christi vel obscurari, vel ex aliqua parte imminui: quod dum novatores intelligere nolunt, ita optimam pœnitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis vim et usum tollant.

Benedicti XIV Breve 7 Jul. 1745, *contra confessarios exquirentes a pœnitente nomen complicis.* — Pervenit haud ita pridem ad aures nostras, nonnullos istarum partium confessarios falsa zeli imagine seduci so passos, sed a zelo secundum scientiam longe aberrantes, perversam quamdam et perniciosam praxim in audiendis Christi fidelium confessionibus et in saluberrimo pœnitentiæ sacramento administrando invehere atque introducere cœpisse: ut videlicet, si forte in pœnitentes incidissent socium criminis habentes, ab iisdem exquirerent, atque ad illud sibi revelandum non inducere modo suadendo conarentur, sed quod detestabilius est, denuntiata quoque, nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione, prorsus adigerent atque compellerent; imo etiam complicis ejusdem nedum nomen, sed habitationis insuper locum sibi exigerent designari: quam illi quidem intolerandam imprudentiam tum procurandæ complicis correctionis aliorumque bonorum colligendorum specioso prætextu colorare, tum emendicatis quibusdam doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones hujusmodi vel falsas et erroneas sequendo, vel veras et sanas male applicando perniciem tam suis, quam pœnitentium animabus consciscerent, ac sese præterea plurium gravium damnorum, quæ inde facile consecutura fore prævidere debuerant, reos coram Deo æterno judici constituerent... Nos autem ne in tam gravi animarum discrimine ulla ex parte apostolico nostro ministerio deesse videamur, neve mentem hac super re nostram apud vos obscuram et ambiguam esse sinamus: notum vobis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eamdemque a nobis per præsentes nostras in forma brevis litteras reprobari atque damnari tanquam scandalosam et perniciosam, ac tam famæ proximorum, quam ipsi etiam sacramento injuriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli sacramentalis violationem atque eb ejusdem pœnitentiæ sacramenti tantopere proficuo et necessario usu fideles abalienantem.

Errores Joannis de Polliaco damnati a Joanne XXII, an. 1320, *Extrav. Comm. l.* v. *tit.* 3, *de hæreticis, c.* 2, Vas electionis. — Quod stante *Omnis utriusque sexus* edicto in concilio generali Romanus Pontifex non potest facere, quod parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti confiteri, quem dicit esse parochialem curatum. Imo nec Deus posset hoc facere; quia implicat contradictionem.

Digitized by Google

Errores Joannis de Pollinco damnati a Joanne XXII; *an* 1320· *loc. cit.* — Quod Papa non potest dare potestatem generalem audiendi confessionem, imo nec Deus, quin confessus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio sacerdoti, quem dicit esse proprium curatum.

Errores 41 *Martini Lutheri damnati a Leone V. per bullam* Exsurge Domine, 16 *Maii* 1520. — Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente sacerdote credat sibi remitti; imo peccatum maneret, nisi remissum crederet; non enim sufficit remissio peccati et gratiæ donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

Ibid. — Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi : *Quodcunque solveris*, etc. (*Matth.* XVI, 19.) Hinc, inquam, confide, si sacerdotis obtinueris absolutionem, et crede fortiter te absolutum, et absolutus vere eris, quidquid sit de contritione.

Ibid. — Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

Prop. damnatæ ab Alexandro VII, die 24 *Sept.* 1665. — Confessarius qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus.

Ibid. — Modus evitandi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante : hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

Ibid. — Sententia asserens bullam *Cœnæ* solum prohibere absolutionem hæresis et aliorum criminum, quando publicatæ sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629, 18 Julii in consistorio sacræ congregationis eminentissimorum cardinalium visa et tolerata est.

Ibid. — Mollities, sodomia et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ; ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.

Ibid. — Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto dicens : Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

Propos. damnatæ sub Innocentio XI, die 2 *Martii* 1679. — Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis verbi gratia potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis aut indulgentiæ.

Ibid.— Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio : dummodo ore proferat, se dolere et proponere emendationem.

Ibid. — Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere quinimo directe et ex proposito quærit, aut ei se ingerit

Ibid. — Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.

Ibid.— Frequens confessio et communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

Propos. de usu scientiæ ex confessione acquisitæ, prohibitæ decreto S. Inquisitionis. 18 *Nov.* 1682. — Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine pœnitentis, nisi aliud multo majus ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur. Addita deinde explicatione, sive limitatione, quod intelligenda de usu scientiæ ex confessione acquisitæ cum gravamine pœnitentis, seclusa quæcunque revelatione, atque in casu quo multo majus gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur. *Statutum est*, dictam propositionem, quatenus admittit usum dictæ scientiæ cum gravamine pœnitentis omnino prohibendam esse, etiam cum dicta explicatione sive limitatione.

Propos. Paschasii Quesnelli damnatæ a Clemente XI, constitut. Unigenitus, 8 *Septembr.* 1713. — Modus plenus sapientia, lumine et charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate et sentiendi statum peccati, petenti spiritum pœnitentiæ et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.

Ibid. — Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quod cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi sacrificio Ecclesiæ.

Propos. 85 *synodi diœcesanæ Pistoriensis, damnatæ a Pio VI per constitut.* Auctorem fidei, 28 *Aug.* 1794 : *De auctoritate absolvendi.* — Item, doctrina, qua, postquam synodus professa est, se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quæ (ut ait) ad pœnitentiam non ita facile et forte nunquam eum admittebat, qui post primum peccatum et primam reconciliationem relapsus esset in culpam, subjungit, per timorem perpetuæ exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis, magnum frenum illis injectum iri, qui parum considerant malum peccati et minus illud timent; contraria can. 13, concilii Nicæni I, decretali Innocentii I, ad Exuperium Tolos., tum et decretali Cœlestini I, ad episcopos Viennen. et Narbonen. provinciæ, redolens pravitatem, quam in ea decretali sanctus Pontifex exhorret.

De Extrema unctione.

Decreta dogmatica concilii Tridentini. — *Doctrina de sacramento extremæ unctionis.* — *Cap.* 3. *De ministro hujus sacramenti et tempore quo dari debeat.* — Jam vero, quod

Digitized by Google

attinet ad præscriptionem eorum, quid et suscipere et ministrare hoc sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis prædictis traditum : nam et ostenditur illic, proprios hujus sacramenti ministros esse Ecclesiæ presbyteros, quo nomine, eo loco, non ætate seniores aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut episcopi, aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii. Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur : unde et sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint. Quare nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam et dilucidam apostoli Jacobi sententiam docent, hanc unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habentem ; et qui illam jam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum duntaxat in primitiva Ecclesia referenda esset : et qui dicunt, ritum et usum, quem sancta Romana Ecclesia in hujus sacramenti administratione observat, Jacobi apostoli sententiæ repugnare, atque ideo in alium commutandum esse ; et denique, qui hanc extremam unctionem a fidelibus sine peccato contemni posse affirmant. Hæc enim omnia manifestissime pugnant cum perspicuis tanti apostoli verbis. Nec profecto Ecclesia Romana, aliarum omnium mater et magistra, aliud in hac administranda unctione, quantum ad ea, quæ hujus sacramenti substantiam perficiunt, observat, quam quod beatus Jacobus præscripsit. Nec vero tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere, et ipsius Spiritus sancti injuria esse posset.

Hæc sunt, quæ de extremæ unctionis sacramento hæc sancta œcumenica synodus profitetur et docet, atque omnibus Christi fidelibus credenda et tenenda proponit. Sequentes autem canones inviolabiliter servandos esse tradit, et asserentes contrarium perpetuo damnat et anathematizat.

Decreta dogmatica concilii Tridentini. — *De sacramento extremæ unctionis.* — Si quis dixerit, extremæ unctionis ritum et usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ beati Jacobi apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni, anathema sit.

De ordine.

Decreta dogmatica concilii Tridentini. — *Doctrina de sacramento ordinis. Cap. 4. De ecclesiastica hierarchia et ordinatione.* — Quoniam vero in sacramento ordinis, sicut et in baptismo et confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest ; merito sancta synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, Novi Testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos, iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant. Quod si quis omnes Christianos promiscue Novi Testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam, quæ est ut castrorum acies ordinata, confundere : perinde ac si contra beati Pauli doctrinam, omnes apostoli, omnes prophetæ, omnes evangelistæ, omnes pastores, omnes sint doctores. Proinde sacrosancta synodus declarat, præter cæteros ecclesiasticos gradus, episcopos, qui in apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere ; et positos sicut idem Apostolus ait, a Spiritu sancto, regere Ecclesiam Dei, eosque presbyteris superiores esse, ac sacramentum confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse : quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent. Docet insuper sacrosancta synodus, in ordinatione episcoporum, sacerdotum, et cæterorum ordinum, nec populi, nec cujusvis sæcularis potestatis, et magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri ; ut sine ea irrita sit ordinatio ; quin potius decernit eos, qui tantummodo a populo, aut sæculari potestate, ac magistratu vocati et instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures et latrones, per ostium non ingressos, habendos esse. Hæc sunt, quæ generatim sacræ synodo visum est Christi fideles de sacramento ordinis docere. His autem contraria, certis, et propriis canonibus in hunc, qui sequitur, modum damnare constituit ; ut omnes, adjuvante Christo, fidei regula utentes, in tot errorum tenebris catholicam veritatem facilius agnoscere et tenere possint.

Decreta dogmatica concilii Tridentini. De sacramento ordinis. — Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum ac proinde frustra episcopos dicere : Accipe Spiritum sanctum ; aut per eam non imprimi characterem ; vel cum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse ; etc.

Articuli 45. *Joan. Wikleff. damn. a concil. Constans. et Martin. V, per bullam* Inter cunctas, 8 *Kal. Martii* 1418 *et bullam* In eminentis, *ejusdem diei* — Si episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.

Articuli 30 *Joannis Huss, damnati a concil. Constantiensi et Martino V ut supra.* — Sacerdotes quomodolibet criminose viventes, sacerdotii polluunt potestatem, et sicut filii infideles sentiunt infideliter de septem sacramentis Ecclesiæ, de clavibus, officiis, censuris, moribus, cæremoniis, et sacris rebus Ecclesiæ, veneratione reliquiarum, indulgentiis, et ordinibus.

Propos. damnatæ ab Alexandro VII die 24 *Sept.* 1665. — Est licitum religioso vel clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non

Digitized by Google

suppetit : uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso, vel ejus religioni publice et coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

Propos. damnatæ ab Alexandro VII, die 18 Martii 1666. — Mandatum Tridentini, factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

Ibid. — Illa particula « quamprimum » intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.

Propos. 85 *synodi diœcesanæ Pistoriensis, damnatæ a Pio VI per constitutionem* Auctorem fidei 28 *Aug.* 1794. *De ordine.* — Doctrina synodi quæ perhibet in promovendis ad ordines hanc de more et instituto veteris disciplinæ rationem servari consuevisse, ut si quis clericorum distinguebatur sanctitate vitæ, et dignus æstimabatur, qui ad ordines sacros ascenderet, ille solitus erat promoveri ad diaconatum, vel sacerdotium, etiamsi inferiores ordines non suscepisset; neque tum talis ordinatio dicebatur per saltum, ut postea dictum est.

Ibid. — Item, quod inter hæc ipsa corruptionis principia refert, quod recessum sit a vetere instituto, quo, ut ait, Ecclesia insistens apostoli vestigiis neminem ad sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem; quatenus innuit corruptam fuisse disciplinam per decreta et instituta. 1. Sive quibus ordinationes per saltum vetitæ sunt; 2. sive quibus pro ecclesiarum necessitate vetitæ sunt moditate probatæ sunt ordinationes sive titulo specialis officii velut speciatim a Tridentino ordinatio ad titulum patrimonii; salva obedientia, qua sic ordinati Ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis, quibus pro loco ac tempore ab episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab apostolicis temporibus in primitiva Ecclesia fieri consuevit. 3. Sive quibus jure canonico facta est criminum distinctio, quæ delinquentes reddunt irregulares; quasi per hanc distinctionem Ecclesia recesserit a spiritu apostoli, non excludendo generaliter et indistincte ab ecclesiastico ministerio omnes quoscunque, qui baptismalem innocentiam non conservassent. Doctrina singulis suis partibus falsa, temeraria, ordinis pro Ecclesiarum necessitate et commoditate inducti perturbativa, in disciplinam per canones et speciatim per Tridentini decreta probatum injuriosa.

De Matrimonio.

Conc. Hispaniarum et Lusitaniæ plenarii jussu Leonis papæ Tolet., an. 447 habiti, professio fidei, et anathematismi contra priscillianistas normam ad epistolæ dogmaticæ Leonis. — Si quis dixerit vel crediderit, conjugia hominum quæ secundum legem divinam licet habere, exsecrabilia esse, anathema sit.

Conc. œcumenici Lateranensis I, *an.* 1123, *canones.* — Conjunctiones consanguineorum fieri prohibemus : quoniam eas et divinæ et sæculi prohibent leges. Leges enim divinæ hoc agentes et eos, qui ex eis prodeunt, non solum ejiciunt, sed maledictos appellant; leges vero sæculi infames tales eos vocant et ab hæreditate repellunt. Nos itaque, patres nostros sequentes, infamia eos notamus et infames esse censemus (12).

Conc. Florentini decreta. — *Decretum pro Armenis, in bulla Eugenii IV* Exsultate Deo. — Septimum est sacramentum matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, secundum Apostolum dicentem : *Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* (*Ephes.* v, 32.) Causa efficiens matrimonii, regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus. Assignatur autem triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei; secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet; tertium indivisibilitas matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem conjunctionem Christi et Ecclesiæ. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.

Benedicti XIV declaratio de matrimoniis in Hollandia contractis, 4 *Novembr. an.* 1741. — Quod vero spectat ad ea conjugia, quæ pariter in iisdem fœderatis Belgii provinciis absque forma a Tridentino statuta contrahuntur a catholicis cum hæreticis, sive catholicus vir hæreticam feminam in matrimonium ducat, sive catholica femina hæretico viro nubat; dolens imprimis quam maxime Sanctitas sua, eos esse inter catholicos, qui insano amore turpiter ab hisce detestabilibus connubiis, quæ sancta mater Ecclesia perpetuo damnavit atque interdixit, ex animo non abhorrent et prorsus sibi abstinendum non ducunt, laudansque magnopere zelum illorum antistitum, qui servioribus propositis spiritualibus pœnis catholicos coercere student, ne sacrilego hoc vinculo sese hæreticis conjungant; episcopos omnes vicarios apostolicos, parochos, missionarios, et alios quoscunque Dei et Ecclesiæ fideles ministros, in iis partibus degentes, serio graviterque hortatur et monet, ut catholicos utriusque sexus ab hujusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis quantum possint absterreant, easdemque nuptias omni meliori modo intervertere atque efficaciter impedire satagant. At si forte aliquod hujus generis matrimonium, Tridentini forma non servata, ibidem contractum jam sit, aut imposterum (quod Deus avertat) contrahi contingat; declarat Sanctitas sua matrimonium hujusmodi, alio non concurrent canonico impedimento, validum habendum esse, et neutrum ex conjugibus, donec alter eorum supervixerit, nullatenus

(11) Hæc contra hæresim incestuosorum. Ita vocabantur illi, qui propinquorum conjunctiones illicitas non esse contendebant, atque gradus consanguinitatis ad juris civilis normam numerabant.

Digitized by Google

posse sub obtento dictæ formæ non servatæ novum matrimonium inire : id vero debere sibi potissime in animum inducere conjugem catholicum, sive virum sive feminam ut pro gravissimo scelere quod admisit, pœnitentiam agat, ac veniam a Deo precetur, coneturque pro viribus alterum conjugum a vera fide deerrantem ad gremium catholicæ Ecclesiæ pertrahere, ejusque animam lucrari, quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam opportunissimum foret, sciens de cætero, ut mox dictum est se istius matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri.

Benedicti XIV epistola encyclica Magnæ vobis 29 *Jun.* 1748, *ad Poloniæ episcopos de concessione et executione dispensationum apostolicarum, super impedimentis matrimonii circa matrimonia mista.*—Quod si nonnulla inveniantur exempla Romanorum Pontificum, qui aut licentiam contrahendi matrimonium aut etiam dispensationem super impedimento aliquo concesserunt, non adjecta conditione de abjuranda prius hæresi, rarissimas primum omnium dicimus hujusmodi concessiones fuisse, et quidem plerasque earum pro matrimoniis inter supremos principes contrahendis, nec nisi, gravissima urgente causa eaque ad publicum bonum pertinente, factas fuisse : insuper adjectas fuisse opportunas cautelas, tum ne conjux catholicus ab hæretico perverti posset quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum; tum etiam ut proles utriusque sexus ex eo matrimonio procreanda in catholicæ religionis sanctitate omnino educaretur. Deinde vero facile est agnoscere, in istiusmodi concessionum genere nullum errandi locum exsecutoribus suppetere, nisi ipsi aliqua in re scienter et data opera officio deesse velint. Denique ex hactenus dictis aperte constat, in omnibus casibus, quibus facultates aut dispensationes ab Apostolica Sede petantur pro matrimoniis a catholico viro aut muliere cum hæretica femina aut viro contrahendis, eamdem Apostolicam Sedem, ut supra diximus, hujusmodi matrimonia, nisi hæresis abjuratio præcedat, et semper improbasse ac damnasse, et nunc quoque abominari ac detestari.

Ibid. — His autem veluti fundamentalibus Apostolicæ Sedis regulis, ejusdem agendi ratio constanti usu recepta apprime respondet. Nam quoties ipsam adiri contigit, sive pro obtinenda simplici facultate contrahendi matrimonium inter personas, quarum altera hæresim profitetur, sive præterea pro obtinenda simul dispensatione super aliquo gradu aliove canonico impedimento, quod inter contrahentes intercedet : neque licentia, neque dispensatio conceditur, nisi hac expressa lege seu conditione objecta, nimirum : abjurata prius hæresi. Quin etiam recolendæ memoriæ prædecessor noster Innocentius papa X ulterius progrediens jussit et cavit, ne dispensationes hujusmodi omnino concederentur, nisi per authentica documenta prius doctum esset, hæreticam labem a contrahente heterodoxo ejuratam fuisse : quod testatum reliquit laudatus cardinalis Albitius, congregationis universalis Inquisitionis tunc temporis assessor, in supracitato tractatu *De inconstantia in fide*, cap. 18, num. 44. Præfatus vero prædecessor Clemens XI in congregatione S. Officii coram se habita die 14 Junii anni 1710, mandavit inhiberi per litteras archiepiscopo Mechliniensi, ne ullas omnino licentias aut dispensationes impertiretur pro matrimoniis inter contrahentem catholicum et alterum hæreticum celebrandis, nisi abjuratio hæresis reipsa præcessisset : theologos autem, qui contra hujusmodi praxim opinati fuerant, acriter admonendos decrevit; quemadmodum memoriæ prodidit bonæ memoriæ Vincentius hujus S. R. E. cardinalis Petra nuncupatus, in suo commentario ad constitutionem XII Joannis XXII, ipsius operis, tom. IV, pag. 76, num. 14.

Ibid. — Neque vero necesse habemus ea omnia in medium proferre, quibus luculenter demonstrari posset antiquitas ejus disciplinæ, qua semper Apostolica Sedes catholicorum cum hæreticis conjugia reprobavit. Sed aliqua duntaxat afferre sat erit, quibus ostendamus, eamdem disciplinam ac regulam ad nostra usque tempora constanter servatam, apud nos et Apostolicam Sedem non minus vigere et religiose custodiri. Hoc est, quod de se ipso suisque temporibus testatus est felicis recordationis prædecessor noster Urbanus papa VIII in suis litteris apostolicis datis die 30 mensis Decembris anni 1624, quæ leguntur apud cardinalem Albitum in libro cui titulus : *De inconstantia in fide*, c. 37, n. 127, ubi ita scribit : « Licet probe teneamus catholicorum cum hæreticis matrimonia omnino fugienda esse, et quantum in nobis est a catholica Ecclesia procul arcere intendamus, » etc. Nec minus aperte sententiam suam declaravit piæ memoriæ prædecessor pariter noster Clemens papa XI in litteris die 25 Junii, anni 1706 datis, et editis in collectione ipsius brevium et epistolarum Romæ vulgata anno 1727, ubi pag. 321 sic legitur : « Majoris momenti esse existimamus, Ecclesiæ Dei, Apostolicæ Sedis, prædecessorum nostrorum, et sacrorum canonum, a catholicorum cum hæreticis conjugio abhorrentium, regulas, nisi id totius Christianæ reipublicæ bonum exposcat, non transgredi. » Et in aliis litteris datis die 23 Julii anni 1707 in eadem collectione relatis, p. 391 : « Ecclesia siquidem ab hujusmodi conjugiis, quæ plurimum deformitatis, nec parum spiritualis periculo præ se ferunt, abhorret. » Sed et nostrum hac de re judicium satis patere arbitramur ex decretali rescripto auctoritate nostra edito die 14 Novembris anni 1741, et impresso tomo I bullarii nostri, num. 34, p. 3.

Resp. S. congr. Concilii ad episc. Rosnaviensem die 20 *Augusti* 1780. — Posteriora autem, scilicet catholicorum cum hæreticis quæ Apostolica Sedes, prout ex eodem, quem

Digitized by Google

laudas, felicis recordationis Benedicto XIV plane didiceris, in aliquibus locis, cum ea impedire non valeat, tolerat quidem et ecclesiastica quadam prudentia, commiseratione et mansuetudine, ne majora enascantur mala, dissimulat; et quamvis matrimonia mista coram parocho catholico, absque alio dirimente impedimento celebrata, valida dignoscantur: prudentiam tamen tuam non latet, ab hujusmodi nuptiis velut catholico homine prorsus indignis semper Ecclesiam abhorruisse, nec quidquam intentatum reliquisse, quo fideles suos ab eis ineundis omni ope deterreret, propterea que si quibusdam in regionibus propter locorum et temporum difficultatem ea tolerari contingat, id quidem ad referendum est æquanimitatem, quæ nullo pacto approbationis vel consensus cujuspiam loco habenda sit, sed meræ patientiæ, quam ad graviora vitanda mala offert necessitas, non voluntas.

Resp. S. Congr. Concilii ad episc. Rosnav. 20 *Aug.* 1780. — Quæris insuper! Possitne parochus catholicus ejusmodi matrimoniis illis scilicet, quæ ab hæreticis inter se contrahuntur, aut assistere, aut saltem, ut coram ministro (nempe hæretico) contrahantur, assensum suum præbere? Quoad assistentiam porro jam teneas, omnino non licere. De consensu autem nonnulla supersunt exquirenda, de quibus plenior a te relatio desideratur....

Rescript. Pii VI ad cardinalem archiepisc. Melchliniensem episcoposque Belgii die 13 *Julii an.* 1782, *de matrimoniis mistis.* — Ante omnia quidem manifestare tibi debemus, quantam hæc pastoralis tui zeli, uti et confratrum tuorum episcoporum nova argumenta, necnon constans eorum in adhærendo regulis doctrinæ Ecclesiæ studium nobis afferant ædificationem, et quantum quoque premant animum nostrum iteratæ, quibus ipsos cernimus involutos, angustiæ. Attamen non ideo recedendum nobis est ab uniformi prædecessorum nostrorum sententia et ab ecclesiastica disciplina, quæ non probant matrimonia inter partes utrinque hæreticas vel inter catholicam unam et hæreticam alteram, idque multo minus casu, quo dispensatione in aliquo gradu opus sit.... Ab hoc systemate, quod fundatur in periculo perversionis partis catholicæ... nescimus nos recedere, quoniam non debemus. Quamvis tamen nequaquam velimus tibi et coepiscopis tuis vel in minimo adaugere angustias, neque criticas istas sequelas, quas credunt merito a se timeri, super illos attrahere; et ideo quantum ad id, quod punctum spectat simplicis permissionis seu veniæ dandæ, dicemus idem, quod in responsoriis suis de 12 Sept. 1750 episcopo Wratislaviensi dixit prænominatus Benedictus XIV scilicet: « Non posse se positivo actu approbare, ut dispensationes concedantur inter hæreticos, vel ipsos inter et catholicos, sed tamen se posse hoc dissimulare....» Additque: « Scientia hæc nostra et tolerantia sufficere debet ad tuam assecurandam conscientiam, quandoquidem in materia, de qua agitur, non occurrat oppositio cum jure divino aut naturali, sed tantummodo cum jure ecclesiastico. Quod autem nunc facimus, attestamur tibi ad pedes crucifixi, id unice nos facere, ut sanctæ religioni nostræ majora damna evitentur... » Ac demum concludendo monet, eum teneri omni modo ad laborandum ne malum hoc dilatetur... Ex verbis epistolæ Benedicti XIV supracitatis intellexeris certe, sermonem esse de dispensationibus, quæ locum habent non minus, dum agitur de matrimoniis simplicibus inter partem catholicam et hæreticam, quam de gradibus parentelæ, in quibus sibi invicem conjuncti forent contrahentes. Et reipsa casus ille, de quo pontifex an. 1750 interloquebatur cum episcopo Wratislaviensi, concernebat dispensationes in gradibus, circa quos mentem suam, prout retulimus, exposuit in terminis meræ tolerantiæ, ex iis, quæ prævie sibi nota erant, consequentis. Sed hoc ipsum est, quod nos facere non possumus, quoniam in hypothesi tunc existente praxis dispensandi in gradibus pro matrimoniis mistis inveterata erat in isto loco; cui se opponit regula, in aliis casibus magis recentibus per prædecessores nostros et per nos ipsos adoptata; scilicet cum dispensatio gratia sit, reservatur hæc fidelibus sub Ecclesiæ obedientia viventibus; unde ad hæreticos non debet extendi, qui non agnoscendo ejusdem auctoritatem per hoc se reddunt similis indulgentiæ indignos; vel ad summum poterit dispensatio in gradibus ab episcopis concedi, in aliquo particulari casu, qui non sit strictior illis, qui in formula comprehenduntur, et in quo concurrat causa urgens et publica, non autem privatum aliquod commodum vel effrenis animi contrahentium impetus.

Ibid. — Primo, ut non assistat tali matrimonio in loco sacro, nec aliqua veste ritum sacrum præferente indutus, neque recitabit super contrahentes preces aliquas ecclesiasticas et nullo modo ipsis benedicet.

Ibid.—Transeundo nunc ad aliud punctum de imperata parochorum assistentia in matrimoniis mistis, dicimus, quod si præmissa supra nominata admonitione ad avocandam partem catholicam ab illicito matrimonio, ipsa nihilominus in voluntate illud contrahendi persistat, et matrimonium infallibiliter secuturum prævideatur, poterit tunc parochus catholicus materialem suam exhibere præsentiam, sic tamen, ut sequentes observare teneatur cautelas.

Ibid. — Quarto, quod attinet proclamationes, decreto Cæsareo imperatas, quas episcopi reprehendunt actus esse civiles potius quam sacros, respondemus! cum præordinatæ illæ sint ad futuram celebrationem matrimonii et ex consequenti positivam eidem cooperationem contineant, quod utique excedit simplicis tolerantiæ limites, non posse nos, ut hæ fiant, annuere...

Ibid. — Quoad primum articulum bannorum sive proclamationum tolerari poterit, ut hæ fiant, non solum extra ecclesiam, uti permittitur in præfatis litteris regiis, sed etiam omnimodo extra locum sacrum. Idque

Digitized by Google

erit primum publicum signum improbationis horum matrimoniorum; sed ut ipsa improbatio manifestior evadat, indicetque ex parte parochi suam cooperationem fore concursum pure materialem et coactum, præstat addere consuetæ formulæ bannorum aliquam expressionem indicantem hujus generis matrimonia esse exsecranda.

Extensio declarationis Benedicti XIV ad ducatum Cliviensem 19 *Jun.* 1793 *per decretum S. Congr. concilii cum instructione.* — Catholicum præ omnibus vel catholicam parochi moneant, quod contrahendo matrimonium cum acatholico valide quidem contrahant sed illicite. Atque hinc consequitur, nullo actu positivo ipsos posse isthæc matrimonia probare aut suo expresso consensu et auctoritate confirmare. Quapropter, si cogantur in hac temporum conditione et propter leges in transactione religionis a. 1673 præscriptas, matrimoniis catholicorum cum muliere acatholica assistere, satagant, ut se mere passive habeant atque tanquam inviti audiant duntaxat utriusque consensum: verumtamen abstineant omnino a precibus recitandis, a benedictione impertienda atque ab omni alio Ecclesiæ ritu adhibendo. Caveant insuper, ne in publicandis matrimoniis mistis religionem exprimant contrahentis acatholici, sed contrahentium tantum enuntient nomina et cognomina. Abstineant rursus a concedendis dimissoriis, ubi secundum canones Ecclesiæ catholicæ canonicum aliquod impedimentum sit inter contrahentes. In dimissoriis omittant verba *mea pace*, quæ consensum præ se ferre videntur in illicitum matrimonium.

Breve Pii VII ad Carolum de Dalberg archiepisc. Maguntinum die 8 *Oct.* 1803.—Alterum vero est, sententiam laicorum tribunalium et acatholicorum conventuum, a quibus præsertim matrimoniorum nullitas declaratur eorumque vinculi attentatur dissolutio, nullum robur vimque prorsus nullam penes Ecclesiam consequi posse.... Tu ipse ea, qua præstas, sapientia vides, ven. frater, gravissimum commissuros scelus suumque sacrum ministerium prodituros esse eos parochos qui has nuptias sua præsentia probarent suaque benedictione firmarent. Neque enim illæ nuptiæ dicendæ sunt, sed potius adulterina connubia...

Ibid. — Restat nunc declarandum, an ii conjuges catholicæ religionis cultores, qui sola acatholici consistorii auctoritate excusso prioris matrimonii vinculo ad secundas nuptias coram ministro acatholico properaverint, deinde admissi sceleris pœnitentes veniam humiliter petant, possint ad sacramentorum participationem admitti? Sed nulla in hac re potest esse dubitatio, siquidem veros pœnitentiæ fructus faciant, quorum primum illum esse oportet, ut a secundo conjuge separentur, si prior vivat adhuc, etc.

Ibid.—Atque horum primum est, catholicorum cum hæreticis connubia Ecclesiam catholicam tanquam illicita, perniciosa et detestabilia perpetuo interdixisse et reprobasse... Et licet in quibusdam regionibus propter locorum et temporum difficultates eadem connubia tolerari contingat, id quidem ad eam referendum est æquanimitatem, quæ nulla ratione approbationis et consensus cujuspiam loco habenda sit, sed meræ patientiæ, quam ad majora vitanda mala affert necessitas non voluntas...

Pii VII Breve ad episcop. Galliarum, circa dispensationes matrimoniales die 17 *Febr.* 1809. — Sed et aliqui ex vobis supplicarunt nobis, ut potestatem iis faceremus impertiendi dispensationes seu licentias contrahendi inter personas, quarum altera catholicam fidem, altera hæresim profitetur... Apostolica Sedes ægre admodum multaque cum cautione ad præfatum periculum quoad fieri posset removendum, nec nisi gravi aliqua intercedente causa eaque, fere publica, licentiam hanc consuevit impertiri. Episcopis vero, licet instantissime postulantibus, eamdem licentiam dare, in Europa præsertim, nunquam concessit... Quare, si a nobis petitioni huic respondendum nunc esset, responsum certe nostrum a constanti hujus sanctæ Sedis regula et prædecessorum nostrorum exemplo agendique ratione dissidere non posset. At quoniam plures hac super re rationes in præsenti Galliarum statu partim a nonnullis ex vobis expositæ nobis fuerunt, partim ipsæ menti nostræ occurrunt, eas quidem minime negligendas duximus. Quo circa rem omnem, præpositis rerum ac temporum circumstantiis, ad accuratum diligensque examen revocari jussimus, ut de ea plurium theologorum et S. R. C. cardinalium auditis exploratisque sententiis, quod magis in Domino expedire judicabimus, decernere possimus, quod et significare quamprimum vobis non prætermittemus.

Pii VIII Breve 25 *Mart.* 1830 *ad episcopos Rhenanos de matrimoniis mistis, occasione legis regiæ an.* 1825 *latæ.* — Ignotum vobis non est, Ecclesiam ipsam a connubiis hujusmodi, quæ (catholicorum cum hæreticis) non parum deformitatis et spiritualis periculi præ se ferunt, abhorrere: atque idcirco Apostolicam hanc Sedem summo semper constantique studio curasse, ut canonicæ leges matrimonia eadem prohibentes religiose custodirentur. Quod si Romani pontifices a sanctissimo illo canonum interdicto nonnunquam dispensasse inveniantur, id profecto graves ob causas et ægre admodum fecerunt, suisque dispensationibus adjicere consueverunt conditionem expressam de præmittendis matrimonio opportunis cautionibus, non modo ut conjux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed etiam ut proles utriusque sexus ex eodem matrimonio procreanda in catholicæ religionis sanctitate omnino educaretur. Nostis autem, venerabiles fratres, ipsas omnes cautiones eo spectare, ut hac in re naturales divinæque leges sartæctæ habeantur: quando quidem exploratum est, catholicas personas, seu viros

Digitized by Google

seu mulieres, quæ nuptias cum acatholicis ita contrahunt, ut se aut futuram sobolem periculo perversionis temere committant, non modo canonicas violare sanctiones, sed directe etiam gravissimeque in naturalem ac divinam legem peccare. Atque exinde jam intelligitis, nos quoque gravissimi coram Deo et Ecclesia criminis reos fore si circa nuptias hujusmodi istis in regionibus contrahendas, illa a vobis aut a parochis vestrarum diœcesium fieri assentiremur, per quæ, si non verbis, factis tamen ipsis indiscriminatim approbarentur. Quare nos summopere commendantes zelum illum vestrum, quo catholicos hactenus adlaborastis, enixe in Domino exhortamur, ut posthac pariter in idipsum sedulo incumbatis in omni patientia et doctrina, horum deinde laborum copiosam in cœlis mercedem accepturi. Juxta hæc igitur, quoties præsertim catholica aliqua mulier vero acatholico nubere velit, diligenter ab episcopo seu a parocho edocenda erit, quænam circa hujusmodi nuptias canonum sententia sit, serioque admonenda de gravi scelere, quo apud Deum rea fiet, si eos violare præsumat, et maxime opportunum erit eamdem adhortari, ut meminerit firmissimum illud nostræ religionis dogma, quod *extra veram catholicam fidem nemo salvus esse potest;* proindeque agnoscat se in filios, quos a Deo exspectat, jam nunc crudelissime acturam, si tales contraxerit nuptias, in quibus sciat illorum educationem in viri acatholici arbitrio futuram. Quæ quidem salubria monita erunt etiam, prout prudentia suggesserit, iteranda eo præsertim tempore, quo nuptiarum dies instare videatur, dumque consuetis proclamationibus disquiritur, utrum alia sint, quæ illis obstent, impedimenta canonica.

Breve Pii VIII 25 *Mart. ad episcopos Rhenanos, de matrimoniis mistis*, etc. — Quod si nonnullis in casibus paterna hujusmodi sacrorum pastorum studia in irritum cadere contingat; tunc sane abstinendum erit a catholica eadem persona censuris in illam nominatim expressis corripienda, ne tumultus aliquis excitetur, et graviora rei catholicæ mala obveniant. Sed alia ex parte abstinere etiam catholicus pastor debebit non solum nuptiis, quæ deinde fiant, sacro quocunque ritu honestandis, sed etiam a quovis actu, quo approbare illas videatur. Quam circa rem illud solummodo in nonnullis locis toleratum est, ut parochi, qui ad graviora rei catholicæ incommoda avertenda præsentiam suam contrahendis his nuptiis præstare cogebantur, paterentur quidem ex ipsis præsentibus confici, (si scilicet nullum aliud obstaret, canonicum impedimentum), ut, audito utriusque partis consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referrent, sed caverent semper ab illicitis hujusmodi matrimoniis ullo suo actu approbandis; multoqu magis a sacris precibus et ab ecclesiastico quovis ritu eisdem admiscendo.

Gregorii XVI Breve ad episcopos Bavariæ de matrimoniis mistis 27 *Maii* 1832. — Summo jugiter studio advigilavit Apostolica Sedes, ut Ecclesiæ canones, qui nuptias catholicorum cum hæreticis severe prohibent, religiose custodirentur. Et quamvis ad graviora evitanda scandala quandoque in aliquibus locis necesse fuerit, illicita hujusmodi matrimonia tolerare, non tamen prætermiserunt Romani Pontifices, omni, qua possent, ratione providere, ut tunc etiam iis in locis fidelis populus edoceretur, quantum deformitatis et spiritualis periculi nuptiæ illæ præ se ferant, quantique propterea sceleris reus sit catholicus vir aut mulier, qui canonicas ea de re sanctiones violare præsumpserit.

Ibid. — Itaque nos, qui licet immerentes supremam Petri cathedram, Deo ita disponente, tenemus, præ oculis habentes rationem illam a prædecessoribus nostris sanctissime initam, non potuimus, venerabiles fratres, non contristari vehementer ob allatos e vestris diœcesibus (uti ex aliis diversis locis) plures certosque nuntios, ex quibus intelleximus, inveniri isthic nonnullos, qui apud populum curis vestris concreditum fovere omni spe nituntur omnimodam mistarum nuptiarum libertatem, atque ad eam facilius promovendam opiniones disseminant catholicæ veritati contrarias. Scilicet ipsi, ut accepimus, affirmare audent, catholicos posse libere ac licite matrimonia cum heterodoxis contrahere, non modo non impetrata Ecclesiæ dispensatione (quæ juxta notas regulas in singulis casibus ab hac Apostolica Sede imploranda est) : sed prætermissis etiam debitis, quas supra memoravimus, cautelis, illa præsertim, quæ est de prole universa catholice educanda; quinimo eo res devenit, ut iidem mista illa connubia tunc etiam probanda esse contendant, cum hæretica pars habeat priorem alium conjugem adhuc viventem, a quo divortio discesserit; ad hæc et graves pœnarum minas adhiberi curarunt, quibus inducantur animarum pastores, ut mistas nuptias in Ecclesia coram catholico populo proclament et postea assistant actui, quo illæ contrahantur, vel saltem contracturis dimissoriales, quemadmodum appellant, litteras concedant : denique nec desunt ex ipsorum illorum numero, qui sibi aliisque persuadere conantur, non in catholica solum religione salvari hominem, sed eos quoque, qui hæretici sint atque in hæresi moriantur, ad æternam vitam posse pertingere...

Ibid. — Quæ quidem catholicæ unitatis tenendæ necessitas, ubi fuerit impressa in cunctis Bavarorum fidelium animis alteque defixa, haud facile deinceps irrita erunt monita atque adhortationes, quibus ipsos avertere conabimini a nuptiarum fœdere cum hæreticis conjungendo; aut si aliqua interdum gravis causa interveniat, quæ mistas hujusmodi nuptias suadere videatur, ut illas non aliter contrahant, nisi impetrata Ecclesiæ dispensatione et conditionibus, quæ ut supra diximus, præscribi ab illa solent, religiose servatis. Vestrum sci-

Digitized by Google

licet officium est, ut fideles mista illa connubia inire cupientes (uti et eorum genitores, aliive sub quorum cura sunt) edoceantur sedulo, quænam circa eam rem canonum sententia sit, graviterque moneantur, ne eos in perniciem animarum suarum perfringere audeant. Quare si res ita postulet, revocare in illorum memoriam oportebit notissimum illud naturalis divinæque legis præceptum, quo non peccata solum, sed pericula etiam ad peccatum proxime inducentia vitare jubemur, uti et præceptum aliud ejusdem legis, quo parentibus injungitur, filios educare in disciplina et correptione Domini ideoque et erudire ipsos ad verum Dei cultum, qui unice in catholica religione est. Hinc adhortabimini fideles illos, ut serio perpendant, quantam supremo numini injuriam faciant et quam crudeliter erga se futurosque sibi liberos acturi sint, ubi nuptiis mistis temere contrahendis se filiosque ipsos perversionis periculo committant. Atque ut gravitas periculi ejusmodi luculentius appareat, commemorabimini iisdem saluberrima illa apostolorum, patrum canonumque monita, quæ sunt de periculosa cum hæreticis familiari conversatione evitanda. At vero si nonnunquam contigerit, quod Deus avertat, ut monita et adhortationes hujusmodi in irritum cadant et catholicus aliquis vir mulierve recedere nolit a perverso suo consilio ineundi mistas nuptias non petita, seu non impetrata Ecclesiæ dispensatione, vel debitis cautionibus seu earum aliqua prætermissa, tunc sane sacri pastoris officium erit, abstinere non solum a matrimonio ipso sua præsentia honestando, sed etiam a præmittendis eidem proclamationibus atque a dimissorialibus litteris concedendis. Vestrum autem est, venerabiles fratres, admonere parochos ac rite ab iisdem exigere, ut ab omni hujusmodi actu se abstineant. Enimvero animarum curator, qui se aliter gereret, in præsentibus præsertim Bavariæ adjunctis, approbare quodammodo illicitas illas nuptias facto suo videretur, et illarum libertatem animarum saluti, imo et fidei causæ perniciosam sua ipse opera foveret.

Gregorii XVI Breve ad episcopos bavariæ de matrimoniis mistis, 27 *Maii* 1832. — Post hæc vix est, ut aliqua addamus de aliis illis longe gravissimis casibus matrimonii inter catholicos et hæreticos contrahendi in quibus pars acatholica habeat viventem adhuc priorem conjugem, a quo divortio sejuncta fuerit, nostis, venerabiles fratres, quanta ex divino jure sit firmitas matrimonialis vinculi, quod separari humana auctoritate non potest. Quare matrimonium mistum in hujusmodi casibus non modo illicite fieret, sed nullum prorsus atque adulterinum foret; præterquam si priores illæ nuptiæ, quas hæretica pars divortio dissolutas esse autumas, irritæ omnino fuissent, propter aliquod, quod illis vere obstiterit, canonicum dirimens impedimentum. Porro in postremo hoc casu non solum servanda erunt ea omnia, quæ supra dicta sunt, sed cavendum insuper, ut novum ipsum matrimonium non permittatur, nisi postquam causa primi connubii ab hæretica parte jam antea cognita fuerit ecclesiastico judicio ad canonum normam exacto, quo connubium idem fuerit irritum declaratum.

Instructio ad episcop. Bavariæ 12 *Sept.* 1834 *directa, sive uberior expositio præcedentium litterarum apostolicarum.* — Post hæc sanctissimus Dominus noster archiepiscopis et episcopis Bavarici regni significandum præcepit, litteras dici 27 Martii 1832 non ita esse intelligendas, quasi nempe eam omnino excludant tolerantiæ rationem prudentiæque œconomiam, qua Apostolica Sedes ea mala patienter dissimulare consuevit, quæ vel impediri prorsus nequeant, vel si impediantur, gravioribus etiam incommodis facile aditum possent patefacere. Siquidem igitur ex temporum, locorum ac personarum conditione matrimonium acatholici viri cum catholica muliere et vicissim absque majoris mali scandalique periculo in religionis perniciem interverti nullo modo possit: tunc sane ad majora damna et scandala præcavenda abstinendum erit a catholico conjuge censuris in illum nominatim expressis corrigendo, imo vero tolerandum, ut a parocho catholico tum consuetæ proclamationes fiant, omni tamen prætermissa mentione religionis illorum, qui nuptias sunt contracturi; tum etiam de factis proclamationibus litteræ mere testimoniales concedantur, in quibus, si nullum adsit dirimens impedimentum, unice enuntietur, nil præter vetitum Ecclesiæ ob impedimentum mistæ religionis matrimonio conciliando obstare, nullo addito verbo, ex quo consensus seu approbationis vel levis suscipio sit oritura. Quod si in ecclesiæ utilitatem et commune animarum bonum cedere posse dignoscatur, hujuscemodi nuptias quantumlibet illicitas et vetitas, coram parocho catholico potius quam coram ministro hæretico, ad quem partes facile confugere possent, celebrari tunc ipse parochus catholicus, aliusve sacerdos ejus vices agens poterit iisdem nuptiis materiali tantum præsentia, omni excluso ecclesiastico ritu, adesse, perinde ac si partes ageret meri testis vulgo qualificati, seu auctorizabilis, ita scilicet, ut utriusque conjugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat.

Ibid. — Emanarunt etiam ab eodem fel. Rev. Pontifice epistolæ ad primatem et episcopos Hungariæ de matrimoniis mistis die 30 Apr. 1841; et instructio ad eosdem eodem die emissa. Quarum præscripta eadem sunt ac in litteris et instructione ad Hungaros addatur, mista matrimonia in Hungaria et Transilvania coram ministello hæretico contracta, quamvis illicita, tamen in illis partibus inspectis peculiaribus circumstantiis, pro validis habenda esse, « nisi tamen canonicum aliunde officiat dirimens impedimentum, seu in nuptiarum celebratione oppositæ fuerint conditiones substan-

Digitized by Google

tiæ matrimonii ex catholica doctrina repugnantes.»Quoad hæc ultima verba nota, calvinistas in Transilvania matrimonia contrahere sub conditione « quoadusque in sua honestate et puritate permanserit. » Ejusmodi matrimonium cum expressa illa conditione nullum esse, responsum est episcopis Transilvanis die 20 Maii 1754. S. Off. ad dubium episcopi Bosnensis. « an sit validum matrimonium contractum inter catholicam et schismaticum hæreticum cum intentione fœdandi vel solvendi matrimonium » die 2 Octobr. 1680 respondit: « Si ista sint deducta in pactum, seu cum ista conditione sint contracta matrimonia, sunt nulla : sin aliter, sunt valida. » Eadem congregatio decisione solemni die 1 Aug. 1748 duo matrimonia in Transilvania inter calvinistas contracta sub conditione « quandiu permanseris in honestate conjugali vel si fidem thori servaveris, » nulla prorsus esse declaravit.

Propos. damnatæ ab Alexandro VII, die 18 *Martii* 1666. — Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo « regalo, » dum, deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, et aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.

Propos. 85 *synodi diœcesanæ Pistoriensis, damnatæ a Pio VII per constitutionem* Auctorem fidei, 28 *Aug.* 1794. *De sponsalibus et matrimonio.* — Propositio, quæ statuit sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum præscripto omnino subjacere; quasi actus disponens ad sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiæ; falsa, juris Ecclesiæ quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicorum profluentes læsiva, disciplinæ ab Ecclesia constitutæ derogans.

SACRAMENTALIA

[Ex SS. Patribus.]

Vid. verb. Ritus, Religio, Eucharistia.

[Ex conciliis.]

Sacramentalia in genere.

Professio fidei præscripta Waldensibus ad Ecclesiam reducibus ab Innocentio III. — Sacramenta quoque, quæ in Ecclesia celebrantur, inæstimabili atque invisibili virtute Spiritus sancti cooperante, licet a peccatore sacerdote ministrentur, dum Ecclesia cum recipit, in nullo reprobamus, nec ecclesiasticis officiis vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, sed benevolo animo tanquam a justissimo amplectimur, quia non nocet malitia episcopi vel presbyteri neque ad baptismum infantis, neque ad Eucharistiam conferendam, vel ad cætera ecclesiastica officia subditis celebrata.

Decreta dogmatica concilii Tridentini. — *Decretum de sacramentis. De sacramentis in genere.* — Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos; aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.

De Baptismate.

Decreta Martini et conc Constantiensis. — *Articulis* 39, *de quibus errorum Wikleff et Huss suspecti, ex mandato Martini papæ V in Bulla* Inter cunctas *interrogandi sunt.* — Item, utrum credat, quod deliberato animo contemnens ritum Ecclesiæ cæremonias exorcismi et catechismi, aquæ baptismalis consecratæ peccet mortaliter.

De Eucharistia.

Conc. Florentini decreta. — *Decretum pro Armenis in bulla Eugenii IV* Exsultate Deo. — Tertium est eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus, et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideo admiscetur, quoniam juxta testimonia sanctorum Patrum ac doctorum Ecclesiæ pridem in disputatione exhibita, creditur ipsum Dominum in vino aqua permisto hoc instituisse sacramentum. Deinde, quia hoc convenit Dominicæ passionis repræsentationi. Inquit enim beatus Alexander Papa quintus a beato Petro «: In sacramentorum oblationibus, quæ intra missarum solemnia Domino offeruntur, panis tantum et vinum aqua permistum in sacrificium offerantur. Non enim debet in calicem Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permistum : quia utrumque, id est, sanguis et aqua, ex latere Christi profluxisse legitur. » Tum etiam, quod convenit ad significandum hujus sacramenti effectum, qui est unio populi Christiani ad Christum. Aqua enim populum significat, secundum illud Apocalypsis : *Aquæ multæ, populi multi.* (*Apoc.* xvii, 1.) Et Julius papa secundus post beatum Sylvestrum, ait : « Calix Dominicus juxta canonum præceptum, vino et aqua permistus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi, Ergo cum in calice vinum et aqua miscetur, Christo populus adunatur, et fidelium plebs ei, in quem credit, copulatur et jungitur. » Cum ergo tam sancta Romana Ecclesia a beatissimis apostolis Petro et Paulo edocta, quam reliquæ omnes Latinorum Græcorumque Ecclesiæ, in quibus omnis sanctitatis et doctrinæ lumina claruerunt, ab initio nascentis Ecclesiæ sic servaverint, et modo servent, inconveniens admodum videtur, ut alia quæris regio ab hac universali et rationabili discrepet observantia. Decernimus igitur, ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe Christiano conforment : eorumque sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ, prout dictum est, admisceant vino. Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit sacramentum : sacerdos enim in persona

Digitized by Google

Christi loquens, hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute, substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur : ita tamen, quod totus Christus continetur sub specie panis et totus sub specie vini. Sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ et vini consecrati, separatione facta, totus est Christus. Hujus sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur et membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus et potus, quod vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem; in quo, ut inquit Urbanus papa, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementum.

Decreta dogmatica concilii Tridentini. — Doctrina de communione sub utraque specie et parvulorum.— Cap. 2, *Ecclesiæ potestas circa dispensationem sacramenti Eucharistiæ.* — Præterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel maturet, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret. Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (*I Cor.* IV, 1); atque ipsum quidem hac potestate usum est, satis constat, cum in multis aliis, tum in hoc ipso sacramento, cum ordinatis nonnullis circa ejus usum : Cætera, inquit, cum venero, disponam. Quare agnoscens sancta mater Ecclesia hanc suam in administratione sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianæ religionis non infrequens utriusque speciei unus fuisset, tamen progressu temporis latissime jam immutata illa consuetudine, gravibus et justis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, et pro lege habendam decrevit : quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare non licet.

De Pœnitentia.

Decreta dogm. conc. Tridentini.— Doctrina de sanctissimis pœnitentiæ et extremæ unctionis sacramentis. — Cap. 3. *De partibus et fructu hujus sacramenti.*— Docet præterea sancta synodus sacramenti pœnitentiæ, formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse : *Ego te absolvo*, etc. Quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur : ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariæ. Sunt autem quasi materia hujus sacramenti, ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur. Sane vero res et effectus hujus sacramenti, quantum ad ejus vim et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis et cum devotione hoc sacramentum percipientibus, conscientiæ pax ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet. Hæc de partibus et effectu hujus sacramenti sancta synodus tradens, simul eorum sententias damnat, qui pœnitentiæ partes, incussos conscientiæ terrores et fidem esse contendunt.

De Ordine.

Professio fidei præscripta Waldensibus ad Ecclesiam reducibus ab Innocentio III. — Prædicationem necessariam valde et laudabilem esse credimus, tamen ex auctoritate vel licentia summi Pontificis vel prælatorum permissione illam credimus exercendam. In omnibus vero locis, ubi manifeste hæretici manent, et Deum et fidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ abdicant et blasphemant, credimus, quod disputando et exhortando modis omnibus secundum Deum debeamus illos confundere et eis verbo Dominico, veluti Christi et Ecclesiæ adversariis, fronte usque ad mortem libera contraire ordines vero ecclesiasticos et omne, quod in sancta Romana Ecclesia sancitum legitur aut canitur, humiliter collaudamus et fideliter veneramur.

Decreta Martini V et concilii Constantiensis. — Confirmatio juvenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio reservantur Papæ et episcopis propter cupiditatem lucri temporalis et honoris.

Decreta dogmatica concilii Tridentini. — De sacramento ordinis. — Si quis dixerit sacram unctionem, qua Ecclesia in sancta ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam, et perniciosam esse; similiter et alias ordinis cæremonias, anathema sit.

De Matrimonio.

Decreta dogmatica concilii Tridentini.— De sacramento matrimonii. — Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones, et alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit; anathema sit.

Digitized by Google

SACRIFICIUM NOVÆ LEGIS

[Ex SS. Patribus.]

Vid. verb. : EUCHARISTIÆ SACRIFICIUM, MISSA.

[Ex conciliis.]

Professio fidei præscripta Waldensibus ad Ecclesiam reducibus ab Innocentio III.— Sacramenta quoque, quæ in ea celebrantur, inæstimabili atque invisibili virtute Spiritus sancti cooperante, licet a peccatore sacerdote ministrentur, dum Ecclesia eum recipit, in nullo reprobamus, nec ecclesiasticis officiis vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, sed benevolo animo tanquam a justissimo amplectimur, quia non nocet malitia episcopi vel presbyteri neque ad baptismum infantis, neque ad eucharistiam conferendam, vel ad cætera ecclesiastica officia subditis celebrata. Approbamus ergo baptismum, etc., etc... In sacrificio eucharistiæ, quæ ante consecrationem erant panis et vinum, post consecrationem esse verum corpus et verum sanguinem Domini nostri Jesu Christi firmiter et indubitanter corde puro credimus et simpliciter verbis fidelibus affirmamus, in quo nihil a bono majus vel a malo minus perfici credimus sacerdote; quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris et in virtute Spiritus sancti. Unde firmiter credimus et confitemur, quod quantumcunque quilibet honestus, religiosus sanctus, et prudens sit, non potest vel debet eucharistiam consecrare vel altaris sacrificium conficere, nisi sit presbyter, a visibili, tangibili episcopo regulariter ordinatus. Ad quod officium tria sunt, ut credimus, necessaria : scilicet certa persona, id est, presbyter ab episcopo, ut prædicimus, ad illud proprie officium constitutus, et illa solemnia verba, quæ a sanctis Patribus in canone sunt expressa, et fidelis intentio proferentis ; ideo firmiter credimus et fatemur, quod quicunque sine præcedenti ordinatione episcopali, ut prædiximus, credit et contendit, se posse sacrificium eucharistiæ facere, hæreticus et perditionis Core et suorum complicum est particeps atque consors, et ab omni sancta Romana Ecclesia segregandus.

Conc. Lateranensis IV, *an.* 1215, *decreta.*— Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. In qua idem ipse sacerdos est sacrificium, Jesus Christus : cujus corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem potestate divina : ut ad perficiendum mysterium unitatis, accipiamus ipsi a suo, quod accepit ipse de nostro. Et hoc utique sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus, secundum claves Ecclesiæ, quas ipse concessit apostolis, eorumque successoribus Jesus Christus. Sacramentum vero baptismi (quod ad Dei invocationem et individuæ Trinitatis, videlicet Patris, et Filii, et Spiritus sancti, consecratur in aqua) tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesiæ a quocunque rite collatum proficit ad salutem. Et si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari. Non solum autem virgines et continentes, verum etiam conjugati, per rectam fidem et operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire.

Confessio Michaelis Paleologi, ipsi a Clemente IV, an.* 1267, *proposita, et ab ipso in concilio œcumenico Lugdunensi* II *Gregorio X oblata. — Hæc est vera fides catholica, et hanc in supradictis articulis tenet et prædicat sacrosancta Romana Ecclesia. Sed propter diversos errores, a quibusdam ex ignorantia, et ab aliis ex malitia introductos, dicit et prædicat eos qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram pœnitentiam suorum consequi veniam peccatorum. Quod si vere pœnitentes in charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et omissis : eorum animas pœnis purgatoriis, seu catharteriis, sicut nobis frater Joannes explanavit, post mortem purgari : et ad pœnas hujusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, et eleemosynas, et alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta.

Conc. Florentini decreta.—Decretum unionis Græcorum, in bulla Eugenii IV Lætantur cœli. — Si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari : et ut a pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, et eleemosynas, et alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta.

Decreta dogmatica concilii Tridentini.— Decretum de sacrificio missæ. De institutione sacrosancti missæ sacrificii. — Quoniam sub priori Testamento, teste apostolo Paulo, propter Levitici sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat; oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes quotquot sanctificandi essent, consummare, et ad perfectum adducere. Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur : quia tamen per mortem sacerdotium ejus exstinguendum non erat in cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum na-

Digitized by Google

tura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis apostolis, quæ tunc novi Testamenti sacerdotes constituebant, ut sumerent, tradidit; et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcipit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem* (*I Cor.* XI, 24), uti semper Catholica Ecclesia intellexit, et docuit; nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, eripuitque de potestate tenebrarum, et in regnum suum transtulit. Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest: quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit; et quam non obscure innuit apostolus Paulus, Corinthiis scribens, cum dicit, non posse eos, qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri: per mensam altare utrobique intelligens. Hæc denique illa est, quæ per varias sacrificiorum, naturæ et legis tempore similitudines figurabatur; utpote quæ bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur.

Decreta dogmatica concilii Tridentini. — *Cap.* 2. *Sacrificium visibile esse propropitiatorium pro vivis et defunctis.* — Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit, docet sancta synodus sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata, etiam ingentia dimittit. Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis cruentæ, inquam, fructus per hanc uberrime percipiuntur: tantum abest, ut illi, per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite, juxta apostolorum traditionem, offertur.

Ibid. — *Cap.* 3. *De missis in honorem sanctorum.* — Et quamvis in honorem et memoriam sanctorum nonnullas interdum missas Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit: unde nec sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium, Petre vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat; ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.

Ibid. — *Cap.* 6. *De missa, in qua solus sacerdos communicat.* — Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiore, in missa pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

Ibid. — Optaret quidem sacrosancta synodus, ut in singulis missis fideles astantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiæ perceptione communicarent: quod eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat, siquidem illæ quoque missæ vere communes censeri debent; partim vero, quod a publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrantur.

Ibid. — *Cap.* 8. *De missa vulgari lingua passim non celebranda, et mysteriis ejus populo explicandis.*

Etsi missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem retento ubique cujusque Ecclesiæ antiquo, et a sancta Romana Ecclesiarum matre et magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, et non sit, qui frangat eis, mandat sancta synodus pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter missarum celebrationem vel per se, vel per alios ex iis, quæ in missa leguntur, aliquid exponant; atque inter cætera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis et festis.

Canones conc. Trident. de sacrificio missæ. — 1. Si quis dixerit in missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit.

2. Si quis dixerit, illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, Christum non instituisse apostolos sacerdotes; aut non

Digitized by Google

ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum; anathema sit.

3. Si quis dixerit, missæ sacrificium tantum esse laudis, et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis; pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.

4. Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio, in cruce peracto, per missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema sit.

5. Si quis dixerit, imposturam esse, missas celebrare in honorem sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit.

8. Si quis dixerit, missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas; anathema sit.

9. Si quis dixerit Ecclesiæ Romanæ ritum quo submissa voce pars canonis, et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari missam celebrari debere: aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem; anathema sit.

Professio fidei Græcis præscripta a Gregorio XIII, per constitutionem 51 : Sanctissimus Dominus noster. — Insuper profiteor ac recipio alia omnia, quæ ex decretis sacræ œcumenicæ generalis synodi Tridentinæ, sacrosancta Romana et Apostolica Ecclesia, etiam ultra contenta in supradictis fidei symbolis, profitenda ac recipienda proposuit atque præscripsit, ut sequitur. (Apostolicas et cætera omnia ut in fidei professione Tridentina.)

Professio fidei Orientalibus præscripta ab Urbano VIII et Benedicto XIV, per constitutionem 79 : Nuper ad nos.— Pariter veneror, et suscipio Tridentinam synodum, et profiteor, quæ in ea definita et declarata sunt, et præsertim offerri Deo in missa verum, proprium et propitiatorium sacrificium, pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo eucharistiæ sacramento, juxta fidem, quæ semper in Ecclesia Dei fuit, contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus et totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat et sub unaquaque specie, et singulis cujusque speciei partibus separatione facta, totum Christum contineri.

Propos. Michaelis Baii damnatæ a Pio V, an. 1560. — Sacrificium missæ non alia ratione est sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit ut sancta societate Deo homo inhæreat.

Propos. 101 *Paschasii Quesnelli damnatæ a Clement. XI*, constitutione Unigenitus, 8 *Sept.* 1713. — Eripere simplici populo hoc solatium, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi apostolico et inventioni Dei.

Propos. 85 *synodi diœcesanæ Pistoriensis, damnatæ a Pio VI per constitutionem* Auctorem fidei, 28 *Aug.* 1794. — *De participatione victimæ in sacrificio missæ.* — Propositio synodi, qua postquam statuit, victimæ participationem esse partem sacrificio essentialem, subjungit non tamen se damnare et illicitas missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant; ideo quia isti participant, licet minus perfecte, de ipsa victima, spiritu illam recipiendo; quatenus insinuat, ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur sive nullo astante, sive astantibus, qui nec sacramentaliter, nec spiritaliter de victima participant; et quasi damnandæ essent ut illicitæ missæ illæ, in quibus, solo sacerdote communicante, nemo adsit qui sive sacramentaliter, sive spiritaliter communicet, falsa, erronea, de hæresi suspecta, eamque sapiens.

Ibid. — De convenienti ordine in cultu servando. — Propositio synodi, qua cupere se ostendit ut causæ tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiæ ordinem spectantium, revocando illam ad majorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo, et elata voce proferenda, quasi vigens ordo liturgiæ ab Ecclesia receptus et probatus aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum, quibus illa regi debet : temeraria, piarum aurium offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens hæreticorum in eam conviciis.

Ibid , — De applicatione fructus sacrificii. — Doctrina synodi, qua, tum profitetur credere sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum, quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis, dein continuo subjicit : Non tamen quod credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus sacrificii cui vult, imo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem jura Dei, qui solus distribuit fructus sacrificii cui vult, et secundum mensuram, quæ ipsi placet; unde et consequenter traducit velut falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione quo celebret unam missam, specialem fructum ex ea percipiant. Sit intellecta, ut præter peculiarem commemorationem et orationem, specialis ipsa oblatio seu applicatio sacrificii, quæ fit a sacerdotes non magis prosit (cæteris paribus) illis pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis aut personarum ordinibus faciendam commendat ac præcipit Ecclesia, specietatim a pastoribus pro suis ovibus, quod velut ex divino præcepto descendens a sacra Tridentina synodo di-

Digitized by Google

serte est expressum; sess. 23, cap. 1, *De reform.*, Bened. XIV, constit. *Cum semper oblatas*, 2, falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.

Propos. 85 *synodi diœcesanæ Pistoriensis damnatæ a Pio VI per const.* Auctorem fidei, 28 *Aug.* 1794.—*De modo jungendæ vocis populi cum voce Ecclesiæ precibus publicis.*—Propositio asserens fore contra apostolicam praxim et Dei consilia, nisi populo faciliores iræ pararentur vocem suam jungendi cum voce totius Ecclesiæ; intellecta de usu vulgaris linguæ in liturgicas preces inducendæ; falsa, temeraria, ordinis pro mysteriorum celebratione præscripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.

SALTATIO

[Ex SS. Patribus.]

S. Cyrill. Hieros., cateches. 19. — Postea dicis : *Et omni pompæ illius.* Pompa vero diaboli est, theatrorum insaniæ, equorum cursus in hippodromis, venationes in circo, et reliqua hujusmodi vanitas, de qua liberari se postulans sanctus Deo dicit : *oculos meos ne videant vanitatem.* (*Psal.* cxviii, 37.) Ne tibi studio et cordi sit theatri insania, ubi conspicias mimorum petulantias omni contumelia et dedecore abundantes, atque effeminatorum virorum furoris et amentiæ plenas saltationes. Neque illa eorum qui in circensibus venationibus sese feris exponunt, ut infelicem alvum demulceant; qui ut ventrem alimentis deliniant, ipsi revera ventris immitium ferarum pabulum fiunt : atque ut rectius dicam, pro ventre quem unum Deum noverunt, propriam vitam in præcipitium singularibus certaminibus abjiciunt. Fuge etiam equorum curricula, quod prorsus insanum est supinasque animas dejicit spectaculum. Hæc enim omnia diaboli pompæ existunt.

S. Greg. Nazianz., orat. 2, t. I. — Quod si cuipiam eorum dicamus leniter ad hunc modum, ac disserendo, eum provehentes : Dic mihi, vir admirande, vocas ne aliquid saltare, et tibia canere? Maxime vero, inquiet. Quid sapientiam, et sapientem esse, quod nos divinarum humanarumque rerum scientiam definimus? Id quoque concedet. Age vero, censesne artes illas sapientia meliores et sublimiores esse, an hanc potius illis? Mihi quidem non est dubium, quin hanc omnibus etiam præstantiorem esse dicturi sint, atque hactenus æqui et candidi judices sint. Utrum igitur, saltationis quidem et cantus tibiarum doctrina quædam et disciplina est, ad idque, et diuturno tempore, et plurimis laboribus ac sudoribus opus est, atque interdum etiam mercedem persolvere oportet, et perductores adhibere, longasque peregrinationes suscipere, cæteraque omnia facere et pati, quibus artis peritia comparatur : sapientiam autem, quæ omnibus præest, ac bona omnia complexu suo tenet, adeo ut ipse quoque Deus, quamvis permultis nominibus vocetur, hoc tamen nomine impensius quam ullis aliis delectetur, rem usque adeo levem et protritam esse existimabimus, ut ad hoc, ut quispiam sapiens sit, voluntas sola requiratur? Magnæ profecto stultitiæ hoc fuerit. Si hæc ad eos dicamus, erroremque paulatim repurgemus, aut alius quispiam doctiorum et prudentiorum, hoc nimirum illud fuerit supra petras seminare, atque in aures non audientium loqui. Ita ne hactenus quidem sapientes sunt, ut inscitiam suam cognitam habeant. Ac mihi commodum esse videtur illud Salomonis de ipsis usurpare : *Est malum quod vidi sub sole, virum qui sibi sapiens esse videtur.* (*Eccle.* x, 5.) Et quod pejus est, alios erudiendos suscepit, qui ne inscitiam quidem suam persentit.

Idem, orat. 5, t. I. — Hymnos pro tympanis assumamus, psalmodiam pro fœdis modulationibus et cantibus, plausum grati animi indicem et canoram manuum actionem pro theatricis plausibus, modestiam pro risu, prudentem rationem pro ebrietate, gravitatem pro lascivia. Quod si te etiam, ut lætæ celebritatis et festorum amantem saltare oportet, salta tu quidem, sed non inhonestæ illius Herodiadis saltationem, quæ Baptistæ necem attulit : verum Davidis ob arcæ requiem, qua quidem Deo gratam incessionem, agilitate prædictam et versatilem, mystice designari existimo. Atque hæc quidem prima et maxima nostræ admonitionis pars est.

S. Ambros., *Exposit. in psal.* cxviii, tom. I, col. 1052. — Ipse quoque Dominus non dedignatus est dicere : *Cantavimus vobis, et non saltastis.* (*Luc.* vii, 32.) Cantavit nobis in Evangelio veniam delictorum : debuerunt Judæi mentem attollere non histrionico corporis motu, sed sancto Spiritu. Non fecerunt, ideo reprehenduntur. Sed etiam et corporis saltatio in honorem Dei laudabilis habetur. Denique saltavit David ante arcam Domini, et vidit eum Michol, filia Saul, saltantem, et percutientem in organis harmonizatis in conspectu Domini, et ait ad eum, posteaquam se domum recepit : *Quid utique honorificatus est rex Israel; quia denudatus est hodie in oculis puellarum suarum ancillarum, sicut unus ex saltatoribus?* (*II Reg.* xx et seq.) Et dixit David ad Michol in conspectu Domini : *Benedictus Dominus qui elegit me super patrem tuum, et super omnem domum illius constituere in principem super plebem suam Israel et Judam, saltabo in conspectu Domini, et denudabor adhuc sic, et ero nugax in conspectu tuo, et cum puellis cum quibus dixisti me nudatum, glorificabor. Et Michol*, inquit, *filiæ Saul non erat filius usque in diem mortis ejus.* (*Ibid.*) Evidens itaque exemplum quod et propheta qui percutiebat in organis, et

Digitized by Google

saltavit ante arcam Domini, justificatus est : et illa quæ reprehendit eum, sterilitate damnata est.

Docuit nos Scriptura cantare graviter, psallere spiritaliter. Docuit etiam saltare sapienter, dicente Domino ad Ezechiel : *Plaude manu, et percute pede* (*Ezech.* VI. 2) ; neque enim histrionicos fluxi corporis motus Deus morum censor exigeret, aut indecoros crepitus viris, plaususque femineos imperaret ; ut tantum prophetam deduceret ad ludibria scenicorum, et mollia feminarum. Non congruunt resurrectionis revelata mysteria, et opprobria saltationis exacta. Sane est quidam proprius bonorum actuum factorumque plausus, cujus sonus in orbem exeat, et bene gestorum resultet gloria. Et honesta saltatio, qua tripudiat animus, et bonis corpus operibus elevatur ; quando in salicibus organa nostra suspendimus. Jubetur ergo propheta plaudere manu, et percutere pede : jubetur psallere ; quia sponsa nuptias jam videbat, in quibus desponsatur Ecclesia, Christus adamatur. Et bonæ nuptiæ, quando Verbo anima, spiritui caro nubit. In his propheta David nuptiis ludere nos voluit, ad has invitavit : quia suos posteros copulabat : et ideo lætior quam cæteri, quasi in ipso actu nuptiarum positus, nos ad celebritatem festi muneris adhortatur, dicens : *Exsultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob. Sumite psalmum, et date tympanum, psalterium jucundum cum cithara.* (*Psal.* LXXX, 2 et 3.) Nonne actum quemdam prophetæ saltantis advertis ? Denique alibi : *Psallam tibi in cithara, sanctus Israel : gaudebunt labia mea, cum cantavero tibi, et anima mea quam redemisti.* (*Psal.* LXX, 22, 23.) Audis citharizantium voces, audis saltantium crepitus ? Nuptias crede.

S. AMBROS., *Expos. Evang. sec. Luc.*, l. II, t. I.—Sume et tu citharam, ut pulsata spiritus plectro interiorum chorda venarum, boni operis sonum reddat. Sume psalterium, ut harmonia dictorum factorumque tuorum concinat. Sume tympanum, ut organum tui corporis spiritus moduletur interior, factisque operantibus dulcis morum tuorum suavitas exprimatur. Sic psallebat propheta, cum diceret ; *Veni huc a Libano sponsa, veni huc a Libano.* (*Cant.* IV, 8.) Hoc canticum cecinerunt pueri, nec auditi sunt. Qui pueri ? De quibus dicit : *Ecce ego, et pueri quos dedisti mihi.* (*Isai.* VIII. 18.) Sed hoc canticum non in foro, non in plateis canebatur : sed in Jerusalem ; ipsa est enim Dominicum forum, in quo præceptorum cœlestium jura conduntur.

S. CHRYSOST., hom. 12 *in Epist. ad Coloss.* c. IV, t. II. — Nihil est jucundius oculis lacrymantibus. Hoc enim est membrum omnium in nobis nobilissimum, et speciosissimum, atque adeo ipsius animæ membrum. Tanquam ergo ipsam videntes deflentem animam, ita flectimur. Hæc a nobis non temere dicta sunt, sed ut vos nec nuptiis, nec saltationibus, nec choris adsitis satanicis. Vide enim quid invenerit diabolus. Nam quoniam a scena, et iis quæ illic sunt turpia et indecora, ipsa natura abduxit mulieres, quæ sunt theatri abduxit in gynæceum, molles, inquam, et meretrices. Hanc pestem invexit lex nuptialis, imo vero non lex nuptialis, absit, sed lex nostræ mollitiei. Quid facis, o homo ? Nescis quid agas. Mulierem ducis ad temperantiam et liberorum procreationem. Quid ergo sibi volunt meretrices ? Ut sit, inquit, major lætitia. Annon hæc sunt insipientiæ ? Probro afficis sponsam, probro afficis invitatas. Nam si his delectantur, res est probrum et contumelia. Nam si videre meretrices se turpiter et indecore gerentes aliquam affert magnificentiam, cur non attrahis sponsam ut illa quoque spectet ? Omnino turpe est et indecorum, viros molles et saltantes, et omnem pompam Satanicam domum introducere. *Memores estote*, inquit, *vinculorum meorum.* Matrimonium est vinculum, vinculum a Deo constitutum. Solutio est meretrix et dissolutio. Licet aliis exhilarare nuptias, ut tantis mensis et vestimentis. Hæc non amputo, ne videar esse valde agrestis. Quanquam Rebeccæ satis fuit solum Theristrum. Sed non amputo. Licet exhilarari vestibus ; licet in præsentia venerandorum virorum et reverendarum mulierum. Quid ludibria illa, quid monstra inducis ?. Dic quæ audis ab ipsis. At erubescis dicere ? Tu erubescis et illos cogis id facere ? Si pulchrum est et honestum, cur non ipse quoque facis ? Si autem est turpe, cur alium cogis ?

Omnia oportet esse plena temperantia ac modestia, gravitate et honestate. Contrarium autem video, saltantes tanquam camelos, tanquam mulos. Virgini solus est aptus thalamus : at est, inquit, pauper, quoniam est pauper, debet etiam esse modesta et honesta. Habeat mores pro divitiis. Non potest dare dotem ? Cur eam etiam aliis reddis contemnendam ex hac perversione ? Laudo quod adsint virgines æqualem suam honorantes : quod adsint mulieres eam honorantes, quæ in suum numerum est relata. Hoc recte est constitutum ; sunt enim hi duo chori : chorus virginum, et chorus earum quæ nupserunt. Illæ tradunt, hæ suscipiunt. Sponsa est inter eas, neque virgo, neque mulier. Nam illinc quidem egreditur, in hanc autem ascendit classem. Cur autem meretrices ? Cum oporteret eas præ pudore tegi, dum nuptiæ celebrantur, cum oporteret eas infodi ; matrimonii enim corruptio est scortatio ; nos eas ducimus ad nuptias. Et quando aliquid quidem facitis, etiam verbis tenus contraria omnia deprecamini : ut quando seminas, quando vinum hauris ex torcularibus, ne responderis quidem quæ vappam significant. Hic autem ubi decent moderatio et temperantia, vappam introducitis. Hoc enim est meretrix. Quando unguentum componitis, nihil male olens similis appropinquare. Matrimonium est unguentum ; cur cœni fetorem inducis in compositionem unguenti ? Quid dicis ? Saltat virgo, et non eam pudet suæ æqualis ? Oportet ipsam hac esse honestiorem et graviorem, ex ulna quippe egressa est, non ex

Digitized by Google

palæstra. Non oportet enim omnino virginem apparere in nuptiis.

S. Chrysost, hom. 20 *in Epist. ad Ephes.* v, t. II. — His dimissis histrionum scenicis, orna domum cum multa honestate ac decore, spirantem temperantiam potius, quam alium suavem odorem. Ex hoc enim erunt duo aut tria bona. Primum quidem non dolebit sponsa, dum solutis nuptialibus thalamis remittuntur ad singulas vestes et vasa aurea et argentea. Secundo, quod sponsus non erit sollicitus ne pereant, et ut custodiantur quæ sunt comparata. His accedit tertium, quod est summa bonorum, ex his ipsis ostendet mentem suam, se nullo horum delectari, et se etiam cætera omnia dissoluturum, neque unquam concessurum ut fiant saltationes et canantur impudica cantica. Et scio quidem me videri quibusdam esse ridiculum, qui has leges feram; sed si mihi credideritis procedente tempore, et succedente rei utilitate, tunc lucrum scietis : et effluet quidem risus, et irridebitis eam quæ nunc est consuetudinem, et videbitis ea quæ nunc fiunt, esse puerorum insipientium et virorum ebriorum : quæ autem suadeo, esse modestiæ, et philosophiæ, et supernæ vitæ agendæ rationem. Quid ergo dico oportere? Omnia turpia cantica quæ sunt satanica, inhonestas cantilenas, immundorum juvenum circuitiones aufer a nuptiis, et hæc poterunt castigare sponsam, et modestam reddere. Statim enim apud se considerabit : Papæ! qualis est hic vir? Est philosophus : hanc vitam nihili ducit; ad procreandos liberos et educandos me in ædes duxit, et ad domum custodiendam. Sed hæc sponsæ erunt injucunda? Ad primum usque et secundum diem, non autem deinceps : sed et maximam capiet voluptatem, se ab omni suspicione liberans. Nam qui neque tibias, neque saltantes, neque fractos cantus sustinuerit, idque tempore nuptiarum, vix ipse in animum induxerit ut turpe aliquid unquam aut faciat aut dicat. Post hoc autem quando hæc omnia abstuleris a matrimonio, recte te geras, pudorem quidem in longum tempus extendens, et non cito dissolvens. Nam etsi inverecundior sit puella, scit ad tempus silere, mariti mota reverentia, et rerum quibus non assuevit novitate. Hunc ergo pudorem non cito dissolvas, quod faciunt viri impudici, sed extendas ad longum tempus : hoc enim tibi magnum afferet lucrum. Interim accusabit, nec queretur de iis quæ tu statueris.

Idem, *Hom. postridie Kalendas*, t. I. — Hesternum diem, cum esset festum Satanæ. (Kalendæ), fecistis festum spiritus, quia multo cum animi studio recepistis ea, quæ a nobis dicebantur, maximamque diei partem in eo consumpsistis, ebrii temulentia quadam sobrietatis plena; cumque Paulo ducentes choreas. Qua quidem ex re vobis geminum accrevit lucrum, primum quod ab indecora temulentorum saltatione abstinuistis, deinde quod spiritalibus saltastis tripudiis, quibus plurimum adest decoris ac modestiæ. Ad hæc quod crateris participes fuistis, non mero, sed spiritali doctrina redundantis; atque ipsi tibia citharaque fuistis Spiritui sancto : cumque cæteri choros ducerent diabolo, vos eo quod hoc in loco versabamini, præbuistis vos ipsos organa vasaque spiritalia : exhibuistisque animas vestras seu musica instrumenta, quæ Spiritus sanctus pulsaret, et in corda vestra gratiam suam inspiraret. Unde modulatum concentum reddidistis, non solum homines demulcentem, verum etiam supernas virtutes delectantem. Age itaque et hodie, adversus ebrietatem armemus linguam, istamque vitam madidam ac dissolutam prosternamus : vituperemus istos qui in ea totis diebus versantur, non ut illos pudefaciamus, sed ut eos ab ignominia liberemus : non ut illos probris afficiamus, sed ut eos corrigamus : non ut illos traducamus, sed ut ab infami traductione, et a diaboli manibus eripiamus. Quisquis enim in temulentia totos agit dies, quisquis in deliciis et ingurgitatione, sub diaboli tyrannidem redactus est. Atque utinam oratio nostra profectus aliquid afferat!

Quod si post nostram etiam admonitionem in iisdem vitiis perseveraverint, ne sic quidem nos desistemus illis quod rectum est consulere, quandoquidem et aquarum venæ, etiamsi nullus veniat aquatum, manant tamen : et fontes quamvis hauriat nemo, tamen scatebras emittunt : et amnes etiamsi nemo bibat, nihilo secius fluunt : sic oportet et illum qui concionatur, quamvis nullus auscultet, tamen præstare quidquid in ipso situm est. Si quidem hæc lex nobis, qui sacri sermonis administrationem suscepimus, a benigno præscripta est Deo, ne unquam quod quidem in nobis fuerit, facere defatigemur : nec ullo tempore sileamus, sive sit qui auscultet, sive sit qui prætercurrat negligens quod dicitur. Nam et Jeremias cum Judæis multa minitans, malaque imminentia prædicens, ab audientibus subsannaretur, totoque die rideretur, cogitabat ab illa prophetia desistere, nimirum humano quodam affectu victus, sannas illas et convicia perpeti non valens, aitque : *Factus sum ridiculus toto die, dixi : Non loquar, neque nominabo nomen Domini, et factus est in me velut ignis ardens, atque æstuans in ossibus meis : dissolvor undique, nec possum ferre.* (*Jer.* xx, 7.) Quod autem dicit, hunc habet sensum : Volebam, inquit, a prædictione desistere, propterea quod non auscultabant Judæi : et simul atque hoc cogitassem, irruit in animam meam spiritus vis, velut ignis, omniaque intima mea succendit, consumens insuper, et excedens ossa mea, adeo ut incendium illud ferre non possem. Quod si propheta qui quotidie ludibrio habebatur, quotidie conviciis incessebatur, sic discruciatus est, eo quod statuerat silere : qua tandem nos venia digni censebimur, si qui nondum tale quidquam perpessi sumus, tamen ob quorumdam negligentiam dejiciamus animum, et ab exhibenda illis doctrina cessemus, maxime vero cum tam multi sint, qui se præbent attentos?

Digitized by Google

Non hæc loquor mei consolandi deliniendique gratia. Nam meo quidem ipsius animo persuasi quo aspiravero, et donec Domino visum fuerit nos in præsenti vita versari hoc implere ministerium, et sive quis attendat, sive non attendat, facere ea quæ præcipiuntur. Verum quoniam sunt nonnulli qui multorum manus dissolvunt, neque contenti quod ipsi nihil utilitatis afferunt vitæ nostræ, etiam aliorum studium ac fervorem refrigerant sannis ac dicteriis, dum aiunt : desine bene consulere, desiste monere; nolunt tibi auscultare, ne quid sit tibi cum illis commercii. Quoniam ergo sunt quidam ista loquentes, inhumanam hanc sententiam, insidiasque diabolicas excutere volens e multorum animis, pluribus hac de re dissero. Siquidem et heri novi multos qui talia verba protulerint, qui cum conspicerent aliquos in caupona detrivisse tempus, cum risu sannisque dicebant; scilicet omnino persuasi sunt. Nemo prorsus cauponam ingressus est; omnes sobrii sunt redditi. Quid ais, homo? Videlicet isthuc polliciti sumus, nos uno die omnes illos reti capturos? Nam si decem modo persuasi fuerint, si quinque tantum, si unus : nonne nobis hoc sufficit ad consolationem? Ego vero dicam quiddam hoc etiam vehementius. Pone neminem nostris dictis fuisse persuasum; quanquam id fieri nunquam potest, nimirum ut sermo in tam multas aures disseminatus, vacet omni fructu. Verumtamen pone istuc esse, ne sic quidem nobis nihil afferet lucri sermo noster. Nam etiamsi nonnulli ingressi sunt cauponam, non tamen cum pari qua solent impudentia sunt ingressi, sed ad ipsam etiam mensam crebro nostrorum verborum recordati sunt, subiit illis nostra reprehensio, rediit in memoriam nostra objurgatio, ac recordantes rubore suffusi sunt, erubuerunt tacita cogitatione, nec simili impudentia fecerunt ea quæ solebant. Hoc autem initium est salutis, optimæque mutationis, si quem penitus sui pudeat, si quis prorsus facta sua damnet. Quin ex hoc insuper et aliud nobis lucrum non minus nascitur. Quodnam hoc? Nimirum illud, quod eos qui sobrietatem amplectuntur, reddimus modestiores magisque compositos, dum ex oratione nostra declaratur, quod optimis ducantur consiliis, qui non abducantur exemplo multitudinis.

Non erexi quidem ægrotantes, attamen eos qui valent reddidi firmiores. Non abduxit quosdam a vitio sermo noster, sed tamen eos qui cum virtute vitam agunt, reddidit attentiores. Ad hæc quiddam addam tertium : Hodie non persuasi, sed cras fortasse persuadere potero. Quod si minus cras, attamen perindie, aut quarto abhinc die fortassis persuasero. Qui hodie quod audivit repulit, cras fortassis audiet ac recipiet. Tum qui hodierno crastinoque die contempserit, fortassis post dies complures præbebit animum iis quæ dicuntur. Quandoquidem sæpe piscator, qui per totum diem vacuum attraxerit rete, sub noctem jam abire parans, capto qui ipsum per totum fefellerat diem, pisce, discedit. Quod si ideo victuri sumus in otio, et ab omnibus actionibus videbitur abstinendum eo quod semper evenit ut alicubi frustremur optatis, universa nobis perierit vita : nec spiritualia modo, verum etiam illa quæ ad vitæ præsentis usum pertinent, simul interierint omnia. Etenim si agricola protinus ab agricultura resiliat, quod semel atque iterum aut sæpius acciderit aeris inæqualitas, brevi fame peribimus omnes. Item si nauclerus, ob semel atque iterum, aut sæpius ob ortam tempestatem fugiat mare, futurum est ut nemo vehatur pelago, atque hinc rursum peribunt nobis omnia vitæ commoda. Quod si per singulas artes percurrens, ista quæ nos facere vis, suadeas, moneasque, cuncta funditus interibunt, terraque carebit incolis. Itaque cum hæc omnes sciant, etiamsi semel atque iterum aut sæpius frustrati fuerint optato negotiorum in quibus versantur exitu : denuo pari cum alacritate redeunt ad eadem.

S. Chrys., *Contra negantes resurr.*— Clamat Dominus per prophetas, per apostolos, et per Evangelia, et pauci attendunt. Vocat diabolus per tripudia, ac cantilenas dæmoniacas, et multitudinem congregat.

Idem, *Serm. de pseudo-prophetis.* — Quid ad ista dicunt homines, *gravi corde quærentes mendacium?* (*Psal.* iv, 3.) Non est, inquiunt, malum relaxari animo ac distrahi. Nam quid detrimenti affert cythara, reliquaque instrumenta musica? O extremam dementiam! O improbam diaboli excogitationem atque consilium! *Generatio prava et adultera, hæccine redditis Domino?* (*Matth.* xvi, 4.) Ubique immaculatus præcepit Dominus, ne omnino Christianus vanis distrahatur, neque ludicris se rebus dedat : et tu dicis : Quid nocebunt ista? *Væ qui dicunt amarum dulce, et dulce amarum. Væ qui ponunt tenebras lucem, et lucem tenebras.* Dicant nobis imperiti illi atque insolentes, ex quanam scriptura ostendere possint, Christiano licere eas formas assumere? Qui sanctorum libri tale quid unquam tradiderunt? Quæ Evangelia sic turpiter atque indecore agere Christianos docuerunt? Nemo nos seducat. Uniuscujusque enim nostrum scripta sunt pacta et promissa; diaboli abrenuntiatio, et facta cum Christo conjunctio, et quæcunque opera nostra, et actiones et sermones, et cogitationes et distractiones, et risus atque cachinni.

Idem, *ibid.*— Dominus clamat : *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* (*Marc.* ii, 17.) Vide ne in sermone isto relaxeris, dum ineffabilem ipsius benignitatem audis. Non enim nudam duntaxat vocationem dixit; sed adjecit istud, *ad pœnitentiam*; non ad res ridiculas, sed ad pœnitentiam et lacrymas; non ad verba otiosa, sed ad glorificandum Deum; non ad prandia opipara ac cœnas et ebrietatem, sed ad jejunium, vigilias atque orationes. Non voca-

Digitized by Google

vit ad choreas, citharizationes, et profana ac diabolica cantica : sed ad luctum, et tribulationem atque angustiam, dicens : *Beati qui lugent nunc*, videlicet peccata sua. Incipe ergo pœnitentiam agere, frater ; pone principium tantum, et Deus pœnitentium adjuvabit te, teque corroborabit et multum invenies gaudium.

Idem, hom. 12, *in Epist. ad Coloss.*— Ubi sunt tibicines, nequaquam est Christus. Sed et si fuerit ingressus, eos primum ejicit, et tunc facit miracula.

SALUS

[Ex SS. Patribus.]

S. Clem. Alex., *Strom.*, l. I. — *Aperite ergo*, inquit Scriptura, *portas justitiæ, ut in eas ingressus confitear Domino.* (*Psal.* cxvii, 19, 20.) Sed viæ quidem ad justitiam, cum Deus servet multis (est enim bonus), sunt multæ et variæ, et ferentes ad Dominicam viam et portam. Quod si viam regiam et authenticum ingressum quæris, audies *Hæc est porta Domini, justi intrabunt in eam.* Cum ergo multæ apertæ sint portæ in justitia, hæc in Christo inveniendа est, in quam beati omnes qui intrarunt et iter suum direxerunt in gnostica sanctitate.

Idem, *ibid.*, lib. II, vol. I. — *Lingua quidem injustorum peribit, os autem justorum distillat sapientiam.* (*Prov.* x, 31.) Etenim, *sapientes et prudentes, stultos appellant.* (*Prov.* v, 21.) Longum autem fuerit de virtutibus testimonia adducere, cum universa eas celebret Scriptura. Quoniam autem fortitudinem definiunt scientiam eorum quæ sunt gravia et non gravia, et eorum quæ sunt intermedia ; temperantiam autem, habitum qui eligendo et vitando servat judicia prudentiæ : adjungitur fortitudini quidem patientia, quam appellant tolerantiam, scientiam scilicet eorum quæ sunt sustinenda, et quæ non : et celsitudo animi quæ scientia est, qua quis quibuscunque casibus superior evasit. Quinetiam temperantiæ adjuncta est cautio, quæ est declinatio cum ratione. Custodia autem præceptorum, cum sit innocens eorum observatio, est securitatis vitæ conciliatio. Nec potest esse quis tolerans absque fortitudine, neque continens absque temperantia. Se autem invicem consequuntur virtutes : et apud quem sunt virtutum consequentiæ, apud eum est etiam salus, quæ est boni status conservatio.

Idem, *ibid.*, l. IV, t. I. — Quoniam eorum quæ ad salutis ducunt perfectionem, duæ viæ inveniuntur, opera et cognitio, *beatos* dixit eos qui sunt *mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* (*Matth.* v, 8.) Et si revera verum consideremus, cognitio est principalis animæ partis purgatio, et est bona operatio. Ac bona quidem sunt, alia quidem ipsa per se : alia autem, per alterius boni participationem ; sicut bonas dicimus actiones. Absque rebus autem intermediis, quæ quidem obtinent locum materiæ, neque bonæ, neque malæ constant actiones ; verbi gratia, vita et sanitate, et aliis quæ vel sunt necessaria, vel circumstantialia. Eos igitur qui ad Dei agnitionem accedunt, vult esse mundos quoad corporis appetitus et sanctas cogitationes, adeo ut animæ facultati principali nihil adulterinum adhæreat, quod ejus vim obtundat. Cum igitur is qui sanctæ hujus qualitatis gnostice particeps est, contemplationi deditus, cum Deo puram habuerit consuetudinem, ita proxime accedit ad habitum impatibilis identitatis, ut non habeat amplius scientiam, et possideat cognitionem, sed sit ipsa scientia et cognitio. *Beati* ergo *pacifici* (*Ibid.*, 9) ; qui scilicet legem sententiæ mentis nostræ repugnantem, iræ minas, et cupiditatis escas, et alias affectiones, quæ rationem oppugnant, mansuetas quietasque reddiderunt ; qui cum scientia bonorum operum, et vera ratione prædili vixerint, restituentur in amicitiorem et gratiorem filiorum adoptionem.

Origen., *Comment. in Epist. ad Rom.*, l. XI, t. IV. *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic sæculo ; sed reformamini renovatione sensus vestri ; ut probetis quæ sit voluntas Dei, quod bonum, et placitum, et perfectum.* (*Rom.* XII, 1 et seq.) Quoniam, inquit, ostendimus a sacrificiis carnalibus recedendum, secundum quod et Propheta dicit, *Hostias et oblationem noluisti, nec placita sunt tibi* : (*Psal.* XXXIX, 7.) Nunc, ait, doceo vos quibus hostiis delectetur Deus ; et hæc doceo non quasi imperans, nihil enim proficit legis imperium, sed quasi qui officium susceperim reconciliandi vos Deo. *Obsecro vos, fratres ;* et obsecro non per potentiam, sed *per misericordiam Dei.* Quia enim omnes conclusi sunt sub peccato, nunc jam non in meritis, sed in misericordia Dei, Salus humana consistit. Quid autem est quod vos obsecro ? *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem,* ut sit *rationabile obsequium vestrum.* Obsequium hic cultum Dei dicit. Qui cultus quoniam dudum in pecudum mutorum corporibus consistebat, nunc, inquit, in corpore rationabilis hominis offeratur, et corpora magis vestra quam pecudum fiant sacrificium Deo, atque in sacris altaribus collocentur. Hi enim qui membra sua mortificant ab incentivo libidinis et furoris, et actus corporis sui Deo placitos habent ; hostiam viventem, sanctam, placentem Deo rationabiliter offerunt, et legem sacrificiorum quæ in *Levitico* lata est, secundum spiritalem intelligentiam complent. Verbi causa, ut ibi offerebant vitulum primo loco, vel secundo arietem, aut tertio hircum, aut quarto turtures, vel etiam pullos columbarum, ut in his uniuscujusque anima purificaretur pro qualitate gestorum ; hæc nunc in suo corpore uniuscujusque purificans, et

Digitized by Google

spiritali sensu discernens, rationabili obsequio viventem hostiam offert Deo.

S. Cyprian., epist. 62, *ad Pompon.* — Nec putent sibi vitæ aut salutis constare rationem si episcopis et sacerdotibus obtemperare noluerint, cum in *Deuteronomio* Dominus Deus dicat: *Et homo quicunque fecerit in superbia, ut non exaudiat sacerdotem aut judicem, quicunque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, et omnis populus cum audierit timebit, et non agent impie etiam nunc.* (*Deut.* xvii.) Interfici Deus jussit sacerdotibus suis non obtemperantes, et judicibus a se ad tempus constitutis non obaudientes. Et tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc et circumcisio carnalis manebat. Nunc autem, quia circumcisio spiritalis esse apud fideles servos Dei cœpit, spiritali gladio superbi et contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur. Neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit, et nemini salus esse nisi in Ecclesia possit. Indisciplinatos autem perire, dum non audiunt nec obtemperant salubribus præceptis, testatur Scriptura divina quæ dicit: *Non diligit indisciplinatus castigantem se. Qui autem oderunt correptiones, consumentur turpiter.* (*Prov.* xv.) Ergo ne indisciplinati consumantur et pereant da operam, frater charissime, ut, quantum potes, consiliis salutaribus fraternitatem regas, et singulis ad salutem suam consulas. Arcta et angusta est via per quam ingredimur ad vitam, sed summus et magnus est fructus, cum pervenimus ad gloriam. Qui se semel castraverunt propter regnum cœlorum, Deo per omnia placeant, nec sacerdotes Dei aut Ecclesiam Domini scandalo suæ pravitatis offendant. Et si ad præsens a nobis quidam ex fratribus nostris contristari videntur, nos tamen in salubri persuasione maneamus, scientes et Apostolum dixisse: *Ergo ego inimicus factus vobis sum verum dicens vobis?* (*Gal.* iv.) Quod si obtemperaverint nobis, lucrati sumus fratres, et eos ad salutem pariter et dignitatem nostro sermone formavimus. Si autem quidam de perversis obtemperare noluerint, sequamur eumdem Apostolum dicentem: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* (*Gal.* i.) Si quibusdam suadere non possumus ut eos Christo placere faciamus, nos certe, quod nostrum est, Christo Domino et Deo nostro, præcepta ejus servando, placeamus.

S. Ephrem., serm. 9 *De divers.*, t. III. — Deus qui in consiliis ditissimus sua nobis aliquando auxilia contrahit, aliquando vero largiter profundit, nos æque diligit, cum errantes quærit, ac cum quærentes fugit. Dum fugit, sui desiderium in hominum mentibus altius imprimit. Quemadmodum vero qui quempiam studiose quærit, se procul ab eo vivere non posse ostendit, ita et Deus non investigando, de nostra absentia sollicitum se esse aperte satis declarat.

Optimus siquidem ille aliquando a nobis fugit, ut nostra imbecillitas ipsius pulchritudinis cupiditate intentius inflammetur, adeoque solertiores prudentioresque evadamus. Hæc enim vera prudentia est, hæc saluberrima deliberatio, illius nimirum, si recte sapimus, bonitatem, quæ latissime patet, ex animo prosequi atque adamare. Nam si nostrum erga se studium imminui, aut prorsus elanguescere animadvertat, sua statim gratia nobis occurrit. Quam quidem non minus impertitur, dum nostram vitat consuetudinem, ac dum nos oberrantes insequitur, cum certum illi sedeat, quoslibet vel invitos, in tutum perducere. Minam a divite non petit, nec talentum ab inope. Si dives talentum ipsi offerat, benigne accipit; si pauper unius drachmæ munusculum, æqua benignitate suscipit. Si vero dives levissimum quid tribuat, humanissimus ille non improbat, dummodo a cordis simplicitate, sinceroque studio proficiscatur.

Vidit Deus omne hominum genus, pecudum more, ad hostias olim dæmoni immolandas ferri: ut igitur illos vel minus opinantes sibi devinciret, hoc prudenti usus est consilio. In eam omnes opinionem adduxit, ut putarent sacrificia sibi pergrata esse. Id autem, etsi veri speciem præ se ferat, nullam tamen reipsa habet. Neque enim humana Deo sacrificia placent, sed tantum immaculati Agni oblatio, victimarum cruore designata, vim apud ipsum maximam obtinere valet. Quocirca illorum abominationem toleravit, eo ferme pacto quo solers medicus se ægroti insaniam accommodat, non alia certe ratione, nisi ut obductam cicatricem sanet. Quin et ipsi dæmones immundissimi nullam ex victimis delectationem, aut utilitatem capiunt; non enim esuriunt, ut exsaturari postulent, cum spiritualis eorum natura nullo indigeat nutrimento. Solum itaque hominem prædari concupiscunt, ut nempe servum possideant, qui sibi Dominum novit divinitus constitutum. Quapropter dicendum est, sapientissimum Dominum homines per sacrificia ab ethnicorum superstitionibus deterrere voluisse.

Divinorum sermonum virtus optimo jure cæteris morborum curationibus comparari potest. Nam sicuti istæ specie diversæ sunt, fine autem, id est sanitate, invicem convenire dicuntur, ita divini sermones, divinæque historiæ aptissime inter se cohærent; quamvis si easdem litigiosi homines ad propriam libidinem extorqueant, mutuo sibi contradicere ac reluctari videantur. Lanam etiam diversis coloribus imbui posse nemo inficias abit. Hujusce vero naturam variabilem esse quis asserat? Hæc proprium nunquam amittit colorem, licet ad omnes recipiendos indiscriminatim se habeat. Unica ergo est, et multiplex; unica ratione naturæ; ratione colorum quibus potest circumvestiri, multiplex. Sic et veritas, quamvis unica revera sit, tamen ad plures voces, diversasque significationes traducitur.

Porro petulantia non desunt ingenia, quæ individuam veritatis vim temere dividunt, et eam sibi adversari compellunt. Veritas in veridicis hominibus quietum jucundum-

Digitized by Google

que, in doctis sanum ac integrum locum obtinet, in contentiosis molestum intolerandumque, cum ipsam interpretando sibimet-ipsis invicem convenire non possint. In auditu sano concordant sane sermones; unde sapientem illum virum dixeris, qui, ingeniosi opificis instar, suum ita ædificium nectit expolitque, ut nihil ad perfectam ejus elegantiam desideretur. Qui vero artis imperitus omnino est, audientium plausus delicatis voculis aucupatur, ne latentem dolum excludant. Sacri oratoris ac egregii viri præclara munera quis omnia referat? Ipse siquidem optimus interpres est et conciliator earum sententiarum, quæ stultis dissonæ apparent. Illas enim vel consonas explicat, vel dissentientes ratione conjungit, et concitatas auditorum mentes componit. Quod ubi præstiterit, statim et sermones inter sese firmissimo concordiæ vinculo copulantur.

S. Ephrem., *De divers.*, serm. 10.— Deus optime, cujus infinita bonitas summis mortales beneficiis complectitur; cujus munificentia gratis omnibus consulit; cujus clementia supplicibus sponte occurrit; cujus comitas nulli gratiam denegat; cujus denique pietas tam gratam humanis languoribus medicinam affert, ut vitiosas potius sanet partes quam exsecet; vide, quæso, quo nos levitas stultitiaque rapuit nostra : præsentis sæculi dominationi cervices supposuimus : otium, deliciæ, oblectamenta nobis imperiose præsunt, et immoderatum nostri studium nos vel invitos pro libito circumducit. Prava consuetudine attracti in mala scientes ruimus : cuncta in miserias insultant nostras; et dum voluntas firmo amicitiæ fœdere cum corpore consentit, ambo ad interitum concitatissime gradiuntur. Nihil hic perpetuum adesse, et omnes res istas creatas in confusionem veterem demergendas esse nemo sanæ mentis inficiari audet. Quod tamen communi sapientium testimonio reprobatur, id nobis solus dæmon suadere nititur. Fallax iste hominum adversarius fugacia mundi commoda tam vivis spirantibusque coloribus depingit, ut non qualia sunt videamus, sed qualia ab ipso venditantur. Nos interim blanda eorumdem specie deliniti, puerorumque instar elusi, æternam beatitudinem nauseamus, et umbratili contenti solatio immarcescibilem gloriæ coronidem amittimus. Latum ille spatiosumque unicuique monstrat callem, quem plurimis identidem offendiculis obserit, nobisque tandiu insidiatur, donec laqueis undique circumplicemur. Si forte in aliquem incidat, quem superare vi nequeat, tunc ad artes confugit, eumque voluptatis illecebris felicissime expugnat. Illecebrarum vi permulti sanctitate celebres viri non semel cesserunt. Testem habeo sanctissimum regem Davidem, qui voluptate pertentatus misere concidit. Testem habeo inclytum Moysen, cujus lingua corrupta est. Qua de re illi qui dæmonis jugum subeunt, intolerandis oneribus opprimuntur. Justis qui ipsius imperium exsecrantur, levem primo imponit sarcinam, ut sensim graviori assuescant, donec et ipsi communem cum aliis molem perferant, qua ad collum suspensa in mare projiciantur cum iis qui puerorum innocentiam scandalis evertant suis. Quas vero inani aura inflatas videt mentes, has in sua ambitione magis ac magis confirmat, ne forte providiores experientia factæ, humilitatis virtute curentur. Judicum detorquet linguam, ne judicium ex æquitate pronuntient. Auditorum aures hebetat, ne salutaria excipiant monita; easdem interdum acuit, ut pravis colloquiis obscenisque cantiunculis pateant. Omnes sive ætate, sive dignitate præstantes pessime loquuntur. Qui minor est majorum vestigia persequens, laudat quæ sunt vituperatione dignissima. Plurimorum annorum spatio prophetarum oracula siluerunt, quia tacuit Isaias, nec suorum temporum vitia digne satis correxit. Jam vero si justus nimio silentio dissimulationeque erravit, quid dicendum de iis qui dissolutionem in laude posuerunt?

S. Basilius, *Serm. de renuntiat. sæculi*, t. II. — *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos*, inquit vox ipsa divina. (*Matth.* II, 28.) Hæc sive futuram sive præsentem significet requiem, nos certe hortatur, partim ut multarum divitiarum onus abjiciamus, erogando eas pauperibus : partim ut peccatorum multitudinem quæ inde accedit, per liberalitatem et confessionem deponentes, ad cruciferam monachorum vitam accurramus. Quisquis igitur Domino obedire sibi proposuit, festinatque ad pauperem ac quietam vitam, vere admirandus est, beatusque dicendus. Sed adhortor, ut ne inconsideranter hoc faciat, nec sibi fingat aliquod vitæ genus remissum, Salutemque sine pugna obtinendam : quin potius antea exerceat sese ac probet ad tolerandas corporis animique molestias : ne, si seipsum in inopinata certamina injecerit, ac deinde tentationibus sibi ingruentibus resistere non possit, ad ea unde recesserat, cum pudore et risu recurrat, quippe qui ad sæculum non sine animæ condemnatione revertatur, multisque offendiculum factus, vitam in Christo institutam omnibus suspectam reddat, quasi agi non possit, cujus rei periculum nostis omnes, quotquot Evangelia legitis, in quibus ipsa divina vox dicit : *Expedit ei magis ut mola asinaria imponatur in collo ejus, et projiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis.* (*Matth.* XVIII, 6) Neque enim solum erit obnoxius desertoris condemnationi : sed etiam exitii eorum qui ab ipso sunt eversi, reus futurus est, etsi stultis quibusdam cogitationibus persuadere sibi videtur, se in sæculo degentem per bona opera numen esse placaturum : quod effici ab ipso non potest. Qui enim in eo vitæ genere, in quo non facilis ad peccatum accessus patet ob assiduam animi attentionem, adversarii luctationes sufferre non potuit, quomodo in

Digitized by Google

vita multis peccatis exposita, cujus ipse sit moderatur, virtutem ullam excolere et exercere poterit ? Sed ut det aliquis eum vitam recte moderari posse, tamen Christi derelicti crimen non effugiet, quemadmodum et hi discipuli in Evangelio designati, de quibus divinus Evangelista ait : *Multi autem discipulorum abierunt retro, et jam non ambulant cum Jesu, dicentes : Durus est sermo ipsius, quis potest eum audire ?* (*Joan.* VI, 61, 67.)

Ita enim de causa benignissimus Deus saluti nostræ providens, vitam hominum divisit in duplex vitæ genus conjugium dico ac virginitatem, ut qui virginitatis certamen subire non valeret, hic sibi adjungeret uxorem : sic tamen, ut illud sciret, reddendam sibi esse rationem continentiæ, sanctitatisque, et ejus cum his sanctis qui in conjugio et in liberorum educatione vitam egerunt, similitudinis. Qualis erat in veteri Testamento Abraham, qui unico filio citra dolorem ac molestiam immolato, inde gloriabatur quod Deum prætulisset : qui etiam, cum ad excipiendos peregrinos paratus esset, fores tabernaculi sui apertas tenebat. Non enim audivit : *Vende quæ habes, et da pauperibus !* (*Matth.* XIX, 21.) Imo Job et alii plurimi, Davidque et Samuel his majora præstitere. Erat quoque ejusmodi Petrus in novo Testamento, ac cæteri apostoli. Etenim fructus dilectionis in Deum ac proximum ab unoquoque homine repetendi sunt ; horumque mandatorum, seu potius omnium, quæcunque violata fuerint, pœnas dabit, sicut et Dominus in Evangeliis declarat, cum dicit : *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* (*Matth.* X, 37.) *Et qui non odit patrem suum et matrem suam, et uxorem, et filios, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.* (*Luc.* XIV, 26.)

Annon tibi videntur fuisse iis etiam qui uxores duxerunt, Evangelia lata ? Ecce tibi planum factum est obedientiam quæ Evangelio reddenda est, ab omnibus hominibus sive monachis sive conjugatis exigendum esse. Etenim qui conjugio sese implicuerit, ei satis fuerit, si incontinentia, et feminæ libido, suaque cum ipsa consuetudo sibi condonetur : sed reliqua præcepta æque omnibus sancita periculum afferunt violatoribus. Christus enim cum patris præcepta annuntiaret, ad eos qui in mundo erant loquebatur. Quod si contigit aliquando, ut ipse seorsum interrogatus discipulis suis responderit, sententiam suam declaravit, his verbis : *Quæ autem vobis dico, omnibus dico.* (*Marc.* XIII, 37.) Ne igitur deses existas, o tu qui elegisti uxoris societatem, quasi mundum amplecti penes te sit. Nam pluribus laboribus et custodia majore tibi opus est ad obtinendam salutem : quippe qui in mediis laqueis, mediaque rebellium potestatum ditione sedem delegeris, habeasque ob oculos peccatorum irritamenta, atque ad ea concupiscenda omnes tui sensus, quasi loco suo emoti, noctuque diuque impellantur. Scias igitur te cum defectore luctationem non evitaturum esse, neque de eo citra multos labores victoriam reportaturum in Evangelicis dogmatibus custodiendis. Quomodo enim in ipsa certaminis fossa versans, certamen cum hoste detrectare poteris ? Quæ utique tota est terra sub cœlo contenta : per quam circumire hunc et obambulare, tanquam rabiosum canem, quærentem quem devoret, ex Jobi historia edocemur. Itaque si cum adversario inire pugnam recuses, transi in alterum mundum in quo ipse non sit, tumque licebit tibi cum illo non decertare, atque in dogmatis Evangelicis servandis sine periculo iners permanere. Quod si id fieri non potest, eam quæ tibi cum illo futura est pugnam discere festines, artem luctaminum ex Scripturis edoctus ; ut ne ex ignorantia ab ipso devictus, æterno igni tradaris. Et hæc quidem adversus eos qui matrimonio juncti præcepta Christi observare secure negligunt, quasi in transcursu dicta sint.

S. Basilius, *Serm. de renuntiat. sæculi*, t. II. — Tu vero qui cœlestis vivendi ritus amator es, atque angelicæ vitæ negotiator, quique sanctorum Christi discipulorum commilito esse cupis, corrobora teipsum ad res adversas perferendas, et virili animo monachorum cœtum ac senatum adi : ac initio quidem tuæ renuntiationis virum te ostende, ut ne ab eorum, qui secundum carnem cognati sunt, amorem et affectum deorsum trahere, sed valido et forti animo mortalia cum immortalibus commutes. Ubi vero res quæ ad te pertinent dereliqueris, esto inflexibilis et constans, certoque scias eas præmittere te in cœlum : siquidem ipsas in sinu pauperum reconditas cum multa accessione apud Deum es inventurus. Cum autem ab amicis ac familiaribus divelleris, cave conficiaris mœrore nimio, quandoquidem cum Christo qui pro te crucifixus est, conjungeris : quo quid, quæso, a nobis amabilius excogitari potest ? Quando autem, Deo juvante, in primo hoc pugilatu tuum adversarium superaveris, nolito te ipsum tanquam vas quoddam ignominiosum projicere. Ex quo enim rebus terrenis remisisti nuntium, jam honorem apud Christum tibi conciliasti : sed magnopere cura et provide, ut virum tuæ vitæ tutissimum ducem reperias, probe edoctum conducere eos qui ad Deum pergunt, plenum virtutibus, ejus quæ in Deum est dilectionis testimonium habentem ex suis ipsius operibus, divinarum Scripturarum gnarum, animo sedato præditum, pecuniarum non amantem, a negotiis alienum, quietum, Deo acceptum, diligentem pauperes, non iracundum, injuriarum immemorem, ad eorum qui ipsum adeunt ædificationem multum laborantem, vanæ gloriæ non cupidum, non superbum, nullis assentationibus flectendum, non obnoxium mutationi, nihil Deo præferentem. Et, si quempiam hujusmodi nanciscare, omnem tuam voluntatem exspuens, et foras rejiciens, huic teipsum trade, ut quasi vas sincerum inveniaris, qui scilicet eas quæ in te infunduntur virtutes ad laudem et gloriam tuam serves. Etenim si quidpiam ex

Digitized by Google

iis vitiis quibus antea deditus eras, in teipso reliqueris, tunc bonis quæ in te fuerant immissa, in vappam transmutatis, tanquam vas quoddam nulli usui aptum foras projiciere.

Hoc secundum est luctamen, quod cum salutis nostræ hoste ineundum est. Documenta enim magistrorum bonorum bona sunt : malorum autem, mala sunt omnino. Cum enim nobis persuadere non potuerit malus ille adversarius noster, ut in mundi tumultu et exsilio permaneremus, suadere conatur ne vitæ accuratæ dediti simus, neve permittamus nos viro qui omnia nostra peccata ob oculos nobis ponat, corrigatque : sed ut nos credamus cuipiam honoris amore insanienti, suæque erga suos convictores, indulgentiæ obtentu, sua ipsius vitia commendanti : ut cum ita nos latenter innumeris vitiis rursus addixerit, nostris ipsis peccati vinculis nos obstringat. Quod si vero te dedas multis virtutibus instructo, bonorum ejus efficieris hæres, erisque apud Deum et apud homines beatissimus : sin autem, ob corporis curam, exquiras magistrum una tecum ad tua vitia descendentem, aut, ut rectius loquar, una tecum corruentem, frustra renuntiationis certamen subiisti, qui te ipse vitæ vitiosis affectibus obnoxiæ mancipaveris, cæcoque ductore usus te ipsum in foveam dederis præcipitem. *Si enim cæcus cæco dux fuerit, ambo in foveam cadent. Sufficit enim discipulo ut sit sicut magister ejus.* (*Matth.* xv, 14; x, 25.) Sunt Dei verba, nec unquam excident. Vita tua ex lege athletica est instituenda; sin minus, non coronabere, uti dixit Apostolus : *Et si quis certet, non coronatur nisi legitime certaverit.* (*II Tim.* ii, 5.)

Si igitur Dei auxilio repereris (prorsus autem si quæras, reperies) bonorum operum doctorem, observa apud te ipsum, ut nihil præter ejus sententiam peragas. Quidquid enim sine ipso efficitur, furtum est et sacrilegium, quod mortem infert non utilitatem, tametsi tibi videtur esse bonum. Etenim si bonum est, cur fit clanculum, non in aperto? Interroga animum tuum te ad prædandum industrie provocantem : si quidem dum bonis non obtemperas, te ad sinistras actiones instruit. Noli eorum qui a bestiis morsi sunt, incantamenta emendare, si non calleas incantandi artem, ne forte posteaquam serpentes attraxeris, ab eisque implicatus fueris, nec possis deinde ipsis resistere, immisericoditer ab eis absumere. Ne innitare carnis nobilitati, neque honorem exquiras : *Qui enim carnalis est, non capit ea quæ sunt Spiritus.* (*I Cor.* ii, 11.) Ne tentes quidpiam eorum quæ ex consuetudine vera habentur, adulterare, neque per tuam mollitiem pugnantes decipere, in te vero peccatorum onus congerere, non in strato molliore, non in vestimentis, aut calceamentis, aut in alio ullo habitu, aut in ciborum varietate, aut in mensa quæ instruatur contra, atque permittit tuæ renuntiationis tempus, non stando, non sedendo, non manuum operi remissiori et elegantiori incumbendo. Hæc enim omnia non solum si adsunt tibi, sed etiamsi requiruntur, non bonum habebunt exitum. Nam nisi celeriter diabolicas esse insidias noveris, easque excideris ex corde tuo, te ab ea vivendi ratione quæ in Christo instituta est, deturbabunt. Verum ubi in animum tuum induxeris te esse omnium hominum ignominiosissimum, peccatoremque maximum, ac peregrinum et erronem, teque ex misericordia ab iis qui ante te nuntium sæculo remisere, receptum esse, stude omnium esse ultimus et omnium servus. Hæc enim tibi afferent honorem et gloriam veram, non illa.

S. Basil., *Serm. de renunt. sæculi*, t. II.—Aures habe apertas ad obediendum, manus vero paratas ad ea quæ audivisti explenda. Sit tibi os taciturnum, et cor circumspectum. Ne vaces vanis sermonibus, sed esto prudens et intelligens ad sacras et salutares Scripturas auscultandas. Fabulæ mundanæ si audiantur, sint tibi gustatu acerbæ : contra, sermones sanctorum virorum sint tibi ceu favi mellis. Festina eos imitari qui se ante te in moribus emendandis exercuere : et ne exspectes, dum singula doceare. Contende ut pervenias ad majores virtutes, et minores non negligas. Nullum parvipendas vitium, etsi id quod patratur, minus sit quam ut ullum scandalum pariat; imo vero citius emenda per pœnitentiam, quamvis multi multa admittant delicta et parva et majora, nec tamen pœnitentiam agant. Ne sis alienorum peccatorum judex. Habent enim judicem justum *qui reddet unicuique secundum opera ejus.* (*Rom.* ii, 6.) Tu quod tuum est tene, et pro virili onus tuum leve reddas. Qui enim aggravat suum onus, ipse et portabit illud. Salus pœnitentia est : dementia vero mors est pœnitentiæ.

Subducito te a vanis hominibus : at vero quamplurimum te Deo ostende. In publicum prodire, quantum in te est, penitus refugias, ac cordis tui effusiones devita. Egressus es enim e cella tua? Deseruisti continentiam, oculos conjecisti in mundum, in mulierem meretricem incidisti, quæ cum et aures tuas illicibus verbis, et oculos tuos vultus pulchritudine, atque delicatis escis gustum incantaverit, te veluti hamo pertrahet ad seipsam. Deinde tuis membris implicata, teque in sinum suum recipiens, tuum istud firmum servandæ continentiæ desiderium emollit, et ita demum te a recta et sancta vivendi ratione sensim submotum, in se ipsa corrumpit. Quod si forte, Deo auxiliante, retia ejus effugere valeas, redibis quidem ad cellam, sed non idem, fractus potius et languidus, isque qui omnem virtutis actionem ægre feras, quique, non nisi multo tempore, ad tuum ipsius habitum reverti possis. Etenim te tuæ cogitationes ad angustias adducent ob utriusque vitæ desiderium, et non nisi multo labore victoriam animæ parere poteris. Itaque si necessitate quapiam urgente contigerit te a cella egredi, tunc Dei timore ceu thorace circummunitus, incerta in manum charitate Christi, oppugnatisque per omnem conti-

Digitized by Google

nentiam incursibus voluptatum, simul ut negotium absolveris, statim revertere, non immorans, sed ad reditum velocibus alis usus, et tanquam innocens quædam columba ad arcam unde emissus fuisti, confugiens, ferens in ore misericordiam Christi, sicque internis cogitationibus persuade, te requiem salutarem in nullo alio loco invenire posse.

Juvenis es sive corpore, sive animo, æqualium tuorum consuetudinem declina, ab iisque velut a flamma aufuge. Hostis enim multos quos per ipsos incenderat, æterno igni tradidit, atque spiritualis dilectionis specie illos in horrendum illud quinque civitatum barathrum dejecit : et qui in pelago ab omni vento et tempestate servati fuerant incolumes, eos in portu desidentes una cum navi rectoribusque in profundum submergit. In sedili procul a cœvo sede. Cum recubas ad somnum capiendum, indumenta tua non sint vicina illius indumentis : imo potius senem intermedium adhibe. Quando vero tecum loquitur, aut ex adverso psallit, responde ei vultu humi defixo, ne forte oculis in vultus conjectis, a satore inimico libidinis semen suscipias, ac corruptionis et interitus manipulos metas. In domo, aut in loco ubi nemo est qui videat opera vestra, ne meditandorum divinorum eloquiorum, aut alterius cujuscunque rei vel maxime necessariæ obtentu, cum ipso inveniare : nihil enim magis necessarium est quam anima pro qua Christus mortuus est. Subdolæ isti cogitationi quæ rem offendiculo vacare submonet, fidem ne adhibe : sed ob multam experientiam eorum qui lapsi sunt, quique hæc tibi clara et manifesta reddunt, penitus tibi persuadeas idipsum offendiculum esse.

Crede meis verbis quæ ex corde in fratres benevolo prodeunt. Accede ad senes qui facilem ad se aditum non præbent : qui Proverbiorum quidem sententiis juvenes ad virtutem cohortantur, nec tamen facie lædunt. *Omni custodia serva cor tuum.* (*Prov.* IV, 23.) Etenim uti aurum indesinenter diu noctuque observatur a furibus, atque præter exspectationem et, te inscio, subripitur, cave ne te primi parentis peccato seductum in errorem impellat adversarius, teque cito ex voluptatis paradiso expellat. Qui enim Adamum per escæ furtum vita spoliavit, speraveratque fore ut Jesum supplantaret, is tibi quoque multo magis hanc primam malorum causam propinare non verebitur, venenum efficax id esse non nescius. Nam gulæ vitium non in escarum copia, sed in appetitione et in modico gustatu, vim suam exercere solet. Ergo si brevis alicujus gustatus appetitio potuit subjicere te ingluviei vitio, tibi nullo negotio interitum afferet. Quemadmodum enim aquæ scaturigo in multos ductus divisa, facit ut omnis locus his ductibus circumjacens virescat : ita et gulæ vitium si se in cor tuum effuderit, ipsum irrigatis omnibus tuis sensibus, qui sunt nequitiæ quasi silva in te consita, animam tuam ferarum habitaculum efficiet. Ego enim vidi multos qui vitiis mancipati redierunt ad sanitatem : sed ex omnibus ne unum quidem qui occulte manducaret, aut gulosus esset, emendatum vidi ; imo vero aut vitæ continentis institutum deserunt, atque in mundo corrumpuntur, aut inter continentes occultari conantur, et diaboli fiunt commilitones per voluptatem. Hi enim mendaces sunt, multis juramentis obnoxii, perjuri, contentiosi, ad referiendum parati, clamosi, et qui negent se comedisse, illiberales, molles, queruli, scrutatores, et qui tenebris gaudeant, omneque vitæ piæ ac sanctæ institutum ultro oppugnent. Etenim, ut gulæ vitium contegant, in malorum incidunt multitudinem : qui quidem specietenus inter electos, at reipsa inter reprobos numerantur.

Ingluvies morti tradidit Adamum, atque per ventris voluptatem mundo exitium intulit. Irridetur Noe, Cham devotus est, primogeniti jura amittit Esau, atque cum Chananæis affinitatem contrahit. Lot filiarum maritus fit, ipse sui ipsius gener et socer, pater, vir et avus pater, utrumque naturæ terminos afficiens contumelia. Hæc etiam Israelem impulit ad adorandum simulacrum, eorumque cadavera in deserto prostravit. Hæc et quemdam prophetam qui a Deo ad objurgandum impium regem fuerat missus, feræ bestiæ pabulum efficit : et quem Jeroboam rex cum omni regia potestate ulcisci non poterat, is ventris suadela captus, miserandam mortem recipit. Daniel vero desideriorum vir, subacto et domito ventre, potitus est regno Chaldæorum, idolum evertit, draconem interemit, frenavit leones, prænuntiavit Dei incarnationem, atque mysteria abstrusa interpretatus est. Sancti tres pueri qui ventris voluptate superiores exstitere, ira regis contempta, in fornacem hanc horrendam et ardentem Nabuchodonosoris regis jussu succensam, intrepidi descendere ausi sunt. Statuam illam quæ pro Deo habebatur, vanam esse ac inertem ostenderunt ; et quæ multo tempore a Satana constructa fuerat, ad Dei gloriam injuria afficiendam eam ceu spolium accipientes, eamdem suo Domino attulerunt. Hi fuere auctores, ut ipse infensissimus et exercitus omnis, quem adversus Deum instruxerat, Deum cum omni creatura hymnis celebrarent. Et, ut brevi omnia dicam, si ventrem edomas, habitabis paradisum : sed si non edomas, a morte absumeris.

Sis fidus virtutum thesaurus, tuique spiritualis patris lingua ceu clavi utere. Hæc aperiat os tuum ad assumendum panem, hæc et ipsum claudat. Ne admittas consiliarium serpentem qui, boni consilii loco, prædam te abducere cupit. Vita clandestinæ comesturæ peccatum, vel usque ad linguæ gustum. Etenim si in modico evertere te potuerit, lucta te superabit, teque vinculis constringet. Ne præbeas tuas aures quibusvis garrientibus, neve respondeas cuilibet nugatori in iis colloquiis quæ piæ exercitationis instituto minime conveniant. Auditor fias documentorum

Digitized by Google

bonorum, et horum meditatione serva cor tuum. Avertas a mundanis sermonibus tuas aures, ne forte cœni respersione animam commacules tuam. Ne cures audire aliorum verba, neque caput tuum in medium colloquentium immittas. Ne et tu irridearis, et ipsos obtrectatores efficias. Ne sis curiosus, neque omnia intueri velis, ut ne vitiorum saniem in animum tuum introducas. Utiliter vide, utiliter audi, utiliter loquere, utiliter responde. Coram natu majore sedere ne temere audeas. Quod si id facere jubearis, eamdem atque ille sedem neque occupes, sed huc atque illuc circumspiciens, sellam inferiorem invenire coneris, ut te Deus ob humilitatem gloria afficiat. Interrogatus responde decenti ac humili voce. Si non interrogaris, tace. Dum alius interrogatur, cohibe os tuum, ne lingua tua excurrens, et a procaci corde impulsa, quempiam vitam asceticam accurate excolentem offendat, teque in criminum vincula conjiciat. Cum autem sedes, non superpones alteri cruri alterum crus tuum : siquidem istuc facere, animi parum attenti atque aliud agentis indicium est. Si sermonem habes cum aliquo qui te sit inferior, aut etiam ab eo aliquid interrogaris, segniter negligenterque non respondebis, quasi fratrem ad Dei contumeliam contemnas. Ait enim Proverbium : *Qui ignominia afficit pauperem, irritat eum qui fecit ipsum.* (*Prov.* XVII, 5.)

Sermo ad consolandum et ad exhortandum apius præeat reliquis tuis verbis, qui tuam in proximum charitatem confirmet. Ponatur et medius, qui dissimilis non sit, nec sit dispar quoque, qui in fine colloquii habebitur, idque cum hilari vultu, ut ei qui tecum colloquitur, lætitiam impertiat. In omnibus quæ præclare a proximo tuo geruntur, lætare, Deoque da gloriam : quandoquidem ejus recte tua facta sunt, sicut et tua illius. Primos accubitus, et primas sedes in congressibus devita, ultimumque locum sectare, ut potius audias : Amice, ascende. Sinistra tua se in mensa non inordinate gerat, neque adversus dextram sibi arroget auctoritatem. Imo potius iners sit et otiosa : sin minus, dexteræ subserviat. Quotiescunque ad preces vocaris, succinat os tuum, operique divino intersis ad extremam usque precationem, ratus te inde non sine magno detrimento recessurum. Etenim si cum cibum capis ad tuum corpus sustentandum, avelli vix potes a mensa, nisi prius vitæ necessariis plene satisfeceris, nec facile quidem id facturus sis absque ingenti necessitate : quanto magis spiritualibus epulis debes adesse, tuumque animum precatione corroborare ! Quantum enim differt cœlum a terra, et cœlestia a terrestribus ; tantum a corpore anima differt.

Anima cœli est imago, in qua videlicet inhabitat Dominus : caro vero constat e terra, quæ ab hominibus mortalibus, et a brutis animalibus incolitur. Quare corporis necessitates ad precum horas accommoda, sisque paratus non ei cogitationi obedire, quæ te ab opere divino avellat. Is enim dæmonibus mos est, videlicet æquæ causæ nomine atque simulatione, per precum horas nos ad recedendum instigare, ut specioso quodam obtentu a salutari precatione nos abducant. Ne dixeris simulatione usus : Heu caput meum, heu ventrem meum ! obscuros commentitii doloris testes adhibens, atque quiescendi causa vigiliarum vigorem infringens. Imo potius vaca occultis precibus, quas in occulto videns Deus, te in aperto remunerabitur. Habe superabundantem quæstum per optimam vivendi rationem, ut divitias reconditas in necessitatis die reperias. Occurrentibus ministerii tui vicibus, verba hortativa et consolatoria cum corporis labore conjunge, ad commonstrandum erga eos quibus inservis amorem tuum, ut ministerium tuum fiat gratum, ut pote quod sale conditum sit. Opera tibi incumbentia ab alio confici nequaquam sinas, ne merces quoque erepta tibi, alteri tribuatur, teque humiliato, alter divitiis tuis sibi gloriam comparet. Decenter et sedulo tanquam Christo inserviens, imple tui ministerii munia. *Maledictus enim*, inquit, *omnis qui facit opera Domini negligenter.* (*Jer.* XLVIII, 10.) Time, velut Deo spectante, abusum ex nimietate et contemptu proficiscentem, etiamsi ministeria quæ tibi in manibus tuis sunt, vilia esse videantur. Magnum est servitii opus, et per illud acquiritur cœlorum regnum. Est enim virtutum sagena, cum in seipsa omnia Dei præcepta ferat.

Et primum quidem omnium complectitur humilitatem, quæ parens est virtutis omnis, copiamque affert bonorum ; tum est illud : *Esurivi et dedistis mihi manducare : sitivi, et dedistis mihi bibere : hospes eram, et infirmus, et in carcere, et ministrastis mihi.* (*Matth.* XXV, 35.) Et maxime, cum officia debita in animo humili citra elationem iramque et murmurationem præstantur. Æmulator esto eorum qui recte vivunt, atque ipsorum actiones in tuo corde inscribe. Opta esse ex paucorum numero. Nam rarum est bonum ; ob idque pauci sunt qui ingrediantur in regnum cœlorum. Cave putes eos omnes fieri salvos qui in cella degunt, tum malos, tum bonos. Non enim res ita se habet. Multi quidem accedunt ad sanctum ac pium vitæ genus : sed pauci ejus jugum subeunt. *Violentorum* enim *est regnum cœlorum, et violenti rapiunt illud*, verba hæc Evangelii sunt. (*Matth.* XI, 12) Violentiam appellavit corporis afflictationem, quam suapte sponte sustinent discipuli Christi, dum suam ipsorum voluntatem corporis que quietem rejiciunt, ac omnia Christi præcepta servant. Igitur si vis rapere Deiregnum efficiare violentus, cervicem tuam jugo servitutis Christi submitte. Jugum ejus constringe circa collum tuum, id tuam cervicem premat, fac idem reddas tenue ac leve per laborem virtutis, in jejuniis, in vigiliis, in obedientia, in silentio, in psalmodiis, in precationibus, in lacrymis, in manuum opere, in toleranda afflictione omni, quæ tibi, tum ex dæmonibus, tum ex hominibus accedit.

Digitized by Google

Ne tibi, temporis progressu, persuadeat superba aliqua cogitatio ut de laboribus remittas, ne forte si ad exitus fores nudus virtutibus deprehensus fueris, extra regni portas inveniare. Ne efferat te cleri gradus : sed potius humiliet. Nam animæ profectus humilitatis profectus est : defectus vero et ignominia ex animi elatione gignitur. Quanto ad majores sacerdotii gradus appropinquare te contigerit, tantum humilia te ipse, filiorum Aaron veritus exemplum. Cognitio pietatis, cognitio est humilitatis atque mansuetudinis. Humilitas æmulatio est Christi : elatio autem, ut audacia atque impudentia, æmulatio est diaboli. Christum æmulare, non Antichristum : Deum, non Dei adversarium : dominum, non servum : misericordem, non immisericordem : humanum, non inhumanum : eos qui sunt thalami nuptialis, non eos qui tenebrarum. Ne ambias fratribus imperare, ne alienorum peccatorum onera collo tuo imponas. Expende cujusque diei opus, idque cum opere diei præteriti confer, et ita demum melior fieri stude. Profice in virtutibus, ut prope accedas ad angelos. Permane in cella non per dies, non per menses, sed per multorum annorum circuitus, laudans Dominum tuum noctu diuque, cherubim exemplo atque imitatione. Si sic incœperis, sicque desieris, tum demum arcto itinere per breve exercitationis tuæ tempus confecto, in paradisum cum Dei auxilio ingrediere, in splendore lampadis animæ, cum Christo gaudens in sæcula sæculorum.

Idem, *ibid.* — Tres eorum, qui salutem consequuntur, classes esse scio, servorum videlicet, mercenariorum, et filiorum. Si servus es, plagas metue. Si mercenarius, mercedem duntaxat specta. Sin autem supra hos assurgis, ac filius es, ut patrem reverere. Bonis operibus stude, quia bonum est patri optemperare, etiamsi ex ea re nihil quæstus ad te rediturum sit. Hoc ipsum merces est, patri obsequi. Quæ utinam ne contemnamus ! Absurdum enim fuerit, cum pecunias avide præripias, sanitatem in longius differre atque extrahere ; cum corpus præpurges, animæ purgationem in aliud tempus reservare ; cum ex hac terrena servitute in libertatem vindicari studeas, supernæ libertatis cupiditate minime tangi ; cum studium et diligentiam omnem adhibeas, ut magnificas ædes incolas, aut splendidas vestes geras, nihil curæ suscipere, ut ipse summo pretio dignus sis ; cum ad bene de aliis merendum promptus sis, de teipso bene mereri nolle. Et quidem si tibi pretio hoc bonum comparare liceret, nullis omnino pecuniis parceres : nunc autem, quia gratuita misericordia proponitur, idcirco tibi prompta et exporrecta beneficentia et liberalitas contemptum parit. Omne tibi tempus ad ablutionem idoneum est, quandoquidem nullum tempus mortis periculo vacat. Cum Paulo, id est cum magna illa voce, ad te clamo : ***Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*** (*II Cor.* VI, 1.) Quo loco particula, ***nunc***, non certum aliquod tempus, sed tempus omne designat. Et rursus : ***Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus*** (*Ephes.* V, 14), peccati noctem discutiens : quandoquidem ***in nocte spes mala***, ut testatur Isaias, (XXXVIII, 13) ac mane accipi conducibilius est.

S. Basil., *Serm. de renunt. sæc.*, t. II.—Sera cum serendi tempus fuerit ; et fruges comporta, et horrea solve, cum tempus hoc postularit ; et tempestive planta, et uvam maturam detonde, et veris temperie fretus, navem e portu solve, rursusque oriente hieme, marique sæviente, fac eam in portu subducas. Quin tibi quoque, et belli et pacis tempussit, et matrimonii ineundi, et a matrimonii opere abstinendi, et amicitiæ, et dissidii, si quidem ita necesse sit, atque omnis denique rei, si Salomoni auscultandum est. (*Eccle.* III, 1 seq.) Auscultandum est autem ; utile enim consilium proponit. At vero salutis tuæ negotium semper age, ac quælibet occasio sit tibi tempus suscipiendi baptismatis. Si autem semper hodiernum diem præteriens, crastinum observes, paulatim differendo, non animadvertis te a pravo illo deludi, ut ita fert illius consuetudo. Da mihi præsens, inquit, futurum Deo : mihi juveniles annos, Deo seniles : mihi voluptates, Deo corpus effetum, nullisque usibus aptum. Verum quanto in periculo versaris ? Quot, quamque inopinati rerum casus ? Vel bellium oppresserit, vel terræmotus obruerit, vel mare exceperit, vel bellua rapuerit, vel morbus exstinxerit, vel mica panis, res vilissima, transverse per fauces currens (quid enim hominis interitu facilius, quantumvis ob divinam imaginem glorieris ?) ; vel immodica crapula, vel ventus in præceps agens, vel equus sessorem secum abripiens, vel pharmacum de industria ad insidias comparatum, fortasse etiam pro salutari pestiferum inventum, vel inhumanus judex, vel inexorabilis carnifex, vel denique quidpiam eorum quæ celerem mortem, atque omni ope et auxilio validiorem efficiunt.

Idem, *ibid.* — Existimate Salomonem his verbis inertiam ac socordiam vestram acriter insectari : ***Quousque tandem, piger, jacebis ? Quando consurges e somno ?*** (*Prov.* VI, 9.) Hoc et illud causaris, atque ***excusas excusationes in peccatis.*** (*Psal.* CXL, 4.) Luminum diem exspecto : Paschatis festum pluris facio : Pentecosten exspectabo. Cum Christo baptizari præstat : cum Christo in resurrectionis die ad vitam redire : Spiritus adventum honorare. Quid postea ? Veniet repente vitæ finis in die quam non exspectas, et in hora quam ignoras : ac tum adveniet quasi malus viator, gratiæ inopia, atque in tantis bonitatis opibus fame laborabis. Sed faciendum tibi est, ut contraria per contraria colligas, messem nempe per diligentiam et industriam, sitisque restinctionem per fontem, atque ***instar cervi*** (*Psal.* XLI, 2) gravissima siti laborantis, magna celeritate ad fontes accurras, contractamque currendo fatigationem aqua exstinguas ; non autem, ut ***Ismaeli*** accidit (*Gen.* XXI, 15), aquæ inopia exarescas : aut quod poetæ fabulantur, in medio fonte siti crucieris.

Digitized by Google

Miserum est, cum nundinæ effluxerint, tum demum negotiationem quærere. Miserum est, cum manna præterierit, tum cibum appetere. Miserum est serum consilium capere, ac tum damni sensu affici, cum nulla jam ratione acceptum incommodum sarciri potest, hoc est, postquam hinc excesserimus, acerbeque conclusa fuerint, quæ quisque in hac vita gessit, atque, et scelerati homines, supplicio, et qui animos purgarint, splendore affecti fuerint. Quocirca vobis providendum est, ne ad gratiam cunctanter accedatis ; verum summam celeritatem adhibeatis, ne latro vobis antevertat, ne adulter vos prætereat, ne avarus superiori conditione sit, ne sicarius bonum illud præripiat, ne publicanus, ne scortator, ne denique quisquam ex iis qui *per vim in regnum irrumpunt, illudque rapiunt.* (*Matth.* XI, 12.) Ultro enim vim patitur, ac propter bonitatem tyrannidem suffert.

S. Greg. Naz., orat. 40, tom. I. — Nihil progressum tuum inhibeat ; nihil animi alacritatem reprimat. Quandiu vehemens est desiderium, id quod desideras arripe. Quandiu calet ferrum, frigida obduretur, ne quid interim accidat, quod animi cupiditatem infringat. Philippus sum ; esto Candaces. Dic ipse quoque : *Ecce aqua, quid me prohibet baptisari ?* (*Act.* VIII, 36.) Temporis occasionem arripe : ob bonum lætitiam concipe: atque hæc locutus, baptizare ; baptizatus, salutem accipe ; et quamvis corpore Æthiops sis, animo dealbare. Salutem consequere, qua nihil sublimius præstantiusque est, apud eos certe qui mente præditi sunt.

Idem, *ibid.* — Salutem acceleremus, ad baptismum exsurgamus ; exsilit Spiritus, præsto est initiator, in promptu est baptismus. Sin vero adhuc claudicas, nec Deitatis perfectionem suscipis, quære qui te tingat, vel in malam rem tingat. Mihi enim non vacat Deitatem secare, atque in regenerationis tempore tibi mortem inferre ; ut sic nec gratiam habeas, nec gratiæ spem, salute nimirum brevi tempore naufragio amissa. Si cui enim ex his tribus Divinitatem detraxeris, totum everteris, tibique ipsi perfectionem ademeris. At nondum ulla in animo tuo, vel melior, vel deterior littera impressa est ; verum hodierno die inscribi te oportet, atque a nobis ad perfectionem informari ? Nubem ingrediamur ; da mihi pectoris tui tabulas ; Moyses tibi ero, etsi hoc insolentius a me dictum videri queat ; Dei digito novum decalogun inscribam ; compendiosam salutis doctrinam insculpam. Quod si qua bellua hæretica, et a ratione aversa sit, inferiori loco maneat ; aut periculum erit ne veritatis doctrina tanquam lapidibus obruatur. Baptizabo te, docens in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti. Nomen porro unum tribus commune, Deitas. Intelliges, tum ex ipsa rerum specie, tum ex verbis ipsis, te omnem impietatem rejicere, et cum Deitate conjungi. Crede mundum universum, tam qui oculis cernitur, quam qui oculorum obtutum fugit, a Deo ex nihilo creatum esse, et Creatoris providentia gubernari, foreque aliquando ut in præstantiorem statum immutetur.

S. Chrysost., l. III *Adv. oppugn. vitæ monast.*, t. I. — An is qui civitatem incolit, qui domum habet et uxorem, salvus esse non poterit ? Sane non unus salutis modus est, verum multi ac varii. Quod quidem Christus indefinite dicit, multas scilicet esse ad Patrem mansiones pronuntians : Paulus vero cum distinctione quadam ita scribit : *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et claritas stellarum : stella enim a stella differt in claritate.* (*I Cor.* XIII, 41.) Quod autem dicit hujusmodi est, alii quidem fulgebunt ut sol, alii ut luna, alii ut stellæ. Sed non stetit differentia, sed in his ipsis magnam ostendit esse hic varietatem, tantamque, quantam in tanto stellarum numero contingere par est. *Stella enim*, inquit, *a stella differt in claritate.* Perpende igitur a solis magnitudine ad ultimam stellarum decurrens, in quot dignitatum gradus descendas oporteat. Quomodo non absurdum id fuerit, quod si in regiam filium adducas, nihil non agas et patiaris, ipsumque ad idem faciendum inducas, ut nempe regi a latere possit esse, nec ea de causa quidpiam subterfugias, non sumptus, non pericula, non mortem ipsam ; cum autem cœlestis militia nobis consideranda et expetenda proponatur, nihil doleas si extremum sortiatur locum, sitque omnium novissimus ? Verum si tibi videtur, et hoc ipsum inspiciamus, num is, qui in medio rerum versatur, possit illam sortem adipisci ? Beatus quidem Paulus brevem de hoc sententiam tulit, eosque qui habent uxores, non aliter salvos esse posse declaravit, quam si eas ita haberent tanquam non habentes, et mundo non abuterentur.

Idem, t. III, in illud *Rom.* XII, 20 : *Si esurierit inimicus*, etc. — Quantum mihi censetis dolorem inuri, cum recordor festis quidem diebus vasta maris æquora collectarum turbas imitari, jam vero ne quotamvis quidem partem hic illius multitudinis congregari ? Ubi nunc sunt, qui nobis in solemnitatibus molestiam exhibent ? Illos requiro, et illorum causa lugeo, dum mihi venit in mentem, quanta pereat eorum multitudo qui salvi erant, quantam faciam fratrum jacturam, quam exiguum in numerum rediganter qui salutem adipiscuntur, ut major pars corporis Ecclesiæ mortuo et immobili corpori assimiletur. Qui illud ad nos attinet, dicet aliquis ? Ad vos quidem certe maxime attinet, qui non eos curatis, non adhortamini, non consilio juvatis ; ad vos qui necessitatem non imponitis, neque vi pertrahitis, et ab illa summa negligentia revocatis. Non enim tantum nobis prodesse nos debere, sed et multis, ostendit Christus, cum salem nos, ac fermentum, et lucem vocavit. Hæc enim aliis utilia sunt et commoda. Nam lucerna non sibi lucet, at illis qui sedent in tenebris : et tu lucerna es, non ut lumine solus fruaris, sed ut illum errantem reducas. Quid namque prodest lucerna, quando in tene-

Digitized by Google

bris sedenti non lucet? Quæ porro utilitas Christiani, quando neminem lucratur, nec ad virtutem reducit? Rursus non seipsum adstringit sal tantum, sed et corpora quæ corrumpuntur cohibet, neque diffluere ac perire permittit. Sic tu quoque, quandoquidem spiritualem te salem Deus effecit, membra corrupta, hoc est desides fratres, et qui mechanicas exercent artes, astringe et colliga, desidiaque tanquam ulcere quopiam putrido liberatum cum reliquo Ecclesiæ corpore copulato. Propterea te fermentum appellavit: siquidem fermentum etiam non seipsum fermentat, sed reliquam massam ingentem licet et immensam, ipsum parvum cum sit et breve. Sic nimirum vos quoque, quanquam numero pauci estis, multi tamen ac potentes estote fide ac studio erga cultum Dei. Ut igitur fermentum propter exiguitatem imbecille non est, sed propter insitum a natura calorem ac virtutem qualitatis exsuperat: sic vos nimirum multo plures poteritis ad eumdem fervorem ac studium reducere, si velitis.

Quod si æstatem obtendant; siquidem hoc quoque illos audio dicentes: Vehemens nunc æstus est, atque intolerandi calores: non possumus coarctari et in tanta turba comprimi, undique sudore diffluentes, æstu gravati, et in angustias redacti: pudet me illorum, mihi credite; sunt enim muliebres isti prætextus, vel potius ne illis quidem ad obtinendam veniam excusationes istæ sufficerent, quibus molliora sunt corpora et imbecillior natura. Quanquam autem ejusmodi defensionem responsione diluere turpe videbitur, necessarium est tamen. Si enim illi has obtendere excusationes non erubescunt, multo magis nos pudere non debet hæc refellere. Quid ergo hæc obtendentibus opponemus? Trium puerorum illis memoriam volo refricare, qui cum in fornace ac mediis flammis versarentur, cum undique se cernerent ignibus obsideri, qui in os, in oculos, in anhelitum ipsum incurrerent, sacrum illud et mysticum hymnum cum creaturis Deo canere non cessarunt, sed alacrius quam si in prato versati fuissent, tum in medio rogo stantes communi Domino universorum laudes offerebant: et cum tribus his pueris leonum in Babylone, Danielis et lacus. Neque vero tantum hujus, sed et alterius lacus, ac prophetæ, lutique; quo ad collum usque suffocabatur Jeremias, ut recordentur illos obsecro. Et ex lacubus istis ascendens, in carcerem introducere istos volo qui calores obtendunt, Paulumque monstrare ac Silam compedibus illic præpeditos, vestigiis verberum plenos, quibus totum corpus vulneribus plagarumque fuerat multitudine laceratum, media nocte Deum laudantes, et sacras illas vigilias celebrantes.

An non enim absurdum est sanctos quidem illos, cum in fornace, et igne, et lacu, et belluis, et luto, et carcere, et compedibus, et plagis, et ergastulis, et intolerandis versarentur malis, nihil unquam horum culpare, sed multa cum animi contentione, et ardore perpetuo, precibus et hymnis sacris operam dare, nos qui non ullam exiguam, non magnam ex illis quæ enumeratæ sunt passionibus toleravimus, ob æstum et calorem modicum ac sudorem nostræ ipsorum salutis curam deponere, ac relictis collectis foris vagari, nosque cœtibus depravandos immiscere, in quibus nihil non vitiosum est et corruptum? Tantus sacrorum eloquiorum est ros, et æstum objicis? *Aqua quam ego dabo ei*, ait Christus, *fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* IV, 14); et rursus: *Qui credit in me*, sicut dixit Scriptura, *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* (*Joan.* VII, 38.) An tu, quæso, cum intus fontes habeas et flumina spiritualia, sensilem calorem times? At in foro, quæso, ubi tantus est strepitus, tot angustiæ, ac multus æstus, qui fit ut calores et solis ardorem non obtendas?

S. Chrys., hom. 24 *in Act. apost.*, t. IX.— Quot putatis in urbe nostra esse qui salutem consequentur? Molestum quidem est quod dicturus sum, dicam tamen. In tot millibus non sunt centum qui salutem consequantur; sed de illis etiam dubito. Quanta, quæso, nequitia in adolescentibus, quanta desidia in senioribus? Nemo, quam oporteret, educandi filii curam habet: nemo senem videns, illum imitari studet. Exempla de medio sublata sunt. Idcirco nec juvenes fiunt admirandi. Ne mihi dicas: Multa hominum turba sumus. Hoc frigidorum hominum est: id de hominibus merito dicatur; de Deo autem qui non opus habet nobis, non item: quod autem etiam de illis frigidum sit verbum audi. Qui multos habet domesticos, si illi improbi sint, quot mala patietur? Ei qui nullum habet, hoc videtur grave quod non serviatur: is vero qui improbos habet famulos, cum illis it in perniciem, majusque est damnum. Gravius quippe est aliis pugnare et decertare, quam sibi ipsi servire. Hæc dico, ut ne quis Ecclesiam admiretur propter multitudinem; sed ut curemus illam multitudinem claram efficere. Ut unusquisque suam curet partem, ut non amicos, non cognatos, ut, semper repeto, non vicinos tantum, sed etiam extraneos pertrahat. Exempli causa, fit oratio; jacent frigidi omnes, juvenes et senes; purgamenta magis quam juvenes, risui, cachinnis, fabulis incumbentes; hoc enim ego audivi; et genibus nixi alios dicteriis impetentes.

Tu qui ades, juvenis, aut senex, increpa si videas, vehementius incesse; et si non ferat, diaconum voca, minare, quæ penes te sunt facito. Et si quid audeat contra te facere, multos habebis adjutores. Quis enim ita irrationabilis est, qui te videns illos de ea re objurgantem, non stet in parte tua? Discede, sumpta precis mercede. In æde dominica hos servos aliis benevolentiores judicamus, qui nullum vas extra ordinem jacere sinunt. Si videres in domo vas argenteum temere foras projectum, etiamsi non esses ad hoc deputatus, annon illud domum referres? Si vestimentum projectum, etiamsi curam ejus non gereres, etiamsi eum cui

Digitized by Google

cura commissa odio haberes, annon ob benevolentiam in dominum illud apte reducere? Ita et nunc. Hæc vasa sunt : si videas illa incomposite jacentia, reduc in ordinem. Accede ad me; non recuso : dic mihi; fac me certiorem. Non possum omnia videre : ignoscite. Videte quanta nequitia orbem occupat. Num sine causa dicebam, nos esse acervum feni, mare incompositum? Non dico illos talia facere; sed tanta oscitantia intrantes laborare, ut hæc non corrigant.

Rursum alios video colloquentes stare, dum fit oratio : molestiores autem non modo dum fit oratio, sed etiam dum sacerdos benedicit. O audaciam! quandonam erit salus? Quomodo poterimus Deum placare? Si ad ludum abeas, videbis omnes concinne choreas agentes, nihilque negligi. Sicut ergo in lyra varie et recte composita, apta quædam symphonia ex bono ordine efficitur; ita et hic unam omnium et consonam harmoniam effici par esset. Una enim sumus Ecclesia : unius capitis membra decenter aptata : unum sumus omnes corpus : si quid neglectum fuerit, totum neglectum et corruptum erit. Ita et multorum rectum ordinem unius inordinatio labefactat. Quodque terribile est : non huc ad ludum choreamque saltaturus venis, et incompositus stas. Nescis te cum angelis stare, et cum illis cantare hymnosque celebrare? Et stas ridens? Annon mirum est, quod fulmen non immittatur, non in illos tantum, sed et in nos omnes? Hæc quippe fulmine digna sunt. Adest rex, videt exercitum; tu vero illis videntibus stas ridens, vel ridentem negligis? Sed quousque increpamus? Quousque reprehendimus? Annon ut pestes, annon ut corruptores, annon ut corruptos et perniciosos hujusmodi homines, innumerisque malis onustos ab Ecclesia pelli oportuisset? Quandonam illi a risu abstinebunt, qui in tempore benedictionis garriunt? Non præsentes reverentur? Non Deum timent? Annon sufficit nobis mentis socordia; non satis est quod orantes alio evagemur; sed et risum et cachinnos multos ingerimus?

S. Chrys., serm. 9 *in Gen.*, t. IV.— *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, corripite illum : considerans temetipsum, ne et tu tenteris.* (*Galat.* VI, 1.) Optima admonitio, perfectum consilium, quod paterna viscera declarat, et ejus qui magnam nostri curam gerit. Vere linguæ Pauli verba, fratres, satis eximio nomine benevolum reddidit auditorem, quasi dicturus : ejusdem uteri partu et doloribus prognatus es, eumdem habuisti patrem, iisdem alimentis educatus es, communicasti ei in partu spirituali, cognationem et fraternitatem hanc etiam in corrigendis proximi erratis declara. *Si præoccupatus fuerit.* Non dixit, si peccet, sed ad genus peccati confugit, quod majorem meretur veniam. *Si præoccupatus fuerit*, hoc est, si graviter tentatus succubuerit, si erraverit, neque eum qui dedita opera peccavit dicit, sed eum qui studuit bene agere, supplantatus tamen est a potestate diabolica et victus. Nam talis non tam accusationem, quam veniam meretur. *Si præoccupatus fuerit homo.* Iterum ad aliam veniæ speciem confugit, nempe naturæ infirmitatem, quam nomine hominis insinuat. Sicut igitur et magnus Job veniam a Deo impetrare volens, dicebat : *Quid est homo quod reputas eum, et visitationem peccatorum ejus fecisti?* (*Job*, VII, 17.) Sic et nos faciamus, quando cum peccatore aliquo expostulatur, continue dicamus, homo est : et naturæ recordatione ad misericordiam indignantem provocemus. Et ea de causa Paulus ad naturam et ejus infirmitatem confugit, cum dixit : *Si et præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto.* Non simpliciter magna peccata dicit quæ majora quam ut veniam et misericordiam mereri videantur, sed parva et abjecta. *Vos qui spirituales.* Is qui peccat, homo; qui vero bene operantur, spirituales dicuntur. Hic virtutis vocabulum posuit, illic naturæ nomen dixit. Multum autem differt homo, et spiritualis. *Vos qui spirituales.* Si spiritualis es, ostende mihi virtutem tuam, non a tua, sed a mea salute, sed a subsidio quod lapso fers. Hoc enim spiritualis est, non despicere sua membra periclitantia. *Instruite talem.* Facite, ait, ne capi possit, ne certando defatigetur, ne præliando adversus diabolum succumbat. *Considerans temetipsum, ne et tu tenteris.*

Hoc summum consilium est, et admonitio maxime cogens. Etiamsi saxeus fueris, et audias, verbum hoc sufficiet ad terrendum, et provocandum quo feras auxilium lapso. Non vis, ait, ut frater, misereri? Non vis, ut hominibus, concedere veniam? Non vis ut spiritualis, manum porrigere? Considera conditionem tuam; et non indigebis consiliario, sed per temetipsum jacentem juvabis et a temetipso admoneberis. Quo pacto, et quomodo? *Considerans temetipsum*, ait, *ne et tu tenteris.* Non dixit : Nam omnino et tu peccabis, ne molestior esset : sed quomodo dixit? Ne quando et tu tenteris. Fieri enim potest, ut pecces : fieri etiam potest, ut non pecces. Et quia incertum est futurum, para tibi misericordiæ sportulas quas illi dones, ut per illa quæ proximo impendis, si et tu aliquando lapsus fueris, invenias promptuaria miseratione referta. Non dixit, ne quando et tu pecces, ne quando et tu cadas. Attendite diligenter ad vim verborum ipsorum : *Sed ne quando et tu tenteris.* Quo simul indicatur, nos habere inimicum tentatorem. Et tentator non statutum insidiandi tempus habet; plerumque enim in nos dormientes et negligentes impetum facit : et idcirco præoccupatus ille magis dignus est cui condonetur, quoniam a tentatore captus est. Non enim erat ei manifesta pugna, neque condictus dies belli, sed in incautum impetum fecit, atque idcirco superavit. Sic nautæ quoque faciunt, cum per magnum et spatiosum mare navigant : licet navis secundo vento feratur, licet omni fruantur securitate, cum tamen viderint alios vel procul naufragium facere, non suam spec-

Digitized by Google

tantes utilitatem, illorum contemnunt calamitatem ; sed sistunt navem, laxant anchoram, detrahunt vela, ejiciunt funes, projiciunt tabulas, ut ille qui a fluctibus mergitur, forte aliquo illorum arrepto, emergat. Imitare igitur et tu nautas, homo ; nam et tu mare navigas magnum et spatiosum, nempe vitæ præsentis quod multas habet belluas, piratas, petras, et latentes scopulos, crebrisque turbatur fluctibus, et in eo naufragantur plurimi. Cum igitur videris navigantium aliquem diaboli insidiis amittere divitias salutis, natare in fluctibus, et jam submergi, siste navem, et relictis negotiis tuis, statim illius provide saluti. Nam moram non sustinet neque dilationem, qui submergi incipit. Igitur statim accurre, et quantocius e fluctibus eum eripe, nihil non age ut ipsum ex profundo interitus extrahas : etiamsi te plurima negotia aliorsum vocent et trahant, nihil ducas magis necessarium salute sic laborantis : nam si parumper differre volueris, perdetur tempestate rabida. Unde in tantis periculis magna acceleratione opus est et studio.

Audi quomodo Paulus, viso homine quodam qui in profundum rapiebatur, sollicitus et anxius erat, et alios exercitabat. *Confirmate in illum charitatem*, inquit, *ne forte tristitia abundantiore absorbeatur ille.* (*II Cor.* II, 8.) Et propter hoc jubet statim præbere manum, ut ne interim dum differimus, præventus ille absorbeatur. Curam igitur geramus fratrum nostrorum. Hæc summa vitæ nostræ est ; hoc signo internoscimur an Christiani simus, cum non solum quæ nostra sunt spectamus, sed et membra nostra perversa corrigimus et instruimus. Hoc maximum indicium fidei. *In hoc enim cognoscent omnes*, inquit, *quod discipuli mei estis, si vos diligitis mutuo.* (*Joan.* XIII, 35.) Charitatem autem sinceram declarat non communio mensæ, non breve colloquium, non verborum adulatio, sed studium in considerando quid proximo conducat, ut erigatur qui cecidit, et porrigatur lapso manus salutem negligenti, ut ante bona propria, inquirantur quæ proximi sunt. Hæc est vera charitas. Nam charitas non spectat quæ sua sunt, sed prius videt ea quæ proximi, quam quæ sua, ut per ea videat quæ sua sunt. Et ego nunc non propter memetipsum tam longis sermonibus utor, sed propter vos. Igitur et vos audite, non propter vosmetipsos, sed propter alios a vobis erudiendos. Quandoquidem Ecclesiæ corpus per membrorum cohærentiam nutritur, sicut ergo membrum quod apud seipsum cibos omnes reservat, vicinoque non communicat, et se ipsum offendit, et reliquum corpus corrumpit, quemadmodum in stomacho videmus : is enim si cibum solus continuerit, et reliquum corpus fame corrumpit, et seipsum sua inexplebili improbitate perdit : si autem acceperit quantum pro sua portione satis, et reliquum aliis membris transmiserit, et seipsum ac reliquum corpus in bona valetudine conservat : ita et tu nunc, si ea quæ a nobis audis, detinueris, aliique non communicaveris, et illum incommodabis, et invidiæ gravissimos morbos foves. Satis enim ad perditionem tuam fuerit, vel ob malitiam, vel ob invidiam, vel etiam ob ignaviam non communicare aliis. Contra, si citra invidiam et ad alios transmiseris alimoniam, et tibi ipsi et aliis profuturus es.

S. Chrys., hom. 4 *in Gen.* I, t. IV.—Non desunt qui fortuito res omnes factas esse asserant, si non tam attemperata docendi ratione nos dignatus esset ; quid non fuissent ausi, qui adversus salutem suam quæque et dicere et facere student ? Quid enim miserius et insipientius iis qui talia dicere attentant, et affirmant res fortuito fieri, fraudantque omnem creationem divina providentia ? Quo pacto enim rationi consentaneum fuerit, dic, oro, tanta elementa et tantum ornatum absque aliquo moderatore et omnia conservante gubernari ? Et navis nunquam poterit absque gubernatore maris fluctus permeare ; milesque nihil strenuum et egregium absque prætoris ductu et auspiciis gerit ; et domus constare nequit, nisi adsit qui eam administret : mundus autem hic immensus, et elementorum illorum ornatus, fortuito et temere ferri poterit, nullo existente qui omnia possit moderari, et qui per suam sapientiam ea contineat et conservet ? Verum quid ulterius contendimus illis probare ea, quæ et cæcis, ut in proverbio est, perspicua sunt ? Attamen ne omittamus proponere eis doctrinam Scripturarum, sed omne impendamus studium, ut ab errore liberati ad veritatem reducantur. Nam licet adhuc præoccupati erroribus sint, ejusdem tamen, cujus nos, generis sunt : et par est ut magnam eorum curam habeamus, nunquam torpescentes, sed diligentia summa facientes ea quæ in nobis sunt, utilem illis medicinam adhibeamus, ut saltem tandem aliquando ad veram sanitatem redeant.

Nihil enim ita curat Deus, ut animarum salutem. Id clamat Paulus, dicens : *Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* (*I Tim.* II, 4.) Et iterum Deus ipse ait : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat.* (*Ezech.* XVIII, 23.) Propter hoc etiam naturam hanc omnem produxit, et nos formavit, non ut pereamus, neque ut in supplicium nos mittat ; sed ut salvos faciat, et ab errore liberatis, regno frui nobis concedat. Hoc enim nobis præparavit, non nunc postquam facti sumus, sed ante jacta fundamenta mundi, sicut ipse dicit : *Venite, benedicti Patris mei, in hæreditatem, accipite præparatum vobis regnum ante constitutionem mundi.* (*Matth.* XXV, 34.) Vide benignitatem Domini, quomodo antequam formaretur mundus, et produceretur homo, infinita ipsi bona præparaverit : ostendens quantam nostri generis providentiam gerat, et se omnium salutem velle. Talem igitur habentes Dominum, tam misericordem, tam benignum, tam mansuetum, cum nostræ, tum fratrum nostrorum salutis curam geramus.

Idem, *ibid.* — Nam et hoc nostræ salutis argumentum erit et occasio, si non solum

Digitized by Google

pro nobis ipsis solliciti, sed et proximo utiles fuerimus, et ipsum ad viam veritatis deducamus. Et ut discas quantum bonum sit cum nostra aliorum etiam salutem lucrari, audi prophetam ex persona Dei dicentem : *Qui educit pretiosum a vili, quasi os meum erit.* (*Jer.* xv, 19.) Quid hoc est? Qui ab errore ad veritatem, ait, manuduxerit, vel a peccato ad virtutem proximum induxerit, pro virili parte humana me imitatur. Etenim ipse cum Deus sit, propter nihil aliud nostram induit carnem, et propter humani generis salutem factus est homo. Sed quid ego nostram illum induisse carnem dico, cæteraque omnia sustinuisse humana; quando etiam crucem suscepit, ut nos peccato obnoxios a maledicto liberaret? Et hoc quoque Paulus clamat, dicens : *Christus nos redemit a maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* (*Gal.* III, 13.) Si igitur ipse, qui Deus est et ineffabilis essentiæ, ob benignitatem ineffabilem hæc omnia propter nos et propter salutem nostram suscepit : quid non a nobis æquum est præstare erga eos, qui cognati sunt ac membra nostra, ut ereptos eos ex diaboli faucibus, in viam virtutis inducamus? Nam ut anima corpore præstantior est, ita iis qui indigentibus pecunias et facultates suppeditant, majoribus præmiis digni sunt ii qui, admonendo et continue docendo, in viam rectam supinos et desides inducunt, monstrando eis et vitiorum deformitatem, et divinæ virtutis pulchritudinem.

S. Chrys, hom. 4 *in Gen.* I, t. IV. — Hæc igitur omnia cum sciamus, præ omnibus aliis hujus vitæ curis, de salute animæ proximos alloquamur, eamdem illis sollicitudinem ingerentes. Optabile enim, optabile plane, ut anima cui hæc continuo in culcantur, possit reduci ex abysso malorum in quorum medio versamur, et compescere affectuum, qui perpetuo animam nostram infestant, rebellionem. Idcirco nobis opus est magna vigilantia, quoniam et continuum nobis est bellum, induciæ nullæ : ideoque Paulus dicebat, Ephesiis scribens : *Non est nobis colluctatio adversus sanguinem et carnem; sed adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi dominos, rectores tenebrarum sæculi hujus, adversus spirituales nequitias in cœlestibus.* (*Ephes.* VI, 12.) Ne existimetis, ait, vulgare nobis certamen proponi; non adversus ejusdem generis adversarios nobis est certamen, neque ex æquo exercitus noster instructus est. Nos enim qui corporibus sumus annexi, in acie collocati sumus, ut cum incorporeis virtutibus confligamus. Sed ne timeatis; nam licet inæqualis sit pugna, magna tamen armorum nostrorum virtus est. Subjungit enim hæc, quasi diceret : Quoniam novistis hostium naturam, ne animo concidatis, ne torpescatis ad pugnam; sed propter hoc suscipite armaturam Dei, ut possitis resistere insidiis diaboli. Multæ enim ejus sunt insidiæ, hoc est viæ, per quas negligentiores supplantare nititur; quas diligenter cognoscere operæ pretium est, ita ut effugiamus ejus conatus, et nullum ipsi ingressum permittamus. Quin et linguæ diligens habenda est custodia, et oculi muniendi sunt, et mens purganda, et perpetuo ad pugnam paratos esse convenit, quasi fera aliqua nos invadat, et lædere conetur. Propter quod cœlestis illa anima, doctor gentium, lingua orbis, nihil non agens pro salute discipulorum, postquam dixit : *Accipite armaturam Dei;* iterum subjicit, et nos undique muniens, et invictos faciens, sic dicit : *State igitur accincti lumbos vestros in veritate, et induti thoracem fidei, et calceati pedes vestros in præparatione Evangelii pacis. In omnibus assumite scutum fidei, in quo possitis omnia tela illius ignita exstinguere, et galeam salutis accipite, et gladium Spiritus, quod est verbum Dei.* (*Ephes.* VI, 13 et seq.) Vidisti quomodo omnium membra muniverit; et quasi in prælium egressuros primum zona cingat, quo expeditiores simus ad cursum : dein induat nos thorace, ne a jaculis vulneremur, sed et pedes munivit, et undique armavit fide. Hæc, ait, hæc ignita tela hostis exstinguere poterit.

Qui miseretur, ait, *pauperi, feneratur Deo.* (*Prov.* XIX, 17.) Vide usuræ rarum naturam et admirabilem : alius est qui accipit, et alius qui se dando fenori obnoxium facit; neque hoc solum spectandum, sed etiam quod in hoc usuræ genere neque ingratum animum, neque ullum aliud damnum experiamur. Neque enim quemadmodum hic centesimam solum promittit, sed centuplo plura datis, nec solum centuplo plura, sed hæc dantur in præsenti vita; in futuro autem vita æterna : et in præsenti quidem vita; si qui nobis solum duplicia polliceretur pro iis quæ a nobis dantur, parati essemus illi omnem nostram substantiam offerre; tametsi sæpe multi ingrati sint, multæque sint avarorum fraudes. Etenim plurimi qui probi habentur, debitum non solvunt, vel quod ingrati sint, vel sæpe inopia prohibente. Circa Dominum autem omnium nihil hujusmodi suspicandum; sed et capitalis summa in tuto est, et centuplum hic promittitur dantibus, et in futurum vita æterna nobis reservatur. Quæ igitur nobis defensio erit, si negligentes fuerimus, et non festinaverimus centupla pro paucis accipere, et pro præsentibus futura, et pro temporalibus æterna; sed placide pecunias januis et vectibus incluserimus, et indigentibus non expenderimus ea quæ ibi nullo usu et temere jacent, ut in futuro sæculo eorum subsidia inveniamus? *Facite*, inquit, *vobis amicos ex mammona iniquitatis : ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* (*Luc.* XVI, 9.) Scio multos non modo non adstipulari iis quæ a nobis nunc sunt dicta, sed etiam ea ut delirium et fabulam audientes, verbis nostris minime esse attentos. Unde ego crucior et doleo, quod neque rerum experientia, neque tantæ Dei promissiones, neque timor futurorum, neque quotidianæ admonitiones nostræ apud tales quidquam proficiant. Non tamen cessabo, etiam sic, ab hoc dando consilio, donec eos frequentia monitorum superatos, attentos atque vigilantes reddi-

Digitized by Google

dero, atque ex crapula et ebrietate, quam in obtenebratam illorum mentem aviditas pecuniarum invexit, eruere valuero. Scio enim, scio fore ut per gratiam Dei, sermonum nostrorum frequentia, et jejunii studium ipsos vel sero a difficili hoc morbo liberare, perfectæque sanitati restituere possit, ut et ipsi a suppliciis quæ eis parata sunt liberentur, et nos a tristitia eruamur, et pro omnibus gloriam referamus Deo Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

S. Chrys., hom. 59, al. 60, *in Matth.* c. xviii, t. I. — *Ita non est voluntas coram Patre vestro, ut pereat unus de parvulis istis.* Viden' quot modis nos inducat ad curam vel minimorum fratrum? Ne itaque dixeris : Ærarius est ille, aut calceorum sutor, agricola, insipiens, ut ideo despicias illum. Ne enim in illud mali incidas, perpende quot modis te inducat, ut modeste agas, et eorum curam geras. Puerum in medio statuit, et ait : « Efficiamini ut parvuli, et, quicunque susceperit parvulum talem, me suscipit, et qui scandalizaverit, extrema patietur. » Neque contentus fuit exemplo molæ, sed illud *væ* addidit, atque illos abscindere jussit, etiamsi manuum et oculorum loco nobis essent. Rursumque ab angelis quibus commissi sunt hi fratres tenues, ut illos in pretio habeamus impellit, nec non ex sua voluntate atque passione. Nam cum dicit: *Venit Filius hominis salvum facere quod perierat*, crucem significat, quemadmodum et Paulus ait de fratre scribens, *Propter quem Christus mortuus est* (*Rom.* xiv, 15), et de Patre, quod non ipsi placeat si pereat, et ex communi consuetudine, quod pastor relictis iis quæ salvæ erant, eam quærat quæ erraverat, et cum invenerit, multum lætetur de salute ejus.

Si ergo Deus ita gaudet de parvulo qui repertus est, cur tu despicis eos quos Deus tam sollicite curat, cum oporteret animam ipsam tradere pro uno ex parvulis istis? Sed infirmus est et imbecillus : ideo maxime nihil non agendum est ut illum serves. Nam et ipse nonaginta novem relictis ovibus, ad illam venit nec potuit tot hominum salus unius perniciem obscurare. Lucas vero ipsam eam humeris sustulisse ait, et majus gaudium haberi *super uno peccatore pœnitentiam agente quam super nonaginta novem justis*. Cum vero propterea illos qui sani et salvi erant reliquit, et de hoc reducto magis delectatus est, multam ostendit hac in re curam. Ne itaque tales animas negligamus. Hæc quippe omnia hanc ob causam dicta sunt. Nam cum minatur eum, qui non parvulus efficitur, non intraturum in cœlos esse, et cum molam memorat, arrogantium fastum deprimit. Nihil enim ita charitati repugnat, ut arrogantia. Cum vero dicit: *Necesse est ut veniant scandala*, vigilantiores reddit; ac cum adjicit: *Væ illi per quem scandalum venit*, id curat ut singuli studeant ne per se scandalum veniat; cum jubet autem exscindi eos qui scandalizant, salutem faciliorem efficit; cum præcipit ne minimos contemnamus : nec modo præcipit, sed cum vehementia, nam ait: *Videte ne contemnatis unum ex his minimis;* cum vero dicit : *Angeli eorum vident faciem Patris mei; et ideo veni ego, et Pater meus hoc vult*, illos qui eorum curam habituri sunt, diligentiores reddit.

Idem, *ibid.* — Viden' quanto muro illos circummunivit, et tanquam vel viliorum et pereuntium sollicitudinem gerat, mala comminans intolerabilia iis qui supplantant ipsos, et magna promittens bona iis qui ministrant illis, ipsosque curant, idque suo atque Patris exemplo confirmat? Hunc et nos imitemur, nihil recusantes eorum quæ humilia et laboriosa videntur pro fratribus suscipere : sed etsi ministrare oporteat, sive parvus, sive vilis fuerit is cujus causa hoc opus suscipitur ; quantumvis laboriosa res fuerit; etsi oporteat montes et præcipitia pertransire, omnia tolerentur pro salute fratris. Tanta quippe est Deo cura de anima, ut ne Filio quidem suo pepercerit. Quare, obsecro, primo diluculo cum a domo exierimus, hunc unum scopum habeamus, et hanc præcipue sollicitudinem, ut periclitantem eripiamus; non loquor hic de sensibili periculo, hoc enim ne periculum quidem est; sed de periculo animæ, quod hominibus parat diabolus. Nam mercator ut opes augeat, pelagus transmeat; artifexque ut rem familiarem amplificet, nihil non agit. Nos itaque ne salutem nostram operari satis habeamus, hoc modo enim illam labefactaremus. Etenim in bello et acie miles qui id unum curat, ut fuga saluti suæ consulat, alios secum perdit; cum contra strenuus quisque qui pro aliis arma sumpsit, cum aliis seipsum quoque servat. Cum itaque res nostræ belluin sint, et bellum omnium acerrimum, acies quoque et pugna; ut rex noster jussit, ita ad pugnam instructi stemus in acie, ad cædes et sanguinem parati, ad omnium salutem respicientes, commilitones incitantes, lapsos erigentes. Nam multi ex fratribus nostris in hac pugna jacent vulnerati, sanguine perfusi, nemoque curat illos, non e vulgo aliquis, non sacerdos, non alius quivis, non patronus, non amicus, non frater : sed singuli sua tantum spectant. Ideo nostra minuimus. Nostra quippe maxima fiducia, nostra laus est, si non nostra tantum curemus.

Idem, hom. 40, t. XII. — Nihil felicius iis qui regnum cœlorum consequuntur, fratres, ut nihil miserabilius iis qui illud amittunt. Si enim quis a patria pulsus, omnium commiserationem movet, et qui hæreditatem amisit, omnibus miser esse videtur, qui e cœlo et ex bonis illic repositis excidit, quot lacrymis plangi debet; imo non plangi, plangitur enim quis, cum quid patitur, cujus ipse non in causa est; cum autem ex propria voluntate seipsum in nequitiam conjecit, non lacrymis, sed lamentis dignus erit, imo etiam luctu. E enim Dominus noster Jesus Christus Jerusalem, etsi impie agentem, luxit et deploravit. Vere mille fletibus digni sumus, mille lamentis. Si totius orbis assumpta voce, et lapi-

Digitized by Google

des, et ligna, et arbores, et bestiæ, et aves, et pisces; totus, inquam, orbis, si assumpta voce nos defleret, qui a bonis illis excidimus, non pro merito fleret et lamentaretur. Quis enim sermo, quæ mens illam beatitudinem declarare possit, illam virtutem, voluptatem, gloriam, lætitiam, splendorem? *Quæ oculus non vidit, et auris non audivit et in cor hominis non ascenderunt.* (*I Cor.* II, 9.) Non dixit, superat tantum, sed nec cogitavit quisquam, *quæ præparavit Dominus diligentibus se.* (*Ibid.*) Nam quæ bona Deus præparat, qualia esse virisimile est? Si enim postquam nos fecit statim, antequam quidvis fecissemus, tanta largitus est, paradisum, colloquium cum ipso, immortalitatem promisit, vitam beatam et curis vacuam; iis qui tanta fecerint, qui decertarint, qui pro ipso passi fuerint, quid non largietur? Unigenito non pepercit propter nos, Filium genuinum ad mortem tradidit propter nos inimicos; quo nos non dignabitur, si amici efficiamur? Quid non dabit nobis sibi reconciliatis? Et dives est admodum et immensus, cupitque ac curat amicitiam consequi nostram. Nos vero, dilecti, non ita curamus illam consequi; et quid dico, non curamus? Nolumus sic bona illa consequi ut ille vult; et quod magis velit, per id quod fecit ostendit. Nos enim pro nobis ipsis vix parum pecuniæ contemnimus; ipse vero pro nobis Filium suum dedit. Utamur, ut par est, Dei charitate, fruamur ejus amicitia. *Vos* enim *amici mei estis*, inquit, *si feceritis quæ dico vobis.* (*Joan.* XV, 14.) Papæ! inimicos qui immenso spatio ab illo distant, a quibus supra modum per omnia differt, hos amicos suos vocat. Quid ergo non patiendum esset pro tali amicitia? Pro hominum amicitia sæpe periclitamur? Pro Dei vero amicitia ne pecunias quidem profundimus? Luctu sane digna sunt nostra; luctu, lacrymis, gemitibus, lamentis magnis et planctu. A spe nostra excidimus, a celsitudine nostra humiliati sumus, indigni Dei honore visi sumus, improbi post beneficia facti sumus et ingrati.

Ab omnibus bonis nos nudavit diabolus. Qui dignati fueramus esse filii, et fratres, et cohæredes, ab inimicis ejus qui ipsum injuria affecerunt, nihil differimus. Quæ nobis erit demum consolatio? Ipse nos vocavit ad cœlum; nos autem ad gehennam nos dejicimus. Iteque et mendacium, et furtum, et adulterium effusa sunt super terram. Alii sanguinem per sanguinem miscent; alii res faciunt sanguine pejores. Multi qui læduntur, multi quorum bona rapiuntur, mille optant mortes potius quam hæc pati: et nisi Dei timore detinerentur, sibi manus inferrent, ita mortem optant. Hæccine non sunt sanguine pejora? Hei mihi, o anima! Quia periit pius a terra, et qui recte agat apud homines non est. Nunc autem nos pro nobis ipsis clamemus primum. Sed lamentum mecum suscipite. Fortasse quidam et augurantur et rident; ideo enim lamentum augendum est, quia ira insanimus et amentes sumus, neque an insaniamus scimus, sed de quibus gemere oporteret ridemus. *Revelatur, o homo, ira de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum; Deus manifeste veniet, ignis ante illum præcedet, et in circuitu ejus tempestas valida. Ignis ante illum exardescet et inflammabit in circuitu inimicos ejus.* (*Rom.* I, 18; *psal.* XLIX, 3.) Dies Domini ut fornax accensa, et nemo hæc in mentem conjicit: sed hæc tremenda et formidanda dogmata, magis quam fabulæ, despiciuntur et conculcantur: ac nemo est qui audiat, sed irrident omnes. Quis nobis exitus erit? Undenam salutem inveniemus? Periimus, consumpti sumus. *Facti sumus in derisum inimicis nostris, et in subsannationem gentibus* (*Psal.* XLIII, 14) ac dæmonibus. Altum sapit nunc diabolus, exsultat et gaudet. Angeli quibus nos concrediti sumus, omnes in pudore et tristitia versantur. Nemo est qui convertatur, frustra a nobis omnia consumpta sunt, et vobis delirare videmur? Opportunum nunc est advocare cœlum, quia nemo audit, et elementa contestari. *Audi, cœlum, et ausculta, terra, quia Dominus locutus est.* (*Isa.* I, 2.) Date manum, porrigite, qui nondum demersi estis, iis qui ab ebrietate perierunt; qui sani estis, ægris; qui vigiles estis, furentibus, et iis qui circumferuntur.

Nemo igitur gratiam amici saluti ejus anteponat. Hinc contumelia et increpatio; sed ad unam respiciat ejus utilitatem. Cum febris apprehendit, etiam servi dominum tenent. Cum enim ille uratur, animam cunundens, mancipiorum agmen adest, nemini cedens, neque heri legem agnoscit in damnum domini. Nos convertamus, rogo. Bella quotidiana, demersiones, pernicies innumeræ circum, et undique ira Dei circumsistit. Nos autem quasi ipsi placentes, in securitate sumus. Manus ad rapinam apparamus omnes; nemo ad auxilium; omnes ad rapinam, nemo ad patrocinium. Singuli ut opes augeant student, nemo ut egeno ferat opem; singuli ut pecunias accumulent admodum curant; nemo, ut animam servet suam. Timor unus occupat omnes, ne pauperes, inquiunt, evadamus; ne autem in gehennam incidamus nemo anxius est, nemo tremit. Hæc fletibus, hæc accusatione, hæc criminatione digna sunt. At non hæc dicere volebam: verum a dolore cogor. Ignoscite, a gemitu cogor; multa dico quæ nollem. Gravem video plagam, inconsolabilem calamitatem: quæ nos occuparunt mala, consolationem non admittunt: periimus. *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontes lacrymarum, ut lugeam?* (*Jer.* IX, 1.) Fleamus, dilecti, fleamus, ingemiscamus. Forte quidam sunt hic dicentes: Omnia lamentationes, omnia lacrymas dicit. Nollem, credite, nollem, sed encomia et laudes semper efferre. Nunc autem horum tempus non est. Non lamentari grave est, dilecti, sed lamentis digna facere. Non ingemiscere avertendum est, sed gemitibus digna patrare. Ne puniaris, et non ingemisco; ne moriaris, et non ploro. Sed si corpus quidem mortuum ja-

Digitized by Google

ceat, omnes advocas ad condolendum, et immisericordes dicis eos qui non lugent; anima vero pereunte, dicis non lugendum esse. Sed non possum. Pater sum, et lugeo; Pater sum filios amans.

Audite quid clamat Paulus : *Filioli mei, quos iterum parturio.* (*Galat.* IV, 19.) Quæ mater pariens ita acerbas emittit voces, ut ille? Utinam animi rogum videre liceret, et videres me magis uri, quam quævis junior puella, et mulier immaturam viduitatem passa. Non tam illa virum suum luget, neque pater filium, quam ego hanc nostram multitudinem. Nullum video profectum, omnia in calumnias et accusationes vergunt, et nemo placere Deo studet. Sed de hoc et de illo, inquiunt, male dicamus; ille clero indignus est, ille inhoneste vivit. Cum nostra lugere deberemus, de aliorum malis judicamus? Neque si a peccatis puri essemus, hoc deberemus facere : *Quis enim te discernit*, inquit? *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (*I Cor.* IV, 7.) Tu vero, cur judicas fratrem tuum, cum innumeris plenus sis malis? Cum dixeris : Ille improbus est, perniciosus, molestus, teipsum considera, et tua accuratius examina, ac de dictis pœnitentiam ages. Si quis ergo in Ecclesia, quasi in statera juxta verba nostra constituere voluerit, ad mille talenta sermonum sæcularium, vix denaria centum inveniet verborum spiritualium, imo neque obolos decem. Si ergo Deus illa observet, quis sustinebit? Hæc cogitantes, misericordes simus, ignoscamus iis qui in nos peccaverunt. Centum denarii hic sunt peccata in nos commissa : quæ autem contra Deum a nobis, decem millia talenta. Scitis quoniam ex personarum conditione peccata judicantur; verbi gratia, qui privatum hominem contumelia affecit, peccavit; at non ut ille qui principem, et plus quam hic is qui minorem; qui vero regem, multo magis. Et contumelia quidem eadem est; sed ex personæ excellentia fit major. Si autem qui regem contumelia afficit, ob personæ dignitatem intolerabili supplicio traditur; qui Deum afficit contumelia, quot talentorum debitor erit. Itaque licet eadem contra Deum peccata admittamus, quæ contra homines, non par tamen ratio est; sed quantum intervallum est Deum inter et homines, tantum inter hæc et illa peccata.

S. Chrys, hom. 8 *in Epist. ad Cor.*, t. X. — Profunda res est peccatum, et deorsum ferens premit. Ac sicut ii qui in puteum inciderunt, non facile ascenderint, sed aliis opus habebunt qui se educant; sic etiam qui in profundum venerit peccatorum. Demittamus ergo funes ad illos, et sursum trahamus. Imo vero non aliis tantum opus est, sed nobis ipsis; ut et nos ipsos elligemus et ascendamus, non quantum descendimus, sed multo magis si velimus : Deus enim fert opem. Non vult enim mortem peccatoris, sed ut convertatur. Nemo igitur desperet, nemo impiorum morbo laboret : illorum quippe est peccatum hujusmodi. Impius enim cum in profundum malorum venerit, contemnit. Itaque non peccatorum multitudo desperationem inducit; sed impii mens. Etiamsi ergo nequitiam omnem pervaseris, dic apud te : Benignus est Deus, et salutem desiderat nostram. *Etiamsi enim fuerint peccata vestra sicut coccinum, ut nivem*, inquit, *dealbabo* (*Isa.* I, 18); et in contrarium habitum transferam. Ne ergo animum despondeamus. Non enim ita grave est cecidisse, ut lapsum jacere; sic neque ita grave est esse vulneratum, ut a vulneribus nolle curari. Quis enim gloriabitur castum se habere cor? Aut quis dicere ausus fuerit se mundum esse a peccatis? Hæc dico, non ut vos socordiores reddam; sed ut impediam quominus in desperationem incidatis.

Vis discere quam bonus sit Dominus noster? Ascendit Publicanus, mille malis onustus; et cum dixisset tantum : *Propitius esto mihi*, descendit justificatus. (*Luc.* XVIII, 13) Per prophetam quoque dicit Deus : *Propter peccatum parum illum contristavi, et vidi quod dolore esset affectus, et iret tristis, et sanavi vias ejus.* (*Isai.* LVII, 17.) Quid huic humanitati par est? Ut solum esset tristis, inquit, remisi peccata. Nos autem ne hoc quidem facimus : ideo maxime Deum ad iram provocamus. Qui enim per parva gesta propitius factus est, quando ea non fuerit assecutus, jure indignatur, et extremum de nobis sumit supplicium : est enim hoc summi contemptus. Quis enim unquam mœrore affectus fuit propter peccatum? Quis ingemuit? Quis pectus percussit? Quis sollicitus fuit? Ego puto neminem. Sed innumeris diebus lugent homines pro famulis mortuis, pro pecuniæ jactura. Cum autem animam quotidie perdamus, id ne cogitamus quidem. Quomodo ergo poteris Deum tibi propitium reddere, cum ne quidem scias te peccavisse? Etiam inquies, peccavi : etiam lingua quidem profers; dic mihi et mente; et cum dixeris, ingemisce; ut sis semper bono animo. Etenim si doleremus propter peccata, si pro delictis ingemisceremus, nihil aliud nos dolore afficeret, hoc dolore omnem animi ægritudinem expellente. Quamobrem aliud quoque lucraremur cum confessione; nempe quod non immergeremur in hujus vitæ calamitates; neque in rebus prosperis ac præclaris inflaremur. Et hac ratione rursum magis Deum placaremus, ut jam per gesta nostra ad iram provocamus. Dic enim mihi : Si quem habeas famulum, qui multa passus a conservis, de aliis quidem nullam habeat rationem, sed unam rem curet ut ne herum suum ad iram concitet; annon hinc solum poterit iram tuam sedare? Quid autem si eorum quæ in te deliquit nullam curam habeat, curet autem ea quæ in conservos deliquit, nonne majus inferes supplicium? Ita etiam facit Deus. Cum ejus iram non curamus, illam infert vehementiorem; cum autem eam curamus, mitiorem. Imo ne deinceps quidem illam infert. Vult enim ut nos ipsi peccatorum pœnas a nobis exigamus; ille vero non ultra a nobis exigit. Ideo namque commi-

Digitized by Google

natur supplicium, ut metu contemptum auferat.

Cum autem ex sola comminatione deterremur, non sinit ut ejus periculum faciamus. Vide namque quid Jeremiæ dicat : *Non vides quid illi faciunt? Patres eorum ignem accendunt, filii eorum colligunt ligna, mulieres eorum terunt adipem.* (*Jer.* VII, 17.) Timendum est ne de nobis quidpiam simile dicatur : Non vides quid illi faciunt? Nemo quæ Christi sunt quærit, sed omnes quæ sua sunt. Filii eorum ad libidinem currunt : patres eorum ad avaritiam et rapinam : uxores eorum ad sæcularem fastum ; quæ viros suos non modo non sedant, sed etiam provocant. Sta igitur in foro : interroga euntes et redeuntes, et neminem videbis pro re spirituali festinantem, sed omnes pro carnalibus currentes. Quousque non resipiscimus? Quousque in profundum somnum dejicimur? Annon malorum nos cepit satietas? Atqui etiam absque verbis ipsa rerum experientia satis est ad docendos nos, nihil esse res præsentes et prava esse omnia. Homines certe qui externam sapientiam exercebant, et nihil futurorum noverant, cum deprehendissent magnam præsentium rerum vilitatem, ideo tantum abscesserunt. Quam ergo tu consequeris veniam, qui humi repis, nec despicis parva hæc quæ transeunt, nec deseris, pro iis quæ magna sunt atque æterna, qui ipsum Deum audis hoc tibi monstrantem, et ab ipso tales habes promissiones? Quod enim hæc non satis sint ad detinendum hominem, ostenderunt ii qui, absque majorum rerum permissione, ab eis abstinuerunt. Quas enim divitias exspectantes ad paupertatem venerunt? nullas : sed quod bene scirent talem paupertatem esse divitiis meliorem. Quam sperantes vitam, delicias reliquerunt, et asperæ vitæ se dediderunt? nullas : sed ipsam rerum naturam edocti, et scientes hoc aptius esse et ad animæ philosophiam, et ad corporis valetudinem. Hæc igitur nos animo reputantes, et futura bona assidue in nobis versantes, a rebus præsentibus abscedamus, ut illa futura consequamur ; gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi.

S. Greg. Mag., *Moral.*, l. XIII, c. 17. — *Putasne saltem ibi erit requies mihi?* (*Job*, XVII, 16.) Qua in re cum magno nobis timore pensandum est, quis nostrum jam de requie æterna securus sit, si de ea adhuc et ille trepidat, cujus virtutis præconia, et ipse judex qui percutit, clamat.

Idem, *ibid.*, lib. XXXV, cap. 23. — In ipsa sua origine in qua justus homo conditus fuerat, tantis, quantis nunc opus est virtutibus, non indigebat, quia si stare, sicut est conditus, vellet, hostem extra positum vincere sine difficultate potuisset. Postquam vero per assensum hominis semel adversarius ad intima irrupit, laboriosus jam victor ejicitur, qui adhuc impugnans sine labore repelleretur. Multa namque nunc exhibenda sunt, quæ in paradiso necessaria non fuerunt. Nunc quippe opus est virtute patientiæ, laboriosa eruditione doctrinæ, castigatione corporis, assiduitate precis, confessione delictorum, inundatione lacrymarum, quorum profecto omnium conditus homo non eguit, quia salutis bonum ex ipsa sua conditione percepit. — Nunc ergo majoribus studiis utimur, cum salutem nequaquam servamus habitam, sed reparare curamus ablatam.

S. Bernard., epist. 257, *ad Malach.*, t. I.— Considerate quanto ad salvandos vos artificio utitur, et obstupescite ; intuemini pietatis ejus abyssum, et confidite, peccatores. Non vult mortem vestram, sed ut convertamini et vivatis : quia sic quærit occasionem, non adversum vos, sed pro vobis. Quid est enim nisi exquisita prorsus et inventibilis soli Deo occasio salvationis, quod homicidas, raptores, adulteros, perjuros, cæterisque obligatos criminibus, quasi gentem quæ justitiam fecerit, de servitio suo submonere dignatur Omnipotens? Nolite diffidere, peccatores : benignus est Dominus. Si vellet punire vos, servitium vestrum non modo non expeteret, sed nec susciperet quidem oblatum. Iterum dico, pensate divitias bonitatis Dei altissimi, consilium miserationis attendite. Necessitatem se habere aut facit, aut simulat, dum vestris cupit necessitatibus subvenire. Teneri vult debitor, ut militantibus sibi stipendia reddat, indulgentiam delictorum, et gloriam sempiternam. Beatam ergo dixerim generationem, quam apprehendit tam uber indulgentiæ tempus, quam invenit superstitem annus iste placabilis Domino, et vere jubilæus. Diffunditur enim hæc benedictio in universum mundum, et ad signum vitæ certatim convolant universi

Guerric. abb., serm. 4 *de Epiphania Dom.* Op. S. Bern. t. II.—Non tentare omnia pro salute, odium sui ipsius et invidia. Quid enim grande esse potest in præcepto, ubi salus est in promisso? Quanto magis non debet videri grande vel difficile, discere ab Jesu, quia mitis est et humilis corde : cum in eo pariter inveniatur et requies animæ, et præsens medela spiritalis lepræ, pignusque salutis æternæ! Tandem vix ægreque obtinetur a superbo peccatore, ut descendat in Jordanem et lavet ; si tamen septies lavat, totumque se plenius et sæpius mergat, non moratur effectus salutis fidem prophetico facere sermoni. Sed, proh dolor! quanta est hujus nostri miseria temporis! quia non solum divites, sed etiam pauperes leprosi, ita inveniuntur delicati, ut vix usque ad talos salubribus intingi patiantur aquis : aut si semel laverint mox sibi plenissime videantur mundati.

Digitized by Google

SANCTI ET RELIQUIÆ, SANCTIFICATIO

[Ex SS. Patribus.]

S. Clemens. Alex., *Strom.*, l. IV, t. I. — *Hæc enim est Dei voluntas, sanctificatio vestra, ut vos abstineatis a fornicatione, et sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in affectione cupiditatis, sicut gentes, quæ non norunt Dominum; et non exsuperet, et per avaritiam circumscribat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus horum omnium; sicut etiam vobis prædiximus, et testificati sumus. Non enim vocavit nos Deus propter immunditiam, sed in sanctificatione: itaque qui spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui dedit vobis Spiritum suum sanctum.* (*I Thess.* IV, 3 et seq.) Propter hanc ergo sanctificationem nostram, non prohibitus fuit pati Dominus. Si quis autem ex eis respondens, dicat puniri quidem martyrem, propter peccata quæ sunt admissa ante hanc in corpus migrationem; fructum autem posthac esse percepturum vitæ, quæ hic acta fuerit, sic enim constitutam esse administrationem; eum rogabimus an retributio fiat ex Providentia. Nam siquidem non fuerit ex divina administratione, perit consilium et dispensatio expiationis, et eis sua excidit hypothesis. Si autem a providentia sunt expiationes, sunt punitiones quoque ex providentia. Providentia autem etsi a principe, ut ita dicam, moveri incipit, immista tamen est et insita in substantiis, una cum ipsarum generatione per Deum universorum. Quæ cum ita habeant, necesse est ut ipsi fateantur vel non esse injustam punitionem; et tum recte justeque se geruut, qui condemnant et persequuntur martyres; aut ex Dei volunta e exerceri persecutiones. Non utique ergo labor et metus rebus accidit, ut ipsi dicunt, tanquam rubigo ferro, sed ex propria voluntate accedit ad animam.

Orig., hom. 31 *in Num.*, t. II.—*Et dixit Dominus ad Aaron : Tu et filii tui, et domus patris tui tecum sumetis peccata sanctorum.* (*Num.* XVIII, 1.) Mihi non videtur otiosum quod sanctorum peccata commemorat; in multis enim Scripturæ locis sermo iste repetitur. Unde requirendum est quomodo et sancti dicantur aliqui, et de peccatis eorum scribatur. Non enim (ut putant quidam) statim ut quis sanctus esse cœperit, peccare jam non potest, et continuo sine peccato putandus est. Si enim sanctus non peccaret, non utique scriptum esset: *Sumetis peccata sanctorum.* Si sanctus sine peccato esset, non diceret Dominus per Ezechielem prophetam ad angelos, quos mittebat peccatores punire: *Et a sanctis meis incipietis.* (*Ezech.* IX, 6.) Si enim sancti sine peccato sunt, quomodo ipsi primi succumbunt suppliciis peccatorum? Si sancti sine peccato essent, nunquam diceret Scriptura : Quia *justus in principio sermonis sui ipse sui accusator fit.* (*Prov.* XVIII, 17.) Si sancti sine peccato essent, nunquam Paulus apostolus diceret, Romanis scribens : *Nolite propter cibum solvere opus Dei* (*Rom.* XIV, 20), quibus in principio Epistolæ scripserat: *Omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis.* (*Rom.* I, 17.) Et iterum idem Apostolus ad Corinthios scribens dicit : *Paulus vocatus apostolus Jesu Christi.* (*I Cor.* I, 2.) Et post pauca : *Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis.* (*Ibid.*, 2.)

Istos ergo quos sanctificatos, et sanctos appellat, audi quanta in eis peccata reprehendat. Ait enim in sequentibus: *Cum enim sint inter vos æmulationes et contentiones, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?* (*I Cor.* III, 3.) Et iterum : *Jam divites facti estis, sine nobis regnatis, et utinam regnaretis!* (*I Cor.* IV, 8.) Et iterum: *Tanquam autem non venturo me ad vos, inflati sunt quidam.* (*Ibid.*, 18.) Et Paulo post : *Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes.* (*I Cor.* V. 1.) In consequentibus vero : *Et vos*, inquit, *inflati estis, et non potius luctum habuistis.* (*Ibid.*, 2.) In quo utique nullum reliquit immunem, dum aliis fornicationis, aliis inflationis et superbiæ crimen ascribit. Notat eos et in sequentibus etiam de judiciis, et dicit: *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quia judicia habetis inter vos.* (*I Cor.* VI, 7.) Arguit eos quos sanctos dixerat, et pro eo quod idolis immolata manducent, et quasi sententiam inter eos proferens dicit : *Sic autem peccantes inter fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* (*I Cor.* VIII, 12) Sed et de eo nihilominus confutat eos, quod non solum immolatitium cibum, sed et calicem dæmoniorum præsumant, et dicit : *Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum.* (*I Cor.* X, 20, 21.) Ipsis etiam illud dicit : *Propterea inter vos multi infirmi, et ægri, et dormiunt multi. Quod si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* (*Ibid.*, 30, 31.) Post hæc autem non jam delicta moralia, sed fidei in eis crimen exaggerat. Ait enim : *Quomodo dicunt inter vos quidam quod resurrectio mortuorum non sit?* (*I Cor.* XV, 12.) Et iterum : *Si autem Christus non resurrexit, vana est fides vestra. Adhuc enim estis in peccatis vestris.* (*Ibid.*, 17.) Longum porro est, nec præsenti conveniens tempori, ut plurima de iis testimonia proferamus, quibus probetur quod ii qui sancti dicuntur, non continuo etiam sine peccato esse intelligantur: sed hæc opinentur illi qui Scripturis divinis non sollicite, nec diligenter intendunt: in quibus multæ esse differentiæ sanctorum docentur, sicut a nobis et in aliis tractatibus plenius dictum est. Sed et nunc quantum locus requirit dicemus.

Sancti dicuntur iidemque et peccatores, illi qui se voverunt quidem Deo, et seque-

Digitized by Google

straverunt a vulgi conversatione vitam suam, ad hoc ut Domino serviant. Hujusmodi ergo homo secundum hoc, quod se cæteris actibus circumcisis Domino mancipavit, sanctus dicitur. Potest autem fieri, ut in hoc ipso quod Domino deservit, non ita omnia gerat ut geri competit, sed delinquat in nonnullis, et peccet. Sicut enim qui sequestrat se, et segregat ab omnibus actibus, ut disciplinam, verbi gratia, medicinæ aut philosophiæ consequatur, non utique continuo ut se hujusmodi tradiderit disciplinis, ita perfectus erit, ut non inveniatur in aliquo peccare : imo potius plurima delinquendo, vix ad perfectionem aliquando perveniet : et tamen statim ut se ad hujusmodi scholas tradidit, certum est eum vel inter medicos, vel inter philosophos numerari; ita et de sanctis accipiendum est, quod statim quidem ut mancipat se quis studiis sanctitatis, secundum hoc quod proposuit, sanctus appelletur. Secundum hoc vero quod necesse est eum in multis delinquere, donec usu et disciplina ac diligentia abscindatur ab eo consuetudo peccandi, etiam peccator (ut supra diximus) appellabitur. Ego autem et amplius addo aliquid, quod nisi sanctum propositum aliquis habeat, et sanctitatis studium gerat, cum peccaverit, nescit peccati pœnitudinem gerere, nescit dilecti remedium quærere. Qui non sunt sancti, in peccatis suis moriuntur: qui sancti sunt, pro peccatis pœnitudinem gerunt, vulnera sua sentiunt, intelligunt lapsus, requirunt sacerdotem, sanitatem deposcunt, purificationem per pontificem quærunt. Idcirco ergo caute et significanter sermo legis designat, quia pontifices et sacerdotes, non quorumcunque, sed sanctorum tantummodo sumant peccata: sanctus enim est qui peccatum suum per pontificem curat.

Orig., *Comment. in Matth.*, t. III. — *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* (*Matth.* xiii, 43.) — Videtur Daniel, eruditos multitudinemque justorum gloria præcellentium lumen mundi esse sciens, hæc dixisse : *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et de multitudine justorum quasi stellæ in perpetuas æternitates.* (*Dan.* xii, 3.) Apostolus præterea cum ait : *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate : sic et resurrectio mortuorum* (*I Cor.* xv, 41, 42), eadem dicit quæ Daniel, ab ejusque prophetia hanc sibi sententiam assumpsit. Quæret ergo quispiam quomodo de luminis justorum differentia hæc dicant nonnulli, cum Servator contrarium dixerit, *sicut unus sol fulgebunt?* Sic ego existimo, in ipso statim initio beatitudinis qua fruuntur ii qui salvi fiunt, quoniam nondum purgati sunt qui tales non sunt, inde oriri illam luminis beatorum differentiam : sed postquam a toto Christi regno omnia collecta fuerint scandala, quemadmodum supra a nobis traditum est, parientesque iniquitatem cogitationes in fornacem ignis fuerint conjectæ, deterioraque absumpta, et interim ad se redierint hi qui sermones mali filios admiserant, tunc futurum ut in Patris sui regno fulgeant justi, unum solare lumen facti. Verum cuinam fulgebunt, nisi inferioribus qui lucis eorum participes fient, quemadmodum sol iis lumen suum præbet qui super terram degunt? Nec enim sibi ipsi fulgebunt. Hæc autem fortasse verba : *Luceat lux vestra coram hominibus* (*Matth.* v, 16), super latitudinem cordis, quemadmodum ait Salomon, trifariam scribi possunt, ut lux discipulorum Christi luceat coram hominibus nunc, et post mortem, ante resurrectionem et post resurrectionem, donec unusquisque vir perfectus evadat, fiantque omnes unus sol : tunc *fulgebunt omnes tanquam sol in regno sui Patris.*

S. Ephrem., *Encom. in glor. martyr.*, t. II.— Illustris et peramabilis est semper angelis atque hominibus memoria sanctorum, ut nos pari zelo atque fervore decertemus, et ad eorum imitationem Deum diligamus. Igne namque ardentius incidit in corda, suadetque ut contemnamus vanum hunc mundum, et omnia quæ in eo delectabilia apparent ac jucunda, omnemque vitæ istius consuetudinem noxiam, et parentum amorem, ac fratrum benevolentiam, conjugis quoque, ac liberorum et possessionum omnium nimiam curam atque sollicitudinem : quin et in sublime mentem nostram erigit, cogitationemque a cunctis rebus terrenis ad cœlestia elevat, et choros cum angelis ducere facit, atque hinc throno Altissimi assistere, et dum adhuc in corpore sumus, ut imitemur incorporeos; et in terra incedentes, cœlestia sapiamus. Sic enim et Paulus vas electionis, et doctor gentium, omnes cohortatur, scribens, ut *quæ sursum sunt* sapiant, *ubi Christus est a dextris Dei.* Quicunque igitur toto corde ad Deum accedunt, et omnem curam atque sollicitudinem in eum projiciunt, non amplius propriæ indulgere debent voluntati, neque carnis voluptates deinceps sequi, corporeisque perturbationibus inescari ac decipi. Nam qui in Deum credit, non debet hæsitare ac dubitare, tanquam penuria aliqua laboraturus in suo ministerio : qui enim modicæ est fidei, velut incredulus judicatur, non firmam in Deum spem habens.

Sic quippe martyres toto se corde ac animo tradiderunt Deo, ut deinceps et ipsam mortem, et cunctas inimicas tyrannorum minas contemnerent, parati ad perferenda verbera, et tormentorum necessitates, diversosque totius corporis cruciatus. Terga in lororum dederunt sectiones, et in varias fibrarum atque medullarum concisiones. Ideoque impii tyrannorum ministri, quod sanguinarii et parricidæ essent, arreptos sanctos flagris divellebant, unguibus autem latera acriter dilacerabant : postea plumbatis dorsa ipsorum atroci animo crudeliter contundebant; pectoris vero junctura acutis veruculis, infrementes atque rugientes truculentarum ferarum instar, diffindebant: et eorum axillis globos ignitos admoventes, magna eas crudelitate adurebant. Crura ac femora cum nervis, ensibus præcidebant.

Digitized by Google

Venarum autem fistulas cultris discindebant; et membrum vel unum sine tormento atque supplicio non relinquebant. Quin et ossa ipsorum immaniter confringebant: atque ideo virtutem a Deo accipiebant, ut cunctas fortiter passiones sustinerent; et quasi sensus doloris expertes, sese ad quascunque insidias gerebant, et tanquam in alienis corporibus paterentur: imo et iis, qui ipsos excruciabant, audacter insultantes, ad majorem eos iram excitabant dicentes: Si graviora habetis tormenta, admovete nobis, hæc enim nullius momenti sunt.

Quare etiam illi magis incensi, iraque effervescentes, velut immanissimæ feræ adversus ipsos rugiebant, increpantesque lictoribus, vehementius sacra sanctorum pugillum corpora cædenda dilacerandaque curabant. Illi vero vicissim ad præfectos: Ubi sunt, inquiebant, suppliciorum vestrorum minæ? nam ignis vester frigidus apparet, ac tormenta inefficacia: percussores imbecilli, et gladii vestri ligna marcida. Nihil quod nostræ respondeat promptitudini atque alacritati, habetis: ad plura et majora toleranda parati consistimus.

Quapropter mortui, tanquam viventes operantur: ægrotos sanant, dæmones expellunt, omnemque tyrannidis ipsorum nequitiam virtute Domini in fugam agunt. Semper enim sanctis reliquiis gratia adest Spiritus sancti, quæ cuncta in eis miracula edit; quoniam viriliter Christum coram hominibus in magna patientia confessi sunt. Quare et ipse eos coram Patre et angelis suis prædicavit, promisitque eis bona illa, quæ *oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis mortalis venerunt, et in quæ angeli prospicere desiderant.* Et quid amplius hic sermone persequi atque explicare volumus? Cohæredes ipse sibi eos effecit. Hæreditas autem Christi quænam sit, ut ego existimo, nemo ignorat: cœli cœlorum, et omnia quæ in eis sunt: lux inaccessibilis, thronus gloriæ, fons mansuetorum, et omnis paradisus cum cunctis quæ in eo sunt arboribus, fructuque suavissimo. Hæc Christi regis sunt possessiones, et aliæ præterea infinitæ, quarum etiam ignotæ sunt nobis appellationes, quoniam hominum conspectui non patent.

Felicissimi sunt omnes sancti ob hæreditatem illam qua perfruentur, perpetuamque conversationem cum Christo, in quo lumen resplendet, quod est super omne lumen: cujus inexplicabilis gloria substantiæ, et impervestigabilis magnificentia, et inscrutabilis manifestatio dispensationis mysterii Incarnationis super terram. Perfecta figura atque imago ejus, qui genuit ipsum, et fons vitæ, omniumque opifex. Immobile confessorum fundamentum, certantium corona, et vincentium remunerator. Deus fortis, et princeps pacis; inferorum spoliator, et mortuorum vivificator. Ipse sanctos martyres corroboravit, ad tyrannorum crudelia consilia superanda. Ipse omni genere armaturæ suos milites ad hoc bellum instruxit, circummuniens eos undique scuto fidei, et charitatis thorace, mentisque ac voluntatis firmitate: accingens eos gladio Spiritus quo hostis caput amputarunt, templa idolorum funditus everterunt, statuas ut pulverem minutissimum confregerunt, delubra atque altaria immundorum sacrificiorum, iniquorumque libaminum diruerunt; et exsecrabiles ipsorum sacerdotes simul cum ædituis igne comburendos curavit Christus fallaciumque simulacrorum dæmones ab eis depellens, gehennæ tradidit.

Cernentes porro ista gloriosi martyres sic agi virtute Christi, majorem alacritatem pro nomine potentiæ ipsius patiendi sumpserunt, manuque propria deinceps idola dejecerunt, conterentes in terra cunctas abominationes; et ubicunque simulacrum constitutum inveniebant, lapidibus confringentes in lutum projiciebant, ad extremam ignominiam atque derisionem eorum qui colebant et adorabant ea: dicebantque ad iniquos principes ac tyrannos: Ecce simulacra vestra sensus expertia, muta, surda, et infirma, cæca et immobilia, quæ vos colitis: vos, inquam, qui ratione præditi estis, et quos Deus secundum propriam honoravit imaginem, ut ejus potentiam agnosceretis ipsique cum timore ac tremore serviretis, et quæ grata atque accepta ei essent, quotidie faceretis. Ipse enim Deus est absque principio, et fortis, terribilis et potens, gloriosus et invisibilis. Omittentes porro adorare Creatorem vestrum, creaturam potius colitis in exacerbationem ipsius. Solem ad illuminationem fecit diei, ut lucem et calorem ejus percipientes Creatorem illius semper glorificaretis, qui earum rerum vobis usum præbuit atque oblectamentum. Vos autem, tanquam cæci, relicto Creatore, creaturam potius ipsius coluistis. Lunam similiter propter vos creavit sapiens opifex, ut præluceret nocti: vos vero velut insipientes, etiam hanc pro Deo reputantes, ipsi cultum attribuistis. Cæterum misericors Deus patienter tolerans, exspectat semper conversionem omnium, cum nolit mortem peccatorum, sed conversionem ipsorum præstoletur, semperque clamat dicens: « Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis peccatis, quique gravati estis ponderibus onerosissimis illicitarum actionum, ac voluptatum carnalium; et ego in deliciis æternis vos reficiam, concedens vobis remissionem peccatorum vestrorum, et ut filii regni mei efficiamini, ac cum omnibus partiter electis meis reficiamini. »

In hanc sententiam ad conversionem impios sancti martyres hortabantur, si forte salvari vellent. At contra insipientes illi subsannabant eos, maledictis impie incessentes, ac proscindentes eorum admonitiones; quoniam in *malevolam* ac dæmoniacam *animam non introibit sapientia* atque intellectus. Sancti vero omnia dicebant et faciebant in conversionem ipsorum: et quidem flagellati atque percussi, implebant dictum sui Domini: « Diligite inimicos vestros, et eos qui oderunt vos ut similes

Digitized by Google

reddamini Patri vestro cœlesti, oblivioni injurias acceptas trădentes, et omnium miserentes. » Beati ergo sunt hi Christi pugiles, qui lucem et vitam modo æternam participant : fidei columnæ, et charitatis vincula ; viva fundamenta, et qui omnia continent : filii castæ ac venerandæ Christi Ecclesiæ ; turres graves Sion quæ in cœlis est. Hi nunc sponsam Salvatoris exhilarant, hi decorem ejus exornant, hi ornatu atque elegantia quadam spiritali ipsam illustrant, et sicuti reginam circumamictam vestitu deaurato variis eam proprii Domini virtutibus adornant ; speciosam nimirum Ecclesiam quæ astitit a dextris ejus, fulgore spiritus resplendens, claritatem sensibilis solis superans, et supra quam humana assequi cogitatio queat, fulgorem omnem infinities excedens.

Hujus porro sponsor ac paranymphus divinus apostolus Paulus, sapiens architectus, qui antea quidem expugnabat ac depopulabatur ipsam, æmulationem habens legis, sed non secundum scientiam. Saulus enim cum adhuc diceretur, omnia perturbatione magnaque confusione replebat : trahensque ac flagris cædens eos qui Christum colebant, vinctos omnes in carceralem custodiam tradebat, minas et cædem incomparabilem spirans adversus eos qui prædicationem annuntiare volebant, et in externis civitatibus summopere elaborans, diligenterque investigans, si quis forte inveniretur Christum nominans : ita quippe odio vel in ipsum nomen exarserat, quod omnibus dulce est ac expetendum, genusque humanum ab errore salvat. Vehementer autem sæviens in Verbi discipulos, evolat cum epistolis Pontificum : ut si quos inveniret Christum nominantes, viros pariter ac mulieres, alligatos traderet cruciandos præsidi, mortisque pœna muletandos.

E cœlo autem vocatus a benignissimo Domino, cohibitus est et retardatus a cursuquem pessime currebat. *Saule* enim, *Saule*, inquit, *quare me persequeris* (*Act.* IX, 4) ignorans potestatis meæ virtutem ? Inhibe atque omitte deinceps importunam æmulationem ; et desine persequi eos qui me adorant. Saulus autem oculis corporis excæcatus, vi immensæ lucis quæ ad ipsum loquebatur in nube lucida, stupefactus jacebat in terra : apertisque oculis suis, neminem eorum videbat, qui comitabantur cum ipso. Accipiens enim sermonem, sicut piscis hamum, e profundo sursum tractus, utiliter excæcatus est : claraque et illustri vita, judaicisque institutis abdicatis, exinde secutus est Christum, et in piscinam dulcium fluentorum immissus, respexit ad vocationem Christi, ac Paulus mutato nomine vocatus, requiem præbuit Christi discipulis : prædicator securus, et columna firma fidei effectus, affirmavit semper ipsum esse Christum, qui paulo etiam postea propriam tradidit animam præ nimia sua dilectione. Sic enim tota mente Christum amavit atque desideravit, ut se ipsum totum pro ipso periculis traderet : volensque demonstrare amorem desiderii quo in eum ferebatur, ita omnibus scribebat. *Quis nos poterit separare a charitate Christi ? tribulatio ? an angustia ? an persecutio ? an fames ? an nuditas corporis ? an periculum ? an gladius ?* Recensuitque dicens : *Neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* (*Rom.* VIII, 35, seqq.)

Quis, obsecro, nunc dicere poterit se ita diligere eum qui fecit nos, et salvos nos fecit ? quis sic toto animo præsentem contemnit vitam, ut ab omnibus, quæ in ipsa sunt, facile recedat ? Quis ita passiones atque affectiones omnes superat, ut vanæ gloriæ vincula diffugiat ? Quis rursus ita plane renuntiavit omnibus rebus, et omnibus relictis crucem Christi portet, secundum illud, quod idem Dominus audire volentibus dicit : *Si quis venit ad me, et non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus.* (*Luc.* XIV.) Quamvis enim vel modicum quid ex possessionibus sibi ipsi sumat, atque retineat, etiam sic peccat : non enim prorsus cunctis suis renuntiavit, at in diffidentia et hæsitatione accessit. Oportet igitur talem penitus abnegare seipsum, et suscepta cruce, sequi Christum. Sicut enim qui corpore affixus est cruci, nequit secum portare quidquam : ita et qui seipsum crucifixit iis quæ in mundo sunt, nihil earum quæ in hac vita sunt rerum attrahere sibi debet ; ut non similis reddatur Ananiæ et uxori ejus, qui ea quæ Dei erant surripuerant ; sic enim per omnia seipsum ab hujus vitæ rebus separavit apostolus Paulus, ut diceret ac scriberet : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo, et omnia ut stercora arbitror, ut Christum lucrifaciam* (*Galat.* VI), quem dilexi. Hunc gloriosi imitati martyres, seipsos cuicunque obtulerunt tormento atque supplicio ; respicientes in ipsum sapientem magistrum, belli hujus principem atque victorem, qui factus est dux omnibus cupientibus invenire æternæ vitæ fructum, atque oblectamentum ; et quia prompte alacriterque magna cum patientia mortem perpessi sunt, ecce beati prædicantur in sæcula sæculorum.

Quapropter debemus cuncti, sanctorum encomia atque certamina celebrare : quippe qui virili animo strenue decertarunt, ut Deum placatum redderent ; proprioque sanguine propitiato nobis omnibus facti, in holocausta se ipsos pro nobis obtulerunt, velut agni innocentes, atque irreprehensibiles et immaculati, primitiæ pro omni populo facti ; suasque ipsi animas in sacrificium gratum et acceptum multa cum fragrantia Deo offerentes, habebant pro exemplo strenuos illos tres pueros legis custodes, et Dei præcones : quibuscum et nos Salvatorem mundi collaudemus ; quoniam ipsi gloria et potentia in sæcula sæculorum.

S. Ephrem, *Encom. in glor. mart.* — Imaginem sanctorum martyrum describere cupio, et si, cum non illustribus illorum constantiam possim exornare coloribus, considero et re-

Digitized by Google

formido Davidem, ne ad me loquatur : Dicit tibi Dominus per me, peccator, *quare tu enarras justitias meas? (Psal.* XLIX, 16.) Cupio illorum narrando persequi fortitudinem, et contremisco, cum omnis boni operis sim inops. Magnum ac gloriosum pelagus laudum patientiæ illorum trajicere desidero : et instar inexperti alicujus gubernatoris perhorresco, ne illorum laudibus celebrandis succumbam. Sanctorum exercitum prædicare dum quæro, vertigine laborare incipio, armis justitiæ destitutus. In prata illorum ingredi compellor, et floribus virtutum bene redolere : ad paradisum autem sanctorum martyrum properans, fructibus laudum capiendis non sufficio. Currum ad enarranda victoriæ eorum bravia ; sed quo pacto ? Cum debilis sim atque peccator. Quoniam igitur indignus sum atque infirmus, tacendo privabone vos hac utilitate : an potius miserationibus ac visceribus pietatis Christi confisus, dicere aggredior martyrum encomia ? Arbitror autem hoc magis expedire, celebrare scilicet laudibus sanctos Dei martyres, quam defodere talentum, et condemnari : præsertim cum debitor sim charitati vestræ, cum fenore mutuum rependere. Non enim oblitus sum mei promissi, quo vobis de egregiis pollicitus sum victoribus, quando ea quæ sancti ac fidelis sunt Basilii, electi viri Dei, enarrabam. Subvenite ergo mihi, sancti, vestris intercessionibus : et vos, dilecti, sanctis vestris precibus : ut Christus sua gratia linguam meam ad dicendum moveat, os ad enarrandum, cor ad intelligentiam, animum ad compunctionem, mentem ad illuminationem, eorumdemque imitationem : vos autem ad sobrietatem, æmulationem, et auscultationem, desiderium ac vigilantiam, studium atque continentiam, nam ad hoc præclarum munus obeundum nos vocando censuit fidelis pontifex.

Sed tempus deinceps est sermonem ad ipsa athletarum septa admovendi, fratres dilectissimi, tempus melius iter aggrediendi, tempus duplicandi lucra talenti ; dixit autem ille, in legione quadam quadraginta martyres pie atque religiose vixisse, qui statim ostenderunt initio gloriosum se efficere chorum, atque honore dignissimum : quin et prophetica imagine historiam nobis proposuit enarrandam de sanctis hisce martyribus. Nam Moyses quadraginta dies jejunans in monte Sina legem accepit. At hi juxta illum numerum corpora ad cædem destinantes, vitam æternam adepti sunt. Et ille quidem populum insanientem perspiciens, tabulas in monte cum indignatione confregit : hi vero, dæmones rabidos despicientes, inconcussam suam fidem servarunt. Iterumque mansuetus Moyses tabulas apprehendens, sic tandem cunctis Hebræis legem sanxit. Isti autem in uno crucifixi signaculo, Christum in se quasi legis loco omnibus præscripserunt. Et quid mirum est, si et Eliæ virtutem his inveniamus adæquari? Nam in fortitudine cibi unius, Elias Thesbites per dies quadraginta ad montem Oreb pervenit. At hi, corpore Christi gustato, quadraginta pariter ad cœlos pervenerunt. Apparuit, huic Deus per iter currenti, dicens : Multa adhuc tibi restat via, o Elia ; innotuit quoque istis Deus, confirmans intellectum eorum, ac dicens : Præclarum est vestrum studium, ad pietatem directum. Reliquit Zelotes caprinam suam pellem super Eliseum, et ascendit curru : largitus etiam est suam pacem Salvator supra quadraginta istos, et assumpsit eos in gloria. Sicut igitur numerus quadraginta dierum, omnem, Noe tempore, sustulit lasciviam : ita et numerus quadraginta martyrum, iniquam tunc tyranni insaniam repulit, ejecitque. Venit columba portans ramum in signum serenitatis, justo : abierunt sancti isti perferentes labores, et præmia victoriæ offerentes Deo. Accepit arca irrationales victimas, multasque ex eis in sacrificium dedit : accepit caminus sancta corpora, universa Domino in sacrificium adduxit : juxta quod etiam divinitus inspirata nobis testatur Scriptura, quoniam omne sacrificium igne consumetur.

Sed jam dicat nobis voracissima fornax, quomodo sanctorum rursus contubernalis evasit? Et quo pacto ab Oriente ad partem aquilonarem trajecit, quærens ejusmodi segetem? Et non in Chaldæorum terra perstiterit, quæ res varias depascit ; stupam, ac sulphur, bitumen, atque sarmentum proferens? Quo pacto a Babylone in Sebasten jam te transferens, accendisti faculam? Imo vero, inquit, in terra Assyriorum habitabam, procul a Romanorum finibus, et ulterius : verum audivi in regione boreali quadraginta glebas aureas repertas, et veni igne probatura, et illustratura illas : ut easdem probatas artifici suo reddam. Non ubi Domini reperitur opificium, illuc meam transfero aeris potentiam. Officinam enim me fecit Deus, ad separandos bonos de medio improborum. In afflictionem namque constituta sum eorum qui oderunt Deum ; et in indignationem existo illorum, qui non diligunt eum. Cognosco sanctos, et ignoro inutiles : abominor impios, et complector pios. Non aduro sanctos, ut existimant insipientes : neque lædo fideles, sicut considerant gentiles. Duos ignes possideo, et in duobus ego operor ; unum ad mortem, et alterum ad vitam. Invaluit Licinius et Nabuchodonosor cum ministris suis : siquidem ille Sidrach, Misach et Abdenago cum tiaris vivos in fornacem atque ardorem ignis injecit. Hic autem sanctos absque indumentis fractos, omnes ad me emisit. Et cum arbitrentur, inquit, iniqui tyranni, quod ignem perniciosum habeam adversus fideles, non secum reputat quo pacto utrisque, tanquam ancilla obediens, mystice ministratura venerim. Quos enim accepi vivos, emisi vivos ; et quos tuli mortuos, ad vitam incendi. Neque illorum sancta inquinavi corpora ; neque eorum venerandas minui reliquias. Non sacrificarunt illi imagini aureæ, neque isti ignominiosis idolorum formis. Illos flamma tanquam ros illus-

Digitized by Google

tres reddidit : hos vero fluminis fluentum purificando illustravit. Tres illic accipiens, quatuor effeci, ut quadraginta decadas texerent : et quatuor duces, atque promotores quartæ decadis, ante tempora non pauca mystice designavi. Hæc vero effingebam per virtutem illius qui astitit Azariæ, et iis qui cum eo erant in fornace, qui est Deus verus, per prophetam loquens : « Quoniam si in igne constiteris, flamma non nocebit tibi. »

Cernis quantum certamen fecerit memoria præclaræ fortitudinis strenuorum Christi pugilum? Volebam ergo rursum trutinare hic sermonem, ut pietatis modum perdiscam. Nam quemadmodum qui numero quadraginta erant habebant signacula quod strenui, atque invicti essent : sic et perspicue interiora cordis eorum, Crucifixi figura insignita erant. Quid enim? etsi corruptibili corpore coram rege mortali consistebant, spiritu tamen ac mente, immortali Regi serviebant; et omnes tyranni immoderationem tenentes, crucem signifera figura in mente gestabant. Non valuit caligo intolerandæ impietatis, amorem præclaræ pietatis obscurare. Non abolevit dolus amorem pacis, ut neque rursus odium, charitatis cursum. Non exstinxit obscuritas impiæ idololatriæ, lampadem illam cognitionis Dei. Non fregit metus illorum qui castris præerant, zelum neque studium ad cœlum contendentium. Non perturbavit error luctam virtutis : neque ipsa pugna veram orationem. Invisibiliter super terram iidem intra se pro sua dignitate juventutem transigebant. Foris scuto atque thorace inducbantur. Intus sanctissimæ Trinitatis fide armabantur. Foris pharetras corpori admovebant, intus autem animæ custodem sapientiam adhibebant. Foris sagittas ac tela manibus circumgestabant; intus gloriam et honorem Deo deferebant. Cum enim dicantur Deo occulta omnia esse manifesta, multo magis erunt nota quæ sunt hominibus aperta. Foris hominibus gladium intentabant : intus vero ensem Spiritus sancti adhibebant. Alius quidem repellebat sensibilem barbarum : alius vero intelligibilem tyrannum exterminabat. Alius in acie contra adversarium stabat : et alius adversus principatus et potestates invisibiles pugnabat. Ille hostis jugulum petebat : hic improbi adversarii capita amputabat. Ille inimicorum insidias retundebat : hic vero Belial fraudes prævidebat. Ille depopulantium hostium superbiam reprimebat : hic autem dæmonum cuneos ac copias proculcabat. Licebat enim novum et inauditum in uno certamine videre spectaculum, ac duo fortitudinis documenta. Idque profecto aperte declarat et loquitur, in præliis quoque fortes et insuperabiles eos fuisse : non quidem in prælio, quasi unico conflictu; nam duplex erat pugna, et duplex prælium : unde victoriam utrinque reportantes, justitiæ corona cincti sunt.

Præclara igitur perspicere licet, fratres charissimi, historiæ istius ornamenta. Quadraginta enim numero erant personæ, et omnibus divina Providentia diversi aspectus, ac nominum appellationes; sed æqualis inter eos cognominationis pulchritudo. Non expunxit immarcescibilem ipsorum pulchritudinem infidelitatis squalor, neque erroris pestilentia. Non dissecuit ac separavit eos telum impiorum, neque coinquinavit ipsos sagitta acuta; quin et indivisibilem, atque robustam athletarum aciem erga Salvatorem Christum reddidit. O singularis sanctorum, ac fidelium consessus! O chorus aerius, et sors cœlestis! O vinculum compactum, et nexus indissolubilis! O splendidum symposium, et tremenda necessitudinis conjunctio! O via indivisa et concilium ineffabile! O exercitus incomprehensibilis! O gens sancta et populus electus : hæredes vitæ atque resurrectionis : astra lucidissima, ac lucernæ inexstinguibiles : incolæ gloriosi amœnissimi paradisi; digni sponsali thalamo, et cœlesti vocatione; digni nuptiali convivio æternæ lucis!

S. Ephrem, *Encom. in quadrag. matt.* — Tolle, tolle corpus nostrum, acclamabant : nihil enim nobis, aiebant, Christo est optabilius. Quid enim, inquiunt, assentaris mentibus nostris? Optabant enim aspicere Verbum cœleste. Quid simulacrorum insania nos conaris attrahere? Transfiguratus enim est Christus in cordibus nostris. Quid effringere atque destruere tentas fundamenta nostra, quæ utique supra firmam fidei petram firmata sunt? Quid novi Testamenti athletas tentas, quorum mens ad Altissimi ministerium exercitata est? Quid porro surreptitiam, ac falsi nominis consuetudinem connectis adversus rectitudinem, nequissime? Munerum promissa prædicis nobis; sed oleum ab impiis non suscipimus. Agrestis assentator appares in verbis, sed lenitatem sermonis nostri non confundes. Latenter nos omnes perdere cupis, sed servos Christi subvertere nunquam poteris. Confundantur igitur ora impudentissima loquentium iniquitatem adversus Deum : nam Domini est victoria ac potentia, gloria et honor in sæcula sæculorum.

His atque similibus superantes generosi illi pugiles, ad supracœlestem properabant Dominum. Vere igitur fortia horum fuerunt certamina : vere magna fidelium atque insignium victorum istorum præmia. Nam qua alias ratione in tanta persecutionis perturbatione mansueti remansissent, et insidias minime curassent? Et quamvis in oculis hominum visi sunt mortui, finis tamen eorum non sine honore. Tyrannum fregerunt, errorem exstinxerunt, et victoriam retulerunt. Præparaverunt pedes ad sancte incedendum in præparationem Evangelii. Cinxerunt robore lumbos ad ascendendum in supernam civitatem Hierusalem. Cum enim lampades ex igne spirituali, atque illud vivificum oleum secum gestarent, his ignis ille fulsit in stagno. Sicut enim Israeli columna ignis fuit in mari : ita hic ignis sanctos martyres salvavit ex medio caliginosi erroris dæmonum. Hic ipsis cœlitus de

Digitized by Google

nocte apparuit, dum algore corpus obrigescceret. Non reliquit eos divinus ignis, nunc retro, nunc ante apparens. Non deseruit eos nubes, cœlesti dono super illos die noctuque extensa. Non reliquit eos gratia supernæ potentiæ, mentem eorum in aquis consolans. Et in exitu quidem filiorum Jacob, creatura visibilis exsultavit : at in sanctorum martyrum redemptione, cunctæ invisibiles potestates exsultarunt. In illis, montes exsultaverunt sicut arietes : in his, angeli gavisi sunt et spirituum Deus.

Plura igitur ac majora, ut existimo, in egregiis istis ac strenuis victoribus reluxerunt miracula, quam in illis Veteris Testamenti. Ibi siquidem mare conversum est in aridam, ne Israel pertransiens submergeretur : hic vero martyres, intra aquas quasi in thalamo suo diversantes, non sunt submersi. Ibi, ossa Joseph ad Hebræos simul ferebantur : at hic, corpus Christi simul continebat sanctos. Ibi, virga Aaron consequebatur populum : hic autem, brachium Domini conservabat fideles. Ibi, cymbalorum sonus in medio undarum : hic, vox Domini in aquis. Ibi, columna ignis apparebat in millibus : hic, crux Christi resplendebat in martyribus. Ibi, Moyses et Aaron ac Maria præerant : at hic, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Vides quanta admiratione plena, longeque mari Rubro præstantiora, per fortes illos athletas in stagno acciderint ! Gloria et adoratio atque magnificentia ei qui ipsos in istis certaminibus confirmavit.

Tunc amare flevit, qui juxta palustrem herbam butomon, papyrum, et arundinem, delitescit serpens. Tunc corde dissecabatur, quod accedere nequiret, ac funditus gloriosum illorum exercitum succendere. Tunc stridebat in conflictu oppressus, qui adversus sanctos illos, fines orbis turbaverat. Nam qui Jordanem unico obtutu de medio tollit, unica aspersione Trinitatis præfocabat eum. Qui obumbrabatur ramis ac surculis, nudus ac perditus lacerque periit. Qui arctabat puppim suam sicut cypressum, instar passeris illusus est a servis Dei. Thesaurorum pretiosorum receptaculum erat sinus stagni : et sacrilegum nequaquam secum admittebat. Sibilabat draco, terrorem iis qui coram erant, incutere tentans ; et supinus tamen una mox ferebatur. Repebat pectore ac ventre ; et ad aquarum stagni ductus non pervenit.

Quare, ne conturbaret martyres Christi inimicus, Angeli spatium stagni custodiebant : hinc quidem Gabriel, illinc vero Michael : et ab alto, Christus universorum inspector, qui protinus super ipsos demonstravit coronas, ut numerum deficientem expleret ; utque dignus loco indigni referat dignitatem, ac meritum sanctorum in luce, et veniat corona ejus qui locum sibi assignatum deseruerat, super caput ejus qui Christum desideraverat, et (quod etiam dicere oportet) clanculum sanctorum choro adhæserat. Qui enim cum ipsis fuerat, ab illis pellebatur : et qui ad eos accessit, contrarius ipsis fuerat. Qui ad calorem confugit, charitate refrixit : et qui frigore tremebat, desiderio atque amore incensus est. Quin et opportunum hic fuerit referre, charissimi, quomodo Judas ex numero atque collegio apostolorum exierit, et Matthias ejus loco ingressus sit ; quo pacto item Paulus, qui aliquando spirarat minas ac furorem in discipulos Domini, factus sit ipsius discipulus. Quomodo etiam hic, qui antea persequebatur prædicatores Christi, ipse Christum Dominum in stagno postea invocaverit, circumfulsitque eum lux de cœlo media nocte, quemadmodum Paulum tempore meridiei. Illius squamas detraxit Ananias : hujus autem malitiam sustulit sanctorum exercitus. Ille dum persecutorem agit, vulneratus est, et sanatus : hic autem cum venatur, captus est et salvatus, ut quartam decadem sanctus ipse cum sanctis expleret.

Quales igitur imagines conferre suffecero, cum invicta illa insignium athletarum victoria ? et quibus figuris assimilare potero historiæ istius mutuas similitudines ? Dicam plura et majora horum victorum egregiorum tempore, quam Jesu Nave, accidisse miracula. Ibi siquidem quadraginta millia bellatorum Jericho, errorem sustulerunt ex Israel : hic autem quadraginta martyrum numerus, quæcunque de terra sculptilia delevit. Trajecerunt illi fluenta Jordanis, occideruntque Sion cum potentia ejus : subierunt et isti stagneas aquas, ac Satanam cum ministris ejus dedecorarunt. In petrinis tunc gladiis circumcidit Jesus Hebræos in tentoriis conquiescens : at in sanctis largitionibus Christus fideles coronavit athletas, abripiens eos cum luce. Admirabilis erat arca in Jordane, sed magis suspiciendi hi sancti in medio aquarum. Jucunda etiam fuit lex, ac virga, et tabulæ : delectabiliora vero in cunctis sunt ossa sanctorum martyrum. Pretiosum quoque fuit manna, et urna aurea : at multo his amplius, sanguis sanctus. Sicut levitæ ex Jordane tulerunt lapides, ut miraculum posteris dicerent : ita in memoriale coram Christo jacent eædem passiones fortissimorum pugilum. Sic exornatum est Testamentum Novum pretioso sanguine electorum Dei virorum. Ita Ecclesia armaturis Spiritus corroborata est, et e terra ad cœlos evecta. Ita quoque germina ac fructus membrorum martyrum, animas fidelium enutriunt ; et frumentum electum Deo evadunt, seminati super campum stagni : et quæcunque dici possunt ad germinationem opportuna atque utilia, pie in corporibus suis suscipientes, gelu, frigus, atque rigorem ; deinde etiam superna virtute calorem, donec spica animæ ad superna limina vitæ æternæ deportata est.

O amabiles surculi charitatis atque concordiæ Pauli : quomodo variis distinctam coloribus lunam obscurarunt ! O veri fructus agriculturæ Petri : quo pacto rabidam obmutescere fecerunt locustam ! O rami sancti plantationis Christi : quo pacto cuncta corruptionis pericula superarunt ! Radices

Digitized by Google

egerunt in profunditate charitatis; et sic vehementem fregerunt impetum ventorum. Statuerunt etiam amoris carbones acutos, et bruchi ora palo suffixerunt: granum absconderunt in receptaculis spiritus; et serpentem vulnerarunt virga arundinea: ac deinde cuncti pariter salvi atque impolluti, ad dignitatem decem agnorum commigrarunt. Ipsi eximiam pulchritudinem cœlestis suæ messis Deo obtulerunt, et Evangelicis sermonibus irrigati centesimum fructum produxerunt: ideoque etiam tyrannica, demessi falce, manipulos salutis in terram reposuerunt. Plaustris vero inde tanquam frumentum, ad latissimum Ecclesiæ adytum vecti sunt, ut psalmodiis fideliter impinguati, oleum potentibus tribuant. Quis igitur unquam vidit tales admirandos manipulos, stillantes sanguinem et coronas? Quis germina vidit ejusmodi muneribus conspicua: aut corpora, medicamenta hominibus præbentia? Quis porro linum aspexit messis tempore demessum, et a messoribus vegetatum?

Ut enim unum adhuc spirantem viderunt infelices tortores, non assumpserunt eum cum reliquis martyribus: stulto igitur consilio usi, unum ex numero surripere voluerunt. Cæterum diligens colona mater ejus, in humeris ipsum tollens, conjunxit reliquis manipulis, ut ad spiritalem simul aream pervenirent, et ad cumulum spiritalis vocationis; utque in ventilabro intelligibilis spiritus ipse citius e terra in cœlos referatur; ut qui super terram filium lucis cognovit, introducatur in viventem civitatem Jerusalem, fiatque sanctus panis cum cæteris in perenni mensa cœlorum. Sic reputabat secum fidelis ac sancta mater, filium gestans via regia. Sic suas suffulciebat cervices, ipsumque ad cœlestia regna dirigebat. Sic tide contemplabatur onus accumulatum, et suum filium jam eruditum. Nam si iniqui ac fraudulenti illi, inquit, operari permiserunt mihi fructum meum, et non aggregarunt sibi; egone germen dolorum partus mei despiciam? Imo vero ipsum colligam, et Christo offeram, ut in immortalitate recipiam eum, quando venerit qui pro ipsis crucifixus est. Non dissolvor, neque succumbo tali oneri, quoniam muliebrem indulgentiam repudiavi. Montes omnis ponderis, et horoscopia feminarum diffregi, virilis facta sum, atque rebus iter pulcherrimum charissimi filii mei amplector, ac sequor. Novem menses ipsum in utero portavi, ut descendens continentis ac terræ latitudinem videat: parumper iterum humeris eum gestabo, ut ascendens cœlorum pulchritudinem intueatur. In utero conclusum circumgestabam eum, donec cum omnibus aliis eum mundo peperissem; cruentatumque rursus ipsum collo impono, quousque cum angelorum multitudine choreas ducat. Semel eum ex utero in mundum produxi, venitque mortali et caduco amictus corpore: postremo autem jam in humeris eum altissimo et immortali Domino offero; illumque de cætero, loco rerum omnium habebo. Ecce enim magnus mentem meam stupor invadit, quippe quæ filium meum etiam nunc tanto ante prospicio: et ecce præcurrit mihi et juvenescit. Resupinus mihi puer jacere videtur fractus, seseque in cœlum ipsum erigere: vulneribus et cicatricibus notatus est undique, stolaque valde gloriosa circumamictus apparet, silet ore, et spiritu Deum laudat: pennas habet plantas, et ad excelsa pertingit.

Vox cœlitus eum cum martyrii consortibus invitat, dicens: Venite, ingredimini in thalamum lucis. Propterea super his omnibus gaudebo, dicamque ad filium meum: Beatus es, fili dilecte: qualem repente dignitatem tua pulchritudine attigisti ac consecutus es! Qualem nunc hæreditatem tua invenit juventus! divinumque convivium tua obtinuit vita! Beatæ tuæ sunt manus, fili charissime, quoniam invisibiles divitias contrectarant. Beati tui pedes, dilectissime, quoniam a cœno densissimo jam extracti sunt. Quoties ego animo mecum revolvi, dicens: Unde filio meo nuptias parabo? Paupercula ego sum, et ipse ignobilis: quo pacto ergo nos quispiam in affinitatem secum admittet? Quomodo opes acquiram, aut generis splendorem in nostram utilitatem se inclinantem? Ista mecum expendebam, et non noveram quod ineffabili modo apud Dominum constitutus astabas. Neque cognoveram, fili, quod oculis intellectus ascendisses, ac Spiritu supernis virtutibus adhæsisses. Nesciebam quod corporis passiones exstinxisses, et incorporeorum locum omnis passionis expertem acquisivisses. Unde præclarus in te Rebeccæ quadrat arrhabo, dilecte fili, propter quam Abraham servum suum misit: at propter te, suum Unigenitum Deus. Illa, in fonte donaria accepit; tu autem in stagno immaculatas coronas. Illa, per aquam inaures tulit; sed tu per sanguinem, gratiam Spiritus. Non ita puellam decebat tunc accuratus ille ornatus, ut te hodie propter Christum suscepta vulnera. Non sic aurum tunc ornavit puellam juvenculam, quantum te jam martyrii hujus flagella. Non sic obviam juvenculæ processit Isaac in agro, ut tibi in occursum venit ipse Dei Filius. Non in terram Chananæorum, habitaturus pergis; sed in sanctam civitatem primogenitorum: non ut Abraham solum ibi spectes, sed et Deum ipsum patris tui Abraham. Non ergo cognationem ac domum duntaxat odisti, sed et mundum universum, ut Christum tibi lucrifacias. Ipse tibi dotes ascribit in cœlis. Ipse tuam infantiam illustrat, capitique tuo coronam imponit, ac residere magnifice facit in splendore lucis.

Cognoscebas, fili, me jam diu viduitatem cum extrema paupertate amplexam esse: et ideo sic contendisti ad patrem orphanorum et judicem viduarum confugere. Ideo animam tuam potius elegisti, ut eam puram et immaculatam Domino gloriæ traderes. Ideo fidelium te domicilium vadis constituturus in vitam æternam. Suscipio te, et glorifico Dominum, quod ita repente in tantam transilieris altitudinem. Ecce tibi ipsi divi

Digitized by Google

tias adinvenisti integras, quas non thesaurizarunt tibi parentes tui antea. Ecce dignitatem invenisti firmam, atque infractam, quam non dedit tibi rex aliquis terrenus. Ecce invenisti fratres ibi omni ex parte germanos, quos tibi non peperit pauperrima mater. In jucundum comitatum te ipsum retulisti; et cum fidelibus viatoribus ad Christum modo proficisceris. Pulchram hinc regionem desiderati atque amasti : pulchram dico, et celebrem, atque insignem; Istis adhæresce nunc, at in perpetuum. Cum istis etiam ad dexteram Patris consiste. Paululum jam hic in plaustro conquiesce, ut decem civitatibus in cœlis imperes. Admisceatur sanguis tuus pretioso aliorum sanguini, ut nomen tuum libro inscribatur vitæ. Sursum volvatur rota a reliquiis tuis, ut rotas throni Altissimi aspicias. Unico adhuc momento recumbe cum ipsis, ut ad cœlestem mansionem cum iis pervenias. In sensibilem nunc ignem cum eis proficiscere : ut vero cum ipsis lumine mox induaris. In fornacem una cum illis congredere, ut aurum cum ipsis purum egrediaris. Novi quippe ex quali procella erepti sitis, et in quem modo portum transferimini. Novi vos ejusdem vocationis socios factos esse, et ad cœlestem Patrem contendere. Novi vos ad regionem illam capiendam currere, ubi exsulat dolor, luctus ac gemitus; ubi non regnat angustia, neque corporis corruptio, non invidia consumens, non inimicus insidiator; ubi non est malitia, atque adeo ne ullæquidem tenebræ, sed lux veritatis, et splendor decoris; ubi optimus ordo est et beneficentia; ubi salus vera, et immortalitas.

Cur me non simul vobiscum impius tyrannus suppliciis affecit? Quare non hanc felicem oppetii mortem, fili, et essem beata? Quamobrem ad splendidum hoc convivium et ego non discubui, ut delicias essem nacta? An quia nuda sum, atque peccatrix? An quia miseranda sum, et valde miserabilis? Verum non his de causis, vobiscum non venio : nam qui vocavit vos, pauperum amator est; sed quod inter vos plures non admittatis. Estis enim Deo una Quadragenaria cohors, quia estis deni ac deni ad convivium evocati Evangeliorum, et quia in numero quatuor facierum animalium jussi estis afferre divinum currum; omnique tempore illud, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus, Rex gloriæ, dicere. Quoniam ergo talibus dignatus es, mi fili, Christum Salvatorem pro me ora, quando ad vos dicturus est : *Venite, possidete regnum meum, quod præparavi vobis.* Recordare mei, fili, cum consortibus tuis; et mercedem a Patre luminum deposce mihi, ut sicut corpus tuum in me animam egit, ac spiritum duxit, ita aspirent mihi cœlitus Christi miserationes. Et sicuti laceras vestes meas sanguis tuus tinxit, ita misericordiæ Domini ab alto me irrigent. Et ut tecum veni ad milliare hoc unum; sic ad istas tecum sanctorum mansiones perveniam, ut et ego una cum iis Deum prædicem, dicamque quod non est sanctus, sicut Dominus Deus noster : quia respexit humilitatem ancillæ suæ, et erexit cornu omnium servorum suorum : inimicos confudit, ac pauperes salvavit, ipsique semper convenit gloria in sæcula.

Ecce quam mysticam atque arcanam enarravit tragœdiam apta hæc et vocalis hirundo. En quomodo effinxit, ut dicitur, alvearis fistulas ad mel conservandum apis ista sapientissima. En quantam Scripturarum materiam florum instar collegit, et undique melle circumdedit. Idcirco vespæ stimulo malitiæ non perturbarunt atque infecerunt fidei ipsius dulcedinem. Neque rursus locum invenerunt, ubi spiritales mellis pulchritudinem revelent ac comedant. Ideoque pia mater, tanquam prudens regina, fetum ad ramum vitæ proferre cupiens, ipsum ceroma cum mellificio integrum servans, orationum alimentis munita, opus non fictum superis exhibuit, in mysticam illam cœnam donum remittens, quod suavitate ac dulcedine gustus etiam lætificat angelos. Quid igitur pro his retribuemus optimæ mulieri? Quid ad ista dicemus, charissimi? Ita enim illa amorem suum ac desiderium in Christum demonstravit, laudibusque ipsum celebravit, ut dicendo vix assequi queamus: quare ex multis pauca saltem attulisse ei hic encomia suffecerit. Siquidem et ex ipsis jam diligenter enarratis, discimus hanc fidelem, valdeque Deo devotam fuisse : quoniam quæ sursum sunt sapiebat, regnique penetralia inspiciebat, ac immortalitatis præmia apprehendebat.

Sanguinum fontes, et corporum vulnera, divitias perfectas arbitrata, mortem filii in immortalitatem jam versam cernebat, mentis oculis prospiciens. Dicebat enim : Nunc magis me recreas, amantissime Fili, nunc que te melius educare queo, quam cum te salvum atque incolumem produxi ex utero. Sed quo pacto fieri ista possunt, o sancta, fidelis, atque beata? Vides cerebrum confractum : vides pupillas oculorum exsilientes : vides illis ora contusa : vides labia in duas partes divisa, ipsasque verborum scintillas exstinctas. Et (ut uno verbo dicam) cernis universam altitudinem corporis, attractione ac pondere verborum mutilatam, et dicis : nunc me vivam magis reddis, amantissime Fili? Imo vero, inquit, et optime possum, ac valeo. Sed quo pacto, et in quo, ac qua medicina? Ego autem amplius dico : Quo pacto, et in quo, ac quali gratia? Proferam Ezechielem prophetam in medium, qui evangelizabit ei quod ad te dixit Dominus, o adolescens? Ecce ego intromittam in ossa tua spiritum, et stabunt super pedes suos, et vivent in perpetuum. (*Ezech.* xxxvii, 7.) Deinde Paulum adducam affirmantem atque dicentem : Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini : quoniam ipse Dominus descendet de cœlo, et resuscitabit te in vitam æternam. (*I Thess.* iv, 10.) Postea ipsum quoque Dominum, divina sua voce edisserentem. Qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam custodit eam. (*Matth.* x, 39.) In istis tribus signis, certis ac veris, apparuit mihi dilec-

Digitized by Google

tissimus meus filius, et propterea non contemplor illum ut mortuum, sed tanquam viventem, atque superstitem, et permanentem in sæcula. Ideo et me oportebat manifestari tyranno, quod mater ejus sim. Desiderio enim desideravit anima mea videre ipsum bibentem calicem istum; et ecce eum ebibit multa cum facilitate, et abiit in gloriam, referens mercedem suam.

O mulier! magna est fides tua (*Matth.* xv, 28): vere, inquam, magna et celebris. Magna fortitudinis tuæ præmia, ac valida pietatis tuæ bravia. Radix tua sancta, et ramus tuus sanctus, et sanctitas tua permanebit in æternum. Reliquisti hominibus nomen gratum atque amabile, et invenisti inter angelos laudem sempiternam. Ut suavis odor agri in conspectu agricolæ, sic bona fragrantia tua coram angelis. Ut arbores fructiferæ in bona temperie aeris, ita oratio tua in conspectu Salvatoris. Instar Saræ benedicta es, et instar Liæ sanctificata. Tanquam Rebecca et Rachel, pulchritudinis flore glorificata es. Velut Ruth conversa, ad Dominum directa es. Ut Anna et Salome, in precibus exaudita es: in libro vitæ tuum est nomen, et inter filios lucis memoria operis tui. Juravit enim Dominus bonitate sua: Propterea quod opus hoc fecisti propter me, choro angelorum ascribam te in requiem meam. Unde a te deposco, o sancta atque fidelis et beata, ora pro me sanctos, dicens: Intercedite, o triumphatores Christi, pro minimo ac miserabili Ephraem; ut misericordiam inveniam, Christique gratia salvus fiam. Quoniam ipsi convenit gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

S. Gregor. Naz., orat 4, tom. I. — Non victimas pro Christo cæsas veritus es (Juliane), nec magnos pugiles, extimuisti, Joannem illum, Petrum, Paulum, Jacobum, Stephanum, Lucam, Andræam. Theclam, eos qui, et post illos et ante illos, pro veritate periculis se objecerunt? qui cum igni, et ferro, et belluis, et tyrannis, et præsentibus malis, et denuntiatis, alacri animo, velut in alienis corporibus, imo quasi corporum expertes, dimicarunt? Cur ita? ne pietatem vel verbo tenus proderent. Quibus præclari honores et festa constituta sunt; a quibus dæmones propelluntur, et morbi curantur; quorum apparitiones et prædictiones, quorum vel sola corpora idem pos sunt quod animæ sanctæ, sive tangantur, sive honorentur: quorum vel solæ sanguinis guttæ, atque exigua passionis signa idem possunt quod corpora. Hæc non colis, sed contemnis.

S. Ambros., *De Joseph. patriarch.*, t. I. — Sanctorum vita cæteris norma vivendi est. Ideoque digestam plenius accipimus seriem Scripturarum; ut dum Abraham, Isaac et Jacob, cæterosque justos legendo cognoscimus, velut quemdam nobis innocentiæ tramitem virtute eorum reseratum enitentibus, vestigiis persequamur. Discamus et sanctorum invidiam; et imitemur patientiam, et cognoscamus illos non naturæ præstantioris fuisse, sed observationis; nec vitia nescisse, sed emendasse. Quod si invidia etiam sanctos adussit, quanto magis cavendum est ne inflammet peccatores?

Idem, *Enar. in psal.* xxxvi, tom. I. — *Custodi perfectionem, quia sunt reliquiæ homini pacifico.* (*Psal.* xxxvi, 37.) Reliquiæ dicuntur hominis de corpore mortui, de ejus exuviis. Ideo reliquiæ, quia post mortem hominis videntur superesse; supersunt enim quæ servantur ad resurrectionem. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* (*I Cor.* xv, 53.) Ergo magis reliquiæ sunt hominis, spes resurrectionis et fides conversionis, et gratia dilectionis; quoniam impii non resurgunt in judicium: vita autem justorum nota est Deo, et judicio Domini comprobatur. Huic loco pulchre illud convenit: *Reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt.* (*Rom.* xi, 5.)

Idem, epist. 22, t. II. — *Cœli*, inquit, *enarrant gloriam Dei.* (*Psal.* xviii, 2.) Cum legitur hic psalmus, occurrit quod non tam materialia, quam cœlestia merita dignum Deo præconium deferre videantur. Hodierna tamen fortuita lectione patuit quia cœli enarrant gloriam Dei. Aspicite ad dextram meam, aspicite ad sinistram reliquias sacrosanctas; videte cœlestis conversationis viros, spectate animi sublimis trophæa. Isti sunt cœli, qui enarrant gloriam Dei: hæc opera manuum ejus, quæ annuntiat firmamentum. Non enim eos sæcularis illecebra, sed divini operis gratia ad firmamentum sacratissimæ passionis evexit: multoque ante morum virtutumque documentis annuntiavit in his martyrium, quod adversus lubricum sæculi hujus stabiles permanserunt.

S. Chrysost., hom. 1 *in Epist. ad Ephes.* i, t. II. — Quid Deus elegit? ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus. Ne ergo audiens quod elegerit, fidem solam sufficere putes, vitam etiam addit. Propterea, inquit, nos elegit etiam ad hoc, ut essemus sancti et immaculati. Elegit etiam aliquando Judæos. Quænam, inquit, est hæc gens? Elegit ex gentibus. Si autem homines eligentes, quæ sunt optima et pulcherrima eligunt, multo magis Deus. Electos quoque esse, est et Dei benignitatis ac clementiæ, et ipsorum virtutis indicium. Omnino enim probatos elegit, ipseque nos fecit sanctos; sed oportet manere sanctos. Sanctus est qui est particeps fidei, qui est immaculatus, qui vitam habet in quam nulla cadit reprehensio. Sed non tantum quærit sanctitatem, et ut nulli simus affines reprehensioni, sed ut coram ipso tales appareamus. Sunt enim sancti et immaculati, sed qui sic existimantur ab hominibus qui sunt similes sepulcris dealbatis, qui pelles habent ovium. Sed non quærit tales, verum quales dicit Propheta, *et secundum puritatem manuum mearum.* (*Psal.* xvii, 25.) Quamnam? Quærit sanctitatem quæ est in conspectu oculorum ejus, quam Dei videt oculus. Horum præclara gesta dixit, et rursus ad gratiam ascendit, et ait: *In charitate qui prædestinavit*

Digitized by Google

nos. Non enim fit a laboribus et gestis, sed a charitate; neque a charitate solum, sed etiam a nostra virtute. Nam si a charitate sola, o porteret omnes esse salvos. Si autem rursus a nostra sola virtute supervacaneus fuisset ejus adventus, et quæcunque facta sunt per dispensationem, sed neque a sola charitate, neque a nostra virtute, sed ex utrisque. Elegit enim nos, inquit; qui autem elegit, scit quid eligat. In charitate, inquit, prædestinavit nos. Nullum enim salvum fecisset virtus, nisi esset charitas. Nam dic mihi quid profuisset Paulo, et quid effecisset, nisi ipsum evocasset e superis, et dilectum ad se traxisset? alioquin autem quod tam multis dignatus sit, charitatis fuit, non nostræ virtutis. Nam fuisse bonos et virtute præditos, et credidisse, et accessisse, fuit hoc quidem ejus qui vocavit, sed nostrum quoque. Quod autem cum accessissemus, tam multis dignatus sit honoribus, ut confestim ex inimicitia duceret ad filiorum adoptionem, est revera exsuperantis charitatis. *Qui in charitate*, inquit, *prædestinavit et nos, in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum*. (*Ephes.* I, 5.) Vides quomodo nihil sine Christo? Quomodo nihil sine Patre? Ille prædestinavit, hic adduxit. Et hæc ponit extollens quæ facta sunt, etiam dicit alibi: *Non solum autem, sed etiam gloriamur per Dominum nostrum Jesum Christum*. (*Rom.* III, 11.) Nam magna quidem sunt quæ data sunt, multo autem fiunt majora, quod data sint per Christum, quod non quempiam ex servis miserit ad servos, sed ipsum Unigenitum. *Secundum propositum*, inquit, *voluntatis suæ*. Id est, propterea quod valde velit. Hoc est, ut ita dicam, ejus desiderium.

S. Chrysost., hom. 5 *in II Thess.*, t. II. — Neque totum sanctorum precibus permittendo, nos ipsos oportet esse otiosos, et ad vitium currere, et nihil præclarum aggredi; neque rursus bona operando hanc opem despicere. Magna enim potest, magna certe, quæ pro nobis fit oratio, sed tum demum quando nos quoque operamur. Propterea Paulus quoque pro ipsis orans, rursus rem fide dignam facit ex promissione, et dicit: *Fidelis autem est Dominus, qui confirmabit vos, et custodiet a malo*. Nam si vos elegit ad salutem, non mentietur, neque sinet perire. Ne autem per hæc duceret ad socordiam, et totum esse Dei arbitrati, ipsi dormirent, vide quomodo ab eis quoque exigit ut cooperentur, dicens: *Confidimus autem de vobis, fratres, in Domino, quod quæ præcipimus et facitis et facietis*. Fidelis quidem, inquit, est Deus, et promittens salutem dare, omnino dabit, sed ut promisit. Quomodo autem promisit? Si velimus, et eum audiamus non absolute, neque tanquam ligna et lapides, otiosi. Recte autem posuit et illud: Confidimus in Domino. Hoc est, credimus ejus benignitati et clementiæ. Rursus eos deprimit, totum inde pendere statuens. Nam si dixisset: vobis autem credimus, esset quidem magna laus; sed non ostendisset eos credere omnia a Deo pendere. Si autem dixisset: Confidimus autem in Domino, quod vos custodiet, et non addidisset de vobis et illud: quæ præcipimus et facitis, et facietis, eos fecisset pigriores, in Dei potestatem universum conjiciens. Oportet enim nos in ipsum totum conjicere, sed ipsos quoque operantes, labores subeuntes, et suscipientes certamina; et ostendit quod, etiamsi sufficeret solum virtus ad nobis dandam salutem, oportet tamen ipsam esse perpetuam, et nobis adesse usque ad extremum vitæ Spiritum. *Dominus autem*, inquit, *dirigat corda vestra in charitate Dei et patientia Christi*. Eos rursus laudat et precatur, suam erga illos charam ostendens. Nam quoniam ad eos increpandos erat accessurus, eorum corda his prius lenit ac mitigat, et dicendo: confido vos audituros, et ab eis petendo preces, et rursus eis bona precando innumerabilia. Dominus autem dirigat, inquit, corda vestra ad Dei charitatem. Multa enim sunt quæ avertunt a charitate, et multæ semitæ inde divertunt.

Idem, *in S. Martyr. Barlaamum*, t. II. — Quis videre non optasset hominem decertantem, nec ea quæ sunt hominum patientem? qui altare idem et victima, et sacerdos factus esset? Quapropter et duplex fumus ascendebat, hic quidem thuris incensi, ille vero liquefactæ carnis: atque hic erat illo suavior fumus, et hæc ipsa præstantior illo fragrantia. Et accidebat idem quod et in rubo; sicut enim rubus ille ardebat, et non comburebatur, sic et hic ardebat quidem dextera, sed anima non incendebatur: conficiebatur corpus, at fides non consumebatur: caro fatiscebat, at alacritas animi non fatiscebat. Et prunæ quidem cum volam manus perforassent, deorsum cadebant, at animæ fortitudo non concidebat: sed manus quidem consumpta est et diffluxit; caro siquidem erat non adamas; anima vero rursus alteram manum requirebat, ut et in illa tolerantiam exhiberet. Et quemadmodum generosus miles in hostes impressionem faciens, cum adversantium sibi phalangem conciderit, gladiumque continuorum vulnerum crebritate confregerit, deinde conversus alterum requirit, quod eum nondum cædis hostium satietas ceperit, sic mirum et beati Barlaam anima cum dæmonum phalanges concidendo manum consumpsisset, alteram dexteram requirebat, ut in illa quoque animi alacritatem ostenderet. Noli enim mihi dicere unam illum exposuisse manum tantum: sed hoc potius quam illud cogita, qui manum tradidit, eum caput etiam exposuisse, ac latera dedisse, et igni, bestiis, mari, præcipitiis, cruci, rotæ, atque omnibus quæ unquam fando sunt audita, suppliciis objecisse, cunctaque perpessum esse, si minus experimento, animi quidem certe proposito. Nam nec ad certas se ac definitas pœnas offerunt martyres, sed ad incerta supplicia se accingunt: non enim est in eorum potestate animus tyrannorum; neque terminum illis modumque præscribunt, sed quibuscunque malis eos afficere inhumanus ac belluinus eorum animus de-

Digitized by Google

siderarit, tot tantaque illi prodeunt perpessuri; nisi forte interim fatiscens corpus inexpletam in medio tyrannorum cupiditatem fregerit. Tabefiebat ergo caro, et animi propositum alacrius fiebat, quod splendore carbones ipsos superabat, et multo amplius emicabat: spiritualis siquidem intus ignis accensus erat multo ardentior igne isto; idcirco flammam externam ille minime sentiebat, quod fervidus illum et ardens Christi charitatis ignis intus inflammaret.

Hæc ne audiamus tantum, dilectissimi, sed et imitemur: quod enim a principio dicebam, nunc etiam dico: ne hac tantum hora qua hic versamur, celebretur martyr, sed et domum abiens unusquisque sanctum deducat, et in ædes suas vel in cor suum potius, per eorum quæ dicta sunt, recordationem introducat. Suscipe illum, ut ante dictum est: et in corde illum tuo protensam manum habentem siste. Suscipe victorem coronatum, nec unquam ex mente tua exire permitte. Idcirco vos etiam ad ipsos sanctorum martyrum loculos adduximus, ut ipse vos conspectus ad virtutem quodammodo incitet, et ad eumdem vos zelum accingatis. Nam militem quidem præstantissimi cujuspiam bellatoris excitat etiam fama; multo autem vehementius intuitus et aspectus, ac præsertim si, ipsum fortissimi bellatoris tentorium ingressus, sanguinolentum ensem viderit, caput hostis jacens, spolia sublime pendentia, recentem cruorem ex manibus ejus stillantem, qui tropæum erexit, ubique lanceas et clypeos, et arcus, et omnem aliam armaturam jacentem. Idcirco nos etiam hic convenimus: tentorium enim est militare martyrum tumulus; ac si fidei oculos aperueris, hic justitiæ loricam jacentem intuebere, scutum fidei, galeam salutis, ocreas Evangelii, gladium Spiritus, ipsum diaboli caput in terram projectum. Cum enim hominem correptum a dæmone juxta martyris sepulcrum videris supinum jacentem, ac seipsum persæpe laniantem, nihil aliud nisi mali caput amputatum vides. Namque Christi militibus hæc arma nunc etiam adjacent; et quemadmodum bellatores fortissimos cum suis sepeliunt armis imperatores, ita fecit et Christus, cum suis eos armis sepelivit: ut, etiam ante resurrectionem, gloriam omnem virtutemque sanctorum ostenderet. Cognosce igitur spiritualem ipsorum armaturam, et maximis perceptis utilitatibus hinc discedes. Multum et tibi cum diabolo bellum est, dilectissime; multum, inquam, magnum et perenne. Disce igitur luctationes, ut victorias imiteris; aspernare divitias ac pecunias, et omnem reliquam sæculi pompam: ne beatos judices eos, qui divites sunt, sed beatos eos judica qui martyrium patiuntur: non eos qui in deliciis, sed qui in sartaginibus versantur: non eos, qui opiparæ mensæ assident, sed eos qui in lebete torrentur: non eos, qui diurnis in balneis, sed eos qui in diris sunt fornacibus: non eos, qui olent unguenta, sed eos, qui fumum ac nidorem usti emittunt: hic multo illo præstantior et utilior est odor; siquidem ille ad supplicium illos qui eo fruuntur, hic autem ad præmia coronasque cœlestes abducit.

S. Chrysost, hom. 2 *in Epist. ad Cor.*, t. X. — Demus operam, ut in precibus coeamus; alii pro aliis precemur; — sic enim et mandatum explemus, et ad charitatem incitamur: cum autem charitatem dico, omnia bona hoc vocabulo complector; atque etiam majore studio gratias agere discamus. Nam qui pro alienis gratias Deo agunt, multo magis id pro suis faciunt; hoc David quoque faciebat, cum diceret: *Magnificate Dominum mecum, et exultemus nomen ejus in idipsum.* (*Psal.* xxxiii, 4.) Hoc igitur nos item faciamus, ut eos laudationis socios assumamus.

Idem, *Hom. in martyr.*, t. II. — Si postquam ad martyres accessisti, postquam hinc discesseris, ebrietati vacaturus es, melius est ut domi maneas, nec indecore te geras, neque martyrum solemnitatem probro afficias, neque proximo sis offendiculo, neque mentem obsideas, neque peccata tibi accumules. Venisti ut homines tormentis laceratos videres, cruore stillantes, vulnerum examine decoratos, qui præsenti vita exuti, ad futuram evolarunt: da operam, ut athletis istis dignus evadas. Contempserunt illi vitam, tu delicias contemne. Abjecerunt illi vitam præsentem, tu ebrietatis amorem abjice. Sed deliciis frui cupis? Asside sepulcro martyris, lacrymarum illic fontes effunde, animam contere, benedictionem a sepulcro ejus refer; ejusque patrocinio fretus in precibus, narrationibus certaminum ipsius legendis te frequenter exerce, loculum amplectere, capsulæ reliquiarum affixus esto; non ossa martyrum tantum, sed et ipsorum sepulcra et capsulæ benedictionibus multis scatent. Sanctum oleum sume, totumque tuum corpus inunge, linguam, labra, cervicem, oculos, nec unquam in ebrietatis naufragium incides. Siquidem oleum, odoris suavitate, martyrum tibi certamina in memoriam revocat, et omnem lasciviam refrenat, atque in multa detinet patientia, animique morbos expugnat. Verum enimvero in hortis versari cupis, in pratis, et viridariis? Ne jam id facias, cum tantus astat populus, sed alio die. Hodie namque luctarum tempus est, hodie spectaculum est certaminum, non deliciarum aut voluptatum. Venisti huc, non ut teipsum pigritiæ dedas, sed ut certare discas, pancratio vincere, et homo cum sis, dæmonum invisibilium vires infringere. Nemo quippe venit ad palestram, ut deliciis vacet, neque cum tempore luctarum ingressus fuerit, formam suam excolit, aut cum acies ordinanda est, mensas exquirit.

Ne igitur tu quoque cum ad animæ fortitudinem, ac mentis vigorem spectandum adveneris, ad tropæum novum et admirabile, pugnam inusitatam, ad vulnera et prælia, et pancratium hominis, ne dæmonum actiones introducas, et post mirum et tremendum hoc spectaculum ebrietati ac deliciis teipsum addicas, sed collectis animæ lucris domum deinde revertere, atque ipso tui

Digitized by Google

conspectu testare omnibus a martyrum te spectaculo redire. Nam quemadmodum qui a theatris descendunt, facile omnibus innotescunt; perturbati, confusi, emolliti, et eorum quæ illic facta sunt simulacra gestantes : ita et eum qui a spectaculo martyrum revertatur, facile ab omnibus oportet agnosci ex aspectu, ex habitu, ex incessu, ex compunctione, ex mentis collectæ attentione, ignem spirantem; modestum, contritum, sobrium, vigilantem, et interiorem temperantiam, ac philosophiam corporis moribus propalantem. Sic igitur ad urbem revertamur, cum ea qua par est modestia, cum incessu composito, cum prudentia et continentia, cum placido tranquilloque aspectu. *Amictus enim viri, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiabit de illo.* (*Eccli.* XIX, 26) Ita semper a martyribus revertamur, ab unguentis spiritualibus, a cœlestibus pratis, a novis mirisque spectaculis, ut et ipsi multam facilitatem experiamur, et cæteris libertatem conciliemus, ac futura bona consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi.

S. GREG., *Moral.*, lib. XVIII, cap. 28. — *Satiabor dum manifestabitur gloria tua.* (*Psal.* XVI, 15.) Considerandum nobis est quoniam satietatem solet fastidium sequi. Ut ergo recte sibi utraque conveniant dicat veritas, quia *semper vident;* dicat prædicator egregius, quia *semper videre desiderant.* Ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur : ne autem sit in satietate fastidium, satiari desiderant. Et desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur, et satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Sic quoque et nos erimus, quando ad ipsum fontem vitæ venerimus. Erit nobis delectabiliter impressa sitis, simul atque satietas. Sed longe abest ab ista siti necessitas, longe a satietate fastidium, quia et sitientes satiabimur, et satiati sitiemus. Videbimus igitur Deum, ipsumque erit præmium laboris nostri, ut post mortalitatis hujus tenebras, accessa ejus luce gaudeamus.

S. PAULIN., epist. 5.— Imitando imitatorem Christi, perveniemus ad imitationem.

S. BERNARD., serm. 25 *in Cant.* — Merito omnis cura sanctorum, spreto ornatu cultuque superfluo exterioris sui hominis qui certe corrumpitur, omni se diligentia præbet et occupat, excolendo ac decorando interiori illi qui ad imaginem Dei est, et renovatur de die in diem. Certi sunt enim Deo non posse esse quidquam acceptius imagine sua, si proprio fuerit restituta decori. Propterea et omnis gloria eorum intus non foris est, hoc est non in flore feni, aut in ore vulgi, sed in Domino. Unde et dicunt : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I, 12) : quod conscientiæ solus sit arbiter Deus, cui soli placere desiderant; et cui placere, sola vera et summa gloria est. Non mediocris plane gloria illa quæ intus est, in qua gloriari dignatur et Dominus gloriæ, dicente David : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.* (*Psal.* XLIV, 14.) Et tutior sua cuique gloria, dum habet eam in semetipso et non in altero. At non in solo fortassis candore interno, sed in exteriori quoque nigredine gloriandum, ne quid omnino sanctis depereat, sed omnia cooperentur in bonum.

Idem, serm. 5 *in fest. omn. Sanctorum*, t. I. — Ad quid ergo sanctis laus nostra, ad quid glorificatio nostra, ad quid nostra hæc ipsa solemnitas? Quo eis terrenos honores, quos juxta veracem Filii promissionem honorificat Pater cœlestis? Quo eis præconia nostra? Pleni sunt. Prorsus ita est, dilectissimi, honorum nostrorum sancti non egent, nec quidquam eis nostra devotione præstatur. Plane quod eorum memoriam veneramur, nostra interest, non ipsorum. Vultis scire quantum interest nostra? Ego in me, fateor, ex hac recordatione sentio desiderium vehemens inflammari, et desiderium triplex. Vulgo dicitur : Quod non videt oculus, cor non dolet. Oculus meus, memoria mea; et cogitare de sanctis, quodam modo eos videre est. Sic nempe portio nostra in terra viventium, nec modica sane portio : si tamen, ut decet, memoriam affectio comitetur. Sic, inquam, conversatio nostra in cœlis est : verumtamen non sic nostra, sicut illorum. Ipsorum enim substantia ibi est, nostra autem desideria : ipsi per præsentiam, nos per memoriam ibi sumus. Quando et nos addemur ad patres nostros? Quando essentialiter præsentabimur eis? Hoc enim primum desiderium, quod in nobis sanctorum memoria vel excitat, vel incitat magis, ut eorum tam optabili societate fruamur, et mereamur concives et contubernales esse spirituum beatorum, misceri cœtui patriarcharum, cuneis prophetarum, senatui apostolorum, martyrum exercitibus numerosis, confessorum collegiis, virginum choris, in omnium denique colligi et collætari communione sanctorum.

Singulorum quippe recordationes, quasi scintillæ singulæ, imo quasi ardentissimæ faces, devotos accendunt animos, ut eorum et conspectum sitiant et complexum : adeo ut plerumque etiam inter eos esse se reputent, modo ad omnes simul, modo ad hos vel ad illos tota aviditate et vehementia corda vibrantes. Alioquin quid istud negligentiæ, quid pigritiæ, imo quid vecordiæ est, ut non crebris suspiriis et ferventissima affectione abrumpere hinc, et in illa tam felicia agmina jaculari animos studeamus? Væ nobis a duritia cordis nostri! Væ a peccato gentium, quas Apostolus memorat sine affectione fuisse. Præstolatur nos Ecclesia illa primitivorum, et negligimus : desiderant nos sancti, et parvi pendimus : exspectant nos justi, et dissimulamus. Excitemur aliquando, fratres; resurgamus cum Christo, quæramus quæ sursum sunt, quæ sursum sunt sapiamus. Desideremus desiderantes nos, properemus ad præstolantes nos, exspectantes nos votis

Digitized by Google

præoccupemus animorum. Ecce enim nihil in hac nostra communione securitatis, nihil perfectionis, nihil quietis : tamen hic quoque quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum ! Quidquid enim, sive interius, sive exterius molestum occurrit, ipso utique tam germanorum consortio fratrum, cum quibus est nobis cor unum et anima una in Deum, tolerabilius invenitur. Quam dulcior erit, quam delectabilior, quam beatior unio, ubi nulla suspicio esse poterit, nulla dissensionis occasio, ubi omnes perfecta charitas indissolubili fœdere colligabit ? Ut sicut Pater et Filius unum sunt, sic et nos unum sumus in ipsis.

S. Bernard. Sermo 25 *in Cant.* — Non tantummodo societas, sed etiam felicitas nobis est optanda sanctorum, ut quorum desideramus præsentiam, gloriam quoque ferventissimis studiis ambiamus. Neque enim perniciosa hæc ambitio, aut illius affectatio gloriæ ullatenus periculosa est. Nam quod dicimus : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* cxiii, 1); hujus temporis vox est, quando et ipsi angeli clamant : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* (*Luc.* ii, 14.) *Noli me tangere*, ait ; *nondum enim ascendi ad Patrem meum.* (*Joan.* xx, 17.) Verbum gloriæ est. Nempe filius sapiens gloria patris. *Noli ergo*, ait, *gloriam, noli me tangere.* Noli interim quærere gloriam, fuge potius : et vide omnino ne me tetigeris, donec perveniamus ad Patrem, ubi sit gloriatio omnis jam secura. *Ibi in Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti, et lætentur.* (*Psal.* xxxiii, 3.) Nunquid non videtur audisse dicentem : *Noli me tangere, nondum ascendi ad Patrem meum*, quæ in *Cantico* clamat : *Fuge, dilecte mi, fuge.* (*Cant.* viii, 14.) Hoc est enim quod supra meminimus : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Unde et in hymno hodie nos canimus : *Des pacem famulis, nos quoque gloriam per cuncta tibi sæcula*, juxta angelicam scilicet distributionem.

SAPIENTIA PHILOSOPHIA

[Ex SS. Patribus.]

Philo. Jud., *De congressu quærendæ eruditionis gratia.* — Sicut liberales artes conferunt ad quærendam philosophiam, ita philosophia ad parandam sapientiam. Est enim philosophia meditatio sapientiæ ; sapientia vero scientia rerum humanarum divinarumque, et causarum insuper. Ergo sicut encyclopædia philosophiæ servit, sic philosophia sapientiæ. At philosophia docet nos continere linguam, ventrem, et ea quæ sub ventre sunt. Hæc quamvis per se expetenda, augustiora tamen fiunt, quando in honorem Dei et causa religionis exercentur.

Idem, *De profugis.* — Pronuntiamus filiam Dei sapientiam, matrem et patrem esse gignentem in animabus eruditionem, disciplinam, scientiam, prudentiam, actiones honestas et laudabiles.

Idem, *ibid.* — Qui quæsiverunt quodnam esset alimentum animæ (nesciebant enim, ut dicit Moyses, quid esset), invenerunt edocti esse id verbum et rationem divinam ; unde omnes disciplinæ scientiæque perennes fluunt ; et hic est ille cœlestis cibus. Quod sacra Scriptura indicat ex persona Dei dicens : *Ecce ego pluo vobis panes de cœlo.* (*Exod.* xvi, 4.) Nam revera sapientiam ætheream Deus superne instillat generosis et spectandi cupidis mentibus. At illæ, hac visa degustataque delectatæ, experimento discunt, auctorem tamen ejus voluptatis nesciunt : ideo percontantur, quid est hoc, melle dulcius, nive candidius ? Discent autem ex vate suo, hunc esse panem quem dedit eis Dominus ut ederent. Quis igitur est hic panis ? age, dic. Verbum, inquit, hoc quod præcepit Dominus. Hæc præcepta divina Israeliticæ, id est perspicaci animæ afferunt lucem simul et dulcedinem, splendore veritatis eam irradiantia, et dulcibus virtutis persuasionibus sitim honestatim refrigerantia. Quin et propheta ipse, quærendo quæ sit bene vivendi causa efficiens, invenit quod cum solo Deo familiaritas.

Idem, *De temulentia.* — Cum magna sit in vita varietas, opus est varia sapientia clavum tenentis gubernatoris. — Sciendum tamen quod sapientia, cum sit ars artium, videtur quidem variari diversis materiis, tamen veram suam speciem immutabilem ostendit acuto visu præditis, et his qui non circumfusa ei rerum mole distrahuntur, sed ab arte ipsa impressum ei characterem perspiciunt. Ferunt Phidiam illum statuarium ex ære, ebore, auro, aliisque diversis materiis confecisse statuas, in quibus omnibus una eademque ars eminet : ut non solum eruditi spectatores, verum etiam valde imperiti opificem agnoscant ex ipsis operibus. Quemadmodum enim in gemellis natura, eodem sæpe usa charactere, pene indiscretas similitudines exprimit ; pari modo etiam perfecta ars, cum sit naturæ imago et effigies, quando assumit diversas materias, format et imprimit eamdem cunctis ideam, ut hac maxime ratione fiant cognata, germanaque ac gemella ejus opera.

Idem, *ibid.* — Idem igitur efficiet ea quæ inest sapienti potentia. Tractans enim de eo *Qui est*, pietas nominatur et sanctitas : cum autem de cœlo disserit rebusque cœlestibus, physiologia ; meteorologia vero, cum de aere, varietatibusque hujus et mutationibus, sive per integras vices anni quadripartiti quas horas nominant, sive per singulos mensium dierumque circuitus contingentibus. Ethica vero cum de corrigendis moribus hominum : cujus species sunt, politica ad reipublicæ curam, et œconomica ad rei familiaris pertinens : atque etiam sympotica, tractans epulas ac convi-

Digitized by Google

via. Rursum alia facultas est regia, regendis apta hominibus : alia legislatoria, quæ vetat aut præcipit. Omnium enim horum sapiens, vere *poluphemos*, id est multi nominis, capax et pietatis, sanctitatis, physiologiæ, meteorologiæ, moralis, civilis, domesticæ, regiæ, legislatoriæque scientiæ, et innumerarum aliarum facultatum, in quibus omnibus unam eamdemque speciem habere videtur.

Philo Jud, *De somniis.* — Aiunt virtutem parari vel natur, vel meditatione, vel doctrina. Ideo tres nostri generis auctores, sapientes cives describuntur, non eodem modo ad eumdem finem contendisse. Nam horum antiquissimus Abraham doctrina duce viæ ad virtutem ferentis usus est, sicut alibi quoque quoad fieri potuit ostendimus : medius vero Isaac natura, eadem magistra atque discipula ; tertius autem Jacob, meditatoriis exercitiis, quæ versantur in certaminum laboribus. Cum igitur tribus modis acquiratur sapientia, extremi uniuntur maxime ; nam doctrinæ progenies est meditatio. Cæterum natura cognata quidem, ut radix omnium, sine certamine tamen sortita est præmium. Itaque merito Abraham qui per doctrinam profecit, pater Jacobi dicitur meditatione provecti, ut non tam homo cum homine conferatur, quamvis audiendi ad discendum paratissima, cum vi meditandi ad sentiendum idonea. Attamen si hic meditator bene ad finem decurrat, et clare cernat quæ prius per somnium viderat, in meliorem notam transformatus, est appellatus Israel, id est Deum videns pro Jacob subplantatore, non amplius ex patre Abraham docto censebitur, sed ex bono Isaac naturali parente suo. Hæc non mea commenta sunt, sed oracula inscripta sacris tabulis.

Idem, *De agricultura.* — Discendi studiosus dat operam ut prudentiæ contemplationes augeantur plurimum. Postremo perfectiones ad ædificium domus absolutæ, sed nondum consolidatæ. Omnibus autem his tam perfectis quam incipientibus conducit vitam sine contentione agere, et abstinere a sophistarum dimicationibus, turbulentam litem ad subvertendam adulterandamque veritatem, semper meditantibus. Quia veritas pacem amat quam isti prosequuntur odio. Quod si descenderint in hoc certamen homines simplices cum peritissimis, omnino succumbent : incipiens, quia imperitus ; proficiens, quia imperfectus ; perfectus autem quia nondum exercitatus in virtute. Oportet autem, sicut incrustationes paulatim hærescant et consolidantur, ita perfectorum animas confirmatas, aliis super alias meditationibus assuescere, ne gradu dimoveantur. Quibus autem id non contigit, apud philosophos in sapientum nomen subrepisse dicuntur. Aiunt enim esse impossibile, ut qui in sapientia plurimum promoverunt, et ad ejus evaserunt fastigium, suam perfectionem noverint. Negant enim fieri posse ut qui ad finem pervenit, statim se pervenisse intelligat ; sed continuum tenere ignorantiam, non illam procul remotam a scientia, verum aliam propinquam, parum distantem a janua. Quo postquam aliquis se pervenisse intelligit, simulque vires adversariorum, potest contra contentiosam sophistarum aciem subsistere. Sperandum enim est de talis viri victoria.

Quisquis autem, nondum prætervectus ignorantiam, evasit ad lucem scientiæ, eum domi se continere consultius fuerit : hoc est non descendere in certamen de rebus nondum sibi satis cognitis ; sed quiescere potius. Qui vero per arrogantiam in luctam prosilit, petitiones adversariorum cavere nesciens, ab eis præoccupabitur, et mulctabitur morte scientiæ, graviore quam vulgaris hæc animam a corpore dirimens. Sed hic exitus merito manet decepto a sophismatibus. Cum enim non possunt solutiones invenire, mendaciis, tanquam veritati credendo, amittunt vitam scientiæ ; quod accidit et his qui se sinunt decipi ab adulatoribus. Nam horum anima sana et verax, per morbidam subvertitur et expellitur amicitiam. Proinde consultum est ne hujusmodi certaminibus se committant qui discere incipiunt, cum imperiti sint : similiter et proficientes, cum imperfecti sint. Nec non qui tum primum perficiuntur, quia perfectionem suam adhuc ignorant. Quod si non pareant huic consilio, alius, inquit, homo domum ejus habitabit, vineam possidebit, uxorem ducet. Quod perinde est ac si diceret : hæ jam dictæ potentiæ, studii, profectus, perfectionis deficient nunquam, sed alias alios homines accedendo, versabuntur cum eis, migrantes ex anima in animam, similes signaculis (nam et hæc post impressam cereæ formam nihilo deteriora permanent), etiamsi contingat impressos characteres vobiscum interire.

Cum enim sint immortales, innumeris ante vos familiaritate sua pepererunt gloriam : quos expertæ sunt, non sicut vos propter periculorum contemptum aversari suam consuetudinem, sed ultro ad se accedere, et securitati suæ prospicere. Proinde si quis virtutis amicus est, optet in se plantari bona omnia, et existere in sua anima, quemadmodum in statua tabulaque perfectissimo, quidquid ad decentem proportionem attinet : id secum reputans, esse innumerabiles qui captent eadem ; quibus natura ipso præterito donabit omnia, felicitatem discendi, profectum perfectionemque. Sed satius fuerit ipsum ante illos elucere, et concessas sibi divinitus gratias in tuto reponere, potius quam objicere hostibus avidis ceu prædam paratissimam. Ergo parva utilitas est principii quod justo fine non obsignatur.

Idem, *De profugis.* — Legitur, cumque descendisset ad fontem, implevit hydriam, et cœpit ascendere. Hic fons est illa divina sapientia ex quo rigantur particulares scientiæ, et quotquot animæ contemplandi cupide amore summi boni tenentur. Huic fonti sacra Scriptura imponit aptissima no-

Digitized by Google

mina, judicium eum et sanctum appellans. Revertentes, inquit, venerunt ad fontem judicii qui est caddes. Caddes autem sanctus vocatur. Tantum non clamat vociferaturque, sapientiam sanctam esse, puram a rebus terrenis, et rerum judicem, decernentem omnes controversias. Nunc dicendum super est de illo summo fonte optimo, de quo cœlestis Pater pro ore prophetarum cecinit : *Me dereliquerunt fontem vitæ, et foderunt sibi cisternas contritas, quæ aquam continere non poterunt.* (*Jer.* II, 13.) Ergo Deus est ille fons antiquissimus, et merito. Universus enim hic mundus ab eo promanavit.

Demiror autem et stupeo, cum hunc vitæ fontem esse audio. Solus enim Deus animæ et vitæ, præsertim rationalis animæ, et prudentis vitæ auctor est. Nam materia res est mortua. Deus autem plus quam vita, fons vivendi, ut ipse ait, sempiternus ; quem fugientes impii, non gustato potu immortalitatis, dementes foderunt sibi, non Deo primum, opera propria cœlestibus præferentes et olympiis, pluris facientes cura quæsita, quam parata et ultro se offerentia. Deinde fodiunt non ut Abraham et Isaac puteos, profundas scientias præbentes sermonem potabilem, sed cisternas quæ ex se ipsis nihil boni ad recreandum habent, et indigent externis affluentiis, quales e doctrina parantur, dum præceptores semper in discipulorum auditum affatim ingerunt sua placita contemplationesque, retinenda in mente, et recondenda in memoria. Verum istæ cisternæ contritæ sunt, hoc est omnes male educati animi lacunæ fractæ perfluentesque, quæ nec aliunde sibi parare nec conservare possunt influxum utilem. Hactenus de fontibus dixisse sufficiat.

Philo Jud. Lib. I *De leg. allegor.*—Ad virtutem percipiendam tractandamque, una solum re, videlicet ratione opus est ; corpus vero etiam impedit hanc, tantum abest ut adjuvet. Hæc enim fere summa est sapientiæ, alienare se a corpore, atque ejus concupiscentiis, Ut autem quis fruatur vitio, non solum mente, sed et sensu, et ratione, et corpore opus est. His enim omnibus malus opus habet, ad explendam suam malitiam. Alioquin quodammodo proditurus est arcana, si instrumento loquendi careat? Quomodo autem voluptatibus fruetur, absque ventre cæterisque sensibus ? Recte igitur unam solam rationem de quærenda virtute alloquitur. Sola enim hac, ut dixi, ad ejus acquisitionem opus est. Contra de vitio ad plures verba facit, animam, rationem, sensus corporis. Nam hoc apparet in his omnibus.

Idem, *lib. Quod omnis probus liber.* — Ea est hebetudo mentis hominum addictorum opinionibus et sensibus, quorum consistorium semper a rebus judicatis corrumpitur propter ipsorum inconstantiam. Atqui debuerant, si æmularentur veritatis studium, non minus sapere quam qui ægrotant corporibus. Nam illi desiderio sanitatis committunt sui curam medicis : istos viro piget inscitiam depellere morbum animi accitis viris sapientibus : qui non solum profligare possint imperitiam, verum etiam scientiam in ejus locum inducere, rem omnium pretiosissimam. Et quoniam, ut ait Plato suaviloquus, invidia extra divinum chorum sita est, nihil autem sapientia divinius et magis expositum, nunquam claudit suum auditorium ; sed, patentibus januis, admittit sitientes sermonem dulcem ac potabilem, frequentatores suos fluentis doctrinarum abunde proluens, ut inebrientur sobria temulentia. Illi vero jam ut sacris initiati, furore divino perciti, damnant pristinam suam negligentiam jacturamque temporis, in rebus nihili contrita vita per imprudentiam. Operæ pretium igitur fecerint, si quotquot ubique sunt juvenes, ætatis floridæ primitias eruditioni dedicarint, tam in præsens quam in futurum paraturi sibi decus et præsidium. Sicut enim vasa odorem, quo primum fuere imbuta, referunt, sic juvenum animæ quas primum formas imaginatione concipiunt, nunquam aboleri sinunt, ne aliis quidem insuper affluentibus.

Origen., *Contra Celsum.*, lib. III, t. I. — *Sapientes*, inquit (Celsus) *quæ docemus aversantur, acti in errorem et impediti sua sapientia.* Respondeo, si sapientia est rerum divinarum et humanarum, causarumque quibus hæ res continentur, scientia ; aut, quomodo illam divina Scriptura definit : *Vapor divinæ potestatis, limpida omnipotentis ejus gloriæ effluentia, splendor lucis æternæ, speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius* (*Sap.* VII, 25, 26), respondeo, inquam, neminem sapientem aversaturum, quæ doctus Christianus de sua religione disseruerit, neque illa sapientia deceptum aut impeditum iri. Non enim vera sapientia, sed ignorantia in errorem agit : et ex rebus omnibus sola stabilis est scientia et veritas : quarum utraque ex sapientia oritur. Quod si contra sapientiæ definitionem vocas sapientem, quisquis captiosis quibusdam argumentis instructus sua opinamenta obtrudit, fateor, tuus ille sapiens abhorrebit a divina doctrina, probabilitatibus et captiosis argutiis in errorem actus atque impeditus. At, si nos audis, cognitio mali non est sapientia : imo mali scientia, ut ita dicam, eorum est qui falsa docent et sophismatibus decepti sunt. Quocirca hujusmodi sapientiam vocaverim potius ignorantiam.

Idem, *ibid.* — Est divina sapientia, est et humana. Humana est quam sapientiam mundi vocamus, et quæ sublitia est apud Deum ; divina vero, quæ alia est ab humana, gratia Dei illam impartientis, siquidem divina sit, adest iis qui se ad illam accipiendam idoneos præbent ; et iis maxime qui alterius ab altera sapientia discrimen edocti, suis in precibus dicunt : *Nam etsi quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia quæ a te est, in nihilum computabitur.* (*Sap.* IX, 6.) Ac humanam quidem sapientiam dicimus animæ esse exercitationem ; divinam vero, finem

Digitized by Google

Hæc etiam solidus animæ cibus appellatur ab illo qui dixit : *Perfectorum est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.* (*Hebr.* v, 14.) Atque hæc sententia vere antiqua est, nec ut Celsus existimat, ad Platonem vel Heraclitum referenda. Ante illos enim prophetæ utramque illam sapientiam discriminaverant. In præsentia satis fuerit referre id quod dicit David de sapiente qui divina sapientia præditus est : *Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes.* (*Psal.* XLVIII, 10.) Igitur divina sapientia, cum a fide diversa sit, primum est donorum Dei, ut loquimur. Alterum ab illo, ut sciunt harum rerum periti, vocatur *scientia;* tertium locum occupat *fides;* quandoquidem salvos fieri oportet et simpliciores, qui ad pietatem pro viribus accedunt. Quocirca Paulus ait : *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu.* (*1 Cor.* XII, 8, 9.) Atque hinc est, quod non obvium quemque invenias divina hac sapientia ornatum. Eorum est qui eminent et excellunt inter eos qui Christianam religionem sectantur. Nec etiam ejus sapientiæ arcana *imperitis, vilibus servis, rudibus* edisseruntur.

ORIGEN., *De principiis*, lib. III, t. I.—Docere nos volens sanctus Apostolus magnum aliquid et reconditum de scientia et sapientia, in prima ad Corinthios epistola, ait : *Sapientiam autem loquimur inter perfectos : sapientiam vero non hujus mundi, neque principium hujus mundi, qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus mundi cognovit : si enim cognovissent, nunquam Dominum majestatis crucifixissent.* (*1 Cor.* II, 6, 8.) In quo ostendere volens sapientiarum differentias, describit esse quamdam hujus mundi sapientiam, et esse quamdam sapientiam principum hujus mundi, aliam vero esse Dei sapientiam. Sed et hoc cum dicit : *Sapientiam principum hujus mundi,* non arbitror eum communem aliquam omnium principum hujus mundi sapientiam dicere, sed singulorum principum propriam quamdam mihi videtur indicare sapientiam. Et rursum cum dicit : *Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram* (*1 Cor.* II, 7), requirendum est si eamdem dicit Dei sapientiam, hanc quæ abscondita est a temporibus aliis et generationibus, et non innotuit filiis hominum, sicut nunc revelata est sanctis apostolis ejus et prophetis, quæ erat et illa ante adventum Salvatoris sapientia Dei, ex qua sapiens erat Salomon, quo Salomone plus esse quod docet Salvator, ipsius Salvatoris sermo pronuntiat cum dicit : *Et ecce plus Salomone hic.* (*Matth.* XII, 42.) In quo ostenditur quia hi qui docebantur a Salvatore, plus aliquid docebantur quam sciverat Salomon. Si enim quis dicat quia sciebat quidem Salvator amplius, non tamen etiam aliis plura tradebat quam Salomon, quomodo conveniet, et consequenter dictum putabitur etiam illud quod in subsequentibus ait : *Regina Austri surget in judicio, et condemnabit homines generationis hujus, propterea quod venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, et ecce plus Salomone hic?* (*Matth.* XII, 42.) Est igitur sapientia mundi hujus, est et sapientia per singulos fortasse principes mundi hujus. De ipsa vero unius Dei sapientia illud sentimus indicari, quod minus quidem in antiquioribus et veteribus operata sit, amplius vero et manifestus revelata per Christum est.

Idem, *ibid.* — Quod inter carnis opera descriptæ sunt etiam hæreses, et invidiæ, et contentiones, vel cætera, ita accipiunt, quod anima, cum crassioris sensus fuerit effecta, ex eo quod corporis sese passionibus subdit, oppressa vitiorum molibus, et nihil subtile ac spiritale sentiens, caro dicitur effecta, et inde nomen trahit, in quo plus studii vel propositi gerit. Addunt etiam hæc requirentes : quis invenietur, vel quis dicetur conditor mali hujus sensus qui dicitur sensus carnis? Quia alium nullum creatorem animæ et carnis, quam Deum credendum esse defendunt. Et si dicamus quia bonus Deus in ipsa conditione sua aliquid sibi creavit inimicum, utique absurdum videbitur. Si ergo scriptum est quia, *Sapientia carnis inimica est Deo* (*Rom.* VIII, 7), hoc factum ex conditione dicetur, videbitur ipse Deus naturam sibi aliquam fecisse inimicam, quæ ei non potest esse subjecta nec legi ejus; quippe si animale esse putabitur, de quo hæc dicuntur. Quod si ita recipiatur, quid jam differre videbitur ab his qui diversas naturas animarum dicunt esse creatas, quæ naturaliter vel perituræ sint, vel salvandæ? Quod utique solis hæreticis placet, qui dum justitiam Dei pia ratione asseverare non possunt, hujusmodi impietatis figmenta componunt.

Idem, hom. 9 *in Jer.*, t. III. — Quod *fatuum est Dei sapientius est hominibus.* (*I Cor.* I, 25.) Si ego dixissem fatuum Dei, quomodo aucupes sermonum meorum, et semper dediti ad criminandum, venenatas in me linguas vibrarent? Nunc vero Paulus quasi sapiens, et potestatem habens apostolicam, ausus est dicere omnem sapientiam terrenam, quæ in se, quæ in Petro, quæ in cæteris apostolis, quæ in istum mundum descenderat, stultitiam esse Dei. Ad comparationem quippe illius sapientiæ, quam terrenus non capit locus, ad illam sapientiam quæ cœlestis est, quæ mundi limitem excedit, hoc quod descendit ad homines fatuum Dei est. Verum ad ipsum fatuum Dei sapientius est hominibus: quibus hominibus? Non utique stultis, sed sapientibus: dicas licet sapientes sæculi istius, sive principes, sive vates istis sapientibus sæculi, hoc quod exposuimus, *Fatuum Dei sapientius est hominibus.*

Mirabile quiddam volumus inserere: quoniam *sapientia mundi stultitia est apud Deum* (*1 Cor.* III, 19), et infatuavit Deus sapien-

Digitized by Google

tiam mundi, non in sapientia sua infatuavit sapientiam mundi, ut esse stultitia arguatur. Neque enim dignatur sapientia Dei ad mundi sapientiam convincendum tota descendere, sed potius modicum (hoc est incarnationis sacramentum), quid necessarium fuit, quod fatuum Dei erat, ut hoc parvo et fatuo Dei infatuaretur sæculi sapientia. Non enim valebat sæculi sapientia magnitudinem in se venientis sustinere sapientiæ. Verum exemplum interponamus, ut perspicue possit intelligi quomodo fatuum Dei stultam fecerit sapientiam mundi: fingam paulisper me, qui aliquid putor esse, cum insipiente aliquo, et inerudito conferre sermonem, qui nihil intelligat, nihil acutæ disputationis interroget; num quidnam opus mihi est ad illius stultitiam arguendam, dialecticam calliditatem, et profundorum sensuum acumen adhibere? Nonne ad unius sermunculi jactum vilis et modici, qui tamen illius intelligentiæ videatur acerrimus, fatuum et insipientem esse convincam? Sic igitur ad mundi sapientiam stultificandam non est opus sapientiam Dei descendere, et cum ea colluctari, quæ deorsum est sapientia, sed sufficit fatuum Dei : *Quoniam fatuum Dei sapientius est hominibus* (*I Cor.* I, 25), et omnia contraria Salvator meus et Dominus assumpsit, ut contrarius dissolvat contraria, et nos confirmemur ab infirmitate Jesu, et sapientes efficiamur a fatuo ejus, et in hoc introducti possimus ascendere ad sapientiam et virtutem Dei, Jesum Christum Dominum nostrum, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum.

S. Greg. Nyss., orat. 3, *contra Eunonium*, t. II. — Sicut a Davide docemur, per montes quidem pacem, per colles vero justitiam : necessario in fidelibus sapientia generatur, et verum Verbum : qui enim est in his qui acceperunt ipsum, in non credentibus nondum est. Ut igitur hæc nobis innascantur, oportet eorum effectorem in nobis nasci. Sic autem et quæ deinceps sequuntur hoc ipso nexu intelligemus. Si enim in nobis genita fuerit sapientia, tunc a Deo construitur in unoquoque, et regio quæ habitatur, et quæ non habitatur : regio quidem habitabilis, quæ divini Verbi sationem recipit et arationem; inculta autem sive inhabitabilis, cor quod a perversis et pravis habitatoribus et incolis deseritur, et sic erit nobis habitatio in summis terræ partibus. Si quidem terræ pars quædam est profunda, quædam quæ in extremitate eminet, cum quis non subterraneus neque cavernosus fuerit, dum quæ sunt deorsum sapit : qualis est vita eorum qui in peccato vivunt, qui in limo profundi non subsistente sunt infixi : quibus puteus vere vita est, secundum Psalmi cantum : *Neque urgeat super me puteus os suum.* (*Psal.* LXVIII, 16.) Si quis igitur, postquam in ipso divina fuerit genita sapientia, quæ supra sunt sapiat : tantumdem terræ attingens quantum necesse est, hic extrema terræ sub cœlo habitat; non in terrenas cogitationes demersus : huic cœlum sibi loco terræ præparanti sapientia assistit. Cumque doctrinam cœlestium nubium validam et firmam sibi facit, ad opus revocans præcepta; magnumque et spatiosum vitiorum mare accurata bene vivendi ratione tanquam littore quodam dispescens, turbulentam aquam ex ore suo profluere prohibet.

S. Basil., *Comment. in Isaiam*, cap. 5, t. I. *Append.* — *Quid autem habes quod non accepisti. Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (*I Cor.* IV, 7.) Et illud : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant.* (*Psal.* CXXVI, 1.) Dicitur itaque intelligentia, veluti facilis quædam ac prompta animæ comprehensio, rerum notitias in unum statim colligentis : quæ per perfectionem seminum in nobis reconditorum et a ratione proficiscentium fieri ac conflari solet. Vel intelligentia est animi solertia et sagacitas, quæ celeriter et expedite id quod rebus singulis proprium sit ac conveniens, inveniat. Scientia autem habitus est in se stabilis et firmus, ac ratione immutabilis. Sciens vero ille est, qui contemplationes ad consequendam beatitudinem conducentes comprehendit, quatenus eas jam habitu firmiterque in se ipso continet. Sapientia autem dicitur scientia esse divinarum et humanarum rerum, et causarum ipsarum. Quoniam autem sapientia ipsa Christus est (*I Cor.* I, 24), eum dicemus sapientem, qui participatione Christi, quatenus sapientia est, jam exstat perfectus. Quispiam autem intelligens esse noscitur per perfectionem seminum intelligentiæ in nobis manentium. Quispiam vero sciens est, quatenus contemplationes ad beatitudinem comparandam attinentes comprehendit, cum jam illas habitu et stabiliter in se omnino continet. Invenimus autem in Exodo oraculum quod de architectis dicit : *Implebo eos Spiritu divino intelligentiæ et scientiæ.* (*Exod.* XXXI, 3, 6.) Quapropter væ ei qui intelligentiæ et scientiæ causam et originem Deo non attribuit. Nemo igitur sibi vindicet res tantas; nec scientem, nec intelligentem, nec sapientem esse se dicat : sed cum sapientia divinarum humanarumque rerum scientia sit, harum causam Spiritui sancto ascribat. *Egredietur* enim *virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Dei, spiritus sapientiæ et intellectus*, etc. (*Isa.* XI, 1.)

S. Greg. Naz., orat. 17, t. I. — Prima sapientia est vita proba, et honesta, Deoque perpurgata, vel certe se purgans; Deo, inquam, qui purissimus et splendidissimus est, solumque purgationis sacrificium a nobis requirit, quod quidem *cor contritum*, et *laudis sacrificium.* (*Psal.* L, 19.) et *novam in Christo creaturam* (*II Cor.* V, 17), et *novum hominem*, (*Ephes.* IV, 24.) aliaque id genus, appellare Scriptura consuevit. Prima sapientia est, sapientiam in sermone ac dictionum strophis, atque adulterinis et supervacaneis figuris sitam aspernari. Mihi autem utinam potius *quinque verba cum prudentia eloqui contingat, quam decem millia in lingua.* (*I Cor.* XIV, 19.) Et voce tubæ sine

Digitized by Google

sensu, haudquaquam militem meum ad spirituale bellum excitante. Hanc ego sapientiam laudo, hanc complector, per quam ignobiles gloriam consecuti sunt, et ad quam ii qui nullo in pretio erant cæteris prælati sunt, et cum qua piscatores universum orbem Evangelii vinculis, tanquam retibus, implicuerunt, ac per *consummatum et abbreviatum verbum*, *sapientiam eam*, *quæ destruitur* superarunt. (*Rom.* IX, 28; *I Cor.* XI, 6.) Nec enim qui in sermone sapientia præstat, hic mihi sapiens est, nec qui volubilem quidem linguam, instabilem vero et imperitum animum habet, illis utique *sepulcris* non absimilis, quæ, cum *foris pulchra et decora sint, intus tamen cadaveribus scatent* (*Matth.* XXIII, 27), atque ingentem fetorem obtegunt : verum is qui pauca quidem de virtute verba facit, multa vero operibus exhibet, fidem et auctoritatem sermoni suo per vitam conciliat.

S. Greg. Naz., orat. 17, t. I.—Præstantior, meo quidem judicio, est pulchritudo ea, quæ oculis cernitur, quam quæ sermone pingitur; et divitiæ quas manus tenent, quam quæ per somnia effinguntur; et sapientia quæ per opera demonstratur, quam quæ sermone nitet ac splendescit. *Intellectus* enim *bonus*, inquit ille, *omnibus facientibus eum* (*Psal.* XC, 10), non autem prædicantibus. Hujus porro sapientiæ certissimus explorator tempus est, ac *vere* gloriationis corona senectus. (*Prov.* VII, 30.) Nam si, ut ego cum Salomone sentio, *hominem ante mortem beatum prædicare* (*Eccli.* XI. 31) non oportet, incertumque est, *quid superventura dies paritura sit* (*Prov.* XXVII, 1); propterea quod terrena nostra vita multas conversiones habeat, atque humilitatis corpus rursum et deorsum moveatur, ac subinde immutetur; quid afferri potest, quin is qui magnam vitæ partem sine reprehensione confecit, et jam communis hujus vitæ maris velut in portu est, tutior ac proinde beatior sit, quam is cui longa adhuc navigatio superest.

Idem, *Append.*, t. I. — Errant qui meliorem vitam majoribus nostris datam esse affirmant; nec intelligunt sapientiam opum copia longe præstantiorem esse, tantoque clariorem, quanto argentum umbra sua splendidius apparet. Vita enim hominis, non ex caducarum et fragilium opum collectione et possessione, verum ex sapientia provenit. Quis autem, quæso, tantam tamque benignam Dei providentiam: verbis consequi poterit? Aut quis ea quæ summa cum ratione a Deo neglecta esse videntur, revocare? Ego vero minus recte id quidem faciens, omnia consideravi, et justum in justitia constanter perstantem, nec ab ea per omnem vitæ cursum desciscentem, imo etiam propter eam insidiis petitum, et injustum simul cum improbitate sua morientem.

Illud autem homini justitiæ prædito videndum est, ne admodum talis esse videatur, nec supra modum sapiens; ne si qua in re offenderit, multis partibus copiosius peccet. Illud etiam tibi cavendum, ne audax et temerarius sis; ne alioqui te intempestiva et præmatura mors abripiat. Maximum autem bonum, Deum complecti et apprehendere, atque in eo manentem, ab omni peccato abstinere. Res etenim, maculæ omnis expertes, impura manu contrectare nefarium et exsecrabile est. Qui autem cum Dei timore cedit, seque submittit, adversa omnia effugit. Sapientia auxilii in civitate plus potest, quam potentissimorum hominum acies. Quæ etiam plerumque iis qui ab officio aberrarunt, juste ignoscit. Nemo enim est qui non interdum labatur. Est autem tibi providendum, ne ad impiorum sermones ullo modo accedas; ne maledicta in te jactata tuismet auribus hauriens, quemadmodum improbi servi nugas, atque ex ea re animo commorsus, in multis postea actionibus, ad reverenda convicia et exsecrationes ipse quoque abducaris. Hæc omnia ego noram, sapientiam a Deo consecutus, qua deinde amissa, jam mei similis esse nequibam. Sapientia enim a me in infinitam longitudinem fugit, et in immensam profunditatem, ut mihi eam arripere ultra non liceret. Quare ab ea quoque inquirenda omnino abstinui, jamque nec in animo habebam impiorum amentias, et vana consilia, et vitam misere palantem considerare.

Idem, orat. 25, t. I. — Adesdum, philosophorum, addam etiam, veritatis martyrum, optime ac præstantissime. Adesdum, confutator adulterinæ illius sapientiæ, quæ in verbis sita est, ac per linguæ lenocinia velut præstigias effundit; supra hoc autem attolli nec vult, nec potest. Adesdum, virtute dexter, tam quæ in contemplatione, quam quæ in actione versatur, qui in alieno habita nostra profiteris; ac ne in alieno quidem fortasse, siquidem angelicum est, vestitus candor et splendor, cum corporea forma pinguntur; ad designandam, ni fallor, naturalem ipsorum puritatem. Adesdum, philosophe et sapiens : quousque enim ille sapientiæ amor jactabitur, si nusquam sit sapientia? Adesdum, canis, non impudentia, sed oris libertate; non ingluvie, sed quia in diem vivis; non latratu, sed boni custodia, ac vigiliis pro animarum salute susceptis, atque etiam quia virtutis quidem familiares ac domesticos mulces, alienis autem oblatras. Adesdum, ad sacra hæc, et mensam hanc mysticam, atque ad me, qui per hæc sacrum deificationis munus obeo, propius accede, ad quæ sermo et vita, et purgatio ea, quæ per cruciatus comparatur, te adducunt. Adesdum : te coronis nostris devinciam, ac clara voce, non in media Olympia, nec in exiguo Græciæ theatro, sed coram Deo et angelis, et universo Ecclesiæ cœtu victorem proclamabo; ut qui non pancratio, aut cestu, aut cursu, aut alio quodam parvo, atque ob parva præmia inito, certaminis genere dimicaris, nec ad heroum cujuspiam aut dæmonum honorem, quibus calamitates tantum et fabulæ nominis celebritatem pepererunt; (hujusmodi enim sunt, quæ de illis honorifice prædicantur, posteaquam in stultitiæ patrocinium, tempus,

Digitized by Google

et pro re legitima consuetudinem assumpserunt); verum hæresum mendacium deviceris, in honorem Dei viventis, qui nos quoque per suos cruciatus erudit : quorum etiam certaminum præmium, cœli regnum est, ac Deum effici, omni doloris sensu sublimiorem.

S. Chrysost, hom. 5 *in Epist. ad Cor.*, t. X. — Cum dixisset, quod stultum est Dei sapientius esse hominibus : ostendit humanam sapientiam abjectam fuisse et ex testimonio Scripturarum, et ex rerum eventu. Ex testimonio, cum dicit : *Perdam sapientiam sapientium;* ex eventu, per interrogationem loquens ac dicens : *Ubi sapiens? ubi scriba?* Rursum ostendit rem non esse novam, sed antiquam, ut quæ jam olim fuerit præfigurata et prædicta. *Scriptum est enim*, inquit, *Perdam sapientiam sapientium.* (*I Cor.* I, 19, 20.) Cum his ostendit, hæc utiliter et provide facta fuisse. *Quia* enim *in sapientia Dei*, inquit, *non novit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* (*Ibid.*, 21); et quod crux sit ineffabilis potentiæ et sapientiæ argumentum, et quod multo majus sit id quod stultum est Dei, quam humana sapientia. Et hoc rursum non per doctores, sed etiam per discipulos ostendit : *Videte enim*, inquit, *vocationem vestram :* non modo enim doctores idiotas, sed etiam discipulos tales elegit : *Non enim multi sapientes*, inquit, *secundum carnem.* (*Ibid.*, 26.) Sic ostenditur hoc et validius et sapientius; cum et multis persuaserit, et insipientibus persuaserit. Nam difficillimum est idiotæ persuadere, maxime cum de rebus necessariis et magnis sermo est. Attamen persuaserunt, et hujus rei testes vocat illos. Nam ait : *Videte vocationem vestram, fratres*, considerate, scrutamini. Nam quod idiotæ et ignari dogmata adeo sapientia omniumque sapientissima susceperint, id magnæ doctoris Sapientiæ testimonium est

Quid sibi vult autem illud : *Secundum carnem?* Si spectetur id quod apparet, et præsens vita atque externa institutio. Deinde ne videatur sibi ipsi adversari; nam proconsuli suasit, et Areopagitæ, nec non Apollo; aliosque videmus sapientes ad prædicationem accessisse : non dixit, nullus sapiens; sed *non multi sapientes.* Non enim ex constituto indoctos vocabat, et sapientes relinquebat : sed hos etiam admittebat; at longe plures illorum. Quare? Quia qui sapiens est secundum carnem, multa plenus est insipientia : et hic maxime stultus est, quando corruptam doctrinam ejicere non vult. Ac quemadmodum medico artem suam docere volente, qui pauca sciunt, et male contrarioque modo arte utuntur, atque eam retinere contendunt, non facile disciplinam admittunt; qui vero nihil sciunt, facile dicta suscipiunt : sic et hac in re factum est. Indocti magis persuasi sunt; summam enim non habebant arrogantiam, cum non se putarent sapientes esse. Illi nempe maxime stulti sunt, qui ratiociniis illa permittunt, quæ non possunt nisi per fidem inveniri.

Quo modo enim si cum faber ærarius forcipe candens ferrum extrahat, iste manu id facere contendat, illum extremæ damnabimus amentiæ, ita et philosophi qui per se hæc invenire conati sunt, fidem probro affecerunt; ideo nihil eorum quæ perquirebant invenerunt. *Non multi potentes, non multi nobiles :* nam et hi fastu pleni sunt. Nihil autem ad Dei cognitionem sic inutile est, arrogantia, et divitiarum amor. Efficiunt enim illa ut præsentia admirentur, et futurorum nullam rationem habeant, et curarum multitudine aures obstruunt. *Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus* (*Ibid.*, 27) : quod maximum est victoriæ signum, cum per indoctos vincit.

Non enim tanto pudore afficiuntur Græci, quando per sapientes superantur. Sed tunc maxime pudet illos, cum viderint artificem et forensem, plusquam illos, philosophantes. Ideo ipse dicebat, *ut confundat sapientes.* Neque hic solum illud fecit, sed etiam in aliis vitæ commodis. *Etenim infirma mundi elegit, ut confundat fortia.* Non enim indoctos solum, sed etiam pauperes, viles, abjectos vocavit, ut in potentia constitutos humiliaret. *Et ignobilia mundi et contemptibilia, et ea quæ non sunt, ut ea quæ erant destrueret.* (*Ibid.*, 27, 28.) Et quænam vocat quæ non sunt? Eos qui nihil esse putantur quod in nullo sint pretio. Ita magnam ostendit potentiam, cum per eos qui nihil videntur esse, magnos dejicit; id quod etiam alibi dicit : *Virtus mea in infirmitate perficitur.* (*II Cor.* XII, 9.) Est enim magna potentia, abjectos, qui nullam unquam disciplinam attigerant, repente de iis quæ supra cœlos sunt docere philosophari. Nam et medicum et oratorem et alios omnes tunc maxime miramur, cum indoctos admodum instituunt et erudiunt. Si vero magnum miraculum est artis rationes indoctis inculcare, multo magis tantæ philosophiæ rationes. Non pro miraculo tantum edendo, neque ut potentiam suam ostenderet id fecit, sed etiam ut arrogantes reprimeret. Ideoque antea dicebat : *Ut confundat sapientes, ut ea quæ erant destrueret;* et hic rursus : *Ut non glorietur omnis caro in conspectu Dei.* (*I Cor.* I, 29.)

Idem, *Ad eos qui scandalizati sunt*, lib. I, t. III. — Prolatam a Deo sententiam fide digniorem esse, quam quæ oculis usurpamus, credendum est. Quam ob causam et his gravius supplicium imminet, si correcti non fuerint, quod cum Scripturas audiverint, nullam tamen inde talem utilitatem perceperint. Ne igitur illis hoc eveniat, age jam, ad correctionem nos accingamus, atque inprimis causam ægritudinis indicemus. Quænam igitur tantæ ægritudinis est causa? Curiosum nimirum, et supervacaneum istorum studium, et quod omnium quæ sunt, singulas velint causas cognoscere, quod incomprehensibilem et ineffabilem Dei providentiam, infinitam, et investigabilem scrutari, et in eam impudenter ac curiose co-

Digitized by Google

nentur inquirere. Quanquam quis unquam sapientior exstitit Paulo? Dic enim mihi, nonne vas electionis erat iste? Nonne magnam et ineffabilem sibi Spiritus gratiam conciliaverat? Nonne Christum in se loquentem habebat? Nonne verborum factus particeps et Dei fuerat arcanorum? Nonne quæ nulli homini loqui licebat, ille solus audiverat? Nonne in paradisum raptus fuerat? Nonne sublatus in tertium cœlum? Nonne terram et mare percurrerat? Nonne barbaros philosophari docuerat? Nonne varias Spiritus operationes exhibebat? Nonne populos integros urbesque moderabatur? Nonne totum orbem terrarum Deus manibus ejus commiserat? Verumtamen ille tantus ac talis, adeo sapiens ac potens, ac spiritualis ille vir, qui tam multa obtinuerat, cum ad expendendam Dei providentiam se convertit, et non jam totam providentiam, sed unam ejus solum partem considerat, audi quo pacto miretur, quo pacto vertigine laboret, quo pacto confestim resiliat, seque illam minime comprehendere posse fateatur.

Quando igitur contemplabatur, non quomodo angelis provideret et archangelis Deus, et cherubinis, aut seraphinis, aut cæteris potestatibus quæ sub aspectum minime cadunt, neque quo pacto soli, lunæ, cœlo, terræ, mari, neque quo pacto humano generi universo, neque quo pacto brutis animantibus, et plantis, et seminibus, et herbis, et aeri, et ventis, et fontibus, et fluminibus, neque quo pacto naturali rerum ortui, et accretioni, et sustentationi, ac reliquis ejusmodi; sed unam ejus providentiæ partem assumens, nimirum erga Judæos et gentiles; siquidem totam de illis orationem pertexuerat, cum doceret, quo pacto alios vocarat ex gentibus, quo pacto ex Judæis profectos rejecerat, et quo pacto misericordia motus utrorumque saluti consuluerat; audi quæ dicat. Animadvertens enim quam immensum se pelagus aperiret etiam in hac ipsa parte, et in profundum ipsum ejus providentiæ volens despicere, tanquam vertigine correptus, et ineffabili dispensationis hujus mysterio commotus, admirans et obstupescens immensam, ineffabilem et incomprehensibilem Dei sapientiam ac providentiam, resiliit, has voces emittens, et multa cum animi consternatione in hæc verba prorupit : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* Deinde ut ostenderet altitudinem se quidem videre, sed quanta sit dicere minime posse, subjecit: *Quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* (*Rom.* XI, 33.) Non dixit incomprehensibilia solum, sed et *inscrutabilia judicia ejus*. Non enim solum comprehendere non potest ullus, sed neque perscrutationis principium invenire. Ita non modo ad finem pervenire non valet, sed neque initium dispensationum ejus investigare.

Cum autem dixisset : *Quam inscrutabilia judicia ejus, et investigabiles viæ ejus*, et admiratus esset, et obstupuisset, glorificatione sermonem terminavit, hæc adjiciens ac dicens : *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia : ipsi gloria in sæcula, amen.* (*Ibid.*, 34-36.) Horum autem verborum hic sensus est : ipse fons est, ipse auctor bonorum, nullo indiget participe, nullo consiliario; non ab altero feneratur cognitionem aut intelligentiam ipse opifex; ipse omnia, cum non essent, produxit, et ipse producta conservat et tuetur, ut ipsi placet. Illa enim verba, *ex ipso, et per ipsum, et in ipso omnia*, nihil aliud indicant, nisi auctorem rerum creatarum, illum esse, atque ab illo retineri cuncta et conservari. Deinde memor muneris quo nos donavit, alibi ait: *Gratias Deo super inenarrabili dono ejus.* (*II Cor.* IX, 15.) Jam pacem quoque, quam nobis dedit, non modo non posse nos oratione complecti, neque explicare, sed et omnem mentem excedere declarat, cum ait : *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra.* (*Philip.* IV, 7.) Si igitur altitudo divitiarum et sapientiæ et scientiæ ipsius immensa est, si inscrutabilia judicia ejus, et viæ ipsius investigabiles, si donum ejus est inenarrabile, et pax ejus omnem sensum exsuperat, non meum tantum, et tuum, vel alicujus alterius, neque Pauli, vel Petri tantum, sed et ipsum archangelorum, et supernarum sensum virtutum, qua tu excusatione dignus, qua venia judicaberis, quæso, qui tanta dementia præceps feraris et insania, ut quæ investigabilia sunt, curiose studeas comprehendere, deque omni Dei providentia rationem exigas? Nam si is qui tanta scientia donatus est, quique tam immensa apud Deum fiducia valebat, et gratia totque spiritalibus donis ditatus fuerat, cecidit, et se scientiam inquirere posse diffidit, et non modo reperire non valere; sed ne a principio quidem scrutari, quandoquidem et hoc est impossibile; nonne omnium infelicissimus es, et gravissimo furore correptus qui contrariam illi viam insistas?

Neque enim dicit hæc tantum, sed et ad Corinthios olim de scientia scribens, ostendensque quo pacto, licet multa didicerimus, tamen exigua valde ac minima est scientiæ nostræ mensura, sic ait : *Si quis se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oportet eum scire.* (*I Cor.* VIII, 2.) Tum significans multum nobis scientiæ deesse, cumulationem vero et ampliorem partem in futuro sæculo reservari, cæterum perexiguum quid nobis esse concessum, adjecit : *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, tunc evacuabitur quod ex parte est.* (*I Cor.* XIII, 9.) Neque hic substitit, sed cum vellet ostendere quantum inter hanc scientiam et illam intersit, multumque esse defectum, hoc diversis comparationibus manifestum reddit : *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus : quando autem factus sum vir,*

Digitized by Google

evacuavi quæ erant parvuli. Videmus enim nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. (*Ibid.*, 11, 12.) Vides quantum intersit? Quantum inter parvulum puerum, et virum perfectum : quantum inter speculum, et ænigma, vel aliam obscuram rerum visionem, et claram visionem : hoc enim est, *facie ad faciem.*

Cur igitur furis et insanis, dum ea quæ prohibita sunt audacter, frustra et incassum aggrederis? Cur vere Paulo non pares dicenti : *Imo vero tu quis es, homo, qui respondeas Deo? Nunquid dicet figmentum ei qui se finxit : Quid me fecisti sic?* (*Rom.* IX, 20) Vides quantam obedientiam requirat? quantum silentium? Non enim quod liberum tollat arbitrium, hoc dicit ; absit ! sed hoc indicat, eum qui ista quærit, ita mutum esse debere, ut est ipsa luti natura, quæ artificem sequitur, quocunque ducat, neque resistere, aut curiose inquirere. Quocirca nostræ naturæ nos admonet, et luti et figuli mentionem facit. Tametsi figuli et luti est eadem substantia. Quod si ubi substantia est eadem, tanta est obedientia ; ubi discrimen est immensum et substantiæ et scientiæ ac reliquorum omnium, quam veniam obtinebit, qui adeo temerarius est et impudens, ut res Dei creatoris sui curiose scrutetur. Cogita, o homo! quis sis. Hoc enim significant ea quæ dicit : *Tu quis es?* Nonne lutum? nonne cinis et pulvis? nonne favilla? nonne fumus? nonne fenum? nonne flos feni? Has enim omnes similitudines frequenter in medium adducunt prophetæ, dum naturæ nostræ nituntur exprimere vilitatem. Atqui is quem curiose scrutaris, immortalis est, immutabilis, semper est, et eo modo est, sine principio, sine fine, animo incomprehensibilis, mentem exsuperat, cogitationem excedit, inexplicabilis, ineffabilis, incomprehensibilis non mihi tibique solum, non prophetis et apostolis, sed et cœlestibus virtutibus, quæ puræ sunt, indivisibiles, incorporeæ, quæ perpetuo versantur in cœlis.

Cum ergo seraphinos videris, circa sublimem illum elatumque thronum volantes, alarum obtentu suos oculos obvelare, pedesque suos, et terga, et facies occultare, ac clamorem plenum admirationis effundere, ne putes alas et pedes ipsis esse ; quippe cum incorporeæ sint illæ virtutes ; séd ex his figuris inaccessum et incomprehensibilem esse illum intellige qui in throno sedet. Nam et illis est incomprehensibilis, et inaccessus, tametsi se infirmitati nostræ attemperet : neque enim id quod erat, tum apparebat. Deus enim non sedet, neque throno continetur, neque loco circumscribitur. Quod si sedentem, et in throno collocatum, atque ab ipsis circumdatum (quæ omnia sunt ad nostram infirmitatem se attemperantis, et non sedentis) intueri minime potuerunt, sed exsilientem inde fulgorem non ferentes, alarum obtentu oculos obvelabant, tantumque gloriticabant, tantum hymnos canebant, et multo cum tremore mysticum illum sanctificationis cantum offerebant : non tu hinc facessens, te ipsum in terram abdes ac defodies, qui ineffabilem et inexplicabilem et supernis virtutibus incomprehensibilem virtutis divinæ providentiam non dubites curiose tanta cum temeritate scrutari? Quæ enim illius sunt, solum Filio et Spiritui sancto exacte nota sunt omnia, nulli vero alteri ; et ex his alterum quidem Joannes evangelista, alterum vero Paulus apostolus declaravit. Itaque tonitrui filius, et qui Christo admodum carus fuit, quique hac nota designabatur (quod erat summæ virtutis indicium), qui tantam habebat fiduciam, ut et supra pectus ejus recumberet, sic ait : *Deum nemo vidit unquam ;* visionem appellat cognitionem ; *unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* (*Joan.* I, 18.) Hoc et ipse Christus insinuans olim, dum populum alloqueretur Hebræum, dicebat : *Nemo vidit Patrem, nisi is qui est a Deo, hic vidit Patrem.* (*Joan.* VI, 46.)

Vas autem electionis, cum in sermonem de ipsius dispensatione incidisset, cumque vellet arcana cuncta quæ didicerat, quo pacto cognovisset, indicare, his et ipse verbis utitur : *Loquimur autem sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus sæculi cognovit : si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed, sicut scriptum est : Quæ oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascenderunt, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* (*I Cor.* II, 7 et seq.) Quomodo ergo cognovimus nos, o Paule? quis illa revelavit, et manifesta reddidit illa nulli conspecta, vel audita, et quæ nullius in cor ascenderunt? Dic, et indica quis ille sit qui tantam nobis scientiam advexit? *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.* (*Ibid.*, 10.) Deinde ne quis eum putaret hæc nosse tantum quæ per ipsum nobis Deus revelavit, non autem omnem scientiam callere, subjecit : *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* (*Ibid.*, 11.) Horum autem verborum hic sensus est : Sicut homo novit ea quæ ipsius sunt, quæque cogitat, et habet in animo, cuncta scit exacte, sic etiam Spiritus sanctus arcanam Dei scientiam omnem exacte novit. Cum igitur dixit : *Ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei,* non homines solum, sed et omnem cœlestem creaturam ab hac perfecta cognitione seclusit. Quam ob causam et sapiens quidam sermo admonet : *Difficiliora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris. Quæ præcepta sunt tibi, hæc cogita; plurima enim supra sensum hominis ostensa sunt tibi.* (*Eccli.* III, 22, 25.) Quod autem dicit, est ejusmodi : Ne hæc quidem quæ habes, tua industria cuncta didicisti ; neque naturæ tuæ viribus nixus hanc cognitionem adipisci potuisti, sed cœlitus

Digitized by Google

missam hanc scientiam accepisti. Multo quippe majora erant, quam ut tua possent intelligentia comprehendi. Cur ergo tuis viribus nixus conaris profundiora scrutari, cum pleraque ex iis quæ nosti, tuum sensum exsuperent, et aliunde ad te derivata illa possideas? Hoc et ipse Paulus ut declararet, aiebat : *Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* (*I Cor.* IV, 7.) Tantum igitur conatum aliquando tandem omitte, et sapientissimo illi consilio parere dignare, quod monet : *Ne dixeris : Quid est hoc?* Ad quid hoc? *Omnia enim ad usum ipsorum creata sunt.* (*Eccli.* XXXIX, 26.)

S. CHRYS., hom. 19 *in Epist. ad Ephes.*, cap. V, t. XI. — Quid est tibi curæ an hic sit cæcus, et ille pauper? Non te jussit Deus hoc considerare, sed quidnam tu agas. Nam si dubitas mundo-ne præsit aliqua potestas, es omnium amentissimus. Sin autem hoc habes persuasum, quid dubitas quod Deo placere oporteat? *Gratias*, inquit, *semper agentes Deo pro omnibus.* (*Ephes.* V, 20.) Apis quomodo facit favos, dic, rogo? et tunc dices de Deo. Formicarum disce operationem, araneæ et hirundinis, et tunc dices de Deo. Si sapiens sis, hæc mihi dicas, sed non potes. Non cessabis ergo, o homo, quærere supervacanea? Sunt enim revera supervacanea? Non cessabis curiose scrutari? Nihil est hac ignoratione et imperitia sapientius, in qua qui profitentur quidem se nihil scire, sunt omnium sapientissimi : qui autem curiose scrutantur, sunt omnium amentissimi. Quare profiteri se scire, non est semper sapientiæ, sed est etiam alicubi stultitiæ. Nam dic mihi, si ex duobus hominibus alter profiteretur se mensurum aerem qui a terra pervadit ad cœlum, extensis funibus, alter autem irridens diceret se nescire, quem, quæso, ridebimus? Eumne qui dicit se scire, an eum qui ignorat? Est perspicuum quod eum qui dicit se scire. Qui ergo ignorat est sapientior eo qui professus est se scire. Quid rursus, si quispiam profiteretur se scire quot cyathos habeat mare, alius autem se ignorare, non rursus ignoratio est sapientior cognitione? Maxime; quare? Quandoquidem illa quoque ignoratio est intensa. Nam qui dicit quidem se nescire, scit partem aliquam. Quamnam? Quod homini sit incomprehensibile : non enim hoc parvum. Qui autem se dicit scire, ille maxime nescit quod se dicit scire; et propter hoc ipsum est ridiculus.

Hei mihi! quam multis eruditur intempestivam refrenare curiositate et supervacaneam indagationem; nec sustinemus: sed vitam aliorum curiose indagamus; cur hic cæcus, ille vero pauper? Hac igitur ratione in alias etiam nugas incidimus. Cur hæc sit femina, et non omnes viri, cur asinus, cur bos, cur canis, cur lupus, cur lapis, cur ligna, et ad infinitam prolixitatem decidet oratio. Propterea Deus nobis terminos cognitionis constituit, et in natura fundavit. Contemplare autem mihi multam curiositatem, quod videntes tantam a terra ad cœlum altitudinem, minime afficimur nec movemur : quando alta turri conscensa voluerimus deorsum aspicere, si parum nos inclinaverimus, gravis nos invadit vertigo et tenebræ. Dic mihi hujus rei causam, sed non inveneris, cur majorem vim habet oculus, et detinetur ab iis quæ sunt remotiora. Et id similiter videris in auditu. Non potuerit enim quispiam tantum clamare ut impleat aerem quantum poterit comprehendere oculus; neque audire ex tanto intervallo. Cur non omnia membra sunt honore paria? Cur non unum acceperunt usum, nec locum? Paulus quoque hoc est scrutatus, imo vero non est scrutatus, erat enim sapiens; sed cum in hunc locum incidisset, dicit : *Unumquodque*, inquit, *eorum posuit sicut voluit.* (*I Cor.* XII, 18.) Voluntati ejus totum commisit. His ergo missis, gratias solum agamus pro omnibus. *Ideo*, inquit, *gratias agite pro omnibus.* Hoc est grati famuli, hoc sapientis, hoc intelligentis. Illud loquacis, otiosi et curiosi.

SCANDALUM

[Ex SS. Patribus.]

ORIGEN., *Comment. in Epist. ad Rom.*, lib. VIII, t. IV. — Offensio et scandalum, unum prope atque idem significat. Scandalum etenim dicitur cum in via obex alicujus invenitur, qui gressum incedentis vel scandentis impediat. Inde ergo scandalum tractum est. Quia igitur hi qui erant in Sion, vias non bonas incedentes, iter perditionis concito pede currebant, malis suis faventes invicem, sicut Propheta dicit, quia *laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et* qui *iniquus* est *benedicitur* (*Psal.* X, 24) : veniens Dominus et Salvator noster, arguere cœpit vias eorum, et dicere : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi.* (*Matth.* XXIII, 13.) Et iterum : *Væ vobis divitibus!* (*Luc.* VI, 24.) Et iterum : *Væ tibi, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt.* (*Matth.* XXIII, 37.) Sed et multa his similia dicens, et arguens eos, impedire cœpit vias perditionis eorum, et affectus est eis lapis offensionis et petra scandali, non sinens eos ingredi viam latam quæ ducit ad mortem. Sic denique et in Osee propheta scriptum est de his qui peccati iter incedunt : *Propter hoc*, inquit, *ecce ego sepiam viam ejus sudibus, et obstruam vias ejus, et semitam suam non inveniet.* (*Ose.* II, 6.) Ponamus ergo iterum, si videtur, in medio ipsum Paulum (*Act.* IX) qui, acceptis quondam epistolis a sacerdotibus, Damascum pergebat, ut omnes viros ac mulieres Christo credentes vinctos perduceret in Jerusalem. Cum ergo ageret istud iter peccati, occurrit ei Dominus Jesus in via, et ad tempus eum cæ-

Digitized by Google

citate percussit ; et factus est illi quantum ad ipsum propositum spectat quo illuc pergebat, lapis offensionis et petra scandali, ut illud iter peccati quod tenebat, explere non posset, sed conversus crederet ei qui viam suam excluserat, et quibusdam sudibus comminationis obstruxerat ; et credens in eum non erubesceret.

ORIG., *Comm. in Matth.*, t. XII.—Inquirendum venit cursum (Jesus) dixerit Petro : *Scandalum es mihi* (*Matth.* XVI, 23) ? cum præsertim dicat David : *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.* (*Psal.* CXVIII, 165.) Dicet enim aliquis, si propter eorum firmitudinem, qui charitatem habent et scandalis obnoxii non sunt : *Charitas enim omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet ; charitas nunquam excidit* (*I Cor.* XIII, 7, 8), id in Propheta dictum est; quanam ratione *allevans Dominus omnes qui corruunt, et erigens omnes elisos* (*Psal.* CLXVI, 14 ; CLXV, 8), Petro dixit : *Scandalum mihi es?* Dicendum autem scandalo obnoxium non esse, non ipsum modo Servatorem, sed et eum qui in charitate perfectionem adeptus est ; at quantum in eo est qui talia dicit, vel facit, offensioni etiam esse illum vel ei qui offensus alioqui non fuisset : nisi fortasse Jesus discipulum peccantem scandalum, atque illud quidem suum appellat, utpote propter charitatem, multo etiam magis quam Paulus dicturus : *Quis infirmatur, et ego non infirmor ? Quis scandalizatur, et ego non uror ?* (*II Cor.* XI, 29.) Juxta quod scribi potest : Quis scandalizatur, et ego non scandalizor ? Quod si autem Petrus propter illud : *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc* (*Matth.* XVI, 22), scandalum a Jesu tunc dictus est, quasi in eis quæ dixit ea quæ Dei sunt minime sapiens, sed ea quæ hominum sunt ; quid de iis omnibus dicendum est qui Christi doctrinam capessere se profitentur ; ea autem quæ Dei sunt non sapiunt, nec ea quæ oculis non videntur, et æterna sunt, animo intuentur ; sed sapiunt quæ sunt hominum, et ea contemplantur quæ videntur, et temporaria sunt, nisi ejusmodi homines longe potius a Jesu scandalum ipsius appellatum iri; et quod scandala illius, fratrum quoque ipsius esse quorum causa quemadmodum id dicit : *Esuriebam et non dedistis mihi manducare* (*Matth.* XXV, 42), et quæ sunt deinceps ; ita et illud dicat : Currenti mihi scandalum objecistis ? Proinde non leve existimemus esse peccatum ea quæ sunt hominum sapere, cum in omnibus ea quæ Dei sunt sapere oporteat. Conveniet autem illud unicuique qui a Dei effatis, et doctrina ecclesiastica, et vera sententia exciderit; pro veris autem habebit dogmata, verbi gratia, Basilidis, Valentini, vel Marcionis, aut alicujus ex iis qui humana pro divinis docent.

Idem, *in Exod.*, t. II.— Potest fieri, ut ipse qui læsit instruat, reparet, restituat animæ ea quæ perdidit, et hæc jam faciat cum honore, cum modestia, cum patientia ; sicut Apostolus dicit : *Cum mansuetudine corripiens eos qui resistunt* (*II Tim.* II, 25) ; non cum lite, sicut prius, cum scandalum intulit. *Quod si formatus jam fuerit infans, dabit animam pro anima.* (*Exod.* XXI, sec. LXX.) Formatus infans potest videri sermo Dei in corde ejus animæ quæ gratiam baptismi consecuta est, vel quæ evidentius et clarius verbum fidei concepit. Hæc ergo si nimia contentione doctorum percussa abjecerit verbum, et inventa fuerit esse de illis, de quibus dicebat Apostolus : *Jam enim quædam conversæ sunt retro post Satanam* (*I Tim.* V, 15), animam pro anima dabit. Vel de die judicii accipiendum est apud Deum judicem, *qui potest animam et corpus perdere in gehennam* (*Matth.* X, 28) : quia et alibi dicit propheta ad Jerusalem : *Dedi commutationem tuam Ægyptum, Æthiopiam, et Soenen pro te.* (*Isa.* XLIII, 3.) Vel certe potest fortassis etiam illud aptari, ut qui sibi conscius tanti scandali fuerit, ponat animam suam pro anima illius, quem scandalizaverit, et usque ad mortem det operam quomodo redeat, quomodo reparetur, quomodo restituatur ad fidem. Ponat etiam oculum pro oculo, si oculum læsit animæ, id est intellectum ejus turbavit : auferatur oculus ipsius ab eo qui Ecclesiæ præest, et intellectus ejus ille turbulentus et ferox qui scandalum generat, desecetur. Sed et si dentem læsit auditoris, quo suscipiens cibum verbi Dei, vel comminuere vel molaribus terere solitus erat, ut subtilem ex his ad ventrem animæ transmitteret sensum : si hunc dentem ille vexavit, et evellit, ut contentione ipsius non possit anima subtiliter et spiritualiter suscipere verbum Dei, auferatur dens ejus, qui non bene Scripturarum comminuit et attrivit cibos.

Fortassis enim propter hoc et alibi dicitur a Domino : *Dentes peccatorum contrivisti.* (*Psal.* III, 8.) Et alibi nihilominus scribitur: *Qui manducat uvam acerbam, obstupescent dentes ejus.* (*Jer.* XXXI, 30.) Et alibi : *Molas leonum confringet Dominus.* (*Psal.* LVII, 7.) Sic ergo per membra dicitur lædi anima et percuti, manum quoque pro manu, et pedem pro pede deposcitur. Manus est animæ virtus, qua tenere aliquid et constringere potest, velut si dicamus actus ejus, et fortidudo: et pes quo incedit ad bona, vel mala. Quia ergo si scandalum patiatur anima, non solum in fide, sed et in actibus dejicitur, qui per manum significantur : et pedes auferentur illius qui offendiculum præbuit, et manus quibus non bene operatur, et pedes quibus non bene incedit. Recipiet etiam combusturam pro combustura, qua combussit, et gehennæ tradidit animam. Per quæ singula ostenditur, ut iste percussor, omnibus detruncatis membris, a corpore excidatur Ecclesiæ : ut cæteri, inquit (*Deut.* XIX, 20), videntes timorem habeant, et non faciant similiter. Idcirco et Apostolus cum doctorem describit Ecclesiæ, inter cætera præcipit eum non esse percussorem, ne percutiens prægnantes mulieres, animas insipientes, ponat animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente. Tales sunt et illæ animæ quas etiam Dominus in Evangelio deflet cum dicit : *Væ prægnantibus et nutrientibus in illis diebus,*

Digitized by Google

in quibus scandalizabuntur (*si fieri potest*) *etiam electi* (*Matth.* XXIV, 19, 24.) Sciendum tamen est, quod non est perfectorum scandalizari, sed aut mulierum, aut parvulorum, sicut et Dominus in Evangelio dicit : *Si quis scandalizaverit unum de pusillis istis minimis.* (*Matth.* XVIII, 6.) Pusillus ergo est, et minimus, qui scandalizari potest : *Spiritualis autem dijudicat omnia* (*I Cor.* II, 15), omnia probat, et quod bonum est continet, et ab omni se specie mala abstinet.

S. EPHREM, parænn. 8, t. II.— De scandalis porro occurrentibus, novimus eum qui ait : *Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini : et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* (*Luc.* VI, 37), et quæ sequuntur. Ut vero cogitationem tuam adjuvare possis, animo revolve, quomodo justus Lot in Sodomis commoratus sit ; sed nequaquam illorum abductus est superbia atque lascivia ; quare et salvatus est, sicut scriptum reperitur : *Visu enim atque auditu dum justus inter eos habitaret, quotidie animam justam operibus illicitis torquebant.* (*II Petr.* II, 8.) Sed quid infert, dicens : *Novit Dominus pios de tentationibus eripere, impios autem in diem judicii cruciandos servare* (*ibid.*, 9), et reliqua. Ne ergo hodie continentia, atque mansuetudo ; et cras incontinentia atque superbia. Ne hodie silentium, vigiliæ, et humilitas : cras autem distractiones, somnus insatiabilis, inobedientia, et his similia. Ne hodie renuntiatio sæculi, et abdicatio rerum terrenarum, ac valedictio patriæ et amicorum, parentumque carnalium, propter spem in Dominum : cras autem nostram regionem, et patriam, atque hæreditatem inquiramus, demergentes nosmetipsos in plurima mala. Uxor siquidem Lot retrorsum conversa, in statuam salis mutata est. Quare et Dominus instruit, dicens : *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno cœlorum.* (*Luc.* IX, 62.) Quare semper in mente diem illum habeto, quando exutus omnibus, propter Dominum reliquisti sæculum : et quando divino incensus eras timore, fervensque spiritu in Dominum ; ac idem institutum retine usque ad finem : *Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvabitur* (*Matth.* X, 22) : ut mercedem laboris referat, atque operationis una cum vita æterna. Quoniam ad Deum verum accessisti, omniaque contempsisti, ut Christum lucrifacias, cui gloria in sæcula.

Idem, *De non scandaliz. proxim.*, t. III.— Non decet eos qui ad pietatis studium accedunt, et manum ad aratrum ponunt, retro converti, eorumdemque studium Deo complacendi impedire ; sed ad perfectionem potius similes sunt dirigendi, cum de talibus dictum reperiatur : *Quoniam qui vos tetigerit, tanquam qui tangit pupillam oculi ejus.* (*Zach.* II, 8.) Qui igitur noluerit violare Dei præceptum, undique se muniat, ne alteri scandalum præbeat, maxime vero ei qui ad Dominum accessit, et mundi laqueos effugit ; ut non connumeretur et ipse illis quos increpat propheta dicens : *Væ qui potum dat amico suo, mittens fel.* (*Habac.* II, 15.) Et : *Væ qui lætantur, cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis ; quorum vitæ perversæ sunt, et infames gressus eorum. Qui relinquunt iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas.* (*Prov.* II, 13.) Quoniam in his divinam adversum se iram provocant, sicut et ex Evangelio patet, ubi ait Dominus : *Expedit homini magis, ut mola asinaria suspendatur in collo ejus, et demergatur in profundum maris, quam ut scandalizet unum de pusillis istis qui in me credunt.* (*Matth.* XVIII, 6.) Damnum enim quod hinc oritur, explicari non potest. Describamus igitur rem ipsam pro viribus, ut hoc vel exiguo exemplo res exprimatur : cognitoque tanto hujus detrimento, metu nos cohibeamus, ne proximo ullum offendiculum, sive scandalum ponamus.

Filius quidam fuit unicus parentibus suis, quem ipsi vehementer diligebant, quoniam omnem suam post Deum spem in illo repositam habebant ; per eum sperantes, se optimam atque decentem vitæ spem ultimam habituros, generisque successionem atque restaurationem per ipsius procreationem fore. Verum adolescens repente, cunctis rebus fugacibus ac momentaneis abjectis, eremum petit, et fit monachus ; dolorem intolerabilem suis propinquis et amicis relinquens. Flet pater, plangit mater, ita subito exspectatione sua frustrati, simul æstimantes impossibile, eum deinceps fore, sicut fuerat ante secessum. Neque enim fieri poterat, ut amplius domui paternæ præesset, vel operam liberis daret ; cum hominem quodammodo exuisset. In hoc igitur loco versabatur sanctimoniam amplexus, et adhuc vivus, nihil eorum dissimilis qui in sepulcro sunt conditi, quod attinet ad humana negotia. Flet pater, lamentatur mater, proprii filii obsequium requirentes. Sponsa post arrhabonem confusa, spoliatur. Si opificium dicerat, abjicit. Si mercaturam exercebat, relinquit. Si in album erat relatus militum, a militia recedit. Si magistratum gerebat, contemnit : et pene domus eversio ex hoc illius novo vitæ instituto consequitur. Omnia enim quæ videntur, et affectionem rerum sensibilium movere possunt, capillorum instar abscindens, nudus pietatis ac religionis septa ingredi maluerat, ut Christum Dominum gloriæ sibi lucrifaceret. Nunquid igitur hic scandalo, aut subversione dignus erat ? absit !

Quis ergo eo malitiæ evasit, ut proditoris, atque piratæ officium, huic optimæ negotiationi sibi præferendum censeat ? Aut quis ad eam audaciam tanquam præstantioris rei potiundæ causa, devenit, ut bene recteque currentem, in sua alacritate, ac bono proposito intercipiat atque impediat ; quominus sequestratus cunctis terrenis ad cœlestia pervenire possit. Nam si post renuntiationem, abdicationemque vitæ, quis in virtutis studio claudicare incœperit, et sensim a recta via resilire, oculosque convertere retrorsum ; hic et in vita præsenti erit exemplo, et post suum e vivis excessum, regno cœ

Digitized by Google

torum privatus, indignum seipsum sanctorum choro reddet : quin et parentibus ipsis ignavia hujus in confusionem futura est, amici dolore concident, et inimici gaudebunt super illius desidia atque ruina. Propinqui et affines mortem ei imprecabuntur, quod terrenis exutus, cœlestia non apprehenderit, et sub prætextu pietatis, diaboli jugum subierit : legitimis enim nuptiis spretis, in scortationibus atque impudicitiis volutatur, et in crapula, atque ebrietate totos dies transigit. Deplorant parentes damna pariter animæ illius. Hic autem qui corde seductus erat, et vias suas corruperat, horum nihil sibi vindicat ; verum abjecta pietate, impudentiam incidit, et turpiter ac præter decorem agere non erubuit. Neque enim homines veretur, neque Dei indignationem animo expendit ; et idcirco neque parentibus debitum, atque convenientem honorem attribuit, neque spiritali se opere dignum exhibet ; unde deinceps nascuntur maledicta adversus promissa, et in pietatem atque religionem blasphemiæ : quod quidem horrendum est et dicere. Et quemadmodum impius, cum in profundum malorum venerit, contemnit, ita et hic in tantam temeritatem impingens, nequaquam est territus, sed instar illius, qui vendidit universam suam substantiam, vendensque suam stolam magni pretii, denique vero furore incitatus, hanc implevit assumento panni rudis, ac sordidi : qua si utatur, non amplius in laudem et honorem, sed in subsannationem et improperium utetur.

Quis enim non irrideat, aspiciens eum qui heri in mente seipsum ad ministerium fratrum in unum habitantium præcinxerat, ad imitationem Domini nostri Jesu Christi, hodie famulorum comitatu stipatum, et ab ancillis ejus lavari pedes, eumdemque in molli lecto reponi, et ad fluxum atque remissum, affectionibusque plenum vitæ genus iterum propensum illum intueri ? Aut quis eum ludibrio non habeat, qui heri in cella conclusus erat, et multorum conversationem vitabat ; hodie autem cum inhonestis mulierculis vivat, et in tabernis ebrietati studeat ? Aut quis eum non reprehendat, qui die hesterno, sua sponte, quæcunque temporalia, sive mundana abjecit, inopiam amplectens ; hodierno autem assideat in judiciis ? Et quæ jam damnarat studiose rursus ad se revocet, et suam mentem a cœlestibus ad terrestria traducat, judicesque, mancipiorum instar, sequi gestiat ? Et loco deprecationis atque meditationis eloquiorum Dei, cum causidicis sermocinetur ? Et pro simplicitate, atque innocentia, versutiam morum atque sermonum assumat ? Utinam autem ex iis, quæ videmus tribunalibus, mente comprehendamus etiam judicium futurum, fugiamusque vitæ hujus ærumnas, ac nostrum vivendi modum cum pietate commutemus ! Tunc enim, tunc, inquam, gaudium erit inter angelos, et lætitia bonis, propinquisque reconciliatio. Luctus enim eorum qui iniquo animo tulerunt ejus secessum, convertetur in lætitiam propter optimam jam vitæ filii rationem initam. Beati enim putantur ac prædicantur ab amicis, iisque maxime qui casus eorum qui revertuntur, in vita conspiciunt, et tanquam munera Domino Deo offerentes, beatificantur. Gloriatur genus de strenuis factis egregii athletæ, et alacres gestientesque percontantur quoscunque obvios. Virtus autem abscondi nequit, audientque optimam super eo invalescentem famam, ac in his glorificabunt Dominum, seque amicos, ac consanguineos certatoris esse asserent. Qui in dignitate sunt constituti, hunc ab auctoritate ac dignitate commendabunt. Milites eum a rebus militiæ gestis demirabuntur. Ejusdem artificii homines, hunc in simili secum arte exercitatum laudabunt. Ita cunctis, bene beateque agentes, virtus amabiles celebresque efficit in Domino. Ideo in gloria cœlestique regno coronabuntur.

S. Basil, arch. Cæsar., *Regul. brevius tract. — Interr.* Cum Dominus noster Jesus Christus dicat : ***Expedit illi ut mola asinaria suspendatur circa collum ejus, et projiciatur in mare, potiusquam ut scandalizet unum de pusillis istis*** (*Matth.* XVIII, 6) : quid est scandalum dare, aut quomodo illud caveamus, ut ne judicium adeo horrendum subeamus ?

Resp. Sane scandalo est aliquis, cum verbo aut actione legem violat, aliumque inducit ad legem perfringendam, velut serpens Evam, et Eva Adam : ac etiam cum prohibet exsequi voluntatem Dei, ut Petrus Dominum, cum dixit : ***Propitius sit tibi, Domine, non erit tibi hoc*** : qui audivit : ***Vade post me, Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.*** (*Matth.* XVI, 22.) Aut quando suscitat animum infirmi alicujus ad vetitum quiddam, prout ab Apostolo scriptum est, his verbis : ***Si quis enim viderit te qui habes scientiam, in idolio recumbentem, nonne conscientia ejus qui infirmus est, ædificabitur ad manducandum idolothyta ?*** (*I Cor.* VIII, 10.) Quibus isthæc adjungit : ***Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.*** (*Ibid.*, 13.) Oritur autem scandalum pluribus ex causis, vel enim ex eo qui scandalizat, scandalum nascitur ; aut scandalum proficiscitur ex eo qui scandalizatur, ac rursus id in his contingit variis modis. Aliquando enim ex malitia, aliquando vero ex imperitia vel hujus, vel illius. Interdum etiam in recta verbi tractatione, eorum qui scandalum patiuntur, malitia magis declaratur, perinde ut in ipsis rebus. Aut enim in aliquo mandatum Dei faciente, aut iis quæ in sua potestate sita sunt, libere utente, scandalizatur.

Cum itaque de rebus, quæ ex mandato fiunt, vel dicuntur, offenduntur homines, et de his scandalizantur, (ut in Evangelio quidam de his, quæ a Domino fiebant, et dicebantur ex voluntate Patris), tunc Domini meminisse operæ pretium est, qui, cum accessissent ad se discipuli, ac dixissent · *Scis quod Pharisæi, audito verbo hoc, scan-*

Digitized by Google

dalizati sunt (*Matth.* xv, 12) ? eis de hujusmodi hominibus responsum dedit, his verbis : *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos : cæci sunt, duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadent.* (*Ibid.*, 14.) Et multa hujuscemodi poterit quis invenire tum in Evangeliis, tum apud Apostolum. Cum vero ob ea quæ in potestate nostra posita sunt, offenditur quis, aut scandalum patitur, tunc revocanda sunt in memoriam hæc Domini ad Petrum verba, quando dixit : *Ergo liberi sunt filii : ut autem non scandalizemus eos, profectus ad mare, mitte hamum : et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle ; et aperto ore ejus, invenies staterem : illum sumens, da eis pro me et te.* (*Matth.* xvii, 26.) Item quæ ab Apostolo ad Corinthios scripta sunt, his verbis : *Non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* (*1 Cor.* viii, 13.) Ac rursus : *Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.* (*Rom.* xiv, 21)

Quam autem metuendum sit in iis quæ videntur sita esse in potestate nostra, aspernari fratrem, qui ob hæc scandalo afficitur, ostendit præceptum Domini, qui in universum prohibet omne scandali genus, ac dicit : *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis : dico enim vobis quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.* (*Matth.* xviii, 10.) Quin et idem testatur Apostolus, qui quidem modo dicit : *Sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.* (*Rom.* xiv, 13) : modo vero hoc delictum vehementius interdicit verborum apparatu uberiore, ubi ait : *Si quis enim viderit te qui habes scientiam, in idolio recumbentem, nonne conscientiam ejus qui infirmus est, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est ?* (*1 Cor.* viii, 10.) Quibus adjungit : *Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* (*Ibid.*, 11, 12.) Et alio in loco, postquam dixit : *An ego solus et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi ?* (*1 Cor.* ix, 6) subinde adjungit : *Sed non usi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi.* (*Ibid* , 12.) Cæterum cum rem ita horrendam esse demonstratum sit, in iis quæ in potestate nostra posita sunt, fratri esse exemplo malo, quidnam possit quis de iis dicere, quæ vetita faciendo aut loquendo, dant scandalum? Et maxime, cum aut scientia majore præditus esse videtur qui est offensioni, aut constituitur in aliquo gradu sacerdotali : qui cum debeat aliis esse præpositus velut regula et exemplar, si vel minimum quid neglexerit eorum quæ scripta sunt, aut fecerit prohibitum quiddam, aut aliquid quod præceptum sit omiserit, aut uno verbo indifferenter et silentio tulerit quidvis hujusmodi, judicio tanto vel ob hoc unum obnoxius est, ut sanguis illius qui peccavit, inquit, ex manibus ipsius requiratur.

S. Greg. Naz., orat. 2, tom. I. — Neque ferre possum nonnullos ex iis, qui res nostras, tam recte quam secus se habentes, sedulo explorant, in me offendi, quandoquidem nobis benigna Dei voluntate aliquid apud Christianos esse contigit, et iis, qui jam vulnus acceperunt, si qui sunt, facti mei defensione medebor. Pulchrum est enim, nec peccando, nec suspicionem subeundo, quandiu fieri potest, ac ratio sinit, offendiculum aut scandalum multis ponere : quippe cum iis etiam, qui unum ex pusillis offenderint, quam certa, quamque atrox et acerba, ab eo qui mentiri nescit, pœna constituta sit, non ignoremus.

S. Chrysost., *Quod regul. feminæ viris cohabitare non debeant*, t. I. — Tunc maledici despiciendi sunt, cum nos illis ansas non præbuerimus : imo neque tunc, quandoquidem ipsorum obturare ora possumus ; quando autem totum ex nobis est, in nostrum vertitur caput totus ignis. *Sic enim*, ait, *peccantes in fratres, et infirmam ipsorum conscientiam percutientes, in Christum peccatis.* (*1 Cor.*, viii, 12.) Sciebat enim, sciebat manifeste, quod non sufficeret ad defensionem nostram eorum qui offenduntur infirmitas, sed hoc ipsum potissimum est, quod condemnat nos. Quanto enim puriores sumus a causa quæ intentatur, tanto nos æquius præstabimus, si infirmitati eorum parcamus. Et nondum dico quod hic immerito offendantur ; sed ponatur, quod absque ratione hoc patiantur. Nam nec sic despiciendi sunt. Quæ Romanis per epistolam scribens, Paulus docuit nos, sic dicens : *Noli propter escam destruere opus Dei.* (*Rom.* xii, 20.) Quamvis illi improvide erant offensi, attamen non eum qui offenditur, sed offendentem increpat. Nam quod jam videlicet dicebam, et nunc dico : Quando magnum aliquod lucrum obvenerit, et plaga ipsa majus, contemnendi sunt qui scandalum patiuntur : quando autem nullum fuerit amplius, quam quod infirmi dejiciantur, etiamsi millies ex imprudentia hoc patiantur illi, parcendum eis erit : quoniam et Deus eos, qui impellunt in lapsum, et dejiciunt, lata sententia supplicii puniet. Nam nihil lucrantes alium offendere, extremæ malitiæ est. Nos autem quando videmus aliquem inquietum ob diuturnam valetudinem, eos qui illum exacerbant, domo abigimus, neque multum disputamus, an juste vel injuste illi hoc faciant, sed negata illis omni defensione, et huic data ob infirmitatem venia, quamvis injuste exacerbetur, ejus miseremur. Quod si nos hac cura circa famulos et pueros utimur, et sæpe filium ita peccantem flagellamus, multo magis bonus Deus, et clemens, et æquus hoc faciet.

Quid dicis? Infirmus est qui offenditur? Igitur dignus est cui parcatur, non ut lædatur : vulnera habet? Ne igitur alteramus, sed curemus : suspicatur male et imprudenter? Igitur auferamus suspicionem, non

Digitized by Google

angeamus. In Christum enim peccat, qui de his contendit. An non audis in Veteri Mosem sæpe dicentem : *Deus zelotes est?* (*Exod.* xx, 5.) Et iterum : *Zelavi Jerusalem.* (*Zachar.* i, 14.) In Novo vero Paulum clamantem : *Æmulor enim vos Dei æmulatione?* (*II Cor.* xi, 2.) Hoc, si nihil aliud, sufficere debebat, ne subverteretur anima, etiam non valde infirma et ægra. Cum enim res adeo sit terribilis, dulcis magis est quam terribilis. Nunquam enim zelus est, non præeunte charitate aliqua calida et fervente, ita ut hoc sit argumentum vehementis ardentisque Dei charitatis et amicitiæ. Non enim affectio est zelus in Deo, sed volens immensum amorem suum interpretari, hoc sæpe usus est nomine. Attamen nos qui valde insensati ad humanas decidimus affectiones, eum qui nos tantum amat, contumelia afficimus : eos autem, qui nihil nobis prodesse possunt, omnibus modis colimus. Quid enim tibi, o misera, tantum prodesse potest frigida hæc cohabitatio, cum tanto thesauro te privet? Vide, quæso, deducit te e cœlis, excludit te spirituali thalamo, sejungit te a cœlesti sponso, parat tibi immortalia supplicia, et tormenta finem non habentia. Pro his si talenta innumera præberet contubernalis tuus, si promptior esset mancipiis venalitiis, si te in majore honore et dignitate constitueret, quam sit regina : an non ut damnosum et inimicum et plura auferentem, quam dantem sic aversari, et odio habere oporteret? Proponitur tibi cura de bonis cœlestibus, de regno futuro, de vita immortali, de ineffabili gloria; tu vero negotia terrena commemoras, et hunc ad illa utilem visum colis quasi Dominum, et non te occultas, neque oras ut te terra absorbeat, ut sic inde migres? Sed infirmitatem muliebris naturæ mihi prætexis, et humanorum usuum dispensationem, et quietem domesticam, fingens et componens prætextus qui non sunt. At neque sic eos qui cor habent, falles. Non est enim, non est quies, quæ ad tantam turpitudinem cogat. Mulier enim si voluerit, non sibi ipsi solum, sed et aliis pluribus sufficiet ad ministerium : quoniam cum ab initio vir civilia negotia susceperit, mulier sortita est domesticam administrationem et curam. Non igitur quietis indigæ intus rapitis viros. Ad quid ergo? Stupri gratia et libidinis? Ego quidem non sic dixerim, absit; imo non desino objurgare eos qui sic dicunt. Utinam autem possibile esset id persuadere! Quis ergo prætextus, quæ causa efficit ut rem illam expetamus, inquit? Inanis gloriæ amor. Et quemadmodum viris voluptas frivola et misera, sic illis honoris concupiscentia hoc contubernium concilat. Nam vanæ gloriæ cupidum pene omne hominum genus est, maxime autem muliebre. Nam cum neque opus habeant quiete, sicut declaratum est, neque cum ipsis rem habeant, manifestum quod hoc solum reliquum est suspicari.

S. Chrys., *Contra eos qui apud se hab. virg. subintroduct.*, t. I.—Jam vero si quis nos intemperantiæ ob hæc verba condemnet : sane strenuos illos viros, et cum mulieribus habitantes, qui nihil grave patiantur, beatos quidem dico, qui tales sint, et vellem etiam ipse hoc robore donari; et ipse quidem forte adducor ut credam, posse hujusmodi viros reperiri. Vellem hæc ab his qui nos arguunt me doceri posse : sed neque ipsi volunt doceri, et nobis hæc ad defensionem afferentibus reclamant quasi impudentibus, eodem quo ipsi morbo correptis, propriamque tegentibus malitiam. Et quid hæc ad nos, inquit? Neque nos sumus obnoxii insipientiæ alienæ, neque si quis stulte scandalizetur, dignus ego sum, qui pœnas dem ob illius insipientiam. Sed hoc non dixit Paulus, sed jussit, ut si injuste scandalizetur aliquis, ejus infirmitati consulatur. Tunc enim solum liberamur a pœna, quæ posita est in eos qui scandalum dant aliis, si ex scandalo aliud quoddam lucrum nascatur, majus damno quod ex scandalo fit. Adeoque si hoc non fuerit, et hoc solum obvenerit, ut scandalizentur alii, sive ob rationem aliquam, sive ob nullam, sive ut infirmi offendantur, sanguis illorum super caput nostrum, et ex manibus nostris Deus animas tales requiret. Et propter hoc ne per omnia negligeremus vel abjiceremus eos quibus offendiculo sumus, terminos quosdam et regulas nobis Christus præscripsit. Nam et hoc et illud fecit, prout tempus postulabat.

Enimvero cum de natura ciborum disseret, et ostenderet eam esse puram, et a Judaica observatione liberaret, Petro ingresso et dicente, *Scandalizati sunt;* dixit : *Sine ipsos.* (*Matth.* xv, 12, 14.) Et non solum despexit, quin et accusavit : *Omnis enim plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.* (*Ibid.*, 13.) Ita legem de cibis irritam fecit. Ubi autem qui petebant didrachma, ad Petrum accedentes dixerunt : *Magister tuus non solvit didrachma* (*Matth.* xvii, 24) : tunc non idem egit sicut antea, sed rationem habuit scandali, et ait : *Ut autem non scandalizemus ipsos, mitte hamum in mare, et piscem qui primum egressus fuerit, tolle, inveniesque in ore ejus staterem : hunc acceptum da pro me et te.* (*Ibid.*, 25.) Vides modo curantem, modo nihil curantem? Nam hoc loco nihil valde referebat gloriam Unigeniti revelari : quomodo enim, cum et alibi studuerit eam obumbrare, præceperitque multis, ne cui dicerent quod ipse esset Christus? Et propterea nihil damni ex eo quod dependit didrachma : si autem non solvisset, magna inde nata fuissent mala. Nam ut tyrannum, et obluctantem, et civitatis universæ inimicum, et in extrema pericula injicientem utique aversati fuissent : propterea ipsos qui volebant ipsum rapere, et facere regem, longius fugit, eamque opinionem a multis, qui circa ipsum erant, repulit. Priori autem loco necessarium erat id, quod agebatur, ideo utiliter ac tempestive, et ut in meliori opere contempsit scandalum. Etenim valde tempori congruebat, ad supremam philosophiam ascensuros non prohiberi, ut Judæis mos

Digitized by Google

gereretur; sed abire, vocante tempore, ad animi puritatem, neque retardari corporali observatione, sed a vili illa cura eximi.

S. Chrys., hom. 51, al. 52, *in Matth.* xv, t. VII.—Tanta enim erat ciborum observatio, ut etiam post resurrectionem Petrus diceret : *Non, Domine, quia nunquam commune, aut immundum quid comedi.* (*Act.* x, 14.) Etiamsi enim aliorum causa hæc diceret, ut sibi adversus accusatores defensionem pararet, ostenderetque se restitisse. Neque sic id sibi concessum fuisse, attamen ostendit magnam hujus rei curam et opinionem. Ideo Christus in principio non ita aperte de cibis locutus est; sed dixit, *quæ per os ingrediuntur* : ac rursus, cum manifestius hac de re postea locutus videretur, a fine illa obumbravit dicens : *Illotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem ;* ut hinc videretur initium ducere, interimque illa de re disseruisse. Idcirco non dixit : ciborum esus non coinquinat hominem, sed quasi de alia re disputans, ut nihil possent illi objicere. *Hæc cum audissent*, inquit, *scandalizati sunt*, Pharisæi nempe, non turbæ. *Accedentes* enim, inquit, *discipuli ejus, dixerunt ei : Scis quia Pharisæi, audito hoc verbo, scandalizati sunt ;* et tamen nihil adversus eos dictum fuerat. Quid igitur Christus? Non solvit scandalum eorum, sed increpavit dicens : *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.* (*Matth.* xv, 13.) Noverat enim quandonam scandala contemnenda, et quando non despicienda erant; alibi quippe ait : *Ne scandalizemus eos, mitte hamum in mare.* (*Matth.* xvii, 26.) Hic vero dicit : *Sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadent.* Hæc autem dicebant discipuli, non tam quod de illis dolerent, sed quod et ipsi aliquantum turbarentur. Quia vero non audebant illud ex propria persona dicere, in narratione de aliis instituta id ediscere volebant. Nam quod res ita se habeat, audi quomodo postea Petrus fervens ille, qui semper prior accedit, dicat : *Edisce nobis parabolam hanc*, animi sui perturbationem declarans, nec audens palam dicere hoc sibi offendiculo esse, sed rogans se commotum interpretatione sedari, quapropter etiam increpatus fuit. Quid igitur ait Christus? *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.*

Idem, *in Matth.* xviii. — Sicut necesse est ignem calere, et nivem frigere, ita est necesse ut iniquitas mundi erroribus plena, scandala pariat, perfectorum vero charitas pietatis operibus luceat.

Qui scandalizatur parvulus est, majores enim scandala non recipiunt.

S. August., serm. 81, *in Matth.* xviii, t. V. — Divinæ lectiones quas modo, cum recitarentur, audivimus, admonent nos adversus scandala, quæ futura prædicta sunt, robur percipere virtutum, pectus munire Christianum, et hoc a misericordia Domini. Quid est enim homo, ait, nisi quod memor es ejus? *Væ mundo a scandalis.* (*Matth.* xviii, 7.) Dominus dicit, Veritas dicit; terret et monet, non vult esse nos incautos; nam non fecit utique desperatos. Contra hoc *Væ*, id est contra hoc malum metuendum, tremendum, cavendum, consolatur nos, et hortatur, et instruit illo loco Scriptura, ubi dicitur : *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est eis scandalum.* (*Psal.* cxviii, 165.) Ostendit hostem cavendum, sed non cessavit ostendere murum munitum. Cogitabas tu audiens : *Væ mundo a scandalis*, quo ires extra mundum, ne scandala patereris. Ergo propter cavenda scandala, quo ibis extra mundum, nisi fugias ad eum qui fecit mundum? Quomodo autem ad eum qui fecit mundum, confugere poterimus, nisi legem ejus, quæ ubique prædicatur, audiamus? Parum est audiamus, nisi diligamus. Securum te enim faciens Scriptura divina contra scandala, non ait : Pax multa audientibus legem tuam. Non enim auditores legis justi sunt apud Deum. Sed quia factores legis justificabuntur, et fides per dilectionem operatur : *Pax multa*, inquit, *diligentibus legem tuam, et non est eis scandalum.* Concinit huic sententiæ etiam quod audiendo et respondendo cantavimus : Mites autem hæreditate possidebunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis, quia, pax multa diligentibus legem tuam. Ipsi enim mites, qui diligunt legem Dei : *Beatus* enim *vir, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum, ut mitiges eum a diebus malignis, donec fodiatur peccatori fovea.* (*Psal.* xciii, 12 et seq.) Quam diverse videntur Scripturæ voces, et in unam sententiam sic confluunt atque concurrunt, ut quidquid audire potueris de fonte illo uberrimo, adquiescas et tu, concordes veritati amicus, pace plenus, charitate fervidus, contra scandala munitus.

Idem, *ibid.* — Propositum est ergo videre, vel quærere, vel discere quomodo mites esse debemus; et ex hoc quod modo de Scripturis commemoravi, admonemur invenire quod quærimus. Intenta sit paululum charitas vestra; magna res agitur, ut mites simus : necessaria res in adversis. Neque enim res adversæ sæculi hujus vocantur scandala : scandala quæ sint, advertite. Nescio quis, verbi gratia, in necessitate aliqua constitutus urgetur pressura. Non est hoc scandalum, quia pressura urgetur. Pressura et martyres pressi sunt, sed non oppressi. Scandalum cave, non valde pressuram. Pressura premit te, scandalum opprimit te. Quid ergo interest inter pressuram et scandalum? In pressura parabas servare patientiam, tenere constantiam, non relinquere fidem, non consentire peccato. Hoc si servas, aut si servaveris, pressura tibi ruina non erit : sed ad hoc valebit illa pressura, ad quod valet in torculari, non ut oliva opprimatur, sed ut oleum liquetur. Denique si in ista pressura laudes Deo dicas, quam utile prelum, unde a te liquor emanat? Sedebant in pressura apostoli catenati, atque in illa pressura cantabant hymnum Deo. Quid premc-

Digitized by Google

batur? Quid eliquabatur? Sedebat sub magna pressura Job in stercore, inops, sine ope, sine substantia, sine filiis; plenus, sed vermibus, quod quidem ad hominem pertinet exteriorem. Sed quia et intus Deo plenus erat, laudabat Deum, et pressura illa non illi erat scandalum. Ubi ergo scandalum? Quando accessit ei uxor? et ait : *Dic aliquid in Deum, et morere.* (*Job* II, 9.) Omnibus quippe ablatis, a diabolo exercitato Eva servata est, non ad consolationem, sed ad tentationem viri. Ecce ubi scandalum. Exaggeravit miserias ejus, miserias etiam suas cum illius, et cœpit persuadere blasphemiam. Illi autem qui erat mitis, quia Deus ex lege sua docuerat eum, et mitigaverat a diebus malignis, pax multa erat in corde ejus diligentis legem Dei, et non erat illi scandalum. Illa scandalum erat, sed illi non erat. Denique vide mitem, vide eruditum in lege Dei, lege Dei dico æterna. Nam lex illa in tabulis data Judæis, nondum erat temporibus Job, sed manebat adhuc lex æterna in cordibus piorum, unde illa descripta est quæ populo data est. Quia ergo mitigatus erat lege Dei a diebus malignis, et pax ei multa erat diligenti legem Dei, vide quam sit mitis, quid respondet. Hic disce quod proposui; qui sint mites. *Locuta es*, inquit, *tanquam una ex insipientibus mulieribus. Si bona percepimus de manu Domini, mala non sustinemus?* (*Ibid*, 10.)

S. Aug., serm. 81 *in Matth.* — Audivimus exemplo qui sint mites : definiamus eos verbis, si possumus. Mites sunt quibus in factis omnibus bonis, in omnibus quæ bene faciunt, non placet nisi Deus; in omnibus quæ mala patiuntur, non displicet Deus. Ea fratres, attendite ad hanc regulam, ad hanc normam; extendamus nos ad illam, quæramus incrementum, ut impleamus illam. Quid enim prodest, quia plantamus et rigamus, nisi Deus incrementum dederit? *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus.* (*I Cor.* III, 7.) Audi qui vis mitis esse, qui vis mitigari a diebus malignis, qui diligis legem Dei; ut non sit in te scandalum, et sit tibi pax multa, ut possideas terram, et delecteris in multitudine pacis : audi qui vis mitis esse. Quidquid boni facis, non tibi placeas. *Deus* enim *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* (*I Petr.* v, 5.) Ergo quidquid boni facis, non tibi placeat nisi Deus : quidquid mali pateris, non tibi displiceat Deus. Quid plura? *Hoc fac et vives.* (*Luc.* x, 28.) Non te absorbebunt dies maligni; evades quod dictum est : *Væ mundo a scandalis.* (*Joan.* I, 10.) Cui mundo enim *Væ a scandalis*, nisi de quo dictum est : *Et mundus eum non cognovit?* (*Joan.* I, 10.) Non illi mundo, de quo dictum est, : *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* (*II Cor.* v, 19.) Mundus malus, mundus bonus : mundus malus, omnes in mundo mali; et mundus bonus, omnes in mundo boni. Sicut attendimus plerumque agrum, plenus est ager iste : quo fructu? Tritico. Itemque dicimus et verum dicimus : Plenus est ager iste palea. Arbor est, plena est fructu. Alter dicit plena est foliis; et qui dicit plena est fructu, verum dicit; et qui dicit, plena est foliis, verum dicit. Nec plenitudo foliorum abstulit fructui locum, nec plenitudo fructuum turbam expulit foliorum. Utroque plena est : sed aliud quærit ventus, aliud cultor colligit. Sic ergo, cum audis : *Væ mundo a scandalis*, noli terreri, dilige legem Dei, non tibi erit scandalum.

Sed occurrit uxor, nescio quid mali persuadens. Diligis eam, sicut oportet diligi uxorem : membrum tuum est. Sed *si oculus tuus scandalizat te, si manus tua scandalizat te, si pes tuus scandalizat te* (*Matth.* XVIII, 8, 9), modo audisti evangelium, *Amputa, projice abs te.* Quisquis tibi charus est, quisquis tibi pro magno habetur a te, tandiu magnus sit, tandiu dilectum membrum tuum sit, quandiu non cœperit scandalizare, id est mali aliquid suadere. Audite quia hoc est scandalum. Constituimus exemplum de Job et uxore ejus : sed ibi non est nominatum scandalum. Audi Evangelium : Dominus, cum de passione sua prædicaret, Petrus cœpit illi suadere ne pateretur. *Redi retro Satanas*, scandalum mihi es. Prorsus docuit te Dominus, qui tibi vivendi exemplum præbuit, et quid sit scandalum, et quomodo caveatur scandalum, cui dixerat paulo ante : *Beatus es, Simon Bar-Jona*, ostenderat illum membrum suum esse. At ubi cœpit scandalum esse, præcidit membrum, refecit membrum, reposuit membrum. Scandalum ergo tibi ille erit, qui tibi mali aliquid suadere cœperit. Et intendat charitas vestra : fit hoc plerumque, non malevolentia, sed perversa benevolentia. Videt enim te amicus tuus, qui te diligit, vicissimque a te diligitur, pater tuus, frater tuus, filius tuus, conjux tua, videt te in malo, et vult te facere malum. Quid est, videt te in malo? Videt te in aliqua pressura. Pressuram ipsam propter justitiam forsitan pateris : ideo pateris pressuram, quia non vis dicere falsum testimonium, verbi gratia dixerim. Abundant exempla, quia *Væ mundo a scandalis.* Ecce, verbi gratia, potens aliquis quærit a te propter prædam suam, propter rapinam suam, ministerium falsi testimonii. Negas tu : negas falsum, ne neges verum. Ne multis immorer, ille irascitur, potens est, premit : accedit amicus, qui non vult te esse in pressura, non vult te esse in malo : rogo te, fac quod tibi dicitur, quid magnum est? Jam forte, quomodo, et Satanas Domino, scriptum est de te, quia *angelis suis mandavit de te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.* (*Psal.* XC, 11, 12.) Forte et iste amicus tuus, quia videt te Christianum, de lege tibi vult persuadere, quod putat te debere facere. Fac quod dicit. Quid? Hoc quod vult ille. Sed mendacium est, falsum est. Non legisti : *Omnis homo mendax?* (*Psal.* CXV, 2.) Jam iste scandalum est. Amicus est, quid facturus es? Oculus est, manus est. *Amputa, et projice abs te.* Quid est, *amputa, et projice abs*

Digitized by Google

te? Noli consentire. Hoc significat, *amputa et projice abs te*, noli consentire. Membra enim nostra in corpore nostro consensione faciunt unitatem, consensione vivunt, consensione invicem connectuntur. Ubi dissentio, ibi morbus aut vulnus est. Ergo membrum tuum est : diliges eum. Sed scandalizat te : *Amputa eum et projice abs te.* Noli consentire; averte illum ab auribus tuis, forte correctus redibit.

S. Aug., serm. 81 *in Matth.*— Quomodo facturus es, quod dico amputaturus et abjecturus, et eo fortasse correcturus? Quomodo facturus es, responde. De lege voluit suadere mendacium. Ille enim ait, dic. Et forte non ausus est dicere : Dic mendacium : sed dic quod vult. Tu dicis, sed mendacium est. Et ille, ut excuset : *Omnis homo mendax.* (*Rom.* III, 4.) Et tu contra, frater : *Os quod mentitur, occidit animam.* (*Sap.* I, 11.) Attende, non est leve quod audisti : Os quod mentitur, occidit animam. Quid mihi facit inimicus iste potens, qui me premit, quia miseraris me, et miseret conditionis in me, et non vis me esse in malo, cum velis me esse malum? Quid mihi facit potens iste, quid premit? Carnem. Corpus, dicis tu, premit; dico ego, perimit. Quanto mitius mecum agit ille, quam ego, si mentitus fuero? Ille occidit carnem meam : ego occido animam meam. Iratus potens occidit corpus : *Os quod mentitur, occidit animam*, Corpus occidit, moriturum erat, etsi non occideretur, animam vero quam non occidit iniquitas, in æternum excipit veritas. Serva ergo quod servare potes : pereat quod quandoque periturum est. Respondisti; et tamen *omnis homo mendax*, non solvisti. Responde illi, et ad hoc, ne videatur sibi aliquid dixisse ad suadendum mendacium, testimonium de lege proferens, urgens te de lege contra legem. In lege enim scriptum est : *falsum testimonium ne dicas* (*Matth.* XIX, 18), et in lege scriptum est : *Omnis homo mendax.* Respice ad illud quod paulo ante commonui, quando mitem hominem verbis quibus potui, terminavi. Mitis est, cui in omnibus quæ bene facit, non placet nisi Deus : in omnibus quæ male patitur, non displicet Deus. Hoc ergo ei responde, qui dicit, mentire; quia scriptum est : *Os quod mentitur, occidit animam.* Non mentior, quia scriptum est : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* (*Psal.* V, 7.) Non mentior, quia scriptum est : *Falsum testimonium non dices.* Urgeat licet pressuris carnem meam cui displiceo in veritate, audio Dominum meum : *Nolite timere eos qui, corpus occidunt.* (*Matth.* X, 28.)

Idem, *ibid.* — Quomodo ergo omnis homo mendax? An forte non es homo? Responde cito, et verum, et homo non sim, ne mendax sim. Videte enim : *Deus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videret si est intelligens et requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* (*Psal.* XIII, 2, 3.) Quare? Quia filii hominum esse voluerunt. Ut autem eos ab his iniquitatibus tolleret, redimeret, curaret, sanaret, mutaret filios hominum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quid ergo mirum? Homines eratis, si eratis filii hominum; omnes homines eratis, mendaces eratis, *omnis enim homo mendax.* Accedit vobis gratia Dei : *Dedit vobis potestatem filios Dei fieri.* (*Joan.* I, 12.) Audite vocem Patris mei dicentis : *Ego dixi : Dii estis et filii Altissimi omnes.* (*Psal.* LXXXI, 6.) Quoniam homines filii hominum, si non filii Altissimi, mendaces; quia omnis homo mendax. Si filii Dei, si gratia Salvatoris et redempti, si pretioso sanguine comparati, si aqua et spiritu renati, si ad hæreditatem cœlorum prædestinati, utique filii Dei. Ergo jam dii. Quid ad te vult mendacium? Adam enim purus homo. Christus, homo Deus, Creator omnis creaturæ Deus. Adam homo, Christus homo, Mediator Dei, Filius unicus Patris, Deus homo. Ecce tu longe a Deo homo, et Deus sursum longe ab homine : in medio se posuit Deus homo. Agnosce Christum, et per hominem ascende ad Deum.

Jam ergo correcti, et si aliquid egimus, mites, teneamus indeclinabilem confessionem. Diligamus legem Dei, ut evadamus quod dictum est : *Væ mundo a scandalis.* Loquamur aliquid de scandalis, quibus mundus plenus est, et quomodo crebrescant scandala, abundent pressuræ. Vastatur mundus, calcatur torcular. Ea, Christiane, cœleste germen, peregrini in terra, qui civitatem in cœlo quæritis, qui angelis sanctis sociari desideratis, intelligite vos sic venisse ut discedatis. Transitis per mundum, conantes ad eum qui creavit mundum. Non vos perturbent amatores mundi, qui volunt in mundo remanere, et velint, nolint, coguntur migrare : non vos decipiant, non seducant. Pressuræ istæ non sunt scandala. Justi estote, et exercitationes erunt. Tribulatio venit : quod volueris erit, aut exercitatio, aut damnatio. Qualem te invenerit, talis erit. Tribulatio ignis est : aurum te invenit? Sordes tollit; paleam te invenit? In cinerem vertit. Ergo pressuræ quæ abundant, non sunt scandala. Sed quæ sunt scandala? Locutiones illæ, verba illa, quibus nobis dicitur : Ecce quid faciunt tempora Christiana, ecce quæ sunt scandala. Ad hoc enim tibi dicitur, ut tu, si amas mundum, blasphemas Christum. Et dicit tibi hoc amicus tuus, consiliarius tuus : ergo oculus tuus. Dicit tibi hoc minister tuus, cooperarius tuus : ergo manus tua. Dicit tibi hoc forte qui te sustentat, qui te ab humilitate terrena sublevat : ergo pes tuus. Abjice, amputa, projice abs te, noli consentire. Responde talibus, quomodo respondebat ille, cui suadebatur falsum testimonium. Responde, et tu, dic homini dicenti tibi : Ecce, temporibus Christianis tantæ pressuræ, vastatur mundus; responde tu : Hoc mihi, antequam eveniret, prædixit Christus.

Idem, *ibid.* — Quare enim turbaris?

Digitized by Google

Pressuris mundi turbatur cor tuum, quomodo navis illa ubi dormiebat Christus. Ecce quæ causa est, homo cordate, ut turbetur cor tuum : ecce quæ causa est. Navis ista, in qua Christus dormit, cor est ubi fides dormit. Quid enim tibi novi dicitur, Christiane, quid enim tibi novi dicitur? Temporibus Christianis vastatur mundus, deficit mundus. Non tibi dixit Dominus tuus, deficiet mundus? Quare credebas quando promittebatur, et turbaris quando completur? Ergo tempestas sævit in cor tuum : cave naufragium, excita Christum. *Habitare*, inquit Apostolus, *Christum per fidem in cordibus vestris.* (*Ephes.* III, 17.) Per fidem habitat in te Christus. Fides præsens, præsens est Christus : fides vigilans, vigilans est Christus : fides oblita, dormiens est Christus. Excitare, commovere, dic? Domine, perimus. Ecce quæ nobis dicunt pagani : quæ nobis dicunt, quod est gravius, mali Christiani. Exsurge, Domine, perimus. Evigilet fides tua, incipit tibi loqui Christus : Quid perturbaris? Hæc omnia prædixi tibi. Ideo prædixi, ut cum venissent mala, sperares bona, ut non deficeres in malis. Miraris quia deficit mundus? Mirare quia senuit mundus. Homo est, nascitur, crescit, senescit. Querelæ multæ in senecta : tussis, pituita, lapitudo, anxietudo, lassitudo inest. Ergo senuit homo; querelis plenus est : senuit mundus, pressuris plenus est. Parum tibi præstitit Deus, quia in senectute mundi misit tibi Christum, ut tunc te reficiat, quando cuncta deficiunt? Nescis hoc significasse in semine Abrahæ? Nam semen Abrahæ, ait Apostolus, quod est Christus. *Non dicit, et seminibus, tanquam in multis, sed tanquam in uno, et semini tuo, qui est Christus.* (*Galat.* III, 16.) Ideo seni Abrahæ natus est filius, qui erat utique Christus in ipsius mundi senectute venturus. Venit cum omnia veterascerent, et novum te fecit. Res facta, res condita, res peritura jam vergebat in occasum. Necesse erat ut abundaret laboribus; venit ille et consolari te inter labores, et promittere tibi in sempiternam quietem. Noli adhærere velle seni mundo, et noli juvenescere in Christo, qui tibi dicit : Perit mundus, senescit mundus, deficit mundus, laborat anhelitu senectutis. Noli timere, renovabitur juventus tua sicut aquilæ.

S. Aug., serm. 72, *in Matth.* VIII, t. V. — Christiani, audistis quia *peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.*

Nolite contemnere, si non vultis deleri de libro vitæ.

Quandiu conamur luculenter et delectabiliter vobis dicere, quod dolor noster cogit quomodocunque dicere, et tacere non permittit? Quicunque voluerint ista contemnere, in Christum peccant, videant quid agant. Paganos reliquos colligi volumus, lapides estis in via; venire volentes offenduntur, et redeunt. Dicunt enim in cordibus suis, quare nos relinquamus deos quos Christiani ipsi nobiscum colunt? Absit a me, inquit, ut ego deos gentium colam. Novi, intelligo, credo. Quid facis de conscientia infirmi, quam percutis? Quid facis de pretio, si contemnis quod emptum quanti est? Vide emptum est : *Peribit*, inquit, *infirmus in tua scientia*, quam te dicis habere, ut scias quia nihil est idolum, et animo cogites Deum, et sic recumbas in idolio. In hac scientia perit infirmus. Et ne contemnas infirmum, addidit : *Propter quem Christus mortuus est.* Quem vis contemnere, pretium ipsius attende, et cum morte Christi totum mundum appende. Et ne adhuc putares te in infirmum peccare, et leve duceres peccatum ac parvi penderes, *in Christum*, inquit, *peccatis.* Solent enim homines dicere : In hominem pecco, nunquid in Deum? Nega Christum Deum. Audes negare Christum Deum? An aliud, in idolio cum recumberes, didicisti? Non admittit istam doctrinam Christi doctrina. Quæro ubi dideceris non esse Christum Deum. Pagani hoc solent dicere. Vides quid faciunt mensæ malæ? Vides quoniam corrumpunt mores bonos colloquia mala? Tu ibi de Evangelio loqui non potes; et de idolis loquentes audis. Amittis ibi quod Christus Deus est : et quod ibi bibis, in Ecclesia vomis. Forte hic audes loqui, forte inter turbas audes murmurare : Nunquid Christus non homo fuit? Nonne crucifixus est? A paganis hoc didicisti, salutem perdidisti, timbriam non tetigisti. Tange et in hoc fimbriam, recipe salutem. Sicut eam te tangere docuimus in eo quod scriptum est : *Qui viderit fratrem in idolio recumbentem.* (*I Cor.* VIII, 10.) Tange illum et de divinitate Christi. De Judæis dicebat eadem fimbria : *Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* (*Rom.* IX, 5.) Ecce in quem verum Deum peccas, dum discumbis apud deos falsos.

Idem, *Lib. annotation. in Job*, t. III, part. I. — Quia Christus Dei virtus est et Dei sapientia, scit ista ille, qui etiam mortaliter natus est, non conditione mortali, quia in mortuis liber, sed miseratione mortalium, ut a morte faceret liberos. Aut venisti in thesauris nivis? (*Job* XXXVIII, 22.) Id est ad eam pervenisti, sicut ille sciebat etiam opportunas causas imminentium scandalorum secretas atque abditas. Nam inde appellat thesauros, ad probanda et exercenda spiritualium corda, cum exclamabat : *Væ mundo a scandalis, oportet enim venire scandala, væ autem illi homini per quem scandalum venit.* (*Matth.* XVIII, 7.) Per superbiam quippe elati in alto, more nivis congelascunt, et cadunt; ex quorum iniquitate abundante refrigescat charitas multorum : qui autem sustinent Dominum viriliter agentes, et spiritu ferventes, perseverent usque in finem, et salvi erunt. *Aut thesauros grandinis vidisti?* (*Job* XXXVIII, 22.) Grando sunt illi iniqui, quando non solum torpent, nullam fervorem spiritus habentes, sed etiam obstinata du-

Digitized by Google

ritia persequendo vel irruendo contundunt : *Quæ reposita sunt tibi in tempus inimicorum, et in diem pugnæ et belli?* (*Job* XXXVIII, 23.) Vel hinc quis non videat, cujus personam in propheta gestet Job? Non enim huic uni homini reposita sunt ista in tempus inimicorum, et in diem pugnæ et belli, sed utique unico populo Dei. Tempus quippe inimicorum est, donec transeat iniquitas, quæ quanto magis abundat, tanto magis adversus diabolum acrius pugnandum atque bellandum est, ne charitas perseverantium refrigescat. *Unde autem procedit pruina?* (*Ibid.*, 24.) Quis hoc novit, nisi quia hæc ut initia parturitionum sunt? Pruina quippe minutissima grando est : *Et dispergitur Auster sub cœlo?* Austrum, quamvis mortalibus carnibus gravis sentiatur, non tamen uspiam memini in sanctis libris mali aliquid significare, sicut aquilonem nunquam in bono. Illum, quia ex ea parte flat qua lux claret ; istum, quia ex ea unde lux est remotior.

Dispergitur ergo *Auster sub cœlo*, ut adversus illas omnes iniquitates auxilium aliquod intelligatur Dei, quandiu nondum in cœlo, sed sub cœlo sumus : *Quis præparavit flumen validæ pluviæ, et viam vocibus tempestatis?* (*Ibid.*, 25.) Vide quemadmodum tria illa breviter complexa sint, quæ Dominus in tentationibus ponit contemnenda his qui ædificant super arenam. Pluviam commemoravit, et flumen, et voces tempestatis, ubi ventos intelligimus. Pluvia ergo tentatur, qui ex ipsa celsitudine Scripturarum divinarum peccandi occasionem prave intelligendo accipit; tanquam si audiens : Cui modicum dimittitur ; modicum diligit, dicat sibi : Faciamus mala, ut veniant bona ; et permaneat in peccato, ut gratia abundet ; et multa hujusmodi, quibus se homines sermonem divinum male interpretando subvertunt, impunitatem sibi promittentes, quando misericordia Dei in divinis libris commendatur. Flumine autem, quando ab hominibus qui hæc ita intellexerunt et acceperunt, tentatur : flumen enim nunc dicit illud, quod de pluvia colligitur, et torrens vocatur, cum ait : Quis præparavit validæ pluviæ flumen quod impleat, et qua currat? Sicut sunt vasa iræ perfecta ad perditionem, quæ illo modo, quo dixi, Scripturas accipiunt. Per illos enim habet liberiorem cursum perniciosa illa interpretatio, quam agri fructiferi non recipiunt : et tanto majore impetu impellit, et dejicit, et trahit quod instabile invenerit, quanto videtur de auctoritate divina suscepta. Ventis vero tentatur, quem perflant inanes suasiones hominum superborum, id est ex propria auctoritate verba vana jactantium.

Qui ergo judicio Dei præparatur ad perditionem, non obtemperando verbis ejus, quod est super arenam ædificare, non resistit ventis talibus, et cadendo fit via vocibus tempestatis. *Validæ* autem *pluviæ* dictum arbitror, difficilis ad capiendum, id est ad intelligendum : *Ut pluat super terram ubi non est vir.* (*Job* XXXVIII, 26.) Subaudiendum est : Quis præparavit? Per virum autem videtur legem significare, quæ data est Judæis. Ergo super gentes intelligimus imbrem Evangelii. *In deserto ubi non est homo* (*Ibid.*, 27) : in ipsis gentibus, ubi non erat aliqua auctoritas cognoscentis Deum : *Ut satiet invium et inhabitabile, et ut germinet herbæ viror.* (*Ibid.*) Multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum. In omnibus autem his quatuor versibus, subaudiendum est : Quis præparavit? *Quis est pluviæ Pater?* Sicut sponsus, qui filios suos misit prædicatione regni cœlorum irrigare terram : *Et quis est qui peperit glebas roris?* (*Ibid.*, 28.) Bene suscipientes illam prædicationem. Sic enim ait *glebas roris*, quomodo dicuntur vasa vini ad hoc facta, ut vinum suscipiant : *De cujus utero procedit glacies?* (*Ibid.*, 29.) Utrum glacies in bono accipienda est, propter stabilitatem et a fluxu continentiam, ut ita dictum sit : *De cujus utero procedit glacies*, quemadmodum illud, *Quis est pluviæ Pater?* An uterus pro secreto positus est, ut *de ejus utero procedat glacies*, sicut dedit illos Deus in reprobum sensum? An potius *de illius utero procedit glacies*, qui persuadendo impietatem, qua intrinsecus plenus est, facit frigescere et durescere amisso calore charitatis : quis enim hunc novit, sicut ille, qui ait duris et resistentibus Evangelio : « Vos ex patre diabolo estis? » (*Joan.* VIII, 44.) *Aut pruinam in cœlo quis genuit? Quæ descendit sicut aqua flumen.* (*Ibid.*, 30.) Quod de glacie in ultimo sensimus, hoc et de pruina accipiendum puto.

S. Leo Mag. serm. 42, tom. I. — *Universæ viæ Domini, misericordia et veritas* (*Psal.* XXXIV, 10) ; tamen cum quædam non secundum desideria nostra procedunt, et sub humani judicii errore superior est plerumque iniqui causa, quam justi, vicinum nimis atque contiguum est, ut etiam magnos animos ista concutiant, et in aliquod illicitæ causationis murmur impellant. Siquidem istis varietatibus etiam excellentissimus propheta David usque ad periculum se turbatum profitetur, et dicit : *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum videns.* (*Psal.* LXXII, 2.) Unde quia paucorum est tam solida fortitudo, ut nulla inæqualitatum perturbatione quatiantur, et multos fidelium non adversa tantum, sed etiam secunda corrumpant, sananda vulneribus, quibus humana infirmitas sauciatur, diligens est adhibenda curatio. Ideo enim de periculis, quibus mundus hic plenus est quædam breviter percurri (*percucurri*, in plurib. codd.), ut dicente Scriptura : Quis gloriabitur castum se habere cor, aut mundum se esse a peccato? (*Prov.* XX, 9.) Omnes sibi intelligant delictorum indulgentiam, et reparationis necessariam esse medicinam.

S. Gregor. Mag., *in Ezech.*, hom. 7. — Notandum est quia in quantum sine pec-

Digitized by Google

cato possumus, vitare proximorum scandalum debemus; si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur.

S. Bern. epist. 34, *ad Drogon. mon.* — Memento non omnium scandalum magnopere esse curandum, juxta responsionem Domini dicentis : *Sinite illos, cæci sunt et duces cæcorum.* Melius est enim ut scandalum oriatur, quam veritas relinquatur.

Idem, epist. 82, *ad abb. S. Joann. Carnot.* — Libenter carebo quantolibet etiam spirituali questu, qui non possit acquiri nisi cum scandalo. Ubi enim scandalum, ibi procul dubio charitatis est detrimentum. ubi autem diminutio charitatis, miror quod vel quale possit spiritualis exercitii sperari lucrum.

SCHISMATICI

[Ex SS. Patribus.]

Vid. verb. Excommunicatio, Hæresis.

[Ex conciliis.]

Ex Canon. Apostolorum Clementis I, an. 93. *et Epitome Adriani.* I, *an.* 773. — 32. Presbyter qui contempto episcopo suo seorsum conventus fecerit, deponatur, cæteri quicunque tali consentiunt, deponantur, laici vero segregentur, hæc autem post unam, et secundam et tertiam obsecrationem fieri conveniunt.

Ex conc. Laodiceno sub Silvestro I an. 320. — 33. Non oportet una cum hæretico vel schismatico orare.

Ex conc. Carthaginensi II, *sub Siricio, an.* 397, *seu sub Celestino, an.* 425. — 8. Si quis presbyter a præposito suo excommunicatus vel correptus fuerit, debet utique apud vicinos episcopos conqueri, ut ab ipsis ejus causa possit audiri ac per ipsos suo episcopo reconciliari : quod nisi fecerit, sed superbiat (quod absit!) inflatus, secernendum se ab episcopi sui communione duxerit, ac separatim cum aliquibus schisma faciens sacrificium Dei obtulerit, anathema habeatur, et locum amittat, nihilominus et de civitate et congregatione in qua fuerit longius repellatur, ne vel ignorantes vel simoliciter viventes serpentina fraude decipiat.

Ex conc. Ephesino gen. III *sub Celestino, an.* 431. — 1. Si quispiam metropolita provinciæ, derelicta sancta et œcumenica synodo, aut accessit ad illorum defectionis consessum, aut accedet imposterum, sive cum Celestio sit au sentiet, ipse nihil amplius poterit agere adversus provinciæ episcopos, ut qui jam inde a synodo totius ecclesiasticæ communionis expers sit factus, et prorsus inutilis, sed et ipsis episcopis illius provinciæ circumquc vicinis metropolitis recta sentientibus subjacebit, ut omnino dejectus sit a sede episcopatus

2. Si qui provinciales episcopi a sancta synodo abfuerunt, et delicientibus adhæserunt, aut adhærere tentaverint, vel etiam postquam subscripserunt Nestorii depositioni, rursus ad defectionis consessum recurrerunt, istos placuit sanctæ synodo penitus alienos esse a sacerdotio, et a gradu cecidisse.

4. Si qui clericorum defecerint et ausi fuerint vel privatim vel publice quæ sunt Nestorii aut Celestii sapere, sancitum est a sancta synodo istos quoque deposios esse.

Ex conc. Regiensi sub Sixto III, an. 439. — 3. Statuitur ne qui episcopi aut clerici ex schismaticis aut hæreticis ad Ecclesiam redirent, sedibus ac dignitatibus suis quibus privati erant restituerentur.

Ex conc. Aurelianensi III, *sub Vigilio, an.* 540. — 2. Si qui clericorum rebelli auctoritate se in unum, conjuratione intercedente, collegerint, et aut sacramenta inter se data, aut chartulam conscriptam fuisse patuerit, nullis excusationibus hæc præsumptio præveletur, cum in synodum ventum fuerit, in præsumptoribus juxta personarum et ordinum qualitatem, a pontificibus, qui tunc in unum collecti fuerint, vindicetur.

Ex conc. Constantinop. univer. VIII, *sub Adrian. II, an.* 869. — 4. Photium contra jus fasque præcipiti temeritate velut atrocem lupum in gregem Christi insilientem, orbemque terrarum perturbatione complentem, nunquam antea episcopum fuisse, neque nunc ulla ratione esse justo declaramus, nec ab illo creatos, in eo sacerdotii gradu in quem ab eo promoti sunt manere, præfectis quoque monasteriorum ab eo provectis, præfecturam abrogamus.

6. Ut cunctæ res gestæ per Photium, potissimum in Nicolaum Romanum pontificem nullius sint roboris.

25. Ne qui hactenus adhærentes Photio, episcopi consecrati a Methodio sive Ignatio, etiamsi resipiscant, spem ullam habeant restitutionis episcopatus.

Ex conc. Coloniensi sub Stephano VI, an. 887. — 2. Schismatici et raptores rerum ecclesiasticarum in festivitate sancti Joannis Baptistæ, VIII Kal. Jul. in foro Julii, quando iterum synodus celebranda erit, pœnitentiæ et emendationi secundum Priscorum statuta Patrum, se submittant, aut si hoc contempserint, perpetuo et irrevocabili eos anathemate feriendos esse denuntiamus.

Ex conc. Lateran. II, *univers.* IX, *sub Calixto II, an.* 1122. — 6. Ordinationes quæ a Burdino hæresiarcha, postquam a Romana Ecclesia est damnatus, quæque a

Digitized by Google

pseudoepiscopis per eum postea ordinatis factæ sunt, irritas esse decernimus.

Ex conc. Lateran. III, *univers.* X, *sub Innocent. II, an.* 1139. — 30. Ordinationes factas a Petro Leonis et aliis schismaticis et hæreticis evacuamus, et irritas esse censemus.

Ex conc. Rhemensi sub Eugenio III, an. 1148. — 17. Ordinationes factas a filio Petri Leonis et aliis schismaticis evacuamus, et irritas esse censemus.

Ex conc. Turonensi sub Alexandro III, an. 1163. — 9. Ordinationes factas ab Octaviano, et aliis schismaticis et hæreticis evacuamus, et irritas omnes esse dicimus et decernimus.

Ex conc. Lateran. univer. II, *sub Alexandro III, an.* 1179. — Ordinationes ab Octaviano et Guidone hæresiarchis, necnon et Joan. Strumensi qui eos secutus est, factas et ab ordinatis ab eis, irritas esse censemus, etc. Alienationes quoque seu invasiones de reb. ecclesiasticis per eosdem seu laicos factæ, omni careant firmitate, etc. Qui autem sponte juramentum de tenendo schismate præstiterint, a sacris ordinibus et dignitatibus maneant suspensi.

SECULUM

[Ex SS. Patribus.]

S. Clemens. *Epist. II ad Cor.*, t. I. — Si nos volumus et *Deo servire et mammonæ*, incommodum nobis est : Nem *quæ utilitas, si quis universum mundum lucretur; animam autem detrimento afficiat?* (*Matth.* XVI, 26.) Porro hoc sæculum et futurum sunt duo inimici. Illud adulterium, corruptelam, avaritiam et fraudem prædicat; hoc vero istis renuntiat. Non ergo possumus amborum amici esse : oportet autem ut illi valedicentes, hoc utamur. Putemus melius esse quæ hic sunt odisse, quia parva et exigui temporis et corruptioni obnoxia sunt; quæ vero ibi sunt, diligere, utpote bona et incorrupta. Facientes enim Christi voluntatem, requiem inveniemus : sin minus, nihil nos ab æterno supplicio eripiet, si mandata illius contemnamus. Dicit autem et Scriptura in Ezechiele : *Si Noe, et Job et Daniel resurgant, non eruent liberos suos in captivitate.* (*Ezech.* XIV, 20.) Quod si adeo justi viri, non possunt justitiis suis eruere liberos; nos, nisi baptisma purum et immaculatum servaverimus, qua confidentia intrabimus in regiam Dei? Aut quis advocatus noster erit, si non inveniamur opera pia et justa habere?

Quocirca, fratres mei, certemus ac contendamus, scientes quod præ manibus est certamen; et quod ad corruptibilia certamina multi appellunt (agones), sed non omnes coronantur, nisi qui plurimum laboraverint, et præclare certarint. Nos igitur certemus, ut omnes coronam reportemus. Ergo curramus viam rectam, certamen incorruptibile; et multi ad ipsum navigemus; atque certemus, ut et coronemur : et si non possumus omnes coronari, saltem prope coronam simus. Scire nos oportet, quod qui certamen corruptibile certat, si corrumpere ac peccare inveniatur, flagellatus aufertur, et extra stadium projicitur. Quid vobis videtur? Qui incorruptionis certamen corruperit, quid patietur? De iis enim qui sigillum non servaverint, ait : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur, et erunt in visionem omni carni.* (*Isai.* LXVI, 24.) Quandiu ergo in terris degimus, pœnitentia ducamur.

S. Cyprian., *Lib. de laude martyrii.* — *Si cum Christo commortui estis, quid tanquam viventes in hoc seculo decernitis.* (*Col.* II, 20.) Charissimi fratres, qui resurrectionis præmia sustinemus, qui judicii diem quærimus, qui denique regnaturos nos esse cum Christo confidimus, seculo mortui esse debemus. Nam nec poteris optare martyrium, nisi ante oderis seculum. Christus enim abjectus est seculo, sicut et seculum Christo, ut scriptum est : *Mundus mihi crucifixus est, et ego mundo.* Nemini amabilis fuit mundus quem non ante damnaverit Dominus, nec salute potuit frui æterna, qui mundi gloriatus est vita. Vox est ista Christi dicentis : *Qui in hoc seculo amaverit animam suam, in futuro perdet illam; qui autem in hoc seculo oderit illam, in futuro inveniet eam.* (*Matth.* X, 39.)

S. Ephrem., *Serm. de agone*, t. III. — In luctaminibus sæculi nullus sine agone, seu certamine coronatur, et in spiritali conversatione, et proposito sancto, nemo sine luctaminibus potest immarcessibilem coronam accipere, vitæque æternæ hæres existere. Nam scammati assimilatus est mundus iste. Semper ergo perfectissimi et robustissimi athletæ, sine aliquo metu, et cum summa alacritate inveniuntur in scammate: timidi autem, et imbecilles, antequam incipiant certare, diffugiunt, et propter molliliam desidiamque immensam nullo prorsus modo in scammate desudare contendunt. Scamma est autem, fratres charissimi, medius locus in quo athletæ luctantur. Sic ergo et perfectissimi luctatores, incontinentissimi monachi decertant, habentes semper præ oculis jucunditatem paradisi, et exspectantes delicias ejus perfrui, et quæ promissa sunt bona, immortalia secula et lumen sempiternum.

Vis in agone certare, et victor existere? Indue te armatura Dei, sicut vestimento. Indue te virtute animæ, omni sollicitudine hujus mundi exuere, et studiose enitere, ne iisdem pro parva concupiscentia, vel negligentia expolieris. Fuge vinum quasi venenum, ne ebrietas superet te, exspoliatumque virtutibus nudum efficiat, quemadmodum Noe sanctum et antiquissimum virum. Hic enim justus in illa generatione inventus est nutu Dei, timore diluvii fabri-

Digitized by Google

cavit arcam in salutem domus suæ, et quem tantæ moles aquarum non vicerant, postmodum a modico vino devictus est, et in diluvio pudore velatus, postea dormiens ab ebrietate nudatus est. Hoc iterum vinum et patriarcham Lot deprædavit, ut contra naturam cum filiabus suis se turpiter fœditerque misceret, et adeo enervatione vini in profundissimo somno demersus est, et pene sepultus, ut quid fecerit postea evigilans ignoraret. Si ergo sanctis et magnificis viris vini ebrietas non pepercit, quanto magis te exiguum atque infirmissimum, si ebrietati studueris, superabit? Semper in adolescentia et juventute time vinum, quia ex vino spiritualis oculus excæcatur, iniquitas multiplicatur, venenata dulcedo libidinis meditatur, et exsecranda turpitudo quæ contra naturam est, cogitatur. Mollescit virtus animæ, cogitatio vitæ abolletur æternæ, anima devincitur, visibiliter delinquit, facillime effugatur ab ea cœlesti gratia, sanctimoniam dico atque virginitatem.

Quanto tempore enim fuerit templum corporis nostri sanctum et mundum, Deus excelsus habitabit in eo; si autem corruptum fuerit et pollutum, continuo sanctus et impollutus Deus deserit templum illud, et pro ineffabili lumine cœlesti habitabit in eo obscuritas impurissimi dæmonis, et subintrant concupiscentiæ malignæ et sordidæ quæ infelicem animam crebro faciant insanire. Quis ille est qui non habet lacrymas, si in corde suo meditaverit quia Deus sanctus repulit templum suum, et concupiscentiæ malæ, et passiones ignominiosæ habitant in eo; et intellexerit quis eum repulit, quis successit, unde cecidit, quis evenit, a quo separatus est, cui conjunctus est? Quomodo non statim repletur lacrymis, et flens, et lugens, dicit intra semetipsum: Quare in uno momento a maligna cogitatione prostratus sum, et effugi agonem gloriosum, nec merui victoriam et triumphum? Nam in die illa retributionis molles et resoluti peccatores, et impii, cum viderint justos et sanctos gaudio et lætitia sempiterna exsultare, et in paradiso æterno regni Dei degere, se etiam viderint in igne inexstinguibili, et in tenebris exterioribus esse, tunc fortiter ingemiscent, et superfluis lacrymis plorabunt amariter, quia detinet eos pœnitudo vanissima, et necessitas pœnarum immensa. Propterea obsecro vos, fratres mei dulcissimi, imitatores estote beatissimorum Patrum, qui sanctissima sua institutione templum Dei purissimum exstiterunt. Horum conversationem diligite: horum exempla sectamini. Desiderate jejunium, quod est animæ puritas et castitas. Desiderate orationes, quæ sunt colloquia Dei; omnis enim sancta et purissima oratio confabulatio Dei est. Denique perfectorum orationes eorum, qui ex toto corde diligunt Deum, cum magna exsultatione ad cœlum ascendunt: angeli etiam et archangeli cum gaudio occurrunt eis, et suscipientes eas, usque ad thronum gloriæ sancti Dei perducunt. Hæc enim magna gratia sanctorum angelorum est, et ineffabilis lætitia, cum sanctorum orationes purissimas coram Deo obtulerunt.

Festinemus ergo, fratres, fieri imitatores institutionis et vitæ sanctorum monachorum. Ambula, frater, in viis eorum. Vive sicut illi vixerunt. Abstinentiam habeto spiritus et animæ et corporis. Continentiam habeto in habitu. Continentiam habeto in cibo. Continentiam habeto in lingua. Abstinentiam habeto in aspectu, in cogitatu et in risu, ut athleta pietatis perfectissimus in omnibus demonstreris. Considera teipsum, frater charissime, et vigila ne in tuis orationibus extollaris, sed cum astiteris orare Deum, cum magno timore et desiderio coram eo consiste. Disrumpe a corde tuo omnia vincula terrenæ sollicitudinis. Esto per omnia sollicitus, et sobrius in hora orationis, et ita viriliter agonizare; ut sit oratio tua sancta et munda, impolluta et immaculata, et videntes eam portæ cœli aperiantur coram ea, et angeli cum lætitia occurrant ei, et usque ad thronum benedicti Patris perducant eam. Sic semper esto, charissime, quemadmodum cherubim et seraphim qui permanent in ministerio Dei. Meditare, frater, hæc verba, et decanta ea jugiter ex affectu cordis, quæ escam spirituli animæ subministrant, et ab amaritudine eam sua semper dulcedine liberant, ponderibusque terrenorum negotiorum exonerant. Omnia quæcunque audisti, mente sollicita servare festina, ut requiescat Deus in cogitationibus tuis, ut invenias fiduciam in hora illa terribili et tremenda, cum venerit Dominus reddere unicuique secundum opera ejus. Indulgete modicam quid infirmitati meæ, fratres charissimi; quasi infirmissimus enim existimo quod in hora illa omnis spiritus contremiscat. Sed gratia Salvatoris confortat, et lætificat corda sanctorum, cum rapiuntur in nubibus obviam Christo in aera. Ego autem, et qui mei sunt similes desidiosi, et pigri remanebimus super terram, et non facile ad cœlestia ascendemus.

Fratres mei dilectissimi, quid nobis potest mundus prodesse, quia ejus sollicitudinibus ligamur? Aut quid lucrabimur de cultu vestimentorum, et ornatu elationis amictus, nisi ignem inexstinguibilem? Aut quid acquirimus de studio escarum, et ventris cura, nisi æterna supplicia? Agnoscite, fratres, quia nisi hic per gratiam Dei totis viribus agonizantes meruerimus triumphum, ibi pœnitebimus in sæcula sæculorum. Fratres mei, quid negligimus, quid desidia occupamur? Quare nosmetipsos in occursum Domini non præparamus? Ecce enim dies appropinquat; ecce universus mundus ad occasum properat. Quare non omnia onera concupiscentiarum, et fæces peccatorum a nobis rejicimus? Nescitis quia arcta via est, et porta angusta quæ ducit ad vitam, et peccatorum ac divitiarum sarcinis prægravatos non capit per eam transire? Hos etiam porta illa diligit, qui

Digitized by Google

attenuati divitiis, et voluntaria paupertate afflicti, semper in vigiliis, in jejuniis, atque humilitate, omni tempore vitæ suæ conversati sunt, et paraverunt seipsos ut videant immortalem sponsum, et possideant regna cœlorum.

Ecce, charissimi, jam ostium nos paradisi vocat; jam crebro sono nos hortatur, et dicit : Priusquam claudar, unusquisque vestrum velociter properet, ut introiens in æternum cum Domino regnet. Ecce mater nostra Jerusalem cum magno gaudii affectu clamat ad nos, et dicit : Venite, Filii mei dilectissimi, venite ad me, dilatetur numerus vester in me, et in thalamo immortalis sponsi magnificentur chori vestri cum angelis sanctis. Videam vos in gloria, et pulchritudine, et decore. Videam vos in lætitia, et exsultatione, et gaudio. Diligite me, filii mei, sicut et ego vos diligo. Nihil possideatis in terra, nihil sitis solliciti. Ecce sponsus meus jam paratus est, ut procedat, et veniat in nubibus cœli, et in gloria Patris sui benedicti. Tunc unumquemque vestrum singillatim suo nomine vocabit, et ordinabit eum in officio quo pro suis meritis et laboribus dignus exstiterit. Nam in studio vestro ac vigilantia, angeli et archangeli omnesque virtutes cœlorum exsultant. Similiter et negligentia vestra, et stupore cum ipsius satellitibus inimicus tripudiat. Festinate ergo, filii mei, ut et ego de vobis, vosque de me gaudeatis, in secula seculorum, amen.

Procidens adoro te, et obsecro, Christe Filius Dei vivi, præsta mihi, et omnibus diligentibus te, ut videamus regnum tuum cœleste, et possideamus illud cum omnibus sanctis, amen. Charissimi, in hoc brevi tempore si neglexerimus, nullam omnino excusationem habebimus, quam pro nostris facinoribus obtendamus. Dominus nunc noster descendens de cœlo in terram, omnia nobis condonavit, debita nostra demittens, et vitam nobis æternam contribuens. Nam cum inimici essemus, reconciliavit nos Deo per mortem suam. Terreni eramus, et cœlestes sumus effecti; mortales, et immortalitatem accepimus; filii tenebrarum, et facti sumus filii lucis; captivi, et redempti sumus; perditi, et invenit nos; servi peccati, et liberavit nos; pauperes, et divites facti sumus; infirmi, et sanati sumus; odibiles, et dilecti sumus; injusti, et justificati sumus; non misericordiam consecuti, et misericordiam consecuti sumus; peccatores, et salvabit nos; dispersi, et congregavit nos; nudi, et operuit nos; filii hominum, et facti sumus Filii Dei, hæredes et cohæredes unigeniti Filii ejus. Ecce omnia nobis ista donavit, priusquam quæreremus eum ut inveniremus.

Irrisionem ergo malam, aut exprobrationem fratris, ne cor tuum aliquando suscipiat; nec eum qui pro peccatis suis pœnitudinem gerit, despicias. Ne irrideas fratrem tuum jejunantem; et eum qui jejunare non potest, ne confundas. Non argue eos qui te suscipiunt. Agnosce honorare temetipsum, nec importunus existere, et tunc omnibus opportunus et utilis poteris esse. Increpa, et in mansuetudine persevera. Propter penuriam autem, ne te despicabilem facias. Timenti Deum revela mysteria ejus; ab eo autem qui timorem Domini non habuerit, sed superbiæ et elationi semetipsum subjecerit, omnimodis cave. Adversus abstinentem neque dixeris quidquam mali, neque audieris, nec adversus eum qui putatur inimicus tuus; hoc autem præ omnibus stude, ut nullum habeas inimicum, nisi diabolum ejusque ministros. Cum homine iniquo et doloso ne habitaveris, et cum maledico ne alloquaris, ne det inhonorationem animæ tuæ. A detractione et supplantatione, frater, abstineto, et ab eo qui supplantare alterum conatur, attende. Hæc monachis congruunt, qui cœlesti jugo sua colla submittunt. Hæc discipuli Christi custodiant; his monitis meis sine intermissione intendant. Decet enim eos magistri sui Christi imitatores existere. Exempla institutionis nostræ, charissimi, sumamus a Christo Domino qui, cum dives esset, pro nobis pauper factus est. Excelsus et æqualis Patri, semetipsum humiliavit. Porro super cœlos habitans, in terris non habebat ubi caput reclinaret.

Factus es mihi, Christe Salvator, dux viæ et vitæ quæ ducit ad Patrem. Mansiones ejus gratiæ sunt. Fines ejus regna cœlorum sunt. Factus es mihi, o dominator Domine, Filius Dei vivi, fons vitæ, ex quo dona tua haurirem, et te sine intermissione diligens collaudarem. Facta est gratia tua in corde famuli tui, lumen et gaudium, et dulcis super mel et favum ori meo. Facta est gratia tua in anima servi tui, quasi thesaurus, tribuens mihi ineffabiles divitias, et paupertatem atque miseriam longe a me expellens. Facta est gratia tua servo tuo refugium et virtus, gloriatio et protectio, et esca spiritalis plena suavitate et lumine. Quomodo possim silere, o Domine, de illa multitudine dulcedinis, et charitatis tuæ gratia quæ os meum, licet indignissimi peccatoris, aperuit? Aut quomodo substinebit lingua mea, ut non, te singulis horis ac momentis, datorem vitæ glorificet? Aut quomodo iterum potero inundationes gratiæ tuæ excludere, quæ jugiter fluunt in pectore humilitatis meæ, plenæ dulcedine et omni gratia spiritali? Psallam nomini tuo glorioso, Domine, rex cœlorum qui mihi tribuisti dona tua cœlestia. Magnifico gratiam tuam, Christe, Redemptor meus. Cum enim te magnifico, ego ipse magnificor coram te. Non cessabit lingua mea collaudare virtutem tuam. Non cessabit cithara mea personare spiritalia cantica tua. Desiderium tuum attraxit me post te, Christe, gloriatio vitæ meæ. Gratia tua dulcedinem mihi præstitit ad sequendum te, spes mea. Efficiatur cor meum terra bona, ad suscipiendum semen tuum. Irroret eum gratia tua rore vitæ æternæ. Dimittat bonitas tua manipulum bonum de agro pectoris mei, id est compunctionem et sanctimoniam. Converte animam meam in requiem deliciarum paradisi. Tu ovem errantem requisisti, et

Digitized by Google

inventam tuis humeris reportasti ; et hanc indignissimam animam meam manibus tuis attrahe, et offer benedicto et immortali Patri tuo, coram cherubim et seraphim, et coram angelis sanctis, ut deliciis paradisi perfruens cum sanctis omnibus dicam : Gloria Patri immortali, gloria Filio immortali, gloria Spiritui sancto immortali in sæcula sæculorum, Amen.

S. Ambros., *Lib. de fuga seculi*, cap. 1, t. I. — Frequens nobis de effugiendo sæculo isto est sermo; atque utinam quam facilis sermo, tam cautus et sollicitus esset affectus ! Sed, quod pejus est, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, et vanitatum offusio mentem occupat; ut quod studeas vitare, hoc cogites, animoque volvas : quod cavere difficile est homini, exuere autem impossibile. Denique voti eam magis esse rem quam effectus testatur Propheta, dicendo : *Declina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam.* (*Psal.* CXVIII, 36.) Non enim in potestate nostra est cor nostrum, et nostræ cogitationes, quæ improviso effusæ mentem animumque confundunt atque alio trahunt quam tu proposueris, ad secularia revocant, mundana inserunt, voluptuaria ingerunt, illecebrosa intexunt, ipsoque in tempore quo elevare mentem paramus, insertis inanibus cogitationibus, ad terrena plerumque dejimur.

Quis autem tam beatus qui in corde suo semper ascendat? Sed hoc sine auxilio divino qui fieri potest? Nullo profecto modo. Denique supra eadem Scriptura dicit : *Beatus vir cujus est auxilium abs te, Domine, ascensus in corde ejus.* (*Psal.* LXXXIII, 6.) Beatus plane quem delectatio non revocat, quem non inclinat voluptas, qui ad inferiora non respicit; quod nec ipsius Lot uxor potuit evadere. Quo admonitus exemplo Apostolus, posteriora obliviscens, et ea quæ sunt priora appetens, festinabat ad bravium, et pervenire meruit; quia ante se Christum videbat, a quo ad justitiæ vocabatur coronam. Sed pervenit ille qui se ipsum sibi abnegavit, ut Christum lucraretur. Denique non ipse vivebat, sed vivebat in eo Christus.

Nam quis inter tot passiones hujus corporis, inter tot illecebras hujus sæculi, tutum atque intemeratum servare potest vestigium? Respexit oculus, et sensum mentis avertit : audivit auris, et intentionem inflexit : inhalavit odor, cogitationem impedivit : os libavit, et crimen retulit : tactus contigit, et ignem adolevit. *Intravit mors per fenestram* (*Jer.* IX, 21), dixit propheta : Fenestra tua est oculus tuus. Si videas mulierem ad concupiscendum, intravit mors; si audias sermones meretricios, intravit mors; si luxuria sensus tuos capiat, penetravit mors. Et ideo qui vult ascendere, non læta seculi, non amœna, non delectabilia, sed plena doloris et fletus sequatur; melius est enim ire in domum luctus quam in domum gaudii. Denique nec Adam de paradiso descendisset, nisi delectatione deceptus esset.

Pulchre igitur David, qui periculosos hominis etiam ipsos aspectus fuerat expertus, beatum illum dicit, cui spes omnis in Dei nomine est. (*Psal.* XXX, 5.) Sic enim non respicit in vanitates, et insanias falsas, si semper in Christum intendat, semper Christum interioribus oculis aspiciat. Unde iterum ad ipsum conversus ait : *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* (*Psal.* CXVIII, 37.) Vanitas circus est, quia nihil prodest; vanitas est equorum velocitas, quia mendax ad salutem est. Vanitas theatrum est; vanitas ludus omnis : *Omnia, vanitas*, inquit Ecclesiastes, *quæ in hoc sæculo sunt.* (*Eccle.* I, 2.) Denique qui salvus esse vult, supra mundum ascendat, quærat Verbum apud Deum, fugiat hunc mundum, terras relinquat. Non enim potest percipere illud quod est et est semper, nisi prius hinc fugerit. Unde et Dominus volens Patri Deo appropinquare, ad apostolos ait : *Surgite, eamus hinc.* (*Joan.* XIV, 31.)

Idem, *ibid.*, c. 4. — Accedamus itaque fidei suffragio subnixi, et ejus remigiis sublevati, ad illam sedem gratiæ, fugientes hoc sæculum et ejus contagionem. Hoc est autem fugere, abstinere a peccatis, ad similitudinem et imaginem Dei formam virtutum assumere, extendere vires nostras ad imitationem Dei secundum mensuram nostræ possibilitatis. Vir enim perfectus imago et gloria est Dei. Unde et Dominus ait : *Perfecti estote, sicut et Pater vester qui in cœlis est, perfectus est.* (*Matth.* V, 48.) Hoc est igitur similem esse Dei, habere justitiam, et in virtute esse perfectum. Deus enim est sine peccato; et ideo qui peccatum fugit, ad imaginem est Dei. Non est igitur dubium quod is qui a peccato abstinet, fugit. Unde et Apostolus clamat : *Fugite fornicationem.* (*I Cor.* VI, 18.) Persequuntur enim nos peccatorum illecebræ, persequitur libido : sed tu fuge tanquam furiosam dominam, quæ si comprehenderit, nec die, nec nocte requiescere sinit, exagitat, urit, incendit. Fuge avaritiam, ne te interius comprehendat. Fuge invidiam, quæ non solum alienos, verum multo magis eum quem possederit, lacerare consuevit. Fuge perfidiam, ne te suis involvat retibus. Unde et Dominus ait : *Cum autem persequuntur vos in civitate ista, fugite in aliam. Quod si in alia persequuntur vos, in aliam fugite. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis.* (*Matth.* X, 23.) Etenim quamvis propter infirmitatem carnis fugam nobis suadere videatur, tamen melius fugit, qui fugit illecebram sæcularem, ut non teneatur divitiarum suarum sollicitudine, non thesauri contemplatione, non vitæ istius cupiditate; sed directa animi intentione festinet ad gloriam regni cœlestis, properet ad coronam, nec terrenorum commixtu a sui corporis passione revocetur.

Fuga ergo, mors est vel celebrata, vel adumbrata. Et forte illas exprimit refugii

Digitized by Google

legitimi civitates, ut confugiamus ad virtutum culmina, quas pro præmiis bono fœneratoris alibi dispensat, dicens : *Quia in modico fidelis fuisti, eris potestatem habens super decem civitates.* (*Luc.* XIX, 17.) Lex vetus novit civitates ; sed quia legem implevit, qui potuit dicere : *Non veni solvere legem, sed implere* (*Matth.* V, 17), perfectiorem numerum remunerationis indulget.

Non ergo erubescamus fugere. Gloriosa enim hæc fuga est, fugere a facie peccati. Sic fugit Jacob, matre suadente. Dixit enim Rebecca : *Exsurgens, fuge in Mesopotamiam.* (*Gen.* XXVII, 4, 3.) Sic fugit et Moyses a facie regis Pharaonis, ne illum aula regia coinquinaret, ne irretiret potentia. Denique pretiosius Ægypti divitiis æstimavit opprobrium Christi. Sic fugit etiam David a facie regis Saul, a facie Absalon. Denique fugiens addebat incrementa pietatis, qui et insidiatori pepercit, et parricidæ salutem rogavit. Sic fugit et populus Hebræorum, ut fides ejus et vita inter fluctus sibi aperiret viam. Fuga illa erat trames innocentiæ, virtutis via, pietatis assumptio. Audeo dicere, sic fugit et Jonas in Tharsis non corporis fuga, sed mentis assensione, qui usque ad Christi ascendit similitudinem, ut fieret typus Christi : *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus : sic erit et Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus.* (*Matth.* XII, 40.) Nam si sic non fugisset, nunquam de ventre ceti esset auditus.

Sed si dubitas, doceat te Rebecca quam beata sit fuga, quam suscepit Jacob. Suasit Rebecca. Et *fuge*, inquit, *in Mesopotamiam.* (*Gen.* XXVIII, 2.) Isaac dicit : *Surgens vade in Mesopotamiam in domum Bathuel.* In hymnis vel oraculis a plerisque (ut ante nos scriptum est) Bathuel sapientia dicitur, interpretatione autem Latina filia Dei significatur. In domum ergo sapientiæ mittitur Jacob, et accipere admonetur uxorem a filiabus Laban, qui habitabat in Charis, quod significat cavernas, in quibus species est sensuum, qui sunt tanquam in cavernis corporis, ut visus in oculis, auditus in auribus, odoratus in naribus, in ore sapor. Qui enim delectatur in hoc mundo, et tripudiat in voluptatibus corporis, obnoxius est sensuum passionibus, atque in his habitat et diversatur. Unde ei dicit Rebecca habitandum paucos dies cum illo, non nullo tempore ; ne corporeis coloretur voluptatibus, et sæculi capiatur illecebris.

S. Greg. Mag., hom. 36 *in Ezech.* — Si cuncta mundi relinquere non potestis, sic tenete quæ hujus mundi sunt, ut tamen per ea non teneamini in mundo, ut terrena res possideatur, non possideat, ut sub mentis vestræ sit dominio quod habetis, ne mens vestra, dum terrenarum rerum amore vincitur, a rebus suis ipsa magis possideatur. Sit ergo temporalis in usu, æterna in desiderio : sit res temporalis in itinere, desideretur æterna in perventione. Quasi ex latere respiciatur quidquid in hoc mundo agitur. Ante nos autem tendant mentis oculi, dum tota intentione illa conspiciunt ad quæ pervenimus. Exstirpentur funditus vitia, non solum ab actu operis, sed etiam a cogitatione cordis evulsa. Non nos voluptas carnis, non sollicitudo curiositatis, non æstus ambitionis a Dominica cœna præpedial, sed ipsa quoque quæ honesta in mundo agimus, quasi ex quodam mentis latere tangamus, ut terrena quælibet sic nostro corpori serviant, quatenus cordi minime obsistant.

S. Bernard., serm. 1 *in Epiphan. Domini.* — Homines seculi, negotiis et flagitiis implicati, dum miseriam non sentiunt, non attendunt misericordiam.

Petr. Ravis. — Hi sunt martyres seculi, mundi professores, discipuli curiæ, milites eloquii ; per multas siquidem tribulationes intrant justi in regnum cœlorum : hi autem per multas tribulationes promerentur infernum.

SERVITIUM DEI

[Ex SS. Patribus.]

S. Irenæus, l. IV, c. 28. — Hæc est gloria hominis, perseverare et manere in Dei servitute.

Origenes, l. I *in Epist. ad Rom.*, c. 1. — Libertate nobilior est servitus Christi.

S. Fulgent., epist. 4. — Subjecti sumus Deo, sed non sumus omnino subjecti, quia ex nobis nascitur quod divinæ renititur jussioni.

S. Chrysostom., *in illud Isaiæ*, c. I, 19 : *Si volueritis et audieritis me.* — Beata voluntas, quæ serviendo comparat libertatem ; misera servitus, quæ generat libertatis excessum.

S. Ambros., *De vid.* — Nulla major est dignitas, quam servire Christo.

Idem, *in psal.* CXVIII. — Portare jugum Christi suave est ; si ornamenta putes cervicis tuæ esse, non onerat ; erige cervicem, redimicula geris non vincula.

Idem, *De vita beata*, l. II. — Servit quicunque vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel mœrore dejicitur ; servilis est enim omnis passio.

Idem. — Peccator intra se dominos habet, intra se servitutem patitur.

S. August., *contra Adamantium.*, c. 17. — Non servi cupiditatis, sed servi per gratiam efficimur charitatis.

Idem, lib. XXIV *De civit.* — Si facta est creatura rationalis, ut ei subditam esse sit utile ; perniciosum autem, suam, non ejus a quo creata est, facere voluntatem.

Idem, *Sermon. commun.*, serm. 50. —

Digitized by Google

Placet tibi homo servus fidelis, et tu non vis esse Deo fidelis qui habes servum; attende quia habes Dominum.

S. Aug., *Serm. comm.*, serm. 50. — Fidem amas in servo tuo, et Dominus non quærit eam in suo? Redde quod exigis, quod tibi gaudes ab inferiori, redde superiori.

Idem, *in psal.* XVIII, enarr. 2.— Mali, nolendo servire, nihil aliud agunt, quam ut bono Domino non serviunt, non ut omnino non serviant; quia qui noluerit servire charitati, necesse est ut serviat iniquitati.

Idem, *in psal.* VII, serm. 1. — Si apostolica disciplina servum monet, ut homini domino suo, non tantum ex necessitate, sed ex voluntate serviat, quanto magis Deo, tota, et plena, et libenti voluntate serviendum est, qui videt et voluntatem tuam.

Idem, l. IV *De civit.* — Bonus etiamsi servit, liber est; malus autem, etsi regnet, servus est, nec est unius hominis, sed quod gravius est, tot dominorum quot vitiorum.

Idem, *in psal.* XCIX. — Libera servitus est, ubi non necessitas, sed charitas servit.

Idem, *ibid.* — Omnis servitus amaritudine plena est; omnes conditione obligati, et serviunt et murmurant; nolite timere Dei servitutem; non erit tibi gemitus, non murmur, non indignatio.

Idem, *Lib. de agone Christian.*, c. 7. — Omnis creatura, velit, nolit, uni Deo et Domino suo subjecta est, sed hoc admonemus, ut tota voluntate serviamus Domino, quoniam justus liberaliter servit, injustus autem compeditus servit.

Idem, *Lib. de vera relig.*, c. 48. — Quem regnare delectat, uni omnium regnatori Deo subditus hæreat.

Idem, *ibid.*— Rationalis anima, si Creatori suo serviat a quo facta est, per quem facta est, et ad quem facta est, cuncta ei cætera servient.

Ibid., *in Joannem.* — Vis ut serviat caro tua animæ tuæ? Deo serviat anima tua; debes regi, ut possis regere.

Idem, l. I *De moribus Eccles.*, c. 12. — Magna felicitas est esse in domo Domini servum, etsi cum compedibus.

Idem, *ibid.* — Subjectione animus Deo propinquat.

Idem, *ibid.* — Simul et servus es et liber: servus quia factus es liber, quia amaris a Deo, a quo factus es, animus illo solo dominante liberrimus est.

Idem, *Confess.* — Fecisti nos ad te, Deus, et irrequietum est cor nostrum donec requiescat in te.

Idem, *ibid.* — Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum; et quas amittere metus fuerat, amisisse gaudium fuit.

Idem. — Dulciores sunt lacrymæ pœnitentium, quam gaudia theatrorum.

S. Paulinus, epist. 25. — Nihil est quod possit aut debeat præferri ei qui verus est Dominus et verus Pater.

Idem, epist. 25. — In hoc facti sumus ut boni simus, et nostro serviamus auctori; contra præcepta cujus agentes contra naturam agimus.

S. Chrysolog., serm. 114. — Utinam vel tantum Deo quantum mundo, tantum cœlo quantum terræ, tantum virtuti serviamus quantum vitiis humana fragilitas famulatur!

Idem, serm. 14. — Hæc servitus (nempe Dei) non onerat sed honorat, abstergit servitutis maculam, non inurit.

Idem, serm. 1 *de prodigo.* — Dato, non accepto pretio, miseræ nos vendimus servituti.

S. Gregorius, *Homil. super Ezechielem.* — Nemo potest in una et eadem re omnipotenti Deo servire, atque ejus hostibus gratus existere.

Cassiodorus, *in psal.* XCIX, 2 : *Servite Domino in lætitia.* — O libera servitus! O servitium supra omnes dominationes eximium! Quibus talis lætitia tribuitur, qualis in regnorum gloria non habetur.

Rupertus abbas, *in Jean.* XVII. — Juxta rei veritatem servi sumus, licet propter gratiæ abundantiam filii Dei nominemur et simus.

S. Hildebertus, *Turon. archiep.* — Magnum quidem est quod Deus impendit pro te, sed parabile est et ad manum habes quod postulat a te; postulat enim ne auferas illi jus suum, ne alieno domino assignes servum suum.

S. Bernard., *Serm. de quadrupl. debito.* — Creator ille est, tu creatura, tu servus; ille Dominus, ille figulus, tu figmentum; totum ergo quod es, illi debes a quo totum habes, illi præcipue Domino, qui et te fecit, et bene fecit tibi.

Idem, *ibid.* Non habeo, nisi minuta Deo, vel potius unum minutum, voluntatem meam; et non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficiis prævenit, qui toto se totum me comparavit.

Idem, *ibid.* — Ubi homo Deo non servit, nullo modo potest juste animus corpori, aut humana ratio vitiis imperare.

SERVITUS, FAMULATUS

[Ex SS. Patribus.]

S. Ignat., *epist. ad Polycarpum*, tom. II. — Nominatim omnes inquire. Servos et ancillas ne superbe contemnas; sed nec ipsi inflentur; verum ad gloriam Dei plus serviant, ut potiorem libertatem a Deo consequantur. Non cupiant a communi donari libertate, ne servi inveniantur cupiditatis.

Origen., *Comment. in Matth.*, t. III. — Certe Apostolus heris erga famulos præceptum tradit dicens : *Domini, quod justum*

Digitized by Google

est et æquum, servis præstate, scientes quod et vos dominum habetis in cælo (*Col.* IV, 1) ; quin etiam adversus servos minas remittere heros docet. Nonnullos autem asperis utentes comminationibus videre licet, aliquando peccati obtentu, nonnunquam etiam præ pauperum contemptu, contra Apostoli sermonem qui sic habet : *Dextras dederunt mihi et Barnabæ societatis : ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem : tantum ut pauperum memores essemus* (*Gal.* II, 9, 10) ; et rursum nullam erga subditos æquabilitatem in animum inducentes, neque modestiam et æquabilitatem inter Christianos potissimum versari debere cogitantes, sed inter eos præsertim qui dignitatem aliquam in Ecclesia gerunt ; scriptum est enim : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.* (*Eccle.* III, 20.)

S. Basil., *Moral.*, regul. 75, tom. II. — Quod oportet servos cum omni benevolentia ad Dei gloriam suis secundum carnem dominis obedire, in iis certe in quibus mandatum Dei non solvitur.

Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo : non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum benevolentia servientes, sicut Domino et non hominibus : scientes quoniam unusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber. (*Ephes.* VI, 5.)

Quicunque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Dei et doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt : sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti, qui beneficii participes sunt. (*I Tim.* VI, 1.) *Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed omnem fidem bonam ostendentes, ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus.* (*Tit.* II, 9.)

Quod oportet dominos qui memores sunt veri Domini, quam operam ipsis dederint servi, eam quoque servis pro viribus præbere, in Dei timore et mansuetudine erga ipsos ad Domini exemplum.

Sciens Jesus quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit, surgit a cœna, et ponit vestimenta sua : et cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat præcinctus. (*Joan.* XIII, 3.) Et paulo post : *Vos vocatis me magister et Domine, et bene dicitis ; sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus et magister ; et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum feci vobis, ita et vos faciatis.* (*Ibid.*, 13.) *domini, eadem facite illis, remittentes minas : scientes quia et vester ipsorum Dominus est in cœlis : et personarum acceptio non est apud eum.* (*Ephes.* VI, 9.)

S. Ambros., class. I, epist. 63, t. II. — Domini servis imperate non quasi conditione subditis, sed ita ut naturæ ejusdem cujus vos estis, consortes eos esse memineritis. (*I Petr.* II, 18.) Servi quoque dominis servite cum voluntate, etenim unusquisque quod natus est, patienter debet suscipere : nec solum bonis, sed etiam asperis obedite dominis. Nam quæ est vestræ servitutis gratia, si bonis serviatis sedulo ? Sed si etiam asperos promereamini ; nam liberi quoque nullam habent mercedem, si peccantes puniantur a judicibus : sed illa merces est, si etiam non peccantes. Et vos ergo contemplatione Domini Jesu, etiamsi difficilibus serviatis dominis cum patientia, mercedem habebitis. Siquidem ipse Dominus justus ab injustis passus est, et patientia mirabili peccata nostra suæ affixit cruci : ut qui illum imitatus fuerit, peccata sua sanguine suo diluat.

S. Chrysostom., hom. 19, *in Epist. ad Ephes.*, t. II. — Pro omnibus Deo gratias agamus : pro omnibus eum glorificemus. Subjecti, inquit (Paulus), invicem in timore Dei. Si enim propter magistratum subjiceris, propter pecunias, aut propter pudorem, multo magis propter Dei metum ; sit servitutis et subjectionis mutua remuneratio ; sic enim non erit servitus. Non sedeat quidem ille in ordine et loco liberi, hic vero in loco servi ; sed melius est ut et domini et servi, alter alteri serviant : multo melius est sic esse servum, quam aliter liberum. Idque inde est evidens : sit quispiam habens centum famulos, et nullus ipsi ministret ; sint alii centum amici se invicem servientes. Quinam melius vivent ? Quinam cum majori voluptate et lætitia ? Non est illic ira, neque indignatio, neque furor, neque aliquid aliud ejusmodi. Illic autem est timor et metus, et illic quidem necessitatis, hic autem sunt omnia instituti et liberi arbitrii : et illic quidem vi illata ; hic autem habentes gratiam, alter alteri serviunt. Sic vult Deus. Propterea lavit pedes discipulorum. Imo vero si velis rem accurate examinare, etiam in dominis est servitutis mutua remuneratio. Quid enim si fastus non sinit ut appareat remuneratio ? Quando enim hic quidem exhibet corporale ministerium, tu autem corpus nutris, et curas alimentis, et indumentis, et calceis, huic quoque exhibetur quædam servitus. Nam nisi tu illi tuum exhibeas ministerium, nec ille suum ; sed erit liber, nec ulla lex eum coget hoc facere nisi alatur. Si ergo hoc fiat in servis, quid absurdum, si hoc etiam fiat in liberis ? Subjecti, inquit, in timore Christi. Quanta est gratia, quod etiam habeamus mercedem ? At non vult tibi subjici ? Sed tu subjicere. Non solum obedias, sed etiam subjiciaris. Ita sis affectus erga omnes ut erga dominos. Ita enim cito habebis servos in servitutem redactos, maxime tyrannica servitutis potentia. Magis enim eos capies et expugnabis, quando nihil ab eis assequens, ipse quæ tua sunt ipsis præbebis. Hoc est illud : subjecti invicem in timore Christi ; ut vincamus omnes animi perturbationes et vitia, ut Deo serviamus, ut charitatem inter nos conser-

Digitized by Google

vemus, et tunc poterimus digni haberi qui assequamur Dei benignitatem.

S. Chrysost., hom. 22, t. II.—*Servi, obedite dominis carnalibus.* (*Ephes.* VI, 5.) Mœrore affectam statim (S. Paulus) erexit animam, et statim est consolatus. Ne doleas, inquit, quod minus habeas quam uxor et filii. Solum est nomen servitutis. Carnale est dominium, temporale et breve. Quidquid enim est carnale, est caducum et non diuturnum. *Cum timore*, inquit, *et tremore.* (*Ibid.*) Vides quod non eumdem timorem exigit ab uxore et servis? Nam illic quidem dixit absolute, *Mulier timeat maritum;* hic autem cum intentione : *cum timore et tremore. In simplicitate cordis vestri sicut Christo.* (*Ibid.*) Hoc dicit frequenter : Quid dicis, o beate Paule? Est frater, imo vero factus est frater, eadem est consecutus, est in eodem corpore, imo factus est frater non sui domini, sed filii Dei, fruitur iisdem omnibus, et dicis : *Obedite dominis carnalibus cum timore et tremore?* Propterea enim, inquit, dico. Nam si jubeo, inquit, liberos invicem esse subjectos propter timorem Dei, sicut dicebat superius, *Subjecti invicem in timore Dei;* si jubeo uxorem timere maritum, etiamsi ea sit par honore; multo magis servum. Non est enim hoc ignobilitas, sed prima nobilitas, scire esse inferiorem, et modeste se gerere, et cedere proximo; et liberi liberis cum multo timore et tremore serviunt. *In simplicitate cordis*, inquit. Recte dixit; quoniam fieri potest ut serviatur cum timore et tremore, at non ex benevolentia; sed utcunque licet. Non animadvertuntur enim multi multa prave gerentes adversus dominos : hanc quoque pravam tollit nequitiam, dicens : *In simplicitate cordis vestri in Domino. Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum benevolentia servientes sicut Domino, et non hominibus.* (*Ibid.*, 6, 7.)

Idem, *ibid.* — Vides quam multis opus habuerit ut hoc bonum et honestum inseretur, *cum benevolentia*, inquam, *et ex animo?* Nam illud quidem videmus multos exhibere dominis, cum timore, inquam, et tremore; et ad illud multa efficiunt minæ domini. Sed ostende, inquit, te servire tanquam Christi servum, non tanquam hominis. Fac ut quod a te geritur sit tuum opus, non necessitatis. Sicut ei qui ab alio male patitur suadet, et docet per ea quæ deinde sequuntur, ut suum esse faciat quod recte geritur, et est liberi sui arbitrii; ita et hunc. Nam quia qui maxillam percussit, non ad hoc venit ex mente ejus qui est percussus, sed a sua pravitate, quid dicit? *Præbe illi et alteram* (*Matth.* V, 35), ostendens quod non invitus eam alapam sustinueris. Nam qui ad id quod est male passum esse, affatim etiam supererogavit id quod non erat suum, suum esse fecit quod alteri maxillæ sit inflicta alapæ, non solum quod tulerit. Hoc enim fortasse ostendet etiam esse timoris; illud autem multæ philosophiæ : ostendisti igitur quod hoc etiam tuleris propter philosophiam. Itaque nunc quoque ostende quod sponte feras hanc servitutem, non ut hominibus placeas. Qui ergo studet hominibus placere, non est servus Christi; qui est autem servus Christi, non studet placere hominibus. Quis enim, cum sit Dei servus, vult et hominibus placere? et quis hominibus placens potest esse Dei servus? *Ex animo*, inquit, *cum bona voluntate servientes.* Recte sic dixit. Nam quoniam et in simplicitate serviri potest, et non prave ac maligne, sed non totis viribus, sed tantum impleri quod debetur; propterea dicit, ex animi alacritate, non ex necessitate; ex libera electione, non ex pravitate. Si sic servias, non es servus. Si ex libero arbitrio et instituto, si cum benevolentia, si ex animo, si propter Christum. Hanc enim servitutem servit etiam Paulus ille liber, et clamat dicens : *Non enim nos ipsos prædicamus, sed Christum Jesum Dominum, nos autem ipsos servos vestros propter Jesum* (*II Cor.* IV, 5.)

Vide quomodo tibi aufert ignobilitatem servitutis. Sicut enim is cui sunt ablatæ pecuniæ, si etiam alias dederit ei qui accepit, non refertur inter eos quibus est ablatum, sed inter liberales et magnificos; non inter eos qui male sunt affecti, sed inter eos qui bene faciunt; et plus probri in eum congessit quod donarit, quam probro ipse sit affectus, quod ipsi sit ablatum; ita hic quoque ex abundanti erogatione apparebit etiam excelsioris animi; et ostendens quod rapinam non senserit, illum pudore afficiet. Ergo propter Christum serviamus dominis, *scientes*, inquit, *quod unusquisque quod fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber.* (*Ephes.* VI, 8.) Nam quoniam erat verisimile multos dominos, cum sint infideles, pudore non affici, nec servos remunerari propter obedientiam, vide quomodo eos sit consolatus, ut suspectam non habeant remunerationem, sed valde confidant de compensatione. Ut enim qui beneficio afficiuntur, quando non referunt gratiam benefactoribus, eis Deum faciunt debitorem; ita etiam domini, si a te beneficio affecti tibi gratiam non referant, magis referunt, tibi debitorem Deum constituentes.

Et vos, domini, eadem facite illis. (*Ephes.* VI, 9.) Eadem, quænam? *Servite cum benevolentia.* Sed non dixit *servite*, etiamsi dicens eadem, hoc significaverit : nam Dominus quoque servit. Non tanquam studentes placere hominibus cum timore et tremore, id est, erga Deum, timentes ne quis vos accuset propter vestram in servos negligentiam. *Remittentes minas.* (*Ibid.*) Non importuni, inquit, et graves estote. *Scientes quod vester et illorum Dominus est in cœlis.* (*Matth.* VII, 2.) Papæ, quantam rem subindicavit! Quomodo terruit! Hoc est qua mensura metiris, eadem tibi reddetur mensura. Ne audias : *Serve nequam, omne illud debitum remisi tibi. Et personarum acceptio non est apud eum.* (*Matth.* XVIII, 32.) Ne existimes, inquit, quod quæ in servum fiunt,

Digitized by Google

remittet ut in servum facta. Nam externæ quidem leges sciunt horum generum differentiam, ut quæ sint leges hominum : lex autem Domini communis nullam novit differentiam, ut qui communiter omnibus benefaciat, et omnibus eadem impertiat.

S. Chrysost., hom. 4 *in Epist. ad Tit.*, t. II. — Ad domesticos jam sermo iste dirigitur. Ne ergo, optime homo, id jam spectes quod homini servias; sed, quod Deo, quod prædicationem ornes : et omnia facile feres, hero obsequens, et intempestive indignantem iratumque ferens. Cogita te non illi gratiam præstare, sed Dei præceptum implere, et omnia facile patieris. Quod autem semper dico, id nunc etiam dicam, quod si spiritualia recte exsequamur, quæ ad præsentem vitam spectant pro voto sequentur. Talem enim famulum, ita benevolum, ita mansuetum, non tantum Deus probabit, et coronis illis splendidis ornabit; sed etiam herus ille, qui cum tam bene agitur, etiamsi bellua fuerit, etiamsi lapideus, inhumanus et crudelis, laudabit illum et mirabitur, omnibusque aliis præferet; imo ipsum aliis omnibus præficiet, quamvis gentilis fuerit. Atque etiamsi heri illi gentiles fuerint, jubebunt sane talem sibi domesticum offerri. Si placet autem, exemplum vobis afferam. Venditus est Joseph coquorum principi, aliamque colebat religionem, non Ægyptiacam. Quid ergo ille? Ut virtute præditum vidit adolescentem, de religionis differentia non cogitavit; sed illum amabat, diligebat et mirabatur, aliorum illi administrationem totam commisit, ita ut nihil nosset ille eorum quæ in domo sua gerebantur, sed secundus dominus Joseph erat, imo magis quam ille dominus. Siquidem ille sua non noverat; Joseph vero quæ ipsius erant magis noverat quam ipse dominus.

Idem, hom. 22 *in Epist. ad Ephes.*, t. II. — Eadem dicemus de servis, quæ de filiis. Docete eos esse pios et religiosos; et omnino sequuntur omnia. Nunc autem ascendens quispiam in theatrum, et vadens ad balneum, secum trahit omnes pueros; in Ecclesiam autem non item : neque cogitet eos adesse et audire. Quomodo autem audiet servus, cum tu dominus aliis animum adhibeas? Emisti, comparasti servum? Impera ei quæ ex Deo sunt, ut sit mitis in conservos, ut virtutis magnam habeat rationem. Uniuscujusque est princeps et rector suæ domus. Et id quidem est evidens in domo divitum, ubi sunt et agri, et procuratores, et præfecti supra præfectos. Ego autem etiam domum pauperum dico esse civitatem. Sunt enim hic quoque principatus; utputa, maritus principatum obtinet in uxorem, uxor in servos, servi in uxores suas. Rursus viri et mulieres in pueros. Annon tibi videtur esse veluti rex quispiam, cum tot habeat sibi subjectos principes; et oporteat eum esse omnium peritissimum administrandæ domus et civitatis. Nam qui scit varie et differenter his uti, scit aptos eligere principes, et quidem eliget præclaros. Ergo uxor erit domi rex alius, dempto diademate : qui scit hanc regem eligere, alia omnia recte reget et dispensabit.

Idem, *in Epist. ad Philem.*, t. II. — *Ut æternum reciperes; jam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem, maxime mihi.* (*Phil.* xv, 16.) Servum ad breve tempus amisisti, et fratrem perpetuo invenies, fratrem non modo tuum, sed et meum. Hic virtus magna comparet. Si frater ille meus est, tu non erubesces. Cum filium illum dixit, affectum ostendit; cum fratrem vocavit, benevolentiam magnam et æqualitatem. Hæc non sine causa scripta sunt, sed ut ne de servis peccantibus desperemus, neque illos vehementius insectemur; sed discamus peccata illis condonare; ut ne semper asperi simus, neque dedignemur illos in omnibus consortes habere quando probi sunt. Si enim Paulus non erubuit servum filium vocare, viscera sua, fratrem et charissimum, cur nos erubescamus? Et quid dico Paulum? Pauli dominus non erubescit servos nostros fratres suos vocare, et nos erubescimus? Vide quanto in honore nos habeat : servos nostros vocat fratres, amicos, cohæredes. Vide quousque se demittat. Quid ergo faciemus nos ut totum hoc perficiamus? Nunquam poterimus. Nam ad quantamvis humilitatem nos deprimamus, magna ejus virtutis pars adhuc deficiet. Perpende, quæso. Quidquid feceris, erga conservum facis : Dominus autem tuus erga servos tuos id fecit.

Idem, hom. 4 *in Epist. ad Titum*, tom. II. — *Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes, ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus.* (*Tit.* II, 9, 10.) Merito igitur alibi dicebat (Paulus), *quasi Deo servientes, et non hominibus.* (*Ephes.* VI, 7.) Nam si domino cum benevolentia servias; at occasio ejus servitutis a timore proficiscitur. Quapropter is qui cum tanto timore ipsi servit, maximam accipiet mercedem. Nam si nec malum, nec intemperantem linguam coerceat, undenam gentilis dogma nostrum admirabitur? Si vero servum viderint in Christo philosophantem, et majorem quam philosophi sui temperantiam exhibentem, cum modestia summa et benevolentia servientem, vim prædicationis omnino mirabitur. Non enim a verbis dogmata, verum ex ipsis rebus et ex vita dogmata æstimare solent gentiles. Sint ergo illis doctores et mulieres, et servi, nempe a vita et moribus suis. Etenim et apud illos et ubique hoc in confesso est, servorum genus petulans esse, difficile regi ac duci, parumque idoneum esse ad doctrinam capessendam; non ex natura, absit; sed propter conversationem et dominorum negligentiam. Quia enim ubique nihil aliud curant heri, quam ut sibi serviant; si mores eorum aliquando componere studeant, hoc ad quietem suam faciunt; ita ut non negotia illis exhibeant; nec curant si fornicentur, furentur, aut ebrietati se dedant; hinc evenit ut ita neglecti, ac neminem sibi ad-

Digitized by Google

vigilantem habentes, in ipsa nequitiæ barathro demergantur.

Si enim ubi pater instat, et mater et pædagogus, nutritiusque et magister, et æquales, ipsaque ingenuitatis opinio, multaque alia, vix quis improborum consortia effugiat; quos putas futuros esse eos, qui his omnibus destituti, sceleratis admisti, ac cum libertate quibus volunt societate juncti sunt, cum nemo sit qui illorum amicitias curet? Quid, inquam, putas illos esse futuros? ideo difficile est bonum esse servum. Alioquin autem illi doctrina non fruantur, neque externa, neque nostra: non cum viris versantur liberis, ornatis, multam honoris gloriæque suæ curam habentibus. Propter hæc omnia difficile, imo res mirabilis est, si domesticus bonus et utilis unquam fuerit.

Cum ergo viderint vim prædicationis ita petulans genus, imposito freno, omnium ornatissimum et mitissimum reddidisse, etiamsi admodum irrationabiles sint domini, magnam dogmatum nostrorum opinionem concipient. Perspicuum enim est metum resurrectionis et judicii, et reliquorum omnium post mortem futurorum, quæ a nobis prædicantur, in illorum animis defixum, nequitiam illorum depellere potuisse, cum timorem illum vitiorum voluptati oppositum in mente haberent. Itaque non temere nec sine causa magnam de his ubique rationem habet: quanto magis enim illi improbi fuerint, tanto magis vis prædicationis in admiratione habetur. Nam medicum tunc mirabilem dicimus, quando desperatum, nullo fruentem auxilio, nec ab intempestivis cupiditatibus se continere valentem, imo in illis volutatum, ad sanitatem reducit et corrigit. Et vide quænam ab illis exigat, quæ omnium maxime dominis quietem præstent, non contradicentes, non fraudantes; id est multam benevolentiam exhibentes in iis quæ sibi credita sunt, et quod erga dominos optime sint affecti, ipsorum mandatis obsequentes.

S. Chrysost, hom. 20 *in Epist. ad Ephes.*, t. II. — Doce Dei timorem, et omnia tanquam a fonte affluent, eritque domus referta bonis innumerabilibus. Si incorruptibilia quæramus, corruptibilia quoque advenient. *Quærite enim*, inquit, *primum regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis.* (*Matth.* VI, 33.) Quales putandi sunt filii talium parentum? Quales consentaneum est esse famulos talium dominorum? Quales eos omnes qui illis appropinquant? Annon continget eos quoque esse plenos bonis innumerabilibus? Nam maxima ex parte ex moribus dominorum servi mores suos componunt et assimilantur eorum desideriis: eadem amant, eadem, quæ didicerint, loquuntur, in iisdem versantur. Si sic nos ipsos componamus, et Scripturis attendamus, plurima ab illis docebimur. Ita poterimus Deo placere, et totam vitam præsentem cum virtute transigere, et assequi bona promissa iis qui ipsum diligunt.

S. August. lib. XIX, *De civit Dei.*— Sunt domini, sunt et servi. Diversa sunt nomina, dominus, servus; sed homines et homines paria sunt nomina. Et quid dicit Apostolus, docens servos dominis suis subditos esse? *Servi, obedite dominis vestris secundum carnem* (*Ephes.* VI, 5): quia est Dominus secundum spiritum. Ille est verus Dominus et æternus, illi autem temporales et secundum tempus. Tu cum ambulas in via, cum vivis in hac vita, non vult te facere superbum Christus. Contigit tibi ut Christianus efficereris, et haberes dominum hominem; non ideo Christianus factus es, ut dedigneris servire, cum enim, Christo jubente, servis homini, non illi servis, sed illi qui jussit. Et ait: *Obedite dominis vestris secundum carnem cum timore, et in simplicitate cordis, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes; sed quasi servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate.* (*Ibid.*, 5, 6, 7.) Ecce non fecit de servis liberos, sed de malis servis bonos servos. O quantum debent divites Christo, qui illis componit domum, ut si fuit ibi servus infidelis, convertat illum Christus, et non ei dicat: Dimitte dominum tuum, jam cognovisti eum qui verus est dominus! Ille forte impius est et iniquus, tu autem fidelis et justus. Indignum est ut justus et fidelis serviat iniquo et infideli. Non hoc ei dixit, sed magis serviat. Et ut corroboraret servum, hoc dixit: Exemplo meo servi, quia prior ego servivi iniquis. Dominus enim tanta in passione sustinens, a quibus sustinuit, nisi dominus a servis? Et a quibus, nisi a malis servis? Nam si fuissent boni servi, honorassent dominum suum. Sed quia mali servi erant, injuriaverunt dominum. Ille quid contra reddidit? dilectionem pro odio. Ait enim: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* (*Luc.* XXIII, 34.) Si Dominus cœli et terræ, per quem facta sunt omnia, servivit indignis, rogavit pro sævientibus et furentibus, et tanquam medicum se exhibuit adveniens; nam et medici et arte et sanitate meliores serviunt ægrotis, quanto magis non debet dedignari homo ex toto animo et tota voluntate bona, cum tota dilectione servire domino etiam malo? Ecce servit melior deteriori, sed ad tempus. Quod autem dixi de domino et servo, hoc intelligite de potestatibus et regibus, et de culminibus hujus sæculi; aliquando enim potestates bonæ sunt, et timent Deum, aliquando non timent Deum. Julianus exstitit infidelis imperator. Nonne exstitit apostata, iniquus, idololatra? Milites christiani servierunt imperatori infideli. Ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum qui in cœlo erat. Quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat: Producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant. Distinguebant dominum æternum a domino temporali; tamen subditi erant propter dominum æternum etiam domino temporali.

Servum si haberes, velles ut serviret tibi servus tuus: servi tu meliori Domino Deo tuo. Servum tuum non tu fecisti, et te et

Digitized by Google

servum tuum ille fecit. Vis ut tibi serviat cum quo factus es, et non vis servire a quo factus es. Ergo cum vis ut serviat tibi servus tuus homo, et tu non vis servire Domino Deo tuo, facis Deo quod tu pati non vis.

S. August., lib. xix *De civit. Dei.* — Etiamsi habuerunt servos justi patres nostri, sic quidem administrabant domesticam pacem, ut secundum hæc temporalia bona, filiorum sortem a servorum conditione distinguerent; ad Deum autem colendum, in quo æterna bona speranda sunt, omnibus domus suæ membris pari dilectione consulerent. Quod naturalis ordo ita præscribit, ut nomen patrumfamilias hinc exortum sit, et tam late vulgatum, ut inique etiam dominantes hoc se gaudeant appellari. Qui autem veri patresfamilias sunt, omnibus in familia sua tanquam filiis ad colendum et promerendum Deum consulunt; desiderantes atque optantes venire ad cœlestem domum, ubi necessarium non sit officium imperandi mortalibus, quia necessarium non erit officium consulendi jam in illa immortalitate felicibus : quo donec veniatur, magis debent patres quod dominantur, quam servi tolerare quod serviunt. Si quis autem in domo per inobedientiam domesticæ paci adversatur, corripitur. Seu verbo, seu verbere, seu quolibet alio genere pœnæ justo atque licito, quantum societas humana concedit, pro ejus qui corripitur utilitate, ut paci unde dissiluerat coaptetur. Sicut enim non est beneficentiæ, adjuvando efficere ut bonum quod majus est amittatur; ita non est innocentiæ, parcendo sinere ut in malum gravius incidatur. Pertinet ergo ad innocentis officium, non solum nemini malum inferre, verum etiam cohibere a peccato, vel punire peccatum; ut aut ipse qui plectitur, corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo. Quia igitur hominis domus initium sive particula debet esse civitatis, omne autem initium ad aliquem sui generis finem, et omnis pars ad universi, cujus pars est, integritatem refertur; satis apparet esse consequens, ut ad pacem civicam pax domestica referatur, id est ut ordinata imperandi obediendique concordia cohabitantium referatur ad ordinatam imperandi obediendique concordiam civium. Ita fit ut ex lege civitatis præcepta sumere patremfamilias oporteat, quibus domum suam sic regat, ut sit paci accommodata civitatis.

Idem, lib. iv *De civit. Dei.* — Bonus etiamsi serviat, liber est; malus autem si regnat, servus est, nec unius hominis, sed, quod gravius est, tot dominorum quot vitiorum.

Vis ut serviat caro tua animæ tuæ : Deo serviat anima tua; debes regi, ut possis regere.

S. Bernard, *Vitis mystica.* — Benedicat anima tua Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus (*Psal.* cii, 2), et te dilectionis illius vinculis astringe, ut liberius vacare possis, et videre quam suavis est Dominus. Quem si recte gustaveris, ipso te trahente, jam nequaquam ulterius sub alterius potestatem redigeris. Omnis enim sapiens ab illius se nollet absolvere servitio, cui servire regnare est. Quis autem regnare nolit? Vis regnare feliciter? Servi benigno Jesu, et regnabis; quia illi servire, regnare est. Sic enim de sanctis legitur, quia *cum Christo regnabunt in æternum.* (*Apoc.* xx.) Quid est, *Regnabunt?* reges erunt. Hoc enim et Apostolus ait : *Hæredes quidem erunt Dei, cohæredes autem Christi.* (*Rom.* viii, 17.) Reges ergo vere erunt hæredes regni Dei, cohæredes autem regis. Felicissimæ ergo virgines hujus solius jugo subjectæ, qui servos suos commutat in reges, quorum regnum non mutabitur in æternum.

S. Hilar., *tract. in psal.* cxxv, t. I. — Et quidem gravis est captivitas corporalis, quæ, jure libertatis amisso, victorum dominatui subditur. Et serviunt tum quidem corpora; sed nequaquam capitur fidelis animæ libertas. Testes sunt mihi tres pueri inter flammas cantantes : testis Daniel in fame leonum, prophetæ prandio saturatus : testis Eleazar inter jura dominorum, patriis suis legibus liber (*II Mac.* vi) : testes cum matre sua martyres septem, Deo gratias inter nova mortis tormenta referentes. At vero quanto infelicior est animæ captivitas? Si eam avaritia ceperit, per corpus latrocinatur ac grassatur : si libido vicerit, communicat cum corpore servitutem : si luxus, ira, odium, temeritas, ebrietas, invidia subegerit; his imperantibus sibi dominis et anima et corpus in commune famulantur; atque ita captivitatem animæ et corporis sequitur captivitas. Cæterum conditionem corporis religiosæ animæ generositas despicit. Officium quidem durum, tamen homini non omnino miserabile, quia serviatur a servis, at vero animæ captivitas quam infelix est!

Avarus cariturus semetipso, carere timet pecunia; negotiosus, tristis, anxius, sine requie ulla, damni metu semper detinetur; honestatis immemor, amicitiarum inobservans, humanitatis fugax, religionem nescit, bonitatem omnino odit. At vero cui libido domina est, in quo cœno dedecoris volutatur? Pendet ad occasiones adulteriorum : anxius circa lasciviæ suæ furta, oculis, mente, corpore totus in scortis est. Videns quotidie atque audiens humanas in adulteros leges, adulterium in ipso foro cogitat; quod agit, timet; et quod timet, non fugit. Quid vero infelicius ebrietatis dominatu? Ventri ultra capacitatem infundere, officium suum corpori invidere, sensui rationem adimere, non loqui, non meminisse, non stare, et mortem quamdam naturæ incolumi imperare! Quam dedecorosus autem est furentium motus, temeritatis impetus, odiorum stimulus, livoris anxietas? Quanta ergo perturbatio eorum est, quanta calamitas, qui supra memoratis malis serviunt!

Verum si cognita sapientiæ doctrina, et Dei prædicatione, et remissione peccatorum, et resurrectione corporum, et æterni-

Digitized by Google

tatis consortio, et regno cœlesti, a dominantibus (*supple* vitiis) superioribus, de avaritia ad munificentiam transeamus, de libidinibus ad continentiam migremus, de ebrietate ad jejunia revertamur, de furore, temeritate, odio, livore ad placabilitatem, rationem, misericordiam, benignitatem evolemus : discentes hæc omnia a lege et prophetis, evangeliis et apostolis ; et cantantes ex lege : *Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi* (*Judith*, XVI, 3) ; cognoscentes a propheta : *Ego sum qui feci cœlum et terram ex nihilo* (*Isa.* XLVIII, 13) ; reddentes ab Evangelio : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1) ; pronuntiantes ab Apostolo : *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso constituta sunt omnia in cœlis et in terra.* (*Coloss.* I, 15, 16.) Et cum gentes conversionem nostram ex vitiis in virtutes, ex ignorantia Dei in confessionem ejus effectam admirabuntur ; tunc psalmi prophetiam a nobis intelligi posse testabimur, dicentes : *Dum avertit Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati. Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exsultatione. Tunc dicent inter gentes : Magnificavit Dominus facere cum illis.* (*Psal.* CXXV, 1, 2, 3.) Avertit enim Dominus captivitatem nostram per remissionem peccatorum. A dominatu enim vitiorum animam liberavit, anteriora delicta non reputans, et nos in vitam novam renovans, et in novum hominem transformans, constituens nos in corpore carnis suæ.

S. BERNARD., in quod, sermone. — Revelatur servo Dei potestas, mercenario felicitas, filio veritas. Servus dicit : *Vadam ad portas inferi* (*Isa.* XXXVIII, 19) ; mercenarius : *Non videbo Dominum Deum in terra viventium* (*ibid.*, 11) ; filius : *Psalmos nostros cantabimus* (*Ibid.* 20), etc.

INNOC., *De vilit. cond. human.* — O extrema conditio servitutis ! Natura liberos genuit, sed fortuna servos constituit. Servus cogitatur pati, et nemo sinitur compati ; dolere compellitur, et nemo condolere permittitur ; sic ipse vero servus est, aliena vivere quadra.

SILENTIUM

[Ex SS. Patribus.]

S. CLEMENS Alex. *Pædag.* lib. II, t. I. — Quod si sint nonnulli, qui alios lubenter irrideant, nobis quidem tacendum est, et verba superflua sunt, tanquam plena pocula, a nobis transmittenda : lubricus enim et periculosus est ejusmodi lusus. *Os autem temerarii appropinquat contritioni.* (*Prov.* X, 14.) *Non suscipies autem inanem auditionem ; neque cum injusto consentias, ut sis falsus testis* (*Exod.* XXIII, 1), neque in calumniis, neque in maledictis, sed neque in improbitate. Atque ego quidem mihi videor modestorum voci posse modum imponere, quibus permittitur, ut is, qui cum alio disserit, loquatur. *Silentium enim est virtus mulierum : a periculo autem remotum præmium adolescentium est : probatæ autem ætatis bona est oratio. Senior, loquere in convivio, te enim decet : sed citra impedimentum loquere, et in perfecta sapientia. Adolescens, tibi quoque permittit sapientia, loquere, si te opus sit, vix cum bis interrogatus fueris : sermonem autem tuum in paucis redige.* (*Eccli.* XXXII.) Uterque autem, qui disserit, vocem suam metiatur justa proportione. Elatus enim clamor pronuntiationis est res insanissima : cum proximis autem ita loqui, ut non audiaris, ejus est, qui nullo est sensu præditus, neque enim audient ; et est hoc quidem pusilli et abjecti animi indicium, illud vero arrogantiæ. Absit etiam vehemens contentio verborum pro inani victoria ! nobis enim finis est esse a perturbatione alienos, et hoc sibi vult illud : *Pax tibi.* (*III Joan.* 14.) Priusquam autem audieris, ne verbum responde.

S. HILAR., *tract. in psal.* CXVIII, tom. I. — Novit Jeremias propheta ætatis huius (adolescentiæ) beatitudinem, dicens : *Bonum*, inquit, *est juveni viro, cum auferet jugum grave in juventute sua : Sedebit singulariter et tacebit.* (*Thren.* III, 27.) Non exspectat frigescentes senectute annos, nec emortuam jam per ætatem vitiorum consuetudinem. Vult longi prælii militem : vult eum Christi servum, quem ne ipsa quidem præteritorum criminum recordatio polluat. Nam in his qui jam provectioris ætatis crediderunt, inest quidem per donum gratiæ præteritorum indulgentia ; sed non adest per conscientiæ naturam gestorum recordatio. *Bonum*, inquit, *juveni auferre jugum grave.* Onus istud rudes ad obediendum anni ægre ferunt : cæterum ætas tenera gravis oneris molestiam per virtutis incrementa non sentit. Sed, susceptio in juventute onere, quid faciet ? *Sedebit*, inquit, *singulariter, et tacebit.* Rarus iste est, cum quo perfectio timoris Dei per annorum augmenta concrescat : et idcirco singularis sedebit, lascivos adolescentiæ cœtus derelinquens, et ab ipso senum nuper credentium consessu remotus ; quia ei non competit dicere : *Delicta juventutis meæ, Domine, ne memineris.* (*Psal.* XXIV, 7.) Silebit etiam, congruam fidei et juventuti existimans taciturnitatem : non tumultibus negotiorum sæcularium admistus, sed per modestiam tacens, sola divina sacramentorum cognitione occupatus, et sermones Dei tacita rerum atque operum observatione custodiens.

Idem, *hom. in psal.* XXXIII, tom. I. — In universum, commotiones omnes, aciem animi atque perspicacitatem confundunt ac perturbant. Et quemadmodum fieri non potest ut accurate, oculo turbato, deprehendantur visibilia ; sic etiam turbato cor-

Digitized by Google

de, ad veritatis contemplationem incumbere non possumus. Secedere igitur oportet a mundi rebus, et neque per oculos, neque per aures, neque per alium ullum sensum cogitationes alienas in animam introducere. Quæ enim ex carnis elatione exoriuntur bella, tumultibus continuis et implacabilibus seditionibus interiora complent.

S. Hilarius, *hom. in. psal.* XXXIII, tom. I — Atqui novitiis utilis est etiam silentii exercitatio. Etenim si linguam doment, simul et daturi sunt magnum continentiæ argumentum, et in silentio studiosissime atque attentissime discent ab iis qui scienter sermone utuntur, quando et interrogare et unicuique respondere oporteat. Est enim et vocis contentio, et sermonis modus, et opportunitas temporis, et verborum proprietas, quæ pietatis cultoribus propria sit et peculiaris : quam fieri non potest ut discat qui consueta non didicerit. Silentium autem simul et priorum oblivionem ex intermissione parit, et otium ad discenda bona suppeditat. Quamobrem nisi aut peculiare aliquod negotium, et ad animæ suæ curam, et ad inevitabilem operis alicujus quod in manibus sit, necessitatem pertinens, aut instituta quæstio aliqua urgeat, in silentio degendum est, excepta videlicet psalmorum modulatione.

S. Greg. Nazian., serm. 32. — Nescitis quantum Dei donum sit silentium, ac loquendi necessitate minime constrictum esse, ita ut pro arbitratu alterum eligere, alterum fugere liceat, sibique, et sermonis et silentii, velut dispensatorem esse. Nam cum omnis oratio suapte natura imbellis sit, facileque percellatur, ac propter repugnantem sermonem libertate careat ; tum vero ea quæ de Deo suscipitur, tanto plus habet difficultatis, quanto subjectum majus est, et zelus amplior et periculum gravius. Quid autem metuemus ? aut quid erit ex quo fiduciam concipiemus ? Mensne, an sermo, an auditus, cum in tribus his rebus periculum versetur ? Nam et res divinas mente consequi arduum, et verbis explicare perdifficile, et purgatas aures nancisci majoris laboris et difficultatis est.

Idem, serm. 27. — Agnoscamus ut in vestitu, victu, risu atque incessu, sic in sermone ac silentio modum quemdam ac decorum tenendum esse, præsertim cum inter tot Dei virtutes ac nomina *Logon* quoque, hoc est verbum, colamus ; atque contingat ut ipsa etiam contentio nostra legitima sit.

S. Ambros., *Enarr. in psal.* XXXVIII. — *Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis* (*Psal.* XXXVIII, 3) ; quia noverat (David) quando se humiliare deberet, et noverat quando silere deberet. Obmutuit, ne ipsa litigiosa cum objurgantibus contentione perstreperet : humiliatus est, ut tumorem dejiceret superborum, vel ut ipsos quomodo humiliare se deberent, suo doceret exemplo : siluit a bonis, quia bona conscientia non eget defensione verborum, quæ suo nixa est testimonio, ipsa sui judex. Ideoque justus dicit : *Quis contradicat, aut quis resistat mihi ?* (*Isa.* L, 8.) Et Paulus dicit : *Mihi enim pro minimo est, ut a vobis dijudicer, aut ab humano die.* (*I Cor.* IV, 3.) Adversum calumniantes et peccatores justus suo judicio contentus est : meritorum autem suorum judicium Christo reservat. Ideoque addidit : *Qui dijudicat me, Dominus est.* (*Ibid.*, 4.) Pulcherrime eum judicem elegit, qui nulla fraude fallatur ; ut eum nec occulta prætereant, nec infirmæ conditionis lapsus offendat : qui fragilitati norit ignoscere. Ad omnia igitur utile silentium. Si peccatum agnoscis, tace ; ne negando exageres ; si non agnoscis, tace securus de innocentia. Non possunt aliena verba crimen affigere, quod propria non recepit conscientia.

Idem, *ibid.* — Quomodo proposuerit sanctus propheta David, aut propter quid custodire vias suas audiamus : *Ut non*, inquit, *delinquam in lingua mea.* (*Psal.* XXXVIII, 2.) Si hoc cavet Propheta, tu non caves ? si hoc metuit, in quo Dei gratia loquebatur, tu non metuis, qui erroris verba non refugis, et theatralibus sermonibus delectaris ? Tu non reformidas, cui scriptum est in Evangelio, quia pro omni otioso verbo rationem es redditurus ? (*Matth.* XII, 36.) Si pro otioso verbo periculum est, quanto magis pro criminoso ? Non omne quod otiosum, est criminosum ; sed omne quod non fructuosum, periculosum atque eradicabile : *Omnis enim arbor non faciens fructum, excidetur, et in ignem mittetur.* (*Matth.* VII, 19.) Cum movetur animus, exagitatur stimulantibus adversariis, obstrepentibus, illudentibus, criminantibus, excidit verbum commotionis ; ideo silentium et tutum est et decorum, quod servat cum gravitate cautelam. Quid enim labia nostra, nisi quædam nostra vincula sunt ? Denique vinculis labiorum suorum unusquisque constringitur : ideo sapiens in tempore tacet, et secum ipse considerat quo tempore loqui debeat. De quo præclare ipse Salomon : *Labia sapientis alligata sunt intellectu.* (*Prov.* XV, 7.) Quando ergo vides, illudentibus protervis, sapientem tacere, dic : Ligavit iste intellectu labia sua ; hoc est prudenter tacet, ne labiorum suorum vinculis alligetur. Posuit ori suo custodiam, sepsit aures suas spinis, vectem adhibuit foribus oris sui, servat thesaurum cordis sui, ut examinatum et purgatum, quando oportet, proferat ; ne quisquam prius fur in cor ejus aut perturbator irrumpat, et ad eos captivum trahat, quibus flagitia sua vendat.

Idem, *in psal.* XLIII. — *Tempus tacendi et tempus loquendi.* (*Eccle.* III, 7.) Tacendum est quando paratum non invenis auditorem : loquendum est, quando Dominus linguam eruditionis indulget, ut sermo tuus operetur in affectibus audientium.

Idem, *in psal.* CXVIII. — *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* (*Psal.* CXVIII, 11.) Periculum est itaque non solum falsa dicere, sed etiam vera, si quis ea insinuet quibus non oportet.

Idem, *ibid.* — Adversus persequentes te,

Digitized by Google

silentio sæpe cedendum, quia tibi vincunt. Illorum potentia, tua victoria est. Tunc triumphantur, cum se vicisse crediderint.

Complures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quemquam tacendo. Ideoque tacere nosse, quam loqui difficilius est.

S. Ambr., *De officiis* — Si pro otioso verbo reddemus rationem, videamus ne reddamus et pro otioso silentio. Est enim magnum et negotiosum silentium; ut erat Susanna quæ plus egit tacendo, quam si esset locuta. Tacendo enim apud homines, locuta est Deo.

Silendi patientia, opportunitas loquendi, et contemptus divitiarum, sunt maxima fundamenta virtutum.

Idem, *ibid.*—Quam plures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quemquam tacendo. Ideoque tacere nosse difficilius est quam loqui. Scio loqui plerosque, cum tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cum sibi loqui nihil prosit; sapiens est ergo qui novit tacere.

Maxima est virtus tacendi, præsertim in Ecclesia.

Idem, lib. III *De virgin.* — Nulla te divinarum sententia fugiet lectionum, si aurem admoveas, vocem premas. Nullum ex ore verbum quod revocare velis, proferas; sed parcior loquendi fiducia sit. Copiosium quippe in multiloquio peccatum.

S. Gregor., *Moral.* — Ille scit recte dicere, qui et ordinate novit tacere.

Idem, *Pastoral.* — Plerumque nimis taciti, cum injuste aliqua patiuntur, eo in acriorem dolorem prodeunt; vulnera quippe clausa plus cruciant; quia, cum putredo, quæ intus fervet, ejicitur, ad salutem dolor aperitur.

S. Chrysost., *Super Matth.* — Utinam recedendo vel tacendo compesceret, quos respondendo non potuit: quia malitia non docetur sermonibus, sed excitatur; unde malum hominem, tacendo melius quam respondendo, vincere potes.

Idem, hom. 37, tom. XII. — Verbum temere prolatum integras evertit domos, animasque perdit et obruit. Pecuniarum quidem jacturam denuo instaurare licet. Verbum autem emissum reduci nequit. *Audisti verbum*, inquit, *tecum commoriatur.* (*Eccli.* XIX, 10.) Exstingue illud, obrue, ne egredi sinas, neque omnino moveri; quod dictum est occide, oblivioni manda, ut non audientibus similis evadas. Multi homines quando quid arcani dixerint, audientem rogant, adjurant ne id alteri dixerint, ex se declarantes se rem reprehensione dignam fecisse. Si enim illum precaris ut ne alteri dicat, multo magis te priorem hoc dicere non oportebat. Si vis enim sermonem non ad alterum offerri, ne tu ipse dicas. Cum autem alteri verbi custodiam tradidisti, inutiliter precaris et adjuras illum ad dictorum custodiam. Sed suave est male dicere. Imo suave est non male dicere. Qui enim male dixit, anxius est postea, suspicatur, timet, pœnitentia ducitur, linguam mordet, metuens ac tremens, ne ad alios delatum verbum magnum inducat periculum. Qui autem illud apud se retinet, cum securitate multa, cum voluptate magna vivet. Neque enim potest qui aliorum vitam curiose inquirit, de sua unquam curare vita. Nam cum studium totum suum in aliarum vita examinanda insumatur, necesse est ut sua utcunque et negligenter despiciat. Qui vero acerbe aliena examinat, de peccatis suis nullam unquam consequetur veniam. Non enim a peccatorum nostrorum natura tantum, sed etiam a judicio de aliis lato sententiam feret Deus.

Idem, *Exposit. in psal.* CXL. — Nonnunquam silentium est loquela utilius, quemadmodum loquela quoque silentio. Et ideo dicebat ille sapientissimus: *tempus tacendi, et tempus loquendi.* (*Eccli.* III, 7.) Si enim oporteret ora perpetuo patere, non facte essent portæ. Si autem perpetuo clausa esse, non esset opus custodia. Quod enim clausum est, cur quis custodierit? Sed propterea sunt portæ et custodia, ut faciamus singula tempore convenienti. Alius autem dicit: *Jugum et stateram fac linguæ tuæ* (*Eccli.* XXVIII, 28), majorem exigens diligentiam, ut non solum verba quæ oportet efferamus, sed etiam cum ea qua par est cautione et accurata consideratione, ipsa veluti ponderantes diligenter expendamus. Si enim hoc facimus in auro et materia quæ interit, hoc multo magis faciendum est in verbis, ut nihil desit nec redundet. Quocirca dicit etiam quispiam: *Verbum ne prohibueris in tempore salutis.* (*Eccli.* IV, 28.) Vidisti tempus exitus? Alius autem dicens tempus silentii, inquit: *Si est tibi sermo, responde; sin minus, esto manus tua super os tuum.* (*Eccli.* V, 4.) Et rursus: *Qui abundat in sermone, odio habebitur.* (*Eccli.* XX, 8.) Et: *Melior est homo qui celat stultitiam suam, quam homo qui occultat sapientiam suam. Audivisti sermonem? moriatur in te. Confide, non te rumpet.* (*Eccli.* XIX, 10.) Et rursus: *A facie verbi parturiet stultus, ut a facie infantis puerpera.* (*Ibid.*, 11.) Deinde etiam de modo: *Loquere, adolescentule, si opus sit tibi, vix bis: si interrogatus fueris, in brevem summam paucis multa redige.* (*Eccli.* XXXII, 10.) Magna enim animadversione opus est, ut linguæ potestate caute et secure utaris. Et ideo rursus dixit: *Est reprehensio, et non est tempestiva; et est tacens aliquis, qui invenitur sapiens.* (*Eccli.* XX, 5.)

Non solum enim oportet tacere et loqui opportune, sed etiam cum magna gratia. Quocirca dicebat Paulus: *Sermo vester sit semper in gratia, sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos in unoquoque respondere.* (*Colos.* IV, 6.) Cogita hoc esse membrum, per quod cum Deo colloquimur, per quod laudes celebramus. Hoc est membrum per quod horrendum sacrificium suscipimus. Sciunt fideles quod dicitur: et ideo oportet id esse liberum ab omni accusatione, maledicto, verbo obsceno, et calumnia. Et si nos aliqua lasciva et impudica cogitatio urgeat, ea intus est suffocanda, nec permittendum ut in verba exeat. Et si exasperato animo feraris ad erumpendum in

Digitized by Google

simultates, illa quoque radix est exsiccanda, ostium est custodiendum, et accurate observandum : nec permittendum est ut intus mala consilia pariantur : et si pariuntur, ea sunt intus suffocanda, et est radix eorum exsiccanda.

S. Chrysost., *Expos. in psal.* cxl. — Hanc habuit Job custodiam, et ideo nullum verbum in concinnum protulit, sed maxima quidem ex parte tacuit : quando autem eum loqui cum uxore oportuit, locutus est verba sapientiæ plena. Tum demum enim solum loquendum est, quando quæ dicuntur, plus prosunt quam silentium. Quocirca Christus quoque dicebat : *Omne verbum otiosum, quod loculi fuerint homines, dabunt pro eo rationem.* (*Matth.* xii, 36.) Et Paulus : *Sermo obscenus ex ore vestro non prodeat.* (*Ephes.* iv, 29.) Quomodo autem fuerit tuta hæc janua, et accurata custodia, audi alium dicentem : *Omnis narratio tua sit in lege Altissimi.* (*Eccli.* ix, 23) Si enim dediceris nihil loqui supervacaneum, sed divinarum Scripturarum narratione mentem et os tuum perpetuo munias, erit custodia quovis adamante tutior.

Per os enim multæ sunt viæ interitus, ut quando quis obscena verba loquitur, quando verbis scurrilibus utitur, quando vanam præ se fert gloriam, quando se magnifice jactat et gloriatur, ut Pharisæus, qui quoniam ori suo fores non obdidit, paucis verbis, quæcunque erant intus, effusa sunt : idcirco quemadmodum domus cui nullæ essent fores, quia thesaurum qui positus erat intus conservare non potuit, repente pauper factus est. Considera quoque mihi alium, qui propter magnifica sua verba similiter periit. Dixit enim : *Super astra cæli ponam sedem meam.* (*Isa.* xiv, 13.) Judæi autem quia proximi malis lætantur, nunc quidem audiunt : *Quia dixisti : Euge, factus est ut reliquæ gentes Israel :* nunc autem probris incessuntur, propterea quod murmurant, et dicunt : *Omnis qui facit malum, bonum coram Domino, ipse quoque in eis complacuit. Et nos alienos beatos ducimus, et reædificantur qui faciunt scelera. Non ecce hæc scripta sunt in libro?* (*Malac.* ii, 37 ; iii, 15.) Alii propter murmurationem, ut dicit Paulus : *Neque murmuremus, sicut nonnulli eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore.* (*1 Cor.* x, 10.) Et quando murmuraverunt? Quando dicebant : *Eduxisti nos ut occideres in deserto, quasi non essent monumenta in Ægypto.* (*Exod.* xiv, 11.) Alii propter ludum, quemadmodum dicit : *Comederunt et biberunt, et surrexerunt ad ludendum.* (*Exod.* xxxii, 6.) Alii propter maledicta. *Omnis enim qui dicit fratri suo : Fatue, reus erit judicio.* (*Matth.* v, 22.) Et his longe plures propter alia perierunt, cum non custodissent ora sua.

Quod si vis videre nonnullos etiam perire ex intempestivo silentio, ego tibi ostendam. *Si* enim, inquit, *populo non distinxeris, ille quidem morietur in peccato suo, sanguinem autem ejus e manu tua requiram.* (*Ezech.* iii, 20.) Alius, quod nullo habito discrimine loquatur cum aliquibus, et quæ sibi credita sunt effundit. *Nolite,* inquit, *dare sancta canibus, nec projicite margaritas vestras ante porcos.* (*Matth.* vii, 6.) Alius propter risum, et idcirco dicit : *Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis.* (*Luc.* vi, 25.) Vidisti quomodo os perdat? Vide etiam contra quomodo os conservet. Vidisti pharisæum per ipsum pereuntem? Vide publicanum per ipsum conservatum. Vidisti gloriosum ac magniloquum barbarum pœnas dantem? Vide justum moderate loquentem et dicentem : *Ego sum terra et cinis.* (*Gen.* xviii, 27.) Vidisti eum qui lætatur et insultat, reprehendi et puniri? Vide eum qui miseretur, servari. *Da* enim, inquit, *signum super vultus eorum qui lugent, et merore afficiuntur.* (*Ezech.* ix, 4.) Quocirca Paulus quoque dicebat : *Gaudete cum gaudentibus, et flete cum flentibus.* (*Rom.* xii, 15.) Si nihil, inquit, aliud potes, non parum ei qui dolore afficitur, conferes, si una cum eo ejus vicem doleas. Vidisti eum qui ridebat, fletui esse traditum? Vide eum qui luget, assecutum esse consolationem. *Beati* enim *qui lugent,* inquit, *quoniam ipsi consolationem accipient.* (*Matth.* v, 5.) Vidisti eos qui murmurant, punitos? Vide eos qui gratias agunt, servatos. *Benedictus es, Domine, et laudabile nomen tuum, quoniam justus es in omnibus quæ fecisti nobis.* (*Dan.* iii, 26.) Et paulo post : *Omnia quæcunque induxisti nobis, in vero judicio fecisti.* (*Ibid.*) *Illi dicebant : Omnis qui facit malum, bonum coram Domino.* (*Malac.* ii, 17.) Hi contra : *Mundus oculus tuus, ut non videat mala.* (*Hab.* i, 13.) Illi beatos dicebant alienos, quoniam reædificantur facientes scelera : hic eos quibus Deus fert opem. *Beatus,* inquit, *populus, cujus Dominus Deus ejus.* (*Psal.* cxliii, 15.) Et rursus : *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.* (*Psal.* xxxvi, 1.)

Vidisti sanctos qui alios adhortantur, et ipsi manent immobiles in tentationibus? Audi itaque Jacob dicentem : *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum, et vestem ad induendum.* (*Gen.* xxviii, 20.) Et Abraham : *Non accipiam a te ex filo usque ad corrigiam calceamenti.* (*Gen.* xiv, 23.) Porro quando stuprum uxori inferendum, et tame premebatur, nihil grave aut absurdum locutus est. Et quando dixit filius : *Pater, ecce ligna et ignem, ubi ovis?* (*Gen.* xxii, 7.) Vide cum quanta mansuetudine et sapientia respondet, et dicit : *Providebit sibi ipsi,* inquit, *ovem Deus, o fili;* nec a natura, nec a commiseratione conversus ad verba filii ; quæ solus soli faciebat, quando consentaneum erat amorem vehementius accendi. Ne quis enim dicat eum alios reveritum non flevisse, ab illis semotus et solus ostendit summam philosophiam.

Vidisti eos qui propter risum castigati fuerunt? Vide eos qui per fletus et jejunia servantur, Ninivitas mente agitans. (*Jon.* iii.) Vidisti eos qui propter maledicta dant pœnas? Vide eos qui propter laudationem mercedem accipiunt. *Qui te benedicit, bene-*

Digitized by Google

dictus : et qui te exsecratur, maledictus. (*Num.* XXIV, 9) *Benedicite iis qui vos persequuntur : orate pro iis qui vobis insultant, ut sitis similes Patris vestri qui est in cœlis.* (*Matth.* V, 44.) Vides quod neque oporteat omnino esse clausum, neque apertum ad omnia, sed scire uniuscujusque tempus. Hæc autem cum sciret Propheta, dixit: *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis.* (*Psal.* CXL, 3.) Quæ nam autem fuerit custodia, nisi cogitatio quæ urget terribiliter, habens præ manibus ignem eos usturum qui ore temere usi fuerint? Eum adhibe janitorem, et custodem intentantem minas conscientiæ, et hanc portam nunquam intempestive aperiat, sed tempestive, et propter lucrum et bona innumera. Quocirca dixit quispiam : *Semper memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* (*Eccli.* VII, 40.)

S. CHRYSOST., *Exposit. in psal.* XL. — Vidisti quomodo hic quoque hanc præfert cogitationem? Ego vero ipsam etiam feci terribiliorem, non solum in morte, sed etiam post mortem, cum dixi eum habere præ manibus. Si hoc ita sit, nihil mali parietur in animo. Cum eo alium quoque ei appone, qui dicat : Omnis verbi otiosi reddes rationem in die judicii. Cogita mortem quoque ex eo ingressam esse. Nisi enim mulier locuta esset cum serpente, eo quo locuta est modo; nisi verba illius admisisset, damnum non accepisset, viro non dedisset, ille non comedisset. Hæc autem dico, non in os et linguam culpam conferens, absit! sed in importunum eorum usum, qui ex rationis negligentia oritur.

Est etiam alia via interitus, quæ ex ore proficiscitur, quando sunt turpia et immunda oscula, quando ficta et fraudulenta. Eis quoque pone custodiam. Tale erat Judæ osculum, dolo plenum : sed non tale Pauli osculum, quo jussit se invicem osculari, dicens : *Salutate vos invicem in osculo sancto.* (*II Cor.* XIII, 12.) Quemadmodum nec osculum quod Jonathæ præbet David, sed sanctum et honestum, et sincera dilectione plenum; cujusmodi etiam fuit eorum qui in Pauli collum ceciderunt, et eum amplexi osculabantur. (*Act.* XX, 37.) Et ideo dicit : *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium*, non absolute autem ostium, sed *ostium circumstantiæ* (*Psal.* CXL), addidit, ut universum contineat et munial.

Jam vero est etiam aliud genus exitii per linguam, nempe dicere, cur hoc ita est? Ad quid hoc factum? Quocirca Paulus eos carpens, qui hæc inconsiderate loquuntur : *Verumtamen, o homo, tu quis es qui respondeas Deo?* (*Rom.* IX, 20.) Non oportet autem os solum custodire, sed mentem etiam ante os. Quocirca dicebat etiam quispiam : *Quis habet in cogitatione mea flagella, ut ignorantiis meis non parcant.* (*Eccli.* XXIII, 2.) Quocirca Christus quoque intus tollit ipsas malas cogitationes, dicens : *Qui aspexit mulierem ad concupiscendum, jam mœchatus est eam.* (*Matth.* V, 28.) Vides quomodo non sinit eas pullulare, nec initium sumere cupiditatem, nec iram? *Qui irascitur* enim, inquit, *fratri suo, reus erit gehennæ ignis.* (*Ibid.*) Non parum quoque conducit ad securitatem non multum loqui, et ideo dicit : *In multiloquio non effugies peccatum : parcens autem labiis, eris intelligens.* (*Prov.* X, 19.)

Idem, *in psal.* VIII. — *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum.* (*Psal.* VIII, 2.) Præbete silentium, et attente audite. Si enim cum in theatro chori canunt satanici, summa est quies, et maximum silentium, ut perniciosa percipiantur illa cantica; idque cum ex mimis et saltatoribus conflatus sit chorus, profanus autem quidam apud illos citharœdus chorum ducat, dum carmen satanicum ac perniciosum concinitur, quo nefarius ac sceleratus dæmon celebratur : hic ubi chorus quidem est ex viris sanctis : qui autem chorum ducit, est propheta; canticumque ac melodia non est ex operatione Satanæ, sed est ex gratia Spiritus : qui autem canitur, non est dæmon, sed Deus : quomodo non est summum adhibendum silentium, et cum veneratione et summa reverentia audiendum? Chorum enim ducimus una cum supernis potestatibus. Supernorum enim chorum cherubim et seraphim hoc est munus, Deum assidue hymnis celebrare. Ex his choris etiam in terra apparuerunt cum vigilantibus pastoribus canentes. (*Luc.* II.) Audiamus ergo hoc quoque canticum. Qui terrenum quidem regem laudant, cum eo loquuntur de imperio, de tropæis, de victoria, et memorant gentes ab eo victas, vocantes eos expugnatores, et barbarorum victores, et his similia. Hujusmodi canticum canit etiam hic beatus. Narrat enim victoriam, et tropæum, et bella confecta, non quidem talia, sed his multo difficiliora. Vide autem quomodo incipit, *Domine, Dominus noster.* Aliorum enim, qui non credunt in ipsum, uno modo est Dominus : noster vero duplici ratione, et quod nos ex iis quæ non erant, fecerit, et quod agnoscatur a nobis.

S. HIERON., in quadam epist. — Diu considera quid loquendum sit, et adhuc tacens provide ne quid dixisse pœniteat; sapiens ut loquatur, multa prius considerat : quid, aut qui, quo loco, vel tempore dicat.

S. AUG., *Annot. in Job*, tom. III. — *Manum ponam ad os meum* (*Job* XXXIX, 34), id est tenebo et cohibebo loquacitatem meam. *Semel locutus sum, iterum non adjiciam.* (*Ibid.* 35.) Nisi in mysterio accipiatur, quomodo semel locutus est Job, qui toties locutus est? aut quomodo iterum non adjiciet, post paululum locuturus? Sed locutio hic intelligenda est progressus animæ in hæc exteriora, quo relinquit Deum, et ei resistit. Unde major iste progressus, etiam clamor in Scriptura appellatur, cum dicit Deus clamorem Sodomorum ad se pervenisse. (*Gen.* XVIII, 20.) Cui locutioni atque clamori contrarium est beatissimum illud silentium, de quo dicitur, et silebit sine timore ab omni malignitate. Bene itaque dicit semel se locutum continua quadam locutione

Digitized by Google

in tota vita veteris hominis, cum esset *spiritus ambulans, et revertens* (*Psal.* LXXV, 39.) Nunc autem manum imponens ori, ne ultra progrediatur, promittit se non adjicere iterum, ne recedat a Deo.

S. Aug., *Enar. in psal.* XXXVII. — Continuum desiderium tuum, continua vox tua est. Tacebis, si amare desiteris. Qui tacuerunt? De quibus dictum est : *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* (*Matth.* XXIV, 12.) Frigus charitatis, silentium cordis est : flagrantia charitatis, clamor cordis est. Si semper manet charitas, clamas, semper desideras, requiem recordaris. Et rugitus cordis tui ante quem sit, oportet ut intelligas. Jam quale desiderium debeat esse ante oculos Dei considera. Nunquid ut moriatur inimicus noster, quod quasi juste optant homines? Nam aliquando oramus quod non debemus. Illud quod quasi juste orant homines videamus. Nam orant ut moriatur aliquis, et ad illos hæreditas veniat. Sed et illi qui orant ut moriantur inimici, audiant Dominum dicentem: *Orate pro inimicis vestris.* (*Matth.* V, 44.) Non ergo hoc orent, ut moriantur inimici, sed hoc orent ut corrigantur, et mortui erunt inimici ; jam enim correcti, non erunt inimici.

Theod., serm. 10. — Philippis Pythonis spiritus de apostolis vociferando testatus est : *Hi homines servi sunt Dei altissimi, qui annuntiant vobis viam salutis.* (*Act.* XVI, 17.) Videntes itaque præconium veritatis per omnes terras diffundi, transfugarum militum more, cum, magnis atque horrendis facinoribus perpetratis, instare regis præsentiam sentirent, fugam arripuerunt, et vacua insidiarum loca deseruerunt. Universorum autem rex illorum stationes funditus destruxit. Nullæ proinde divinationes ad Castaliæ aquas fiunt, nullæ ad Colophonium fontem : nihil prædicit lebes Thesprotius, nihil tripus Cirrhæus, nec Dodonæum æs garrit, nec vulgatissima illa quercus : sed tacet Dodonæus, tacet et Colophonius, et Delius, et Pythius, et Clarius, et Didymæus, et Lebadia, et Trophonii antrum, et Amphilocus, et Amphiaraus, et Ammon, Chaldæorumque ac Thyrrhenorum per mortuos divinatio. Silentium enim illis imperavit, qui, ut ait propheta, increpat abyssum, eumque exsiccat ; qui dicit abysso: *Relinqueris deserta, et fluvios tuos exsiccabo.*

S. Greg. Mag., *Moral.*, lib. VIII.— Sciendum est quod ab omni rectitudinis statu depereunt, qui per noxia verba dilabuntur. Humana etenim mens, aquæ more, et circumclusa ad superiora colligitur, quia illud repetit, unde descendit; et relaxata deperit, quia se per infima inutiliter spargit. Quot enim supervacuis verbis a silentii sui censura dissipatur, quasi tot rivis extra se ducitur. Unde et redire interius ad sui cognitionem non sufficit ; quia per multiloquium exterius sparsa, vim intimæ considerationis amittit. Totam se igitur insidiantis hostis vulneribus detegit ; quia nulla se munitione custodiæ circumcludit. Unde scriptum est : *Sicut urbs patens, et absque murorum ambitu: ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* (*Prov.* XXV, 28.) Quia enim murum silentii non habet, patet inimici jaculis civitas mentis : et cum se per verba extra semetipsam ejicit, apertam se adversario ostendit; quam tanto ille sine labore superat, quanto et hæc eadem quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat.

S. Bernard, epist. 385, tom. I. — Onerosa alicui videtur silentii disciplina ; sed propheta magis robur quam onus esse considerans, ait : *In silentio et in spe erit fortitudo vestra.* (*Thren.* III, 26.) *In silentio*, inquit, *et spe*, quia bonum est præstolari Dominum in silentio. Enervat quippe animam præsentium consolatio, roborat exspectatio futurorum.

Idem, *Vitis mystica.* — Arguit loquacitatem apostolus Jacobus, ita dicens : *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum; hujus vana est religio.* (*Jac.* I, 29.) Nemo igitur sibi de religionis habitu blandiatur, qui adhuc linguam suam non didicit religare. Religa tuam linguam, si vis esse religiosus, quia sine linguæ religatione religio vana est. Unde Patres sanctissimi religionum institutores, et eorum sequaces sapientissime, sicut a Spiritu sapientiæ docti fuerant, districte instituerunt observationem silentii : non ignorantes, quia sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo spiritum suum cohibere. Et sicut Psalmus ait: *Vir linguosus non dirigetur in terra.* (*Psal.* CXXXIX, 12.) Sciunt etiam homines spirituales, qui hoc experti sunt, quantum auferat devotionis, quantum afferat dissolutionis intrinsecus frequens linguæ resolutio. Nam sicut fornax, cujus os semper apertum est, non potest in se retinere fervorem : sic nec cor devotionis in se poterit gratiam conservare, cujus os non fuerit janua silentii reclusum. Claudamus igitur os nostrum, ut cum devotionis fervore Christum devotionis largitorem in ferventi affectu animi possimus conservare.

Idem, *ibid.* — Vos autem præcipue, o virgines sponsæ Christi, intrate in cubiculum cordis vestri, et clauso ostio oris vestri, orate familiariter, humiliter, lacrymabiliter, hilariter, dulciter, fiducialiter Sponsum vestrum, Patrem vestrum, et consolatorem. Effundite coram illo omnium inspectore cordium corda vestra ; confabulemini cum illo recordantes illius, effundite super vos animas vestras, et terrenis corporalibusque relictis, pennis spiritualibus charitatis elevamini : et transite in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, ubi non corporis, sed cordis auribus audiatis vocem exsultationis, et confessionis, sonum, festum diem celebrantes, ubi interna consolatione refectæ, quandoque cum articulus tempestatis et necessitatis, tentationis et carnis advenerit, cœlestis refectionis recordari possitis et dicere : *Quare tristis*

Digitized by Google

es, anima mea, et quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus. (*Psal.* XLII, 5.) Memores estote optimi Domini Dei, memoramini et delectamini, et deficiat spiritus carnis vestræ; ut spiritu illius, qui est super mel dulcis, reficiamini, et discatis vilipendere exteriores collocutiones, post-quam interioris collocutionis gustaveritis dulcedinem. *O quam bonum, et quam jucundum*, o quam bonum et jucundum est, tecum, o dulcissime Jesu, *habitare in unum* (*Psal.* CXXXII, 1), tecum colloqui, tibi revelare causam animæ nostræ, tuæque consolationis responso perfrui.

SIMONIA

[Ex SS. Patribus.]

S. GREGORIUS MAGNUS, homil. 4 *in Evang.*— Sunt nonnulli qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, et tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur: atque de largitate eadem, laudis solummodo retributionem quærunt. Hi nimirum quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt; quia de impenso officio sanctitatis nummum expetunt favoris. Unde bene, cum justum virum describeret, propheta ait: *Qui excutit manus suas ab omni munere.* (*Isa.*, XXXIII, 15.) Neque enim dicit: *Qui excutit manus suas a munere*; sed adjunxit *ab omni*; quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio, est subjectio indebite impensa; munus a manu, pecunia est; munus a lingua, favor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non solum nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit.

GELAS. PP., epist. 9, *ad episc. Lucaniæ*, cap. 5. — Baptizandis consignandisque fidelibus sacerdotes pretia nulla præligant, nec illationibus quibuslibet impositis exagitare cupiant renascentes; quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur. Et ideo nihil a prædictis prorsus exigere moliantur, quo vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione revocati, redemptionis suæ causas, adire despiciant; certum habentes, quod qui prohibita deprehensi fuerint admisisse, vel commissa non potius sua sponte correxerint, periculum subituri proprii sint honoris.

SYMMACHUS PP., epist. 5, *ad Cæs. episc. Arelat.* — Hi qui non Dei gratia, sed promissione rerum ecclesiasticarum præmiis ad sacerdotium conantur accedere, desiderjorum talium priventur effectu.

GREGORIUS I, lib. V *De Simonia*, cap. 9. — Horribile nimis est quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut pro episcopis vel abbatibus, seu quibuscunque personis ecclesiasticis ponendis in sedem, sive introducendis presbyteris in ecclesiam, nec non et pro sepulturis et exsequiis mortuorum, et benedictionibus nubentium, seu aliis sacramentis aliquid requiratur.

S. THOMAS Aquin., 2-2, quæst. 100, art. 1 *in Corp.* — Actus aliquis est malus ex genere, eo quod cadit super materiam indebitam; emptionis autem et venditionis est materia indebita res spiritualis triplici ratione. Primo quidem, quia res spiritualis non potest aliquo terreno pretio compensari; sicut dé sapientia dicitur Proverb. III, 15: *Pretiosior est cunctis opibus et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Ideo etiam Petrus, in ipsa sui radice Simonis pravitatem condemnans dixit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* (*Act.* VIII, 20.) Secundo, quia non potest esse debita venditionis materia, cujus venditor non est Dominus. Prælatus autem Ecclesiæ non est dominus spiritualium rerum, sed dispensator: secundum illud ad Corinth. IV, 1: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Tertio, quia venditio repugnat spiritualium origini, quæ et gratuita Dei voluntate proveniunt. Unde et Dominus dicit: *Gratis accepistis, gratis date.* (*Matth.* X, 8.) Et ideo aliquis emendo vel vendendo rem spiritualem, irreverentiam exhibet Deo et rebus divinis: propter quod peccat peccato irreligiositatis.

[Ex conciliis.]

Ex canon. apostolorum Clementis I, an. 93, *et Epitome Adriani I, an.* 773.—30. Episcopus, presbyter aut diaconus per pecuniam ordinatus, cum ordinatore suo deponatur et excommunicetur, ut Simon Magus a Petro.

Ex conc. Eliberitano, sub Marcello I, an. 305. — 48. Emendari placuit ut hi qui baptizantur (ut fieri solebat) nummos in concham non mittant, ne sacerdos quod gratis accepit pretio distrahere videatur.

Ex conc. Nicæno gener. I, *sub Silvestro I, an.* 325. *Edit. Arab.*. — 49. Nullus audeat ordinare episcopum aut sacerdotem aut diaconum pro quavis re data, sive ante ordinationem, sive post, et qui secus fecerit deponatur.

Ex conc. Carthaginensi secundum Gratianum. — 1. Placuit ut unusquisque episcopus per ecclesias suas hoc faciat, ut hi qui infantes suos ad baptismum offerunt, si quid voluntarie pro suo voto offerunt, ab eis suscipiatur; si vero per necessitatem paupertatis aliquid non habeant quod offerant, nullum eis pignus violenter trahatur a clericis.

Ex conc. Chalcedonensi gen. IV, *sub Leone I, an.* 451. — 2. Si quis episcoporum, accepta pecunia, ordinationem fecerit, et sub pretium deduxerit impretiabilem gratiam, atque ordinaverit per pecunias episcopum

Digitized by Google

sive chorepiscopum, sive presbyterum, sive diaconum, aut quemcunque alium qui connumeratur inter clericos, aut accepta pecunia, ordinaverit œconomum id est defensorem sive paramonarium (id est mansionarium); quicunque ergo hæc meditatus fuerit, si convictus fuerit, ipse quidem subeat gradus sui periculum, et qui sic ordinatus fuerit, nullum habeat fructum ex hujusmodi mercimonio et creatione probrosa, sed sit alienus et dignitatis et sollicitudinis ejus quam per pecunias acquisivit; sed et ille qui instans tam turpibus et illicitis intercessor apparuit, si quidem clericus fuerit, de proprio decidat gradu; si vero laicus sive monachus fuerit, anathema sit.

Ex conc. Aurelianensi II, *sub Silverio, an.* 536. — 4. Si quis sacerdotium per pecuniæ nundinum exsecrabili ambitione quæsierit, abjiciatur ut reprobus.

Ex conc. Aurelianensi V, *sub Vigilio, an.* 552.—10. Ut nullum episcopatum præmiis aut comparatione liceat adipisci, sed cum voluntate regis juxta electionem cleri ac plebis (juxta antiquos canones) a metropolitano vel quem vice sua miserit cum comprovincialibus pontifex consecretur.

Ex conc. Turonensi II, *sub Joanne III, an.* 570. — 28. Nullus episcoporum de ordinationibus clericorum præmia præsumat exigere, quia non solum sacrilegum sed hæreticum est, etc.

Ex conc. Braccarensi II, *sub Joanne III, an.* 572. — 3. Placuit ut de ordinatione clericorum episcopi munera nulla accipiant, sed sicut scriptum est quod gratis, donante Deo, accipiunt, gratis dent.

4. Placuit ut modicum balsami quod benedictum pro baptismi sacramento per ecclesias datur, quia singuli tremisses pro ipso exigi solent, nihil ulterius exigatur.

Ex conc. Romano II, *sub Gregorio I, an.* 595. — 5. Antiquam Patrum regulam sequens, nihil unquam de ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex datione pallii, neque ex traditione chartarum, neque ex ea quam nova per ambitionem simulatio invenit, appellatione pastelli, etc. Is tamen qui ordinatus fuerit si non ex placito, neque exactus neque petitus, post acceptas chartas et pallium, aliquid cuilibet ex clero, gratiæ tantummodo causa, dare voluerit, hoc accipere nullo modo prohibemus, quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non processit.

Ex conc. Barcinonensi, sub Gregorio I, an. 599. — 1. Cum ad officia ecclesiastica clerici provehuntur, nihil pro benedictione aut subdiaconii aut presbyterii collata quidquam vel sub obligationis nomine a quocunque episcopo vel ab ejus clerico inquiratur.

2. Cum chrisma presbyteris diœcesanis pro neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur.

Ex conc. Toletano VI, *sub Honorio I, an.* 638. — 4. Quicunque Simonis imitator Simoniacæ quoque hæresis exstiterit auctor, ut ecclesiasticorum gradus non dignitate morum obtineat, sed munerum impensione conquirat, talis inventus, sacrorum ordinum apices penitus adipisci nullo modo permittatur, sed et si adeptus fuerit, communione privetur cum ordinatoribus suis, propriorum bonorum amissione damnetur.

Ex conc. Toletano VIII, *sub Martino I, an.* 653. — 3. Quicunque deinceps propter accipiendam sacerdotii dignitatem quodlibet præmium fuerit detectus obtulisse, anathema sit, etc. Qui hunc ordinem, munerum fuerat acceptione lucratus, et suscepto honoris gradu privetur, et in monasterio, sub perenni pœnitentia religetur, illi vero qui pro hac causa munerum acceptores exstiterint, si clerici fuerint, honoris amissione mulctentur; si laici, anathemate perpetuo condemnentur.

Ex conc. Cabilonensi, sub Vitaliano, an. 663. — 16. Nullus episcopus nec presbyter, vel abbas aut diaconus per præmium ad sacrum ordinem penitus accedat.

Ex conc. Toletano II, *sub Adeodato, an.* 675. — 8. Quicunque in ecclesiastico ordine constitutus, aut pro baptizandis consignandisque fidelibus aut collatione chrismatis vel promotionibus graduum, pretia quælibet vel præmia nisi voluntarie oblata susceperit, si sciente loci episcopo tale quidquam a subditis perpetratur, idem episcopus duobus mensibus excommunicationi subjaceat; sin autem suorum quispiam, eodem nesciente, si presbyter est, trium mensium excommunicatione plectatur; si diaconus quatuor, subdiaconus vero vel clericus competenti pœna, et debita excommunicatione plectendus est.

9. Cum quisque pontificale culmen ante Domini altare percepturus accesserit, sacramenti exactione astringatur, quod pro conferenda sibi consecratione honoris, nulli personæ cujuslibet præmii collatione vel aliquando dedisset, vel aliquando in futurum dare procuret; quos autem deinceps post prælationem per præmium ordinatos fuisse patuerit, duorum annorum spatio exsilio relegati, excommunicatione coerceantur.

Ex conc. in Palatio Vernis, sub Stephano III, an. 756. — 2. Ut nullus per pecunias ad honorem vel gradum ecclesiasticum accedere debeat, quæ hæresis Simoniaca esse videtur.

Ex. conc. Nicæno univers. VII, *sub Adriano I, an.* 787. — 5. Eos qui per auri dationem se fuisse in Ecclesia constitutos gloriantur, etc. Primum quidem ultimum proprii ordinis gradum sumere; sin autem perseveraverint, inflicta quoque pœna corrigi decernimus; si quis autem in ordinatione hoc quandoque fecisse visus fuerit, fiat ut vult canon. apostol. 30, et Chalcedon. 2.

19. Nonnulli eorum virorum ac mulierum qui pii ac religiosi dicuntur, eos qui ad sacerdotalem ordinem et vitam monasticam accedunt, pecuniis admittunt, etc. Si quis ergo inventus fuerit hoc facere, si sit quidem episcopus vel monasterii præfectus,

Digitized by Google

vel ex sacerdotali ordine vel cesset, vel deponatur; sin autem monasterii præfecta, a monasterio extrudatur, et alii monasterio tradatur ad subjectionem, etc. De iis autem quæ dantur liberis a parentibus instar dotis, vel rebus suis propriis oblatis, profitentibus iis qui ea offerunt esse Deo consecrata, statuimus, ut sive maneant sive exeant, ea in monasterio maneant, ut fuit ipsorum professio, nisi is qui præest in culpa fuerit.

Ex conc. Forojuliensi, sub Adriano I, an. 791. — 1. Nullus canonicæ deditus ditioni, donum sancti Spiritus pecuniæ pretio fraudulenter deceptus vendere vel emere præsumat, ne cui in quemlibet sacrum ecclesiastici ordinis gradum muneris, exigente merito, liceat quempiam subvehendo promovere, etc.

Ex conc. Arelatensi IV, *sub Leone III, an.* 813. — 5. Ut laici omnino a presbyteris non audeant munera exigere propter commendationem ecclesiæ.

Ex conc. Cabilonensi II, *sub Leone III, an.* 813. — 16. Sicut pro dedicandis basilicis, et dandis ordinibus nihil accipiendum est, ita etiam pro balsamo sive luminaribus emendis, nihil presbyteri chrisma accepturi dent, episcopi itaque de facultatibus ecclesiæ balsamum emant, luminaria singuli in ecclesiis suis concinnanda provideant.

17. In quibusdam locis presbyteri duodenos vel quaterdenos denarios episcopis incensum singulis annis dant, quod penitus abolendum esse decrevimus.

18. In quibusdam locis episcopi et comites ab incestuosis, et ab his qui decimas non dant Wadias seu Vades accipiunt, et a presbyteris pro quibusdam negligentiis, et inter se pecuniam dividunt, quod penitus abolendum.

43. Sunt in quibusdam locis Scoti, qui se dicunt episcopos esse et multos negligentes, absque licentia dominorum suorum sive magistrorum, presbyteros et diaconos ordinant, quorum ordinationem, quia plerumque in Simoniacam incidit hæresim, et multis erroribus subjacet, modis omnibus irritam fieri debere, omnes uno consensu decrevimus.

Ex conc. Romano, sub Eugenio II, an. 826. — 2. Ut nullus episcopus aliusve sacerdos muneribus ordinetur.

Ex conc. Parisiensi, sub Gregorio IV, an. 829. — 11. Providendum ac summopere cavendum est, ut hi per quos et religio Christiana constare, et cæteri ab offensione debent salvari, tales post habita Simoniaca peste eligantur, quales et apostolicus sermo et canonicus ordo, et beati Gregorii pastoralis regula docet, scilicet ut nullius terrenæ rei gratia, nisi Dei solius eligantur.

Ex conc. Aquisgranensi, sub Gregorio IV, an. 836. — 5. Nullus episcoporum vel ministrorum ipsorum deinceps pro distributione sacrorum ordinum, pro dedicatione sanctæ ecclesiæ, seu pro acceptione sacri chrismatis, vel pro immutatione titulorum aliquid exigere præsumat.

Ex conc. Meldensi, sub Sergio II, an. 845. — 8. Quandocunque, Deo dispensante, quilibet episcopus ad Dominum migraverit, submota funditus peste Simoniacæ hæreseos, sive dilatione, juxta auctoritatem canonicam, sedes vacans episcopum regulariter designatum, et gratia sancti Spiritus consecratum accipiat.

43. Cavendum, et per virtutem Christi sanguinis interdicendum, et episcopis et regibus, et omnibus sublimioribus potestatibus, atque cunctis fautoribus et electoribus quorumcunque, atque censoribus seu ordinatoribus in gradu ecclesiastico ut nemo per Simoniacam hæresim regiminis locum obtineat, quacunque factione, calliditate, promissione seu commoditate, aut datione per se aut per emissam personam.

Ex conc. Moguntino, sub Leone IV, an. 847. — 14. Quicunque presbyter, per pretium ecclesiam fuerit adeptus, omnino deponatur.

Ex conc. Nannetensi, sub Formoso, an. 895. — 7. Nullus quocunque munere aut favore corruptus, clericum alterius parochiæ latenter ac furtive ad ordinationem subintroducere præsumat; quod si fecerit, is qui ordinatus est, donum sancti Spiritus quod furari conatus est amittat, et qui mediator exstiterit, si clericus est, proprio gradu decidat, si laicus aut monachus, anathematizetur.

Ex conc. Romano, sub Clemente II, an. 1047. — 4. Quicunque a Simoniaco consecratus fuerit, in ipso ordinationis suæ tempore non ignorans Simoniacum esse cui se obtulerit promovendum, 40 nunc dierum pœnitentiam agat, et sic in accepti ordinis officio ministret.

Ex conc. Rhemensi, sub Leone IX, an 1049. — 3. Ne quis sacros ordines aut ministeria ecclesiastica vel altaria emat aut vendat, si quis clericorum quodlibet eorum emat, id cum digna satisfactione suo episcopo reddat.

6. Ne quis pro sepultura vel baptismo, sive pro eucharistia aut infirmorum visitatione quidquam exigat.

Ex conc. Tolosano, sub Victore II, an. 1056. — 1. Si quis episcoporum, accepta quocunque modo pecunia ordinaverit episcopum, abbatem, presbyterum, diaconum aut quemcunque alium, ipse gradus sui subjaceat periculo, et qui sic ordinatur, sit alienus dignitatis et ordinis quem per pecuniam acquisivit.

3. Dedicationes ecclesiarum eadem sancta synodus per pecunias fieri nullatenus voluit.

4. Nullus clericus vel monachus, vel alias aliquis pro eis episcopatum vel abbatiam, vel presbyteratum emere præsumat sed neque comes vel alia ulla potestas eadem vendere aut pretium pro eis accipere præsumat; qui præsumpserit communione privetur.

Ex conc. Romano, sub Nicolao II, an. 1059. — 9. Per Simoniacam hæresim nemo ordinetur vel promoveatur ad quodlibet ecclesiasticum officium.

Ex conc. Romano, sub Alexandro II, an. 1063. — 1. Erga Simoniacos nullam misericordiam in dignitate servanda habendam

Digitized by Google

esse decernimus, sed juxta canonum sanctiones et decreta sanctorum Patrum eos omnino damnamus, ac in Ecclesia non præesse apostolica auctoritate sancimus.

2. Eos qui usque modo gratis sunt a Simoniacis ordinati, non tam obtentu justitiæ quam intuitu misericordiæ in acceptis ordinibus manere permittimus, nisi forte alia culpa ex vita eorum secundum canones eis obsistat, etc. Si quis autem in posterum ab eo quem Simoniacum esse non dubitat se consecrari permiserit, et consecrator et consecratus non disparem sententiam subeant, ut uterque depositus agat pœnitentiam, et privatus ab ea propria dignitate persistat.

Ex conc. Anglicano, sub Gregorio VII, an. 1075. — 7. Nullus sacros ordines seu officium ecclesiasticum quod ad curam animarum pertineat, emat vel vendat.

Ex conc. Romano v, *sub Gregorio VII, an.* 1078. — 4. Si quis præbendas, archidiaconatus, præposituras vel aliqua officia ecclesiastica vendiderit, vel aliter quam statuta sanctorum Patrum præcipiunt ordinaverit, ab officio suspendatur.

5. Ordinationes quæ, interveniente pretio, vel precibus vel obsequio alicujus personæ ea intentione impenso, vel quæ non communi consensu cleri et populi secundum canonicas sanctiones fiunt, et ab his ad quos consecratio pertinet non comprobantur, et irritos esse judicamus.

12. Si quis episcopus fornicationem presbyterorum, diaconorum seu subdiaconorum, vel crimen incestus in sua parochia, precibus vel pretio interveniente, consenserit, vel commissum, siquo compertum auctoritate sui officii non impugnaverit, ab officio suspendatur.

Ex conc. Beneventano, sub Victore III, an. 1087.— Cum episcopis, abbatibus, aut clericis reliquis vendentibus aut ementibus ecclesiasticas dignitates, qui communicat vel orat, aut ipsorum audit missas, una excommunicationis sententia plectitur, qui nec sacerdotes quidem rite putari possunt.

Ex conc. Melfitano, sub Urbano II, an. 1090. —1. Ne quis ulterius dato, vel promisso, vel pretio, vel servitio ea intentione impenso, vel precibus episcopalem nitatur assequi dignitatem, nec ullus eam prætextato tenere indulgeat, etc. Hoc idem de omni ecclesiastica dignitate vel officio, apostolicæ potestatis auctoritate præfigimus, alias et dator et acceptor proprii ordinis dignitate privetur.

7. Nullus abbas pretium exigere ab eis qui ad conversionem veniunt, aliqua placiti occasione præsumat.

Ex conc. Constantiensi, sub Urbano II, an. 1094.— 1. Simoniaca hæresis damnatur.

Ex conc. Ostionensi in Gallia, sub Urbano II, an. 1094.— 1. Simoniaca hæresis sub excommunicatione damnatur.

Ex conc. Placentino, sub Urbano II, an. 1095.— 4. Quidquid in sacris ordinibus et in ecclesiasticis rebus data et promissa pecunia acquisitum fuerit, pro irrito habeatur, nullasque vires habeat, his tamen qui non Simoniace et nescienter a Simoniacis ordinati sunt, misericordia in servando ordine conceditur.

7. Pro chrismate et baptismo et sepultura, nihil unquam exigatur.

Ex conc. Claramontano, sub Urbano II, an. 1095.—6. Nullus sibi præbendam emat; quod si quis emerit, vel parentes ejus illi emerint, in manum et dispositionem episcopi sui reddant, hoc idem de altari et de omni ecclesiastico beneficio fiat.

Ex conc. Romano III, *sub Urbano II, an.* 1099. — 3. Qui scienter se a Simoniacis consecrari, imo exsecrari passi sunt, eorum consecrationem irritam esse decernimus.

4. Quicunque cupiditate parentum, cum adhuc essent parvuli ecclesias vel ecclesiarum beneficia per pecunias adepti sunt, postquam eas omnino dimiserunt, si canonice in iis vivere voluerint, pro misericordia ibidem eos esse concedimus, neque hoc facto a sanctis ordinibus removemus, si alias digni inveniantur.

5. Illi qui per seipsos, cum jam majores, nefanda cupiditate eas emerunt, si in aliis ecclesiis canonice vivere voluerint, servatis propriis ordinibus pro magna misericordia ibi eos ministrare permittimus; quod si ad alias fortasse transferri non potuerint, minoribus ordinibus contenti ad sacros ordines non accedant.

6. Si qui ante emptionem canonice ordinati sunt, cum ea quæ emerint, dimiserint, et vitam canonicam egerint, in suis gradibus permittantur, nisi forte ejusmodi ecclesia sit, ut ibi primum locum debeant obtinere.

17. Nullus primatum, archiepiscoporum et episcoporum in ordinatione et consecratione episcoporum vel abbatum cappas, tapetia, bacinos et manutergia qualibet exactione requirat vel suscipiat.

Ex conc. Pictaviensi, sub Paschali II, an. 1100. —2. Nemo episcopatum, abbatiam, archidiaconatum, archipresbyteratum, præbendam vel alios ecclesiasticos honores vel prælationes in duabus ecclesiis exerceat, nisi in una tantum, et neutram harum quisquam per pecuniam acquirat, et quidquid tali modo acquisisse comprobantur, omni remota occasione, deponantur.

4. Nullus episcopus pro sacris orationibus vel pro ecclesiarum benedictionibus, vel quibuslibet aliis benedictionibus munus accipiat.

6. Abbas, monachi, canonici ecclesias quas nunquam habuerunt non emant, vel aliquo modo sibi vindicent, nisi consentiente episcopo in cujus fuerint diœcesi, in illis vero quas hactenus absque calumnia habuerunt, redditus beneficiaque obtineant.

Ex conc. Pictaviensi II, *sub Paschali II, an.* 1109.— 2. Nemo in faciendis coronis forcipes vel manutergia exigat.

7. Præbenda non vendatur, vel ematur, neque pastus inde exigatur.

13. Neque archiepiscopi ab episcopis, neque episcopi ab abbatibus cappas, tapetia, bacinos, vel manutergia in consecratione

Digitized by Google

eorum exigant; sub excommunicatione interdicimus.

Ex conc. Rhemensi, sub Calixto II, an. 1119.— 1. Si quis vendiderit aut emerit per se, vel per quamlibet submissam personam episcopatum, abbatiam, decanatum, archidiaconatum, presbyteratum, præposituram, altaria, vel quælibet ecclesiastica beneficia, promotiones, ordinationes, consecrationes, dedicationes ecclesiarum, clericalem tonsuram, sedes in choro, aut quælibet ecclesiastica officia, et vendens et emens dignitatis officii sui, et beneficii periculo subjacet.

Ex conc. Later. II, *univers.* IX, *sub Calixto II, an.* 1122.— 1. Ordinari quemquam per pecuniam in Ecclesia Dei vel promoveri modis omnibus prohibemus.

Ex conc. Londinensi I, *sub Honorio II, an.* 1125.— 1. Sanctorum Patrum vestigiis inhærentes, quemquam in Ecclesia per pecuniam ordinari auctoritate apostolica prohibemus.

2. Pro chrismate, pro oleo, pro baptismate, pro pœnitentia, pro visitatione infirmorum seu unctione, pro communione corporis Christi, pro sepultura, nullum omnino pretium exigatur.

3. In consecrationibus episcoporum, vel abbatum benedictionibus, seu in dedicationibus ecclesiarum, non cappa, non tapetæ, non manutergia, non baccilia, et nihil omnino per violentiam, nisi sponte oblatum fuerit, penitus exigatur.

Ex conc. Londinensi II, *sub Honorio II, an.* 1127.— 1. Ecclesias et ecclesiastica beneficia seu quoslibet ecclesiasticos honores, vendi vel emi prohibemus; qui hoc præsumpserit clericus, canonicus, vel monachus ab ordine deponatur; laicus vero exlex et excommunicatus habeatur, et ejusdem ecclesiæ vel beneficii potestate privetur.

2. Ordinari quemquam per pecuniam in Ecclesia Dei vel promoveri interdicimus.

3. Exactiones certas pecuniarum pro recipiendis monachis, canonicis et sanctimonialibus condemnamus.

Ex conc. Lateran. III, *univers.* X, *sub Innoc. II, an.* 1139.— 1. Si quis Simoniace ordinatus fuerit ab officio omnino cadat, quod illicite usurpavit.

2. Si quis præbendam, vel prioratum seu decanatum, aut honorem vel promotionem aliquam ecclesiasticam seu quodlibet sacramentum ecclesiasticum, utpote chrisma vel oleum sanctum, consecrationes altarium vel ecclesiarum, interveniente exsecrabili ardore avaritiæ, per pecuniam acquisivit, honore male acquisito careat, et emptor atque venditor et interventor nota infamiæ percellantur, et nec pro pastu, nec sub obtentu, alicujus consuetudinis, ante vel post a quoquam aliquid exigatur, vel ipse dare præsumat.

Ex conc. Turonensi, sub Alexandro III, an. 1163.— 5. Enormis quædam consuetudo in quibusdam locis invaluit, ut sub annuo pretio sacerdotes ad ecclesiarum regimen constituantur; id ne fiat modis omnibus prohibemus.

6. Ne ab omnibus qui ad religionem transire voluerint alia pecunia requiratur, et ne prioratus aut capellaniæ quælibet monachorum aut clericorum, decimæ detractione vendantur, neque ab eo cui regimen ipsarum committitur pro earum commissione exigatur; neque sub obtentu alicujus consuetudinis reatum suum quisquam tueatur, quia diuturnitas non minuit peccatum sed auget.

7. In quibusdam episcopatibus decani quidam vel archipresbyteri ad agendas vices episcoporum seu archidiaconorum, ad terminandas causas ecclesiasticas constituuntur sub annuo pretio, id ulterius fieri districtius prohibemus.

Ex conc. Londinensi, sub Alexandro III, an. 1175.— 6. De cætero nec pro ordinatione, nec pro chrismate, nec pro baptismo, nec pro extrema unctione, nec pro sepultura, nec pro communione, nec pro dedicatione quidquam exigatur; si quis contra hoc facere præsumpserit, anathema sit.

7. Nullus prælatus in recipiendo monacho vel canonico, vel sanctimoniali, pretium sumere vel exigere ab his qui ad conversionem veniunt, aliqua pacti occasione præsumat; si quis hoc fecerit, anathema sit.

8. Nulli liceat ecclesiam nomine dotalitii ad aliquem transferre, vel pro præsentatione alicujus personæ pecuniam, vel aliquod emolumentum, pacto interveniente, accipere.

Ex conc. Later. IV, *univ.* XI, *sub Alexand. III, an.* 1179. — 7. Ne pro personis ecclesiasticis deducendis ad sedem, vel sacerdotibus instituendis, aut mortuis sepeliendis, seu etiam nubentibus benedicendis, seu aliis sacramentis aliquid exigatur districtius inhibemus, etc. Prohibemus insuper ne novi census ab episcopis vel abbatibus aliisve prælatis, imponantur ecclesiis, nec veteres augeantur, nec partem redditnum suis usibus appropriare præsumant.

15. Quidam in quibusdam partibus sub pretio statuuntur qui decani vocantur, et pro certa pecuniæ quantitate episcopalem jurisdictionem exercent; qui de cætero id præsumpserit officio suo privetur, et episcopus hoc officium conferendi potestatem amittat.

Ex conc. in Dalmatiæ et Dioclitæ regnis sub Innocentio III, an. 1199. — 1. Nullus episcopus aliquem ad sacros ordines per pecuniam promovere, seu ecclesiastica beneficia alicui, pretio interveniente, concedere præsumat, etc. Episcopus qui hoc egerit, omni ecclesiastica careat dignitate, et scienter recipiens, perpetuo deponatur.

Ex conc. Lateran. V, *univers.* XII, *sub Innoc. III, an.* 1215.— 62. Pro consecrationibus episcoporum, benedictionibus abbatum et ordinibus clericorum, nemo aliquid quocunque prætextu exigere aut extorquere præsumat.

65. Quidam episcopi, decedentibus ecclesiarum rectoribus, ipsas interdicto subji

Digitized by Google

ciunt, nec patiuntur aliquos in eisdem instituì, donec ipsis certa summa pecuniæ persolvatur; præterea cum miles aut clericus domum religionis ingreditur, vel apud religiosos eligit sepulturam, etiamsi nihil loco religioso reliquerit, difficultates ingerunt et malitias donec aliquid muneris manus contingat eorum, etc. Exactiones hujusmodi penitus inhibemus, quod si quis transgressor exstiterit, exacta duplicata restituat in utilitates locorum in quorum fuerint soluta dispendium, fideliter convertenda.

66. Quidam clerici pro exsequiis mortuorum et benedictionibus nubentium, et similibus pecuniam exigunt et extorquent; pravas hujusmodi exactiones super his fieri prohibemus.

Ex conc. Oxoniensi, sub Honorio III, an. 1222. — 8. Ne prælatus aliquis cum ecclesiam contulerit aut præbendam, fructus ejusdem ecclesiæ, sive præbendæ nondum collectos sibi præsumat aliquatenus usurpare, vel in institutione vel missione in possessionem, vel charta super hoc facienda aliquid audeat extorquere, nec ab officiariis suis archidiaconis vel decanis sustineat extorqueri.

9. Si aliquis ad ecclesiam aliquam, nullo contradicente, præsentetur, episcopus præsentatum ipsum, dum tamen idoneus sit, nequaquam admittere differat ultra duos menses, alioquin quidquid ex eadem ecclesia post factam præsentationem fuerit forte perceptum, illi, cum institutus fuerit, restituatur, quatenus fructus illi ad episcopum pervenerint, et id in archidiaconis, si per eos steterit, observetur.

28. Episcopus ab eo qui sibi præsentatus fuerit recipiat juramentum, quod propter præsentationem illam, nec promiserit, nec dederit aliquid præsentanti, nec aliquod propter hoc pactum inierit.

40. Ne pro aliqua pecunia denegetur sepultura vel baptismus vel aliquod ecclesiasticum sacramentum, vel etiam matrimonium contrahendum impediatur.

Ex conc. Germanico, sub Honorio III, an. 1225. — 9. Quidam fundatores ecclesiarum vel hæredes ipsorum, partem decimarum vel aliarum obventionum ecclesiasticarum in quibus jus obtinent patronatus, sibi retinentes, ex pacto repræsentant clericos ad easdem, decernimus ut ex quo constiterit patronum hujusmodi flagitium perpetrasse anathemate feriatur, et ejus terra supponatur ecclesiastico interdicto, donec ecclesiam liberam cum suo jure dimittat.

10. Qui vero taliter a patronis præsentationem receperint, officio beneficioque priventur, nec ad beneficium vel actus ecclesiasticos admittantur, nisi cum eis per Sedem Apostolicam fuerit dispensatum.

11. Episcopi et archidiaconi qui talibus scienter curam animarum commiserint ab institutione et collatione perpetuo sint suspensi, nullus clericus ad curam animarum ab episcopo vel archidiacono admittatur, nisi prius juraverit quod nullam in adeptione beneficii ad cujus curam præsentatur admiserit Simoniam.

Ex conc. Londinensi, sub Gregorio IX, an. 1237. — 5. Quidam sacerdotes dum in beneficium vicariæ vel ad firmam, seu quacunque alia quæstus causa proventus ex altari aut ex pœnitentia venientis recipiunt, non aliter admittunt ad pœnitentiam confitentes, nisi prius ab ipsis aliquid recipiant, sicque faciunt de aliis sacramentis, etc. Inquisitio arctissima per episcopos de his facta, qui tale aliquid commiserit, et a beneficio quod obtinet removeatur, et ab officio perpetuo suspendatur.

Ex conc. Herbipolensi, sub Honorio IV, an. 1287. — 15. Obscœnam illorum abominationem detestantes qui vendere dicuntur benedictiones nubentium, et sepulturas mortuorum, talia de cætero fieri prohibemus, etc. Possunt tamen rectores ecclesiarum licite recipere si nubentes post benedictionem, et consanguinei vel alii pro defunctis post sepulturam aliquid offerre voluerint devotionis intuitu, et etiam pietatis.

Ex conc. Sabinensi in Hispan., sub Joanne XXII, an. 1322. — 19. Nullus archiepiscopus vel episcopus, abbas, archidiaconus, archipresbyter, aut quivis alius ad quem spectat clericorum præsentatio, officiales eorum seu portarii pro ordinibus collatis seu conferendis, vel quocunque actu vel littera ipsos ordines præcedente quidquam recipere audeant; alioquin, si laicus fuerit, ipso facto excommunicationem incurrat, si vero clericus qui nondum ecclesiasticum beneficium obtinet, usque ad biennium eo ipso reddatur inhabilis ad ecclesiasticum beneficium obtinendum, si autem beneficiatus exstiterit ut decanus, archidiaconus, abbas sæcularis, archipresbyter, vel quivis alius jurisdictionem habens, ipso facto a perceptione beneficii sit suspensus, donec duplum ejus quod receperit restituat, cujus medietas clerico a quo recepta fuit pecunia, alia vero medietas fabricæ cathedralis ecclesiæ applicetur, prælatus vero fide ejus conscientia vel mandato quidquam receptum fuerit, eo ipso a collatione ordinum sit suspensus, etc. Ordinati, si post receptiones ordinis pro scripturæ labore charta et cera aliquid offerre voluerint, hoc accipi minime prohibetur, ita tamen quod hæc gratuita oblatio summam quinque morabetinorum usualis monetæ aliquatenus non excedat, a pauperibus aut nihil aut minus recipiat pro prædictis, prælati vero seu vicarii eorum nihil omnino recipiant pro præsentatione ad ordines, vel præsentati litteris alteri episcopo facienda. Cum clerici qui ad titulum alicujus ecclesiæ ad subdiaconatus, diaconatus, aut presbyteratus ordines sint promoti, noviter celebrare voluerint, alii clerici illius ecclesiæ eos libere admittant, et eis ad celebrandum ministrent ecclesiæ paramenta, etc. Clerici qui contra hoc edictum quidquam malitiose commiserint, exegerint aut perceperint, quarta parte fructuum et proventuum beneficii quod in dicta ecclesia

Digitized by Google

obtinent sint privati laici vero qui aliquid præsumpserint, sint ipso facto excommunicati.

Ex conc. Toletano, sub Benedicto XII, an. 1339. — 4. Pro qualibet litterarum possint sex morabetini, et duo denarii pro cancellaria, et unus morabetinus pro regesto et non amplius recipi ullo modo; qui contrarium fecerit, mille morabetinorum pœnam incurrat.

Ex conc. Frisingensi, sub Eugenio IV, an. 1440. — 25. Ne quisquam sacerdotum pro reconciliatione pœnitentium, aut pro administratione sacramenti, vel aliquorum sacramentalium paciscatur de sibi danda pecunia, nec aliquo alio æquivalenti pro eadem, etc. Quod tamen rationis et juris explorati existit, permittimus exposi exigi, etiam cum imploratione officii judicis, quantitatem in talibus consuetudine debitam, ne aliquis sacerdotum quemquam notorie delinquentem accepta pecunia, vel alio commodo tempori, pœna condigna corrigere prætermittat, etc. Ne quisquam clericorum censum de aliquo beneficio aut pecuniam vel emolumentum aliud ex pacto quocunque nomine anticipandæ pensionis, vel alio quocunque quæsito colore augeat, vel quemquam augere compellat, contra facientes tam dantes quam recipientes duplum quam dederint vel receperint nobis solvere teneantur.

Ex conc. Ratisponensi, sub Clemente VII, an. 1524. — 6. De sepultura ac administratione sacramentorum aliisque spiritualibus pacisci, aut aliquid ab invito exigere nemo possit aut debeat, et propter ejusmodi a parochianis neglecta cuiquam non liceat aliquod sacramentorum denegare, neque propter debita quempiam ab ecclesiastica sepultura prohibere, parochialia tamen jura quæ usus recepit, et debentur altari servienti per prædicta non abrogamus.

30. Contra Simoniæ labem, non discedimus a Patrum sanctionibus jubentes eas observari.

Ex conc. Senonensi, sub Clemente VII, an. 1528. *De moribus.* — 2. Provideant diœcesani, ne ecclesiarum parochialium rectores, matricularii aut alii quicunque in debitas exactiones pro sacramentorum, sacramentaliumque ac divinorum administratione faciant.

Ex conc. Moguntino, sub Paulo III, an. 1549. — 91. Quicunque vel muneribus vel pollicitationibus seu quibuscunque pactionibus unius vel plurium sibi favorem conciliaverit, ut per eos ad beneficium seu dignitatem qualemcunque promoveatur, eo ipso excommunicationem incurrat, et reddatur inhabilis, ne amplius ad tale beneficium seu dignitatem eligi aut assumi possit, quod si assumptus postea fuerit deprehensus, tales donationes, promissiones seu pactiones fecisse, beneficio sic occupato privari, et de dignitate omnino deponi debet, nullus in posterum clericus, etc.

92. Ne quid parochi seu ecclesiarum ministri de sacramentorum administratione a quoquam velut debitum aut exigant aut recipiant, et ultra id quod consuetudo rationabilis laudabiliter introducta, et hactenus observata permittit, etiam oblatum quasi non debitum modeste recusent; non obstamus tamen quin quod libera voluntate et ex charitate offertur, recipere valeant.

Ex conc. Trident. gener. XVIII, *sub Pio IV, an.* 1562, *sess.* 21. *De reformat.* — Nihil pro collatione quorumcunque ordinum etiam clericalis tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de causa, sponte oblatum episcopi et alii ordinum collatores, aut eorum ministri quovis prætextu accipiant, notarii vero, in his tantum locis in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis aut testimonialibus decimam tantum unius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo, nec episcopis ex notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem ordinum collationibus directe vel indirecte provenire possit, etc.

Sess. 24. *De reformat.* — 14. In pluribus ecclesiis observari intelligitur ut in electione, præsentatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus ecclesiæ, etc. Certæ conditiones seu deductiones ex fructibus solutiones, promissiones compensationesve illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus ecclesiis dicuntur turnorum lucra interponantur. Episcopi quæcunque hujusmodi in usus pios non convertuntur, aut ingressus eos qui Simoniacæ labis aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant.

18. Caveant examinatores pro beneficiis, ne quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant; alioquin Simoniæ vitium tam ipsi quam alii dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocunque etiam antea obtinebant, et ad alia inposterum inhabiles reddantur.

Sess. 25. *De reformat.* — Non licet jurisdictiones ecclesiasticas seu facultates nominandi, aut deputandi vicarios in spiritualibus locare, nec conductoribus per se aut alias ea exercere, aliterque concessiones etiam a Sede Apostolica factæ, subreptitiæ censeantur, locationes vero rerum ecclesiasticarum etiam auctoritate apostolica confirmatas, sancta synodus irritas decernit, quas a 30 annis citra ad longum tempus seu ut in nonnullis partibus ad 29, seu bis 29, annos vocant factas, synodus provincialis vel deputandi ab ea, in damnum ecclesiæ et contra canonicas sanctiones contractas fuisse judicabunt.

Ex conc. Mediolanensi I, *sub Pio IV, an.* 1565, *parte* II. — 1. Caveant parochi ne in sacramentorum administratione quidquam exigant, aut etiam verbis vel signis, directe vel indirecte petant, etc.

—

Digitized by Google

SOLITUDO MENTIS

[Ex SS. Patribus.]

TERTUL., *Aduxorem.* Convictum atque commercia Deo digna sectare.

S. CYPRIAN., l. II, epist. 4. — Adhuc licet in terra positis, vita vivitur non præsentis sæculi, sed futuri.

S. BASILIUS, *De laud. solit. vitæ.* — Solitudo mors vitiorum, purgatorium sordidorum.

Idem, *ibid.* — Tu mundi persequentis felix effugium, ab æstu sæculi refrigerium, cœlestis doctrinæ schola.

Idem, *ibid.* — O solitudo! homo quidem habitator est tui, sed ejus (hominis) inhabitator est Deus.

Idem, *ibid.* — Solitudo est paradisus deliciarum.

Idem, *ibid.* — Solitudo sanctorum mentium delectatio.

Idem, *ibid.* — Quicunque ad perfectionem pervenerint, tuum, o solitudo, noverunt præconium.

S. CHRYSOST., hom. 3 *in Evang.* Spiritus sanctus proprie sedem habet solitudinem.

S. HIERONYM., *Epist. ad Heliodorum.* — Nescio quid plus lucis in eremo aspicio, libet, sarcina corporis abjecta, ad purum ætheris evolare fulgorem.

S. AMBROS., lib. IV *in Luc.* IV. — Fuge sæculi mare, et naufragium non timebis, in mari, furentibus ventis, et si omnium naufragium, omnium tamen periculum est.

Idem, l. III *Offic.*, c. 1. — In solitudine qui cum Moyse loqueretur non defuit.

Idem. — Ingredere tu et omnis domus tua in arcam, hoc est, dicit Dominus justo: Intra tu in te ipsum, intra in tuam mentem; ibi salus est, foris diluvium; foris periculum.

S. PROSPER, lib. I *De vita contemplat.* — Amet homo sanctum otium, in quo exerceat animæ suæ negotium.

S. LEO, serm. 4 *Quadrag.* — De mundano pulvere etiam religiosa corda sordescunt.

Idem, *De jejun. decimi mensis.* — Ut in aula mentis possit homo divinæ vacare sapientiæ, ubi omni strepitu terrenarum silente curarum, in meditationibus sanctis et deliciis lætetur æternis.

S. GREGORIUS, *Moral.*, l. III, c. 12. — Quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit mentis?

Idem, lib. VI, epist. 26. — Sic vivere, (nempe in solitudine) jam in æternitatis vita partem habere est.

Idem, l. V *in Reg.* — Contemplativi ad locum dilectæ solitudinis, magno impetu impelluntur.

Idem, *ibid.* — Si non prius a secretioribus cordis expellitur importuna sæcularium turbarum turbo, anima quæ intus jacet mortua, non resurget.

Idem. — Necessarium est interdum a tumultu rerum temporalium secessum petere, in quo et Deus tanto purius cernitur, quanto cum se solo solus invenitur.

S. EUCHER.—Eremus digna Spiritui sancto habitatio, ipse enim et secretum quærit, et solitarium locum diligit.

S. ISIDORUS, l. II *Sentent.*, cap. 1. — Nullus sapientiam Dei recipit, nisi qui se ab omni abstrahere actionum cura contendit.

S. BERNARDUS, epist. 107. — Hæc vox (nempe Dei) non auditur in foro, non sonat in publico; secretum concilium, secretum quærit auditum.

Idem, *De considerat.*—Memento interdum reddere teipsum tibi.

S. THOMAS A KEMPIS, lib. VII *Ad Fratres.* — Vere in solitudine aliquid magni latere videtur, quæ a plerisque sanctis, tam ardenter est amplexata.

SOMNIUM

[Ex SS. Patribus.]

S. JUSTINUS, apol. 1. — Duplex: prior est somniorum divinitus missorum species, quando cœleste numen ultro per somnum visiones immittit; posterior, quando nostra mens una cum universali mota, videtur per seipsam divinare præsagireque quid ferant futura tempora. Hujus generis primum somnium occurrit in sacris voluminibus de illa cœlesti scala quod sic describitur: Viditque somnium Jacob, et ecce scala stans super terram, cujus caput pertingebat ad cœlum; et angeli Dei ascendebant descendebantque per eam. Et ecce scala stans super terram, et Dominus innixus ei, et dixit: *Ego sum Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac*, noli timere. *Terram in qua dormis tibi dabo et semini tuo*, etc. (*Gen.* XXVIII, 12, 13.)

Qui peregre proficiscitur ab amplissima optimaque regione scientiæ, necesse est ut ad sensus absque ductore veniat. Anima enim sæpe a seipsa movetur, emergens e tota mole corporis, et e turba sensuum profugiens, nonnunquam etiam vestita sensibus. Sed nudo motu tantum intelligibilia comprehendit; amicta vero, sensibilia. Si quis igitur non potest omnia sola mente persequi, ad sensus secundum refugium invenit,; et quisquis fallitur circa intelligibilia, prolabitur ad sensibilia. Ad sensum enim est secunda navigatio, quando prima ferens ad intellectum non succedit.

Quemadmodum canes venaticos aiunt e longinquo ad feras pervenire, odorem secutos cujus eximio sensu a natura sunt præditi; eodem modo a justitia cæterisque vir-

Digitized by Google

tutibus exhalantes suaves auras: amator scientiæ vestigat, cupiens originem ta læ voluptatis assequi; huc illuc cursitans, et vel ipso honestatis odore tanquam sacro nidore se recreans. Non negat enim se ligurilorem scientiæ prudentiæque; macti ergo quibus datum est bibere de amatorio sapientiæ poculo, fruique contemplationum ejus et placitorum epulis, exhilaritatis etiam sitire denuo, propter inexplebile scientiæ desiderium.

Sed, re penitus intellecta, discamus quiddam vitæ utilissimum, non negligendum hominibus. Hoc autem quid est? Chaldæi vacant observandis siderum cursibus; Charenses circa sensus occupantur. Cæterum sacra eloquia sic scrutatorem naturæ interpellant: Quid de sole quæris situe pedali latitudine, an tota terra major, an aliquotuplo amplior? Quid de lunæ lumine, propriumne an mutuatum præferat? Quid de reliquorum siderum natura, cursu, respectu inter se mutuo, vel etiam ad terrestria? Cur in terra incedens, super nubes exsilis? Cur ætheræas res ais te posse attingere, cum terræ affixus hæreas? Cur audes conjectare de rebus omni conjectura superioribus? Cur es curiosus in rebus sublimibus nihil ad te attinentibus? Cur disciplinarum commentationes usque ad cœlum extendis? Cur subtiliter nugaris de sideribus? Non ea quæ Oceano submota sunt, o bone, sed propinqua considera: imo teipsum absque adulatione scrutare.

Ergo quid insanis, anima, et in vanum laboras, quin ad meditatorem accedis, sumptis armis quibus affectus arceas et luctando superes? Sic enim brevi disces præesse gregibus, non ignobilis bruti maleque pasti pecoris, sed probati rationalis et pulcherrimi; quorum magistra si fueris, miserum hominum genus miseraberis, indesinenter ad divinum cultum hortando; Deum quoque incessanter laudabis, sacros hymnos inscribens tabulis, ut non solum expeditis verbis, sed et carminibus musicis virtutes ejus celebres. Sic enim poteris et in paternam domum restitui postliminio, finitis longis durisque peregrinationis laboribus.

Quia et sensus manet iis omnibus qui exstiterunt, et supplicia æterna reposita sunt; ne hæc pro certis habere et vera credere negligatis. Nam et necyomantiæ, et incorruptorum puerorum inspectiones, et animarum humanarum evocationes, et qui apud magos dicuntur somniorum immissores et assessores, et quæ a peritis illarum rerum fiunt persuadeant vobis animas etiam post mortem sensu præditas esse; et qui ab animabus mortuorum correpti projiciuntur, dæmoniaci et furiosi ab omnibus appellati, et quæ dicuntur apud vos oracula Amphilochi, Dodonæ et Pythiæ, et quæcunque alia ejusmodi, et scriptorum sententiæ Empedoclis et Pythagoræ, Platonis et Socratis, et illa apud Homerum fossa, et descensus Ulyssis horum videndorum causa, et eorum testimonia qui eadem ac isti dixerunt; quibus nos saltem æque approbate, qui non minus quam illi, imo magis Deo credimus; quippe cum nostra corpora, etiam mortua, et in terram conjecta nos rursus recepturos speremus, nihil non posse a Deo fieri asserentes.

Orig., *Selectæ in Gen.* — Ad eunuchos in carcere ait (Joseph): *Annon a Deo interpretatio eorum est?* (*Gen.* xl, 8.) *Et dixit Pharao omnibus ministris suis: Nunquid inveniemus hominem talem, qui habet spiritum Dei in se?* (*Gen.* xli, 38.) Videns Pharao supra hominem esse datam a Josepho sui somnii interpretationem quam ipse oblitus erat, dixit eum Dei spiritum in se habere

S. Basil., *Hom. in psal.* xxxiii. — Dei cogitatio semel impressa, et quasi in præcipua animæ parte obsignata, laus Dei appellari potest semper in anima insidens. Potest autem et juxta apostolicam admonitionem vir probus omnia agere ad Dei gloriam; ita ut actio omnis, omneque verbum et spiritualis omnis operatio vim laudis obtineat. Sive enim edit justus, sive bibit, omnia in Dei gloriam facit. (*I Cor.* x, 31.) Eo dormiente, cor vigilat, juxta eum qui in Cantico canticorum dicit: *Ego dormio, et cor meum vigilat.* (*Cant.* v, 2.) Etenim visæ in somnis species sunt non raro diurnarum cogitationum imagines.

Idem, epist. 210. — Quod si pacem suam nobis reliquit Dominus, novumque nobis mandatum dedit, ut diligamus invicem, somnia vero pugnam ac dissidium, et charitatis exstinctionem inducunt; non dent occasionem diabolo ipsorum animas per somnum invadendi, nec suis visionibus plus tribuant, quam salutaribus documentis.

S. Chrysost., hom. 34 *in Acta apostol.* — Ut visionem vidit (Paulus), statim inquit: *quæsivimus proficisci in Macedoniam! certi facti quod vocasset nos Deus.* (*Act.* xvi, 10.) Vide, non jam per angelum, ut Philippo, ut Cornelio. Sed quid? Per visionem apparet ipsi deinceps humano more, non divino. Ubi enim facilius erat persuadere, humanius; ubi magna vis desiderabitur, divinius. Nam ubi prædicare festinabat solum, ibi somnium ipsi apparet; ubi vero prædicare non permittebatur, ibi spiritus revelat. Sic et illic Petro: *Surgens, descende.* (Act. x, 20.) Non enim facilia operabatur spiritus, sed satis erat ipsi somnium. Josepho quoque facile credenti somnium apparet; aliis vero visio. Ita et Cornelio, et huic ipsi.

Idem, *in Epist. ad Hebræos.* — Quid enim sunt res humanæ? cinis et pulvis, et tanquam pulvis ante faciem venti, fumus et umbra, et folium quod circumfertur, et flos, et somnium, et narratio, et fabula, ventus et aer mollis temere diffluens, penna non consistens, fluentum prætercurrens, et quæ sunt quam hæc magis nihili. Quid enim, dic, quæso, magnum existimas? Quamnam putas magnam esse dignitatem? Consulis? nam hac dignitate nullam existimat vulgus esse majorem. Eo, ergo qui tanto fuit splendore, qui fuit in magna habitus admiratione is qui non est consul, nihil habet minus. Et hic et ille est in eadem dignitate. Simi-

Digitized by Google

liter utrique paulo post non erunt. Quando fuit? quanto tempore dic mihi? Duorum dierum? Hoc etiam fit in somnis. Sed est, inquit, somnium? Et quid tum? Quod enim fit interdiu, non est somnium? Dic mihi cur non hæc magis dicimus somnium? Ut enim somnia, cum dies accesserit, nihil esse convincuntur; ita et hæc, nocte appetente, nihil sunt; tantumdem enim temporis et nox et dies accipiunt, et totum tempus ex æquo dividunt. Sicut ergo iis quæ noctu facta sunt non lætatur quisquam interdiu; ita nec fieri potest ut noctu fruatur iis quæ interdiu facta sunt.

Fuisti consul : et ego quoque, sed ego noctu, et tu interdiu. Quid tum? Ne sic quidem plus habes quam ego. Nisi forte hunc vel illum dici consulem, eamque ex verbis oritur capere voluptatem, plus habere efficit; ut, exempli causa, id enim dicam apertius : Si dixero, hic vel ille est consul, et donavero hoc nomen, annon simul dictum est, et abiit? Ita res quoque. Simul apparuit consul, et non amplius. Ponamus autem annum, et duos annos, et tres, et quatuor. Ubi sunt decem qui fuerunt consules? Nusquam. Sed non sic Paulus. Nam fuit etiam splendidus vivens, non unum diem, nec duos, neque decem, non viginti, nec triginta : neque annos decem, nec viginti, nec triginta; sed et est mortuus, et quadringentesimus annus jam præteriit; et adhuc nunc quoque est clarior, et multo clarior quam quando vivebat. Et hæc quidem in terra; sanctorum autem claritatem quæ est in cœlis, quænam explicarit oratio? Quamobrem, rogo, hanc quæramus claritatem, hanc persequamur, ut assequamur. Hæc enim est quæ est vere claritas. De cætero discedamus ab iis quæ ad hanc vitam pertinent; ut inveniamus gratiam et misericordiam in Christo Jesu Domino nostro.

S. Chrysost., homil. 70 *in Joannem.* — Quemadmodum pueri vilium rerum spectacula admirantur et obstupescunt, pilis, trochis, et talibus inhiant; magnas autem res ne cogitatione quidem capere possunt; ita et qui peccatores præsentia reputant, mirantur ad somnia.

S. Greg. Mag., *Expos. in Reg.*— Aliquando somnia ventris plenitudine vel inanitate, aliquando illusione; aliquando cogitatione simul et illusione; aliquando revelatione; aliquando cogitatione simul et revelatione generantur. Sed cum somnia tot rerum qualitatibus alternent, tanto eis credi difficilius debet, quanto et ex quo impulsu veniant facilius non elucet.

S. Bernard., *De modo bene vivendi.* — Sæpe in noctibus dæmones occurrentes conturbant sensus hominum per visiones; sæpe etiam aperta impugnatione grassantes corpora hominum verberant. Diverso modo fiunt omnia. Quædam somnia eveniunt per saturitatem, sive per exinanitionem, quæ etiam per experientiam nota sunt; quædam etiam ex propria cogitatione oriuntur (nam sæpe quæ in die cogitamus, in nocte recognoscimus.) Multa somnia eveniunt ex illusione immundorum spirituum, Salomone attestante, qui ait : *Multos errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis.* (*Eccli.* xxxiv, 7.) Quædam autem visiones justo eveniunt modo, id est super revelationis mysterio, sicut in Veteri Testamento legitur de Josepho filio Jacob, qui per somnium fratribus dicitur præferendus. (*Gen.* xxxvii.) Vel sicut legitur in Evangelio, de Joseph sponso Mariæ, qui per somnium est admonitus ut fugeret cum puero in Egyptum. (*Matth.* ii.) Nonnunquam accidunt permistæ etiam visiones, id est cogitationes simul et illusiones, atque item cogitationes simul et revelationes, Daniele dicente : *Qui revelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt.* (*Dan.* ii, 29.)

Idem, *ibid.* — Quamvis autem quædam vera somnia sint, tamen facile non debemus credere, quia e diversis imaginationibus nascuntur, et unde veniant perfecte non cognoscimus. Igitur somniis facile non debemus fidem adhibere : ne forte Satan in angelum lucis se transformans, aliquem hominem incautum decipiat. Aliquando dæmones quosdam curiosos et somnia observantes ita deceptoria arte decipiunt, ut quædam somnia non aliter eveniant quam ipsi dicunt; et ideo aliquando vera pronuntiant, ut in multis fallant. Sed quamvis ita somnia eveniant sicut pronuntiant dæmones, tamen credenda non sunt; ne ex illusione procedant, secundum testimonium Scripturæ dicentis : *Si dixerint vobis et ita evenerit, non credatis.* (*Deut.* xiii.) Somnia similia sunt auguriis, et qui ea observant, augurari noscuntur. Ergo somniis fides non est adhibenda, quamvis videantur esse vera. Qui in somniis vel auguriis spem suam ponit, non confidit in Deo; et talis est qualis ille qui ventum sequitur, aut umbram apprehendere nititur. Auguria mendacia, et somnia deceptoria, utraque vana sunt. Non debemus credere somniis, ne forte decipiamur in illis. Spes nostra in Deo semper sit firma; et de somniis nulla nobis sit cura. Dignum valde est ut in Deo ponamus spem nostram, et in somniis nullam habeamus fiduciam. Ideo, soror charissima, te moneo ut mens tua non sit in somniis, vel auguriis intenta, sed in Deo omnipotenti sit firma. Si enim auguria, vel somnia observaveris, cito decipieris. In omni vita tua contemne auguria, et somnia, et pone spem tuam perfecte in Dei providentia; et in hac vita, et in futura venient tibi prospera. Amen.

Digitized by Google

SOMNUS

[Ex SS. Patribus.]

Philo Jud., lib. *Quis rerum divinarum hæres.* — Immisit Deus extasim in Adam et sopiviteum, ubi excessus pro quiete mentis ac tranquillitate accipitur. Somnus enim mentis est vigilia sensuum; nam et vigilia mentis est sensuum otium.

S. Clem. Alex., *Pædagog., lib.* II.— Postquam, finito convivio, Deo benedixerimus, quod ea participavimus, quæ suppeditaverit, et ut eum diem feliciter transmitteremus, concesserit, nobis convertenda est ad somnum oratio. Stratorum magnificentiam, pulvinos auro intertextos, auroque variegatas glabras, stragulas, puniceasque xystidas, et pretiosissimas gaunacas, et poetica purpurea pallia, vestesque superne molles ac delicatas, et cubilia vel ipso somno molliora valere jubentibus. Nam præterquam quod vituperandæ sint deliciæ, in lanuginosis plumis dormire est noxium, tanquam in vastum quemdam hiatum incidentibus corporibus, propter stratorum mollitiem. Neque enim eos qui in eis versantur et dormiunt, continent, propterea quod ex utraque parte corporis, cubile aggeris instar assurgat: neque ut cibi concoquantur, permittunt, sed potius incendunt; quod quidem nutrimentum corrumpit. In planis autem et æquatis cubilibus decubitus, qui sunt somni veluti naturale gymnasium, ad nutrimentum digerendum conferunt. Qui autem possunt in aliis volutari cubilibus, somni veluti naturale hoc habentes gymnasium, alimenta facilius digerunt, et se ad omnes casus aptiores efficiunt. Jam vero lecticæ, quæ pedes habent argenteos, magnam arrogantiam arguunt; et ebur quod est in lectulis, cum elephantis corpus reliquit animam, non est usque adeo licitum sanctis hominibus ut quod iners et ignavum sit quietis artificium. Non est ergo studium in ea conferendum; non est enim possessoribus eorum usus prohibitus, sed quod in eis ponitur studium est prohibitum; non est enim sita in eis felicitas.

Nobis autem, ut rationi convenit, simplici cubili et frugali utendum est, quod habeat id, quod nos juvet moderatum et conveniens: si æstus sit, quod protegat; si fit frigus, quod foveat. Sit autem lectus non affabre et curiose factus, pedesque habeat planos ac leves; nimis enim curiosæ tornaturæ sæpe reptilium semitæ sunt animantium, dum in incisuris artis circumvolvuntur, et minime dilabuntur. Inprimis autem cubilis mollities moderate, et prout viros decet, procuranda est; non oportet enim somnum esse plenam corporis solutionem, sed tantum remissionem. Et ideo eum dico esse assumendum non ad otium et socordiam, sed ad negotiorum et actionum quietem. Ita ergo dormitandum est, ut facile excitemur. *Sint enim*, inquit, *vestri lumbi præcincti, et lucernæ ardentes, et vos similes hominibus dominum suum exspectantibus, quando redibit a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit, statim illi aperiant. Beati servi illi, quos veniens Dominus invenerit vigilantes.* (*Luc.* XII, 35, 36, 37.) Dormientis enim hominis nullus usus, quemadmodum nec mortui. Quocirca sæpe etiam noctu e lecto surgendum est, Deusque est laudandus: beati enim qui in ipsum vigilarunt, seipsos assimilantes angelis, quos nos *egregorous*, hoc est *vigiles* vocamus. Dormiens autem homo nullus ullius est pretii, non magis quam qui non vivit. Qui autem lucem habet, vigilat, *et tenebræ eum non comprehendunt* (*Joan.* I, 5): nec itaque somnus, quoniam non tenebræ. Ad Deum ergo vigilavit, qui fuit illuminatus. Qui autem talis est, vivit. *Quod enim factum est in ipso, vita erat.* (*Joan.* I, 2, 3.) *Beatus homo*, inquit Sapientia, *qui me audiet; et homo, qui vias meas custodiet, vigilans in foribus meis, interdiu observans stationem mei ingressus.* (*Prov.* VIII, 32, 33.) *Ne ergo dormiamus ut cæteri, sed vigilemus, et sobrii simus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt; et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt* (*I Thess.* V, 5-8); hoc est, in tenebris ignorantiæ.

Idem, *ibid.* — Immodicus somnus nec corporibus, nec animis nostris ullam affert utilitatem, nec iis qui circa veritatem versantur omnino convenit actionibus, etsi sit secundum naturam. Lot autem justus (regenerationis enim œconomiæ in præsentia mitto expositionem) non ad illum nefarium inductus esset coitum, nisi inebriatus fuisset à filiabus, somnoque gravatus. Si ergo causas, quæ ad multum ac profundum somnum nos impellunt, præciderimus, magis sobrie dormiemus; non enim oportet eos, qui inhabitantem et vigilantem intus habent Logon, tota nocte dormire. Noctu autem expergiscendum est, præcipue quando dies desinunt; et huic quidem danda est opera litteris, illi vero ars sua est inchoanda; feminas autem oportet lanificium aggredi. Nobis autem, ut ita dicam, omnibus adversus somnum decertandum est, ita nos paulatim et quasi sensim assuefacientibus, ut majori parte temporis per vigiliam simus vitæ participes. Somnus enim, non secus ac publicanus, dimidium vitæ tempus nobiscum dividit. Longe autem abest, ut permittatur interdiu dormire, cum maximam noctis partem vigiliis impertiamur. Tædia autem et dormitationes, pandiculationes, et oscitationes sunt instabilia animæ fastidia. Postremo autem hoc sciendum est, non esse animæ id, quod somno indiget, Ipsa enim semper movetur; sed corpus, quod quieti traditur, remittur, dum interea anima non amplius corporaliter operatur, sed per se ipsam operatur et cogitat: quo fit ut quæ sunt vera somnia, recte reputanti sint sobriæ animæ cogitationes, dum

Digitized by Google

ea corporis affectionibus non trahitur, et ipsa sibi ipsi quæ sunt optima consulat; animæ autem est interitus, si ipsa apud se omnino quiescat; et ideo Deum mente semper versans, per continuam cum eo consuetudinem corpori vigiliam inserens, angelicæ exæquat hominem gratiæ, vitæ æternitatem ex meditatione vigiliæ suscipiens.

Tertull., *De anima.*— Neque credendum est defetiscentiam esse somnum, contrarium potius defetiscentiæ quam scilicet tollit. Siquidem homo somno magis reficitur quam fatigatur. Porro nec semper ex fatigatione concipitur somnus, et tamen cum ex illa est, illa jam non est. Sed nec refrigescentia admittam, aut marcorem aliquem caloris, cum adeo corpora somno concalescant, ut dispensatio ciborum per somnum non facile procederet calore properabili, et rigore tardabili, si somno refrigeraremur. Plus est etiam: sudor digestionis æstuantis est index.

Orig., *Com. in Prov. Salomonis*, tom. III. — Ex omnibus frugibus dandæ sunt primitiæ Ecclesiæ et pauperibus. Sed et is qui a somno surgit, debet dare Deo primitias, preces videlicet, et verborum primitias par est dari psalmos. Sic enim futurum ut tibi dicatur: et *benedicta horrea tua et reliquiæ tuæ* (*Deut.* xxviii, 5), animæ scilicet.

Idem, *in Epist. ad Rom.* — Nemo ita somnolentus et piger est, quem advenientis diei non excitet claritas, et cui sol oculis infusus non aperiat aspectum. Est ergo etiam animæ somnus quidam. Si enim sunt ei proprii oculi, et aures propriæ, et manus, et pedes; quæ singula non tam membra corporalia inesse ei, quam virtutes quibus ad unumquodque movetur et incitatur, reputandæ sunt, accidit sine dubio ei secundum oculos suos etiam somnus. Si enim non agat tempore opportuno quæ Dei sunt, sed desidia torpescat, merito dormire dicetur. Idcirco igitur Paulus præco Christi circuiens mundum in somno desidiæ positum, annuntiat adesse jam lucem, et tempus esse ut surgatur e somno; noctemque, hoc est tempus illud quo ignorantia hominibus dominata est, præcessisse, et proximante justitiæ solis adventu, rarescentibus tenebris, imminere jam agnitionis diem; atque ideo clamat expergiscendum esse, ne per segnitiem quis noctem patiatur in luce; et abjicienda esse opera tenebrarum, atque arma lucis induenda. Opera tenebrarum sunt actus illi qui a Deo alieni sunt: arma vero lucis assumptio virtutum. Et sicut diximus dedecorosum esse, die jam perurgente, dormire, multo est dedecorosius sub tempore diei et lucis opera gerere tenebrarum.

S. Basil. *Hom. in martyr. Julittam.*—Nox alias causas præbeat orandi: quando suspexeris in cœlum et in siderum pulchritudinem intentos oculos habueris, deprecare Dominum visibilium, Deumque universorum opificem optimum, qui omnia in sapientia fecit, adora. Omnem animantium naturam cum videris consopitam, rursus adora eum, qui nos vel invitos ab assiduis laboribus relaxat per somnum, viriumque vigorem per parvam requiem redintegrat. Tota igitur nox non sit velut peculiaris quædam ac præcipua somni sors; neque patiare mediam vitæ partem inutilem tibi esse per somni soporem; sed dividatur tibi noctis tempus in somnum et precationem, imo somnus ipse exercitatio sit pietatis. Sæpe enim expressæ in somno species, nescio quomodo, vestigia quædam ac reliquiæ esse solent diurnarum curarum. Qualia enim exstiterint vitæ nostræ studia, talia necesse est etiam esse insomnia. Sic orabis sine ulla intermissione, si modo non in verbis precationem concludas, sed te ipse Deo conjunxeris per totam vivendi rationem; adeo ut jugis assiduaque precatio vita tua sit.

Interr. Intempestivus et immodicus sopor unde nascatur, et quomodo ipsum propulsemus?

Resp. Contingit hujusmodo sopor, cum anima in Dei cogitationibus tit segnior, Deique judicia aspernamur: deponimus autem ipsum, cum sincere ac rite cogitamus de majestate Dei, ejusque voluntatem expetimus, juxta eum qui dixit: *Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* (*Psal.* cxxxi, 4.)

Idem, epist. 2. — Somni leves sint, ejusque modi qui excuti facile possint, naturalem cum tenui victus ratione necessitudinem habentes: imo vero de industria magnarum rerum curis interrumpantur. Nam altiore correptum esse sopore, membris solutis, ita ut facilis pateat aditus imaginibus a ratione alienis, id quotidianæ morti addicit ita dormientes. Sed quod aliis diluculum, id pietatis cultoribus media nox; cum maxime nocturna quies otium animæ largiatur, neque oculis, neque auribus quidquam visu aut auditu exitiosum in cor immittentibus, sed mente sola per se cum Deo rationem habente, seque corrigente per peccatorum recordationem et regulas sibi ipsi præscribente ad vitia declinanda, ac Dei auxilium ad ea quæ studio habet, perficienda implorante.

S. Chrysost., hom. 26, *in Acta apostol.* — Non ideo facta est nox ut per totam dormiamus et otiemur. Hoc testificantur artifices, negotiatores, mercatores. Ecclesia Dei media surgit nocte. Surge et tu, et vide stellarum chorum, profundum silentium, quietem multam. Obstupesce de Domini tui providentia. Purior tunc est anima, levior, subtilior, sublimis, expedita. Tenebræ ipsæ silentium multum in compunctionem inducere possunt. Si vero cœlum respicias stellis quasi innumeris distinctum oculis, omnimoda voluptate frueris, Creatorem statim mente reputans. Si cogitaveris eos qui interdiu clamant, rident, exsultant, saliunt, injuste agunt, avaritiæ student, minantur, innumera mala inferunt, tunc a mortuis nihil differre humanam omnem arrogantiam damnabis. Somnus accessit, et naturam superavit; imago est mortis et consummatio-

Digitized by Google

nis. Si vicum respexeris, nullam vocem audies; si domum, omnes videbis quasi in sepulcro jacentes. Hæc omnia possunt animam excitare, et ad cogitationem consummationis inducere.

Iturus in somnum aliquid tecum defer in memoria et cogitatione; in quo placide obdormias, quod etiam somniare juvet. Sic, tibi nox ut dies illuminatur, et nox illuminatio tua, in deliciis tuis placide obdormies, in pace quiesces, facile evigilabis : surgens facilis eris ad redeundum in id, unde non totus discessisti.

Cave, serve Dei, quantum potes, ne totus quandoque dormias, ne sit somnus tuus, non quies lassi, sed sepultura corporis suffocati : non reparatio, sed spiritus exstinctio.

S. Bernard, *ad fratres de monte.* — Quantum ad debitum continui processus, nihil temporis tam perit de vita nostra, quam quod somno deputatur.

SPECTACULA

[Ex SS. Patribus.]

Constitutionum apost. lib. VIII, tom. I. — Qui gentilium mores sectatur, aut mutet vitam, aut repellatur. Si quis animum addicit insaniæ theatri, aut venationibus, aut equestribus cursibus, aut ludorum certaminibus, vel cesset, vel rejiciatur.

S. Theoph., *Ad Autolycum*, lib. III. — Omnibus omnia reddere docet (Apostolus) : *Cui honorem, honorem : cui timorem, timorem : cui tributum, tributum; nec quidquam ulli debere, nisi ut diligamus omnes.* (*Rom.* XIII, 7, 8.) Vide an possint qui talia edocentur, indifferenter vivere, et in nefariis flagitiis volutari, aut quod omnem impietatem superat, carnes humanas attingere, cum præsertim nec gladiatorum ludos spectare nobis liceat, ne participes et conscii cædium fiamus. Neque etiam cætera spectacula obeunda sunt, ne polluantur oculi nostri et aures, si participes eorum fiant, quæ illic decantantur. Si quis enim de carnis humanæ epulo loquitur, illic Thyestis et Terei filii vorantur; si vero de adulterio, illud apud eos non solum de hominibus, sed etiam de diis, quos canora voce decantant non sine præmio et mercede, tragice exhibetur. Procul autem absit a Christianis, ut iis quidquam hujusmodi facere in mentem veniat; apud quos adest temperantia, continentia colitur, unicum matrimonium servatur, castimonia custoditur, injustitia exterminatur, peccatum radicitus evellitur, justitia exercetur, lex observatur, cultus Dei peragitur, Deus confitendo celebratur, veritas dominatur, gratia custodit, pax communit, sanctum verbum manuducit, sapientia docet, vita dirigit, Deus regnat.

Tatian., *Contra Græcos orat.* — Nostram Dei cognitionem ne conferre quidem fas est cum iis qui in materia et luto volutantur. Quales enim sunt disciplinæ vestræ? Quis non rideat solemnes vestros et publicis peractos sumptibus ludos, qui pravorum dæmonum occasione celebrati, homines in ignominiam impingunt? Vidi sæpenumero quemdam, et cum viderem miratus sum, et postquam miratus sum contempsi, ut qui alius sit intus, foris autem id quod non est mentiatur. Hunc, inquam, vidi luxu valde diffluentem, et mollitie omni fractum, ac modo oculis rutilantem, modo manus huc et illuc versantem, et lutoso vultu insanientem, et nunc Veneri, nunc Apollini similem; unum omnium deorum accusatorem, superstitionis compendium, vituperatorem actionum heroicarum, cædium histrionem, adulterii monstratorem et avaritiæ, cynædorum doctorem, occasionem sententiarum capitalium; eumdem tamen ab omnibus laudatum. Ego autem illum omnia mentientem, ejusque impietatem et studia, ac totum denique hominem rejeci. Vos autem capiunt ejusmodi homines; et qui communia vobiscum studia non habent, eos conviciis exagitatis. Hiare nolo multis canentibus : ab eo qui innuit oculis et movetur præter naturam, nolo me in eosdem affectus vocari. Quid mirabile apud vos aut egregium peragitur? Resonante naso turpia loquuntur, moventur indecore; et dum in scena mœchandi artem docent, filii vestri spectant ac filiæ. Præclara apud vos auditoria, quidquid nefarie noctu perpetratur prædicantia, et turpium sermonum declamationibus auditores oblectantia. Laude etiam digni sunt mendaces poetæ vestri, qui etiam per gestus fucum auditoribus faciunt.

Vidi homines corporis exercendi studio aggravatos, et pondus carnium suarum circumferentes, quibus præmia et coronæ, adhortantibus eos agonothetis, proponuntur, non ad præclarum facinus, sed ad faciendæ injuriæ, et excitandæ discordiæ contentionem, et qui magis percussor fuerit, coronatur. Atque hæc quidem minora sunt mala : majora autem quis non dicere refugiat? Quidam inertiam profitentes, propter luxuriam seipsos vendunt occidendos. Vendit se pauper, emit dives homicidas : sedent qui testimonium de his ferant, ac singulare certamen ineunt gladiatores nullam ob causam, nec quisquam descendit, qui auxilietur? An hæc præclare a vobis peraguntur? Qui enim inter vos dignitate præstat, exercitum homicidarum colligit, seque latrones alere profitetur. Proleunt ab eo latrones, vosque omnes ad spectaculum convenitis, judices futuri, partim agonothetæ improbitatis, partim et ipsorum gladiatorum. Dolet qui cædi non interfuit, quod spectandis nefariis et impiis et scelestis facinoribus non fuerit damnatus. Occiditis animalia ut carnem edatis : ac homines emitis, ut humanæ carnis epulum opponatis animæ; eamque valde impia sanguinis effusione pascatis. Occidit latro ut accipiat; dives emit gladiatores ut occidantur.

Digitized by Google

Quid me juverit ille apud Euripidem furiosus, et Alcmæonem matricidam agens; qui nec oris sui formam retinet, ac majorem in modum hiat, ensemque circumfert, clamansque incenditur, et stolam inhumanam gerit? Valeant Hegesilai fabulæ; valeat Menandri lingua versuum scriptoris. Quid est quod fabulosum tibicinem admirer, aut ut Aristoxenus de Thebano Antigenide curiosius laborem? Concedimus vobis res inanes. Vos ergo vel credite dogmatibus nostris, vel nostra nobis similiter relinquite.

Tertull., *De spectaculis.* — Quis status fidei, quæ ratio veritatis, quod præscriptum disciplinæ inter cætera sæcularium errorum, etiam spectaculorum voluptates adimat, Dei servi, cognoscite, qui cum maxime ad Deum acceditis, recognoscite qui jam accessisse vos testificati et confessi estis, ne aut ignorando, aut dissimulando quis peccet. Tanta est enim voluptatum vis, ut ignorantiam protelet in occasionem, et conscientiam corrumpat in dissimulationem. Ad utrumque adhuc forsan alieni opiniones ethnicorum blandiantur, qui in ista causa adversus nos ita argumentari consueverunt: nihil obstrepere religioni in animo et in conscientia tanta solatia extrinsecus oculorum vel aurium; nec vero Deum offendi oblectatione hominis, qua, salvo erga Deum metu et honore, suo in tempore et suo in loco frui scelus non sit. Atqui, hoc cum maxime paramus demonstrare, quemadmodum ista non competant veræ religioni, et vero obsequio erga Deum verum.

Idem, *ibid.* — Quorumdam fides, aut simplicior, aut scrupulosior, ad hanc abdicationem spectaculorum de Scripturis auctoritatem exposcit, et se in incertum constituit, quod non significanter neque nominatim denuntietur servi Dei abstinentia ejusmodi. Plane nusquam invenimus quemadmodum aperte positum est: Non occides, non idolum coles, non adulterium, non fraudem admittes: ita exerte definitum, non ibis in circum, non in theatrum: agonem, munus non exspectabis. Sed invenimus ad hanc quoque speciem pertinere illam primam vocem David: *Felix vir*, inquit, *qui non abiit in concilium impiorum, et in via peccatorum non stetit, nec in cathedra pestilentium sedit.* (*Psal* I, 1.)

Orig., hom. 9 *in Leviticum*, tom. II. — *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescit ignis.* (*Psal.* XXXIX, 3.) Unde tu concalescis? Unde ignis accenditur, qui nunquam in divinis meditaris eloquiis? imo, quod est infelicius, concalescis in spectaculis circi, concalescis in equorum contentionibus, in certamine athletarum. Atqui iste ignis non est de altari Domini, sed hic est, qui dicitur ignis alienus; et audisti quia qui obtulerunt alienum ignem, ante Dominum exstincti sunt. Concalescis, et cum te repleverit iracundia et cum te inflammaverit furor, ureris interdum et amore carnali, ac turpissimæ libidinis jactaris incendiis. Sed omnis iste ignis alienus est et contrarius Deo, quem qui accenderit, sine dubio Nadab et Abiud perferet sortem.

S. Ambros., *In psal.* CXVIII. — Avertamus oculos nostros à vanitatibus theatrorum, ne quod oculus viderit, animus concupiscat.

S. Basil., hom. 4 *in ebrietatem et luxum.* — Viri et feminæ communes constituentes choros, sese invicem libidinum telis confodiunt atque lacerant.

S. Chrysost., hom. 15 *ad popul. Antioch.* — Quomodo qui desident in theatro, qui nihil sani neque audiunt, neque vident; qui undique obsidionem patiuntur per aures, per oculos, possunt superare concupiscentiam?

Salvian., lib. VI *de gubernatione mundi.* — Quomodo, o Christiane, spectacula post baptismum sequeris, quæ opus esse diaboli confiteris? — Renuntiasti semel diabolo et spectaculis ejus, et per hoc necesse est ut prudens et sciens, dum ad spectacula remeas, ad diabolum te redire cognoscas.

Idem, ibid. — Spectaculorum impuritates unum faciunt agentium et spectantium crimen.

S. August., serm. 78 *De verbis Evang. Matth.* XX, t. V. — Videte esse turbas quæ corripiant cæcos clamantes. Omnes qui in hac turba sanari vultis, non vos deterreant; quia multi sunt nomine Christiani, et operibus impii; non vos deterreant a bonis operibus. Clamate inter turbas compescentes, revocantes, insultantes, male viventes. Non enim solis vocibus comprimunt bonos Christianos mali, sed et malis operibus. Non vult bonus Christianus ire spectare. Hoc ipsum quod frenat concupiscentiam suam, ne pergat ad theatrum, clamat post Christum, clamat ut sanetur. Alii concurrunt, sed forte pagani, forte Judæi. Imo vero tam pauci essent in theatris, ut erubescendo discederent, si Christiani ad theatra non accederent. Currunt ergo et illi, portantes sanctum nomen ad pœnam suam. Clama ergo non eundo, perimens in corde tuo temporalem concupiscentiam; et tene te in clamore forti et perseveranti ad aures Salvatoris, ut stet Jesus, et curet te; inter ipsas turbas clama, ne desperes de auribus Domini. Non enim et *illi* cæci ex illa parte clamaverunt, ubi turba non erat, ut ex ea parte audirentur, ubi non esset impedimentum prohibentium. Inter ipsas turbas clamaverunt; et tamen Dominus audivit. Sic et vos etiam inter peccatores et luxuriantes, inter amatores sæcularium vanitatum, ibi clamate ut sanet vos Dominus. Nolite per aliam partem clamare ad Dominum, nolite ad hæreticos ire, et ibi clamare ad Dominum. Attendite, fratres, quia in illa turba quæ clamare prohibebat, ibi sanati sunt qui clamabant.

Idem, *De civitate Dei*, lib. I, cap. 33. — Animarum pestis, probitatis et honestatis eversio, spectacula.

Idem, *De civitate Dei*, lib. II, cap. 13. — Illas theatricas artes diu virtus Romana non noviquæ si ad oblectamentum voluptatis huma-

Digitized by Google

næ quærerentur, vitia morum irreperent humanorum.

Idem, *De symbolo*, lib. II, cap. 2. — In theatris labes morum, discere turpia, audire inhonesta, videre perniciosa.

S. Bernard., *De conversione ad cleric.*, t. I. — Cæterum spectacula vana, rogo, quid corpori præstant, quidve animæ conferre videntur? At certe nihil in homine cui curiositas prosit invenies. Frivola prorsus et inanis ac nugatoria consolatio; et nescio quid illi durius imprecer, quam ut semper habeat quod requirat, qui jucundæ quietis pacem fugitans, curiosa inquietudine delectatur. Liquet sane vel ex hoc ipso nihil his omnibus delectationis inesse, quorum solus transitus juvat. Cæterum vanitas vanitatum quam nihil sit, vel ex ipso nomine manifestius judicatur. Vanus utique labor, qui studio vanitatis assumitur. O doxa, doxa, ait Sapiens, in millibus mortalium nihil aliud, quam aurium inflatio vana! Et tamen quantam putas infelicitatem hæc ipsa non tam felix vanitas, quam vana felicitas parit?

Hinc namque cæcitas cordis, sicut scriptum est: *Populo meus, qui te beatificant, in errorem te inducunt.* (*Isa.*, III, 12.) Hinc cervicosus furor animositatis, hinc suspicionis labor anxius, hinc livoris crudele tormentum, et cremantis invidiæ miserior, quam miserabilior cruciatus; hinc divitiarum amor insatiabilis longe amplius desiderio torquet animam, quam refrigerat usu suo: utpote quarum acquisitio quidem laberis, possessio timoris, amissio plena doloris invenitur. Postremo *ubi multæ opes, multi etiam qui comedunt eas* (*Eccle.* V, 10), et usus quidem divitiarum apud alios, divitibus solum nomen cedit et sollicitudo. Et in his omnibus pro tam exiguis, aut magis, ne exiguis quidem, sed nullis, eam parvipendere gloriam, *quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.* II, 9), non tam insipientiæ quam infidelitatis esse videtur.

SPES

[Ex SS Patribus.]

Philo Jud., *Lib. de Abrahamo.* — Principium parandorum bonorum spes est; etiam hanc tanquam publicam vitam ostendit et aperit anima veri boni studiosa, quæ primum amicum spei nominat hominem, vocabulum totius generis commune tribuens ei per excellentiam: nam Chaldæi hominem Enos vocant; ac si solus vere homo sit, qui res bonas exspectat, et bona spe se sustinet. Unde manifestum est quod spe carentem non hominem existimat, sed bestiam humana forma præditam, cui desit spes proprium ornamentum humanæ animæ.

Sanctus autem et laudabilis est qui bene sperat, sicut e diverso profanus et vituperabilis qui non sperat, timore semper utens malo consiliario. Negant enim ullas duas res tam infestas esse invicem, quam spem et timorem, et merito. Nam utraque est exspectatio, altera bonarum rerum, altera contrà malarum, inter quas naturas nulla possunt intercedere fœdera. Hactenus de spe dixisse sufficiat, quam in foribus ceu janitricem natura collocavit, intus vero cæteras virtutes regias, quas adire licet nemini qui non prius hanc unam demeruit. Proinde legislatores et leges passim promulgatæ pro magno negotio habent replere bona spe animos ingenuos. Qui vero absque alieno hortatu bene sperat, non a scripta, sed ab innata sibi lege discit hanc virtutem, cujus ipsa natura auctor est.

Idem, *Lib. de eo quod deterius potiori insidiari soleat.* — Homini quid magis potest esse proprium, quam spes et exspectatio possessionis bonorum accipiendorum a solo munificentissimo Deo; quod genus solum, si vera fateri volumus, proprie hominum est tanquam hi qui non sperant in Deum, extra naturam rationalem censeantur.

S. Clemens Alex., *Stromat.*, lib. II, t. I. — Jam autem spes quoque consistit ex fide. Definiunt itaque fidem sectatores Basilidis, animæ assensionem alicui eorum quæ sensum non movent, propterea quod non adsunt. Spes est bonæ possessionis exspectatio. Fidelem autem necesse est esse exspectationem. Fidelis autem est qui citra transgressionem ea servat, quæ sunt ei tradita. Nobis autem traduntur quæ de Deo dicuntur, et verba divina, nempe mandata, cum exsecutione præceptorum. Hic est *servus fidelis* (*Matth.* XXIV, 35; XXV, 21) qui laudatur à Domino. Cum autem dixerit, *fidelis Deus* (*I Cor.* I, 9; X, 13), eum, cui aliquid declaranti par sit credere, significat: declarat autem Logos ejus, qui etiam fuerit *Deus* ille *fidelis*. Quomodo ergo, si credere est existimare quæ ab ipsis dicuntur, philosophi firma esse putant? Non est enim existimatio, voluntaria demonstrationis præcedentis assensio, sed alicui valido ac potenti assensio. Quis autem Deo fuerit potentior? Infidelitas autem est appositi imbecilla ac negativa existimatio: quemadmodum credendi difficultas est habitus, qui fidem difficiliter admittit. Et fides quidem est voluntaria existimatio, et anticipatio prudentis præcomprehensionis. Exspectatio autem est opinio futuri. Et cæteræ quidem exspectationes sunt opiniones de incertis; fiducia autem est firma de aliquo apprehensio. Quare et credimus, in quo fiduciam habemus nos gloriam divinam et salutem consecuturos. In solo autem Deo fiduciam habemus, quem scimus non transgressurum ea quæ sunt pulchre nobis promissa, quæ cum in hunc finem creata fuerint, ab ipso benevole nobis data sunt. — At prima quidem ad salutem esse inclinatio nobis fides apparet, postquam timor et spes et pœnitentia cum continentia et to-

Digitized by Google

lerantia proficientes, nos ducunt ad charitatem et ad cognitionem.

ORIGEN., *Comment in Epist. ad Rom.*, t. IV. — *Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Sed si quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus.* (*Rom.* VIII, 24, 25.) Et nos enim exspectamus adoptionem filiorum Dei, et redemptionem corporis nostri. Quamvis hoc ipso jam quod Christo credimus, salutem nobis præstitam noverimus, tamen in spe adhuc est salus ista, non in aspectu visibilium. Si enim jam videretur, non utique speraretur. Sperat enim quis ut videat. Si vero videat quæ sperabat, superfluum est ultra sperare quæ videt. Nos autem spem non habemus in his quæ videntur, ne inanis sit spes nostra, sed in his quæ non videntur. Et ideo quia quæ non videntur speramus, et tam magna sunt, tamque gloriosa, ut multis laboribus, multisque tribulationibus et periculis capiantur, idcirco ea per patientiam exspectamus, tanquam vix aliquando ventura.

Idem, *ibid.* — *Spe enim salvi facti sumus.* (*Rom.* VIII, 24.) Quomodo autem in spe sit salus; spes vero non sit in his posita quæ videntur, sed quæ non videntur, jam superius edocuimus. Illud solum breviter addemus, quod et ex his sermonibus, et ex illis in quibus dicit : *Non respicientes illa quæ videntur, sed quæ non videntur* (*II Cor.* IV, 18), edocet nos in futuris bonis nihil eorum quæ nunc videntur, vel videri possunt, sperare debere, etiamsi cœlum videas istud visibile, etiamsi terram. Audi de his, quia *cœlum et terra præteribunt.* (*Matth.* XXIV, 35.) Visibilia enim sunt; et quod vides quod speras? Nihil ergo prorsus sperandum est in futuro de his quæ videntur. *Oculus* enim *non vidit quæ præparavit Deus his qui diligunt eum.* (*I Cor.* II, 9.) Videt autem oculus cœlum et terram : non ergo oportet hoc quod videtur, credi præparatum esse a Deo his qui diligunt eum; sed cœlum quidem, imo potius cœlos multo eminentiores et excelsiores, quam est illud firmamentum quod videri oculis potest. Sed et terra speranda est, non tamen hæc quæ arida dicitur, et oculis subjacet; sed illa erit mansuetorum terra quam oculus non vidit. Evidens est enim Apostoli sententia, quæ docet non visibilia et corporalia speranda in futuris, sed spiritualia et æterna; quia *quæ videntur temporalia sunt*, et cum tempore finiuntur; *quæ autem non videntur æterna sunt* (*II Cor.* IV, 18), quæ speranda Apostolus docet. Idcirco namque et ipsa corporis nostri reparatio ex corruptibili incorruptibilis, et ex mortali immortalis, et ex infirmitate in virtute restituitur, et ex animali corpore corpus efficitur spirituale, ut cum spirituale factum fuerit, possit etiam invisibilibus perfrui bonis; quæ bona in præsenti sæculo non videntes, per spem speramus (*Rom.* VIII, 25), et per patientiam exspectamus.

Idem, *ibid.*— Merito, et more sibi solito, ubi de fide tractat, Apostolus conjungit et spem, sciens fidei spem inseparabiliter cohærere, sicut et in Epistola ad Hebræos idem docet dicens : *Est autem fides sperandarum rerum substantia, indicium non apparentium.* (*Hebr.* XI, 1.) Et iterum in hac eadem ad Romanos Epistola, in posterioribus dicit : *Spe autem salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si vero quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus.* (*Rom.* VIII, 24, 25.) Quod ait : *Spe salvi facti sumus*, hoc idem est quod alibi dicit, quia *per fidem salvati* sumus (*Ephes.* II, 8); et : *Fides tua te salvum fecit* (*Matth.* IX, 22); et : *Secundum fidem tuam contingat tibi* (*Ibid.*, 29), quæ utique illis dicuntur qui, credentes in Jesum, spem gesserunt ab eo se posse curari. Sicut autem Abraham *contra spem in spem credidit* (*Rom.* IV, 18), ita omnes qui per fidem filii sunt Abraham, contra spem in spem credunt, de singulis quibusque quæ credunt, sive de resurrectione mortuorum, sive de hæreditate regni cœlorum. Hæc enim, quantum ad naturam humanam spectat, contra spem videntur; quantum autem ad potentiam Dei, in spem creduntur; exemplo Abraham credentis quia *quæcunque promisit Deus, potens est et facere* (*Rom.* IV, 21); si tamen his qui credunt maneat fides, spes et charitas.

Et puto quod prima salutis initia et ipsa fundamenta fides est; profectus vero et augmenta ædificii spes est; perfectio autem et culmen totius operis charitas; et ideo *major omnium dicitur charitas.* (*I Cor.* XIII, 13.) Igitur Abraham *contra spem in spem credidit, ut pater fieret multarum gentium* (*Rom.* IV, 18,) quæ futuræ essent sicut stellæ cœli, non solum multitudine, sed et claritate; quique promittenti fideliter credens, *non*, inquit, *infirmatus est fide* (*Ibid.*, 19), ostendere mihi videtur esse quamdam infirmitatem in fide. Quod si est infirmitas, est sine dubio et sanitas, sicut et in aliis ostendit, cum dicit : *Increpa illos acriter, ut sani sint in fide.* (*Tit.* I, 13.) Beatus ergo est qui non infirmatur in fide. Si vero quis infirmatur, curam ejus describit Apostolus cum dicit : *Infirmantem in fide assumite, non in despectationibus cogitationum. Nam alius credit manducare omnia. Qui autem infirmus est, olera manducet.* (*Rom.* XIV, 1, 2.) Per quod utique designat verbi olera præbenda esse ei qui infirmatur in fide, ne plena fidei doctrina cunctantibus in ea et quodammodo ægrotantibus ingeratur. Sana autem fides dicitur quæ perfecta est, et cui nihil deest.

S. CYPRIAN., *Testimon.*, lib. III. — Spem futurorum esse, et ideo fidem nostram circa quæ promissa sunt patientem esse debere. In Epistola Pauli ad Romanos : *Spe salvati sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam speramus.* (*Rom.* VIII, 24.)

S. ATHANAS., *Exposit. in Psalmos.* — *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea.* (*Psal.* LXII, 6.) Ostendit Psalmista quantum

Digitized by Google

sit lucrum eorum qui in ipsum solum spem posuerint. *Et labiis exsultationis audabit os meum.* (*Psal.* LXII, 5.) Cum, inquit, in memoriam mihi venit nomen tuum, tunc gaudio replentur labia mea.

S. HILAR. *in psal.* LIII. — Propheta spem beatorum finis ipsius adhortatione confirmat, dicens: *Quis dabit Sion salutare Israel? Dum avertit Dominus captivitatem plebis suæ exsultabit Jacob, et lætabitur Israel.* (*Psal.* LIII, 7.) Una enim hæc spes reliqua fuit humanæ infirmitati et fidei, per quam inter tantas præsentis vitæ calamitates æternorum bonorum exspectatione requiesceret. Et idcirco certus hujus beatitudinis propheta, tanquam ex vasto humanarum miseriarum proclamat profundo, dicens: *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* Namque secundum alium prophetam: *Ex Sion exiet lex, et verbum Domini ex Jerusalem.* (*Isa.* II, 3.) Hoc Verbum Domini caro factum est. Hæc caro et Sion et Jerusalem est, civitas novæ pacis, et speculatorium nostrum. Hinc salutaris, hinc Jesus. Jesus enim, ut sæpe diximus, ipso nomine salutaris est. Lex autem ex Sion non fuit salutaris, opere quidem vivificans, sed non justificans ex fide.

Idem, *in psal.* CXVIII.— *Hæc me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum vivificavit me.* (*Psal.* CXVIII, 50.) *Hæc* ad spem refertur quam sperare eum Deus fecit. Consolata vero est eum *in humilitate*, id est cum contemnitur, cum irridetur, cum injuriis vexatur, cum contumeliis inhonestatur; sciens hanc sibi tentationum præsentium esse militiam. Sed se inter hæc infirmitatis suæ bella spes a Domino præstita consolatur: vivificatur autem per eloquia Dei.

Idem, *in psal.* CXXI.—Qui spe cœlestis desiderii detinetur, nihil obscuritatis in psalmo CXXI habebit. Ex suo enim sensu intelligentiam propheticæ magniloquentiæ consequetur; namque cum se meminerit scriptum Dei cohæredem, et consortem æternorum bonorum, et similem angelis ex resurrectione renovandum, et corruptione deposita in gloriam Dei ac Domini nostri Jesu Christi corporis conformandum, futurumque incolam civitatis cœlestis vivis lapidibus exstructæ, de quascriptum est in Evangelio: Cum Dominus jurare per cœlum inhibuisset, adjecit dicens: *Neque per Jerosolymam* (*Matth.* V, 35), quia civitas est regis magni; non utique eam significans, quæ prophetas occidit et lapidat, sed eam cujus beatus Paulus ita meminit: *Vos estis cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum* (*Ephes.* II, 19,20); cumque legerit ea quæ nunc sunt, ex parte esse, nosque per speculum interim et in ænigmate videre; perfecto autem veniente, et quæ nunc pro parte sunt, destruenda, et facie ad faciem, tanquam corporali visu, ea quæ nobis nunc sunt invisibilia contemplaturos, ubi non ægritudo, non mors, non mœstitia, non terror sit. (*I Cor.* XIII, 12.) Hæc cum quis annuntiata ab angelis, præformata in lege, exposita a prophetis, a Domino exemplis repræsentata, prædicata ab apostolis, ipsi sibi hæc eadem per fidem possibilia cognoverit; proclamari necesse est exemplo Prophetæ: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi.* (*Psal.* CXXI, 1.)

Idem, *in psal.* CXVIII.—Omnis Dei sermo, qui Scripturis divinis continetur, in spem nos bonorum cœlestium vocat. Atque ob id Propheta in omnibus se Dei præceptis mansisse confidens, constanter ait: *Memorare verbum tuum servo tuo.* (*Psal.* CXVIII, 49.) Nunquid promissi sui Deus immemor est? Absit istud, ut aliqua subrepere in æternam atque indefessam virtutem humanarum infirmitatum genera credantur. Sed Propheta qui promissis Dei credidit, qui desiderio cœlestium detentus est, qui contemptu præsentium futura speravit, non ad memoriam verbi sui Deum admonet; sed, ut verbi sui in se servo suo memor sit, deprecatur, id est ut ita dignus habeatur in quo Deus verbi sui memor esse dignetur, quo in verbo spem dederit. Et spem non inanem esse oportet, neque verbis tantummodo prædicari, sed rebus ipsis doceri: ut si quando incidant infirmitates, persecutiones, damna, orbitates, contumeliæ; has præsentis sæculi minas ac potestates, spe æternorum promissorum consolemur.

Idem, *ibid.* — *Præveni in maturitate, et clamavi, et in verba tua semper speravi.* (*Psal.* CXVIII, 147.) Non exspectavit infirmam ad vitia senectutem, neque defervescentibus longo usu luxuriæ æstibus frigidæ ætatis tempus elegit, sed maturitatem omnem fide et religione prævenit, vincens per continentiam juventutem, et comprimens lascivientes annos, senectutis maturitatem modestæ et castæ adolescentiæ tranquillitate præveniens. Et Prophetæ clamor est sperantis in Dei verba, non aliquando sed *semper*. Finis enim nullus est spei nostræ; sed in cœlestes res semper extenditur et in æterna Dei promissa procedit. Nullum tempus vacuum habet, nullum otiosum.

Idem, *Opere historico.* — Deus justitiæ prævius numeratur, creditus ab ignorante quod Deus sit. Atque ob id Abraham fides prima justificat, et Chananææ filiam silentio Dominum tentantis matris fides salvat, et credentibus in nomine ejus potestas in Joanne tribuitur ut ex Deo nati sint. Magnum est fidei meritum, et perfecta credentibus Deo beatitudo, per quam genitis in corpore, in iniquitate, in ægritudine, et justitia, et sanitas et ortus ex Deo est. Spes vero amœnitatem vitæ mundialis et bona sæculi, quiescentis (*forsan* quiescens) in his quæ a Deo disposita conlidit, exsuperat, præsentium damno futurorum lucra meritura; quam Dominus tali præmio muneratur. *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut matrem, aut filios, aut agrum propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* (*Matth.* XIX, 29.) Egregia virtutum Dei testis, fiducia exspectationis suæ, præsentia quæque ut nulla et incerta despiciens! fu-

Digitized by Google

tura vero ut æterna et præsentia apprehendens! Sed quanquam mansuræ fidei, spei, charitatis (*f.* charitati) parem gloriam idem Apostolus tribuat, et æqualiter inviolabiles eas esse significet, charitatem tamen præstare cæteris superioribus indicat.

S. Hilar., *in psal.* li. —Stultitiæ atque impietatis extremæ est, non intelligere se sub Deo et ex Deo vivere, sed in his quæ gerit et exspectat, sua magis vel confidere potestate; cum si quid illud in se sit, ex Deo sit. Ad Deum itaque spes omnis nostra sit, et confessio omnis in Deo sit, exemplo Prophetæ dicentis : *Domine, adjutor meus et redemptor meus.* (*Psal.* xviii, 15.) Et rursum : *Levavi oculos meos in montes, unde veniet adjutorium mihi. Auxilium meum a Domino qui fecit cœlum et terram.* (*Psal.* cxx, 1.) Metuamus itaque semper, ne quando nos æternus ille ignis exurat, et vermis immortalis absumat; cum audiamus quid justi timentes, ridentesque dicant : *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum.* (*Psal.* li, 9.)

S. Cyril. Hier., catech. 2 — *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* (*Luc.* x, 18.)—Iste cadens multos secum abstraxit. — Per *illum* primus noster parens Adam expulsus est, ac paradisum sponte sua admirabiles fructus ferentem, terra spinas ferente permutavit. Quid igitur, dixerit aliquis, decepti perivimus, nullane deinceps salus? cecidimus, num non licet resurgere? excæcati sumus, fas non est visum recuperare? Claudi sumus effecti, spes non est aliquando recte incedendi? in summa dicam, mortui sumus, non licet ut resurgamus? An vero qui Lazarum, o homo, quatriduanum fetentemque excitavit, non potius viventem te facilius excitabit? (Joan. xi.) Qui pretiosum sanguinem pro nobis effudit, ipse nos e peccato expediet : ne nos ipsos desperemus, fratres; ne nos in desperatum abjiciamus statum. Dira res est non credere in spem pœnitentiæ. Qui non exspectat salutem, mala absque modo accumulat : qui vero sanationem sperat, facile sibi ipsi parcit. Latro etiam qui gratiam non exspectat, usque ad insolentiam devenit; si vero veniam speret, ad pœnitentiam sæpe decurrit. Quid vero, serpens potest deponere senectutem; nos peccatum non deponemus? ac terra quidem spinosa, cum pulchre exculta fuerit, in frugiferam transmutatur : nobis autem salus irreparabilis futura est? Natura itaque est capax salutis, verum ad hoc requiritur arbitrii voluntas.

S. Basil. *Com. in Isaiam.* — *Qui salvi fuerint ex Jacob, non ultra fiduciam habebunt in illis qui ipsos injuria affecerunt; sed fiduciam habebunt in Deo sancto Israel, in veritate. Et erit residuum Jacob in Deum fortem.* (*Isa.* ii, 20, 21.) Hæc liquido referuntur ad eos qui se ab opere pravo submovent, et spem suam transferunt in Deum viventem. Enimvero cum peccamus, hostibus adjungimus nos ipsos, et in iis qui nobis injuriam inferunt, fiduciam reponimus. Circuit improbus quidam dæmonum exercitus qui voluptatis illecebris animas nostras evertat. His adjungimur, perinde ut pueri rudes ac imperiti adjungunt se plagiariis, qui crepundiis quibusdam ostensis, plerumque pueros decepere, et procul a parentum oculis abductos, per brevem oblectationem in amaram pertraxere servitutem. Adjunguntur igitur et illi se injuria afficientibus; nos quoque ad voluptatis illicium mentem appellentes, nosmetipsos quam longissime subducimus a Deo, ac nos acerbæ inexorabilis dæmonis tyrannidi subjicimus; qui cum sit igni æterno addictus, plures supplicii sui socios habere conatur. Itaque de iis quos pœnitet male actorum, dicit, quod ii qui relicti et salvi fuerint, non jam amplius adjungantur, nec in iis qui in se injuriam jecerint, spem suam collocent, sed Deo sancto Israel in veritate confidant. Beatus ille est qui, omni spe rerum mundanarum a se submota, unicam spem suam in Deum confert. Quemadmodum enim maledictus est homo qui spem habet in homine (*Jer.* xvii, 5); ita benedictus est qui innititur Domino. Verum ne perfunctorie transilias quæ subjunguntur verba : *Fiduciam* enim, inquit, *habebunt in Deo sancto Israel, in veritate.* Spes enim in Deo posita alternas vices non admittit, nec Dominus sustinet integram suam opem ei ferre, qui modo quidem in pecuniis, et in gloria humana atque in mundi potestate spem suam constituit, modo vero Deum tanquam spem Dei proponit, sed oportet, ut vere in Dei auxilio conquiescat.

Idem, *De grat. actione.* — Arbitror strenuum athletam ad pietatis stadium semel exutum, plagas adversariorum fortiter ferre debere, spe gloriæ ex coronis consequendæ. Etenim quotquot in gymnicis certaminibus sunt palæstricis laboribus assueti, animum non demittunt ob plagæ dolorem; imo vero spretis, ob præconii desiderium, laboribus præsentibus, adversarios cominus adoriuntur. Hunc admodum etiamsi viro virtutis studioso accidat quid asperi, tenebras gaudio non obducet. Nam *tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.* (*Rom.* v, 2.) Quapropter et alio in loco ab eodem jubemur patientes esse in tribulatione et spe gaudere. (*Rom.* xii, 12.) Spes itaque est quæ efficit ut gaudium animo viri probi sit contubernale.

Idem, *Moral*, tom. II.— *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, et ne velitis dicere intra vos ipsos : Patrem habemus Abraham.* (*Matth.* iii, 8.)

S. Greg. Naz., orat. 19. — Non in cœlum sursum suspiciemus? Non expergiscemur? non lemas ex oculis detrahemus? non quænam veræ divitiæ sunt, intelligemus? qui verus splendor? Ubi dignitas mutationis expers? quæ finem nesciens beatitudo? Ubi bonum illud nec fluctuans, nec alio migrans, nec insidiis obnoxium? Non hæc multis laboribus sudoribusque, si ita contingat, adipiscemur? Non si quid deliciis in hac

Digitized by Google

vita dandum est rerum futurarum spes pro deliciis habebimus? Non animadvertemus, tum omnes sanctos martyres, qui velut communes nodi, universum terrarum orbem complexi sunt, tum hos etiam quorum nomine festum hunc diem agitamus? Quam ob causam vulnera, vincula, cruciatus, ignis minas, gladiorum aciem, belluarum furorem, tenebras, famem, voragines, pecuniarum direptiones, membrorum abjectiones, mortem denique atque extrema omnia prompto et alacri animo, tanquam in alienis corporibus dimicantes, sustinuerunt? Ut quid essent, ut quid consequerentur, nonne omnibus utique in prospectu esset, vel nobis tacentibus? Non igitur nos etiam, cum eadem spe, sub eodem certaminis judice ac præmii arbitro, adversus eumdem tyrannum aciem instruemus, truculentum, inquam, illum, et tunc, et nunc etiam, animarum persecutorem, invisibilem hostem et adversarium? Non pari virtute in hoc mundo, quasi in communi theatro, certabimus, si non periculi acie, et qua protinus defungi liceat, at in quotidianis saltem dimicationibus et palæstris, ut easdem coronas, aut his proximas consequamur?

S. Ambros. *in psal.* CXVIII. — Qui bene sperat, dicit : *In te confido non erubescam.* (*Psal.* XXIV, 2.) Et bene ait, *confido*, robur enim spei nostræ, et quædam sperantis auctoritas, confidentia est. Spera igitur semper, et nemo te ab exspectatione confundit. Exspectatio nostra vita æterna est. Exspectatio nostra, regnum Dei, angelorum consortium, benedictiones sunt spiritales. Spera quotidie. Finem ista res non habet, nescit inducias. Spera etiam positus in adversis. Si quis dicat tibi aliqua forte necessitudinum amissione percusso : *Quid tibi prodest justitia tua?* tu tamen spera, non deficiat fides tua. Si quis dicat tibi : *Quid tibi quotidiana profuere jejunia, quid castitas corporis, pudor mentis? Ecce sicut injustus et impius vulneratus es.* Non deficiat fides tua. Nam etiamsi infirmus es, fidelis tamen sollicitus est pro te Christus.

Idem, epist. 35. — Apostolus gloriatur dicens : *Quia spe salvi facti sumus.* (*Rom.* VIII, 24.) Salvat enim spes, sicut et fides, de qua dicitur : *Fides tua te salvum fecit* (*Luc.* XVIII, 42.) Ergo creatura quæ non sponte, sed in spe vanitati subjecta est, spe salvatur, sicut et Paulus, cum sciret lucrum sibi esse mori (*Rom.* VIII, 20), ut cum Christo esset solutus corpore, permanebat in carne propter eos quos Christo acquireret. (*Philip.* I, 21.) Spes autem quid est, nisi futurorum exspectatio? Unde ait : *Spes autem quæ videtur, non est spes.* (*Rom.* VIII, 24.) Non enim quæ videntur, sed quæ non videntur, æterna sunt : *Nam quod videt quis, quid sperat?* Videmur enim tenere ea quæ videmus; quomodo ergo quæ tenemus, speramus? Nihil igitur eorum quæ sperantur, videtur : *Oculus enim non vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus diligentibus eum.* (*I Cor.* II, 9.)

Ergo si sperari non potest quod videtur, non bene habent aliqui : *Nam quod videt quis quid, et sperat.* Nisi forte sic : *Nam quod videt quis, quid et sperat*, vel quid exspectat? quia illud verum est, quia id speramus, quod non videmus; et ideo quamvis abesse videatur a nobis, exspectamus illud per patientiam : *Exspectans* enim *exspectavi Dominum, et respexit me.* (*Psal.* XXXIX, 2.) Ideo ergo exspectamus patienter, quia *bonus est Dominus sustinentibus eum.* (*Thren.* III, 25.) Et videtur convenire, quia reddidit per patientiam. Exspectamus quæ speramus, et non videmus. Multum enim facit qui sperat ea et exspectat quæ non videntur, et propterea quod intendat mentem ad illud omne quod est sustinet.

Pulchre autem dicitur : *Spes autem quæ videtur, non est spes.* (*Rom.* VIII, 24) de potestatibus istius sæculi, de dignitatibus, de divitiis. Vides nescio quem fascibus præeminentem et curribus, nihil habet spei in curribus, qui videntur. Nec in ipso cœli elemento spes est, sed in Domino cœli. Nec Chaldæus in stellis spem habet quas observat; nec dives in possessionibus, nec avarus in usuris; sed ille spem habet qui in eum spem suam ponit, quem non videt, id est in Domino Jesu, qui medius nostrum stat et non videtur. Denique *oculus non vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Dominus diligentibus eum.* (*I Cor.* II, 9.)

S. Chrysos., *Epist. ad Theod.* — Propterea diabolus nos in desperatas cogitationes injicit, ut spem erga Deum præcidat; anchoram nempe tutam vitæque nostræ sustentaculum, ducem in via ad cœlum nostra, salutem perditarum animarum. *Spe enim*, inquit, *salvi facti sumus.* (*Rom.* VIII, 24.) Hæc, inquam, hæc velut catena fortis de cœlo pendens, animas sustinet nostras, et ad cacumen illud paulatim trahit eos, qui hanc firmiter tenent, et a procellis malorum præsentis vitæ abripit. Si quis igitur præ mollitie hanc sacram anchoram dimittat, statim decidit et suffocatur, in abyssum malitiæ demersus. Quod cum sciat malignus ille, postquam nos malorum operum conscientia oneratos sensit, irruens et ipse desperationis cogitationem plumbo graviorem immittit; quam si susceperimus, necesse est ponere statim avulsos et a catena illa abstractos, in profundum malorum deprimi.

Idem, *ad Stagirium.* — Quæ promissa sunt nobis, regnum cœlorum, et vita æterna, et incorruptio, et infinita sunt bona : quæ autem interim contingunt, valde ab his remota, atque aliena sunt : mors scilicet et corruptio, pœna et supplicium, et tentationes variæ ac frequentes. Cujus ergo rei gratia hoc facit Deus, permittitque contraria promissis advenire? Nimirum ut ex hoc duo maxima bona eliciat, ex altero certissimum potentiæ ipsius argumentum præbens, quod scilicet possit desperatissima promissa sua spe atque opinione melius perficere : ex altero autem nostros animos erudiens, ut in cunctis ipsi credamus, et si dictis facta contraria videantur, emergere. Nam spei virtus ejusmodi est, ut cum qui sincere illi adhæ-

Digitized by Google

reat, nunquam confundi permittat. Si enim ii, qui promissa in hoc sæculo acceperunt, ita insigniter affecti sunt ; multo magis id nos facere necesse est, qui non in præsenti vita, sed in aliis sæculis bonorum exitum exspectamus. In hoc enim sæculo pressuras nobis angustiasque promisit.

S. Chrysos. *in psal.* cxvii.—*Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.* (*Psal.* cxvii, 9.) — Alius quoque propheta dixit : *Maledictus omnis qui sperat in homine* (*Jer.* xvii, 5) : nihil est enim ea spe debilius, est quippe vel tela araneæ imbecillior : imo vero non est solum imbecilla, verum etiam periculosa. Sciunt autem qui sæpe in hominibus confiderunt, cum quibus simul sunt depressi. Spes autem in Deum non est solum valida, verum etiam tuta, ut quæ nullam habeat mutationem. Et ideo Paulus quoque dicebat : *Spes autem non confundit.* (*Rom.* v, 5.) Alius vero Sapiens : *Respicite*, inquit, *ad antiquas generationes, et videte quis speraverit in Dominum, et pudore affectus est.* (*Eccli.* ii, 11.) At ego, inquit, speravi et sum pudore affectus. Bona verba, quæso, homo, ne divinæ Scripturæ obloquaris, etiamsi pudore affectus sis, id evenit quod non, ut oportuit, speraveris, quod cesseris, quod finem non exspectaveris, quod pusillo animo fueris. Sed non ita facias : verum quando videris quæ sunt maia et difficilia imminere, ne animum demittas. Hoc enim vel maxime est sperare, quando in media mala et gravia pericula fueris conjectus, tunc erigi.

Idem, *in psal.* cxxiv. — Tu, cum tuba spiritualis sonat, sta leone animosior : sive sit ignis, sive ferrum, ingredere. Sciunt vel ipsa elementa eos qui sunt virilis animi revereri. Solent etiam feræ strenuos viros pertimescere. Quamvis eas fames, quamvis ipsa natura irritet et efferet, omnium obliviscuntur quando justum viderint, iramque suam cohibent. His ergo armis muniaris, et ignem non timebis, licet videris flammam in cœlos ascendentem. Habes fortem et generosum ducem, qui solo nutu potest quæcunque mala sunt et gravia tollere. Illius sunt omnia, cœlum, terra, mare, feræ et ignis ; est ei facillimum omnia transferre, ac loco movere. Undenam ergo, dic mihi, metus tuus oritur ? Non aliunde certe, quam ex tua ignavia et socordia. Nonne mors est omnium malorum colophon ? atqui ea ipsa quoque est naturæ debitum. Cur non satagis ut tibi ex ejus solutione quæstus oriatur ? Si enim hac via, velis nolis, incedendum est, cur non cum lucro ? At enim post gravia tormenta, non temporaria, sed quæ voluptatem præbeant dolore majorem. Quod si hæc tibi videntur esse gravia, considera eos qui absque ulla mercede longa tabe laborant, qui fame perpetua, qui immedicabilibus et longis morbis vexantur ; propter quos sæpe mortem optarunt ; multi etiam in enses irruerunt, multi vitam laqueo finierunt. Cœlum autem tibi est propositum, et bona quæ sunt in cœlis, et non vereris nec perhorrescis esse mollis et ignavus, idque cum talem habeas adjutorem ? Annon audis prophetam dicentem, *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion ?* (*Psal.* cxxiv, 1.) Spem nimirum significat in Deum immutabilem, firmam et constantem, invincibilem et inexpugnabilem. Quemadmodum enim etiamsi quis innumerabiles adhibeat machinas, montem nec convellere, nec labefactare poterit ; ita etiam qui eum aggreditur, qui spem in Deum collocavit, revertetur domum vacuis manibus. Monte enim longe est tutior spes in Deum.

Idem, hom. 16 *in Matth.* — Dictis obtemperemus, nec contendamus, nec rixemur. Cum maxime hæc præcepta, etiam ante præmia illa, voluptatem et utilitatem in se contineant. Quod si quibusdam onerosa esse et multum præbere laboris videantur, cogita te propter Christum hæc agere, et quod molestum est, suave videbitur. Si enim hanc cogitationem semper præsentem habeamus, nihil molesti experiemur, sed multam undique assequemur voluptatem. Labor enim non ultra labor esse videbitur, sed quanto magis intendetur, tanto dulcior suaviorque erit. Quando igitur instabit consuetudo malorum te demulcens, quando pecuniarum cupiditas, oppone illi ratiocinium illud, quod sic habet : Nos magnam accepturos mercedem esse si temporalem voluptatem despiciamus : et dic animæ tuæ : « Multum tristaris, quod te voluptate privem ; at lætare, quia tibi cœlum provideo. Non propter hominem, sed propter Deum operaris. Paulum igitur exspecta, et videbis quantum lucrum assequare. Persevera per hanc vitam et fiduciam obtinebis ineffabilem. » Si talibus ipsam alloquamur, et si non tantum virtutis pondus et molestiam, sed etiam quam ex illa consequimur coronam in mente habeamus, cito illam ab omni nequitia retrahemus. Nam si diabolus, ostendens temporaneam voluptatem, dolorem vero perpetuum, tamen prævalet et vincit ; cum hæc in contrarium versa respexerimus, laborem quidem temporaneum, voluptatem vero utilitatemque immortalem qua ratione excusari poterimus, si post tantam consolationem, virtutem non adeamus ? Sufficit nobis præ omnibus argumentum et causa suscepti laboris, si omnino persuasi simus nos propter Deum hæc omnia pati. Nam si quis imperatorem sibi debitorem habeat, se per totam vitam tutissimam cautionem habere putat : cogita quantus sit is qui benignum semperque viventem Deum, et minimorum et simul magnorum frugi operum sibi debitorem constituit. Ne itaque mihi labores objicias et sudores. Neque enim sola futurorum spe, sed et alio modo facilem esse virtutem curavit Deus, nobis ubique auxilium patrociniumque suum præstando. Si volueris modicam adhibere diligentiam, cætera omnia sequentur. Propterea enim, te vult parum præstare laboris, ut et victoria tua sit.

S. Aug., *Enarrat in psal.* lxxxiv. — Ad ipsam adoptionem renovamur, ut efficiamur filii Dei. Jam quidem sumus, sed per fidem : sumus quidem in spe nondum sumus in re.

Digitized by Google

Spe enim *salvi facti sumus*, sicut dicit Apostolus : *Spes autem quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus.* (*Rom.* VIII, 24, 25.) Quid enim exspectamus per patientiam nisi videre quod credimus? Modo enim credimus quod non videmus : permanendo in eo quod credentes non videmus, merebimur videre quod credimus. Propterea Joannes in Epistola sua quid ait? Dilectissimi, *filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus.* (*Joan.* IV, 2.) Quis non exsultet, si subito nescio cui peregrinanti et ignoranti genus suum, patienti aliquam egestatem, et in ærumna et labore constituto diceretur : Filius senatoris es, pater tuus amplo patrimonio gaudet in re vestra, revoco te ad patrem tuum : quali gaudio exsultaret, si hoc non fallax promissor diceret? Venit ergo non fallax apostolus Christi, et ait : Quid est quod de vobis desperatis? Quid est quod vos affligitis, et mœrore conteritis? Quid est quod concupiscentias vestras sequendo, in egestate istarum voluptatum conteri vultis? Habetis patrem, habetis patriam, habetis patrimonium. Quis est iste pater? Dilectissimi *filii Dei sumus*. Quare ergo nondum videmus patrem nostrum? Quia *nondum apparuit quid erimus*. Jam sumus, sed in spe : nam quid erimus, nondum apparuit. Et quid erimus? *Scimus*, inquit, *quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* (*Ibid.*) Sed hoc de Patre dixit, de Filio autem Domino Jesu Christo non dixit? Et forte videndo Patrem, non Filium, erimus beati? ipsum audi Christum : *Qui me vidit, vidit et Patrem.* (*Joan.* XIV, 9.) Cum enim unus videtur, Trinitas videtur, Pater et Filius et Spiritus sanctus.

S. Greg., *Moral.*, XXVI. — *Etiam cum dixeris, non considerat : judicare coram illo, et exspecta eum.* (*Job* XXXV, 14.) Fortasse enim dum clamor noster quasi negligitur, spes quæ cordi inerat, infirmatur, et superna adjutoria defutura credimus, quia tardius impetramus; ac pene inconsiderata Deo esse ingemiscimus, quæ inulta toleramus. Sed cum ista nos desperationis procella conturbat, concussa mens citius in portum spei se collocat, si causas suas cum Domino subtiliter pensant; si bona ejus ad memoriam revocat; si mala quæ bonis ejus reddidit, apud semetipsam callide non excusat; si perpendit quid ab eo juste meruit, et quid clementer accepit; si vitam suam vivaciter discutit; si ante Dei oculos omne quod agit, examinans, semetipsam sibimet non abscondit; si factam se quæ non erat, meminit; si illuminatam se atque sublevatam, quæ in tenebris jacebat, agnoscit. Hæc ergo in semetipsa cuncta recolligens, dum bona accepta considerat, adversa quæ tolerat, non accusat : nec desperatione frangitur, quæ tantorum munerum consolatione roboratur; quia spem de futuris recipit, dum transacta beneficia recognoscit. Dicat itaque : *Etiam cum dixeris, non considerat; judicare coram illo, et exspecta eum.* Ac si diceret : Cum idcirco Deus considerare non creditur, quia tarde miseretur, intima cogitationis ingredere, atque illic coram ejus oculis causæ tuæ judicium suscipe : et quæ ipse vivendo contulisti, vel quæ misericorditer percepisti, discerne : et tunc ad spei fiduciam redis, dum bona tantæ benignitatis erubescis : quatenus inter adversa fidenter exspectes, quem et post delicta propitium recolis. Speranda etenim fuerant superna adjutoria, etiamsi nulla beneficia præcessissent. Sciendumque quia Deus hominem, quem benigne condidit, inique non spernit.

S. Bernard., serm. 1 *in Salve Regina.* — Spes est in virtute, quasi scintillatio in fomite. Sine fomite durare non potest scintillatio. Subtrahe fomitem, interit, emoritur : subministra, vivet. Haud secus spes ruit sine fundamento, sine pabulo moritur, inedia deficit, exstinguitur sine nutrimento, arescit, succisa radice. Spes enim sine vita virtutum et devotionis dulcedine non est spes, sed præsumptio. Inter timorem et securitatem spes media est; et est spes incerti nomen boni. Vita et dulcedo exterminant faciem timoris, securitati dant fortitudinem, dant decorem. Ea propter dicit Deo : *Singulariter in spe constituisti me.* (*Psal.* IV, 10.) Et : *In pace in idipsum, dormiam et requiescam.* (*Ibid.*)

SPIRITUALITAS ANIMÆ

[Ex SS. Patribus.]

S. Iren., *Contra hæres.*, lib. V, cap. 6, 1. — Neque enim plasmatio carnis ipsa secundum se homo perfectus est, sed corpus hominis et pars hominis : neque enim anima ipsa secundum se homo, sed anima hominis et pars hominis : neque spiritus homo, spiritus enim et non homo vocatur. Commistio autem et unitio perfectum hominem efficit.

Idem, *ibid.* cap. 7. — Quæ sunt ergo mortalia corpora? nunquidnam animæ! Sed incorporales animæ, quantum ad comparationem mortalium corporum. Insufflavit enim in faciem hominis Deus flatum vitæ, et factus est homo in animam viventem. (*Gen.* I, 7.) Flatus autem vitæ incorporalis. Sed ne mortuum quidem possunt dicere ipsum flatum vitæ existentem, et propter hoc David ait : *Et anima mea illi vivet* (*Psal.* XXI, 31), tanquam immortali ejus substantia existente. Sed neque spiritum possunt dicere mortale corpus

Digitized by Google

nisi plasma, id est caro de qua et sermo est, quoniam vivificabit eam Deus : hæc enim est quæ moritur et solvitur, sed non anima neque spiritus. Mori enim est vitalem amittere habitualem, et sine spiramine in posterum et inanimalem et immemorabilem fieri, et deperire in illa ex quibus et initium substantiæ habuit. Hoc autem neque animæ evenit, flatus est enim vitæ ; neque spiritui, incompositus est enim spiritus, qui resolvi non potest.

S. Iren., *Contra hæres.*, lib. xi, cap. 28, 3. — Sensus autem hominis, mens et cogitatio et intentio mentis ; et ea quæ sunt modi, non aliud præter animam sunt ; sed ipsius animæ motus et operationes, nullam sine anima habentes substantiam.

Tertull., *De resurrectione carnis*, cap. 17. — Nos autem animam corporalem, et hic profitemur, et in suo volumine probamus, habentem proprium genus substantiæ soliditatis, per quam quid et sentire et pati possit. Nam et vere animas torqueri torrerique penes inferos, licet nudas, licet carnis exsules, probavit Lazari exemplum. Dedi ego adversario dicere : Igitur quod habet corpulentiam propriam, sufficit ad facultatem passionis et sensus, ut non egeat repræsentatione carnis. Imo, eatenus egebit, non qua sentire quid sine carne non possit, sed qua necesse est illam cum carne sentire.

S. Cyril. Hier., catech. 16, n. 13. — Multa enim vocantur spiritus : nam et angelus vocatur spiritus ; anima nostra spiritus dicitur ; et ventus iste qui spirat spiritus appellatur, et virtus magna vocatur spiritus. Cave, ergo, ut ista cum audis, ex similitudine appellationis alterum pro altero quandoque sumas.

S. Basil., hom. in illud : *Attende tibi ipsi*, n. 7. — Ex anima incorporea quod in te residet, intelligo Deum esse incorporeum, eumque nullo loco circumscribi ; cum ne tua quidem mens a se primo commovetur in loco, sed ob suam cum corpore conjunctionem in loco permaneat, invisibilem Deum esse crede tuæ ipsius animæ consideratione, cum nec ipso possit oculis corporeis capi, neque enim colorata est, neque figuris insignita, neque corporali ullo charactere comprehensa.

S. Hilar., *in psal.* cxviii, litt. 10, n. 5 et 7. — Cæterorum omnium elementorum creatio eo ipso tempore, et instituta, et effecta est, quo subsistere jubeatur, neque inchoationem eorum, et perfectionem, tempus aliquod discernit. Nam consummationem inchoatio in eo quod est cœpta, percepit. Homo vero cum internam et externam in se naturam dissonantem etiam ab alia contineret, et ex duobus generibus in unum sit animal rationis particeps constitutus, duplici est institutus exordio. Primum enim dictum est : ***Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.*** (*Gen.* i, 26.) Dehinc secundo : Et accepit Deus pulverem de terra, et finxit hominem. Primum opus non habet in se assumptæ aliunde alterius naturæ originem. Incorporale est quidquid illud tunc de concilii sententia inchoatur ; sic enim ad imaginem Dei... Divinum in eo et incorporale condendum, quod secundum imaginem Dei et similitudinem tunc fiebat ; exemplum scilicet quoddam imaginis Dei et similitudinis institutum. Est ergo in hac rationali et incorporali animæ nostræ substantiæ primum quod ad imaginem Dei factum sit : secundi vero operis efficientia quantum differt ab institutione prima : Deus terræ pulverem accipit. Nam sumitur pulvis et terrena materia, formatur in hominem, vel præparatur, et ex alio in aliud opere ac studio opificis exspolitur. Primum ergo non accepit, sed fecit ; secundum non ut primum fecit, sed accepit ; et tum formavit, vel præparavit.

Idem, *ibid.*, litt. 19, n. 8. — Nonne cœlum et terram ego impleo ? dicit Dominus. Nihil a Deo vacat ; nihil indiget. Ubique est modo animæ incorporalis, quæ in membris omnibus diffusa, singulis quibusque partibus non abest.

Idem, *in psal.* xli, n. 7. — Proprium enim intelligentiæ humanæ rationis officium est, et idcirco nobis natura animæ spiritualis inserta est, ut per eam ad intelligentiæ sensum, qui solus rationis est particeps, tenderemus.

Idem, *Com. in Matth.*, cap. 3, n. 8. — Nihil est quod non in substantia sua et creatione corporeum sit, et omnium, sive in cœlo, sive in terra, visibilium sive invisibilium elementa formata sunt. Nam et animarum species, sive obtinentium corpora, sive corporibus exsulantium, corpoream tamen naturæ suæ substantiam sortiuntur quia omne quod creatum est, in aliquo sit necesse est.

S. Greg. Naz., orat. 34. — Ut enim missa alia faciens, inquit, meipsum omnemque humanam naturam et constitutionem intuear, quod hæc mistio nostra est ? Quomodo quod immortale est cum mortali copulatum est ! Quomodo desursum fluo et sursum feror ! Quomodo anima circumfertur ! Quomodo vitam impertit et affectuum fit princeps ? Quomodo mens simul et circumscripta est, et nullis terminis inclusa in nobis manet, et motus fluxionisque celeritate omnia perlustrat ? Quomodo sermonis opera percipitur vicissim et communicatur ac per aerem grassatur et cum rebus ipsis ingreditur ? Quomodo cum sensibus consuetudinem habet, et rursus seorsim a sensibus sese colligit ?

S. Cæsarius, Nazianzeni frater, dial. 111, inter 156. — Si igitur quod magis est proprium humanæ compositionis, ipsa nempe anima, distat ab imagine similitudineque divina, quanto magis ab illa longe distare apparebit comparatio corporis ! Nam horum alterum incorruptibile est, alterum autem corruptibile, et illud quidem magnitudinis et quantitatis expers est, hac autem exiguum et incomprehensibile : illud quidem

Digitized by Google

incomprehensibile tractu ; hoc autem tangi potest, ac fluxum est : illud incorporeum, et expers materiæ crassæ omni altitudine sublimius et supereminentius, hoc autem exiguum et certæ quantitatis, in terra repens et humile, circa hæc inferiora versans : illud denique non crescit, non desinit, non subsidet, non minuitur.

S. Greg. Nys., *De officio hom.*, n. 15. — Mentis autem corporisque nexus et societas rationem quamdam conjunctionis habet, quæ explanari dicendo, et intelligi cogitando non potest. Neque enim mens intra corpus est ; quando rem corporis expertem corpore contineri fas non est. Etiam exterius nos non complectitur, quando iis quæ corpore carent, nihil concludi potest. Enim vero mens modo quodam, oratione inexplicabili, et qui ab intelligentia nostra comprehendi non potest, naturæ inest, eidemque copulatur, inque ea et circa eam existit. Ut ei non insidet, ita eam non complectitur, sed adest ratione quæ neque exponi potest, neque considerando exhauriri potest. Unam hoc intelligimus, natura salva et incolumi mentem etiam efficacitatem suam obtinere.

Idem, *De anima.* — Neque enim ullam tantum e motionibus rationabilibus in brutis animantibus apparere ; neque artes, neque disciplinas, neque consilia, neque virtutes, neque alium quemquam habitum in intelligentia positum, in illis esse constat. Ex quibus manifestum est nullam cum ipsis animæ rationalis particulam communicatum. Etenim absurdum est dicere bruta ratione uti.

Idem, *ibid.*, cap. 5. — Ex quibus igitur anima corporis expers ostenditur, ex iis potissimum etiam simplex esse demonstratur. Nam si corpus non est, et omne corpus compositum est ; compositum autem ex partibus constet, nec plurium quidem partium erit. Cum autem incorporea sit, simplex erit; quoniam non est composita, neque in partes secabilis.

Idem, *ibid.* — Quapropter si corpus etiam per se motionem haberet, nihil absurdum esset ipsum moveri ab immobili. Jam vero fieri non potest ut immobile ab immobili moveatur : undenam ergo accidit corpori ut moveatur nisi ab anima? Siquidem corpus non est per se mobile. Quocirca, eum primam actus originem vellet indicare, non primam faceret motionem. Sin autem quod movetur per se aliter etiam movet, secundæ motionis ortum exponit. Undenam igitur moveri, nisi ab anima oritur? Non enim corpus per se moveri potest. Unde, inquam, primus motionis ortus corpori accidit.

Idem, *De mortuis orat.* — Quid igitur Deus est, cujus similitudinem animus refert? Non corpus, non figura, non species, non qualitas, non moles aspera, non pondus, non locus, non tempus, non aliud quidpiam eorum ex quibus ea quæ ex materia sunt procreata, cognoscuntur. Sed his omnibus, eorumque similibus rebus summotis, est quiddam quod mente constat, materiæque est expers, nec tangi potest, et corpore vacat, et omni dimensione caret. Quocirca, cum exemplar sit ejusmodi, consequens est ut qui ad ejus similitudinem est animus, eisdem cognoscatur notis : expers igitur materiæ est, cerni non potest ; mente sola percipitur.

S. Ambros., epist. 34, *Foruntiano*, n. 3. — Animæ enim neque tactu aliquo comprehenduntur, neque visu corporeo videntur; et ideo præferunt illius incorporeæ et invisibilis naturæ similitudinem, et supergrediuntur substantia sua corpoream et sensibilem qualitatem.

Idem, *de Abraham*, lib. xi, cap. 8, n. 57. — Nos autem nihil materialis, compositionis immune atque alienum putamus, præter illam solam venerandam Trinitatis perfecto jam mundo inchoaret, hominem scilicet ad imaginem sui faciens, eum ex humili natura cœlestique composuit, anima scilicet et corpore. Et prius quidem animam divino illo et incomprehensibili nobis virtutis suæ opere constituit. Non enim cum ad imaginem Dei homo erat factus, pulverem sumptum formatumque corpus, dehinc rursum in animam viventem, per inspirationem Dei factum, naturam hanc scilicet terrenam atque cœlestem, quodam inspirationis fœdere copulavit... Ergo ad imaginem Dei homo interior effectus est rationabilis, mobilis, movens, citus, incorporeus, subtilis, æternus. Quantum in se est, speciem naturæ principalis imitatur, dum transcurrit, dum circumvolat, et dicto citius, nunc ultra oceanum est, nunc in cœlos evolat, nunc in abyssis est, nunc Orientem Occidentemque perlustrat, dum nunquam ut non si aboletur (natura quidem Dei in his omnibus est) neque ut nihil adsit, decidit aliunde. Sed anima, in hac sensus sui mobilitate, ad imaginem opificis sui facta est. Dum naturam Dei mobilitas animæ perennis imitatur, nihil in se habet corporale, nihil terrenum, nihil grave, nihil caducum.

S. Hier., *Com. in Zachar.*, lib. xi, cap. 12. — Dominus igitur qui cœlum extendet ut pellem, et terram alta mole solidavit, et spiritum hominis finxit, imo idem animarum est creator omnium ; ut ex duabus substantiis animæ et corporis unum animal compingeret ; spiritus enim pro anima frequenter accipitur.

Idem, *dial. contra Pelag.*, lib. iii, n. 21.— Ex anima et corpore compacti, utriusque substantiæ naturam complectimur.

Idem, *ad Jovinianum*, n. 10. — Sensus corporum quasi equi sunt sine ratione currentes : anima vero, in origine modum retinet frena currentium. Et quomodo equi absque rectore præcipites ruunt, ita corpus sine ratione et imperio animæ in suum fertur interitum. Alia quoque comparatio animæ et corporis a philosophis ponitur, corpus pue-

Digitized by Google

rum, animam prædagogum esse dicentibus. Unde et historicus (Sallustius) : « Animi, inquit, imperio, corporis servitio magis utimur. Alterum nobis cum diis, alterum cum belluis commune est. »

S. Aug., *De immortalitate animæ*, cap. 16, n. 15. — Moles quippe omnis quæ occupat locum, non est in singulis suis partibus tota, sed in omnibus; quare alia pars ejus alibi est, et alibi alia. Anima vero, non modo universæ moli corporis sui, sed etiam unicuique particulæ illius tota simul adest. Partis enim corporis passionem tota sentit, nec in toto tamen corpore. Cum enim quid dolet in pede, advertit oculus, loquitur lingua, admovetur manus; quod non fieret, nisi quod anima in ejus partibus est; et in pede sentiret, nec sentire quod ibi factum est, absens, potest. Non enim nuntio aliquo credibile est fieri, non sentiente quod nuntiat, quia passio quæ fit, non continuationem molis currit, ut cæteras animæ partes quæ ibi sunt, latere non sinat; sed illud tota sentit anima quod in particula fit pedis, et ibi tantum sentit ubi fit. Tota igitur singulis partibus simul adest, quæ tota simul sentit in singulis. (*Vid.* idem, epist. 166, *ad Hieronymum*, cap. 2, n. 4, et *Contra epist. Munich.* cap. 16, n. 2.)

Idem, *De immortalitate animæ*, cap. 7, n. 12. —Primum abs te quæro utrum corpus ullum putes esse, quod non pro modo suo habeat aliquam longitudinem et altitudinem... Si hoc demus corporibus, quantum mea opinio est, neque sentiri possunt, neque omnino corpora esse recte existimari. (*Vid.* idem, *De quantitate animæ*, cap. 4, n. 5.)

Idem, *De quantitate animæ*, cap. 24, n. 77. — Audisti quanta vis sit animæ et potentia : quod ut breviter colligam, quemadmodum fatendum est animam humanam non esse quod Deus est, ita præsumendum est nihil inter omnia quod creavit, Deo esse propinquius.

Idem, enarr. 2 *in psal.* XXIX, n. 2.—Homo enim videtis unde constet, ex anima et corpore; sed ipsa anima humana habet aliquid, quod non habet anima pecorum. Nam et pecora animam habent, et animalia vocantur. Non enim vocarentur animalia, nisi ab anima; et videmus quia et ipsa vivunt ; sed quid habet amplius homo ? Unde factus est ad imaginem Dei ? Quia intelligit et sapit, quia discernit bonum a malo, in hoc factus est ad imaginem Dei. Habet ergo aliud quod non habent pecora.

Idem, *De vera religione*, cap. 14, n. 80. — Redeamus ad nos, et omittamus ea quæ cum arbustis habemus communia. Uno namque modo hirundo nidificat, et unumquodque avium genus uno aliquo suo modo. Quid est ergo in nobis qui et de illis omnibus judicamus, quas figuras appetunt, et quatenus impleant? Et nos in ædificiis aliisque corporis operibus, tanquam Domini omnium figurarum machinamur.

Idem, *in Joan. Evang.*, tract. 8, n. 2.—Accedat jam cogitatio tua etiam ad humanam animam, cui tribuit Deus intellectum cognoscendi Creatorem suum, dignoscendi et distinguendi inter bonum et malum, hoc est inter justum et injustum. Quanta agit per corpus ! Attendite universum orbem terrarum in ipsa humana republica, quibus administrationibus, quibus ordinibus potestatem, conditionibus, civitatem legibus, moribus, artibus. Hoc totum per animam geritur, et vis animæ non videtur.

Idem, *De libero arbit.*, lib. XI, cap. 8, n. 22. —Unum vero quisquis verissime cogitat profecto invenit sensibus corporis non posse sentiri. Quidquid enim toti sensu attingitur, jam non unum, sed multa esse convincitur. Corpus enim est, et ideo habet innumerabiles partes. Sed ut minutas quasque, minusque articulatas non persequar, quantulumcunque illud corpusculum sit, habet certe aliam partem dextram, aliam sinistram, aliam superiorem, aliam inferiorem, et aliam ulteriorem, aliam citeriorem, aut alias finales, aliam mediam.

Idem, *de Genesi, ad litt.*, lib. III, cap. 5. n. 7. — Quoniam sentire non est corporis, sed animæ per corpus ; licet acute disseratur secundum diversitatem corporeorum elementorum sensus esse corporis distributos ; anima tamen cui sentiendi vis inest cum corporea non sit dicatur. Videmus enim ex eisdem quibus nos partibus constare, cum pedibus, oculis, naribus, lingua, aliisque corporis membris sint præditi.

Idem, lib. VII, cap. 21. —Quamobrem nec illud audiendum est quod quidam putaverunt, quintum quoddam esse corpus, unde sit anima, quod nec terra, nec aqua sit, nec aer, nec ignis, sive iste turbulentior, utque terrenus, sive ille purus et lucidus ; sed nescio quid aliud quod careat usitato nomine, sed tamen corpus sit. Si enim qui hoc sentiunt, hoc dicunt corpus quod et nos, id est naturam quamlibet, altitudine, spatium loci occupantem ; neque hoc est anima, neque inde facta credenda est, ut multa non dicam, ni quacunque sui parte, lineis dividi, vel circumscribi potest ; quod anima si pateretur nullo modo nosse posset tales lineas, quæ per longum secari nequeunt quales in corpore non posse inveniri nullatenus novit. (*Vid.* idem, *Enarr. in psal.* CXLV, n. 4 ; *De anima et ejus origine*, lib. IV, cap. 21, n. 35 ; *De quantit. animæ*, cap. 3, n. 4 ; epist 137, *ad Volusianum*, cap. 11, n. 4, et 145, *ad Optatum*, cap. 1, n. 4 ; alibi passim.)

Idem, lib. VII, cap. 18, n. 24. — Anima in istis tanquam in organis agit. Nihil horum est ipsa ; sed vivificat et regit omnia et per hoc corpori consulit. (*Vid.* idem, *De quantitate animæ*, cap. 13, n. 22.)

Idem, lib. X, cap 24, n. 40. Propter hoc corporalibus assuefacti et affecti sensibus, nolunt animam credere nihil aliud esse quam corpus ; ne si corpus non fuerit, nihil sit. Ac per hoc tanto magis timent etiam de Deo credere quod corpus non sit, quanto magis timent Deum credere nihil esse. Ita enim feruntur in phantasias vel phantasmata imaginum quæ cogitatis de corpori-

Digitized by Google

bus vestris, ut his substractis, tanquam per inane pereundum sit, reformidant

Idem, *de Trinitate*, lib x, cap. 7, n. 10.— In his omnibus sententiis, quisquis videt mentis naturam, et esse substantiam, et non esse corpoream, id est non minori sui parte minus occupare loci spatium, majusque in majore, oportet videat eos qui opinantur esse corpoream, non ob hoc errare quod mens desit eorum notitiæ, sed quod adjungunt ea sine quibus nullam possunt cogitare naturam. Sine phantasia enim corporum quidquid jussi fuerint cogitare, nihil omnino esse arbitrantur.

S. Greg. Mag., *Dial.*, lib. iv, cap. 3.—Tres quippe vitales spiritus creavit omnipotens Deus : unum qui carne non tegitur ; alium qui carne tegitur, sed non cum carne moritur ; tertium qui carne tegitur et cum carne moritur. Spiritus namque est qui carne non tegitur, angelorum ; spiritus qui carne tegitur, sed cum carne non moritur, hominum ; spiritus qui carne tegitur, et cum carne moritur, jumentorum, omniumque brutorum animalium. Homo itaque sicut in medio creatus est, ut esset inferior angelo, superior jumento.

Idem, *Dial.*, lib. iv, cap. 6. — Ut tamen te breviter reducam ad te, nulla visibilia nisi per invisibilia videntur. Ecce enim cuncta corporea oculus tui corporis aspicit ; nec tamen oculus corporeus aliquid corporeum videret, nisi hunc res incorporea ad videndum acueret. Tolle mentem qui non videtur, et incassum patet oculus qui videbat. Subtrahe animam corpori ; remanent procul dubio oculi in corpore aperti. Si igitur per se videbant, cur discedente anima nihil vident ? Hinc ergo collige quia ipsa quoque visibilia non nisi per invisibilia videntur. (*Vid.* idem, *Moral.*, lib. xv, cap. 46, n. 32.)

Idem, *Moral.*, lib. xi, cap. 5, n. 7. — Omnipotens autem Deus jumentorum animam usque ad corporeos sensus vivificat ; hominum vero spiritum usque ad spiritualem intellectum tendit. In ejus ergo manu est anima omnis viventis, et spiritus universæ carnis hominis ; dum et in illis hoc præstat animæ ut vivificet carnem ; et in isto ad hoc vivificat animam ut ad intelligendam perveniat æternitatem.

Idem, *in Evangelia*, lib. i, homil. 2, n. 7. — Et homo animam suam videt, nec tamen dubitat se habere animam quam non videt. Ex invisibili namque anima visibile regitur corpus. Si autem auferatur quod est invisibile, protinus corruit hoc quod visibile stare videbatur.

Idem, *in Ezech.*, lib. xi, hom. 5, n. 9. — Quæ (anima) et sic infusa est corpori, ut non per membrorum partes partibus sit divisa. Nam si in quolibet loco pars corporis percutitur, tota dolet.

SPIRITUS SANCTUS

[Ex SS. Patribus.]

S. Ignat, *Interpret. Epist. ad Ephes.* — Sanctus Spiritus non sua, sed Christi loquitur ; nec a seipso, sed a Domino ; quemadmodum et Dominus ea quæ a Patre accepit, annuntiavit nobis. *Sermo* enim, inquit, *quem audistis, non est meus, sed ejus qui misit me Patris.* (*Joan.* xiv, 24.) Et de Spiritu sancto : *Non loquetur*, inquit, *a semetipso, sed quæcunque audierit a me.* (*Joan.* xvi. 13.) — Et de seipso loquitur ad Patrem : *Ego* inquit, *te clarificavi super terram ; opus quod dedisti mihi, consummavi ; manifestavi nomen tuum hominibus.* (*Joan.* xvii, 4, 6.) Ac de Spiritu sancto : *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* (*Joan.* xvi, 14.) Verum erraticus ille et falsus spiritus, seipsum prædicat, sua loquitur, sibi namque placet ; seipsum glorificat, plenus enim fastu est ; mendax est, fraudulentus, assentatione et adulatione gaudens, subdolus, gerrarum consarcinator, nugax, dissonus, verbosus, lubricus, meticulosus, a cujus vi liberet vos Jesus Christus, qui supra petram vos fundavit, ceu lapides electos, coaptatos in divinum Patris ædificium, sublatos in alta per Christum pro nobis crucifixum, sancto Spiritu utentes pro fune, fide vero subvectos, et charitate elevatos a terra ad cœlum, una cum immaculatis ambulantes. *Beati* namque, inquit, *immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* (*Psal.* cxviii, 1.)

S Iren., lib. iv, *contra hæreses.* — *Sicut portavimus imaginem ejus qui de terra est, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est.* (*I Cor.* xv, 49.) Quid est ergo terrenum ? Psalma. Quid autem cœleste ? Spiritus. Sicut igitur, ait, sine Spiritu cœlesti conversati sumus aliquando in vetustate carnis, non obedientes Deo : sic nunc accipientes Spiritum, in novitate vitæ ambulemus, obedientes Deo. Quoniam igitur sine Spiritu Dei salvari non possumus, adhortatur Apostolus nos, per fidem et castam conversationem conservare Spiritum Dei, ut non sine participatione sancti Spiritus facti amittamus regnum cœlorum, et clamavit, non posse carnem solam et sanguinem regnum Dei possidere.

Orig., *de principiis*, lib. i. — De Spiritu sancto, quod sit, multæ nos Scripturæ docuerunt sicut David in psalmo l dicit : *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* (*Psal.* l, 13.) Et in Daniele dicitur : *Spiritus sanctus qui est in te.* (*Dan.* iv, 6.) In Novo vero Testamento abundantibus testimonijs edocemur cum Spiritus sanctus super Christum descendisse describitur, et cum ipse Dominus insufflavit in apostolos

Digitized by Google

post resurrectionem, dicens: *Accipite Spiritum sanctum.* (*Joan.* xx, 22.) Et ad Mariam ab angelo dicitur: *Spiritus sanctus superveniet in te.* (*Luc.* i, 35.) Paulus vero dicit, *quia nemo potest dicere Dominus Jesus nisi in Spiritu sancto.* (*I Cor.* xii, 3.) Et in Actibus apostoloruu per impositionem manuum apostolicarum Spiritus sanctus dabatur in baptismo. (*Act.* viii, 18.) Ex quibus omnibus didicimus tantæ esse auctoritatis et dignitatis substantiam Spiritus sancti, ut salutaris baptismus non aliter nisi excellentissimæ omnium Trinitatis auctoriate, id est Patris, et Filii, et Spiritus sancti cognominatione compleatur, et unigenito ejus Filio nomen quoque Spiritus sancti copuletur. Quis ergo non obtupescat quanta majestas sit Spiritus sancti, cum eum qui dixerit verbum in Filium Hominis audiat sperare veniam posse; eum vero qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, veniam non habere neque in præsenti sæculo, neque in futuro? (*Matth.* xii, 32.)

S. Cyprian., epist. 73, *ad Jubaianum.* — Quod autem dicunt quidam de eis qui in Samaria baptizati fuerant, advenientibus apostolis Petro et Joanne, tantum super eos manum impositam esse, ut acciperent Spiritum sanctum, rebaptizatos tamen non esse, locum istum, frater charissime, ad præsentem causam videmus omnino non pertinere. Illi enim qui in Samaria crediderant, fide vera crediderant, et intus in Ecclesia quæ una est, et cui soli gratiam baptismi dare et peccata solvere permissum est, a Philippo diacono quem iidem apostoli miserant, baptizati erant. Idcirco quia legitimum et ecclesiasticum baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat, sed tantummodo quod deerat, id a Petro et Joanne factum est, ut, oratione pro eis habita et manu imposita, invocaretur et infunderetur super eos Spiritus sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur et signaculo Dominico consummentur.

S. Athan., *Interpr. in Veter. Test.* — *Quæst. Qualis erat ille Spiritus qui ferebatur super aquas?*

Resp. Videtur quidem quibusdam quod ille sanctus sit Spiritus, vivificans aquarum naturam. Ego vero haud incongruenter per illud verbum, *ferebatur*, dico significari motivam aeris essentiam. Etiam juxta David de Deo universorum dicentem: *Flabit Spiritus ejus, et fluent aquæ.* (*Psal.* cxlvii, 18.)

S. Hilar., *De Trinitate*, lib. ii. — De Spiritu sancto nec tacere oportet, nec loqui necesse est; sed sileri a nobis, eorum causa qui nesciunt, non potest. Loqui autem de eo non necesse est, qui Patre et Filio auctoribus continendus est. Et quidem puto, an sit, non esse tractandum. Est enim; quandoquidem donatur, accipitur, obtinetur, et qui confessioni Patris et Filii connexus est non potest a confessione Patris et Filii separari. Imperfectum enim est nobis totum, si aliquid desit a toto. De quo si quis intelligentiæ nostræ sensum requiret, in Apostolo legimus ambo: *Quoniam estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem: Abba pater.* (*Galat.* iv, 6.) Et rursum: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis.* (*Ephes.* iv, 30.) Et iterum: *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* (*I Cor.* ii, 12.) *Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu; si tamen Spiritus Dei in vobis est. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* (*Rom.* viii, 9.) Et rursum: *Si autem Spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter Spiritum suum qui habitat in vobis.* (*Ibid.*, 11.) Unde quia est, et donatur, et habetur, et Dei est; cesset hinc sermo calumniantium. Cum dicunt per quem sit, et ob quid sit, vel qualis sit: Si responsio nostra displicebit dicentium, per quem omnia, et ex quo omnia sunt, et quia spiritus est Dei, donum fidelium; displiceant et apostoli et prophetæ, hoc tantum de eo quod esset loquentes; et post hæc, Pater et Filius displicebit.

Manere autem hinc quosdam in ignorantia atque ambiguitate existimo, quod hoc tertium, id est quod nominatur Spiritus sanctus, videant pro Patre et Filio frequenter intelligi. In quo nihil scrupuli est: sive enim Pater, sive Filius, et Spiritus sanctus est.

Quod autem sit officium ejus in nobis, verbis ipsius Domini audiamus. Ait enim: *Adhuc multa habeo quæ dicam vobis, sed non potestis illa modo portare.* (*Joan.* xvi, 12.) *Expedit enim vobis ut ego eam; si iero, mittam vobis Advocatum.* (*Ibid.*, 7.) Et rursum. *Ego rogabo Patrem, et alium Advocatum mittet vobis, ut vobiscum sit in æternum, Spiritum veritatis.* (*Joan.* xiv, 16, 17.) *Ille vos diriget in omnem veritatem: non enim loquetur a se, sed quæcunque audierit, loquetur, et ventura annuntiabit vobis. Ille me honorificabit, quia de meo sumet.* (*Joan.* xvi, 13, 14.) Hæc de pluribus ad intelligentiæ viam dicta sunt, quibus et voluntas munerantis, et ratio et conditio muneris continetur: ut quia infirmitas nostra neque Patris neque Filii capax esset, fidem nostram Dei incarnatione difficilem, sancti Spiritus donum quoddam intercessionis suæ fœdere luminaret. Est autem nunc consequens ut apostolum explicantem doni hujus virtutem Atque officium audiamus ait enim: *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis in quo clamamus: Abba pater.* (*Rom.* viii, 14.) Et rursum: *Quia nemo in Spiritu Dei dicit anathema Jesu, et nemo potest dicere Dominum Jesum nisi in Spiritu sancto.* (*I Cor.* xii, 3.) Et rursum: *Divisiones autem donorum sunt*, etc. (*Ibid.*, 4 et seq.) Habemus igitur doni istius causam, habe-

Digitized by Google

mus effectus, et nescio quid de eo ambiguitatis sit, cujus in absoluto sit et causa et ratio et potestas.

S. Cyrill. Hier., *Cateches.* — Spiritali vere opus est gratia ut de Spiritu sancto disseramus : non ut pro rei dignitate dicamus, impossibile est enim ; sed ut quæ e Scripturis divinis deprompta sunt dicendo, sine periculo decurramus. Magnus enim vere in Evangeliis designatur timor, cum Christus aperte dixerit : *Quisquis autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* (*Matth.* XII, 32.) Et est persæpe verendum, ne quis aut ex ignorantia, aut ex opinata pietate, quod minime oporteat de illo prolocutus, condemnationem reportet. Judex vivorum et mortuorum Christus pronuntiavit hujusmodi hominem veniam non habere; si quis igitur offendat, quid illi spei superest? Ipsius itaque gratiæ Jesu Christi opus fuerit concedere, et nobis ut absque defectu loquamur, et vobis ut intelligenter audiatis. Intelligentia enim opus est non dicentibus tantum, verum etiam audientibus; ut ne alia audientes, alia in mente prave concipiant. Dicamus igitur nos de Spiritu sancto ea tantum quæ scripta sunt : si quid vero scriptum non fuerit, ne curiose scitemur. Ipse Spiritus sanctus eloculus est Scripturas : ipse de seipso quoque dixit quæcunque capere potuimus. Dicamus ergo quæ ab ipso dicta sunt : nam quæ ille non dixit, nos non audemus.

Unus est solus Spiritus sanctus, Paracletus. Et quemadmodum unus est Deus, Pater, neque est secundus Pater; et sicut unus est unigenitus Filius et Verbum Dei, fratremque non habet : sic unus est solummodo Spiritus sanctus, neque est secundus Spiritus ipsi honore par. Est igitur sanctus Spiritus, maxima potestas, divinum quiddam et investigabile. Vivit enim, et rationabilis est, sanctificator rerum omnium a Deo per Christum effectarum. Ille justorum animas illustrat : ille et in prophetis, ille et in apostolis in Novo Testamento. Odio habeantur qui sancti Spiritus operationem separare audent. Unus Deus, Pater, Veteris et Novi Testamenti Dominus, et unus Dominus Jesus Christus, qui in Veteri prophetatus est, et in Novo advenit : et unus Spiritus sanctus qui per prophetas de Christo prædicavit, et post adventum Christi descendit, eumque demonstravit.

Propositum est deinceps quædam de Spiritu sancto proloqui : non quidem substantiam ejus (ac naturam) accurate enuntiare, impossibilis quippe res; sed diversas quorumdam circa eumdem aberrationes notare, ne forte earum ignoratione præcipites feramur : errorisque vias præcidere, ut una regia via incedamus. Quod si hunc cautionis ergo quid ab hæresibus dictum fuerit recenseamus, id totum in caput illorum convertatur : nos vero immunes sumus, tam nos qui narramus, quam vos qui auditis.

Namque impiissimi circa omnia hæretici, etiam adversus sanctum Spiritum linguam acuere, et infanda dicere sunt ausi, quemadmodum Irenæus auctor in suis adversus hæreses libris scripsit. Alios quidem non veritum est seipsos Spiritum sanctum dicere; quorum primus est Simon, ille in Actis apostolorum Magus. Ejectus enim, talia docere non dubitavit. Ii vero qui Gnostici vocantur et impii (sunt), alia quoque contra Spiritum effati sunt : et rursum alia improbi Valentiniani. At conscleratissimus Manes seipsum ausus est dicere Paracletum a Christo missum. Alteri vero alium in prophetis, aliumque in novo Spiritum commenti sunt. Adeo diversus est illorum error, seu potius blasphemia. Hujusmodi igitur homines oderis, et fuge blasphemantes Spiritum sanctum quibus non est remissio.

Odio sint et Marcionitæ qui Veteris Testamenti verba e Novo detraxerunt. Primus enim Marcion, alienissimus a Deo vir, qui primus deos tres asseruit; cum videret in Novo Testamento insertas esse prophetarum de Christo testificationes, ea antiqui fœderis testimonia recedit, ut rex noster a testimoniis desertus remaneret. Odio habeantur memorati jam supra Gnostici sive scientes, ut illi quidem dici volunt, ignorantia vero pleni, qui ea de Spiritu sancto dicere ausi sunt, quæ ego commemorare non ausim. Odio sint Cataphryges et Montanus illis malorum auctor, atque ambæ illius, scilicet prophetissæ Maximilla et Priscilla. Montanus enim ille, amens et furiosus vere (neque enim talia, nisi fureret loqueretur), seipsum ausus est Spiritum sanctum edicere: Homo abjectissimus, atque omni impuritate et lascivia coopertus. — Ille, inquam, ausus est seipsum Spiritum sanctum appellare : ille omnis impietatis et diritatis plenus, ille indeprecabili obnoxius condemnationi. Huic succenturiatus est, ut ante est dictum, ei impiissimus Manes, qui omnium hæreseum vitia collegit; ipseque ultimum perditionis barathrum existens, omnium simul hæreticorum deliramenta complexus, recentiorem confecit et prædicavit errorem. Aususque est dicere, se esse illum Paracletum quem se Christus missurum pollicitus erat.

Spiritus sanctus, cum unus sit, et unius modi, et indivisibilis, unicuique gratiam, prout vult, dividit. Et quemadmodum lignum aridum aquam concipiens germina emittit; sic et anima peccatrix, per pœnitentiam Spiritus sancti dono dignata, justitiæ racemos portat. Cumque ille unius et ejusdem modi sit, multiplices tamen Dei nulli, et in Christi nomine virtutes operatur. Nam alterius quidem utitur lingua ad sapientiam : alterius mentem prophetia illustrat. Huic fugandorum dæmoniorum potestatem imperit ; illi divinas Scripturas interpretandi donum largitur. Alterius temperantiam aut castitatem corroborat : alium quæ ad misericordiam vel eleemosynam pertinent, docet : alium jejunare et asceticæ vitæ exercitationes tolerare docet ; alium res corporis contemnere : alium ad martyrium præparat ; alius in aliis : ipse vero a se nunquam alius, sicut scriptum est : *Uni-*

Digitized by Google

cuique vero datur manifestatio Spiritus ad id quod expedit. Nam huic quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ : alii vero sermo scientiæ, etc. (*I Cor.* XII, 7, 11.)

Dæmones hominibus fœde atque immisericorditer abutuntur. Non est hujusmodi Spiritus sanctus. Procul ista cogitatio ; nam in bonum e contrario et in salutem se res habet. Primum enim mansuetus et lenis ejus accessus ; suavis et fragrans ejus sensio : jugum levissimum, adventum ejus antevertunt præmicantes luminis ac scientiæ radii. Germani tutoris visceribus præditus venit : venit namque salvare, sanare, docere, monere, roborare, consolari, illustrare mentem ; primum ejus a quo suspicitur, dehinc ejus opera aliorum. Et quemadmodum is qui in tenebris prius versabatur, sole postea derepente conspectu, lucem in corporis oculo recipit, quæque antea non videbat perspicue cernit ; ita et qui Spiritus sancti dono dignus habitus est, animo illuminatur, et supra hominem evectus videt quæ nesciebat. Posito in terra corpore, anima cœlos tanquam in speculo contuetur. Videt ut Isaias, *Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum* (*Isa.* VI, 1) ; *cernit ut Ezechiel, eum qui est super cherubin* (*Ezech.* X, 1, 2) ; videt ut Daniel *myriades myriadum, et millia millium* (*Dan.* VII, 10), exiguusque homo initium mundi et finem videt, et medium temporum spatium, et regum successiones cernit, quæ non addidicit, adest enim verus lucis præbitor. Parietibus includitur homo ; vis tamen scientiæ longe protenditur, ut ea etiam quæ ab aliis fiunt conspiciat.

Vidisti potestatem illius quam in universo mundo exercet. Jam ne humi delixa sit mens tua, sed et ad supera conscende, cogitatione ascende usque in primum cœlum, et contemplare tam multa quæ ibi exsistunt innumerabilia angelorum millia. Cogitatione etiam, si potes, ad altiora enitere. Conspice archangelos, conspice et spiritus ; vide virtutes, vide principatus ; vide potestates, vide thronos, dominationes vide. Horum omnium a Deo datus præfectus, et magister, et sanctificator, Paracletus. Eo opus habent Elias, et Eliseus, et Isaias ex hominum ordine ; eo ex angelorum sorte Michael et Gabriel. Nulla generatarum seu creatarum rerum ipsi honore par. Nam omnia angelorum genera, et exercitus omnes simul collecti, nullam cum Spiritu sancto paritatem æqualitatemque sustineant. Hæc omnia tegit et obscurat summe bona Paracleti potestas. Illi siquidem in ministerium mittuntur ; hic vero scrutatur etiam profunda Dei, sicut Apostolus ait : *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim novit hominum ea quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis qui est in ipso? Sic et quæ Dei sunt, nemo novit præter Spiritum Dei.* (*II Cor.* XI, 10, 11.)

Hic etiam in omnes justos et prophetas venit : Enos dico, Enoch, Noe et reliquos ; Abraham, Isaac, Jacob. Nam quod et Joseph *in se Dei Spiritum habuerit.* (*Gen.* XLI, 38.) jam et ipse Pharao compertum habuit. De Moyse, et admirandis ejus ex Spiritu effectis sæpe audivistis. Hunc et fortissimus Job habuit, et omnes sancti, etiamsi omnium nomina non percurramus. Hic et in tabernaculi structura missus, sapientia complevit Beseleel et socios sapientes.

S. CRILL. Hier., *Catéches.* — Etsi dividuntur habendæ de Spiritu sancto disputationes, ipse tamen indivisus est, cum unus idemque sit. — Unus est enim et idem Spiritus qui dona quidem *sua peculiariter unicuique, prout vult, dividit* (*I Cor.* XII, 12) ; ipse autem indivisus manet. Non enim alius est Paracletus, præter Spiritum sanctum, sed unus et idem est, diversis appellationibus significatus ; vivens et subsistens, et loquens, et operans, estque rerum omnium ratione præditarum, quæ a Deo per Christum factæ sunt, angelorum atque hominum sanctificator. Ne autem ob diversas sancti Spiritus appellationes, nonnulli ex ignorantia diversos hoc spiritus, et non unum ac eumdem, qui quidem solus est, arbitrarentur : idcirco Ecclesia catholica securitatis tuæ provida, tradidit in fidei confessione ut crederemus IN UNUM SANCTUM SPIRITUM, PARACLETUM, QUI LOCUTUS EST IN PROPHETIS : ut animadvertere possis multas quidem nuncupationes esse, unum vero solum Spiritum sanctum.

Nunc Servatoris audite de Spiritu sermones. Ait enim : *Nisi quis generatus fuerit ex aqua et Spiritu, non ingredietur in regnum Dei.* (*Joan.* III, 5.) Et quod a Patre ea gratia sit, ait : *Quanto magis Pater, qui de cœlo est, dabit Spiritum sanctum flagitantibus a se.* (*Luc.* XI, 13.) Et quod Deus in Spiritu adorandus sit, dicit : *Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu et veritate ; nam et Pater tales quærit qui adorent eum, Spiritus est Deus, et qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* (*Joan.* IV, 23, 24.) Et iterum : *Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia* (*Matth.* XII, 28) ; et mox in consequentibus : *Propter hoc dico vobis, omne peccatum et blasphemia dimittetur hominibus : at Spiritus blasphemia non dimittetur. Et quicunque dixerit verbum adversus Filium hominis, remittetur illi : quicunque autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum non remittetur ei, neque in hoc sæculo neque in futuro.* (*Ibid.*, 31, 32) ; Et rursus ait : *Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut vobiscum sit in æternum : Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec novit eum. Vos autem cognoscitis eum quia apud vos manet, et in vobis erit.* (*Joan.* XXIV, 16, 17.) Et iterum dicit : *Hæc locutus sum vobis apud vos manens. Paracletus vero*, etc. (*Ibid.*, 25, 26.) Rursumque ait : *Cum autem venerit Paracletus*, etc. (*Joan.* XV, 26.) Iterumque Salvator : *Si enim ego non abiero, Paracletus non*, etc. (*Joan.* XVI, 7, 8.) Et iterum in consequentibus : *Adhuc multa habeo vobis dicenda ; sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis*, etc. (*Ibid.*, 12 et seq.) Ipsius nunc unigeniti tibi

Digitized by Google

voces legi, ut humanis jam sermonibus non attendas.

S. Greg. Naz., *Orat. de Spiritu sancto.*—De Spiritu sancto, inquiunt hæretici, quid dixeris? Unde nobis peregrinum Deum, nulloque Scripturæ loco proditum introducis? Atque hoc illi quoque objiciunt, qui de Filio moderatius sentiunt. Nam quod in viis et fluviis reperire est, ut a se invicem secentur, ac rursus inter se coeant; idem hic quoque (tanta est impietatis ubertas et copia) usu venit, ut, qui in aliis rebus inter se dissident, in quibusdam rursus consentiant, vel in qua contendant.

Et quidem in hac de Spiritu sancto disputatione, non nihil inest difficultatis et molestiæ, non hoc solum nomine quod homines in sermonibus de Filio fracti ac debilitati, acrioribus animis adversus Spiritum luctantur (omnino enim eos aliqua in re impios se præbere necesse est aut ne vitalis quidem, ut dici solet, ipsis vita est); verum etiam quia nos quoque, quæstionum multitudine fatigati et enecti, similes sumus iis, qui ciborum fastidio laborant. Quemadmodum enim illi, postquam alicujus cibi fastidium contraxerunt, omnes quoque cibos aversantur, eodem quoque modo nos ex unius disputationis tædio, ad omnes disputationes æque nauseamus. Det tamen Spiritus; et oratio curret, Deique gloria celebrabitur. Enimvero quot modis, vel *Spiritus*, vel *Sanctus*, apud Scripturam sacram intelligatur et dicatur, accurate excutere atque distinguere, commodumque cuique speculationi testimonium adhibere, quodque etiam peculiari quodam modo id, quod ex utroque connexum est, nimirum Spiritus sanctus, accipiatur, dicere supersedebimus, aliisque, qui hæc et sibi ipsis, et nobis, quemadmodum nos quoque ista ipsis, pertractarunt, hoc muneris relinquemus. Nos autem ad ea quæ deinceps sequuntur, orationem convertemus.

Atque illi quidem, qui perinde ac si nos peregrinum quemdam et ascriptitium Deum invehamus, animo discruciantur, acriterque pro littera contendunt, sciant se illic timere, *Ubi non est timor* (*Psal.* XIII, 5), studiumque erga literam suum nihil aliud, quam impietatis obtentum esse aperte cognoscant, ut paulo post ostendetur, cum objectiones eorum pro virili nostra refutaverimus. Nos vero tanta deitatis Spiritus sancti, quem colimus, fiducia nitimur, ut hinc etiam a deitate orationis initium ducturi simus. Easdem Trinitati voces accommodantes, etsi id audacius fortasse nonnullis videri queat.

Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, Pater. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum*, Filius. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum* (*Joan.* I, 9), alius Paracletus. Erat, et erat, et erat; sed unum erat. Lux, et lux, et lux; sed lux una, Deus unus. Atque hoc illud est, quod David quoque ipse ante animo informavit, cum diceret: *In lumine tuo videbimus lumen* (*Psal.* XXXV, 10.) Nunc autem nos, et perspeximus, et prædicamus, ex luce Patre, lucem Filium, in luce Spiritu sancto percipientes, quæ est compendiaria ac simplex divina Trinitatis confessio. Qui rejicit, rejiciat: *qui inique agit, inique agat* (*Isa.* XXI, 2); nos, quod intelleximus, prædicamus. *In montem excelsum ascendemus.* (*Ibid.* XL, 9.) et clamabimus, siquidem ex inferiori loco minus audiamur. Spiritum efferemus, non metuemus, quod si etiam metuemus id ita erit, ut quiescere, non prædicare metuamus.

Idem, *ibid.* — Si fuit tempus, cum non esset Pater, fuit quoque, cum non esset Filius. Si fuit tempus, cum non esset Filius, fuit quoque, cum ne Spiritus quidem esset. Si unum a principio erat, utique et tria. Si unum dejicis, audax hoc dicam, ne duo quidem superiore loco colloces. Quæ enim imperfectæ Deitatis utilitas? Imo quæ Deitas, si imperfecta? Perfecta autem quomodo erit, in qua ad perfectionem aliquid desideretur? Desideratur enim si sanctitate careat. Hanc porro quomodo habere queat, ni Spiritum habeat? Si enim alia quædam præter illum sanctitas est, quæ tandem illa intelligenda sit, dicat quispiam: aut, si quidem eadem hæc est, quid afferri potest, quamobrem non jam inde a principio fuerit? Quasi vero præstiterit Deo, aliquando imperfectum exstitisse, ac Spiritus expertem. Si a principio non erat, meæ classis atque ordinis est, etiamsi me nonnihil antecedat. Temporis enim interstitio a Deo dirimimur. Porro si ejusdem mecum classis est, quo pacto me Deum efficit? Aut quo pacto cum Deitate conjungit?

Nos, nec cum iis qui ne Spiritum quidem esse censent, nec cum nugatoribus ethnicis verba ulla commutabimus. Absit enim ut *peccatorum oleo sermonem nostrum impinguamus.* (*Psal.* CXL, 5.) Cum cæteris autem ad hunc modum disputabimus: Spiritus sanctus vel ex eorum numero, quæ per se subsistunt, omnino statuendus est, vel inter ea collocandus, quæ in alio considerantur; quorum alterum substantiam, alterum accidens vocant, qui harum rerum scientiam callent. Ac si quidem accidens vis utique et facultas quædam Dei fuerit. Quid enim aliud, aut cujus? Hoc profecto magis consentaneum, compositionisque expers. Si vis et facultas, agetur haud dubie, non aget: simulque ut actus fuerit desinet. Ejusmodi quippe est actus natura. Qui fit ergo, ut agat ipse, atque hæc et illa dicat, et *segregat*, (*Act.* XIII, 2.) et *contristetur* (*Ephes.* IV, 30), et ad iram incitetur, et quæcunque rei motu agitatæ perspicue sunt, non autem motionis ipsius? Sin autem substantia est, non accidens, vel creatura censebitur, vel Deus. Medium enim aliquid inter hæc, aut quod neutrius particeps sit, aut ex utroque positum atque conflatum, ne ii quidem qui Tragelaphos confinxerunt, intelligere queant. Si creatura, quomodo in eum credimus, aut in eo perficimur? Neque enim idem est, credere in aliquid, et credere de aliquo. Illud enim Divinitati convenit, hoc cuilibet

Digitized by Google

rei. Si autem Deus, certe nec creatura est, nec factura, nec conservus, nec denique ullum aliud humile atque abjectum nomen.

Jam lingua tua ad disputandum prosiliat, fundæ jactentur, argumenta nectantur. Aut ingenitus omnino est, inquit, aut genitus. Si ingenitus, ergo duo erunt principii expertes. Si autem genitus, rursus subdividis; aut ex Patre genitus est, aut ex Filio. Si ex Patre, duo igitur sunt filii ac fratres. Gemellos etiam finge, si lubet, aut alterum natu majorem, alterum minorem; cum ita corporeis rebus immersus es. Si autem ex Filio, jam nobis, inquies, nepos Deus exstitit. Quo quid absurdius fingi possit? Hæc homines *ad maleficiendum sapientes* (*Jer.* IV, 22), et ingeniosi, bona autem scribere recusantes.

Ego vero si divisionem hanc necessariam viderem, res ipsas profecto excepissem, nomina nihil veritus. Non enim, quia secundum excelsiorem quamdam relationem Filius est Filius (quod videlicet aliter, quam hoc modo, indicare nequeamus, id quod Deo est, essentiaque idem cum ipso), idcirco terrena quoque omnia cognationisque nostræ nomina ad Deum necessario transferenda esse putandum est. Alioqui, quid impedit quominus eadem ratione masculum, Deum nostrum existimes, quoniam Deus et Pater nominatur? Ac femineum quiddam, Deitatem, quantum quidem ex vocis genere æstimari potest? Et denique Spiritum, neutrum, quoniam nihil gignit? Quod si juxta veteres fabulas et nugas hoc quoque modo luseris, ut dicas, Deum cum voluntate sua congressum Filium genuisse, Marcionis quidem ac Valentini qui novos Æonas commentus est, Hermaphroditum quemdam Deum induxeris.

Quoniam porro divisionem tuam primam, qua inter ingenitum et genitum nihil medium esse arbitraris, haudquaquam admittimus, protinus tibi cum præclara tua divisione fratres illi et nepotes peribunt, ut qui primo illo disputationis tuæ capite, quasi multiplici cujusdam nexus initio primo soluto, simul quoque soluti ac dilapsi sint, atque a divinitatis doctrina sese subduxerint. Ubi enim, quæso, pones id quod procedit, quod quidem inter duas divisionis tuæ partes interjectum esse constat, atque a theologo, multo te præstantiori, nimirum a Salvatore nostro, introducitur? Nisi forte, propter tertium tuum Testamentum, vocem illam ex Evangeliis sustuleris: *Spiritus sanctus qui a Patre procedit* (*Joan.* XV, 26); qui quatenus ab illo procedit, creatura non est: quatenus rursus genitus non est, Filius non est: quatenus autem inter ingenitum et genitum medius est, Deus est. Atque, ita vitatur syllogismorum tuorum laqueus, Deus manifeste apparuit, divisionibus tuis firmior et valentior. Quæ ergo est hæc processio, inquies? Dictu quæ Patris ingenitura sit, et ego Filii generationem, Spiritus et processionem, explicare aggrediar, quæ fiet ut ambo deliremus, in Dei mysteria oculos injicientes; idque qui tandem? Nempe qui ne ea quidem, quæ ante pedes sunt, scire, nec arenam maris, aut pluviæ guttas, et dies sæculi enumerare possumus, nedum in Dei profunda penetrare, naturæque adeo arcanæ, atque omnem orationis facultatem usque adeo superantis rationes reddere.

S. Greg. Nazian., *Orat. de Spiritu sancto.* — Quid ergo est, inquiunt, quod Spiritui deest, ad hoc ut sit Filius? Nisi enim aliquid deesset, Filius esset. Deesse nihil dicimus. Non enim Deo quidquam deest. Verum manifestationis, ut ita dicam, mutuæque eorum relationis differentia, diversa quoque ipsis nomina procreavit. Neque enim Filio aliquid deest, ad hoc ut sit Pater (nec enim defectus est filiatio), nec propterea tamen Pater est. Alioqui eadem ratione Patri aliquid deerit, ad hoc ut sit Filius. Nec enim Pater Filius est. Sed hæc defectum proculdubio undequaque non arguunt, nec essentiæ summissionem, quin potius ex his verbis: *Quod genitus non sit, et quod genitus, et quod procedat*, hoc effectum est, ut alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus appelletur, atque ita inconfusa trium personarum distinctio in una Divinitatis natura et dignitate conservetur. Neque enim Filius est Pater, (unus enim est Pater) sed est id quod Pater: nec Spiritus est Filius quia ex Deo est, unus enim unigenitus sed est id quod Filius: tria hæc unum, si Divinitatem spectes; et unum tria, si proprietatum rationem habeas: ut nec unum Sabellio faveat, nec tria pestiferæ divisioni, quæ hac tempestate viget.

Quid ergo? Spiritus sanctus est Deus? Maxime. Consubstantialis igitur? Prorsus, siquidem Deus. Da igitur mihi, inquis, ex eodem aliud esse Filium, aliud quod Filius non sit, et tamen ejusdem cum illo substantiæ, ac Deum et Deum admittam. Da tu quoque mihi Deum alium, Deique naturam, et tibi eamdem Trinitatem cum iisdem nominibus ac rebus dabo. Cum vero Deus unus, atque una suprema natura sit, unde tandem similitudinem tibi repræsentabo? An rursus postulas ex terrenis et humanis rebus eam duci? Valde profecto turpe est, nec turpe modo, sed etiam valde stultum et inane ex humilibus rebus, superarum cœlestiumque simulacrum sumere, rerumque certarum atque constantium ex fluxa, fragilique natura, quodque Isaïas ait, *viventia in mortuis requirere.* (*Isa.* VIII, 19.) Et tamen adnitar, quando ita vis, hinc quoque nonnullam orationi nostræ opem afferre. Atque alia quidem prætermittenda duco, etsi multa de animalium historia commemorare queam, partim nobis nota, partim paucis cognita, quæ circa animantium ortus ac generationes natura miro artificio edidit. Gigni etenim dicuntur, non modo ex iisdem eadem, atque ex diversis diversa; sed etiam eadem ex diversis, ac diversa ex iisdem. Quod si etiam cuiquam fidem facit hic sermo, alius est generationis modus, ut idem animal a seipso consumatur et procreetur. Sunt etiam quæ, velut quadam naturæ magnificentia a se ipsis quodammodo desci-

Digitized by Google

scant, atque ex aliis animalibus in alia transeant atque immutentur. Quin etiam idem animal, partim non genitum, partim genitum, et tamen ejusdem substantiæ reperire est : quod quidem ad præsentis quæstionis similitudinem proprius accedit. Unum quiddam ex nostris ubi commemoravero, quod etiam nemini ignotum est, alio postea transibit oratio.

Quid tandem Adamus erat ? Dei figmentum. Quid Eva ? Figmenti segmentum. Quid Seth ? Utriusque soboles ? Quidni ? Age, ejusdemne hæc essentiæ inter se sunt, an diversæ ? Ejusdem. In confesso igitur est, ut, quæ varie existunt, eamdem tamen essentiam habeant. Nec vero hæc eo a me dicuntur, quod fictionem, aut sectionem, aut aliquid aliud ex his, quæ corporis natura fert, in divinitatem conferam (nec enim mihi rursus pugnax quispiam argutator insidiose immineat), sed ut in his rebus ea, velut in scena, spectem, quæ non nisi intellectu percipiuntur. Neque enim fieri potest, ut imago ulla et similitudo, rei veritatem plane perfecteque assequatur. Sed dicunt, quorsum hæc ? Nec enim unius ejusdemque, alter Filius, alter aliud quidquam. Quid igitur ? Eva et Seth, nonne ex eodem Adamo sunt ? Ex quo enim alio ? Utrum autem ambo ex eo geniti sunt ? Minime. Quid ergo ? Altera segmentum est, alter Filius : atqui ambo inter se idem sunt : homines enim : nemo est qui inficietur. Desinesne igitur adversus Spiritum dimicare, quasi videlicet aut genitus omnino sit, aut consubstantialis non sit, nec Deus, præsertim cum ex humana quoque similitudine sententiam nostram haudquaquam impossibilem esse intellexeris ? Equidem tibi jam belle esse existimo, nisi pervicaciter admodum contendere, manifestisque rebus obluctari decreveris.

Sed quis, inquies, Spiritum adoravit ? Quis, vel veterum, vel recentium ? Quis eum oravit ? Quo Scripturæ loco eum adorandum aut orandum esse proditum est ? Unde hoc hausisti ? Nos hujus rei pleniorem causam postea reddemus, cum de non scriptis dogmatibus disseremus. Nunc vero hoc dicere sufficiet. Spiritus est, in quo adoramus, et per quem oramus. *Spiritus enim*, inquit, *est Deus : atque eos, qui ipsum adorant, in spiritu et veritate oportet adorare.* (*Joan.* IV, 24.) *Quid enim oremus, quemadmodum oportet, nescimus. Sed Spiritus ipse interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* (*Rom.* VIII, 26.) Et alio loco : *Orabo Spiritu, orabo et mente* (*I Cor.* XIV, 15), id est in mente et Spiritu. Ergo *Spiritu adorare*, vel *orare* mihi nihil aliud esse videtur, quam ipsum sibi ipsi orationem vel adorationem offerre. Eamque sententiam quis est qui non comprobaturus sit, de magnis ac divinis viris loquor, quique probe norunt, unius adorationem trium adorationem esse propter æqualem trium personarum dignitatem ac divinitatem ? Sed ne illud quidem extimescam, quod *omnia per Filium facta esse* (*Joan.* I, 3), dicuntur, tanquam in rerum universitatem Spiritus quoque sanctus aggregandus sit. *Omnia* enim, *quæcunque facta sunt* (*Ibid.*), dicit evangelista, non omnia simpliciter. Nam ne ipse quidem Pater, nec omnia ea quæ facta non sunt. Proba ergo Spiritum factum ac procreatum esse, ac tum Filio eum da, et in creaturarum numero colloca. Quandiu autem id probare atque ostendere nequiveris, nihil tibi ad impietatem adjumenti complexio illa allatura est. Si enim factus est, per Christum utique ; ne ipse quidem inficias ivero. Si autem factus non est, quomodo aut rerum universorum numero includetur, aut per Christum factus erit ? Proinde desine, et Patrem in Filii contumeliam male honorare (malus enim honor est, Patrem Filio privare, utcunque eum præstantiorem creaturam esse concesseris,) et Filium in Spiritus sancti ignominiam. Non enim conservi opifex est, sed cum eo, qui pari dignitate est, glorificatur. Nihil Trinitati ex teipso tribue, ne a Trinitate excidas. Nullo modo unam illam naturam ac perœque venerandam trunca. Alioqui si quid ex tribus everteris, totum everteris, imo a toto excideris. Præstat exiguum quoddam unionis illius simulacrum capere, quam profligata quadam audacia in omnem impietatem prorumpere.

S. Greg. Naz., *Orat. de Spiritu sancto.*— Venit jam ad præcipuum disputationis caput oratio; ac quæstionem quidem, quæ jam pridem oppressa est et exstincta, atque fidei cessit, hoc tempore renovari doleo et ingemisco : adversus tabulas tamen stare necesse est, ac providere, ne velut deserta causa vincamur, qui Verbum habemus, Spiritusque patrocinium suscipimus. Si Deus, inquiunt, et Deus, et Deus, quid causæ esse potest, quin tres sint dii, aut quin plurium deorum principatum colamus? Quinam hæc? Hi nempe, qui perfectiores in impietate sunt, aut etiam qui secundas partes tenent, hoc est qui de Filio rectius sentiunt. Sermo enim mihi, partim adversus ambos communis est, partim adversus hos proprius et peculiaris.

Ac cum his quidem ad hunc modum agemus. Quid Trideitis nobis dicitis, qui Filium colitis etsi a Spiritu descivistis? Vos autem non Bideitæ? Nam si Unigeniti quoque cultum et adorationem abjuratis, haud dubie ab adversariorum partibus stabis : ac proinde quid est, quamobrem lenius humaniusque vobiscum agamus, tanquam non omnino mortuis et exstinctis ? Si autem colitis, atque hactenus saltem salubriter affecti estis, ex vobis quæremus : qua ratione a Bideitatis crimine vosmet vindicare queatis; si quis eam vobis objiciat ? Si est vobis sermo prudentiæ, respondere, nobisque etiam respondendi ansam præbere. Illæ enim rationes, quibus Bideitatis crimen propulsabitis, eædem quoque nobis ad Trideitatis crimen propellendum sufficient. Atque ita causam obtinebimus, vos, qui accusatores estis, patronos habituri. Quo quid fortius et generosius ?

At vero quodnam nobis est cum utrisque

Digitized by Google

certamen, et quænam oratio? Nobis Deus unus est, quoniam una deitas; atque ad unum, ea quæ ex eo sunt, referuntur, etsamsi tres personas credamus. Neque enim hoc magis, illud minus est Deus; nec hoc prius, illud posterius. Nec voluntate scinduntur; nec potentia dividuntur, nec denique quidquam eorum quæ dividuis rebus contingunt, hic quoque reperitur. Sed individua in dividuis, ut uno verbo dicam, est divinitas, ac velut in tribus solibus inter se cohærentibus una lucis commistio et temperatio. Cum ergo ad divinitatem, primamque illam causam, uniusque principatum et imperium respexerimus, unum est quod mentis nostræ oculis obversatur. Cum rursus ad ea, in quibus est divinitas, et quæ ex prima illa causa, citra ullam temporis intercapedinem, ac pari gloria sunt, tria sunt quæ adorantur.

Identidem sæpiusque nobis inculcas, Spiritus sancti divinitatem nullo Scripturæ loco proditam haberi. Enimvero quod nec novus ac peregrinus, nec introductus ipse sit, verum et a priscis, et hujus ætatis hominibus agnitus, ac patefactus, quanquam a compluribus jam ostensum est, qui de hac re disseruerunt, atque in divinis Scripturis, nec ignave nec perfunctorie versati sunt, sed litteram penetrantes, atque intro prospicientes, reconditam pulchritudinem divino beneficio viderunt, scientiæque luce collustrati sunt : tamen nos quoque cursim, quantum res patitur, ostendemus : ne alioqui supervacaneam quamdam operam sumere, ac plus æquo ambitioni indulgere videamur, super fundamentum alienum ædificantes. Quod si, quia non admodum dilucide in Scriptura nec sæpe nominatim Deus appelletur, quemadmodum Pater prius, et postea Filius, blasphemiæ, ac supervacaneæ hujus loquacitatis et impietatis ansam præbet; nos tibi hoc incommodum depellemus, posteaquam de rebus et nominibus, ac potissimum de Scripturæ more atque usu nonnihil dixerimus.

Rerum ergo aliæ non sunt, sed dicuntur; aliæ cum sint, minime dicuntur; aliæ nec sunt, nec dicuntur : aliæ denique et sunt et dicuntur. Horum probationes a me exposcis? impiger exhibebo. *Dormit* in Scriptura Deus, et *vigilat*, et *irascitur*, et *profiscicitur*; et pro throno *cherubinos* habet. Quid audio? Fuitne unquam ille affectionibus obnoxius? Quando Deum esse corpus audisti? Ergo hoc cum non sit, effictum est. Ex nostris enim rebus ea quæ Dei sunt, ut potuimus, nominavimus.

S. Greg. Naz., *Orat. de Spiritu sancto.* — Vetus Testamentum Patrem aperte prædicabat, Filium obscurius. Novum autem nobis Filium perspicue ostendit, et Spiritus divinitatem subobscure quodammodo indicavit. Nunc vero Spiritus ipse nobiscum versatur, seseque nobis apertius declarat. Neque enim tutum erat, Patris divinitate nondum confessa, Filium aperte prædicari : nec, Filii divinitate nondum admissa, Spiritum sanctum, velut graviorem quamdam, si ita loqui fas est, sarcinam nobis ingeri : ne alioqui, velut cibis ultra vires gravati, ac solis radiis hebetes oculos adjicientes, iis quoque, quibus præditi eramus, viribus periclitaremur : quin tacitis potius accessionibus, et ut David loquitur, *ascensionibus* (*Psal.* lxxxiii, 6), atque e claritate in claritatem progressionibus et incrementis, Trinitatis lumen splendidioribus illuceret. Oh hanc causam, ut opinor, ad discipulos quoque sigillatim se confert, ad excipientium videlicet captum modulumque sese impertiens; nimirum in Evangelii principio *virtutes* (*Luc.* ix, 1) perficiens, post Christi passionem *insufflatus* (*Joan.* xx, 22) post ascensum *in igneis linguis* (*Act.* xi, 3) apparens. Quin etiam ab ipso Jesu paulatim declaratur, ut ipse quoque comperies, si animum diligentius adverteris. *Rogabo* enim *Patrem*, inquit, et alium *Paracletum mittet vobis, Spiritum veritatis.* (*Joan.* xiv, 16.) Quæ quidem verba eo dixit, ne adversarius quispiam Dei esse, aut quasi de alia quadam potestate sermonem facere diceretur. Postea, *mittet* quidem cæterum *in nomine meo.* (*Ibid.*, 26.) Hic, omissa voce, *rogabo*, vocem, *mittet*, retinuit. Mox, mittam : (*Joan.* xvi, 7) ut propriam auctoritatem ostendat. Tum denique veniet : (*Ibid.*, 8) quo verbo Spiritus potestas indicatur. Vides illuminationes paulatim nobis affulgentes, theologiæque ordinem, quem nobis quoque tenere præstiterit, ut nec repente atque confestim omnia in lucem efferamus, nec in finem usque occultemus. Illud enim inconsultum atque ab arte alienum fuerit, hoc impium : illud alienos offendere ac vulnerare queat, hoc nostris a nobis abalienare. Enimvero id, quod quibusquam quoque aliis fortasse in mentem venit: ego tamen animi mei fetum esse existimo, superioribus adjungam.

Habebat quædam Salvator, quæ a discipulis, licet alioqui multiplici doctrina implerentur, tunc tamen *portari posse* negabat (*Ibid.*, 12), ob eas fortasse quas attuli causas, atque idcirco ea ipsis occultabat. Ac rursus dicebat fore ut ab adveniente *Spiritu omnia* edocerentur. (*Joan.* xiv, 26.) Ergo unum ex eorum numero esse censeo, ipsam Spiritus sancti deitatem, in posterum apertius declarandam, tum videlicet, cum jam post Salvatoris in integrum restitutionem, matura et perceptibilis esset ipsius cognitio, utpote cui ob tam insigne miraculum fides non jam abrogaretur. Quid enim hoc majus, vel ille polliceri, vel Spiritus docere potuisset? Si modo magnum aliquid existimandum est, Deique magnificentia dignum quod promittebatur, vel quod docebatur

Ac de his ita sentio, utinamque sentiam, et quisquis mihi amicus est, colamusque Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, tres proprietates, unam divinitatem, nec gloria, nec honore, nec essentia, nec regno divisam, ut quispiam, divino numine afflatus, non ita pridem philosophatus est. Nec *Luciferum exorientem* videat (*Job* xi, 17), ut cum Scriptura loquar, nec

Digitized by Google

cœlestis splendoris gloriam, quisquis aliter sentit, aut tempori obsequitur, aliam aliamque subinde formam assumens, putidumque de maximis rebus concilium capiens. Si enim Spiritus adorandus non est, quomodo me Deum *per baptismum* effecit? (*Matth.* XXVIII, 19.) Si autem adorandus, an non colendus, et venerandus? Si porro venerandus, an non Deus? Unum uni cohæret, ac vere aurea quædam et salutaris est hæc catena. Et quidem a Spiritu regenerationem habemus, a regeneratione instaurationem, ab instauratione cognitionem dignitatis illius a quo instaurati sumus.

Hæc quidem sunt quæ ab eo afferri queant, qui Spiritus divinitatem nullo Scripturæ loco niti concesserit. Jam vero tibi auctoritatem examen prodibit, ex quibus Scripturæ testimonio admodum confirmatam esse Spiritus divinitatem ostendetur, iis quidem certe, qui non nimis stolidi et obtusi fuerint, atque a Spiritu aversi. Sic autem expende: *Nascitur* Christus (*Luc.* II, 7), *præcurrit* Spiritus. (*Luc.* I, 35.) *Baptizatur* ille (*Luc.* III, 21 et seq.), hic *testimonium affert. Tentatur* ille, hic *abducit.* (*Luc.* IV, 1-18.) *Miracula edit* ille, hic *comitatur. Ascendit* ille, (*Act.* I, 9.) hic *succedit.* (*Act.* II, 4.) Quid enim adeo magnum et divinum est, quod non ipse possit? quod tam divinum nomen est, quo non, excepto ingeniti et geniti nomine, appelletur? Patris enim et Filii proprietates incolumes atque integras ipsis manere conveniebat, ne alioqui apud divinitatem, quæ alia quoque in ordinem et concinnitatem adducit, confusio existeret. Equidem ipse ad tantam nominum copiam, adversus quam frontem perfricant, qui Spiritui adversantur, totus cohorresco.

Spiritus Dei dicitur, *Spiritus Christi, mens Christi, Spiritus Domini, ac Dominus ipse, Spiritus adoptionis, veritatis, libertatis* (*I Cor.* II, 11): *Spiritus sapientiæ, prudentiæ, consilii, fortitudinis, scientiæ, pietatis, timoris Dei, utpote horum omnium efficiens, omnia essentia sua implens, omnia continens, mundum quantum ad essentiam implens, interim ipse major quam ut mundus vim illius et potentiam capere possit: bonus, rectus, principalis, natura non gratia sanctificans, non sanctificatus, metiens non dimensus, impertiens non particeps, implens non impletus, continens non contentus, hæreditate acceptus, glorificatus, Patri et Filio connumeratus, minaciter denuntiatus, Dei digitus, ignis tanquam Deus,* ad ostendendum, ut opinor, quod *ejusdem essentiæ sit: Spiritus qui condidit, qui per baptismum et resurrectionem denuo creat* (*Matth.* XII, 30): *Spiritus omnia cognoscens, docens, ubi vult et quantum vult spirans, ducatum præbens, loquens, mittens, segregans* (*Joan.* III, 8): *Spiritus qui ad iram incitatur, qui tentatur, qui revelat, qui lucem ac vitam affert; imo qui ipsamet lux et vita est* (*Act.* XIII, 2): *qui templa efficit, deificat, perficit, ita ut et baptismum antevertat, et post baptismum requiratur* (*Act.* II, 3): *qui omnia efficit, quæcunque Deus ipse, qui igneis linguis dividitur, qui dona distribuit, qui apostolos, prophetas, evangelistas, pastores et doctores facit* (*Act.* XIX, 5, 6): *Spiritus intelligens, multiplex, apertus, clarus, incontaminatus, minimeque impeditus* (*Sap.* VII, 22), quod idem valet ac si dicerem: Sapientissimus, agendique facultate varius ac multiplex, omnia explicans ac declarans, arbitrii libertate præditus, et immutabilis: *Omnipotens, omnia lustrans, per omnes spiritus penetrans, intelligentes, puros, tenuissimos* (*I Cor.* II, 10), hoc est, per angelicas, ut opinor, virtutes, quemadmodum et per prophetas et apostolicos, eodem temporis momento, nec tamen in iisdem locis (alii enim eorum alibi fusi ac sparsi erant), quod quidem perspicue ostendit, cum nullius loci circumscriptione coerceri.

Qui hæc dicunt ac docent, atque insuper *Paracletum alium* (*Joan.* XIV, 16), velut alium Deum, nominant, qui *blasphemiam* solam adversus eum prolatam *inexpiabilem* esse sciunt (*Matth.* XII, 31), qui denique *Ananiæ et Saphiræ, postquam Spiritui sancto mentiti essent* (*Act.* V, 3), perinde ac Deo, non homini, mentiti essent, tam horribilem infamiæ notam inusserunt, quid tandem tibi videntur, Spiritumne Deum prædicare, an aliud quid? Quam crassi es ingenii, atque a Spiritu procul remoti, si de hac dubitas, ac doctore opus habes! Ac tot nominibus, tam vivis, et expressis, in Scriptura Spiritus appellatur. Quid enim testimonia ipsa tibi ad verbum producere attinet? Quæcunque autem hic quoque humilius dicuntur, velut quod *detur, mittatur, distribuatur, charisma etiam, donum, insufflatio, pollicitatio, intercessio* (*Luc.* XI, 13; *Joan.* XVI, 7; *Hebr.* II, 4; *I Cor.* XII, 30; *Act.* II, 38; *Joan.* XX, 22; *Gal.* III, 14; *Rom.* XVIII, 26), ac si quid aliud hujusmodi, ne singula commemorem, ad primam causam referri debent, ut, ex quo sit, ostendatur, ac non tria principia divisa, proindeque plures dii admittantur. Paris enim impietatis est, vel Sabellii more personas connectere, vel Arii instar naturas distinguere ac separare.

Enimvero cum mentis curiositate multum diuque mecum considerassem, atque orationem undecunque explorassem, rei tantæ imaginem quamdam exquirens, cui tandem rerum inferarum divina illa natura comparanda sit, reperire non potui. Quamvis enim exiguam aliquam similitudinem invenerim, major tamen me pars fugit, humique me cum meo exemplo relinquit. Oculum quemdam, et fontem, et fluvium mihi proposui, quemadmodum alii quoque, ut viderem, num Pater cum oculo, Filius cum fonte, Spiritus cum fluvio proportione quadam conveniret. Hæc enim, nec tempore distinguuntur, nec ob continuitatem a se invicem abrumpuntur: ac tribus insuper proprietatibus quodammodo scindi videntur. Sed subiit me timor, primum ne fluxio quædam divinitatis stabilitatis expers admittatur. Deinde ne per hanc similitudinem unum numero introducatur. Oculus enim, et fons, et fluvius unum sunt numero, varie efformata.

Digitized by Google

Solem rursus, et radium, et lucem cogitavi. Verum hic quoque metuendum est; primum ne incompositæ naturæ compositio quædam excogitetur, quemadmodum solis, et eorum quæ soli insunt; deinde ne Patri quidem essentiam tribuamus, reliquos autem subsistere negemus, sed facultates quasdam Dei constituamus, quæ ipsi quidem insint, non autem per se subsistant, Neque enim radius, aut lux, alii soles sunt, sed solis velut rivi quidam, et substantiales qualitates, ac præterea ne simul, et esse, et non esse Deo in his demus, (quantum ex hoc exemplo colligi potest), id quod superioribus etiam absurdius fuerit. Quinetiam aliquem audivi hujusmodi similitudinem adumbrantem. Fingebat splendorem quemdam solarem parieti affulgentem, atque ex aquarum motu tremiscentem, quem, cum radius per intermedium aerem susceperit, postea solido ac renitente corpore repressus, mirabilis quædam subsultatio existit. Multis enim crebrisque agitationibus subsilit, ita ut non magis unum sit, quam multa, nec rursus magis multa, quam unum; ac tanta celeritate coit vicissim, et dissociatur, ut priusquam oculis teneatur, fuga se proripiat.

S. Greg. Naz., *Orat. de Spiritu sancto.*— Sed ne hoc quidem ipse constituere possum; primum quoniam, quid splendori illi motum afferat, admodum perspicuum est : at Deo nihil antiquius est, quod ipsi motum dederit. Ipse quippe omnium causa est, nec antiquiorem causam habet. Deinde quod hic earumdem rerum suspicio occurrit, nimirum compositionis, diffusionis, incertæque et instabilis naturæ, quarum nihil de divinitate cogitandum est. In summa nihil est in quo mens mea gradum figere queat, dum, quod imaginor, in exemplis considero; ni forte quispiam ea animi æquitate sit, ut eum unum aliquid ex proposita imagine acceperit, reliqua projiciat. Postremo itaque hoc mihi consultissimum visum est, ut, missis factis imaginibus illis atque umbris, ut fallacibus, plurimumque a veritate remotis, piam ipse cogitationem fidemque mordacius retineam, atque in paucis verbis insistens, duceque Spiritu sancto utens, quemque hic splendorem accepi, hunc ad extremum usque, tanquam fidum socium et congerronem, custodiens, ævum hoc trajiciam, aliosque pro viribus adducam, ut Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum adorent, unam divinitatem ac potentiam, quoniam ipsi omnis gloria, honor, imperium in sæcula sæculorum.

S. Ambros., *Exposit in Lucam.*— *Et Spiritu sancto replebitur* (*Luc.* I, 15); cui adest Spiritus gratiæ, nihil deest. Et cui Spiritus sanctus infunditur, magnarum plenitudo virtutum est.

S. Chrysost., hom. 4, *in Act. apost.*— *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu sancto.* (*Act.* II, 3, 4.) Recte additur illud *tanquam*, ne quid sensibile de Spiritu existimes. Tanquam ignis, inquit, et tanquam Spiritus. Non erat ergo ventus simpliciter per aerem effusus.— *Replevit totam domum ubi erant sedentes.* (*Ibid.*, 2.) Spiritus quasi piscina aquæ fuit. Ignis vero et copiam et vehementiam significat. Nihil tale accidit in prophetis. Sed nunc sic illis, prophetis autem alio modo. Capitulum enim libri datum est Ezechieli, et comedit ea quæ dicturus erat : *Factum est autem in ore ejus ut mel dulcescens.* (*Ezech.* III, 3.) Et rursum manus Dei tangit linguam alterius prophetæ. (*Jer.* I, 9.) Hic vero ipse Spiritus sanctus est, sicque par est honore Patri et Filio. Rursusque alibi ait : *Lamentatio et canticum et væ.* (*Ezech.* II, 10.) Illis ergo jure in libro datum est : nam similitudinibus egebant, remque illi habebant cum una tantum gente sibi propria : hi vero cum universo orbe, et cum iis quos non noverant. Eliseus per melotem gratiam accipit (*IV Reg.* XIV) : alius per oleum, ut David. (*I Reg.* XVII, 15.) Moyses per ignem rubi vocatur. Sed hic secus; ipse namque ignis insedit. Sed cur ignis non ita apparuit ut impleret domum? Quia exterriti fuissent. Sed ostendi idipsum evenisse : ne attendas enim quod dixerit, *apparuerunt illis dispertitæ linguæ*, sed ignem fuisse consideres. Tantus ignis immensam silvam potest incendere. Ac recte dicit, *dispertitæ.* Ex una enim radice erant, ut discas vim operandi esse a Paracleto missam.

Perpende autem illos primum dignos declaratos esse, et hinc accepisse Spiritum sanctum, ut in Davide accidit : nam quæ ille in ovilibus fecerat, eadem fecit post victoriam et tropœum, ut palam esset fides ejus. Vide rursum Moysem qui regiam despiciebat, et post quadraginta annos rem publicam administravit; Samuelem in templo educatum; Eliseum qui omnia dimisit, Ezechielem item. Quod vero sic evenerit, liquet ex iis quæ secuta sunt; nam hi sua omnia reliquerunt. Ideo tunc Spiritum accipiunt, cum virtutem suam ostendissent. Didicerant humanam infirmitatem per ea quæ passi fuerant : didicerant se non frustra probe rem gessisse. Sic et Saul cum testimonium accepisset se bonum esse virum, Spiritum accepit; sed eo modo quod nunc discipuli nemo, neque Moyses qui major prophetis erat. Nam ille cum oporteret alios spirituales effici, imminutus est. Hic vero non eodem modo. Sed quemadmodum ad ignem quot volet quivis lucernas accendet, nec minuet ignem, sic et apostolis tunc contigit. Nam per ignem non modo gratiæ ubertas ostendebatur; sed quisque fontem Spiritus accipiebat, ut dixit ille, eos qui in se crederent, accepturos esse fontem aquæ salientis in vitam æternam. Idque jure merito. Neque enim cum Pharaone disputatori abierant, sed cum diabolo pugnaturi. Quodque mirabilius est, missi non repugnarunt, nec dixerunt se gracili voce et lingua tardos esse. Moyses enim illos ad hoc erudierat. Non dixerunt se juniores esse : nam Jeremias illos instituerat. (*Jer.* I, 6.) Atqui multa audierant

Digitized by Google

terribilia, multoque quam illi majora; et tamen veriti sunt contradicere. Hinc palam est eos fuisse angelos lucis, et supernarum rerum ministros. Et illis quidem in terra agentibus nullus de cœlo apparuit. Sed postquam ascendit homo sursum, Spiritus e supernis advenit; *tanquam supervenientis*, inquit, *spiritus vehementis*. Hinc declarat fore ut nihil possit ipsis obsistere, sed inimicos ab ipsis pulveris instar ventilandos esse, *Et replevit totam domum*. (*Act.* II, 2.) Domus mundi symbolum erat.

S. Aug., *Enarrat. in psal.* XVIII. — Misit (Verbum) Spiritum suum. Visæ sunt illis super quos venit linguæ divisæ velut ignis. Sicut ignis venit Spiritus sanctus, fenum carnis consumpturus, aurum coeturus et purgaturus; sicut ignis venit, et ideo sequitur : *Et non est qui se abscondat a calore ejus*. (*Psal.* XVII, 7.)

S. Bernard., *Tract. de Pass. Domini*. — Quis vinum jucundissimum hujus grani valeat explicare? Vinum, inquam, et, si magis placet, mustum. Mox enim accepto ab apostolis et aliis qui cum eis erant exspectantibus, Spiritu sancto inebriati sunt, eructaverunt verbum bonum, loquebantur variis linguis magnalia Dei. (*Act.* II, 14.) Ante timore absconditi, nunc cucurrerunt foras : non jam timuerunt aquam populi frementis, charitatis igne succensi. Tunc pro certo experientes verum esse quod scriptum est : *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, et flumina non obruerunt illam*. (*Cant.* VIII, 7.) Irruerunt enim in eos flumina potestatum; fluxerunt aquæ populosæ multitudinis; flaverunt venti ac procellæ comminationum, verborum; et ignis charitatis non est exstinctus; imo etiam auctus est. *Ibant* enim *apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati*. (*Act.* V, 4.) — Sicut ait Apostolus : *Charitas Dei diffusa erat in cordibus eorum*. (*Rom.* V, 5.) Sed audiamus verba Petri optime distincta : *Non enim*, inquit, *sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt*. (*Act.* II, 2.) Non enim musto terreno ebrii sunt, sicut vos putatis, sed cœlesti Spiritu. Hauriamus igitur et nos, charissimi, de vino jucundissimo grani hujus. Quod si vel in quo hauriamus, scilicet vas intellectus, non habemus, curramus cum plena fiducia ad singularem nostrum ac providum Conditorem, cujus figmentum sumus, oremusque ut vas formet in anima nostra hujus dulcissimi musti capax : ut nostro consolatore Spiritu gratiæ septiformis accepto, multiformes tentatoris adversarii nostri laqueos evadamus, et pedes affectuum nostrorum in compedes sapientiæ injiciamus, ut eum ipsa sapientia colligati, vinculis charitatis indesinenter et indefesse curramus post illam, donec ad saporis ipsius plenitudinem attingamus, ubi jam non per speculum et in ænigmate, sed facie ad faciem regem nostrum in decore videamus, et sicut sumus cogniti, cognoscamus.

SUPERBIA

[Ex SS. Patribus.]

Philo Jud., *De præmiis et pœnis*. — Arrogantia superbiaque per latitudinem significatur, dum se anima diffundit quo non debet : per torporem vero fastus tumentis et magnifice de se sentientis contractio. Nihil autem utilius, quam effusos impetus et animosas contentiones torpore quodam retundere, ut immodicum affectuum robur debilitatum, latum spatium præbeat potiori parti animæ.

Idem, *De vita Moysis*. — Talibus præceptis Moyses ubi mentes civium suorum mansuetas reddidit, liberavit eos ab arrogantia superbiaque, vitiis gravissimis, quæ tamen multi amplectuntur pro virtutibus, præsertim quotquot opibus extolluntur atque honoribus. Nam arrogantia sæpe nascitur etiam in contemptis et obscuris hominibus, sicut cæteræ perturbationes et ægritudines; sed non potest in his crescere, qui sicut ignis absque fomento deficit, et ad magnates demigrat, quibus, ut dixi, large opes honoresque suppetunt; atque ita dulci fortuna ebrii debacchantur in servos ac ingenuos, interdum et in civitates integras. Saturitas enim parit ferociam, ut est in veteri proverbio. Quamobrem optime docet Moyses in sacris suis præceptis abstinendum ab omni peccato, sed maxime a superbia. Moxque memorat unde accendi soleat hoc vitium, nimirum e saturitate, et prædiorum pecudumque copia. Tunc enim possessores impotentes sui fiunt, elati inflatique, procul dubio perituri, nisi Deum semper habuerint in memoria. Quemadmodum enim, sole exorto, evanescunt tenebræ, et luce implentur omnia; eodem modo quando sol divinus illucescit animæ vitiorum affectionumque caligo dispellitur, et splendidissimæ virtutis pura amabilisque se profert species. Et quo magis compescat superbiam, vult nos causas habere præ oculis, quæ nunquam sinant beneficiorum Dei memoriam elabi e nostro pectore. Hic enim inquit, tibi præstat robur ad exercendam potentiam. Recte monet. Quisquis enim didicit donatam sibi a Deo fortitudinem, reputans infirmitatem suam pristinam, seponet omnem jactantiam, et gratias aget ei qui se mutavit in melius. Nam gratus animus alienus est ab arrogantia, sicut e diverso ingratus affinis est superbiæ.

Orig., *in Jerem.*, hom. 12. — Salvator noster : *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem in animabus vestris*. (*Matth.* XI, 29.) docet nos ne extollamur. Nam cum multis vitiis genus vexetur humanum, hoc peccato vel maxime premitur. Nec unus est modus superbiæ. Alius irrationabiliter, et stultorum more in iis effertur quæ magis pudore digna sunt, aut certe modum elationis excedit. Alius quasi

Digitized by Google

veri simulatione seductus, super iis elevatur quæ sibi digna gloria putat, cum et in talibus periculosum sit gloriari. Exemplum assumam quo fiat manifestius. Sunt quidam in eo se jactantes, quia filii regum sunt et nobili familia nati. Istiusmodi homines ne umbram quidem et imaginem elationis suæ possunt ostendere. Sunt alii qui de eo sublevantur, quia potestatem habent occidendi homines; et, ut ipsi putant, ea fulti sunt dignitate, ut quorum velint capita secent. Horum gloria in confusione sua est. Alii super divitiis sibi applaudunt, non his veris, sed iis divitiis quæ deorsum sunt. Alii superbiunt super domo splendida, super possessionibus multis, in quibus universis non est penitus gloriandum.

Quod autem verisimile et dignum judicatur, ut quidam putant, gloriandum est cum aliquis ob sapientiam suam elevatur, aut conscius sibi est quia decem jam annis res venereas non tetigerit, sive ab infantia integer castusque remanserit. Rursumque alius erigitur, quia vincula pro Christo portaverit. Recta quidem videntur hæc omnia, et subjicienda quadam persuasione ad gloriandum; sed ne in his quidem (si tamen sequimur veritatem) rationabiliter quis effertur, quia et in rebus bonis gloriandum est sine discrimine. Paulus habuit materiam elationis, habens in se visiones, revelationes, signa, virtutes, propter labores quos Christi causa perpessus est, propter Ecclesias quas constituit, contendens ubi Christus non erat nominatus, ibi jacere fundamentum. Hæc omnia materiæ erant gloriationum, et si sic expedit dicere, verisimilis causa quæ honestam subjiceret jactationem. Sed quia ne in talibus quidem sine periculo est sublevari, benignus et providus Pater quomodo ei largitus est revelationes, et gratias differentes, sic ad tuitionem donorum suorum tradidit angelum Satanæ, ut eum colaphizet ne extolleretur : et propter hoc ter Dominum rogavit, scilicet ut ab eo discederet angelus Satanæ, qui juxta dispensationem ei appositus fuerat. Sed respondit ei Dominus (dignus quippe erat responsione Paulus), et dixit ad eum : *Sufficit tibi gratia mea, virtus enim in infirmitate perficitur.* (*II Cor.* XII, 19.) Super nullo igitur gloriandum est. Sequitur quippe ruina jactantiam, Scriptura dicente : *Ante contritionem elevatur cor viri, ante gloriam humiliatur.* (*Prov.* XVIII, 12.)

S. Athanas., epist. 2, *ad Castor.* — Octavum nobis est certamen adversus spiritum superbiæ, quod est gravius acriusque cæteris omnibus, quo perfecti maxime oppugnantur, quique eos qui fere ad virtutum fastigium pervenere, subvertere conatur; ac morbi pestiferi instar, non partem corporis, sed totum perdit. Et aliæ quidem singulæ passiones, tametsi animam turbant, quia tamen cum una tantum virtute sibi oppositæ pugnant, atque eam superare nituntur, ex parte solum animam obscurant atque conturbant; superbiæ autem passio totam tenebris offundit, et ad extremam deducit ruinam. Utque liquidius quod dictum est excogitemus, hac ratione rem speculemur. Gulæ vitium abstinentiam corrumpere satagit, fornicatio continentiam, avaritia paupertatem, indignatio mansuetudinem, ac reliquæ species malitiæ, contrarias sibi virtutes; at superbiæ malitia cum miseræ animæ dominatur, haud secus agit quam truculentissimus quidam tyrannus qui, ampla et excelsa capta urbe, totam diruit et a fundamentis evertit. Cujus rei testis est angelus qui ex cœlo propter superbiam cecidit; qui a Deo creatus, et omni virtute ac sapientia ornatus, non Dei gratiæ hæc ascribere voluit, sed propriæ naturæ; unde se Deo æqualem esse putavit. Quam ejus cogitationem arguens Propheta dicit : *Dixisti in corde tuo; Sedebo in monte excelso, ponam thronum meum supra nubes, et similis ero Altissimo. Tu vero homo, et non Deus.* (*Isa.* XIV, 13.) Aliusque Propheta ait : *Quid gloriaris in malitia, qui potens es?* Et paucis interjectis : *Dilexisti omnia verba demersionis, linguam dolosam. Propterea Deus destruet te in finem, evellet te et transferet te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium. Videbunt justi et timebunt, et super eum ridebunt et dicent : Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, et prævaluit in vanitate sua.* (*Psal.* LI et seqq.)

Hæc cum sciamus, timeamus et omni custodia servemus cor nostrum a lethifero spiritu superbiæ, nobis ipsis hæc apostoli recitantes, quando virtutis cujuspiam opus perfecerimus : *Non ego autem, sed gratia Dei quæ mecum est.* (*I Cor.* XV, 10.) Et quod a Domino dictum est : *Sine me nihil potestis facere.* (*Joan.* XV, 5.) Et quod a Propheta dictum est : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* (*Psal.* CXXVI, 1.) Iterumque : *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* (*Rom.* IX, 16.) Nam etiamsi quis alacritate fervens ac proposito studiosus fuerit, sed carne illigatus et sanguine, non poterit ad perfectionem pervenire, nisi ad hæc omnia in misericordia et in gratia Christi speraverit. Nam juxta divinum Jacobum : *Omne datum bonum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* (*Jac.* I, 17.) Et Paulus ait : *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (*I Cor.* IV, 7.) Sed de alienis donis quasi de tuis extolleris. Quod autem nobis gratia et misericordia Dei salus accedat, testis est latro ille qui non in virtutis præmium regnum cœlorum adeptus est; sed gratia et misericordia Dei Dei. Hæc cum probe nossent Patres nostri, una omnes sententia tradiderunt, non posse nos firmum ad virtutis perfectionem jacere fundamentum, nisi per humilitatem quæ a fide, mansuetudine, et perfecta paupertate procedit, quibus perfecta charitas obtinetur.

S. Ephrem, *De superbia.* — Vana est omnis exercitatio, omnis temperantia, omnis obedientia, omnis voluntaria paupertas, omnisque disciplina multijuga, humilitate destituta. Nam quemadmodum principium et finis bonorum est humilitas; ita malorum

Digitized by Google

initium finisque existit superbia. Versutus autem ac callidus, multiformisque est hic immundus spiritus : unde etiam in cunctos dominari nititur, singulisque per quas transire contigerit vias, in iis laqueos constituit : sapienti per sapientiam, forti per fortitudinem, diviti per divitias, formoso per pulchritudinem, eloquenti per loquelam, sonoro atque vocali per vocis præstantiam, bono opifici per artis excellentiam, agili per agilitatem. Similiter autem et spirituales tentare non cessat, eum qui renuntiavit sæculo, per abrenuntiationem temperantem ac continentiam, per temperantiam et continentiam, in quiete ac silentio viventem, per quietem et solitudinem : paupertatem colentem, per paupertatem ; discendi studiosum, per addiscendi facilitatem ; religiosum per religionem ; eruditum per eruditionem ; quæ autem revera cognitio est atque scientia humilitati conjuncta reperitur. Si ergo in cunctis sua studet seminare zizania, ideo Dominus noster sciens passionis hujus difficultatem, quod ubi radices egerit, ibi hominem illum cum suo exercitio inutilem plane reddat ; suppeditavit nobis adversus ipsum pro trophæo humilitatem, dicens : *Quando omnia feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus.* (*Luc.* XVII, 10.)

Quid ergo nobis ipsis levitatem atque dementiam adsciscimus, cum dicat Apostolus : *Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit : opus ergo suum probet unusquisque ; et sic in semetipso tantum gloriam habebit, et non in altero.* (*Galat.* VI, 3, 4.) Cur igitur nos ipsos decipimus, in alterutrum elati, sicut qui in mundo sunt celebres, eosque qui sunt modestiores, aspernamur ? Invenimus quippe docentem Dominum, quod quæ hominibus excelsa sunt, abominabilia reperiantur coram Deo. At, ut continentes ac moderati, adversus infirmiores extollimur ? Rursus ab Apostolo corripimur dicente : *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est ; sed quem Deus commendat.* (*II Cor.* V, 10.) Quod si, ut plus aliis laborantes, superbimus adversus eos qui vitam quietam ducunt : at Dominum reperimus Mariam magis commendantem, quod optimam partem elegerit. (*Luc.* X.) At vero tanquam animi tranquillitatem colentes, adversus eos extollimur, qui ministerio distrahuntur ? Iterum Dominum docentem invenimus atque dicentem : *Non enim veni ministrari, sed ministrare, et ponere animam meam redemptionem pro multis.* (*Matth.* XX, 28.) Quare res est omnino repudienda superbia.

At quod in deserto loco et pulverulento sedemus, magnifice de nobis ipsi sentimus ? Nihil sane opus loci nobis proderit, non operantibus in humilitate ; Apostolo dicente atque hortante : ne contemplemur quæ videntur, sed quæ non videntur : *Quæ enim videntur temporalia sunt ; quæ autem non videntur, æterna.* (*II Cor.* V, 4.) At, ut in lacu aut spelunca habitantes, inflamur ? Signa sunt ista mortificationis, et rerum terrenarum contemptionis atque incuriæ. Quod ergo tibi ipse delegisti ad rectius excolendam virtutem, ne tibi sit in lapsum superbiæ : similisque reddaris imperito fabro ferrario, qui suum non novit opus, et pro gleba ferri, lignum adurere tentat. Necessarium igitur fuerit fortiter humilitatem apprehendere. At opulentus es, et æquitatis atque justitiæ moderationem obtines ? Sed ad Abrahami mensuram non pervenisti, qui seipsum terram dicebat ac cinerem. (*Gen.* XVIII.) At populi tibi procuratio commissa est ? Et Moyses populi curam suscepit, neque mille hominum solum curam et administrationem, sed et vulgi multitudinem. Postquam enim Ægyptum percussit Deus in manu Moysis et Aaron, exsiccavitque mare Rubrum et per siccum traduxit Israel, transmisitque illos per solitudinem illam terribilem, venerunt juxta fines Moab (*Exod.* XXVIII, 9, 10, 12, 14), aspicientesque Moabitæ multitudinem populi, sicut scriptum est : dixit Moab ad majores natu Madian : *Ita delebit hic populus omnes qui in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas usque ad radices carpere.* (*Num.* XXII, 4.) Census enim habebatur populi, seclusis mulieribus, ac pueris, et tribu Levitarum ; numerus autem eorum a viginti annis et supra, omnes qui ad bellum procedere poterant, ex Israel sexcenta tria millia virorum, quingenti quinquaginta, cunctorumque istorum ipse dux erat. (*Num.* I.) Cumque una cum Deo familiariter ageret, ejusque gloriam contemplaretur, non elatus est corde, neque humilitatem omisit animi. Unde sacra quoque de eo testatur Scriptura, dicens : *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* (*Num.* XII, 3.)

At formosus es, et viribus valens, et corona seu diademate cingeris ! Sed non pervenisti ad mensuram regis Davidis qui summa animi humilitate dicebat : *Ego autem sum vermis, et non homo.* (*Psal.* XXI.) At scientia præditus es, et sapientia, atque temperantia ? Non tamen ad mensuras trium puerorum, ac prophetæ Danielis pervenisti ; quorum hic quidem dicebat : *Tibi, Domine, justitia, nobis autem confusio facies, sicut est* (*Dan.* IX, 7) hodierna die. Alii autem : *In animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur.* (*Dan.* III, 39.) Et si tantam homines justi humilitatem ostenderunt, quales nos peccatores esse oportebit ? Supra modum enim efferri ac superbire, carnis prudentia est. Et secundum Apostoli oraculum : *Si secundum carnem vixeritis, moriemini : si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* (*Rom.* VIII, 13.) Fieriqne nequit, ut quis passiones vincat, ni prius virtuti excolendæ vacaverit. An non intellexisti qualia pro pietate sua beatus Paulus subierit : scribit enim in sua ad Corinthios Epistola : *In laboribus abundantius, in plagis supra modum : a Judæis quinquies quadragenas, una minus, accepi : ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui : in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, pericu-*

Digitized by Google

lis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate, et quæ sequuntur. (*I Cor.* XI, 23 et seqq.) Nunquid ad hæc vel hiscere poterimus? Quin et virtutem intuere. Post tot pericula, tantaque recte facta, cum summa animi humilitate et modestia dicebat : Fratres, ego me ipsum nondum existimo comprehendisse. (*Philipp.* III.) Ista vero dicebat, ut elationem funditus tolleret, cum sciret quantam iram in eos concitet qui illam amant.

S. EPHREM, *De superbia* — Verum quid est superbia? Simile est efferri, ac si quis Deo exprobret propria recte facta. Sicut enim in rebus humanis, si quis cum aliquid proximo donaverit, mox adversus ipsum efferri supra modum incipiat, beneficia sane hujus inania reddentur, amicitiamque cum proximo sic dirimet, unde etiam talis abominabilis redditur. Hinc quoque Dominus de nostra salute sollicitus, cupiens ab hac nos perniciosa passione deterrere atque avertere, docuit, dicens : *Quando feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus.* (*Luc.* XVII, 10.) Cum autem non facimus, neque servorum quidem inutilium appellatione digni sumus : quoniam magnus Dominus noster, et magna ac prævalida dona ejus. Et ut discas non solum humiliter loqui, sed et humiliter sentire, nos a Domino edoctos esse ipso nos facto instituit, dum linteo præcinctus, pedes lavit discipulorum. Ideo ait : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* (*Matth.* XI, 19.) Cum vero tristia atque acerba præter voluntatem, ac si ad voluntatem fluerent, sustines, tunc te ipsum ad mensuram viri pii et religiosi pervenisse agnosce.

Expavi, cum intellexi quemadmodum fraudulentam pertuleris cogitationem, quæ tibi nefaria suggerebat, et dixi : Per hos dies assumendus es; atque adeo quam multi sunt ab hujusmodi suggestione de statu mentis deturbati? Dic tibi ipse, tu quis es? Ad quam mensuram pervenisti! Eliasne es? An res miraculosas instar illius fecisti? Is enim oratione cœlum clausit, et non pluit annos tres et menses sex : iterumque oratione alia imbrem impetravit; ter quoque ignem oratione de cœlo deduxit. (*III Reg.* XVII.) Atqui cunctam fidem, obtines? Experimentum præbe, signa atque prodigia ostende, mortuos oratione excita, oculos cæcorum aperi, dæmones depelle, leprosos munda, claudos sana, super mare ambula tanquam in terra arida, aquam in vinum commuta, quinque panibus ac duobus piscibus copiosam multitudinem oratione pasce. Verax enim est, qui ait : *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, et ille faciet, ac majora efficiet.* (*Joan.* XIV, 12.) Sed accedens quis forsan dicturus est : Si quis igitur non fecerit res illas divinas, non habebit is spem salutis? Spem salutis habemus, etiam hujusmodi per nos non præstitis, si imbecillitatem et modicam fidem nostram confiteamur. Nam infirmus misericordia indiget, et non elatione. Si autem misericordiam requirimus, etiam humilitate opus habemus, ut per eam nobis ipsi miserationes a Domino conciliemus. Scriptum est enim : *Quoniam in humilitate nostra memor fuit nostri Dominus, et redemit nos de inimicis nostris.* (*Psal.* CXXXV, 23, 24.) Ac rursus : *Humiliatus sum, et liberavit me.* (*Psal.* CXIV, 6.) Quod si ventis innixi, magnifice de nobis sentimus, non aliud facimus, nisi nos ipsi in abyssum præcipites agimus. Noli igitur superbiæ modum admittere, ne forte mentem tuam subito deprædetur inimicus. Resipisce ergo ab elata cogitatione propriæ complacentiæ. Noli retia propriis injicere pedibus. Mentem tuam ab hoc veneno mortifero per humilitatem deterge. Doceat te forma atque exemplum ejus, qui propriam verrit domum, seque in pavimentum inclinat et mundat.

Quanto majori studio et cura incumbere nos decet, atque humiliari ad purgationem animæ, neque in ea permittere, quæ odit Deus. In humili enim anima habitat simul Pater et Filius et Spiritus sanctus. Nam scriptum est : *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templi Dei cum idolis?* (*II Cor.* VI, 14-16.) *Nos enim templum sumus Dei vivi, sicut dicit Deus : Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter illos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus.* (*Ibid.*) *Propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis; et ego recipiam vos, et ero vobis in Patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens.* (*Ibid.* 17, 18.) *Has ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et Spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* (*II Cor.* VII, 1.) Cum ergo certando exieris de medio rerum temporalium, separatusque fueris a fluctuationibus ac tempestatibus vitæ nequam, tunc abundantius decerta; ne cum immundo spiritu superbiæ societatem habeas, ut te recipiat Dominus. Immundus enim vere apud Dominum omnis qui elato est corde. Annon consideras illum, per quem transibimus ignem? Quando igitur pertranseuntes eum, mundi deprehensi fuerimus et irreprehensibiles, tunc cognoscemus nos ipsi quales sumus. *Dies enim illa, uniuscujusque opus declarabit* : Sicut scriptum est : *Quia igne revelabitur.* (*I Cor.* III, 13.)

Rogemus ergo multa cum humilitate Dominum, ut a futuro nos timore eripiat, raptuque illo nos dignetur, quando justi rapientur in nubibus obviam regi gloriæ in aera (*I Thessal.* IV), hæredesque cœlestis regni evadamus cum mansuetis atque humilibus. Nam quemadmodum secundum Scripturam : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V, 3; *Luc.* VI, 10), ita væ superbis et alte sapien-

Digitized by Google

tibus, quia eorum est caminus ignis. In superbia enim habitat qui dixit : In fortitudine manus meæ faciam, et in sapientia intellectus auferam terminos gentium, et fortitudinem eorum deprædabor; et concutiam civitates habitatas, et universum orbem terræ : apprehendam manu quasi nidum, et quasi ova derelicta tollam : et non est qui effugiat me, aut contradicat mihi. Sed mittet dominator Dominus exercituum in honorem tuum ignominiam, et in gloriam tuam ignem ardentem accendet. (*Isa.* x.) Et rursus : *Dixisti in corde tuo : In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum. Sedebo in monte excelso, in lateribus aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, et similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum terræ.* (*Isa.* XIV, 13, 14.)

Fugiamus ergo superbiam quam detestatur Deus : diligamus vero humilitatem qua cuncti justi complacuerunt Deo. Magnum quippe donum est humilitas, magna gloria, magna felicitas, et honor possidentibus eam. In ipsa enim cursus sine defectu est, et sapientia integra atque perfecta. Nam per superbiam pharisæus ille humiliatus est, et per humilitatem publicanus exaltatus : cum quo nos immortalitatis hæreditate ac parte dignetur Dominus cum omnibus justis. Quoniam ipsi convenit gloria in sæcula. Amen.

S. Basil., *De hominis structura.*— Proclive adest inintermissumque vilitatis nostræ et imbecillitatis monumentum, unde incedimus, unde tangimus, unde cernimus, unde alimur, unde jugiter conspurcamur. Quid humo lutoque unde tu formatus es, abominabilius ac spernendum magis? Quæ major ratio modeste sapiendi, et ut nullo nos dignos existimemus? Cum igitur quempiam videris de se altum sapientem, amœno pictoque amictu, splendenti annulo, pallam gestantem ingentis pretii, superfluam trahentem servitii turbam, promissa coma atque soluta, eaque flava ac torta, artisque lenocinio in auras sparsa, aureos circumferentem torques, aurea sella curuli, vultu, sermone majestatis pleno, tollentem animos, præ multitudine deducentium, comitantium, adulatorum; famulorum quos trahit, turbam submoventem; parasitorum lautis mensis ac splendidis inhiantium; ad faustas acclamationes salutationesque in foro, quas omnes deferunt, alii e subselliis surgentes, alii obviam procedentes, alii deducentes, atque alius aliud quid, ejus honoris laudisque causa exhibentes. Cum hosce magistratus præsidesque videris, præeunte alta voce præcone præcedentes, atque alium submoventes, alium cædentes, alium publicantes, alium neci addicentes; ne ea quæ videntur magna putaveris, ne animo concideris, ne pompa fastuque offendaris. Tecum reputa fecisse Deum hominem, sumpto e terra pulvere. Ac siquidem aliud quidpiam est, quod in homine cernitur, time, ac quæ geruntur miraculo habe : si autem pulvis e terra est : qui se his jactabundus effert, contemne.

S. Ambros., *Exposit. in psal.* CXVIII. — *Superbi inique agebant nimis.* (*Psal.* CXVIII, 51.) Maximum peccatum in homine superbia est; quandoquidem inde manavit nostri origo delicti. Hoc telo nos primum diabolus vulneravit et perculit. Nam nisi homo serpentis persuasione deceptus sicut Deus esse voluisset, et verum falsumque cognoscere, quod penitus discernere humana fragilitate non poterat; ideoque quod sequeretur acceperat, ne temeraria usurpatione de illa paradisi felicitate decideret : nisi, inquam, homo suis non contentus finibus interdicta temerasset, nunquam feralis culpæ ad nos transisset hæreditas. Et quid de homine dicam? Ipse diabolus per superbiam naturæ suæ amisit gratiam. Denique dum dicit : *Ponam thronum meum super nubes.... et ero similis Altissimo.* (*Isa.* XIV, 13, 14.) consortiis excidit angelorum; cujus criminis digna mercede damnatus, hominem sibi participem requisivit, in quem consortium suæ transfunderet offensæ.

Quid igitur hoc peccato potest esse deterius, quod a Dei cœpit injuria? Ideoque Scriptura dicit : *Dominus superbis resistit.* (*Prov.* III, 34.) Tanquam suæ contumeliæ propulsator, veluti quoddam suscepit adversus superbiam speciale certamen; tanquam dicat : Meus iste adversarius est, qui me lacessit, mihi debetur ista congressio. Unde et Apostolus multiplicis culpæ materiam esse superbiam declaravit, dicens de hæretico : *Quia ei qui secundum pietatem est, doctrinæ non acquiescit : superbit nihil sciens, sed languescens circa quæstiones et pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, sacrilegia, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, et a veritate alienorum, existimantium quæstum esse pietatem.* (*I Tim.* VI, 3, 4, 5.) Quantorum itaque expressit causam esse delictorum superbiam? Unde David commendare volens devotionem suam nulla superborum iniquitate attentatam, ait : *Superbi inique agebant nimis.* Non solum iniquitatem agentium, sed etiam nimiam iniquitatem pariter declaravit, quæ conveniret superbis : quorum ne aliquo tentaretur contagio, audi alibi dicentem : *Superbo oculo, et insatiabili corde, cum hoc non edebam.* (*Psal.* C. 5.)

S. Chrysost., hom. 10 *in Joan.* — *Principium peccati superbia.* (*Eccli.* X, 15.) Hoc est radix, fons, mater. Sic per eam primus homo a beato illo statu dejectus est; sic diabolus qui illum decepit, ab illa dignitatis sublimitate excidit. Quare cum nosset scelestus ille hujus peccati naturam posse ex ipsis cœlis dejicere, hanc ingressus viam est, cum Adamum ex tanto honore deturbare curavit. Cum enim illum spe æqualitatis cum Deo adipiscendæ inflatum reddidisset, sic illum dejecit, et in profundum inferni præcipitavit. Nihil enim ita a Dei benignitate avertit, et gehennæ ignis supplicio tradit, ut superbiæ tyrannis. Hac nos occupante, tota vita nostra impura efficitur, etiamsi castitatem, virginitatem, jejunium, precationem, eleemosynam, cæterasque virtutes

Digitized by Google

exerceamus. *Immundus*, inquit, *apud Dominum omnis superbus*. Hunc ergo animi tumorem comprimamus; hunc fastum de medio tollamus, si mundi velimus esse, et ab eo quod diabolo paratum est, supplicio liberari. Nam quod arrogans eodem quo diabolus sit supplicio puniendus, audi Paulum dicentem : *Non neophytum; ne in superbiam elatus, in judicium incidat, et in laqueum diaboli.* (*I Tim.* III, 6.) Quid est judicium? In eamdem, inquit, damnationem, in idem supplicium. Quomodo igitur hoc malum effugeris? Si tecum reputes naturam tuam, si peccatorum multitudinem, si magnitudinem cruciatuum : si cogitaveris quam fluxa sint ea quæ in hoc mundo splendida videntur esse, quæque facilius marcescunt quam verni flores. Si has frequenter cogitationes animo versemus, si memoria repetamus eos qui in virtute maxime floruerunt, non facile diabolus nos efferre poterit, quantumvis contendat, neque inire viam qua nos supplantet. Deus autem humilium, benignus ille et mansuetus, et vobis et nobis cor contritum et humiliatum tribuat.

S. August., *De sancta virginitate*, tom. VI. —*Superbiæ poculo mors nobis propinata atque transfusa est. Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* (*Matth.* XI, 19.) O doctrinam salutarem, o Magistrum Dominumque mortalium quibus mors poculo superbiæ propinata atque transfusa est! Noluit docere quod ipse non esset, noluit jubere quod ipse non faceret. Video te, bone Jesu, oculis fidei, quos aperuisti mihi, tanquam in concione generis humani clamantem ac dicentem : *Venite ad me, et discite a me.* Quid, obsecro te per quem facta sunt omnia, Fili Dei, et idem qui factus es inter omnia, Fili hominis, quid ut discamus a te, venimus ad te? *Quoniam mitis sum*, inquit, *et humilis corde.* Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi in te, ut hoc pro magno discamus a te, *quoniam mitis es et humilis corde?* Itane magnum est esse parvum, ut nisi a te qui tam magnus es fieret, disci omnino non posset? Ita plane. Non enim aliter invenitur requies animæ, nisi inquieto tumore digesto, quo magna sibi erat, quando tibi sana non erat.

S. Bernard., *Serm. in Cantic. B. Virginis.*, tom. II. — Quid superbia, nisi pulvis in altum sublatus et in ventum dispersus? *Dispersit superbos mente cordis sui* (*Luc.* I, 51) : hoc est eos qui superbiunt mente cordis sui. Quam dilucide secretum pessimæ elationis latibulum reseravit! Est enim quædam quasi bruta et vilis superbia, quæ omnibus etiam stultis palam est, quæ maxime. In carnalium sensuum voluptate moratur; sicut est aut de nitida carne, aut de pulchra veste, aut de cibi vel alicujus immundi desiderii expleta voluptate gestire. Est et alia quæ sibi pulchrior videtur superbia, et tamen longe turpior, sicut est de scientia vel potentia, vel de ingenii subtilitate super alios extolli, et cæteros quasi pecora præ se reputare, quæ præclaros hujus sæculi solet occupare. Est et tertium genus teterrimum, uti de virtutibus, de miraculis, de intelligendis angelorum linguis, vel mysteriis cœlestibus apud se gloriari. Isti enim sunt *qui superbiunt mente cordis sui.*

SUPERSTITIO

[Ex SS. Patribus.]

S. Clem. Alex., *Strom.*, lib. II, tom. I. — Superstitio est passio, ut quæ sit dæmonum metus, qui passionibus susque deque feruntur et agitantur : e contra igitur Dei impatibilis metus est impatibilis : timet enim quis non Deum, sed a Deo excidere. Qui autem hoc veretur, nempe ne in mala incidat, mala timet et veretur : qui autem timet ne cadat, esse se ab interitu alienum vult et impatibilem. Sapiens timens declinavit a malo : insipiens autem confidens aggreditur, ait Scriptura. (*Prov.* XIV, 16, 26.)

Tertull., *De orat.* — Quoniam aliquod attigimus vacuæ observationis, non pigebit cætera quoque denotare, quibus merito vanitas exprobranda est, siquidem sine ullius aut Dominici aut apostolici præcepti auctoritate fiunt. Hujusmodi enim non religioni, sed superstitioni deputantur, affectata et coacta, et curiosi potius quam rationalis officii, certe vel eo coercenda quod gentilibus adæquant. Ut est quorumdam, expositis pænulis orationem facere; sic enim adeunt ad idola nationes.

S. Chrysost., hom. 10 *in I Tim.* — Alia mitto lacrymis digna, ut auguria, vaticinia, observationes, geneses, symbola, ligamina, divinationes, incantationes, magicas artes. Vere magna sunt illa quæ Dei iram concitare possint, quod postquam ille Filium suum misit, nos talia audeamus. Quid igitur faciendum? Nihil aliud quam ingemiscendum. Vix enim pars orbis minima servatur.

Idem, *Epist. ad Colos.* — Quid vero aliud quoque ridiculum? Cinis et fuligo et sales. Et rursus in medium prodit anicula, res plane ridicula et pudenda. Et oculus, inquit, rapuit infantem. Quousque hæc satanica? Quomodo non ridebunt Græci? Quomodo non subsannabunt, quando eis dicemus magnam esse virtutem crucis? Quomodo id eis persuadebitur, cum videant nos opus habere iis quæ ipsi irrident.

Idem, *in Epist. ad Corinth.* — Post nuptias si natus fuerit infans, videbimus amentiam et multa symbola risu plena. Nam cum infanti nomen imponere oportuerit, non sanctorum nomine, ut veteres olim faciebant; accensis lucernis quibus nomina induunt, nato nomen induunt ejus quæ diutius lucem dederit, hinc conjicientes futurum ut diu vivat. Deinde si immaturum morte corripi contigerit, ut sæpe accidit, multus sequetur

Digitized by Google

diaboli risus, quod illos, ceu stultos pueros, ludificaverit. Quid dixeris de ligaminibus, et de crepitaculis manui appensis, et de stamine coccineo, deque aliis multis insania plenis; cum oporteret nihil aliud puero circumponere, quam crucis custodiam. Nunc autem hic quidem despectui est habitus, qui convertit totum orbem terrarum, et gravem diabolo plagam inflixit, totamque ejus potentiam subvertit. Subtegmen autem et stamen aliaque ligamina similia, ea sunt queis creditur pueri tutela. Dicamne aliud magis ridiculum? Sed nemo nos importunitatis accuset, si eousque procedat oratio. Nam qui putredinem vult emundare, non recusabit prius inquinare manus suas. Quidnam ergo est hoc ridiculum? Quod quidem nihil esse videtur, ideoque ingemisco; sed est principium insaniæ et extremæ dementiæ.

Lutum mulieres in balneo accipientes, nutrices et ancillæ, digito tingentes, in pueri fronte imprimunt. Et si quis interroget quid sibi vult lutum, quid cœnum? Malum avertit oculum, inquiunt, livoremque et invidiam. Papæ! quanta vis luti, quanta cœni potestas; tantam ut totam diaboli aciem profliget? Non pudore, quæso, suffundemini? Non vel sero tandem diaboli laqueos intelligetis, quomodo ab ineunte ætate machinas suas paulatim inducat? Nam si lutum hoc faciat, cur non tu in fronte tua idipsum facis, cum vir sis et plena ætate, et plus quam puer invidos habeas? Cur non luto illinis totum corpus? Nam si in fronte tantam habet virtutem, cur non te totum luto inungis? Hæc sunt risus et comœdia satanica, quæ non ad irrisionem tantum, sed ad gehennam præcipitant eos qui decipiuntur. Certe quod apud Græcos talia fiant mirum non est; quod autem apud eos qui crucem adorant, et mysteriorum arcanorum participes sunt, et tanta philosophantur, id certe multis lacrymis est dignum. Deus te unguento spirituali honoravit, et tu luto filium deturpas? Deus te decoravit, et tu teipsum dedecoras? Et cum oporteret in fronte crucem ascribere, quæ insuperabilem tutelam præbet, tu, his dimissis, in satanicam amentiam decidis?

Si quibus autem hæc parva esse videantur, discant id esse magnorum causam malorum, neque Paulo visum fuisse parva negligere. Quid enim, quæso, minus est, quam ut homo caput operiat? Sed vide quantam hujus rei curam habeat, et cum quanta prohibeat vehementia, tum alia multa dicens, tum quod caput suum dehonestet. Si autem qui tegit caput, ipsum dehonestat; qui luto illum ungit, quomodo non puerum reddit abominandum? Quomodo, quæso, adducit eum ad manus sacerdotis? Quomodo precaris ut presbyteri manu signaculum in fronte opponatur, ubi luto unxisti? Ne, fratres, ne hæc faciatis, sed ab ineunte ætate pueros spiritualibus armis munite, et docete eos manu frontem signare; etiam prius quam possint hoc manu facere, vos ipsi eis crucem imprimite.

Quid dixeris de aliis satanicis observationibus in doloribus uteri et in partu adhibitis, quas obstetrices in capitis sui malum indicunt? De iis item quæ in morte, et cum corpus effertur, adhibentur; ejulatus nempe, planctus insani, stulta in sepulcris admissa, circa monumenta studium, intempestivum et ridiculum præficarum agmen, dierum observationes, nec non ingressus et exitus? Horumne, quæso, venaris gloriam? Et quomodo hæc non extremæ dementiæ fuerint, hominum ita mente corruptorum et omnia temere agentium gloriam quærere, cum oporteret semper ad insomnem illum confugere oculum, et ejus sententiam spectantes omnia facere, ac dicere? Hi certe etiamsi laudent, nihil vos juvare poterunt. Ille vero, si gesta nostra ipsi fuerint accepta, et hic splendidos reddet, et in futuro die arcana illa bona tribuet: quæ nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi.

S. Chrysost., *ad illuminan.*, cath. 2.—Pompa satanica sunt theatra, circenses, et omne peccatum, dierum observatio, præstigiæ et omina. Et quid tandem sunt omina? Sæpe domo quis sua egressus hominem vidit in oculum, vel claudicantem, et ominatus est. Hæc est pompa satanica: non enim hominis occursus malum facit diem, sed in peccatis vivere. Cum igitur exieris, unum modo cave, ne occurrat tibi peccatum: hoc enim est quod supplantat, præter hoc vero nec ipse diabolus nos quidpiam lædere poterit. Quid dicis? Hominem cernis, et ominaris, nec cernis laqueum diabolicum, quomodo te illi qui te nulla affecit injuria reddit inimicum? Quomodo te fratri constituit adversarium ex nulla justa occasione? Et Deus quidem vel inimicos amare nos jussit: tu autem nil lædentem aversaris, nil accusandum habens, nec cogitas quantus risus, quantum dedecus, imo vero quantum periculum? Dicamne et aliud ridiculosius? Confundor nempe et erubesco. Sed cogor propter salutem vestram dicere. Si virgo, inquit, occurrerit, sterilis dies erit; si vero meretrix, dextera et bona, et multa mercatione plena. Occultamini, et frontem percutitis, et ad terram inclinatis; sed non nunc dum dicuntur verba, sed cum fiunt opera, erubescendum erat. Vide nempe quomodo et hic diabolus dolum abscondit, ut modestam quidem aversemur, impudicam vero gratam habeamus et amemus. Quoniam enim audivit Christum dicentem: ***Qui aspicit mulierem ad concupiscendum, jam mœchatus est eam*** (*Matth.* v, 28), et vidit multos lasciviam vincere, volens rursum per aliam viam ipsos in peccatum impellere, per hanc observationem meritoriis mulieribus libenter oculos intendere persuasit.

Quid verò diceret aliquis de iis qui carminibus et ligaturis utuntur et de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numismata capiti, vel pedibus? Dic mihi, an hæ sunt exspectationes nostræ, ut post crucem et mortem Dominicam in gentilis regis imagine spem salutis habeamus? Ignoras quanta

Digitized by Google

crux perfecit: mortem dissolvit, peccatum exstinxit, orcum inanem reddidit, diaboli solvit potentiam, ad corporis sanitatem præstandam non est fide digna? Totum orbem exsuscitavit, et tu in ipsa non confidis? Et quid pati dignus non esses?

Non ligaturas vero tantum, sed etiam excantamenta tibi circumducis, vetulas ebrias et titubantes domum ducens. Nec confunderis, nec erubescis post tantam ad hæc trepidans disciplinam; et quod gravius est errore, quando hæc admonemus, et dissuademus, putantes se excusari dicunt : Christiana est mulier hæc excantans, et nihil aliud loquitur, quam Dei nomen. Propterea namque potissimum ipsam odi et aversor, quod Dei nomine ad contumeliam utatur; quod se dicens esse Christianam, gentilium opera faciat; etenim et dæmones Dei nomen proferebant, sed tamen erant dæmones, et ita Christo dicebant : *Scimus te, qui sis, Sanctus Dei* (*Marc.* I, 24), et tamen ipsos increpavit et ejecit. Propterea quippe vobis supplico, ut ab hac sitis fallacia puri, et tanquam baculum hoc verbum habeatis. Et sicut sine calceamentis, vel vestimentis vestrum nemo in forum descendere vellet : ita sine verbo hoc nunquam in forum prodeas, sed cum es januæ vestibula transgressurus, hoc prius loquere verbum : Abrenuntio tibi, Satana, et pompæ tuæ, et cultui tuo, et conjungor tibi, Christe. Ne unquam absque hac voce exeas : hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis. Cum hoc verbo et crucem in fronte imprime; sic enim non tantum homo occurrens, verum nec ipse diabolus te quidquam lædere poterit, cum his te cernens armis ubique apparentem. Et hæc teipsum jam hinc doce, ut cum signum ceperis, sis miles paratus, et contra diabolum tropæum erigens, justitiæ coronam capias.

S. Aug., *De doctrina Christ.* — Superstitiosum est, quidquid institutum est ab hominibus ad facienda et colenda idola, pertinens vel ad colendam sicut Deum creaturam partemve ullam creaturæ, vel ad consultationes et pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque fœderata, qualia sunt molimina magicarum artium, quæ quidem commemorare potius quam docere assolent poetæ. Ex quo genere sunt, sed quasi licentiore vanitate, haruspicum et augurum libri. Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ, atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, sive in præcantationibus, sive in quibusdam notis quos characteres vocant, sive in quibusque rebus suspendendis, atque illigandis, vel etiam aptandis quodammodo, non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes aut occultas, aut etiam manifestas; qui mitiore nomine physica vocant, ut quasi non superstitione implicare, sed natura prodesse videantur : sicut sunt inaures in summo aurium singularum, aut de struthionum ossibus ansulæ in digitis, aut cum tibi dicitur singultienti, ut dextera manu sinistrum pollicem teneas.

His adjunguntur millia inanissimarum observationum, si membrum aliqnod salierit, si junctim ambulantibus amicis lapis, aut canis, aut puer medius intervenerit; atque illud quod lapidem calcant, tanquam diremptorem amicitiæ, minus molestum est, quam quod innocentem puerum colapho percutiunt, si pariter ambulantibus intercurrit. Sed bellum est quod aliquando pueri vindicantur a canibus : nam plerumqne tam superstitiosi sunt quidam, ut etiam canem qui medius intervenerit, ferire audeant, non impune; namque a vano remedio cito ille interdum percussorem suum ad verum medicum mittit. Hinc sunt etiam illa, limen calcare cum ante domum suam transit; redire ad lectum, si quis dum se calceat, sternutaverit; redire domum, si procedens effunderit; cum vestis soricibus roditur, plus tremere suspicione futuri mali, quam præsens damnum dolere. Unde illud eleganter dictum est Catonis, qui cum esset consultus a quodam, qui sibi a soricibus erosas caligas diceret, respondit non esse illud monstrum, sed vere monstrum habendum fuisse, si sorices a caligis roderentur.

[Ex conciliis.]

Ex conc. Eliberitano, sub Marcello I, an. 305. — 6. Si quis maleficio interficiat alterum eo quod sine idololatria perficere scelus non potuit, placuit nec in fine impartiendam esse illi communionem :

34. Cereos per diem placuit in cœmeterio non incendi more gentilium; qui hæc non observaverint arceantur ab Ecclesiæ communione.

Ex conc. Ancyrano, sub Silvestro I, an. 314, *et Epist., Adriani I, an.* 773. — Qui divinationes expetunt more gentilium, quinque annis pœniteant.

Ex conc. Laodiceno, sub Silvestro I, an. 320. — 36. Non oportet ministros altaris, aut clericos magos et incantatores esse, aut facere quæ dicuntur phylacteria, quæ sunt magna obligamenta animarum; hos autem qui talibus rebus utuntur, projici ab Ecclesia jussimus.

Ex conc. Nicæno gener. I, *sub Silvestro I, an.* 325, *edit. Arab.* — 20. Nemo fidelium conversetur cum maleficis et divinis; qui hoc fecerit, si sacerdos fuerit, movendus est gradu suo, ac prohibendus communione fidelium, et ingressu ecclesiæ ac communione sacra; si vero fuerit laicus, prohibendus est ecclesia; quod si ad agendam pœnitentiam venerit, agat annis viginti, quo tempore pane tantum et sale vesci debet.

Ex conc. Romano IV, *sub Damaso, an.* 382. — 4. Omnes maleficos, sacrilegos, augures aliisve superstitionibus vacantes excommunicandos esse, feminas illas quæ a dæmone illusæ, putant se noctu super animalia ferri, atque cum Herodiade circumvagari, eadem sententia plectendas esse.

Ex conc. Carthaginensi IV, *sub Anastasio,*

Digitized by Google

an. 398. — 89. Auguriis vel incantationibus servientem a conventu Ecclesiæ separandum.

Ex fragmentis conc. Toletanorum, secundum Burchardum. — 17. De femina quæ menstruum suum sanguinem immiscuit cibo vel potui, et dedit viro suo ut comederet, et de illa quæ semen viri sui in potu bibit, et de ea quæ testam hominis combussit igni, et viro suo dedit, pro infirmitate vitanda, ut nobis videtur tali sententia sunt feriendæ, sicut magi et arioli, quia magicam artem exercuisse noscuntur; qui autem immolat dæmoniis in minimis, uno anno pœniteat, qui vero in magnis decem annis pœniteat.

Ex conc. Venetico, sub Leone I, an. 443. — 26. Ne fortasse id videatur omissum quod maxime festum catholicæ religionis infestat quod aliquanti clerici student auguriis, et sub nomine confictæ religionis (quas sanctorum sortes vocant) divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque Scripturarum inspectione futura promittunt, in hoc quicunque clericus detectus fuerit consulere, vel docere, ab Ecclesia habeatur extraneus.

Ex eod. concilio, secundum Ivonem. — Si aliqua femina sit quæ per quædam maleficia et incantationes mentes hominum immutare se posse dicat, et si sit quæ se dicat cum dæmonum turba in similitudinem mulierum transformata, certis noctibus equitare super quasdam bestias, et in eorum consortio annumeratam esse, hæc talis omnimodis scopis correcta, ex parochia ejiciatur.

Ex conc. Aurelianensi, sub Symmacho, an. 507. — 32. Si quis clericus, monachus vel sæcularis, divinationem vel auguria crediderit observanda, vel sortes (quas mentiuntur esse sanctorum) quibuscunque putaverint intimandas cum his qui eis crediderint, ab Ecclesiæ communione pellantur.

Ex conc. Aurelianensi, IV *sub Vigilio, an.* 545. — 16. Si quis christianus apud cujuscunque feræ vel pecudis exta, invocatis insuper nominibus paganorum, fortasse juraverit, si se ab hac superstitione commonitus noluerit cohibere, donec reatum emendet a consortio fidelium, vel Ecclesiæ communione pellatur.

Ex conc. Narbonensi, sub Pelagio II, an. 589. — 14. Si qui viri ac mulieres divinatores, quos dicunt esse catagios, atque sorticularios in cujuscunque domo fuerint inventi, aut quis ausus fuerit amodo in eorum vana carmina interrogare, et non publice hoc voluerit annuntiare, pro hoc quod præsumpsit ab Ecclesia suspendatur, et sex auri uncias comiti civitatis inferat; qui vero sortes et divinationes faciunt, ubi inventi fuerint, sive liberi, sive servi, vel ancillæ sint, gravissime publice fustigentur et venundentur, et pretia ipsorum pauperibus erogentur.

15. Quidam exsecrabili ritu quinta feriam (quæ et dicitur Jovis) excolunt, et operationem non faciunt, quicunque ab hac die præter festivitates in eo die venientes, ausus fuerit vacare, et opera non facere, si ingenuus est de Ecclesia repellendus, et sub pœnitentia mittendus anno uno, et eleemosyna et metu satisfaciat, si servus aut ancilla fuerit, contenta flagella correcti domino consignantur.

Ex conc. Antisiodorensi, sub Gregorio I, an. 590. — 4. Non licet ad sortilegos vel auguria respicere, nec ad characteres, nec ad sortes, quos sanctorum vocant, vel quas de ligno vel de pane faciunt aspicere, sed quæcunque homo facere vult, omnia in nomine Domini faciat.

Ex conc. Rhemensi, sub Honorio, an. 630.— 19. De his qui auguria vel paganorum ritus inveniuntur imitari, vel cum paganis superstitiosos comedunt cibos, pœnitentia dignum tempus exsolvant.

Ex conc. Toletano IV, *sub Honorio I, an.* 633.—28. Si quis episcopus aut presbyter sive diaconus vel quilibet ex ordine clericorum, magos aut aruspices, aut ariolos, aut certe augures, vel sortilegos, vel eos qui profitentur artem magicam, vel aliquem eorum similia exercentem consuluisse fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ depositus monasterii censuram excipiat, ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus, scelus admissum sacrilegii solvat.

Ex conc. Romano I, *sub Gregorio II, an.* 721.—12. Si quis ariolos, aruspices, incantatores, observaverit, aut phylacteriis usus fuerit, anathema sit.

13. Si quis in quamlibet partem præcepta ante emissa apostolicæ Ecclesiæ, de olivetis et locis diversis temeraverit, et non in omnibus observaverit, anathema sit.

Ex conc. Leptinensi, sub Zacharia, an. 743. — 3. Qui paganas observationes in aliqua re fecerit, mulctetur et damnetur 15 solidis.

Ex conc. Romano, sub Zacharia, an. 743.— 9. Si quis Kalendas Januarii et broma colere præsumpserit, aut mensas cum dapibus in domibus præparare, aut per vicos et plateas cantationes et choros ducere, anathema sit.

Ex conc. Turonensi III, *sub Leone III, an.* 813 — 42. Admoneant sacerdotes fideles populos, ut noverint magicas artes, incantationesque quibuslibet infirmitatibus hominum nihil posse remedii conferre, sed hæc esse laqueos et insidias antiqui hostis, quibus ille perfidus, genus humanum decipere nititur.

Ex conc. Ticinensi, sub Leone IV, an. 850. — 25. Quædam maleficæ illicitum amorem aliorum mentibus, aliis vero odium immittere dicuntur, quædam etiam ita venenariæ sunt, ut quosdam peremisse multo populi rumore dicuntur, hujusmodi diaboli ministras diligenti examinatione proditas, sub acerrima pœnitentiæ redigendas statui-

Digitized by Google

mus, et in ipso tantum exitu, si tamen prius digna pœnitentiæ opera fecerint, reconciliandas esse permittimus.

Ex conc. Erpfordiensi, sub Joanne XI, an. 932. — 5. Ut nemo, nisi consentiente proprio episcopo aut ejus misso, sub obtentu religionis jejunium sibi imponat unum præ aliis, excipiendo omni modo interdicimus, quia plus causa ariolandi esse cognoscitur, quam supplementum legis catholicæ.

Ex conc. Anglicano, sub Gregorio I, an. 1075. — 8. Ne ossa mortuorum animalium quasi pro vitanda animalium peste, alicubi suspendantur, nec sortes vel aruspicia seu divinationes vel aliqua hujusmodi opera diaboli ab aliquo exercentur.

Ex conc. Londinensi I, *sub Honorio II, an.* 1125. — 12. Sortilegos, ariolos et auguria quæque sectantes, eisque consentientes, excommunicari præcipimus, perpetuaque notamus infamia.

Ex conc. Sabinensi Hispan., sub Joanne XXII, an. 1322. — 24. Ne aliqui ad sortilegos, maleficos, incantatores, divinatores accedere, aut ab eis super suis vel aliorum actibus consilium petere præsumant; alioquin tam ipsi, quam ab eis consilia requirentes, ipso facto excommunicationem incurrant.

Ex conc. Lateran. univers. XVII, *sub Leone X, an.* 1517, sess. 9, *de reformat.* — 28. Clerici qui in sortilegiis per invocationem dæmonum, incantationibus ac divinationibus superstitionibusque culpabiles inventi fuerint, arbitrio superiorum infamia notentur; si vero non destiterint deponantur, atque in monasterium ad tempus arbitrio superioris perfiniendum detrudantur, beneficiisque et officiis ecclesiasticis priventur, laici vero utriusque sexus, excommunicationis et aliis pœnis juris tam civilis quam canonici subjaceant.

Ex conc. Ratisponensi, sub Clemente VII, an. 1524. — 31. In sortilegos, divinaculos, incantatoresque clericos statuimus, ut arbitrio superiorum infamia notentur, si qui moniti non destiterint, ordine amoveantur, inque monasterium ad tempus juxta arbitrium superioris relegentur, beneficiis, officiisque suis ecclesiasticis privati.

Ex conc. Coloniensi I, *sub Paulo III, an.* 1536, *part.* IX. — 16. Quidquid in rebus ad abusum et superstitionem spectat, et quo populus a Deo ad collocandum in externis istis aliquam fiduciam abduci possit prohibemus, quale inter alia est quod sanctæ imagines cum indulgentiis et impositione incertarum reliquiarum dedicantur, quod quidam sale, aqua, cereis ac herbis benedictis in medicandis pecoribus superstitiosius abutuntur.

Ex conc. Trevirensi, sub Paulo III, an. 1548. — 6. Qui auguria et sortes tractant, sive sacri sive profani, aut divinationibus, aut incantamentis vacant, per officiales anathemate percussi in vincula conjicietur.

Ex conc. Moguntino, sub Paulo III, an. 1549. — 101. Clericum sortilegum protinus ab omni functione ecclesiastica et ordine removendum et excommunicatione censemus alligandum, et si incorrigibilis esse perrexerit, ad monasterium arctum pro agenda pœnitentia detrudatur, aut prorsus abjiciatur, laici vero ab hac arte execrabili publicatione bonorum suorum, aut pervicacia eorum exigente perpetua captivitate, aut graviore pœna coerceantur.

Ex conc. Mediolanensi I, *sub Pio IV, an.* 1565, *part.* I. — 10. Magos et maleficos qui se ligaturis, nodis, characteribus, verbis occultis, mentes hominum perturbare, morbos inducere, vel expellere, corporum figuram et constitutionem immutare, ventis, tempestati, aeri ac mari, incantationibus imperare posse sibi aut aliis persuadent, etc. Episcopi acriter puniant, et e societate fidelium exterminent, etc. Deinde omnem divinationem ex aere, aqua, terra, igne, ex inanimatis, ex sortibus, somniis, mortuis, aliisve rebus quibus per dæmonum significationem incerta pro certis affirmantur, exterminent et ejiciant.

Ex conc. Narbonensi, sub Paulo V, an. 1609. — 3. Damnamus magos, veneficos, divinatores, sortilegos, conjectores, augures, aruspices mathematicos judiciarios, cum dæmonibus fœdera, et pacta tacite vel expresse habentes, morbos imprecationibus, verbis, ligaturis, aut actionibus superstitiose sanare intendentes, eosque, uti sacra decretal excommunicarunt ipso facto, sic et nos excommunicamus.

22. Excommunicationis ipso facto incurrendæ sententiam ferimus in eos qui sortilegia et veneficia, aut incantationes in matrimonia contrahentes, aut benedictionem nuptialem suscipientes exercent.

SYNODI CONCILIA

[Ex SS. Patribus.]

Vide verb. ECCLESIA.

[Ex conciliis.]

Ex conc. Romano, sub Sylvestro I, an. 325. — 1. Omnes qui ausi fuerint dissolvere definitionem sancti et magni concilii quod apud Nicæam congregatum est sub præsentia piissimi et venerandi principis Constantini Augusti, anathematizamus.

Ex conc. Antiocheno, sub Julio I, an. 340, *et Ep. Adriani I, an.* 773. — Ut in provincia, episcoporum concilia bis in anno fiant, semel quidem post tertiam septimanam festi paschalis, secunda synodus fiat, Idibus Octobris, id est 15 Octobris.

Ex conc. Arelatensi II, *sub Siricio, an.* 389. — 18. Ad Arelatensis episcopi arbitrium synodum congregandam, ad quam urbem ex omnibus mundi partibus præcipue Gallicanis sub sancti Marini tempore

Digitized by Google

legimus celebratum fuisse concilium atque conventum, si quis commonitus infirmitatis causa defuerit, personam vice sua dirigat.

19. Si quis autem adesse neglexerit, aut cœtum fratrum, antequam dissolvatur concilium, crediderit deferendum (seu descrendum) alienum se a fratrum communione cognoscat, nec eum recipi liceat, nisi in sequenti synodo fuerit absolutus.

29. Si quis episcopi sui sententiæ non acquieverit synodi legibus audiendum secundum instituta seniorum.

37. Hoc etiam placuit custodiri et nihil contra magnam synodum metropolitanis existiment vindicandum.

Ex conc. Hipponensi, sub Siricio, an. 393. — 6. Ut per singulos concilium convocetur.

Ex conc. Carthagin. II, *sub Siricio, an.* 397, *seu sub Cœlestino, an.* 425. — 1. Ut statuta Nicæni concilii omnimodis conserventur.

Ex conc. Carthaginensi III, *sub Siricio, an.* 397. — 2. Placuit ut propter causas ecclesiasticas quæ ad perniciem plebium sæpe veterascunt, singulis quibusque annis concilium convocetur, ad quod omnes provinciæ quæ primas sedes habent de conciliis, suis ternos legatos mittant, ut et minus invidiosi, minusque hospitibus sumptuosi conventus, plena possit esse auctoritas, de Tripoli autem propter inopiam episcoporum unus episcopus veniat.

28. Hinc dirigendæ sunt litteræ concilii ad transmarinos episcopos.

Ex conc. Carthaginensi IV, *sub Anastasio, an.* 398. — 21. Ut episcopus ad synodum ire non fine satis gravi necessitate inhibeatur, sic tamen ut in sua persona legatum mittat, susceptarus (salva fidei veritate) quidquid synodus statuerit.

25. Dissidentes episcopos, si non timor Dei synodus reconciliet

28. Irritam esse injustam episcoporum damnationem et idcirco a synodo retractandam.

29. Episcopus si clerico vel laico crimen impegerit, deducatur ad probationem in synodo.

66. Clericus qui episcopi circa se districtionem injustam putat, recurrat ad synodum.

Ex conc. Carthaginensi V, *sub Anastasio, an.* 398. — 7. Placuit ut dies concilii II. Kalenda Novembris servetur, et scribendum ad singularum quarumcunque provinciarum primates, ut quando apud se concilium congregant, istum diem non impediant.

10 Placuit ut quotiescunque congregandum est concilium, episcopi qui neque ætate neque ægritudine, neque alia graviori necessitate impediuntur, competenter occurrant, primatibusque suarum quarumcunque provinciarum intimetur ut de universis episcopis vel duæ vel tres fiant turmæ, ac de singulis turmis vicissim quotquot electi fuerint ad diem concilii instantissime occurrant; quod si non potuerint occurrere, excusationes suas in tractatoria subscribant, vel si post adventum tractatoriæ, aliquæ necessitates repente forsitan ortæ fuerint, nisi rationem impedimenti sui apud suum primatem reddiderint, ab Ecclesiæ communione debere esse contemptos.

Ex conc. Milevitano II, *sub Innocentio I, an.* 416. — 9. Placuit ut non sit ultra fatigandis fratribus anniversaria necessitas, sed quoties exegerit causa communis, id est totius Africæ, undecunque ad hanc sedem pro concilio datæ litteræ fuerint, congregandam in ea provincia ubi opportunitas persuaserit, causæ autem quæ communes non sunt in suis provinciis judicentur.

27. Placuit ne diutius universi episcopi qui ad concilium congregati sunt tenerentur, ab universo concilio ternos judices de singulis provinciis eligi, etc. Qui omnes cum sancto sene Aurelio, universa cognoscant

Ex conc. Ephesino gener. III, *sub Cœlestino I, an.* 431. — 6. Si qui velint ea quæ de singulis per sanctam synodum Ephesinum gesta sunt quocunque modo movere sancta synodus ipsa decrevit, siquidem episcopi aut clerici fuerint, eos omnino a proprio cadere gradu, si vero laici excommunicandos esse.

Ex conc. Regiensi, sub Sixto III, an. 439. — 7. Secundi antiquam consuetudinem bis in anno conventus agatur.

Ex conc Arausicano I, *sub Leone I, an.* 441. — 29. Nullus conventus sine alterius conventus denuntiatione solvatur, itaque sequenti anno si Domino ac Deo nostro Jesu Christo permittente conceditur die 15. Kal. Nov. in Arausico territorio conventum habeamus.

Ex conc. Chalcedonensi gener. IV, *sub Leone I, an.* 451. — 1. Regulas sanctorum Patrum per singula nunc usque concilia constitutas, proprium robur obtinere decrevimus.

19. Statuit sancta synodus secundum Patrum regulas, bis in anno in unum convenire per singulas provincias episcopos, ubi singula quæ emerserint corrigantur qui vero noluerint convenire episcopi constituti in suis civitatibus, et cum hoc maxime in sui corporis sanitate consistentes, etiam omnibus aliis urgentibus et inexcusabilibus negotiis liberi sunt, licere eos fraternæ charitatis admonitionibus corripi.

Ex conc, Romano, sub Hilario, an. 467.— 1. Nulli fas sit sine status sui periculo, vel divinas constitutiones vel Apostolicæ Sedis decreta temerare.

Ex conc. Agathensi, sub Symmacho, an. 506. — 3. Si episcopus metropolitanus ad comprovinciales episcopos epistolas direxerit in quibus eos aut ad ordinem summi pontificis aut ad synodum invitet, postpositis omnibus (excepta gravi infirmitate corporis aut præceptione regia) ad constitutum diem adesse non differant; quod si defuerint usque ad proximam synodum

Digitized by Google

charitate fratrum et Ecclesiæ communione priventur.

71. Synodum secundum constituta Patrum, annis singulis placuit congregari.

Ex conc. Tarraconensi, sub Hormisda, an. 517. — 6. Si quis episcoporum commonitus a metropolitano synodum nulla gravi intercedente necessitate corporali, venire contempserit, usque ad, etc.

13. Epistolæ tales per fratres a metropolitano sunt dirigendæ, ut non solum a cathedralis ecclesiæ presbyteris, verum etiam de diœcesanis ad concilium trahant aliquos de filiis Ecclesiæ sæcularibus secum adducere debeant.

Ex conc. Aurelianensi II, *sub Silverio, an.* 536. — 1. Nullus episcoporum, admonente metropolitano episcopo, nisi certa tædii causa detentus ad concilium vel ordinationem consacerdotis venire penitus ulla excusatione detrectet.

2. Ut metropolitani singulis annis comprovinciales suos ad concilium evocent.

Ex conc. Aurelianensi III, *sub Vigilio, an.* 540. — 1. Unusquisque metropolitanus in provincia sua cum comprovincialibus suis singulis annis synodale debeat opportuno tempore habere concilium, etc. Quod si intra biennium admonitis comprovincialibus a metropolitano synodus indicta non fuerit, metropolitanus ipse pro evocationis tarditate anno integro missas facere non præsumat; quod si evocati, non corporali infirmitate detenti adesse despexerint, simili sententiæ subjacebunt.

Ex conc. Arvernensi, sub Vigilio, an. 541. — 1. Placuit ut quoties secundum statuta Patrum sancta synodus congregatur, nullus episcoporum aliquam prius causam suggerere audeat, quam ea quæ ad emendationem vitæ, ad serenitatem regulæ, ad animæ remedium pertinent, finiantur.

Ex conc. Aurelianensi IV, *sub Vigilio, an.* 552. — 18. Si quis de comprovincialibus episcopis a metropolitano suo ad concilium intra suam provinciam fuerit evocatus et præter evidentem infirmitatem ad concilium venire distulerit, atque de synodali conventu antequam cuncta conveniant sine commeatu concilii ipsius discedere fortasse præsumpserit, sex mensibus a missarum officio suspendatur.

22. Sancimus ut intra anni circulum, etc.

Ex conc. Braccarensi I, *sub Joanne III, an.* 563. — 22. Placuit ut præcepta antiquorum canonum quæ modo in conciliis recitata sunt nullus audeat præterire; si quis autem contumax transgreditur illa, necesse est ut de suo degradetur officio.

Ex conc. Turonensi, sub Joanne III, an. 570. — 1. Placuit ut bis ad synodum singulis annis metropolitanus et comprovinciales sui in locum quem deliberatio metropolitani elegerit, conveniant, aut necessitas inevitabilis præpedierit, vel semel in anno sine cujuslibet excusationem personæ, id est regiæ vel privatæ.

Ex conc. Matisconensi II, *sub Pelagio II, an.* 588. — 20. Placuit ut antiquorum Patrum juribus in omnibus custoditis ad synodum post triennii tempus omnes conveniant.

Ex conc. Toletano III, *sub Pelagio II, an.* 589. — 18. Auctoritas priorum canonum bis in anno præcepit congregari concilia, sed consulta itineris longitudine et paupertate ecclesiarum Hispaniæ, semel in anno, in loco quem metropolitanus elegerit, episcopi congregentur; judices vero locorum, aut auctores fiscalium patrimoniorum, simul sacerdotali concilio autumnali tempore die Kal. Nov. in unum conveniant, ut discant quam pie et juste cum populis agere debeant, nec in angariis aut in operationibus superfluis sive privatum onerent, sive fiscalem gravent; sunt enim prospectores episcopi secundum regiam admonitionem, qualiter judices cum populis agant, ut ipsos præmonitos corrigant, aut insolentias eorum, principum auribus innotescant; quod si correptos emendare nequiverint, et ab ecclesia et a communione suspendant, a sacerdote vero et senioribus deliberetur quid per provincias in suo detrimento præstare debeant judices si ad concilium non venerint, concilium vero non solvatur, nisi prius locum elegerint quo succedente tempore iterum ad concilium veniantur.

Ex conc. Antisiodorensi, sub Gregorio I, an. 590. — 7. Ut medio Maio omnes presbyteri ad synodum in civitatem veniant, et Kal. Nov. omnes abbates ad concilium conveniant.

Ex conc. Oscensi, sub Gregorio I, an. 590. — 1. Annuis vicibus unusquisque nostrum omnes abbates monasterium vel presbyteros vel diaconos suæ diœcesis ad locum ubi episcopus elegerit congregare præcipiat, et omnibus regulam demonstret ducendi vitas, cunctosque sub ecclesiasticis regulis adesse præmoneat.

Ex conc. Toletano IV, *sub Honorio I, an.* 633. — 3. Quia juxta Patrum antiqua decreta bis in anno difficultas temporis fieri concilium non sinit, saltem vel semel a nobis celebratur, ita tamen ut si fidei causa est, aut quælibet alia ecclesiæ communis, generalis totius Hispaniæ et Galliciæ synodus convocetur; si vero nec de fide, nec de communi Ecclesiæ utilitate tractabitur speciale erit concilium uniuscujusque provinciæ ubi metropolitanus elegerit peragendum; omnes autem qui causas adversus episcopos ac judices ac potentes, aut contra quoslibet alios habere noscuntur, ad idem concilium concurrant, et quæcunque examine synodali a quibuslibet prave usurpata inveniuntur, regii exsecutoris instantia justissime his quibus cura sunt reformentur, ita ut pro compellendis judicibus, vel sæcularibus viris, ad synodum metropolitani studio, quidam exsecutor postuletur, XV autem Kal. Jun. congreganda est in unaquaque provincia synodus hora itaque diei I. mane ante solis ortum, ejiciantur omnes ab ecclesia, obseratisque foribus cunctis, ad unam januam per quam sacerdotes ingredi

Digitized by Google

oportet ostiarii stent, et convenientes omnes episcopi pariter introeant, et secundum ordinationis suæ tempora resideant, post ingressum omnium episcoporum atque consessum, vocentur deinde presbyteri, quos causa probaverit introire, nullus se inter eos ingerat diaconorum, post hos ingrediantur diaconi probabiles, quos ordo poposcerit interesse et corona facta de sedibus episcoporum, presbyteri a tergo eorum resideant, diaconi in conspectu episcoporum stent, deinde ingrediantur laici qui electioni concilii interesse meruerint, ingrediantur quoque et notarii quos ad recitandum, vel excipiendum ordo requirit et observentur januæ, sedentibusque in diuturno silentio sacerdotibus et cor tantum habentibus ad Deum, dicat archidiaconus *Orate*, statimque omnes in terram prosternantur, et orantibus diutius tacite cum fletibus atque gemitibus unus ex episcopis senioribus surgens, orationem palam ad Dominum fundat, cunctis adhuc in terra jacentibus ; finita oratione, et responso ab omnibus Amen, rursus archidiaconus dicat : *Erigite vos*, et confestim omnes surgant et cum omni timore Dei et disciplina tam episcopi quam presbyteri sedeant, sic omnibus in suis locis cum silentio considentibus diaconus alba indutus codicem canonum in medio proferens, capitula de conciliis agendis pronuntiet, finitisque titulis, metropolitanus episcopus concilium alloquatur, etc. Nullus autem episcoporum a cœtu communi secedat, antequam hora generalis secessionis adveniat, concilium quoque nullus solvere audeat, nisi fuerint cuncta determinata, ita ut quæcunque deliberatione communi finiuntur, episcoporum singulorum manibus subscribantur.

Ex conc. Toletano VIII, *sub Martino I, an.* 653. — 11. Quæcunque pro fidei causis ecclesiasticisque negotiis, aut in præteritis gestis, aut in præsentibus constitutis, aut in futuris etiam decretis, vel sint, vel fuerint definitiones conscriptæ, universali auctoritate, nullus deinceps contradicere audeat, etc. Cum vero aut quælibet sancta synodus agitur, aut pacifice inter pontifices quispiam definitur, si pauciores per nescientiam vel contentionem forte dissentiant, aut commoniti plurimorum sententiæ cedant, aut ab eorum cœtu cum dedecore confusionis abscedant, aut excommunicationis annuæ sententiam luant.

Ex conc. Emeritensi, sub Vitaliano, an. 664. — 5. Tempore quo concilium per metropolitani voluntatem electum fuerit agere, omnes confinitimos episcopos in unum oportet adesse, etc. Quod si contigerit aliquem de fratribus retineri ab infirmitate aut per regiam jussionem injunctum acceperit aliquid agere, ut sit per quod non possit concilio interesse, quidquid tale acciderit, metropolitano suo fideliter intimet cuncta per suam epistolam manu sua subscriptam, etc. ad suam autem personam non aliter nisi aut archipresbyterum suum diriget, aut si archipresbytero impossibilitas fuerit, presbyterum utilem cujus dignitas cum prudentia pateat, a tergo episcoporum inter presbyteros sedere et quæque in eo concilio fuerint acta scire et subscribere ; injustum enim hoc accipit cœtus noster, ut quisquam episcoporum diaconum ad suam personam dirigat.

7. Quisquis ille episcopus ad concilium venire distulerit admonitus, illic excommunicationis agat tempus, ubi cum his qui præsentes fuerint elegerit metropolitanus, cella vero et res ad eum pertinentes, quousque ille sub pœnitentia fuerit, instantia et sollicitudine regantur metropolitani.

22. Quisquis hujus canonicæ regulæ instituta servare distulerit, a metropolitano episcopo cum suis confinitimis excommunicatum se evidentissime noverit.

Ex conc. Toletano II, *sub Adeodato, an.* 675. — 1. Quicunque in conventu concilii, aut tumultu aut contumeliis vel risibus concilium conturbaverit, a communi cœtu secedat, et 3. dierum excommunicationis sententiam perferat.

11. Omni anno ad peragendum celebritatem concilii in metropolitana sede, tempore quo princeps vel metropolitani electio definierit, confluamus; quisquis autem episcoporum excepta inevitabili causa vel necessitate de peragendo concilio se absentaverit, unius anni erit excommunicatione plectendus ; quod si deinceps absque celebratione concilii, anni unius meta pertransierit, omnes in commune pontifices Carthaginensis provincia, superioris censuræ sententia obnoxios retinebit.

Ex conc. Toletano XII, *sub Agathone, an.* 681. — 12. Annis singulis in unaquaque provincia Kal. Nov. concilium celebraturi conveniant ; quisquis autem venire distulerit excommunicationi debitæ subjacebit.

Ex conc. Toletano XVI, *sub Sergio, an.* 693. — 7. Dum in qualibet provincia concilium agitatur, unusquisque episcoporum admonitionibus suis infra sex mensium spatium, omnes abbates, presbyteros, diaconos atque clericos seu etiam omnem conventum civitatis ipsius ubi præesse dignoscitur, necnon et cunctam diœcesis suæ plebem aggregare nequaquam moretur, quatenus coram eis publice omnia reserata de his quæ eodem anno in concilio acta vel definita exstiterint, plenissime notiores efficiantur.

Ex conc. Toletano XVII, *sub Sergio, an.* 694. — 1. In initio totius adunationis, trium dierum spatiis percurrente jejunio, de mysterio sanctæ Trinitatis aliisque spiritualibus sive pro moribus sacerdotum corrigendis nullo sæcularium assistente inter eos habeatur collatio.

Ex conc. Ratisponensi, sub Zacharia, an. 742. — 2. Statuimus per annos singulos synodum congregari.

Ex conc. in Palatio Vernis, sub Stephano III, an. 756. — 4. Ut bis in anno synodus fiat, prima synodus mense 1. quod est mart. Kal. ubicunque dominus rex jusserit in ejus præsentia, secunda synod. Kal. Octob. inter

Digitized by Google

ipsos episcopos, et illi episcopi ibidem conveniant, quos modo vice metropolitanorum constituimus et alii episcopi vel abbates seu presbyteri quos ipsi metropolitani apud se venire jusserint, ibidem in ipsa secunda synodo convenire faciant.

Ex conc. Nicæno II, *univers.* VII, *sub Adriano I, an.* 787. — 6. Statuerunt sancti sexta synodi Patres congregationes episcoporum, quacunque postposita causa, semel in anno fieri, et delicta corrigi; hunc ergo canonem nos quoque renovamus et si quis magistratus hoc prohibere inventus fuerit, etc. Ne liceat autem metropolitano ex his quæ secum affert episcopus vel jumentum vel aliquam rem aliam petere, si enim hoc fecisse deprehensus fuerit reddet quadruplum.

Ex conc. Cabilonensi II, *sub Leone III, an.* 813. — 37. Omnia concilia canonum qui recipiuntur sunt a sacerdotibus legenda et intelligenda et per ea est eis vivendum et prædicandum, etc.

Ex conc. Parisiensi, sub Gregorio IV, an. 829. — 26. Si aliqua præpediente necessitate, concilia bis fieri nequeunt, saltem in anno semel fiant, et in ipsis conciliis adsint presbyteri et diaconi, et omnes qui se læsos existimant, et synodi experiantur examen, adsint etiam uniuscujusque episcopi eruditi viri, quos ad Christi militiam ejusque Ecclesiæ honorem utilitatemque præparat, quatenus et cæteris ecclesiis noti sint, et studium ac providentiam episcopi ad aliorum exempla manifesta fiant.

Ex conc. Meldendi, sub Sergio II, an. 845. — 32. Ut principes juxta decreta canonum per singulas provincias saltem bis aut semel in anno, a metropolitanis et diœcesanis episcopis synodice conveniri concedant, quia quælibet confusio rerum temporalium dissolvere non debet collegium et studium sacerdotum.

33. Ut si quilibet episcopus ad synodum vocatus quacunque occasione venire distulerit, etc. Salva censura ex hoc patrum auctoritate decreta, cesset ab officio donec satisfaciat fratribus.

Ex conc. Constantinopolitano generali VIII, *sub Adriano II, an.* 869. — 2. Perlatum est ad nos non posse sine principium præsentia concilium agi, atque nusquam sacri canones sanciunt ut ad synodos sæculares principes cogantur, sed soli duntaxat episcopi; quare nec alias reperimus eos in aliis nisi in œcumenicis conciliis interfuisse, neque enim fas est ut sæculares rerum quæ Dei sacerdotibus contingunt spectatores fiant.

Ex conc. Engilenheimensi, sub Agapeto II, an. 948. — 9. Ut decimæ si ecclesiis Dei non fuerint redditæ, sed a sæcularibus fuerint retentæ, sæcularia super hoc non exerceantur judicia, nec in forensibus discutiatur causis, sed in synodo ab ipsis sacerdotibus quorum deputatæ sunt usibus quid ex inde debeat agitari, certis definiatur promulgationibus.

Ex conc. Legionensi, sub Benedicto VIII, an. 1012. — 1. In omnibus conciliis quæ deinceps celebrabuntur causæ Ecclesiæ prius judicentur, judiciumque rectum absque falsitate consequantur.

6. Judicato ergo Ecclesiæ judicio, adeptaque justitia, agatur causa regis, deinde populorum.

Ex conc. Anglicano, sub Gregorio VII, an. 1075. — 5. Ne quis in concilio loquatur præter licentiam a metropolitano acceptam, exceptis episcopis et abbatibus.

Ex conc. Lateran. univers. XII, *sub Innoc. III, an.* 1215. — 6. Metropolitani singulis annis cum suis suffraganeis provincialia non omittant concilia celebrare, etc. Per singulas autem diœceses statuant idoneas personas providas videlicet et honestas quæ per totum annum simpliciter et de plano absque ulla jurisdictione sollicite investigent, quæ correctione et reformatione sint digna et ea fideliter perferant ad metropolitanum et suffraganeos, et alios in concilio subsequenti.

Ex conc. Germanico, sub Honorio III, an. 1225. — 14. Archiepiscopi, episcopi, archidiaconi et decani in suo singuli concilio singulis annis celebrando, has constitutiones publicari faciant et servari, pœnam transgressoribus infligendo.

Ex conc. Viennensi, sub Clemente IV, an. 1267. — 27. Dominus electus Saltzburgensis ejusque suffraganei necnon et episcopus Pragensis has constitutiones singulis annis in synodis episcopalibus et in provinciali concilio faciant recitari et diligentius observari, et ea quæ tangunt laicos faciant per parochiales ecclesias suarum diœcesum publicare.

Ex conc. Salisburgensi, sub Gregorio I, an. 1274. — 1. Episcopi, abbates, archidiaconi et alii ecclesiarum prælati statuta sacri generalis concilii celebrati proxime in Lugduno in ecclesiis et subditis suis clericis et laicis secundum quod eadem statuta illis et istis conveniunt, et quantum eos tangunt sic sollicite et frequenter studeant publicare, ut ipsorum provincialium et subditorum memoriæ et observantiæ imprimantur, etc.

Ex conc. Salisburgensi, sub Martino IV, an. 1281. — 18. Ut salutaria nostra monita moribus utentium approbentur, in quatuor temporibus anni in singulis cathedralibus et conventualibus recitentur.

Ex conc. Ravennatensi, sub Honorio IV, an. 1286. — 6. Locorum ordinarii in episcopalibus synodis annuatim per singulas diœceses celebrandis, per se vel per aliam personam sufficientem, concilium Lugdunense generale XIV suo clero exponant et aperiant clare.

Ex conc. Herbipolensi, sub Honorio IV, an. 1287. — 41. Has nostras constitutiones in hoc sacro concilio promulgatas in singulis cathedralibus Ecclesiæ in nostræ legationis termino constitutis sigillo nostro haberi volumus et publicari omni anno.

Digitized by Google

Ex conc Ravennatensi II, *sub Clemente V, an.* 1311. — In qualibet civitate vel diœcesi ubi diœcesanus commodius et utilius viderit expedire semel convocet synodum, et faciat annuatim.

Ex conc. Ravennatensi III, *tempore interregni, an.* 1334. — 16. Quotiescunque provinciale concilium convocari contigerit, omnes et singuli ad prædictum concilium convocati per tres dies ante ipsius inceptionem, seu primam sessionem plus tunc solito orationibus et eleemosynis insistentes omnibus diebus debent jejunare, cæteros vero clericos et laicos de provincia nostra ad prædictas orationes, eleemosynas et jejunia sicut possumus exhortamur in Domino nostro Jesu Christo.

Ex conc. Ravennatensi IV, *sub Joanne XXII, an.* 1317. — 3. Quilibet episcopus S. Ravennatensi Ecclesiæ suffraganeus teneatur infra sex menses synodum celebrare.

19. Si qua alia pœna statuta esset in constitutionibus synodalibus nostris vel suffraganeorum nostrorum, quam in nostris constitutionibus provincialibus vel prædecessorum nostrorum statutum circa idem factum reperiatur, quod altera ipsarum contentus sit loci ordinarius, et una electa vel imposita per ipsum seu ejus vicarium, alteram infligere seu inflictam exigere non possit.

Ex conc. Sabinensi in Hispan., sub Joanne XXII, an. 1322. — 1. Si archiepiscopi saltem in biennio semel loco et tempore opportunis per se vel per alios quatenus de jure conceditur, ipsis legitime impeditis celebrare concilia provincialia omiserint, eo ipso tandiu ab ingressu ecclesiæ sint suspensi, donec negligentiam suam purgaverint, provincialia concilia celebrando; episcopi etiam synodos in suis diœcesibus celebrent annuatim, sub eadem pœna; quicunque venientes ad dicta concilia et synodos vel in eis morando, aut etiam redeundo cœperint, aut in personis vel rebus eis damna notabilia intulerint, in excommunicationem incidant ipso facto.

Ex conc. Toletano, sub Joanne XXII, an. 1324. — 1. Episcopi vocati ad concilium personaliter veniant, nisi fuerint impedimento legitimo, de quo nobis fidem facere teneantur, præpediti, quod nisi fecerint, pœnas contra eos statutas a jure, publicari et servari faciemus.

Ex conc. Toletano, sub Benedicto XII, an. 1339. — 4. Episcopi legitime impediti, procuratores alios ab illis qui per eorum capitula fuerint constituti, mittere teneantur.

Ex conc. Toletano, sub Innocentio VI, an. 1355. — 1. Constitutiones provinciales prædecessorum nostrorum, et quæ in futurum condentur, nisi aliter in condendis expresse fuerit ordinatum, non ad culpam sed ad pœnam tantum eorumdem obligent transgressores.

Ex conc. Saltzburgensi, sub Urbano VI, an. 1386. — 17. Omnes et singuli ecclesiarum prælati, archidiaconi ac parochi, ecclesiarum rectores, tam legatorum Sedis Apostolicæ quam nostras et prædecessorum nostrorum constitutiones scriptas habeant.

Ex conc. Salizburgensi, sub Martino V, an. 1420. — 2. Singuli suffraganei nostræ provinciæ qui per annum, per seipsos vel alium in casu quo legitime non fuerint impediti, omiserint celebrare synodos episcopales a pontificali officio, necnon ab omni exercitio jurisdictionis ecclesiasticæ per se vel per alium sint ipso jure suspensi, eorumque jurisdictio ecclesiastica et illius liberum exercitium ad capitulum seu ecclesiam devolvatur, et devoluta persistat, omniaque et singula emolumenta jurisdictionis ad ipsum capitulum pertineant, in publicam ipsius ecclesiæ, non singularium personarum, vel officiorum utilitatem, donec hujusmodi synodos aggregaverint, convertenda, etc. Si vero, dicto tempore suspensionis durante, suffraganei nostri, vel alter eorumdem, exercitio dictæ jurisdictionis ecclesiasticæ per se vel per alium se immiscuerit, aut capitulum circa prædicta impediverit, ipso facto excommunicationem incurrat, etc. Durentque concilia provincialia per duodecim, et episcopales synodi per tres dies, etc. Omnes et singuli nostri suffraganei in proximis ipsorum synodis per singulas diœceses sub pœnas suspensionis a pontificali officio, studeant personas idoneas, probas videlicet et honestas in testes publicos sive synodales ordinare, qui per totum annum simpliciter et de plano absque ulla jurisdictione sollicite investigent, quæ correctione et reformatione sint digna, et ea fideliter referant ad provinciale concilium aut synodum episcopalem

Ex conc. Frisingensi, sub Eugenio IV, an. 1440. — 31. Transcriptionem horum statutorum, et ea bis in anno de verbo ad verbum abbates et præpositi convocatis omnibus monachis et canonicis regularibus, et præpositi seu decani cathedralis et collegiatarum ecclesiarum canonicis suis in unum collectis, decani vero singuli in conventu, collegio seu capitulo suis confratribus omnibus etiam non curatis accersitis, publicent aut perlegant.

Ex conc. Toletano, sub Sixto IV, an. 1473. — 1. Metropolitani cum suffraganeis suis per se vel per alios, quatenus de jure conceditur, ipsis legitime impeditis, concilium provinciale loco et tempore opportunis saltem in biennio, et episcopi nostri in suis diœcesibus synodale annuatim celebrent, et si hoc negligenter omiserint, tandiu ab ingressu ecclesiæ sint suspensi, donec negligentiam suam, archiepiscopus provincialia, et episcopi synodalia concilia celebrando, purgaverint.

Ex conc. Lateran. univers. XVII, *sub Leone X, an.* 1513. *Sess.* 10. *De exemptis.* — 9. Concilium provinciale de cætero singulis trienniis fieri mandamus, ad illaque etiam exemptos accedere debere decernimus.

Sess. 11. *De Pragmatica sanctione.* — 1. Pragmaticam sanctionem seu corruptelam ejusque approbationem quomodolibet emanatam, omniaque et singula decreta, capi-

Digitized by Google

tula, statuta, constitutiones sive ordinationes in eadem quomodolibet contentas, seu etiam insertas, ac ab aliis prius editas, necnon consuetudines, stylum, usum sive potius abusum, ex ea in hanc usque diem quomodolibet emanatos seu observatos, nullius roboris, vel momenti fuisse et esse decernimus et declaramus.

Ex conc. Ratisponensi, sub Clemente VII, an. 1524. — 26. Singulo triennio post Pascha provinciale concilium celebretur.

35. Singulo anno saltem, synodus diœcesana opportuno tempore, a singulis episcopis celebretur, cum potioribus prælatis, decanis ruralibus virisque dignis; in quibus per quartas designentur judices qui diligenter intendant si statuta prædicta ac alia per synodos de scitu episcopi statuenda observentur, invocato ad hoc, si opus fuerit, brachio sæculari.

Ex conc. Coloniensi, sub Paulo III, an. 1536. *Part.* XIV. — 17 Bis per singulos annos in singulis provinciis concilia fiant, primum ante dies Quadragesimæ habeatur, secundum vero agatur ante tempus Autumni.

21. In concilio ab episcopo habito primitus jurare debent de villis singulis fidelissimi quique liberi, servi tres vel quatuor, seu etiam plures ut rei veritas omnino inquiratur.

24. His qui synodo præficiendi sunt, sumptus necessarios (quam procurationem canones vocant) per parochianos suppeditari justum atque æquum est.

Ex conc. Augustensi, sub Paulo III, an. 1548. — 2. Statuimus ut præsens libellus synodalium constitutionum in ecclesia nostra cathedrali aliisque collegiatis et monasteriis, quam primum typis excussus fuerit habeatur, et in choro ut cuilibet accessus ad eum pateat, servetur, etc. Abbates et præpositi convocatis omnibus monachis et canonicis regularibus, necnon decani collegiatarum ecclesiarum canonicis, decani vero rurales in capitulo suis confratribus accersitis eadem statuta bis in anno ad verbum prælegant aut prælegi faciant.

33. Synodos diœcesanas anniversarias, et quoties necessitas ecclesiæ nostræ postulaverit, esse et habere volumus atque decernimus, etc. Qui ex nostra diœcesi in synodalem consessum recipiuntur, singuli jurati ecclesiarum suarum, prælatorum atque etiam officialium nostrorum, et populi detrimenta, defectus, vitia gravia, aut sæcularium tyrannidem in ecclesias, populum, viduas, vel orphanos sævientem proferant in medium, appellationes eorum qui ad synodum provocarunt, absentiumque gravamina, aut desideria, per epistolas aut libellos supplices explicata audientur, laicis suas querelas, modo res, aut causas ecclesiasticas concernant, aut ad judicium synodi pertineant, in scriptis proponendi potestas fiet. Deputabimus tres aut plures ex synodo commissarios auditores apud quos universi et singuli tam clerici quam laici quæ volunt tuto deponere possint sciantque omnia sub silentio regenda.

Ex conc. Trid. generali XVIII, *sub Paulo III, an.* 1546. *Sess.* 2. — Ipsa synodus hortatur omnes catholicos hic congregatos, congregandos, atque eos præsertim qui sacrarum litterarum peritiam habent, ut sedula meditatione diligenter secum ipsi cogitent, quibus potissimum viis et modis ipsius synodi intentio dirigi, optatum effectum sortiri possit. In sententiis vero dicendis juxta Toletani concilii XI statutum, in loco benedictionis, considentibus dominis sacerdotibus, nullus debeat aut immodestis vocibus personare, aut tumultibus perturbare, nullis etiam falsis vanisve aut obstinatis disceptationibus contendere. Quod si forte contigerit aliquos debito in loco non sedere et sententiam etiam sub verbo placet, proferre, congregationibus interesse, et alios quoscunque actus facere concilio durante, nulli propterea præjudicium generetur, nullique novum jus acquiratur.

Ex conc. Coloniensi II, *sub Paulo III, an.* 1549. *Medio* 5. — 1. Synodus diœcesana quotannis bis pro veteri quidem more, sed juxta reformationis formulam religiosius et meliori cum fructu celebretur

2. Pro numero dierum quibus concilium durat, conferant decanis suis collegia et parochi subsidia in sumptus quos necessario facere debent, absque omni tergiversatione. In synodis, communibus consiliis decernatur de tollendis abusibus et moribus corruptis quos contigerit ad synodi judicium referri, disciplina ecclesiastica castigandis, et, si opus sit, canones veteres renoventur, aut novi in novis casibus juxta sacram Scripturam, Patrum sanctiones et rectæ rationis judicium condantur.

Ex conc. Trevirensi, sub Paulo III, an. 1549. — 20. Per provinciam nostram horum statutorum legitima fiat publicatio, et omnium et singulorum monasteriorum, collegiorum prælati et rectores necnon christianitatis decani et plebani locorum, copiam statutorum præsentium et aliorum prædecessorum nostrorum semper et continuo penes se habeant et teneant, et in iis statuta et ordinata in quantum quemlibet concernunt inviolabiliter observent.

Conc. Trid. Sess. 18, *sub Pio IV, an.* 1562. *De librorum delectu.*—Si quis autem ad se pertinere aliquo modo putaverit quæ vel de librorum et censurarum negotio vel de aliis quæ in hoc generali concilio tractanda prædixit non dubitet a sancta synodo se benigne auditum iri, etc. Insuper eadem sancta synodus decrevit fidem publicam in congregatione generali concedi posse et eamdem vim habituram ejusdemque roboris et momenti futuram ac si in publica sessione data et decreta fuisset.

Ex eodem conc. Trid. Sess. 22. *De observ. in celeb. mis. Sess.* 24. *De reform.* — 2. Metropolitani per seipsos seu illis legitime impeditis, coepiscopus antiquior intra annum ad minus a fine præsentis concilii et deinde quolibet saltem triennio post octavam Paschæ, seu alio commodiori tempore pro more provinciæ, non prætermittant synodum

Digitized by Google

in provincia sua cogere, quo episcopi omnes et alii qui de jure vel consuetudine interesse debent, exceptis iis quibus cum imminenti periculo transfretandum esset, convenire omnino teneantur, episcopi qui nulli archiepiscopo subjiciuntur aliquem vicinum metropolitanum semel eligant, in cujus synodo provinciali cum aliis interesse debeant, et quæ ibi ordinata fuerint observent ac observari faciant, etc. Synodi quoque diœcesanæ quotannis celebrentur.

Conc. Trid. Sess. 25. *De reform.* — 18. Sciant universi sacratissimos canones exacte ab omnibus et quoad ejus fieri poterit indistincte observando, quod si urgens justaque ratio, et major quandoque utilitas postulaverint, cum aliquibus dispensandum esse id causa cognita ac summa maturitate atque gratis a quibuscunque ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum, aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.

Declarat sancta synodus ex loco assignato oratoribus tam ecclesiasticis quam sæcularibus in sedendo, incedendo, aut quibuscunque aliis actibus nullum cuiquam eorum factum fuisse præjudicium, sed omnia illorum et imperatoris regum et rerum publicarum ac principum suorum jura et prærogativas illæsas et salvas esse, in eodemque statu permanere, prout ante præsens concilio reperiebantur.

Ex conc. Mediolanensi II, *sub Pio V*, *an.* 1569. *Titulo* 2. — 8. Cum primum metropolitani litteris concilii provincialis, dies episcopis significata fuerit, illud ipsi curent, ut in omnibus, et urbis et diœcesis parochialibus ecclesiis quinta quoque feria in singulas hebdomadas, quoad illud de more absolutum ac dimissum erit, missa de Spiritu sancto celebretur, in cathedrali autem et collegiatis ecclesiis processionum prætereà munus singulis diebus dominicis obeatur.

Ex conc. Mediolanensi IV, *sub Gregorio XIII*, *an.* 1576. *Parte* III. — 4. Provincialia concilia 3 quoque anno convocentur, in ecclesia vero ubi concilium celebrabitur, ipsis proximis ante concilii initium diebus oratio 40 horarum instituatur.

5. Episcopus singulis annis ac item semper 6 post provinciale concilium mensibus diœcesanam synodum habeat.

6. Viri ecclesiastici ætate moribusque graves, prudentes in concilio provinciali a metropolitano ex unaquaque diœcesi duo saltem, in synodo diœcesana ab episcopo e diœcesi sua septem pluresve prout expedire viderit, testes synodales deligantur, qui a metropolitano delecti in eodem provinciali concilio, qui ab episcopo in ipsa diœcesana synodo jurati, allatis sanctorum pignoribus sancte spondeant muneris sui partes se exsecuturos esse, qui testes synodales personas discretas interrogando simpliciter et de plano absque ulla jurisdictione sollicite investigabunt, idque singuli aut in universitate et diœcesi aut in regione, de parochis, canonicis, virisque ecclesiasticis de sacramentis administrandis, de ecclesiis ornamentisque earum de jejuniis, de decimis. Qui provinciali concilio a metropolitano nominati et constituti sunt testes synodales, ii, tribus ante mensibus quam concilii proxime futuri stata dies venerit, quæcunque in urbe diœcesive ubi id officium præstare debent, animadverterint, quæ reformationem aut correctionem requirant ea inscriptum relata ad metropolitanum mittant, testes vero diœcesanæ synodi, mensem saltem, antequam dies synodalis venerit, id ipsum episcopo præstent.

Ex conc. Mediolanensi V, *sub Gregorio XIII*, *an.* 1579. *Parte* III. — 10. Si quando episcopus justa eaque metropolitano probata causa ad concilium provinciale non accesserit, virum ecclesiasticum mittat, qui rationem diligenter recteque reddat omnium quæ ad ejus ecclesiæ rationem attinent, etc. Synodo diœcesanæ universi et singuli sacerdotes et clerici cujuscunque ordinis intersint, quicunque canonum jure, vel ecclesiasticis sanctionibus vel Tridentino decreto, vel consuetudine aliave ratione interesse possunt aut plane debent, etc. Regulares quicunque sint qui in quavis ecclesia parochiali, etiam quæ in suo monasterio existit, quæve eidem adjuncta est curam animarum gerunt, synodo diœcesanæ intersint.

Ex conc. Aquensi, *sub Gregorio XIII*, *an.* 1585. — 39. Episcopus ad Tridentinum concilium præscriptum, singulis annis diœcesanam synodum habeat post dominicam, *Ego sum pastor bonus*, certum autem hunc diem prout causa postulabit, episcopo mutare liceat arbitratui suo, etc. Ad synodum diœcesanam accedere teneantur omnes ecclesiastica beneficia obtinentes, exempti etiam qui alias cessante exemptione interesse deberent, necnon qui curam gerunt parochialium et aliarum ecclesiarum, capitulis et aliis piis locis annexarum; non alium in synodo diœcesana præsidere oportet quam vicarium episcopi, eo absente, nisi sede vacante, tunc enim ad capitulum ecclesiæ cathedrali redit diœcesis administratio; qui synodo interesse debent, ne intersint sine superpelliceo integro et mundo, etc., a synodo pœna excommunicationis proposita, nullus discedat nisi ea finita, et de more benedictione ab episcopo data; qui in sessione synodali defuerint, multentur aureis sex.

43. Quæcunque his nostris constitutionibus decretisve sancita sunt, ea omnia in sua quisque episcopus diœcesi diligenter observet, et ab aliis servanda curet, omnibus juris remediis, etc. Quo primum autem die, hæc decreta in lucem emissa, ad nostræ metropolitanæ ecclesiæ valvas affixa erunt, tunc duorum mensium spatio, omnes se et his decretis, et si contra quidquam admiserint pœnis ac multis quæ in eis constitutæ sunt, obstrictos esse sciat.

Ex conc. Avenionensi, *sub Clemente VIII*, *an.* 1594. — 3. Omnes ac singuli qui de jure vel consuetudine tenentur, ad synodum diœcesanam convenire teneantur tem-

Digitized by Google

pore a jure statuto, et ab episcopo indicto, pœna proposita iis qui absque legitima causa non paruerint. Quisquis ad synodum venerit, decenti ac honesto habitu incedat, in sessionibus superpelliceo mundo et integro utatur.

Ex conc. Narbonens., sub Paulo V, an. 1609. — 28. Episcopi ad synodum diœcesanam convenire compellant omnes et singulos qui jure vel consuetudine ad hoc tenentur, comparentes in habitu ordini suo proprio et decenti intersint, alias non recipiantur in synodo post annum in qualibet diœcesi habenda, deferat quisque archipresbyter inscriptis nomina omnium in suo archipresbyteratu beneficia obtinentium qui non residentes fuerint, aut curam animarum habentes se ad sacrum presbyteratus ordinem promoveri non fecerint; beneficia obtinentes, et in synodo comparentes beneficiorum suorum titulos demonstrabunt, alias pro absentibus et contumacibus censeantur, etc.

29. Tertio quoque anno provincialis synodus convocetur cui interesse tenebuntur omnes domini episcopi suffraganei vel eorum vicarii generales abbates cujuscunque ordinis omnes primæ post episcopum dignitates ecclesiarum, metropolitanæ, cathedralium, et earum capitula, sicut et collegiatarum per deputatos, priores claustrales jurisdictionem in suos monachos et monasteria sine ullo abbate et dependentia habentes et hoc sub excommunicatione, capitula vero monasteriorum regularium per eorum deputatos, regulares ad id etiam invitentur salvis semper eorum immunitatibus de quibus tunc fidem faciant, etc. Norint ecclesiarum cathedralium procuratores, abbates et alii quicunque deputati, consultativam, non autem deliberativam in eadem synodo se vocem habere.

48. Contra decreta nostra agentibus pœnæ in eisdem contentæ, et aliæ ab œcumenicis conciliis et sacris constitutionibus institutæ infligantur, quod si in aliquibus pœna particularis non est expressa, hoc perinde actum, ut qui talia decreta violaverint, arbitrio ordinarii pro rei qualitate et consideratis, circumstantiis prout fieri statuimus, puniantur, etc. Ad ea quæ in hac nostra provinciali synodo ordinata et constituta sunt, post sex menses a die hujus præsentis finiti concilii omnes et quoscunque nostros et suffragancorum nostrorum subditos obligari statuimus et mandamus, ac si quilibet in persona significata et intimata fuissent.

T

TEMPERANTIA

[Ex SS. Patribus.]

Philo Jud., *Lib. de sacerdotum honoribus.* — Venter nihil aliud est quam præsepe brutæ concupiscentiæ, qui potationibus rigatur et ingluvie, et inundatur aliis post alias cibi potusque deliciis, suis more gaudens in cœni volutabro degere. Proinde locus excrementis dicatus, convenientissimus est illi turpi et intemperanti pecudi. Adversatur autem ei temperantia quam exerceri et labore studioque confirmari decet modis omnibus, ut bonum maximum ac perfectissimum, privatim et publice utile. Quocirca gulosa concupiscentia, cum sit impura profanaque, merito extra virtutis fines exsulat. Temperantia vero pura virtus et immaculata, cibi potusque negligens ut contemptrix voluptatum ad ventrem pertinentium, ad sacrum altare admittitur; auferque illam ventris protuberantiam, quo magis admoneatur despicere guiam insatiabilem, et quidquid accendit hanc concupiscentiam.

Idem, lib. I *De mundi officio.* — Temperantia implacabile absque ullis induciis bellum gerit cum voluptate atque intemperantia. Altera enim frugalitatem, parcimoniam, sola necessaria, subrigidam honestamque vitam eximie complectitur: altera operositatem sumptuositatemque, quæ lauticias, deliciasque afferunt animæ atque corpori, et vitam reddunt obnoxiam, morte molestiorem his qui recte sapiunt. Cæterum voluptas suas præstigias ac fraudes viro non audet admoliri, sed feminæ et per hanc illi, idque admodum apposite efficaciterque; in nobis enim quasi vir est mens, sensus quasi femina. Voluptas vero prius appellat pertentatque sensus, per quos id quod principale est mentem illicit. Postquam enim singuli sensus ejus veneficiis subjecti fuerint, adlubescentes his quæ offeruntur, coloribus figurisque variis visus, vocum concentibus auditus, saporum suavitatibus gustus, exhalantium vaporum fragrantiæ odoratus, acceptis his donis tanquam famuli afferunt ea, veluti dominæ ratiocinationi, advocatam adhibendo suadelem, ne repulsam ulla in re patiantur. Ratio porro mescata, jamque ex regina facta subdita, et serva ex domina, et exsul ex cive, mortalis fit quæ immortalis antea fuerat. Omnino enim scire oportet quod voluptas, tanquam lasciva meretricula, amatorem appetit, quærens stupri conciliatores per quos illum ecu hamo capiat. Sunt autem hujus cupidinis sequestri sensus, quos postquam inescarit, facile mentem subjugat; quæ res externas intro admittat, illis internunciis et ostentantibus singularum formas, et ei suum affectum imprimentibus. Nam cereæ similis, recipit per sensus imaginationes quibus apprehendit corpora, quod per seipsam non valet.

Digitized by Google

S. Clem. Alex., *Stromat.*, lib. II, t. I. — Temperantiam definiunt habitum qui eligendo et vitando servat judicia prudentiæ.—Jam continentia est affectio quæ non transilierit ea quæ rectæ rationi consentanea videntur. Continens autem est is qui continet eas appetitiones quæ sunt præter rectam rationem; vel qui seipsum continet, ne appetitione efferatur præter rectam rationem. Temperantia autem ipsa non est sine fortitudine : quandoquidem ex præceptis oritur prudentia quæ Deum qui omnia disposuit, sequitur; et justitia quæ divinam dispositionem imitatur; per quam cum simus continentes, mundi ad pietatem et actiones exemplo Dei conformes tendimus, Domino, quoad a mortalibus fieri potest, assimilati. Id autem est justum et sanctum fieri cum prudentia. Deus enim nullius rei indiget, et affectibus non est obnoxius : unde nec est proprie continens. In eum enim nulla unquam cadit affectio aut perturbatio quam contineat. Nostra autem natura, quæ est obnoxia affectionibus, opus habet continentia per quam, dum exercetur, ut paucis indigeat, conatur habitu ad divinam naturam accedere. Vir enim bonus paucis indiget, ut qui sit in confinio naturæ mortalis et immortalis; egens quidem et corpus, et propter mortalem originem; paucis autem egere doctus, propter susceptam ratione continentiam.

S. Basil., *Regulæ*, t. I.— Liquet necessariam esse temperentiæ exercitationem. Primum quidem quoniam temperantia ab Apostolo inter fructus spiritus recensetur: deinde vero quoniam dicit nostrum ministerium etiam per illam incubatum fieri, his verbis utens : *In laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate.* (*II Cor.* VI, 5.) Et alibi: *In labore et ærumna, in vigiliis sæpe, in fame et siti, in jejuniis sæpe.* (*II Cor.* XI, 27.) Et rursus : *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* (*I Cor.* IX, 25.) Nulla autem res alia tam corpus castigat quam temperantia, aut illud æque in servitutem redigit. Nam juventutis fervor, et libidinum reprimendarum difficultas temperantia quasi freno quodam cohibetur. *Non enim prosunt stulto deliciæ* (*Prov.* XIX, 10), juxta Salomonem. Ecquid autem carne in deliciis degente, et juventute sese quoquoversum ferente, stultius fingi potest? Quapropter Apostolus dicit : *Et carnis curam ne feceritis ad concupiscentias.* (*Rom.* XIII, 14.) Item : *Quæ in deliciis est, vivens mortua est* (*I Tim.* V, 6.) Adde quod exemplum deliciarum quibus dives fruebatur, temperantiam nobis necessariam esse ostendat, ne forte audiamus quod dives audivit, nimirum : *Recepisti bona tua in vita tua.* (*Luc.* XVI, 25.)

Quam vero metuenda intemperantia sit, etiam Apostolus docuit, cum illam numeravit inter defectionis proprietates, ac dixit: *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa. Erunt enim homines seipsos amantes* (*II Tim.* III, 1), ac pluribus nequitiæ generibus recensitis, subjunxit : *Criminatores, intemperantes.* (*Ibid.*, 3.) Atque Esau etiam intemperantia ceu malo maximo accusatus est, tanquam qui prioris ortus jura pro uno edulio vendidisset. (*Gen.* XXV, 33.) Præterea per intemperantiam cœpit homo non obtemperare. At sancti omnes temperantiæ laude fuerunt spectati. Imo potius omnis sanctorum ac beatorum vita, ipsiusque Domini in carne præsentis exemplum ad hoc suggerendum nobis prodest. Moyses per longam in jejunio et precatione perseverantiam legem accepit, Deique verba audivit, tanquam si quis, inquit, loqueretur cum amico suo. Elias Dei visione dignus tunc est habitus, cum ipse quoque pari modo abstinentia usus est. Quid autem Daniel? Quo pacto conspexit mira? Annon post vicesimam jejunii diem? Quomodo vero tres pueri vim ignis exstinxerunt? Nonne per abstinentiam? Ac etiam Joannis tota vivendi ratio ab abstinentia sumpsit exordium. Ab hac Dominus quoque se ipse ostendere cœpit. Temperantiam autem dicimus non universam prorsus ciborum abstinentiam (hoc enim violenta quædam vitæ dissolutio est); sed eam, qua a rebus jucundis abstinemus, quæ ad pertinaciam carnis frangendam, et ad attingendum pietatis scopum instituta sit. Et in summa, quibus rebus frui desiderant qui libidinose vivunt, earum abstinentia nobis qui ad pietatem informamur, necessaria est. Neque vero in sola escarum voluptate moderanda exercetur temperantia, sed sese ad omnem etiam rei cujusque adversantis privationem extendit.

Quare qui perfecte temperans est, non ita ventrem domabit, ut vincatur ab humana gloria; non ita turpem cupiditatem superabit, ut non amplius superet divitias, aut alium quemvis probrosum affectum, veluti iram, aut tristitiam, aut reliqua vitia quæ animas disciplinæ inexpertes in servitutem redigere solent. Fere enim quod in omnibus præceptis cernimus, illa inter se connexa esse, neque fieri posse, ut alterum separatim ab altero impleatur, id maxime in temperantia cernitur. Etenim et humilis est qui circa gloriam temperans est, et evangelicam inopiæ mensuram explet qui erga divitias temperanter afficitur, et iræ expers qui indignationem et iracundiam continet in officio. Imo etiam perfecta temperantiæ ratio linguæ prælinit terminos, et oculis limites, et auribus auditionem non curiosam : in quibus si quis non immoratur, intemperans est et protervus. Vides quemadmodum circum hoc unum præceptum, reliqua omnia tanquam in choro inter se coniuncta cohæreant.

S. Ambros., lib. I *De Jacob et vita beata.*— Passionum velut duces sunt naturales delectatio et dolor, quas sequuntur cætera. Illæ enim complectuntur universas, quarum utraque, non solum corporis sed etiam secundum animam, passiones sunt. Et quia subsunt his aliæ passiones, ante delectationem concupiscentia, post delectationem gratulatio est : ante dolorem autem est ti-

Digitized by Google

mor, post dolorem tristitia. Commotio autem animi communis passio et delectationis et doloris est. Transcurram alias, id est, superbiam, avaritiam, ambitionem, contentionem, invidiam, quæ sunt secundum animam passiones : transcurram etiam inexplebilem vorandi libidinem : effusionemque luxuriæ atque lasciviæ, quæ vitia nexa sunt corpori, et secundum illud operantur. Meritoque temperantia quam maxime istarum passionum restinguit ardorem, quæ primum sobrietate atque moderamine animum temperat, mentem informat, deinde etiam deliciarum abstinentia restringit habenas corporalis ferocitatis. Ideo lex recidit ciborum licentiam, epularum copias, non solum ut resecaret luxuriam ; verum etiam ut inhibentis contemplatione præcepti, viam tractationi rationis aperiret, quæ irritamenta gulæ cæterasque recideret cupiditates, corporeas passiones motusque cohiberet. Temperantia est igitur correctionis prævia disciplinæ magistra.

Temperantia est igitur quæ resecat cupiditates. Hanc primis hominibus tenendam mandavit Deus dicens : *De fructu autem ligni quod est in medio paradisi non edetis, neque tangetis illud, ne moriamini.* (*Gen.* II, 17.) Et quia non est retenta, ideo transgressores virtutis egregiæ paradisi exsules facti sunt et immortalitatis exsortes. Hanc lex docet, et universorum infundit affectibus.

S. Chrysost., hom. 10 *in Genes.*—Dominus non tali corpori conjunctos esse voluit, quod aliter consistere nequit, nisi cibo pascatur ; modo cibum nimium ne sumamus ; id quod nobis ad sanitatem et corporis bonam habitudinem plurimum conducit. An non videtis quotidie ex sumptuosis mensis et immodica ingluvie infinita morborum genera induci ? Unde podagræ ? unde capitis dolores ? unde corruptorum humorum abundantia ? unde innumeri alii morbi ? nonne ab intemperantia et largiore quam par sit vini potu ? Nam sicut navis, quæ aquis ita impletur, ut exhauriri nequeat, statim submergitur : ita et homo quando crapulæ et ebrietati seipsum dedidit, in præceps vadit, et rationem suam submergit, denique jacet quasi vivum cadaver, ad mala quidem operanda sæpe habilis, ad bona autem omnia nihilo se melius habens, quam mortui. Idcirco, obsecro, ut secundum beatum Paulum, carnis curam ne agatis ad concupiscentias (*Rom.* XIII, 14), sed ut possitis subsistere, et majori alacritate rebus spiritualibus operam dare.

Idem, hom. 37 *in I Cor.* — Ne dici quidem potest quanta sit moderatorum et temperantium voluptas ; quando quis secum reputat coronas, præmia, consuetudinem cum angelis, in universo orbe terræ celebrationem, fiduciam et dicendi libertatem, spes illas bonas et immortales. At cœtus habet voluptatem ; hoc enim perpetuo versant : qui vero temperans est, non potest assidue pugnare cum tyrannide naturæ. At contrarium inveneris. Ipsa enim vis et perturbatio est magis apud eum qui scortatur. Multa enim est in corpore agitatio ; et hic quovis fluctuanti mari gravius afficitur, cujus nunquam sistitur cupiditas, sed ab ea semper impetitur, non secus atque qui corripiuntur a dæmone, et assidue discerpuntur a malis spiritibus. Temperans autem non secus ac fortis athleta, eam assidue ferions, optimam et innumeris hujusmodi deliciis jucundiorem percipit voluptatem, hac victoria, bona conscientia, et præclaris tropæis perpetuo ornatus. Si post congressum ille parum quiescit, hoc nihil fuerit. Rursum enim invadit tempestas, et rursum fluctus. Qui autem philosophatur, ne initio quidem permittit ut hæc se invadat perturbatio ; neque ut mare assurgat, nec ut hæc fera vociferetur. Si vim autem patiatur in retinendo impetu tanto ; at ille etiam appetitus frenatur, frequenter pulsatus, confossus, æstrumque non ferens ? haud secus quam si equum indomitum freno retineret, artem omnem adhibens. Si autem cesserit, et laborem fugerit, ab illo præceps quocunque feratur. Hæc si dicta sint apertius quam par sit, nemo me reprehendat. Nolo enim dicendi gravitate ornare orationem, sed graves et honestos facere auditores.

S. Aug., *Liber. de moribus Eccle.* —Temperantiam videamus quæ nobis amoris illius quo innectimur Deo, integritatem quamdam et incorruptionem pollicetur. Munus enim ejus est in coercendis sedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea quæ nos avertunt a legibus Dei et a fructu bonitatis ejus ; quod est, ut brevi explicem, beata vita. Ibi enim est sedes veritatis cujus contemplatione perfruentes, eique penitus adhærentes, procul dubio beati sumus : inde autem decidentes, magnis erroribus doloribusque implicamur. Namque, ut ait Apostolus : *Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam sequentes, naufragaverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis.* (*I Tim.* VI, 10.) Quod peccatum animæ in Veteri Testamento satis aperte, bene intelligentibus, in ipsius hominis qui erat in paradiso prævaricatione signatur. *In Adam* quippe *omnes morimur*, ut ait idem, *et in Christo omnes resurgemus.* (*I Cor.* XV, 22.) O alta mysteria ! sed reprimam me, non enim modo suscepi docere vos recta ; sed dedocere prava, si potero, id est, si Deus annuerit proposito in vos meo.

Dicit ergo Paulus radicem omnium malorum esse cupiditatem, per quam etiam lex vetus primum, hominem lapsum esse significat. Monet Paulus (*Colos.* III, 9) ut exuamus nos veterem hominem, et induamus novum. Vult autem intelligi Adam qui peccavit, veterem hominem ; illum autem quem suscepit in sacramento Dei Filius ad nos liberandos, novum. Dicit manque alio loco : *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni ; qualis cœlestis, tales et cœlestes. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis.* (*I Cor.* XV, 47.) Hoc est, exuite veterem, et induite novum. Omne igitur officium temperantiæ, est exuere

Digitized by Google

veterem hominem, et in Deo renovari, id est, contemnere omnes corporeas illecebras; laudemque popularem, totumque amorem ad invisibilia et divina conferre. Unde illud sequitur quod miritice dictum est : *Si et exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem.* (*II Cor.* IV, 16.) Audi et Prophetam canentem : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.* (*Psal.* L, 12.) Quid contra istam convenientiam dici, nisi a cæcis latratoribus potest?

S. Greg. Mag., lib. II *in Job.*— Nonnunquam, dum nonnulla menti delectatio subripit, temperantia nostra marcescit : in quantum enim ad delectationem præsentium ducimur, in tantum minus ab illicitis temperamus. Nonnunquam se timor cordi insinuat, et vires nostræ fortitudinis turbat : et eo minores contra adversa existimus, quo quædam perdere immoderatius dilecta formidamus.

S. Bernard., lib. I *De consideratione*, t. II. — Intemperantem ipsa consideratio censet, tam eum qui necessariis pertinaciter demit, quam qui indulget superfluis. Non est ergo temperantia in solis resecandis superfluis; est et in admittendis necessariis. Hujus sententiæ Apostolus non fautor tantum, sed auctor esse videtur, qui curam carnis nostræ docet non perfici in desiderio. Dicens si quidem *curam carnis non perfici*, superflua cohibet : addens, *in desiderio*, necessaria non excludit. Unde mihi videtur non omnino absurde definire temperantiam qui hanc nec præcidere necessitatem, nec excedere dicat, juxta illud philosophi : *Ne quid nimis.*

TENTATIO, TRIBULATIO

[Ex SS. Patribus.]

S. Clem. Alex., *Stromat.*, lib. IV, t. I. — Nos tentat diabolus, sciens quidem quales sumus, nesciens autem utrum perseveraturi simus : verum nos a fide excutere cupit, et in suam potestatem redigere tentat. Quod quidem solum est ei permissum, partim quod nos ex nobis ipsis salvos esse oporteat, occasiones ex præceptis accipientes; partim ut tentator spe sua frustratus, pudore suffundatur; et partim propter eorum confirmationem qui sunt in Ecclesia; et denique propter eorum conscientiam qui martyrum constantiam admirati sunt.

Orig., *De oratione*, t. I. — *Et ne nos inducas in tentationem.* (*Matth.* VI, 13.)

Si non impossibilia nos Servator orare præcipit, quæsitu mihi dignum videtur quomodo jubeamur orare non intrare in tentationem, cum vita omnis hominis super terram tentatio sit. Quandiu enim super terram sumus carne circumdati quæ militat adversus spiritum, *cujus sapientia inimica est Deo, quæ legi Dei nullo modo potest esse subjecta* (*Rom.* VIII, 7), in tentatione sumus. Porro tentationem esse humanam omnem in terra vitam docuit nos Job his verbis : *Nunquid non tentatio est vita hominis super terram?* (*Job* VII, 1.) Idem patet ex psalmo XVII : *In te eripiar a tentatione.* (*Psal.* XVII, 30.) Sed et Paulus ad Corinthios scribens non ut non tentemur, sed ut non supra vires tentemur, ait largiri Deum, cum ait : *Tentatio vos non apprehendit nisi humana : fidelis autem Deus est qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* (*I Cor.* X, 13.) Sive enim colluctatio nobis et cum carne, quæ concupiscit et militat adversus spiritum, sive cum anima omnis carnis, quæ nomine, corpori quod inhabitat consentaneo, vocatur principatus qui et dicitur cor, qualis est eorum lucta qui tentationibus exercentur, humanis examinentur tentationibus quas conculcarunt, jam *adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, et spiritualia nequitiæ* (*Ephes.* VI, 12), nostra sint certamina, non sumus a tentationibus immunes.

Quomodo igitur nos Servator orare jubet, ne intremus in tentationem, cum Deus omnes tentet quodammodo? *Recordamini* enim, ait Judith non ad sui tantum temporis presbyteros, sed ad omnes qui librum ejus lecturi essent, *quæcunque fecit cum Abraham, et quæcunque tentavit Isaac, et quæcunque evenerunt Jacob in Mesopotamia Syriæ, pascenti pecora Laban fratris matris suæ : quoniam non sicut illos examinavit in certamen cordis eorum, etiam nos ulciscitur qui ad emendationem flagellat Dominus appropinquantes sibi.* (*Judith* VIII, 22, et seq.) Id etiam in universum de justis omnibus affirmat David, cum ait : *Multæ tribulationes justorum.* (*Psal.* XXXIII, 20.) Et Apostolus in *Actibus* : *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* (*Act.* XIV, 21.) Quod si nihil supra vulgum intelligamus de oratione, *ne intremus in tentationem*, dicendi erunt apostoli, cum orarent, exauditi non esse, qui innumera per omnem vitam mala perpessi sunt *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* (*II Cor.* XI, 23.) Et Paulus singillatim *a Judæis quinquies quadragenas una minus accepit. Ter virgis cæsus est, semel lapidatus est, ter naufragium fecit, nocte et die in profundo maris fuit* (*Ibid.*) : homo *in omnibus tribulationem passus, aporiatus, persecutionem passus, dejectus* (*II Cor.* VI, 8) : qui illud fatetur, *usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris; maledicimur, et benedicimus; persecutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur, et obsecramus.* (*I Cor.* IV, 11.)

Cum autem ea consecuti non sunt apostoli pro quibus orabant, quis eorum qui inferiores ipsis sunt, sperare potest orationes

Digitized by Google

suas exauditurum Deum? Illud vero quod in psalmo scriptum est XXV : *Proba me, Domine, et tenta me : ure renes meos, et cor meum (Psal.* XXV, 2), iis quæ Dominus noster de oratione docuit contrarium esse, facile suspicabitur eorum aliquis qui non expenderit accuratius quid sibi velit Servatoris præceptum. Ecquando aliquis putavit homines extra tentationes esse quas novit inita ratione? Ecquod tempus est in quo securus fuerit, quasi pugnandum non esset ne peccaret? Eget aliquis? timeat *ne furatus juret nomen Dei.* (*Prov.* XXX, 9.) Dives est? ne securus sit, potest enim *abundans mendax* fieri, et elatus dicere : *Quis me videt?* ac ne Paulus quidem, *dives in omni verbo et omni scientia* (*I Cor.* I, 5), a periculo immunis est extollendi se de his et peccandi; sed indiget stimulo Satanæ, qui se colaphizet ne extollatur. (*II Cor.* XII, 7.) Et si quis bene sibi conscius sit, effugeritque mala, legat quod in secundo Paralipomenon dicitur de Ezechia, qui elatione cordis cecidisse narratur. (*II Paral.* XXXII, 25.)

Si quis quod multa de paupere non dixerimus, parvipendit, quasi non cadat in paupertatem tentatio, sciat insidiatorem insidiari *ut dejiciat pauperem et inopem* (*Psal.* XXXVI, 14), maxime cum, juxta Salomonem, inops non sustineat comminationem. (*Prov.* XIII, 8.) Quid vero attinet dicere quot sint quos non recte administratæ corporeæ divitiæ in eumdem tormentorum locum cum evangelico divite conjecerint? Quot sint aliunde qui paupertatem ignaviter ferentes, servilique et humili more viventes, contra quam sanctos deceret, cœlestium spe bonorum exciderint? Neque qui medium inter utrumque, divitias, inquam, et paupertatem tenent, immunes sunt a peccato in bonis mediocribus admittendo.

At enim sanus et bene corpore valens extra omnem se tentationem propter ipsam sanitatem bonamque valetudinem esse putat? Et quorum est aliorum quam bene valentium sanorumque peccatum quo *violatur templum Dei?* (*I Cor.* III, 17.) Non audebit quispiam quæ ad huuc locum pertinent aperte dicere, cum omnibus obvia sint. Quis ægrotus omnia ad violandum Dei templum incitamenta effugit, cum otietur id temporis, facileque admittat obortas de rebus impuris cogitationes? Quot vero sint præter eas quæ ipsum perturbant, nisi omni studio cor servet, quid dictu opus est? multi enim ærumnis victi et morbos viriliter ferre nescientes, animo magis ægrotare deprehensi sunt quam corpore, multi etiam ut infamiam vitarent, Christi nomen generose ferre erubuerunt, et in opprobrium sempiternum inciderunt.

At credit aliquis futuram sibi a tentationibus requiem, cum in honore fuerit apud homines : et qui non durum illud, *Recéperunt mercedem ab hominibus* (*Matth.* VI, 5), iis pronuntiatum, qui vulgi existimatione quasi aliquo bono efferuntur? Quam illud stupendum : *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis?* Ecquid me attinet enumerare eorum qui nobiles putantur varios in superbia lapsus : eorum item qui dicuntur ignobiles, submissionem adulatoriam ortam ex imperitia, averteretemque a Deo, qua ante illos procidunt qui superiores esse videntur, qui sinceram quidem amicitiam non habent, et quod in hominibus pulcherrimum est, charitatem simulant? Ergo, ut supra dictum est, *omnis hominis vita super terram tentatio est* : quare oremus a tentatione liberari, non ita, ne tentemur (fieri enim id non potest, maxime cum super terram simus), sed ne tentati succumbamus. Qui vero tentationi succumbit, eum ingredi in tentationem arbitror, ejus veluti retibus captum : in quæ retia propter eos, qui jam iis irretiti erant, ingressus servator perque ea quasi *per cancellos prospiciens*, ut dicitur in Cantico canticorum (*Cant.* II, 9), respondet eis qui jam irretiti sunt et tentationem ingressi, atque eis ceu sponsæ suæ : *Surge, veni, proxima mea, formosa mea, columba mea.* (*Cant.* II, 10.) Addam et hæc ut ostendam nullum esse hominibus tempus tentatione vacuum. Ne ille quidem, qui legem Domini meditatur die ac nocte, et efficere conatur quod dictum est : *Os justi meditabitur sapientiam* (*Prov.* X, 31), a tentatione immunis est.

ORIG., *de Oratione*, t. 1. — Cum extra orationem (*Dominicam*) scriptum sit : *Ut non intretis intentationem* (*Matth.* XXVI, 41), quod ex supra planum esse poterit; in ipsa autem oratione dicere Deo Patri debeamus : *Ne nos inducas in tentationem*, operæ pretium est videre quomodo intelligendus sit Deus illum qui non orat, aut eum qui non exauditur in tentationem inducere. Repugnat enim, cum is qui vincitur, intret in tentationem, Deum putare in tentationem inducere quemquam, quasi ut vincatur illum tradat; eademque repugnantia occurrit ei qui quovis modo exposuerit illud : *Orate ut non intretis in tentationem.* Si enim in tentationem incidere malum est, quod nobis ne contingat oramus, quomodo non absurdum est putatum bonum Deum qui malos ferre fructus non potest, malis aliquem objicere? Ad hæc igitur utile erit apponere quæ in Epistola ad Romanos a Paulo dicta sunt in hunc modum : *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum, et quadrupedum, et serpentium : propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* (*Rom.* I, 22.) Et paulo post : *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ : nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt* (*Ibid.*, 26), et reliqua. Et iterum post pauca : *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt.* (*Ibid.*, 28.)

Digitized by Google

Hæc iis omnia adducenda sunt qui divinam secant naturam.—His illos probe novi turbatum iri vehementer. Idcirco alium finxerunt Deum præter creatorem cœli et terræ, quia, cum ejusmodi multa in lege ac prophetis invenirent, in hoc impegerunt ut bonum non putarent qui voces ejusmodi protulisset. Nobis vero propter dubia quæ movimus de his verbis, *Ne nos inducas in tentationem*, ob quæ etiam Apostoli voces in medium adduximus, considerandum est an inveniamus dignas eorum quæ repugnare videntur solutiones. Arbitror Deum singulas rationales animas ita dispensare, ut ad sempiternam earum vitam respiciat: habent enim illæ semper liberum arbitrium, et sponte vel in melioribus sunt, et ascendunt usquequo ad bonorum apicem pervenerint, vel ob negligentiam variis descendunt modis in tantum vel tantum malorum cumulum.

Minutius Felix, *Octav.* — Quod corporis, humana vitia sentimus et patimur, non est pœna; militia est. Fortitudo enim infirmitatibus roboratur; et calamitas sæpius disciplina virtutis est. Vires denique et mentis et corporis sine laboris exercitatione torpescunt.

S. Cyprian., *De zelo et livore.* — Circuit dæmon nos singulos, et tanquam hostis clausos obsidens, muros explorat, et tentat an sit pars aliqua minus stabilis, cujus aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices et faciles voluptates, ut visu destruat castitatem. Aures per musicam tentat, ut soni dulcioris auditu solvat et molliat christianum vigorem. Linguam convicio provocat; manum injuriis lacessentibus ad petulantiam cædis instigat: ut fraudatorem faciat lucra opponit injusta; ut animam pecunia capiat, ingerit perniciosa compendia; honores terrenos promittit, ut cœlestes adimat; ostentat falsa, ut vera subripiat; et cum latenter non potest fallere, exerte atque aperte minatur; terrorem turbidæ persecutionis intentans ad debellandos Dei servos; inquietus semper, et semper infectus; in pace subdolus, in persecutione violentus.

Idem, *ibid.* — Sit ante oculos divina lectio, in manibus bona operatio, in sensibus dominica cogitatio. Oratio non cesset, spiritalibus semper actibus occupemur, ut quotiescunque inimicus accesserit, et clausum adversus se pectus inveniat et armatum.

S. Hilar., *Tract. in psal.* cxxiv, t. I. — Multis anima nostra laqueis appetitur, multis adversus nos armis dimicatur. Non terra, non maria, non aera fidei nostræ periculo vacant. Rapiunt oculos nostros raræ incogniti maris gemmæ, occupat animum terræ aurum, totis nostræ mortis illecebris spiritales nequitiæ et aeris hujus virtutes circumvolant, per vitæ præsentis molestias, per alienæ voluntatis mores atque lasciviam insidiantes, ut irascamur, ut oderimus, ut amemus: undique exspectamur et appetimur.

S. Ephrem., *De morb. linguæ.* — Cum hominem circumvenire studet inimicus, in quod vitium proclivior inclinet ejus natura, in primis considerat; ut, dum suis gaudet ipse vinculis, ne exsolvi quidem velit. Probe enim novit callidus hostis quibus nos vinculis obstringat; et si non invitos in suas casses conjecerit, fore ut celeriter, confractis illis, mens nostra iterum in libertatem se vindicet. Sua quemque latent vincula, et laqueos sibi paratos ignorat; ebriorum instar, qui vino perfusi, nec se vinciri sentiunt, neque objectos sibi laqueos præ ebrietate vident.

Idem, *De patientia.* — Sicut infans ad res mundi tractandas ineptus est; — ita etiam animæ, si divinæ gratiæ factæ sint participes, dum nutriuntur dulcedine Spiritus, nec dum variis probatæ tentationibus ac tribulationibus a spiritibus nequam, sunt adhuc infantes, atque, ut ita dicam, nondum idoneæ ad regnum. Idem martyrium tribulationum quod illi per tyrannos, hi per spiritus nequitiæ pertulerunt.

Idem, tom. III. — Dominus ac Dominator noster Jesus Christus cupiens salvum fieri genus humanum, hac redimi a diaboli tyrannide, omnibusque terrenis vinculis nos liberare, ac gehennam effugere, cœlorumque regnum adipisci, tum per seipsum, tum per sanctos apostolos et prophetas, angustiam in hoc sæculo atque ærumnam, et non esse nobis indulgendum rebus præsentibus, hortatur his verbis: *In hoc mundo pressuram habebitis.* (*Joan.* xvi, 33.) Similiter et apostoli dicunt, quod *per multas tribulationes oportet nos introire in regnum cœlorum.* (*Act.* xiv, 21.) Idcirco et afflictiones, et pœnas omnium sanctorum, non minus quam sui ipsius in carnis dispensatione perpessiones, quas pro nobis peccatoribus passus est, in scriptis nobis tradidit, ut ex iis discamus non licere ei qui vult salvus fieri, in otio præsentem vitam ducere, seu sine tentationibus, vexationibusque in hoc mundo manere: neque enim quis supplicium potest effugere, neque regno potiri, æternisque bonis frui, absque tribulationibus et tentationibus. Optime enim scitis, dilectissimi, nemini concessum esse, ut æstate metat, nisi hieme seminaverit, neque ut ex vite uvas decerpat, vinoque ipsius exhilaretur, nisi antea multa passus vineam plantaverit, fructumque ex ipsa proprio tempore exspectarit. Sic et nos in hoc mundo, nisi renuntiantes carnis affectibus ac cogitationibus, omnibusque terrenis rebus, et deprimamus nos ipsos, et affligamus, redigamusque in servitutem cum mundo, et secundum Apostoli doctrinam ambulemus, sicut ipse inquit: *In multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in persecutionibus, in plagis, in laboribus, in jejuniis, in vigiliis, in fame, in siti, in frigore et nuditate.* (*II Cor.* vi, 4.) Verum quorsum nunc singula recenseam? Si quis enim velit hujus perpessiones, ærumnasque enarrare, tempus ipsum deficiet, maritimas profectiones, et naufragia, molesta ac periculosa itinera, latronum impetus, consanguineorum insidias, falsorum fratrum impressiones: cum infirmis quotidie infirmari, et quo-

Digitized by Google

tidie commori. Hæc omnia tanquam de aliis enarrabat, proprios dolores publice exponens, hortansque universos, per patientiam ad æternam vitam pervenire ; demonstrando ei qui salvus fieri cupit, aliam viam inire non posse. Ferme enim per ærumnas, ac tentationes omne suum tempus duxit Apostolus. Nos vero miseri neque qualemcunque dolorem perferimus ; sed remisse ac molliter viventes, æterna bona nos consecutoros esse speramus. Et quonam pacto hoc fieri potest? Si enim qui terrenas divitias possidere cupiunt, omne periculum ac discrimen subeunt : quanto magis nos, qui cœlestes opes adipisci, ac stabilibus deliciis perfrui exoptamus, molestos omnes labores spernere, atque periculum omne, et discrimen aggredi debemus? Nisi enim prompte, atque ex animo omnem laborem subeamus, et cum compunctione contritoque corde seminemus lacrymas, quomodo ibi metemus non flentes, aut quo pacto cum exsultatione virtutum manipulos inveniemus? Non enim dixit Propheta qualemcunque colligere cum exsultatione manipulos suos, sed eos qui seminant in lacrymis, hoc est, qui in præsentia deprimunt seipsos, et cum compunctione, et lacrymis, contrito corde orantes Dominum, omnem calamitatem atque angustiam perferunt cum gratiarum actione. Hi æterna vita potiuntur, atque in gaudio in sæculum sæculi remeantur. Neque enim iis qui inconsiderate, atque ut res tulit vivunt, tanta bona præparavit ; sed iis qui præcepta ipsius servant, et secundum illius mandata gradiuntur : nam gehennam non temere minitatus est, et reliqua supplicia, nisi transgredientibus sua mandata, et carnis affectionibus inservientibus, omnibusque diabolica opera sectantibus, qui Dei timorem a se ipsis abjecerunt, et nihil futurorum exspectant. Isti supra dictis castigationibus addicuntur, quomodo igitur etiam nos effugiamus æternum ignem, et tenebras exteriores, et stridorem dentium, et vermem non dormiturum, et reliqua omnia interminata supplicia? Qui in otio ac deliciis, in desidia, ac dissolutione negligentiaque nostros dies consumimus, et sermonibus intempestivis, stultis, sordidis, obscenisque indulgemus? Quo pacto æternum fletum effugere possumus, semper in risu, et negligentia totum nostræ vitæ tempus traducentes? Miseros enim Dominus pronuntians eos qui rident, et beatos dicens, qui lugent : *Væ*, inquit, *vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis* (*Luc.* VI, 25); *et beati qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur.* (*Matth.* V, 5) Cum igitur tempus habemus, convertamur ex toto corde nostro ad Dominum, ac cum fletu et compunctione, contritoque corde oremus Dominum, sicut dicit Propheta : *Venite, adoremus, et procidamus ante eum, ploremus coram Domino qui fecit nos* (*Psal.* XCIV, 6), ut ex jam dictis malis nos eripiat, et suo cœlesti regno nos dignetur. Ita, dilectissimi, procidamus ante eum cum lacrymis, sine ulla verecundia petentes nostrarum animarum salutem. Prosunt lacrymæ hic, et peccati flammam exstinguunt, nosque hic existentes, et ad eum conversos et suscipit, et admittit, et salvat, et suis æternis bonis nos dignatur : ibi vero non amplius ; sed justum judicium, atque operum retributio. Nunc enimvero multam vim habet aqua lacrymarum; tunc vero ignis hominum opera probabit; nunc prodest animi dejectio, et luctus ; eo vero nobis hinc profectus inutiles fient nostræ lacrymæ, et amare ingemiscemus, et plorabimus, dentibusque stridebimus, et nemo unus erit, qui nostri misereatur.

Quid autem ipse faciam negligens, dissolutus, ignavus hæc et dicens, et audiens, aliosque commonefacere audens, qui omnibus carnis illecebris addictum, pravisque cogitationibus mancipium me præbeo? Heu, heu! o anima! Quo pacto tuam salutem negligis? Quomodo te addixisti vanitati, et obligasti te ipsam terrenis rebus, minime recogitans te oportere sisti tremendo judicio? Versa animo terribilem Domini adventum, horrendum ipsius tribunal, fluviumque igneum. *Fluvius* enim, inquit, *egreditur a facie ejus : millia millium assistebant ei, et decies centena millia ministrabant ei.* (*Dan.* VII, 10.) Ubi non solum operum rationem reddituri sumus, verum etiam discursum et cogitationum cordis; ubi omnia nuda et aperta; ubi non potest patronus inveniri, nec munus offerri. Ubi celabimus tunc, quæso, cogitationes et verba, atque operationes, quando sancti coronantur, qui in hoc sæculo attriti sunt, atque exagitati, qui laborem omnem exantlarunt, et jejunia, et vigilias, et algorem, et nuditatem, et demersiones, et sexcentas calamitates, necessitatesque tolerarunt, et in locis desertis errantes, in montibus atque speluncis, et in cavernis terræ, omnibus rebus temporalibus privati et malis oppressi ; qui semel se ipsos abnegarunt, et crucem suam portantes Dominum secuti sunt, nihilque terrenum sapuerunt; qui in terris versati, atque in cœlis jus civitatis adepti, pro Christo tota die mortificati, hi æterna vita perfruuntur, et immortalitatis corona donantur? Ego vero et mei similes conversati in hoc sæculo, ad prædicta supplicia condemnati deducimur. Cur igitur negligentes ac socordes sumus, et nos ipsos stultis ac temporalibus rebus implicamus? Quid nobis proderit sæculi hujus possessio? Nonne potius nos condemnabit? Quid vero hominum gloria conducet nobis? Nonne promissam habet feni combustionem, propheta luculenter clamante : *Omnis gloria hominis ut flos feni.* (*Ezech.* XIV, 17.) Quare igitur fallaces cogitationes sequimur, neque nos ipsos mundi vinculis solvimus, et dolo ratiocinationum? Utinam vero hactenus solum procederet malum, quando hæc ipsa delicta sunt, et impedimenta mandatorum Dei, argumentaque infidelitatis; cum dicat Dominus : *Quid proderit homini, si lucretur mundum totum, et detrimentum animæ suæ faciat?* (*Marc.* VIII, 36.) Alibi vero cum rursus dicat :

Digitized by Google

Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis? (*Joan.* IV, 44.) Et rursus ad renuntiandum rebus possessis instituens, nos et volens a sensibilibus liberare : *Ne solliciti sitis*, ait, *animæ vestræ quid manducetis, aut quid bibatis, neque corpori vestro quid induamini.* (*Matth.* VI, 25.) Rationemque nobis attulit dicens : *Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum?* (*Luc.* XII, 23.) Et iterum avium nobis, et feni dilucidius proponens exemplum : *Respicite*, inquit, *volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis volatilibus?* (*Matth.* VI, 26.) Et denuo : *Considerate lilia agri, quomodo crescunt; non laborant, neque nent : dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si autem fenum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos modicæ fidei?* (*Ibid.*, 28) Argumentum igitur infidelitatis, ut dixi, est vincire nos ipsis terrenis rebus. Atque utinam huc usque nobis culpa inesset : nunc etiam gravioribus nos ipsos malis implicamus. Mercedes ex labore quærimus, et sexcenta mala, variasque pravitates excogitamus, in malitia atque invidia viventes, in hypocrisi et dolo, vanaque gloria et superbia, obtrectationem et odium, atque eis similia patramus, propria membra mordendo, et devorando. Et quod pejus est, his prædictis malis capti, sæpe et reliquorum judices sedemus, et proprias culpas lugere omittentes, alienas curiose atque anxie inquirimus, et nostras trabes relinquentes, cæcutientesque in nostris malis, fratrum festucas nullius momenti consideramus, Dei timorem ante oculos non habentes, neque minas quas iis qui judicant, intentavit, cum dicat Dominus : *Nolite condemnare, et non condemnabimini : in quo enim*, inquit, *judicio judicaveritis, judicabimini; et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* (*Luc.* VI, 37.) Resipiscamus igitur, dilectissimi, neque nos reos faciamus judicii, et condemnationis quam Dominus decrevit iis qui temere atque injuste condemnant. Et rursus Domino hortante : *Diligite inimicos vestros* (*Matth.* V, 44), oportet nos lugere, quod adeo a præceptis Dei discessimus et gloriamur, ac si maxima patraverimus. Tantum vero absumus a diligendo inimicos, ut eos qui nos diligunt, etiam aversemur, odioque prosequamur. Quando enim illos qui nulla in re nocentes sunt, conviciis ac dicteriis insectamur, adeo ut etiam illorum gloriam extenuemus; magnopere odientium argumentum est, atque adversantium. Cogita enim quantæ feritatis indicium sit minime nocenti, imo potius de te bene merito conviciari. Quæ igitur defensionis ratio nobis supererit, qui adeo adversis frontibus Dei præceptis obsistimus? Ubique enim nobis dilectionis legem imponit; dicit enim : *Diligite invicem, sicut ego dilexi vos.* (*Joan.* V, 13.) Nos igitur odii pleni sumus. Hæc autem mundi deceptioni accepta referre debemus : potenter enim nos tenet affectionum radix, id est, avaritia. Impossibile enim est, ut cum pecuniis dilectio commoretur. Etenim quo pacto fieri potest? Qui enim hujusmodi res sollicite inquirit, odit fratrem, quærens aliquid ex rebus ipsius auferre, aut agrum ipsius exoptans, aut donum proximi accipere studens, aut ejus boves, aut pecora illius, aut omnia quæcunque is habet : cum his vero sæpe sæpius etiam ipsam vitam auferre conatur.

Agite igitur, fratres, abscindamus avaritiam a nobis omnium malorum radicem, et seramus in nobis ipsis dilectionem, quæ omnium virtutum conciliatrix est. Enumerans enim Apostolus fructus Spiritus, volensque ostendere maximum amoris donum : *Fructus*, inquit, *Spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, mansuetudo, continentia.* (*Galat.* V, 22.) Atque iterum ait : *Manent fides, spes, charitas : tria hæc; major autem omnium est charitas.* (*I Cor.* XIII, 13.) Omnia enim evacuanda dixit, tum linguas, tum prophetias, tum fidem et spem : charitatem autem dixit manere in æternum. Quid vero e contrario carnalis prudentia ab avaritia genita? *Sunt hæc*, inquit, *fornicationes, immunditiæ, impudicitiæ idololatriæ, veneficia, inimicitiæ, æmulationes, iræ, contentiones, rixæ, obtrectationes, lites, invidiæ, ebrietates, comessationes* (*Galat.* V, 21), et his similia; his vero qui hæc agunt, a regno Dei expulsionem minatus est. Fugiamus itaque, dilectissimi, eas malas actiones ab avaritia comparatas, ne a regno excidamus. Excutiamus igitur mundanarum curarum grave pondus, bonumque jugum Domini subeamus, ipsiusque pondus leve portemus, et accedamus ad eum cum corde puro, ut nos in sæculum sæculi recreet. Ipse enim dixit : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* (*Matth.* XI, 28.) Nihil enim nobis proderit sæculi hujus sollicitudo, sed potius etiam condemnat, et ad gehennam adducit, nullus enim auri amator potest salvus fieri; etenim ex hac mala cupiditate Judas Dominum prodidit, et laqueo consumptus est. Propter hanc etiam Giezi lepra affectus est, non obediens prophetæ Eliseo, ac pecunias Naaman concupiscens, elephantiam adeptus est, quod argumentum est peccatorum. Ob eam genus Judæorum ad impietatem versum est, et vitulum fusilem pro Deo habuit. Ex hac Ananias et Saphira repentinam mortem obierunt, surripientes sibi ex pretio agri. Hujus ope mendacium confirmatur veritasque perstringitur. Per hanc dolus excogitatus est, ab hac invidia augetur, et malitia multiplicatur. Propter hanc hostes, atque homicidia injusta, et cædes alternæ excogitantur. Verum cur omnia mala amaræ radicis enarrem, quando etiam ipsum Dominatorem et Dominum Jesum Christum ven-

Digitized by Google

nere aggressa est? Eam igitur minime sectemur, ut ne in supradicta mala incidamus; ostensum namque est omnis malitiæ inventricem esse avaritiam; *quam quidam appetentes, erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis* (*I Tim.* VI, 10), sicut ait Apostolus. Et hæc quidem facere homines vitæ sollicitudine alligatos intolerabile est, qui habent sæpe necessitatem aut propter uxores, aut filios hanc consectandi; adeoque his aliquando saltem venia ab hominibus conceditur. Nos vero, qui cruci affixisse nos ipsos credimus, quique, angelico habitu suscepto, illorum conversationem imitari debemus, et mandatum accepimus totius vanitatis mundi spernendæ, id est, rerum sæcularium quas mundanas vocamus : nos sane cœlestium conversationem ambientes, multo magis quam ipsi rebus sensibiiibus alligati sumus, cœlumque dimittentes, terræ adhæremus, ut nos ipsos mundanis oblectamentis devinciamus. Quam autem excusationem habebimus in die judicii, utpote qui, postquam recessimus a mundi curis, ac parentes et fratres, sororesque, et domum, et domesticos, et reliquas res possessas reliquimus, denuo propter hanc pravam radicem imprudentes ad eamdem revertimur, et magis, ut diximus, quam sæculares, hæc consectamur, et tandem ex iisdem etiam in supradictas affectiones improbitatis incidimus, et calumnias excogitamus, et cibum, quietemque inquirimus, et per diversas vias in gehennæ caminum ingredi, æternumque ignem nobis ipsis comparare festinamus, cum dicat Dominus : *Angusta est, et arcta via quæ ducit ad vitam.* (*Matth.* VII, 14.) Nos autem hanc relinquentes, perditionis vastitati nos ipsos dedimus. Et rursus eo dicente : *In mundo tribulationem habebitis*, requiem inquirimus, quid igitur ad nos excusandos respondebimus ei qui hæc nobis jussit? Quid ipsi dicemus in die judicii? An rerum sollicitudinem proferemus? Verum prædixit nihil profuturum homini, *si mundum uuiversum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur; aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* (*Matth.* XVI, 26.) Quid vero nobis proderit temporaria quies? Nonne tenebras nobis comparabit, et vermem qui non dormit, stridoremque dentium, et collocabit nos cum scortatoribus, omnibusque qui in lascivia vixerunt? Tandem enim necesse est, ut ex hac incondita oblectatione, atque otio in intemperantiæ cogitationes nos incidamus. Quemadmodum enim ignis sine lignis, et alia materia ardere non potest; ita debilis nostra atque insidiosa caro, nisi satietate gravetur, ad concupiscentiam non accenditur, sed quieta et Domini voluntati obsequens remanet. Ideo sancti omnem temporariam quietem aversati sunt, et nullam ex mundi curis habere voluerunt, sed in afflictionibus atque jejuniis, vigiliisque, et in reliquis asperis corporis tractationibus omne tempus suæ vitæ traduxerunt. Propterea et cœlorum regno digni habiti sunt, atque æterna requie potiuntur. Ideo exhortor : horum et nos imitatores fiamus æmulantes illorum virtutes, id est, erga Deum et proximum dilectionem, animi demissionem, mansuetudinem, continentiam, tolerantiam, orationem, inopiam, simplicitatem mentis, inanis gloriæ fastidium, mores inconcussos, securitatem, ad preces alacritatem atque ad omne opus bonum, promptitudinem ad omne periculum, atque discrimen; illorum modestiam, compassionem, misericordiam : ut per hæc omnia opera bona cum ipsis, etiam æternis bonis perfruamur.

Eia, dilectissimi, eia, patres et fratres, minime negligamus. Demus operam, ut solvamus nos a mundi laqueis, et cum illis sanctis qui bene decertarunt, et qui nunc decertant, a Salvatore coronemur. Renuntiemus igitur omnibus consiliis carnis, quia inimicos Dei nos constituit : *Sapientia* enim, inquit, *carnis, inimica est Deo : legi enim Dei non est subjecta.* (*Rom.* VIII, 7.) Odio habeamus mundi amicitiam, quoniam et ipsa — orando enim dicebat : *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt : de necessitatibus meis erue me.* (*Psal.* XXIV, 17.) Tum cum beneficiis a Deo affectus, atque a Dei gratia ab alienigenis liberatus Saul non desistebat ab eo persequendo, et quærebat ipsum occidere, licet ab illo mali nihil accepisset, sed gravi invidia correptus — quid vero cum Semei imprecabatur, spernebat, petebatque lapidibus? — Tunc vero cum impos animi ipsum insectabatur, festinabatque eum necare? Qui autem, cum audax illud facinus perpetravit, furoremque illum anhelavit contra patris ipsius uxores, eum nihili pendens. Quam multæ ærumnæ, quanto hi dolores! Verum hæc omnia pertulit propter æternam vitam, dicebatque : *Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi; et exaudivit deprecationem meam.* (*Psal.* XXXIX, 1.) Unde præ reliquis hominibus laudatus est. Pater Christi prænuntiatus, dispensationis in carne, sanctæ virginis, et susceptæ humanitatis Salvatoris, regnique cœlestis factus est hæres, cum totum suæ vitæ tempus per calamitates exegisset.

De beati vero Eliæ rebus gestis quis enarrationem contexere poterit? Hic enim ita in terris vixit, ut, antequam translatus esset, in cœlis versari crederetur, et cum incorporeis angelis ætatem ducere, nihil omnino in orbe possidens, sola melote indutus, et timendus apparens iis, qui diademata et purpuras induebant, non corporis robore, sed paupertatis et continentiæ virtute, et sancti Spiritus gratia quam egregiæ vitæ instituto adeptus fuit; qui nihil habens, omnia possedit, qui omnem hujus sæculi quietem respuit, qui fluvium jussu divisit, qui cœlum terræ pluvias, annos tres ac tres menses, negare jussit : qui omnem stultam sæculi hujus gloriam fugit, qui continentiæ rore peccati flammam exstinxit, qui nihil carnale sapuit unquam, qui damnum falsorum prophetarum coarguit, sacerdotesque Baal jugulavit, qui ter ignem de cœlo descendere jussit, et combussit

Digitized by Google

infideles, ac regem perversionis redarguit; qui tantam habuit libertatem, potestatemque dicendi, qui nubes alligavit. Hic tantus ac talis, sine ærumnis et tentationibus, in terris vitam non duxit; sed post tantorum prodigiorum ostensum, propter mulieris timorem fugitivus atque exsul factus est, et quadraginta dierum iter jejunus conficere coactus est; neque sic quietis compos fuit, sed rursus alia tentatio illum excepit, mors filii viduæ; quia post hospitii beneficium, beata illa puerum vidit exanimem, et cum mercedem benedictionis a propheta accipere exspectaret, rem omnium luctuosissimam recepit: quem enim sperabat se habituram vitæ solatium, hunc in ipso prophetæ adventu amisit. Quantus tunc prophetæ angor? Etenim mulier suum filium reposcebat, et qui nubes ligaverat, ab ea quæ puerum repetebat, tenebatur. Quare ab ea pressus, puerum complexatus est os ad os septies, et Deo impense supplicans, reddidit parenti filium a mortuis revocatum. Habebat enim secum facientem abstinentiam a cibo, et contemptum divitiarum. Videtis, fratres, vim paupertatis et continentiæ, quomodo mortem dissolvit, et vitam puero largitus est, atque a tentationibus periculisque liberavit, atque igneo curru ad Dominum ire contendit, nihil ab igne læsus. Et quoniam illius vita rore continentiæ, puritatis et amoris Dei perfundebatur, et propter has, reliquasque virtutes, adhuc in carne existens cum incorporeis angelis versabatur; ita et nos potiri possessione opulenta continentiæ et paupertatis curemus, ut etiam nos a mortali ad vitam immortalem, æternamque transferat.

Jeremias propheta a ventre sanctificatus est. Deus enim ad eum dicit: *Priusquam te formarem in utero, novi te, et antequam exires de vulva, sanctificavi te.* (*Jer.* I, 5.) Huic potestatem quoque dedit eradicandi, vexandi, et perdendi, ædificandi pariter et plantandi. Et in aperto est, quod neque sic sine ærumnis præsentem vitam duxit: itaque magis acerbam ac calamitosam, quam is, vitam nemo vixit adeo, ut tam graves lamentationes ipse scripserit, ut si oporteat dicere per compunctionem, quomodo Deo grati esse possimus, illius vitam exprimere atque imitari debeamus. Beatus enim ille magna dotatus fuit animi demissione, atque amore erga Deum et proximum. Quis vero tanta orationis facultate præditus est, ut virtutum amplitudinem dicendo assequi possit, illasque pro dignitate explicare? Cujus fides humanam etiam naturam superavit. Omnem namque mundi recusavit gloriam, et Domini humilitatem (quam propter nos peccatores præ se tulit, cum dives esset, nostri causa factus egenus, omnium Dominus, et Deus existens, servi formam assumere dignatus est, et supra cherubim sedens, atque ab universo angelorum, archangelorumque exercitu absque intermissione laudatus, cum hominibus conversatus est). Hanc Jeremias prophetice nobis prænuntiavit, ostendens non solum verbis, sed etiam factis. Cum enim Deus ipse prophetiæ excellentiam ante oculos poneret, *Domine*, aiebat, *nescio loqui, quia puer sum* (*Jer.* I, 6); indignum se ipsum reputans prophetiæ dignitate; non quod laborem detrectaret, sed quod humilitati insistebat. Unde eo dicente: non possum loqui, quia puer sum, Deus animi demissionem admittens, et promptitudinem illius amplificans, dixit: *Noli dicere, puer sum ego, quoniam ad omnes ad quos te mittam, ibis.* (*Jer.* I, 6.) Atque ita benedictus ille obediens Deo, sine tentationibus, periculisque nullam horam duxit in terra, sed perpetuo afflictus fuit, videns eos qui adeo a se diligebantur, legem violantes, atque a Deo qui ipsos fecit, declinantes, dicentes ad ipsum: *Non prophetabis in nomine Domini.* (*Jer.* XI, 26.) Ac sexcentas ærumnas ipsorum causa perpessus, injuriam non recordatus est, atque orare, ac deprecari Deum pro ipsorum salute non destitit, adeo ut Deus ipsi diceret: *Et tu*, inquit, *noli orare pro ipsis, neque deprecari, ut miserear ipsorum.* (*Jer.* VII, 16.) Hunc beatum traxerunt, ut præcipitarent, atque excuterent cerebrum ipsius. Neque hoc solum, sed etiam in lacum cœnosum eum dejecerunt ex cataracta, ut ipsius vitam delerent. Et omnia sustinuit propter spem in Deum, nunquam requiem carni concedens, cum nihil in terra possideret. Nam ligneum cingulum habere illi a Deo concessum fuerat, et hunc rursus prope Euphratem in foramine abscondere coactus fuit, atque iterum inde cum accipere putridum, ut corruptionem potentium Israelitarum demonstraret. Simili modo et ligneis manicis devinctus est, omnemque ærumnam ferre adactus est ad æternorum bonorum exspectationem.

Ac ne multa verba faciamus, cum non possimus de sanctis pro dignitate dicere, quæ restant prætereo. Omnes enim sancti hisce certaminibus tentati sunt, totum tempus in tentationibus viventes. Isaias profecto nudus, nudisque pedibus triennium consumpsit: magnus ille index dispensationis Salvatoris, qui videre Dominum supra cherubim dignatus est, qui peccatorum remissionem per immortale corpus Christi Domini nobis prænuntiavit, cum omni humilitate dicens: *O ego miser, quia compunctus sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito, et regem Dominum exercituum vidi oculis meis!* (*Isa.* VI, 15.) Quare, cum vidisset Dominus animi abjectionem, terribilium mysteriorum vim illi ostendit: *Missus est enim ad me*, inquit, *unus de seraphim, habens carbonem quem forcipe tulerat de altari, et tetigit os meum, et dixit: Hic nunc tetigit labia tua, et auferet a te iniquitates tuas.* (*Isa.* VI, 6.) Hic igitur gloriosus qui investigabili visione dignus habitus fuit, videamus an in mundo hoc quietem viderit, et non potius per pericula, et tentationes totum suæ vitæ tempus consumpserit: nudus enim, et sine calceis incedens, et lignea serra dissectus, qualem vidit requiem in præsenti? Hæc autem pertulit, ut ad vitam, mœstitiæ dolorisque vacuam por-

Digitized by Google

veniret, quam ipse significaverat de vita futura, unde aufugit dolor, et tristitia, et gemitus. Atque hic molesta ac tristia prompte patiens, lætam tranquillamque vitam consecutus est.

Quis autem referat, qui eum secuti sunt? Daniel jejuniis atque orationibus vacans, cum propter eas virtutes, tum propter somnia illa terribilia, in lacum leonum conjectus est, et sexcentes ærumnas pertulit ob beatitatem in cœlis reconditam, unde et futurum judicium contemplatus fuit: *Aspiciebam* enim, inquit, *donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit; vestimentum ejus candidum quasi nix, et capilli capitis ejus quasi lana munda. Thronus ejus flamma ignis, rotæ ejus ignis accensus, fluvius igneus egrediebatur a facie ejus; millia millium assistebant ei, judicium sedit, et libri aperti sunt.* (*Dan.* VII, 9.) Postea addit. *Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis veniens, et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum; et datum est et regnum, et honor, et potestas, et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient, et potestas ejus, potestas æterna, quæ non transibit. Horruit spiritus meus; ego Daniel territus sum in me et visiones capitis mei conturbaverunt me.* (*Ibid.*, 12.) Si igitur hic adeo purus sine tentationibus, atque ærumnis non fuit super terram; et nos absque labore reliquisque afflictationibus, regnum, et quæ in eo bona reposita sunt, exspectamus?

Quis autem nos commendabit talia cogitantes? Si enim procul ab angustiis, et tentationibus, reliquarumque virtutum tolerantia ea consequi liceret, quorsum Deus, ut tanta discrimina sancti subirent, et tentationes, angustiasque, et non potius ut in licentia ac deliciis omnes viverent, permisit? Si hæc cogitemus, et aliqui infidelium nos videant ita affectos, dicent: odio habet igitur Deus sanctos. Etenim si fas erat sine ærumnis, ac tentationibus regnare in cœlis, cur illos in miseriis, et angustiis, et in periculis, et in variis tentationibus reliquit? O grandem temeritatem, o magnum contemptum, o enormem ignaviam, o ingentem duritiem! Cum enim oporteret nos lugere nostrorum cordium duritiem, et quod adeo a spe sanctorum distamus, atque a patientia; contra potius et eos qui recte vivunt, condemnamus sæpe propter nimiam illorum lenitatem, et animi demissionem, et paupertatem, et reliquas virtutes, ac sæpe sæpius hoc ipsum robur patientiæ, segnitiem, imbecillitatemque appellamus, eisque pigritiæ crimen affligimus. Quid faciemus igitur, cum tantis malis nos ipsos transfigamus, et secundum Salomonem virtutis signum non habentes quod ostendere possimus, in malitia vitam nostram consumimus? Ac sancti quidem propter Deum, æternorumque bonorum voluptatem, tentationes tantas, ac pericula pertulerunt; nos vero quotidie beneficiis affecti, pigri sumus. Hæc vero accidunt nobis, quia futurum judicium illud non exspectamus fore terribile atque intolerabile, quod solum illud ostendet proprium tempus; neque desideramus æternorum bonorum perceptionem, sed adhæremus terrenis, atque insanis vitæ rebus, quæ nobis haud prosunt, sed potius ad extremam perniciem nos adducunt. Expergiscamur igitur, dilectissimi, certemusque dum tempus habemus. Sic floruere etiam tres pueri, atque hymnis laudare Deum non destiterunt, sed in igne existentes, ac si in sacello manerent, sic se habebant patientiæ certamen ostendentes, atque eum propter quem in ignem conjecti fuerant, cum gratiarum actione hymnisque decantabant. Vidistis gratum animum sanctorum? Vidistis erga Deum amorem ac patientiam adamantinam? Sed quid Dominus fecit? Eos, qui traditi fuerant igni illi qui saxa et ferrum, omnemque materiam consumit, tanquam sponsos ex thalamo, sic fecit exire illos sanctos. Non enim fuit in illis dolor ignis, sed aqua irrigans capitis ipsorum capillos. Hæc vero omnia præbuit ipsis continentia, et paupertas. Propter continentiam enim verum caminum ante Babylonem superarunt, flammamque peccati a carnalibus concupiscentiis excitatam extinxerunt, et paupertate potiti cœleste regnum possederunt, atque hic a rege adorati sunt, æternaque vita fruuntur. Agite igitur, dilectissimi, nos quoque horum virtutes imitemur, eamdemque viam ineamus, ut in eamdem requiem occurramus.

Quid vero dicam de sanctis qui in Veteri Testamento decertarunt, quibus Apostolus testimonium dedit his verbis: *Quibus dignus non erat mundus?* (*Hebr.* II, 38) Non quod patrimonium magnum possederunt, et delicias quietemque sectati sunt in vita hac; quod circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, atque inopes facti sunt, et attriti sunt, et extorres fuerunt. Propterea devicerunt regna, et Dei promissiones consecuti fuerunt. Videtis, fratres, ut nullus sanctorum sine ærumnis ac tentationibus præsentem vitam duxit. Quo pacto igitur nos nihil ejusmodi perpessi, sed in otio ac deliciis hujus sæculi degentes partem cum iis sortiemur? Non enim nobis pollicitus est hic quietem se, et regnum suum concessurum. Hoc enim sæculum pro loco exercitationis, tentationis et certaminis dedit nobis Deus, ut ait generosus Job, quod *tentatio est vita hominis super terram.* (*Job* VII, 1.)

Non igitur iniquo animo feramus molesta atque aspera quæ nobis accidunt, sed potius etiam lætemur, quod viam sanctorum perambulamus. Etenim Dominus noster Jesus Christus, largitor vitæ nostræ, per perpessiones totam in carne dispensationem consummavit: formam enim servi accepit Dominus omnium existens; et cum dives esset, pauper factus est, et famem, et sitim, et laborem, et itinera toleravit; atque omnium opifex, ac Dominus non habuit, ubi caput reclinaret; et quem tremit omnis creatura cœlestium, terrestrium et infernorum, sub diabolo, hic qui potestatem nobis dedit ipsum conculcandi, sub ipso passus est quadraginta dies et quadraginta noctes jejunium produ-

Digitized by Google

cere, atque ita ab eo tentari. Num jejunio indigebat, qui pati non potest? Qui omnes laborantes reficit, defatigari oportuit? Quorsum vero sitivit copiosissimus fons, qui aquam in vinum vertit, qui flumina viventium aquarum effudit ex ventre credentium in ipsum? Nisi quod exemplum nobis et formam gratissimæ conversationis voluit ostendere, ut in ipsis versantes a diaboli dolis liberemur, ipsiusque regnum æternum assequamur? Ea de causa etiam passus est, probris affectus, male audiens, consputus, colaphis cæsus, flagellis vexatus, spinis coronatus, calamum manu accipiens, purpura indutus, fustibus percussus, genus omne ludibrii ac risus perpessus, cruci affixus, aceto ac felle potatus, lancea in latere perfossus, cum iniquis deputatus. Hæc omnia Dominus propter nos tulit, et nostræ salutis causa magnanimus perpessus est: quid igitur retribuemus Domino, qui tantam benevolentiam erga nos demonstravit, ut neque retributionem a nobis postulet, sed velit solum, ut nostræ saluti studeamus?

Sic et apostoli Salvatoris præceptis inhærentes, omnem ærumnam atque angustiam pertulerunt, expulsi, exagitati, in arctum adducti, injuriis affecti, pro nihilo habiti, sputis delibuti, hinc atque hinc assidue ejecti, nullam omnino habentes requiem, sed mortem ante oculos tenentes, et singulis horis exspectantes, et præterea jejuniis, et vigiliis, et siti, et nuditate, in laboribus, et in itineribus suum corpus domantes, atque in servitutem redigentes, ut sibi ipsis et nobis æternam vitam promererentur: cum Deus ostendat non licere esse otiosis his qui salvi esse velint: neque enim merces datur sine labore, sed unusquisque nostrum juxta proprium laborem propriam mercedem accipiet.

Horum vestigia etiam sequentes martyres victores egregii, atque in variis certaminibus exerciti, experimentisque iterum velut aurum in fusoria officina conflati, immortalitatis corona redimiti sunt, flagellis affecti, plagis crudelissime exruciati, in carceribus constricti. Principes et reges ferarum dentibus illos subjiciebant; igni vero voraci et potenti tradebant ipsos et fluminum undis illos projicientes, et pelago demergentes, rotis alligantes, torquentes sancta illorum, ac tenera membra. Hæc omnia autem viderunt sancti, non robore corporis (hoc enim habuerunt corruptibile, sicut habemus et nos), sed spe futurorum bonorum confirmati, omnia generose tolerarunt, nullo modo carnalium consiliorum experimentum admittentes, non assentationibus emolliti, non temporanea gloria, stultisque divitiis decepti; sed omnem suam spem in Domino sine ulla dubitatione ponentes, omnem diaboli machinationem pessumdederunt, et martyres Domini renuntiati sunt, cum confessionem egregiam coram hominibus emisissent. Ita etiam nos, dilectissimi, etsi tempus martyrii non adsit, martyres mente evadamus, resistentes diaboli insidiis, per animi dejectionem et patientiam, dilectionemque Dei et proximi, ac mutuam tolerantiam propter Deum, exsequentes Salvatoris mandatum, quod pronuntiavit: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* (*Joan.* xv, 13.) Si igitur animam ponere invicem jubemur; quanto magis obedientiam, et subjectionem alter alteri præstare debemus, ut simus imitatores Domini, qui primum obedientiam ostendit opere et sermone, *factus obediens* Patri *usque ad mortem, mortem autem crucis?* (*Philipp.* II, 8.) Similiter et animam posuit ob suam benignitatem, idque nobis non existentibus ipsius amicis, sed inimicis: *Cum autem inimici essemus propter delicta et concupiscentias, per mortem suam reconciliavit nos Patri, delens quod adversus nos erat chirographum decreti.* (*Coloss.* II, 14.)

Nos vero, cum deberemus sequi mandata ipsius, jussi observare, non observamus. Et ipse quidem primum fecit, atque ita docuit; nos autem ne obviam quidem obedientiam invicem præstamus, sed contradictionibus potius, cupiditatique ex lege omnes servimus: neque qualibuscunque contumaciter repugnamus, sed Christo ipsi Domino. Quando enim patribus nostris contradicimus, qui salutaria documenta nobis præbent, qui etiam animam parati sunt ponere pro nobis, nonne Christo contradicimus, dicenti: *Qui vos audit, me audit; et qui me spernit, spernit eum qui misit me?* (*Luc.* x, 16.)

Sic igitur spernentes eum qui fecit nos, quomodo regno nos dignabitur, et non potius incusabit, condemnabitque, quod adeo obvertimus mandata ipsius, neque ponimus ante oculos periculum non obedientibus impendens, neque obedientiæ lucrum agnoscimus. Inobedientia enim mortem affert, obedientia vero vitam æternam conciliat. Conemur ergo, dilectissimi, per hanc pulchram obedientiam, et subjectionem, æternæ vitæ hæreditatem assequi, et minime nos ipsos inobedientiæ, atque inordinationis mortis subjectos faciamus. Habentes autem timorem Domini, pareamus Apostoli documentis, sicut dicit: *Subjecti invicem in timore Dei, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.* (*Ephes.* IV, 2.) Etenim pax omnis bonæ spei fundamentum existit, pax mortis mors, diaboli luctus, dæmonum exterminium. Hanc quæramus, et consectemur, quæ est Christi: *Christus*, ut ait Apostolus, *est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem macerie solvens, et veniens evangelizavit pacem iis qui prope, et qui longe sunt.* (*Ephes.* II, 14.) Hanc igitur studeamus tenere pacem, dilectissimi, atque adversus hostem, hoc est diabolum, resistere et bellare, sumentes arma continentiæ nostræ, hoc est primum omnium rectissimam fidem, et de futuris spem, et non fictam dilectionem. Per hæc spiritualia tria arma, tres illius improbas machinationes dejicimus, hoc est, oblivionem, et insciam, pigritiamque. Hæc enim sunt illius consilia mala, et subtilia. Per has tres operationes in perditionem dejicit hominum

Digitized by Google

genus, eos maxime qui fidunt perversis ipsius persuasionibus. Hæ etenim tres ipsæ insidiæ omnium ipsius inventionum pessimæ sunt : tenuissimæ cum sint, et latenter in nos sese insinuent, adeo ut ne cogitemus quidem nos facere malum in malis existentes. Quemadmodum enim, exempli gratia, si quis in leonem incidat aut aprum, belluas terribilissimas, ab illis occiditur, cum maximæ sint et potentes; alius vero incidat in serpentem, vel araneam, vel scorpionem, eamdem mortem patitur propter venenosæ feræ efficaciam, quam qui in maximas feras inciderit; sic qui vinolentiæ, aut gulæ, aut scortationi, reliquisque vitiis inserviunt, cum sint maximæ, pessimæque affectiones, animæ interitum patiuntur. Eodem modo, qui vel ignorantiæ subditur, vel negligentia tenetur, his quæ minimæ videntur esse, adeo ut neque animadvertamus nos peccare, etiam ejusmodi subjecti passionibus, mortem subeunt animæ, sicut illi corporis. Oblivio enim animas nostras seducens non sinit ut recordemur præceptorum Dei, sed prosiliens vitiositas captivos nos a Deo abducit : ignorantia autem subtrahens mentem nostram a Dei charitate, non permittit ut spes nostra ad bonum feratur, sed ab ea irretiti terrenis rebus, atque insanis, Dei præceptis non credimus, Dei nos facit inimicos. *Quicunque*, inquit, *voluerit amicus esse mundi hujus, inimicus Dei constituitur* (*Jac.* IV, 4.) Abjiciamus mundi pondus, portemusque crucem nostram; et crucem Domini sequamur, non declinando a via hac ad dextram, aut sinistram. Ipsa namque est via nostra Jesus Christus, qui ait : *Ego sum via, et veritas, et vita.* (*Joan.* XIV, 6.) Hanc igitur ingrediamur viam arctam atque angustam, ut vita perfruamur æterna, quæ est Christus. Omnes enim justi per hanc transierunt. Ideo etiam propheta dicit : *Multæ tribulationes justorum.* (*Psal.* XXXIII, 20.)

Si igitur sancti per multas tribulationes regni cœlorum hæredes fiunt : nos iniquitatibus, et quiete, et deliciis, et pondere rerum humanarum oppressi, speramus fore ut idem obtinere possimus? Quo vero pacto fieri potest? Quemadmodum enim per viam valde angustam, et præcipitem, qui onus ferat, pertransire non potest : ab angustia enim impeditur; ita pariter qui gravatus est mundi negotiis, difficile factu est, ut ad regnum cœlorum perveniat. Difficultatem enim salutis eorum qui multum possident, Dominus demonstrans, et perfectam nobis magnanimitatem ostendens : *Quam difficile*, inquit, *qui pecunias habent, introibunt in regnum cœlorum!* Quando enim accessit adolescens ille ad Dominum, interrogans de æterna vita, dicendo : *Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam?* Dixit ei Dominus : *Præcepta nosti : non occidas, non adulteres, ne fureris, ne surripias, ne falsum testimonium dixeris : honora patrem tuum et matrem tuam.* Cumque ille diceret : *Hæc omnia observavi a juventute mea, quid adhuc mihi deest?* Volensque Dominus ostendere, neque ea quæ significavit ipsum esse exsecutum, ei respondit : *Si vis perfectus esse, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, et sequere me.* (*Marc.* X, 23 et seq.)

Is vero possessionum pondere pressus, cupiditate vinctus, atque ideo mœrore afflictus, noluit Domini sectator esse, neque optavit thesaurum cœlestem acquirere; verum abiit tristis, causamque afferens evangelista, *Erat enim*, inquit, *habens multas possessiones.* Videte, dilectissimi, quot bonorum operum impedimentum fuerit opulentia, neque permiserit ut ille Domini sectator fieret, et quæ recta facere videbatur, nimia abundantia inutilia reddiderit. Propterea iterum dixit Dominus : *Facilius est camelum per foramen acus intrare, quam divitem in regnum cœlorum.* (*Matth.* XIX, 24.) Cur igitur impedimentum hoc non auferimus a nobis, et accipimus crucem nostram, sequimurque Salvatorem, non quæ retro sunt aspicientes, sicut uxor Lot quæ remansit exemplum infidelitatis statua salis usque in hodierum diem. Et Dominus inquit : *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.* (*Luc.* IX, 62.) Respicere autem retro, nihil aliud est, quam converti ad res mundi; et quæ destruxisse videbamur per abrenuntiationem, eadem rursus ob temporariam requiem ædificamus, omni ex parte nos ipsos transgressores constituentes, ut ait apostolus Paulus : *Si enim quæ destruxi, iterum hæc reædificabo, prævaricatorem me constituo.* (*Galat.* II, 18.) Quid igitur existimamus, quod transgredientes nos ipsius præcepta, regnum consecuturi simus, et non potius damnemur ad gehennam ignis?

Agite igitur, dilectissimi, cum adhuc tempus superest salutis; studeamus omnes sordes omnemque malitiam deponere, et bonum certamen certemus, ut æternam vitam assequamur, ad quam et vocati sumus, professique sumus pulchram professionem, cum sanctitatis habitum accepimus. Pro dignitate igitur hujus vocationis ambulemus, et cum omni animi demissione, ac longanimitate, supportemus invicem in dilectione Domini nostri Jesu Christi, curemusque conservare unitatem spiritus in vinculo pacis. Nihil per contentionem, vel vanam gloriam faciamus; non nascatur in nobis amaritudinis radix, neque servos nos ipsos faciamus pravarum affectionum, id est, gulæ quæ mater est intemperantiæ. Nemo nostrum Esau imitetur, qui viscerum stercus amans, sua primogenita vendidit, ventrem existimans Deum suum. Quæ enim Deo consecrata erant, hæc gulæ prodidit, profanus in his existens, atque a Deo alienus factus. Similes ergo ipsius ne fiamus, qui fornicator, et profanus ab Apostolo dictus est : ait enim : *Ne quis fornicator, aut profanus velut Esau* (*Hebr.* XII, 16); sed simplicem, puramque vitam Jacob æmulemur, ut cum ipso benedictionem hæreditemus. *Erat*, enim, inquit, *Jacob vir simplex, habitans in domo.* (*Gen.* XXV, 27.) Ergo, dilectissimi, nostras animas ne negligamus,

Digitized by Google

quia nihil est quod pretium animæ æquare possit. Prompte sustineamus tentationes, omnemque ærumnam atque angustiam; perdomemus corpus, mancipantes illud jejuniis rigidissimis, vigiliisque totius noctis, chameniis, et laboribus, cæterisque asperitatibus, ut anima nostra in singulos dies renovetur. Dicit enim Paulus apostolus : *Quantum qui foris est noster homo corrumpitur, tantum is qui intus est renovatur de die in diem.* Et iterum ait : *Id quod in præsenti est leve tribulationis, æternam gloriam operatur, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt; quæ autem non videntur æterna.* (*II Cor.* IV, 16-18.)

Æternarum igitur rerum possessionem exoptemus. Ad cogitationem revocemus sanctos, expendamus horum virtutes atque æmulemur, eorumque vestigiis animæ desiderio insistamus. Quis ex iis in quieto præsentem vitam egit, et non potius per tentationes ærumnasque præsens suæ vitæ tempus confecit? Idcirco, ut præfatus sum, illorum vitam graphice proposuit nobis Dominus, non solum ut eos admiremur, laudemusque; sed ut, secundum illorum vitam, egregium vitæ genus capessere curemus. Sumamus Abelem bonorum primitias, agnum innocentem, Deo offerentem dona gratissima, nihil injustum perpetrantem, solum per virtutem Deo placere cogitantem, et fraterna manu morti traditum, nihil habentem in se condemnatione dignum, quod impium illius odium posset excitare, sed quemadmodum dictum est, propter virtutem invisus, mortem sustinuit, ut factus typus Christi Domini, in sæculum sæculi requiescat. Hujus vere parentes, qui primi conditi sunt, qui immaculati factoris, et Dei manibus efficti, uberibus paradisi deliciis perfruiti, conditoris sui præcepta non obedientes, deceptorisque consilium consecuti, captique fraudis delectatione, ex paradiso ejecti sunt. Vides quantum detrimenti illis attulerunt relaxamenta et deliciæ : etiam ad Dei æqualitatem somniandam impulerunt. Nihil enim ad relaxationem inutile hominum genus. At ærumna atque indigentia, variæque tentationes, splendidos, beatosque efficiunt tolerantes.

Cupis autem etiam noscere, per quantas tentationes, afflictionesque præsentem vitam Noe duxit? Dicit Scriptura : *Noe vero invenit gratiam coram Deo* (*Gen.* VI, 8) : ut intelligamus eos, qui vere Deo placent, tum tentationibus, tum variis calamitatibus fuisse exercitatos, atque exerceri, ut puriores velut aurum in fornace positum, appareant. Quis vero satis tribulationes, tentationesque Noe enarrare poterit? Quod in tanta multitudine solus erat, qui Dei voluntatem faceret, universosque videbat declinantes a Deo, eosque admonebat, et sæpe exhortans ad conversionem, ut delirus ipsis videbatur. Cumque arcam fabricaret, quod convicia et dicteria! Atque inter hæc non lamentabatur, sed persistebat eos adhortari. Et tot annis despicatui esse, et odio haberi ab omnibus, videre eos adeo præcipites ferri a peccatis, parum tibi hoc videtur? Quis vero referat miserias post diluvium? Traducere cum tantis bestiis, et reptilibus, et volucribus annum totum in illa angustia, tempestatem illam intolerabilem, undarum fluctus, tonitruum, aquarumque strepitum; putamus ista parva esse? Quid autem postquam diluvium cessavit? Quis calamitates illas enumeret; solitudinem terræ universæ, et generis humani deletionem aspicere? Quando eum deseruit angustia, et ploratus? Quid vero Chami filii sui impudentia, cum patris nuditatem irrisit? quanta acerbitas? Adeo enim illud impudens factum eum commovit, ut ejus posteritatem servitutis pœna damnaverit. Idcirco ne orationem dilatemus, ista prætereo. Adeo ut si quis omnes illius calamitates persequi voluerit, eum tempus deficiat. Atque in omnibus his existens, dedicit gratias agere Deo, a spe futurorum bonorum nunquam divulsus, unde etiam per infinita sæcula commemoratur.

Quid vero dicimus de patriarcha Abraham? Multi eum ferunt inter divitias, copiasque vixisse præter cæteros. Unde qui aliquibus bene precantur, illius benedictionem, atque ubertatem ut percipiant, exoptant. At si quis illius divitias scrutabitur, inveniet ipsum plus cæteris totum suæ vitæ tempus inter ærumnas, tentationesque duxisse. Quis enim illius labores enumerabit? In itineribus incommoda, in bellis discrimina, nemini videri vivere religiose, exsulare a propria terra, atque ab omnibus consanguineis, nescire ubi consistere oporteat, quotidie locum ex loco mutare, oberrare inter pericula, hæreditatemque in terra non habere, neque pedem ubi poneret sed in tabernaculis habitare? Quid vero volo dicere? Qui futurorum bonorum hæreditatem exspectat, nihil præsentium sibi vindicare debet, sed confidentiæ in Deo stabiliter inhærere : quemadmodum et Abraham, qui Melchisedech regem jurejurando certum reddidit, voluntariæ paupertatis nobis rationem ostendens, non esse nos mundi cupidos, sed totam spem nostram in Deo ponere. Ideo, post belli victoriam, cum vellet rex scilicet grato animo etiam pro ipsius laboribus gratiam referre, dixit Abraham: *Levo manum meam ad Altissimum, qui fecit cælum et terram, si a filo usque ad corrigiam caligæ accipiam aliquid rerum tuarum, ne dicas,* inquit, *ego ditavi Abraham.* (*Gen.* XIV, 22.) Videtis quomodo nihil præsentium Abraham optavit, sed spe futurorum corroboratus, tentationem strenue pertulit : qui enim unico filio non pepercit, sed illum jugulare voluit propter Dei præceptum, quo pacto res adeo temporarias sibi sumpsisset? Promptus hospitalitatis cultor, per hoc egregium turris ædificium, Deum ut viatorem excepit, et amicus Dei factus, bonis semper durantibus fruitur. Hujus imitemur et nos fidem, fortitudinem, Dei amorem, ipsiusque hospitalitatem, ut cum ipso æternis bonis oblectemur.

Quis vero dicat, aut quis prædicaverit

Digitized by Google

beatam obedientiam Isaac ? Etenim cum pater eum ad sacrificium duceret, promptior sequebatur ad mortem : typus enim hic etiam erat Christi Domini, hujus etiam nos obedientiam, ac promptitudinem acquiramus, ut nos quoque obedientiæ mercedem a Christo servatore recipiamus.

De generosissimo Jobo dicere non audeo : hic enim universum tentationum pelagus sine ulla dubitatione subivit, et totam agitationem, ac tempestatem, decumanosque fluctus dæmonis generose pertransivit, et tanquam lapis, infractus mansit immobilis, atque omnia tela Diaboli excepit, invulneratusque perstitit, muniens seipsum fidei scuto, et animose adversarium superans ac frangens, victor, corona redimitus, renuntiatus est. Quando enim Diabolus ad certamen illum exposcebat, post illam non ferendam corporis plagam, post messem divitiarum, atque exspoliationem omnium possessionum illius, reliquorumque domi famulorum, atque aliarum opum cunctarum, cum audivit Deum testimonium perhibentem de justi virtutibus, ac dicentem ad se : *Considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, irreprehensibilis, justus, verax, timens Deum, abstinens ab omni malo opere ; tu vero*, inquit, *perdere dixisti substantias ejus frustra.* (*Job* II, 2.) Tunc pessimus diabolus improbitate summa usus, defensionis orationem opposuit : *Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Vide quomodo, audiens veritatem, diabolus dicebat, rerum temporalium jacturam salutem esse animæ? Qui cum præsentia possideret, non sibi, sed pauperibus illa possidebat, dicendo : *Omni venienti janua mea fuit aperta ; ego sum pater debilium, oculus cæcorum, pes claudorum, et a tonsura agnorum meorum calefacti sunt humeri pauperum.* (*Job* XXIX, 15.) Videtis, dilectissimi, non sibi, sed indigentibus divitias comparasse. Idcirco, iis amissis, non moleste tulit, sed potius gratias agebat his verbis : *Dominus dedit, Dominus abstulit ; sicut Domino placuit, ita factum est Sit nomen Domini benedictum in sæculum.* (*Job* I, 21.) Vidisti quomodo omnia terrena contempsit propter animæ suæ salutem. Confessus est enim etiam diabolus pecuniarum privationem esse animarum salutem. Si igitur ille etiam invitus hoc fassus est, qui pondere mundanarum possessionum homines aggravat ; cur non eis ligamus nos ipsos, et non potius eas relinquimus, ut animas nostras asseramus, et cœlorum regnum adipiscamur? Dixit vero Dominus : *Quicunque reliquerit patrem, aut matrem, aut fratres, aut sorores, aut domum, aut agros propter me, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* (*Matth.* IX, 29.) Quemadmodum et servus Dei Job omnibus temporariis rebus orbatus, et cum animi generositate ac patientia quamcunque tentationem perpessus, cum præsentia recepit, tum regnum sortitus est.

Agite igitur, et horum qui tam bene decertaverunt, vestigia premamus, omnesque res hujus sæculi sive jucundas, sive timendas aspernemur : neque aggravemus proprias sarcinas stultorum consiliorum, et criminum pondere demergamur : et veniens Dominus nos inveniet dormientes somnum illum qui fert ad mortem, et gravatos crapula, atque ebrietate, sollicitudinibusque sæcularibus, excludat nos a regno cœlorum, et lugebimus dies nostræ socordiæ, negligentiæ, et mollitiæ nostræ : nihilque tum nobis proderunt luctus, et lacrymæ, neque suspiria ; non si preces sexcentas offeramus dicendo : *Domine, Domine, aperi nobis.* (*Matth.* XXV, 11.) Nemo unus tunc est qui aperiat, sed potius qui increpet cum horrore dicens : *Nescio vos* (*Matth.* XXV, 4) : *discedite a me qui operamini iniquitatem.* (*Matth.* VII, 23.) Ea de causa omnes sancti angustam viam ingressi sunt, ut ab hac sententia liberentur, perveniant vero ad vitam æternam.

Pulchrum autem est Moisis vitam enarrare, atque utiles æmulari virtutes, qui tanta pericula ac tentationes expertus est ut numerari non possint, qui a parentibus ortus, in flumen projectus fuit, quem cum regis filia comprehendisset, educavit in filium. Cum autem ex pueris excessit, atque ad perfectam cognitionem pervenit, noluit amplius temporariam quietem, neque insanam Ægyptiorum gloriam, neque corruptibiles, trahentesque ad perditionem divitias ; verum omnibus plane nuntium remittens, negavit se natum esse filiæ Pharaonis ; ac regnum ostentationemque perosus, cum populo Dei affligi maluit, quam temporariam peccati habere delectationem. Verum, post virtutem tam grandem, tentationes, atque ærumnæ ipsum exceperunt, adeo ut si quis voluerit in eo tentamenta ad amussim expendere, illum maxime attritum inveniet. Cum enim ad perfectam prudentiam pervenit, et Dei zelum adeptus fuit, existimans non sentire alienigenas ; conspicatusque quemdam injuste oppressum ab Ægyptio, eo percusso, injuria affectum liberavit. Unde illi quos afficerat beneficiis, morti ipsum tradere decreverunt. Rursus enim, cum contentionem inter se agitarent alienigenæ, pacem inter illos conciliare conatus est. Ast ille, scelere plenus, increpuit ut homicidam, de se optime meritum, dicendo : *Num occidere me vis, sicut heri occidisti Ægyptium?* (*Exod.* II, 14.) Quid hoc gravius, aut molestius? Quamobrem in regiis palatiis versatus, tantaque fruens licentia ac libertate, fugitivus atque exsul factus est, Ægyptiorum divitias, minimeque diuturnam peccatorum delectationem perosus. Propterea etiam in desertis locis vexari maluit, gregemque pascere præoptavit apud virum ethnicum, Jothor nomine, atque omnibus, ut ita dicam, renuntians, et quietem brevem pertæsus, ac cœlestia bona desiderans ; quadraginta dierum jejunium continuavit, ex quo etiam Dei aspectu dignatus fuit, et coram eo locutus est Deus, et de manu Domini legem accepit, cum inter ærumnas totam vitam exegisset, Ægyptiacam nempe tentationem. At ex Israelitis pejores fuerunt, aliquando quidem adversus Deum de se optime meri-

Digitized by Google

tum murmurantes : quamque manna eis præberet, recondebantur potius Ægyptiacæ helluationes ; aliquando vero idola colentes, et recedentes a Deo : *Comedit Jacob*, ut dictum est, *et incrassatus est, et recalcitravit dilectus, et dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo.* (*Deut.* XXXIX, 15.) Videte, fratres, quid fecerit satietas, atque saturitas. Quomodo ipsos a Deo avertit, atque ad idolorum cultum adduxit. Hæc vero omnia dolori, mœrorique erant Moysi. Cum enim tam ardens Dei amator conspiciebat quos plus quam suam animam diligebat, adeo impie agentes furentesque, et post terribilia illa prodigia, post pedibus mare calcatum, post tam grande Dei patrocinium, ac beneficentiam, ad idolorum superstitionem conversos, atque ex relaxatione luxuque Deum fusilem comminiscentes ; hinc irritatus tali ac tanta illorum iniquitate, Dei zelo percitus, tabulas legis confringere coactus est, jussitque eos tam a se delictos invicem dispertiri, alterumque quadraginta dierum jejunium protrahens, secundam legem accepit. Vidisti paupertatis, ac tentationum utilitatem, quomodo Dei filios facit eos qui in his perseverant. Quid illo ditius, aut quid gloriosius egregio illius facinore? Rex erat Pharao aureum currum habens, et thronum auro intextum, et diademate redimitum, et in mari Rubro demersus est. Moyses vero inops, solam virtutem gestabat, et viride pedum, illoque iter aperuit populo, atque aquam ex petra extraxit, et manna e cœlo illis deduxit.

Horum igitur virtutes æmulari debemus etiam nos qui angelicum habitum suscepimus, ac mundo nuntium remisimus, ut illorum gratia digni quoque habeamur, et cum ipsis æternis bonis perfruamur. Æmulemur illorum patientiam, illorum mansuetudinem, terrenarum rerum neglectum, animi dominationem, lenitatem, clementiam, compunctionem, puritatem, dilectionem non fictam. Cum enim propter Judæorum impietatem iratus esset Deus, et vellet ipsos delere, Moysi dixit : *Dimitte me ut deleam eos, et faciam te in gentem magnam et multam.* (*Exod.* XXXII, 10.) Is vero charitatem ingentem atque insuperabilem possidens, orabat Deum, ac dicebat : *Absit, Domine ; si quidem dimittis eis hanc noxam, dimitte : sin minus, etiam me dele de libro quem scripsisti.* (*Ibid.*, 32.) Videtis, dilectissimi, insuperabilis amoris magnitudinem : optabat deleri a libro divino, judaicæ salutis et defensionis causa. Hujus dilectionem imitari debemus, qui salvi fieri volumus, et futuris bonis potiri : qui enim hanc tenet, non amplius malitiæ ac pravitatis passionibus subjicitur : verum, pure et sine offensione degens, regnum cœleste sortietur.

Similiter omnes etiam prophetæ per multas perpessiones tentationesque, æternæ vitæ hæreditatem adierunt. Jesus Nave, Moysis discipulus, et virtutum ipsius imitator, gratia eadem dignus habitus est, et magis afflictationibus tentationibusque hic exercitus fuit, bella ex bellis suspicimus, et magis quam bella populi transgressiones eum attriverunt. Verum omnia sustinuit propter æternorum bonorum spem, et fidem de Deo, et dilectionem. Cum his qui deinceps secuti sunt judices, ut prophetæ eisdem certaminibus exerciti fuerunt, easdemque perpessiones subiverunt. Idcirco a Deo beati facti sunt, æternamque vitam sunt consecuti : nihil in terra possidentes ; sed semper egentes, atque afflicti, in desertis locis errantes, et omnem afflictionem angustiamque patientes, de quibus dixit Apostolus : *Quibus dignus non erat mundus.* (*Hebr.* XXI, 38.)

At vero Samuelis ærumnas ac tentationes, quis enarrare sufficiet populi contradictiones, dum contra ipsum insurgentes, seu potius contra Deum, regem poposcerunt? Quot lamentationes, quot sollicitudines justo, cum illum aspernati sunt? Ut diceret Deus : *Non te abjecerunt, sed me.* (*I Reg.* VIII, 7.) Quid vero, cum unctus rex ab ipso, transgressus fuit mandatum Dei, atque alienigenarum regem servavit : quem Deus occidi jusserat? Quot lacrymæ, quot suspiria!

Quid vero rex et propheta David? Quam requiem invenies eum habuisse in terra? Quis miseriorem et calamitosiorem eo in terra vitam vixit? Quis hujus pericula, ac discrimina, atque lamenta enumerare poterit? Solum qui diligentem operam dederunt Scripturis, et psalmorum librum attenta consideratione percurrerunt, ii sciunt nunquam justo illi luctum defuisse : sed aliquando quidem lacrymis stratum rigasse, aliquando vero dixisse : *Factæ sunt lacrymæ meæ mihi panes, die ac nocte* (*Psal.* XLI, 4) ; aliquando vero sui immemorem fuisse : *Oblitus sum* enim, inquit, *comedere panem meum, et potum meum cum fletu miscebam.* (*Psal.* CI, 3.) Quid vero dicam de angustiis, quas in suis psalmis descripsit?

Simili modo pigritia nos deprimens non sinit oculos erigere ad rerum meliorum contemplationem, sed imprudentes nos ad inferos pertrahit, latissimamque perditionis viam ire cogit. Ideo, dilectissimi, ne per hæc nos prosternat, atque ad inferna perducat, obsistamus solidi in fide, et a nobis fugiet confusus impudens serpens. Nihil vero tam illum superat ac dijicit, quam subjectio, obedientia, demissio, et sincera dilectio. Hæc autem ipsi fiunt, sicut superius dictum est, in corde spicula. Vertit enim se in omnium bonorum operum formas, id est jejuniorum, vigiliarum, voluntariæ paupertatis : si de jejunio loquaris, ille omnino non comedit : de vigilantia vero, ille prorsus pervigil perseverat : de paupertate autem si quis loquatur, ille nihil plane possidet. Enim vero bonæ sunt hæ virtutes, multumque utiles : jejunium dico, vigilantiam et paupertatem. Verum harum imaginem induit improbissimus diabolus, dolumque in iis comminiscitur, per vanam gloriam, et opinionem, animique elationem. Contra eos vero qui animi demissionem servant, nihil potest

Digitized by Google

excogitare, quia illam non potest effingere. Etenim indumentum Christi est humilitas; et cum adversarius superbus sit, abjectionem fugit conspiciens in ipsis Christi humilitatem, qui humiliavit seipsum. Propter superbiam enim ex cœlorum regno excidit diabolus qui ab initio hominem perdidit, et per ipsam dejicit elatos. Similiter contra dejicientes se atque obedientes, nihil potest machinari; etenim in iis conspicit Dominum, sicut ait Apostolus, quod *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* (*Philip.* II, 8.) Ille enim cum effrenus sit, non obedivit Deo, et ab angelorum consortio dejectus est. Ad eos autem qui non fictam dilectionem induerunt, accedere omnino non audet : intuetur enim in ipsis benignum Deum dilectionis auctorem, largitoremque, ut ait in Evangelio : *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium*, etc. (*Joan.* III, 16.) Illos igitur qui his induti sunt, timet, et ab eis fugit. Idcirco ille odio plenus est, et ipse est odii repertor. Hæc igitur arma possideamus cum aliis virtutibus, quas ille habere non potest, id est animi demissionem et obedientiam et subjectionem, et Deo ingenitam radicem, hoc est sinceram dilectionem. Humilitas enim, sicut dictum est, indumentum est Christi. Qui igitur hanc adeptus est, adsimilis est ei qui humiliavit seipsum, et formam servi accepit. Et obedientia non secus ac subjectio eamdem parit gloriam iis qui ex toto corde eam induerunt. Subjectio enim sollicitudinem non bene compositam corrigit. Non aliter obediens, sciens usque ad mortem se extendere obedientiam, nihil illi anteponit, verum etiam in hoc, sicut dixi, ejus qui usque ad mortem Patri obediens factus est, imitator invenitur. Dilectio vero inexpugnabilis armatura est contra diabolum. *Charitas* enim, inquit, *Deus est; et qui manet in charitate*, sicut dictum est, *in Deo manet.* (*I Joan.* IV, 16.) Nihil his virtutibus honorabilius, in his enim *universa lex pendet, et prophetæ.*

In his igitur, dilectissimi, recte factis versari conemur, totamque diaboli potentiam destruemus, vanas contemnentes glorias, sicut et ignominias; quemadmodum docet Apostolus dicens : *Per arma a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, sicut seductores et veraces.* (*II Cor.* VI, 8.) Tales fuerunt apostoli, omnem humanam gloriam despectui habentes, res universas hujus sæculi stercora existimantes, nihil Dei amori anteponentes : verumtamen in bonis rebus unanimes, pacemque invicem, charitatemque servantes, sic omnia diaboli machinamenta fregerunt, omnemque ipsius malitiam debellarunt; neque regum, neque tyrannorum iras formidantes, sed omnem diabolicum furorem per concordiam ac pacem dissolverunt, atque omnino exterminarunt; mutuamque pacem habentes, omnes diaboli aggressiones irritas reddiderunt, universam idolorum insaniam evertentes, tum diabolicas irrisiones pessumdederunt, tum philosophos indociles confuderunt, tum senatum dogmata everterunt; Ecclesiæ fundamenta jecerunt, stabilierunt altare, reditumque in cœlum nobis demonstrarunt, ac per terrarum orbem salutis semen sparserunt. Hæc omnia facinora sancti perpetrarunt, non corporum robore, non armorum vi, sed per dilectionem in Deum et proximum, mutuamque concordiam ac pacem. Nihil enim dilectione ac pace præstantius. Propter hæc igitur egregia facta tanta gloria dignati sunt, atque amici fratresque Domini sunt appellati, cum olim dixit Dominus ad ipsos : *Vos amici mei estis, si feceritis secundum quod dico vobis.* (*Joan.* XV, 13.) Post resurrectionem vero alloquens mulieres : *Euntes in Galilæam, annuntiate fratribus meis quod præcedam vos.* (*Matth.* XXVIII, 6.) Idcirco in generatione duodecim sedium thronis ipsis promisit, ac judices adsessuros duodecim tribuum Israel, dixit Dominus.

Eia igitur et nos, dilectissimi, eorum institutionem sectemur, eorumque imitemur virtutes, et soliditatem rectissimæ fidei, eorumque quietem in sæculo futuro, spem sinceram et simplicem, dilectionem erga Deum et erga omnes, animi eorum demissionem, atque patientiam, mansuetudinem, tranquillitatem, temeritatis cautionem, inanis gloriæ contemptum, commiserationem, et animi præstantiam, tolerantiam, lenitatem et quietem, pecuniæ spretum et continentiam, diligentiam, ad bonas actiones alacritatem, obedientiam et constantiam, præparationemque adversus ærumnas, et pericula, et tentationes. Cum his vero omnibus supra dictis virtutibus concordiam, et illius vinculum; ut per hæc omnia bona opera liberentur ex dolosi diaboli arte ac fallacia et deceptione, atque effugiamus gehennam et vermem qui non dormit, et ploratum, dentiumque stridorem, et tenebras exteriores; atque æterni, immortalisque luminis compotes simus, in requiem et gaudium perpetuum Domini nostri Jesu Christi : unde effugit dolor et mœror, et singultus, ubi non est diabolus qui nos oppugnat; ubi neque videre est qui damnum infert, neque qui patitur : ubi mors non est contra mortis mala, sed lætitia, atque æterna exsultatio. Hæc exoptemus, hæc æmulemur, hujus potiri conemur per nostram in mundo conversationem. Curramus, acceleremus gressum, dum adhuc dies est, antequam nos nox sine fine comprehendat, antequam janua claudatur. Beatam illam vocem Domini audiamus : *Venite, benedicti*, etc. (*Matth.* XXV, 34.)

S. Basil. *Hom. in illud Lucæ*, XII, 18 : *Destruam horrea mea*, etc., t. I. — Duplex est tentationum genus. Aut enim corda velut aurum in fornace probant ærumnæ, cum per patientiam integritatem eorum coarguunt, atque bonitatem; aut etiam non raro ipsa vitæ prosperitas tentationis loco est compluribus. Æque enim arduum est in rebus difficilibus servari animam sublimem et indejectam, atque in rebus prosperis ad injuriam faciendam non abripi. Et prioris quidem tentationum generis exemplum est

Digitized by Google

Job, magnus ille et invictus athleta, qui vim omnem diaboli velut torrentis impetum, inconcusso pectore, ac immoto proposito excipiens, tanto superior exstitit tentationibus, quanto illata sibi ab hoste certamina majora videbantur, atque inextricabiliora. Aut vero tentationum in rebus secundis exempla, cum alia multa sunt, tum hic nunc nobis lectus dives : qui habebat alias quidem divitias, alias vero sperabat; nec tamen benignissimus Deus eum ob ingratam indolem initio condemnavit, sed semper opes alias adjecit prioribus; si quo modo tandem accedente satietate, animum ejus posset ad liberalitatem atque mansuetudinem provocare.

S. Gregor. Nazianz., orat. 40, t. I. — Si te luminis persecutor et tentator post baptismum adortus fuerit (et certe adorietur, nam et Verbum et Deum meum, propter carnis velamen oppugnare aggressus est, lumen, inquam, illud absconditum, propter humanitatem quæ in aspectum cadit), habes quo eum superes, ne certamen reformides. Aquam adversus eum oppone, oppone Spiritum, in quo ignita omnia pravi illius tela exstinguentur. (*Ephes.* VI, 16.) Spiritus quidem est, verum qui montes dissolvat. Aqua quidem est, sed quæ ignis exstinguendi vim habeat. Si inopiam tibi proposuerit (nam hoc quoque Christo proponere non dubitavit), ac famem ob oculos ponens, postulavit, ut *lapides panes fiant* (*Matth.* IV, 3); ne illius cogitationes ignores. Doce quæ non didicit, oppone vitalem illum sermonem, qui *panis est, cœlitus missus, ac mundo vitam largitur.* (*Joan.* VI, 33.) Si tibi per inanem gloriam insidias moliatur (quemadmodum et illi, cum in templi pinnaculum eum sustulit, ac dixit : *Projicite deorsum* [*Matth.* IV, 6], ut divinitatis specimen edas); ne per animi elationem dejiciaris. Nam si hoc evicerit, nequaquam hic consistet. Inexplebilis est, ad omnia grassatur. Benignitatis quidem specie lenocinatur, verum in malum desinit. Hæc est illius pugnandi ratio. Atque etiam Scripturarum peritus est hic latro. Hinc illud *scriptum est*, de pane; hinc istud, *scriptum est*, de angelis. *Scriptum est* enim, inquit, *quia angelis suis mandavit de te, et in manibus portabunt te.* (*Matth.* IV, 6.) O vitii sophista! Quomodo id quod sequitur, suppressisti? (Hoc enim probe intelligo, etiamsi ipse reticueris) nimirum, quod super aspidem te et basiliscum ascendam, et calcabo super serpentes et scorpiones, Trinitate videlicet septus et communitus. Si per avaritiam te oppugnet, uno temporis momento atque obtutu, regna omnia, velut ad se attinentia, ostendens, atque adorationem a te exigens, ut pauperem contemne. Dic signaculo fretus : Ipse quoque Dei imago sum : nondum ut tu, a superna gloria propter superbiam dejectus sum; Christo indutus sum; Christum mihi per baptismum vindicavi : tu me ipse adora. His verbis, mihi crede, ut a Christo primo lumine, ita ab eis qui ab ipso illuminati sunt, victus ac pulefactus recedet.

S. Ambros., *Lib. de paradiso*, c. 12.— Alia sunt per principem istius mundi, qui quædam venena sapientiæ in hunc mundum evomuit, ut vera putarent esse homines quæ falsa sunt, et specie quadam hominum caperetur affectus. Non enim semper quasi apertus hostis ingreditur : sed sunt quædam potestates quæ amorem simulent, gratiamque prætendant, ut paulatim cogitationibus nostris venenum suæ iniquitatis infundant; a quibus oriuntur illa peccata quæ vel ex delectatione, vel ex quadam mentis facilitate nascuntur. Sunt enim aliæ potestates quæ velut colluctantur nobiscum; volunt enim nos contentione frangere et elidere.

S. Chrysost., hom. 13, *in Matth.* IV.—Quia Christus omnia, ad nos erudiendos, et facienda et patienda susceperat, in eremum se patitur abduci, et cum diabolo inire certamen, ut unusquisque cum fuerit baptizatus, si post baptisma majoribus tentationibus urgeatur, non utique turbetur quasi insperatum sibi aliquid obviaverit, sed permaneat cuncta viriliter sustinendo, utpote quæ sibi consequenter contigerint. Idcirco enim accepisti arma, non ut otieris, sed ut pugnes. Propterea Deus in tentationes irruere permittit. Primo quidem, ut discas quoniam Christi baptisma multo te fecerit fortiorem. Deinde ut in egregia illa animi mediocritate permaneas, neque donorum magnitudine eveharis, dum se scilicet tentationes cohibent et refrenant. Ad hæc vero ut malignus ille dæmon, cum de tua a se discessione dubitat, ex ipsa tribulationum tolerantia discat quod perfecta ab illo abrenuntiatione discesseris. Quarto, ut fortior et ipso prorsus ferro firmior tentationum exercitatione reddaris. Quinto, ut capias grande documentum thesaurorum tibi a Domino creditorum. Neque superveniret tibi, neque adversus te diabolus irrueret, nisi in majori te positum honore conspiceret. Non ultro in eremum, sed a sancto Spiritu ductum esse commemorat; ut nos apertissime signatum esse videamus, quia non sponte nos oporteat in tentationes insilire; sed si contracti fuerimus, viriliter repugnare.

S. Aug., *in psal.* LXI. — Tantum adnititur diabolus tentare, quantum tibi prodest ut exercearis, ut proberis, ut qui te nesciebas, a te ipso inveniaris.

S. Greg. Magn. — Dum passione aliqua vel molestia carnis afficimur, scire fortasse occultas causas passionis ejusdem vel molestia optatus, quatenus in eo quod patimur, ex ipsa rerum scientia consolemur. Sed quia de specialibus tentationibus nostris nequaquam nobis singulis specialiter respondetur, ad Scripturam sacram recurrimus. Ibi videlicet invenimus quod Paulus, carnis suæ infirmitate tentatus, dixit : *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* (*II Cor.* XII, 9.) Quid idcirco illi in infirmitate propria dictum est, ne singillatim nobis omnibus diceretur. In Scriptura igitur sacra vocem Dei afflicto Paulo audivimus, ne, cum affligimur, singuli audire eam privata consolatione quæremus.

Digitized by Google

TIMOR

[Ex SS. Patribus.]

S. Ignat., *Interp. Epistolæ ad Ephesios*, tom. II. — Revereamur et timeamus Dei longanimitatem ; ne divitias bonitatis et patientiæ ejus contemnamus. Aut enim futuram timeamus iram, aut præsens gaudium in hac vita amemus ; sit autem præsens ac verum gaudium, ut tantum in Christo Jesu inveniamur ad veram vitam vivendam : sine hoc ne respirare quidem aliquando velitis.

S. Clemens Alex., *Stromat.*, lib. II. — Eleemosynis et fide expurgantur peccata, timore autem Domini quilibet a malo declinat.

Tertull., *Lib. de pœnitentia*, cap. 7. — Timor hominis, Dei honor est.

Idem, *De culto femin.*, cap. 2. — Timor fundamentum salutis est ; præsumptio impedimentum timoris.

Idem, *Lib. de pœnitentia*, cap. 2. — Ubi metus nullus, emendatio proinde nulla : ubi emendatio nulla, pœnitentia necessario vana, quia caret fructu suo, cui eam Deus sævit, id est hominis saluti.

Origen., hom. 11 *in Levitic.* — Intuere ordinem divinæ sapientiæ ; non continuo pœnas cum primis statuit præceptis. Vult enim ut, non metu pœnæ sed amore pietatis, Patris præcepta custodias ; sed si contempseris, non tam homini jam, quam contemptori mandatur. Pœna primo ergo benignitate provocaris, ait Filius : *Ego enim dixi : dii estis et filii Excelsi omnes.* (*Joan.* II, 34.) Quod si filius esse obediens non vis, contemptor plecteris ut servus.

S. Athanas., *Exposit. in Psal.* — *Timor Domini castus permanens in sæculum sæculi.* (*Psal.* XVIII, 12.) Quasi ad differentiam legalis timoris castus dicitur : ille enim pœnam spectabat. Castitas autem est abstinentia a peccatis. Quare castus timor dicitur : quod castos efficiat : nam præ timore Domini declinat quis a malo. Æternus autem cum sit timor, æternos item efficit quos ingreditur.

S. Hilar., *in psal.* LXIII. — Deus non tum tantum orandus est, cum quæ timentur ingruerint, sed timenda ea sunt, quæ cum cœperint adesse, dominantur ; et semper atque indefessis precibus orandus est, ut nos a timore eorum quorum dominatum timemus, eripiat.

Idem, *in psal.* LXVI. — Non est minimum fidei officium metus. Nam inter præcipua spiritualium gratiarum dona numeratur. (*Isa.* XI, 3.)

Idem, *in psal.* CXVIII. — Sed quia majus meritum est amantem aliquid potius agere, quam timentem, idcirco ait, *ut dilexi legem tuam.* Differt enim longe obsequium amoris a timoris officio ; nec habet gratiam voluntatis operatio.

Idem, *in psal.* CXXVII — Timor est humanæ imbecillitatis trepidatio. — Hic timor non docetur : sed ex natura infirmitatis occurrit. At vero de timore Domini ita scriptum est : *Venite, filii, timorem Domini docebo vos.* (*Psal.* XXXIII, 12.) Non enim in terrore, sed in ratione doctrinæ est. Neque ex trepidatione naturæ est : sed præceptorum observantia, et operibus vitæ innocentis, et cognitione veritatis ineundus est. Nam si idcirco Deus timendus est, quia plura fulminibus arserint, terræ nunc motu conciderint, nunc hiatu recepta sint ; nullum fidei meritum in timore est, qui ex terrore accidentium commovetur. Nobis autem timor Domini omnis in amore est : metumque ejus dilectio perfecta consummat. Dilectionis autem nostræ in eum hoc proprium officium est : parere monitis, statutis obtemperare, pollicitis confidere. — *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus* (*Psal.* CXXVII, 1) : Ostendens non ex trepidatione nostra, quia hæc timoris auctor est in cæteris : neque ex terrore ejus qui terribilis beatos esse qui timeant ; sed ex eo quod in viis Dei incidant. Timor enim, ut diximus, non in metu, sed in obedientia est : et timoris testimonium est obsequela.

Idem, *in illud psal.* CXLIV, 20 : *Custodit Deus diligentes ipsum* — Salvos ergo faciet eos custodiendo, id est, æterni regni participes reservando ; sed eos qui et timebunt, et precabuntur, et diligent. De hinc sequitur, *et omnes peccatores disperdet*, qui nec ut homines timuerint, nec ut subditi oraverint, nec ut donati vita mundoque dilexerint.

Lactant., *lib.* IV *institutionum adversus gentes*, cap. 4. — Deus quoniam utramque personam sustinet, et patris et Domini ; et amare eum debemus quia filii sumus, et timere quia servi.

S. Ephrem., *De virtutibus et vitiis*, t. I. — Beatus vir ille in quo est timor Dei. Talis enim manifeste etiam a Spiritu sancto prædicatur beatus : *Beatus vir*, inquit, *qui timet Dominum.* (*Psal.* CXI, 1.) Vere enim, vere, inquam, qui timet Dominum, ab omni fraude inimici securus est, cunctasque illius vitat insidias. Qui timorem habet Dei, facile maligni et fraudulenti hostis fallacias dolosque superat : nulla enim in re ipsum irretire poterit. Nam qui timorem Dei sibi vindicat, carnis voluptatem non admittit. Qui timorem Dei obtinet, huc illucque non evagatur animo, sed Dominum suum exspectat, ne forte repente veniat, ipsumque negligentia torpentem et imparatum offendat separetque. Qui Deum timet, non est expers curæ ac sollicitudinis ; semper enim vigil est et sobrius. Qui timet Dominum, immodico non est deditus somno : vigilat enim et adventum Domini sui exspectat. Cui timor est Dei, in nullo se negligentem præbet, ne Dominum suum offendat. In quo timor Dei est, inertiæ

Digitized by Google

atque desidiæ non se tradit : semper enim sua diligenter curat, ne condemnetur a Domino. In quo est timor Dei, semper quæ Domino suo placent, probat, eaque amplectitur et perficit : ut cum Dominus ejus venerit, in multis ab eo laudetur. (*Matth.* XXV ; *Luc.* XIX) Plurimorum itaque bonorum causa est timor Dei, possidentibus illum.

In quo non est timor Dei, omnibus diaboli dolis patet atque insidiis. Cui non adest timor Dei, animo vagatur, omnia susque deque habet, atque contemnit; expers omnis curæ ac sollicitudinis, somno indulget; in actionibus suis ignavus est ac segnis; voluptatum est receptaculum; quæcunque sensibus in vita jucunda sunt, iis delectatur; non enim pertimescit adventum Domini. Affectibus fertur, gaudetque requiete ; afflictiones fugit, humilitatem detestatur, et superbiam amplectitur. Deinde venit Dominus ejus, offenditque ipsum cunctis, quæ ipsi non placent, vacantem : ideoque dividet eum, et projiciet in tenebras sempiternas. Quis autem ejusmodi hominem non esse miserum existimet? Idem, *ibid.*

Idem, *De timore Dei, et consummatione sæculi*, t. III. — *Initium sapientiæ*, sacris litteris admonentibus, *timor Domini est.* (*Psal.* CX, 10.) Qui ergo Dominum timet, is revera sapiens est ; omnia quippe mandata ejus servat, omnes ejus sermones explet, et ejus voluntati perfecte obsequitur. Quisquis es, Deum time, ipsius disciplinam amplectere, sapientiam adama, ut ille tibi gloriæ coronam imponat. Sapientiam cupienti timor Domini sit in primis propositus, qui ubi deest, nihil boni, nihil sinceri reperiri unquam potest.

Via Domini qua sapientes incedunt, optima est. Quicunque autem ab ista deflectunt, fieri nequit quin in deviis maximeque periculosis ambagibus pervolvantur. Sapientes nunquam suprema Dei oracula aversantur, cum ab ipsis, a perenni veluti fonte, universa bona largiter effluere non ignorent. Dei ergo timorem dilige, ut in via justorum sine offensione gradiaris, ac demum ad cœlorum regnum expeditissime pervenias. Servus qui Dominum reveretur ejusque dicto audiens est, ipsius regni princeps, et domus præfectus constituetur. Qui timet Dominum ejusque præceptis obtemperat, omnibus ejusdem facultatibus ac divitiis præficietur. Moises servus impiger magnopere Deum timuit. Quare illum Dominum, et domus suæ præfectum renuntiavit, et ipsi thesauros omnes commisit. Terram quoque et elementa hujus imperio subdidit, cujus nutibus res creatæ omnes certatim ac studiosissime paruerunt. Huic insuper maximi ducis honorem detulit, qui tot tantaque supra naturam gessit, ut non hominis, sed Dei vocabulo nuncuparetur. Exsultarunt montes cum egrederetur de terra Ægypti, de domo servitutis, deque ipsius fuga lætitiam colles perceperunt. Commotum est mare a facie ejus, et viam aperuit in ejus medio, instar muri, aquis à dextra lævaque circumstantibus, ut pastor cum grege pertransiret.

Josue Bar-Nun, Moysis discipulus, quia Dei timore plenus erat, Jordanem divisit, ut populum ad terram a Deo optimo maximo multo ante constitutam introduceret. Hic ipse Jerichum profectus, vix apud munitissimam urbem vociferatus est, ipsius statim mœnia corruerunt. Solem vetuit, ne ad occasum solita celeritate volveretur. Mirum! stetit sol, steteruntque ambo prægrandes solis ac lunæ orbes, donec hostium copias penitus delevisset. Quid plura? cœlo ipsi imperavit, ut, qui ex cæde evasisset, Chananæos exterminaret. Cujus dicto audiens lapideum imbrem demisit, quo pugnæ superstites obruit depressitque.

Elias, insuper, vir erat Dei observantissimus, cujus promovendi cultus studio ita conflagrabat ut ad improborum perfidiam conterendam natus esse videretur. Hic idem cum divina prope auctoritate fungeretur, cœlo interdixit ne rorem aut pluviam emitteret, quoad sibi visum aliter foret. Cujus quidem præcepto cœlum diligentissime paruit. Hos viros sanctissimos res omnes creatæ vehementer sunt veritæ, eorumque imperio sese sponte libenterque subjecere, non aliam ob causam, nisi quia et ipse Deum extimescerent. Quamobrem saluberrimus iste timor tantam eisdem gloriam peperit, ut in eis, veluti in domestica sede, Deus habitaret. Omnipotentiæ proinde vim creaturæ sentientes, summam illorum potentiam non immerito metuebant.

Qui Deum timet, hunc et creaturæ revereutur, ejusque mandato exsequuntur, si divina ipse perficiat. Cœlum ipsum, ipsa etiam elementa timenti Deum obsequuntur, et suo quæque modulo inserviunt. Qui Deum timet, nec ab ipsius legibus vel modice deflectit, minas terroresque omnes superat, et inanes larvas contemnit, abjicit, deponit. Cujus rei exemplo sit egregius ille rex David, qui suam fiduciam in Deo habens repositam, hæc frequenter usurpabat : *Posui Dominum in conspectu meo, ne timeam, neque commovear.* (*Psal.* XV, 8.) Deum namque ut scutum inexpugnabile sibi propósuit, idcirco impavidus psallebat : *Non timebo quid faciat mihi homo.* (*Psal.* V, 55.) Humanis nimirum terriculamentis, dæmonisque latratibus nihil urgetur quisquis Deum possidet; imo potius damonem ipsum ejusque satellites talium virorum, non dicam aspectus, sed fama ipsa frangit debilitatque.

Mors terribilis est iis quorum cum vita omnia exstinguuntur, non justis quorum virtus emori non potest. Jam vero etiam mors tanta justos veneratione prosequitur, ut nisi supremum Dei decretum accedat, ipsos ne leviter quidem audeat attrectare. Quæ Dei timorem et humilitatem colit, in eam Deus ipse animam sponte labitur, et perpetuum in ipsa domicilium statuit; hujusmodi porro custodiam quilibet aut terror aut formido effugiat necesse est. Mira siquidem is majestate præfulget, quam si cherubim et seraphim intuecantur, plane contre-

Digitized by Google

miscunt; si mortales, ut fumus evanescunt; si terra, paleæ instar, subita deficit.. Dum ergo talis tantusque hospes in anima diversatur, quis eam pavor concutiat ? Qui metus exanimet? Vix autem Dei timorem deposuimus, animalia ipsa nostræ dictioni subjecta nos territant, quanquam illa Deus condiderit nostris usibus, non ut sua nos immanitate terrerent, sed ut nostram auctoritatem reformidarent. Quod quidem ex luculentissimis hisce Domini verbis perspicue colligitur : *Dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus quæ moventur super terram.* (*Gen.* I, 28.)

Nos autem feras pertimescimus vitamusque, quia Deum nec timemus, nec adamamus. Quod etiam causæ est cur scarabæus ipse, quo nihil vilius aut abjectius inveniri potest, et immundissimum quodvis reptile nos turbat exagitatque. Itane, homo vecors atque amens, ignominiosum serpentem times, Deum vero nihil metuis? A scorpione trepidas, a verbo autem Dei non commoveris ? Camelum, leonem, ursum, tigrim, canem denique ipsum formidas, Deum, nihili pendes ? Nescis, insane, nescis quantas vires Dei timor habeat. Ipse profecto avidas leonem fauces in lacu quondam clausit, ne Danielem discerperent, cujus sanctissimi viri carnes, quia Deum timebat, ferro duriores eorum oculis apparuere. Ignis, cujus voracitas est unicuique notissima, succensus quondam in Babylonis fornace fuit, eo consilio ut ibi tres pueri contumelias simulacro regio illatas concluderentur. Licet tamen in fornace hujusmodi incendenda omnem barbari operam studiumque insumpsissent, flamma nihilominus nullum formosissimis, Deumque timentibus pueris detrimentum intulit, sed, quod mirandum magis est, in suavissimum rorem auramque levissimam conversa, eosdem admirabiliter fovit, texit, recreavit.

Qui Deum timent, nec aquam, nec ignem, nec animalia hominesque, aut quidpiam aliud timere possunt. Si quis adest, qui aquarum vim timeat, maximum illum Israelitarum ducem Moysen intueatur, cui procellosum pelagus minime nocuit, quin et ipsum vado trajicientem sustinuit. Quem ignis movet, mox laudatos incipiat pueros, quos ne leviter quidem flammæ attigerunt, imo molliter complexæ sunt. Qui belluarum feritatem horret, mentem ad Danielem leonum faucibus objectum convertat, qui ingenitam iis ferocitatem, in ovium mansuetudinem conversam sensit. Quem armatus miles exanimat, Ezechiæ orationem crebro usurpet, qua nimirum rex ille immortali laude dignus plurima pugnantium agmina profligavit. Martyres demum spectet, quos nec vis ulla, nec furor perculit, sed eculeos, tormenta, enses, vincula, mortemque ipsam alacres despexerunt.

Nihil est quod Dei timorem æquare possit; hic siquidem cruciatus omnes, et quævis malorum genera mirum in modum vincit, nec ulla res est adeo metuenda, quæ non istius virtute facile superetur. Porro Dei timor amori æquatur, quæ virtutes perfectum Deo domicilium construunt. Qui Deum timet, labi aut errare nequaquam potest ; divina quippe præcepta accurate custodiet, atque ita ab iniquitate maxime abhorrebit. Qui peccat, longissime a Deo abest, proindeque diabolus illum metu implet ; quare dies in summa animi perturbatione trahere ubique cogitur. Quia omnipotentis Dei timorem excussimus, ideo mentem nostram vitium infecit, quocum tremores trepidationesque irrepserunt. Experimento namque videmus, improbos quoscunque, dum peccant, pallescere, et suum scelus præ verecundia obtegere ; persuasum enim illis est lethale id virus esse, quo nihil Deo detestabilius ; unde cum dignos communi omnium odio se esse videant, latibula quærunt, quia venenum in lucem prodere erubescunt.

* Idem, *De privatione timor. Dei*, t. II. — Non contemnemus timorem Dei, sed humiliemur sub potenti manu ipsius, servientes invicem in timore Dei ; et ipse nobis erit murus, et protector a facie inimici, sicut scriptum est : *Castra ponet angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.* (*Psal.* XXXIII, 8.)

Cum timore Dei cuncta gerito, tanquam Deo præsente, et jugiter opera tua spectante. — Quod si consilio acquiescas meo, ut Dominum timeas, et quietam vitam ducas, in te glorificabitur Dominus, eritque tibi ad omnem virtutem capessendam robur. Cæterum suggerit tibi crebro inimicus dicens : Interea dum juvenis es, tuis fruere concupiscentiis. Quot enim putas in sæculo deliciis deditos, et tamen cœlesti regno non privatos? Tu ergo, dum junior adhuc es, comede, bibe, sæculi voluptatibus fruere; quando autem ad senium perveneris, tum demum pœnitentiam agas. Quid enim ab ejusmodi ætatis flore corpus tuum affligere quæris ? Vide ne forte in ægritudinem incidas, dic ergo tu illi talia tibi suggerenti : Quod si in juventute deprehensus fuero, et ad senectutem non pervenero, quidnam ante tribunal Christi respondebo ? Videmus enim juvenes quam plurimos in ætate juvenili morientes, senes vero longævos, sunt enim impervestigabilia opera Domini. Et quomodo tu me decipere tentas, admonens ut senectutis tempore pœnitentiam agam ? Dicerene tunc mihi licebit ad judicem : Junior deprehensus ex hac vita excessi : quare dimitte me modo, ut pœnitentiam agam? Nonne plane tunc quoque ipse respondebit : Per tot jam annos dimisi te, sæpiusque peccantem in me patienter tuli, neque confestim te occidi, concedens tempora, momenta, et loca quibus pœnitentiæ semina jactare posses : at tu tempus, quod tibi ad pœnitentiam permisi, in peccatis consumpsisti ac voluptatibus. Certo igitur noveris, frater : quod si timorem Dei spreveris, et peccatis te ipsum dederis, condemnaberis. Nam qui deliciis ac voluptatibus sua membra tradidit, non in futuro duntaxat sæculo dolore afficietur, verum etiam in præsenti, nisi cito pœnitentiæ

Digitized by Google

egarit. — At insurgentes in te avertet atque prosternet Dominus; nam timor Dei, quem amasti, loco murierit tibi, inveniesque gratiam coram Deo et hominibus.

S. Basil., *Hom. in psal.* xxxii, t. I. — *Timeat Dominum omnis terra : ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.* (*Prov.* I, 7.) Quandoquidem timor Domini initium est sensus, terrena qui sapiunt, per timorem erudiantur. Timor enim velut ad pietatem introducens, necessario adhibetur : charitas vero deinceps succedens, eos quos timor ad erudiendum idoneus concinnavit, perficit. Itaque terræ omni verba isthæc timorem præcipiunt. *Commoveantur autem*, inquit, *ab eo omnes inhabitantes orbem.* Nimirum motus omnis, tum qui ex mente, tum qui ex corporis actione oritur, secundum Dei voluntatem ab ipsis perficiatur. Sic enim intelligo illud, *commoveantur ab eo.* Exempli gratia, neque oculus moveatur sine Deo, neque manus agitetur sine Deo, nec cor cogitet quæ Deo non placent. Et in summa, nullo alio moveantur; neque ipsos quidquam moveat, nisi Dei timor.

Idem, *Hom. in psal.* xxxiii, t. I. — Imo est etiam quidam hostilis timor quem deprecatur Propheta, ne ipsius animæ accedat, dicens : *A timore inimici eripe animam meam.* (*Psal.* lxiii, 2.) Inimicus enim timor est qui nobis parit mortis metum, nobisque ut personarum dignitates formidemus, suadet. Quomodo enim qui isthæc metuit, poterit tempore martyrii ad mortem usque peccato resistere, ac Domino, qui pro nobis mortuus est et resurrexit, debitum exsolvere? Et qui a dæmonibus facile perterretur, in se ipso inimicum timorem habet. Et uno verbo hujusmodi timor perturbatio quædam ex incredulitate prognata videtur esse. Nemo enim qui sibi adesse credit fortem auxiliatorem, timet aliquem eorum, qui ipsum conturbare conantur. Timor autem qui salutaris est, et timor qui confert sanctitatem. Timor qui de industria, et non secundum affectionem animo accidit, vis exponam qualis sit? Ad aliquod peccatum impelli te cum videris, horrendum illud et intolerabile Christi tribunal, quæso, cogita : in quo præsidet quidem judex in alto quodam et sublimi throno, omnis vero creatura ob gloriosum ejus conspectum contremiscens astat; imo vero futurum est ut singuli adducamur, eorum quæ in vita egerimus examen subituri.

Deinde ei qui multa mala per vitam perpetraverit, horribiles quidam ac morosi angeli assident, ignem ex oculis emittentes, ignem spirantes, propter animi acerbitatem, nocti vultu similes, ob faciei tetricitatem et hominum odium. Postea animo tibi fingas barathrum profundum, tenebras impenetrabiles, ignem splendoris expertem, vim quidem urendi in tenebris habentem, sed luce destitutum; subinde vermium quoddam genus venenatum ac carnivorum, edens insatiabiliter, nec unquam exsatiatum, intolerabiles dolores morsibus inducens; postremo supplicium omnium gravissimum, probrum illud et dedecus sempiternum. Hæc time, et hoc timore eruditus, quasi freno quodam a pravis concupiscentiis tuam cohibe animam. Hunc Domini timorem docturum se nos pater ille promisit, non indiscriminatim quidem docturum, sed eos qui ei auscultare volunt, non diu collapsos, sed eos qui propter salutis desiderium accurrunt : non *extraneos a testamentis*, sed eos qui ex baptismate verbo adoptionis ei conjuncti sunt.

S. Ambros., *in psal.* cxviii, t. I. — *Initium sapientiæ timor Domini.* (*Psal.* cx, 10.) Ergo qui timent Deum, sapientes; qui autem sapientes, beati : *Beatus* enim *quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.* (*Psal.* xcxiii, 12.) Hi quoque qui timent Deum, beati sunt, sicut exempli exstat auctoritas, quia *Beati omnes qui timent Dominum.* (*Psal.* cxxvii, 1.) Ita colligitur quia timentes Deum, et sapientes sunt, et beati. Sanctus igitur timor Domini; quia vere sanctorum est pavor.

S. Chrysost., hom. 15, *ad popul. Antioch.*, t. II. — Vides quantum ex timore lucri factum est? Nisi bonus esset timor, filius patres pædagogos non præponerent, non legislatores civitatibus ullos magistratus. Quid gehenna gravius? Sed hujus metu nil utilius : gehennæ namque timor regni nobis affert coronam. Ubi timor est, exstinctus furor est, cupiditas improba correpta, omnis irrationabilis passio exterminata. Et sicut in domo, stante milite, semper armato, non latro, non fur, non alius quis talia mala patrantium apparere propius audebit; sic et metu animas nostras occupante, illiberalium nulla perturbationum facile nobis subrepit, sed omnes fugiunt, et pelluntur, timoris imperio undique exactæ. Nec hoc solum est quod ex timore lucramur, verum et aliud hoc multo majus. Non enim improbas tantum nostras expellit passiones, sed et omnem cum multa facilitate virtutem inducit. Ubi timor est, ibi et eleemosynæ studium, et orationis intentio, et lacrymæ ferventes et continuæ, et gemitus multam habentes compunctionem. Nihil enim tantum peccata consumit, virtutemque crescere facit et germinare, quantum assidui timoris natura. Propterea qui non vivit in timore, recte illum agere non est possibile : sicut vicissim cum timore viventem, est impossibile peccare.

Idem, *ibid.*, hom. 5. — Quomodo non tibi turpe propter mortem dolere? Paulus vero propter præsentem gemebat vitam. — Infideles quidem merito timent mortem, resurrectionis enim spem non habent; tu vero ad meliorem vadens vitam, qua dignus es venia, de resurrectione quidem confidens; et ut non credentes resurrectionem, mortem timens? Vultis dicam unde timemus mortem? Non vulnerat nos regni amor; non nos futurorum amor accendit : alioquin præsentia despiceremus omnia, sicut beatus Paulus. Ad hæc non timemus gehennam propterea mortem : supplicii intolerabilem gravitatem non novimus, propterea pro pec-

Digitized by Google

cato mortem timemus. Si futuri supplicii t mor in anima remansisset, omnem timorem humanum obscurasset, Itaque si quis gehennæ semper meminisse laboret, omnem mortem deridebit, et non præsenti tantum angustia liberabitur, sed et ab illa flamma eripietur. — Pueri larvas quidem timent, ignem vero non timent. Sic quidem et nos timemus mortem, quæ est larva contemptu digna ; peccatum vero non timemus, quod vere timendum. Aliam causam propter quam mortem timemus vis commemorem ? Non vivimus cum diligentia, non habemus conscientiam puram ; quod si hoc esset, nihil nos mors terruisset.

S. August., *Enarr. in psal.* cxliii, t. IV. — *Cum tremore et timore vestram ipsorum salutem operamini.* (*Philip.* ii, 12.) Si nostram ipsorum salutem operamur, quare cum timore, quare cum tremore, cum sit in potestate nostra quod operamur? Audi quare cum timore et tremore : *Deus est enim qui operatur in nobis et velle et, operari, pro bona voluntate.* (*Ephes.* ii, 13.) Ergo cum timore et tremore, ut delectet in convalle operari artificem nostrum. Sic enim operatur tanquam in dejectis, qui judicat in gentibus, et replet ruinas. *In facturis manuum tuarum meditatus sum.* (*Psal.* cxlii, 5) Vidi ergo et inspexi opera tua ; quia nihil boni esse in nobis potest, nisi abs te fiat, qui non fecisti.

S. Leo Mag., serm. 77, tom. I. — Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, et timebis die ac nocte, et non credes vitæ tuæ. (*Deut.* xxviii, 66.) Isti (Judæi) enim nihil in crucifixo Domino præter facinus suum cogitare potuerunt, habentes timorem, non quo fides vera justificatur, sed quo conscientia iniqua torquetur.

S. Bernard., serm. 23 *in Cantic.*, t. I. — Et bene *initium sapientiæ timor Domini.* (*Eccli.* i, 16.) Quia tunc primum Deus animæ sapit, cum eam afficit ad timendum, non cum instruit ad sciendum. Times Dei justitiam, times potentiam ; et sapit tibi justus et potens Deus, quia timor sapor est. Porro sapor sapientem facit, sicut scientia scientem, sicut divitiæ divitem. Quid ergo prior locus ? Tantum præparat ad sapientiam. Illic præpararis, ut hic initieris. Præparatio rerum cognitio est. Verum hanc facillime sequitur elationis tumor, si non reprimat timor, ut merito dicatur *Initium sapientiæ timor Domini*, qui se pesti insipientiæ primus opponit. Ibi itaque quidam accessus est ad sapientiam, hic et ingressus. Porro nec hic, nec ibi speculanti perfecta quies ; quia illic Deus apparet tanquam sollicitus, hic tanquam turbatus. Non ergo cubiculum quæsieris in his locis, quorum alter auditorium quasi docentis, alter prætorium judicis magis apparet. Sed est locus, ubi vere quiescens et quietus cernitur Deus ; locus omnino, non judicis, non magistri, sed sponsi ; et qui mihi quidem (nam de aliis nescio) plane cubiculum sit, si quando in illum contigerit introduci. Sed, heu ! rara hora, et parva mora ! Clare ibi agnoscitur misericordia Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum ; et felix qui dicere potest : *Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.* (*Psal.* cxviii, 63.) Stat propositum Dei, stat sententia pacis super timentes eum, ipsorum et dissimulans mala, et remunerans bona, ut miro modo eis non modo bona, sed et mala cooperentur in bonum. O solus vere beatus, cui non imputabit Dominus peccatum ! (*Psal.* xxxi, 2.) Nam qui non habuerit peccatum, nemo. *Omnes* enim *peccaverunt.* (*Rom.* iii, 23.)

TRADITIO

[Ex SS. Patribus.]

Tertull., *De corona militis*, c. 3. — Hanc si nulla scriptura determinavit, certe consuetudo corroboravit, quæ sine dubio de traditione manavit. Quomodo enim usurpari quid potest, si traditum prius non est. Etiam in traditionis obtentu exigenda est, inquis, auctoritas scripta. Ergo quæramus an et traditio, nisi scripta, non debeat recipi ? Plane negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, et exinde consuetudinis patrocinio vindicamus, denique ut a baptismate ingrediar, aquam adituri, ibidem, sed et aliquanto prius in ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, et pompæ et angelis ejus. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti, lactis et mellis concordiam prægustamus, exque ea die, lavacro quotidiano per totam hebdomadem abstinemus, Eucharistiæ sacramentum, et in tempore victus, et omnibus mandatum a Domino, etiam ante lucanis cœtibus nec de aliorum manu, quam præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. Die Dominico jejunium nefas dicimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, et calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.

S. Irenæus, lib. iii *contra Hæres.*, cap. 2. — Quod neque Scripturis, neque traditionibus obsequantur hæretici. n. 1. Cum enim ex Scripturis arguuntur in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex auctoritate, et quia varie sint dictæ, et quia non possit ex his inveniri veritas ab his qui nesciant traditionem. Non enim per litteras

Digitized by Google

traditam illam, sed per vivam vocem : ob quam causam et Paulum dixisse : *Sapientiam autem loquimur inter perfectos* (*I Cor.* II, 6): sapientiam autem non mundi hujus. Et hanc sapientiam unusquisque eorum esse dicit, quam a semetipso adinvenerit.... Unusquisque enim ipsorum omnimodo perversus, semetipsum, regulam veritatis depravans, prædicare non confunditur.

S. Clemens Alexand., *Stromat.*, lib. I, pag. 201, 202, edit. Lugd. Batav. anni 1616. — At qui veram quidem beatæ doctrinæ servabant traditionem, statim a Petro, et Jacobo et Johanne, et Paulo, sanctis apostolis, ita ut filius acciperet a patre (pauci autem sunt patribus similes), ad nos quoque Deo volente pervenerunt, illa a majoribus data et apostolica deposituri semina..... Jam vero non revelavit multis ea quæ non erant multorum sed paucis quibus sciebat convenire, qui et ea possent accipere, et ex eis informari. Arcana autem, sicut Deus, verbo creduntur, non scripto..... a nobis quoque audiat, ei qui occulte audit, occultum manifestatum iri! et ei qui secreto ea quæ traduntur potest servare, apertum iri quod opertum est, ut veritas, et id quod multis est occultum, fiat paucis manifestum....

Eusebius, *Demonstrat. evang.*, lib. I, cap. 8. —Cæterum ille quidem (Moyses) in tabulis inanimatis, hic (Jesus) autem in mentibus vita prælitis, perfecta Novi Testamenti documenta descripsit : ejus vero discipuli ad magistri sui nutum, auribus multorum doctrinam suam accommodantes, quæcunque quidem veluti ultra habitum progressis, a perfecto ipsorum magistro præcepta fuerant, ea iis qui capere poterant, tradiderunt : quæcunque vero iis convenire arbitrabantur, qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent ; curationisque indigentes : ea ipsi ad imbecillitatem multorum se dimittentes, partim litteris, partim sine litteris, quasi jure quodam non scripto servanda, commendarunt.

S. Basil., *De Spiritu sancto*, cap. 27. — Dogmata et instituta quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus et doctrina scripto prodita, quædam rursus ex apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto, tradita recepimus : quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sane vel tenuiter expertus est, quæ sint jura ecclesiastica. Nam si consuetudines quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti conemur rejicere, imprudentes gravissimum, Evangelio detrimentum inferemus, imo potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Quod genus est, ut ejus quod primum est et vulgatissimum primo loco commemorem : ut signo crucis eos qui spem collocarunt in Christum signemus, quis scripto docuit? Ut ad Orientem versi precemur, quæ nos docuit Scriptura? Invocationis verba cum conficitur panis eucharistiæ et poculum benedictionis, quis sanctorum in scripto nobis reliquit? Neque enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus, aut Evangelium, verum alia quoque et ante et post dicimus, tanquam multum habentia momenti ad mysterium, quæ ex traditione citra scriptum accepimus.

S. Greg. Nyssenus, orat. 3 *contra Eunomium*, tom. II. — Sufficit enim ad nostri sermonis demonstrationem, quod habeamus a patribus venientem ad nos traditionem, velut hæreditatem quamdam per successionem ex apostolis per sanctos sequentes transmissam.

S. Epiphan., *Adversus Hær.*, hæres. 75, n. 8, t. I, lib. III. — Necessario facere illud Ecclesiam dico, quod scilicet mentionem faciat in sacrificio mortuorum tum sanctorum, tum aliorum qui in fide Christi defuncti sunt; quæ traditum sibi ritum illum a majoribus acceperit. Potest vero quisquam maternam sanctionem, aut legem patris evertere? Quemadmodum a Salomone scriptum est : *Audi, fili, sermones patris tui, et ne repellas leges matris tuæ.* (*Prov.* I, 8.) Quibus Patrem, hoc est et Deum unigenitum ejus Deum (lege, et Deum unigenitum ejus Filium) cum Spiritu sancto declarat partim scripto, partim sine scripto docuisse : matrem vero nostram Ecclesiam decreta quædam habere penes se, quæ dissolvi, evertique nequeunt.

S. Hieronym., *Adversus luciferianos*, t. I. — Etiam si Scripturæ auctoritas non subesset totius orbis... consensus instar præcepti obtineret. Nam et multa alia quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt velut in lavacro ter caput mergitare ; deinde egressos ; lactis et mellis prægustare concordiam, ad infantiæ significationem; die Dominico et per omnem Pentecosten, nec de geniculis adorare, et jejunium solvere : multaque alia quæ scripta non sunt, rationabilis sibi observatio vindicavit.

S. Augustin., lib. II *contra Julianum*, cap. 10, n. 34. — Sancti Patres quod invenerunt in Ecclesia tenuerunt : quod didicerunt docuerunt, quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.

Vincentius Lirin, *Commonit.*, I, cap. 3.— In ipsa item Ecclesia catholica magnopere curandum est, ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est : hoc est etenim vere proprieque catholicum quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universalitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo : si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia : antiquitatem vero ita, si ab iis sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est : consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium vel certe pene omnium sacerdotum pariter et magistrorum definitiones, sententiasque sectemur.

Digitized by Google

[Ex conciliis.]

Decreta synodi VII *œcumenicæ*, *Nicænæ* II, *an.* 787. *Definitio de sacris imaginibus.*—Regiæ quasi continuati semitæ, sequentesque divinitus inspiratum sanctorum Patrum nostrorum magisterium et catholicæ traditionem Ecclesiæ (nam Spiritus sancti hanc esse novimus, qui nimirum in ipsa inhabitat) definimus in omni certitudine ac diligentia, sicut figuram pretiosæ ac vivificæ crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas, tam quæ de coloribus et tessellis, quam quæ ex alia materia congruenter in sanctis Dei ecclesiis, et sacris vasis et vestibus, et in parietibus ac tabulis, domibus et viis : tam videlicet imaginem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, quam intemeratæ dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis honorabiliumque angelorum et omnium sanctorum simul et almorum vivorum.

Ibid.— Sic enim robur obtinet sanctorum Patrum nostrorum doctrina, id est traditio sanctæ catholicæ Ecclesiæ, quæ a finibus usque ad fines terræ suscepit Evangelium. Sic Paulum, qui in Christo locutus est, et omnem divinum apostolicum cœtum et paternam sanctitatem exsequimur tenentes traditiones, quas accepimus. Sic triumphales Ecclesiæ prophetice canimus hymnos : « Gaude satis, filia Sion; prædica, filia Jerusalem : jucundare et lætare ex toto corde tuo. Abstulit Dominus a te injustitias adversantium tibi : redemit te de manu inimicorum tuorum, Dominus rex in medio tui; non videbis mala ultra, et pax in te in tempus æternum. »

Eos ergo, qui audent aliter sapere aut docere, aut secundum scelestos hæreticos ecclesiasticas traditiones spernere et novitatem quamlibet excogitare vel projicere aliquid ex his, quæ sunt Ecclesiis deputata sive Evangelium, sive figuram crucis, sive imaginalem picturam, sive sanctas reliquias martyris; aut excogitare prave aut astute ad subvertendum quidquam ex legitimis traditionibus Ecclesiæ catholicæ; vel etiam quasi communibus uti sacris vasis aut venerabilibus monasteriis; si quidem episcopi aut clerici fuerint, deponi præcipimus; monachos autem vel laicos a communione segregari.

Ibid., *Can. ex anathematismis quos synodus* VII *exclamavit sessione* 8. — Si quis omnem ecclesiasticam traditionem sive scriptam, sive non scriptam rejicit; anathema sit.

Canones synodi VIII *œcumenicæ.*— Per æquam et regiam divinæ justitiæ viam inoffense incedere volentes, veluti quasdam lampades semper lucentes et illuminantes gressus nostros, qui secundum Deum sunt, sanctorum Patrum definitiones et sensus retinere debemus. Quapropter et has, ut secunda eloquia secundum magnum et sapientissimum Dionysium arbitrantes et existimantes, etiam de eis cum divino David promptissime canamus : *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos* (*Psal.* XVIII, 9), et : *Lucerna pedibus meis lux tua et lumen semitis meis* (*Psal.* CXVIII, 105), et cum Proverbiatore dicimus : *Mandatum tuum lucidum et lux tua nix* (*Prov.* VI, 23.) Et cum magna voce cum Isaia clamamus ad Dominum Deum, quia : *Lux præcepta tua sunt super terram.* Luci enim veraciter assimilatæ sunt divinorum canonum hortationes et dehortationes, secundum quod discernitur melius a pejori et expediens atque proficuum ab eo quod non expedire, sed et obesse dignoscitur. Igitur regulas, quæ sanctæ catholicæ ac apostolicæ Ecclesiæ tam a sanctis famosissimis apostolis, quam ab orthodoxorum universalibus, nec non et localibus conciliis vel etiam a quolibet deiloquo Patre ac magistro Ecclesiæ traditæ sunt, servare ac custodire profitemur; his et propriam vitam et mores regentes et omnem sacerdotii catalogum, sed et omnes, qui christiano censentur vocabulo pœnis et damnationibus et e diverso receptionibus ac justificationibus, quæ per illas prolatæ sunt et definitæ, subjici canonice decernentes; tenere quippe traditiones, quas accepimus sive per sermonem, sive per epistolam sanctorum, qui antea fulserunt, Paulus admonet aperte, magnus apostolus.

Decreta dogmatica concilii Tridentini.— *Decretum de canonicis Scripturis.* — Sacrosancta œcumenica, et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem tribus apostolicæ sedis legatis, hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur; quod promissum ante per prophetas in Scripturis sanctis, Dominus noster Jesus Christus, Dei Filius, proprio ore primum promulgavit; deinde per suos apostolos, tanquam fontem omnis, et salutaris veritatis, et morum disciplinæ, omni creaturæ prædicari jussit : perspiciensque, hanc veritatem, et disciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab apostolis acceptæ, aut ipsis apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque perverenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam Veteris, quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur. Sacrorum vero librorum indicem huic decreto ascribendum censuit; ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa synodo suscipiuntur.

Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit; et traditiones

Digitized by Google

prædictas sciens et prudens contempserit; anathema sit.

Omnes itaque intelligant, quo ordine, et via ipsa synodus, post jactum fidei confessionis fundamentum, sit progressura, et quibus potissimum testimoniis ac præsidiis in confirmandis dogmatibus, et instaurandis in Ecclesia moribus, sit usura.

Prof. fidei Trident. a Pio IV per constit. Injunctum nobis 8 *Nov.* 1564, *ex decret. Trident., sess.* 24, *cap.* 2, *de reformat., præscripta.* — Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

Professio fidei Orientalibus præscripta ab Urbano VIII et Benedicto XIV per constitutionem Nuper ad nos. — Pariter veneror, et suscipio Tridentinam synodum, et profiteor, quæ in ea definita et declarata sunt, et præsertim offerri Deo in missa verum, proprium et propitiatiorum sacrificium, pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo eucharistiæ sacramento, juxta fidem, quæ semper in Ecclesia Dei fuit contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus et totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia aptissime *transsubstantiationem* appellat et sub unaquaque specie, et singulis cuipisque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri. Item septem esse novæ legis sacramenta a Christo Domino nostro instituta ad salutem humani generis, quamvis non omnia singulis necessaria, videlicet: baptismum, confirmationem, eucharistiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium: illaque gratiam conferre: et ex his baptismum, confirmationem et ordinem sine sacrilegio iterari non posse. Item baptismum esse necessarium ad salutem, ac proinde si mortis periculum immineat, mox sine ulla dilatione conferendum esse, et a quocunque, et quandocunque sub debita materia et forma et intentione collatum, esse validum. Item sacramenti matrimonii vinculum indissolubile esse, et quamvis propter adulterium, hæresim, aut alias causas possit inter conjuges thori et cohabitationis separatio fieri; non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse. Item apostolicas et ecclesiasticas traditiones suscipiendas, esse et venerandas. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo Ecclesiæ relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse. Pariter, quæ de peccato originali de justificatione, de sacrorum librorum, tam Veteris, quam Novi Testamenti indice et interpretatione in præfata Tridentina synodo definita sunt, suscipio et profiteor

TRANSFIGURATIO

[Ex SS. Patribus.]

S. Ephrem, *in Transfigur. Domini*, t. II. — Ex agro procedit messis gaudium: de vinea fructus ciborum; et ex Scripturis doctrina vivifica. Ager uno tempore habet messem, vitis quoque uno tempore habet vindemiam; at ex Scriptura quando legitur, semper scaturit doctrina salutaris. Ager quando demessus fuerit, cessat ac vacat; et vitis jam vindemiata, vilis redditur atque abjecta; Scriptura autem quotidie licet metatur, spicæ tamen interpretum in ea nunquam deficiunt; quotidie etiam dum vindemiatur, botri ejus, quæ in ipsa est spei, haudquaquam consumuntur. Accedamus igitur ad agrum hunc, et vivificis suleis ejus perfruamur, ex eoque spicas vitæ metamus, verba nimirum Domini nostri Jesu Christi, qui ad suos dixit discipulos: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in gloria sua Et post dies sex assumpsit Simonem Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus in montem excelsum valde; et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut lux.* (*Matth.* XVI, XVII; *Marc.* IX; *Luc.* IX.) Viri etenim, quos dixit non gustaturos mortem, donec videant figuram adventus ejus, hi sunt quos assumptos duxit in montem, et ostendit eis, quo pacto venturus sit in die novissimo in gloria divinitatis, et in corpore humanitatis suæ.

Duxit autem ipsos in montem, ut eis demonstraret quisnam sit filius, et cujus. Quando enim illos interrogavit, dicens: *Quem me dicunt homines esse filium hominis?* Dixerunt ei: *Alii quidem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis.* (*Matth.* XVI; *Marc.* VIII; *Luc.* IX.) Ideo eos sursum duxit in montem, ostenditque se non esse Eliam, sed Deum Eliæ; neque rursus Jeremiam, sed qui sanctificavit Jeremiam in utero matris; neque unum ex prophetis, sed prophetarum Dominum, et qui miserat eos. Item ostendit illis, se cœli et terræ Creatorem esse, vivorumque ac mortuorum Dominum; imperavit enim cœlo, et Eliam deduxit; innuit terræ, et Moysen suscitavit. Ipsos in montem adduxit, ut eis ostenderet se esse Filium Dei, ante sæcula ex Patre genitum, ac novissime ex Virgine incarnatum, et, sicut ipse noverat, sine semine ineffabiliter natum, cum incorruptam virginitatem servasset. Ubi enim vult Deus, superatur naturæ ordo. Habitavit namque in utero Virginis Deus Verbum, et ignis divinitatis suæ non combussit membra cor-

Digitized by Google

poris Virginis, quin et in habitaculo suo per tempus novem mensium illa servavit ac custodivit. Inhabitavit in utero Virginis, non respuens fetorem naturæ; et ex ipsa prodiit Deus incarnatus, ut nos salvaret.

Adduxit eos in montem, ut divinitatis gloriam ipsis ostenderet, seque redemptorem esse Israel declararet, sicut per prophetas significavit; et non scandalizarentur in ipso, dum voluntarias ejus cernerent passiones, quas propter nos humanitus subiturus erat. Agnoscebant enim ipsum ut hominem; sed Deum esse ignorabant. Agnoscebant ipsum filium Mariæ, hominem cum eis in mundo conversantem. Indicavit ipsis in monte se Dei esse Filium, et Deum ipsum. Sciebant illum comedisse et bibisse, laborasse et requievisse, et dormitasse et dormiisse, timuisse quoque et sudasse; quæ omnia Divinæ ejus naturæ minime conveniebant, sed solum humanitati. Ac propterea eos duxit in montem, ut Pater sua voce appellaret Filium, ostenderetque eis, ipsum esse Filium in veritate et Deum, (*Matth.* XVII; *Marc.* IX; *Luc.* IX.)

Duxit eos in montem, ostenditque ipsis regnum suum ante passionem suam, et potentiam ac virtutem suam ante mortem, et gloriam suam ante ignominiam, et honorem suum ante contemptum; ut quando detentus fuisset et crucifixus a Judæis, cognoscerent ipsum non fuisse ab eis crucifixum ob impotentiam, sed quod sic ei sponte ad mundi salutem placuisset. In montem eos duxit, et gloriam divinitatis suæ ipsis ante resurrectionem ostendit; ut quando a mortuis in eadem naturæ suæ divinitatis gloria resurrexisset, scirent ipsum non accepisse quasi mercedem laboris sui, gloriam, ut qui illa indigeret; sed illum ante sæcula habuisse eam cum Patre, et apud Patrem, sicut dixit jam ad voluntariam passionem veniens: *Pater, glorifica me gloria quam habui antequam mundus esset apud te.* (*Joan.* XVII, 1.) Hanc igitur divinitatis suæ gloriam, quæ erat obscura et abscondita in humanitate, demonstravit apostolis in monte. Aspiciebant enim faciem ejus instar fulguris relucentem, et vestimenta ejus alba, sicut lumen. (*Matth.* XVII.) Duos soles videbant discipuli: unum de more in cœlo resplendentem, et alterum præter morem; unum qui eis lucebat, et mundum illuminabat in firmamento; et unum, qui ipsis solis resplendebat, faciem nimirum ejus ad ipsos conversam. Vestimenta autem sua ostendit eis alba instar lucis, quia ex toto corpore ejus, gloria divinitatis suæ scaturiebat, et ex omnibus membris suis lux ejus refulgebat. Non enim, ut Moysis, resplenduit ejus facies extrinsecus in gloria; verum ex ipso scaturiebat divinitatis ejus gloria: oriebatur lux ejus, et in ipso manebat. Neque enim in alienam abiit partem, et ipsum dimisit; quia non venit ex alio obliquo, et eum ornavit, neque illam pro tempore utendam accepit. Sed neque totum gloriæ suæ abyssum eis ostendit: at quantum pupillæ oculorum suorum capere poterant.

Et apparuerunt ipsis Moyses et Elias simul cum eo loquentes. (*Ibid.*, 30.) Sermones autem ipsorum quos cum eo loquebantur, tales erant: Gratias ei agebant, quod impleti sui essent sermones in adventu ejus, et verba omnium cum ipsis prophetarum. Adorationem ei offerebant pro salute, quam in mundo fecerat generi humano, quodque mysterium prius ab ipsis descriptum, ipse reipsa implesset. Perfusi sunt gaudio prophetæ et apostoli in ipso ascensu montis. Lætati sunt prophetæ, cum jam vidissent humanitatem ejus quam non noverant. Lætati sunt autem et apostoli, ubi vidissent gloriam divinitatis ipsius quam non cognoverant. Cumque audissent vocem Patris Filio testimonium perhibentis, per ipsam cognoverunt assumptam ab eo humanitatem, quæ quidem apud eos adhuc obscura erat; ipsisque fidem fecit cum voce Patris, gloria corporis ejus, quæ resplendebat ex ea quæ in ipso immutabiliter atque inconfuse unita fuit divinitate. Et sigillatim fuit trium testimonium, in voce Patris, in Moyse, et in Elia; qui quidem ei assistebant, ut servi; et alter alterum aspiciebant, prophetæ apostolos, et apostoli prophetas. Cernebant ibi se invicem, principes Veteris et principes Novi Testamenti. Vidit Moyses sanctus Simonem sanctificatum. Vidit œconomus Patris, procuratorem Filii. Ille quidem scidit mare, ut populus in mediis ambularet fluctibus: hic vero tabernaculum excitavit, ut ædificaret Ecclesiam. (*Exod.* XIV; *Psal.* LXXVIII.) Aspexit Virgo Veteris Testamenti, Virginem Novi: Elias nimirum Joannem. Qui ascendit super currum ignis, illum qui recubuit super pectus flammæ. (*IV Reg.* II; *Joan.* XIII.) Factusque est mons in figuram Ecclesiæ, et univit in eo Jesus duo Testamenta quæ suscepit Ecclesia; nobisque indicavit ipsum datorem esse duorum. Unum accepit ejus mysteria; alterum vero gloriam ejus manifestam reddidit.

Dixit Simon: *Domine, bonum est nos hic esse.* (*Matth.* XVII, 4.) Quid dicis, o Simon? Si hic permanserimus, quis verba adimplebit prophetarum? Quis verba obsignabit præconum? Quis justorum mysteria perficiet? Si hic manserimus, illud: *Foderunt manus meas et pedes meos* (*Psal.* XXI, 17); in quonam adimplebitur? Istud: *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* (*Matth.* XXVI, 35), cui accommodabitur? Illud: *Dederunt in cibum meum, fel, et in siti mea potaverunt me aceto*; (*Psal.* LXVIII, 22; *Matth.* XXVII, 34); cui conveniet? Istud; *Inter mortuos liber* (*Psal.* LXXXVIII), quis confirmabit? Si hic remanserimus, chirographum Adæ quis scindet? (*Coloss.* II.) Ejusque debitum quis persolvet? Et gloriæ indumentum quis ipsi restituet? Si hic manserimus; quæ dixi tibi, quo pacto fient? Ecclesia quo pacto ædificabitur? Claves regni cœlorum quo pacto a me accipies? (*Matth.* XVI.) Quem ligabis? Quem solves? Si hic manserimus, cessabunt cuncta quæ per prophetas dicta sunt.

Ait rursus: *Faciamus hic tria tabernacula*

Digitized by Google

tibi unum, et Moysi unum, et Eliæ unum. (*Matth.* XVII, 4.) Simon missus est ad ædificandam in mundo Ecclesiam ; et facere vult in monte tabernacula : adhuc enim Christum humano more attendebat et cum Moyse et Elia ipsum collocabat. Protinus autem ei ostendit se tabernaculo ipsius minime opus habere. Ipse quippe erat qui patribus ejus tabernaculum nubis fecerat in solitudine per quadraginta annos. (*Num.* IX.)

Adhuc autem illis loquentibus, ecce nubes lucida obumbravit eos. (*Matth.* XVII, 5.) Cernis, Simon, tabernaculum absque labore ? Tabernaculum quod arcet æstum, et tenebris caret ? Tabernaculum quod fulget atque resplendet. Admirantibusque discipulis, ecce vox quæ a Patre prodiit, e nube audita est dicens : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite.* (*Ibid.*) Cum voce Patris, reversus est Moyses in locum suum, et Elias rediit in regionem suam : et apostoli in facien suam ceciderunt super terram ; et Jesus stetit solus, quoniam vox illa in ipso solo implebatur. Fugerunt prophetæ, et apostoli proni in terram ceciderunt : quoniam non in eis implebatur vox Patris qui testimonium perhibebat, dicens : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite.* (*Ibid.*) Docuit illos Pater impletam fuisse dispensationem Moysis, et jam Filium ab eis audiendum esse. Nam ille tanquam servus locutus fuerat quæ jussus fuerat ; nimirum Jesus, qui est Filius et non vernaculus ; Dominus et non servus ; Dominator et non subjectus ; Legislator et non is cui lex imposita est. Natura divina hic Filius est meus dilectus. Quod itaque apostolis adhuc erat obscurum, Pater in monte reddidit manifestum. Qui est, illum qui est significat. Pater Filium manifestat ; et ad ejus vocem apostoli proni in terram ceciderunt. Erat quippe tonitru admodum terribile, ita ut voce ipsius terra contremuerit, et illi in terram collapsi sint. Ostendit eis Patrem accessisse, et Filium vocasse eos, suaque etiam voce excitasse. Nam quo modo vox Patris eos dejecit, ita etiam vox Filii illos exsurgere fecit virtute divinitatis suæ : quæ quidem cum in ejus carne habitet, in eaque sit unita immutabiliter, ambæ in una hypostasi et in una persona, citra divisionem atque confusionem permanent. Neque enim sicut Moyses, decorus apparebat extrinsecus (*Exod.* XXXIV) ; sed tanquam Deus resplendebat in gloria. Moises enim lumine vultus sui unctus decore cernebatur (*II Cor.* III), at Jesus toto corpore suo, velut sol suis radiis, gloria divinitatis suæ fulgebat.

Clamavit vero Pater : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui ; ipsum audite.* Non separatus a gloria Divinitatis Filius. Nam una natura est Pater, et Filius, cum Sancto spiritu, una potentia, una essentia, unum regnum : et in unum clamavit voce in homine simplici, et in gloria formidabili. Et Maria ipsum appellabat filium, non separatum corpore humano a divinitatis ejus gloria. Unus quippe est Deus, qui in corpore visus est in mundo. Gloria ejus divinam significavit naturam, quæ est ex Patre ; et corpus ejus humanam indicavit naturam, quæ est ex Maria : ambas naturas, quæ convenerunt atque unitæ sunt in una hypostasi : Unigenitus ex Patre, et unigenitus ex Maria. Et qui dividit, dividetur a regno ipsius ; et qui confundit ejus naturas, peribit a vita ejus. Qui negat Mariam genuisse Deum, non aspiciet gloriam divinitatis ipsius ; et qui negat eum carnem gestasse a peccato alienam, ejicietur a salute, et a vita, quæ per ejus corpus data est.

Ipsæ testantur res, et divinæ ipsius virtutes docent illos qui valent discernere, ipsum esse Deum verum ; passionesque ejus aperte demonstrant, ipsum esse verum hominem. Et si id sibi persuasum non habent qui mente infirmi sunt atque imbecilles, pœnas luent in die ejus formidabili. Si enim non erat caro, quorsum Maria in medium producta est ? Et si non erat Deus, quemnam Gabriel Dominum vocabat ? Si non erat caro, quisnam in præsepio recumbebat ? Si non erat Deus, quemnam descendentes glorificabant angeli ? Si non erat caro, quisnam involvebatur fasciis ? Si non erat Deus, pastores quemnam adorabant ? Si non erat caro, Joseph quem circumcidit ? Si non erat Deus, stella in cœlo in cujus honorem accurrebat ? Si non erat caro, Maria quemnam lactavit ? Si non erat Deus, cui munera magi offerebant ? Si non erat caro, Simeon in ulnis quem gestavit ? Si non erat Deus, ad quem dixit : Dimitte me in pace ? Si non erat caro, Joseph quemnam accepit, et in Ægyptum fugit ? Si non erat Deus, illud : *Ex Ægypto vocavi filium meum* (*Matth.* II, 15), in quonam adimpletum est ? Si non erat caro, Joannes quem baptizavit ? Et si non erat Deus, Pater e cœlo cui dixit : *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui?* Si non erat caro, quis jejunavit, et esuriit in deserto ? Et si non erat Deus, angeli descendentes cui ministrabant? Si non erat caro, quis invitatus fuit ad nuptias in Cana Galilææ ? Et si non erat Deus, aquam in vinum quis mutavit ? Si non erat caro, panes in cujusnam erant positi manibus ? Et si non erat Deus, quinque millium hominum turbam, præter mulieres et pueros, in deserto quinque panibus et duobus piscibus, quis pavit atque satiavit ?

Si non erat caro, in navi quis dormiit? Et si non erat Deus, ventos et mare quis increpavit ? Si non erat caro, Simon pharisæus cum quo manducavit ? Et si non erat Deus, delicta peccatrici quis remisit ? Si non erat caro, supra puteum fatigatus ex itinere quis sedebat ? Et si non erat Deus, aquam vivam Samaritanæ quis dabat, eamque, quod quinque viros habuisset, quis redarguebat ? Si non erat caro, indumenta hominis quis gestabat ? Et si non erat Deus, virtutes et miracula quis faciebat ? Si non erat caro, in terram quis exspuit, ac lutum ex sputo fecit ? Et si non erat Deus, oculos cæcorum

Digitized by Google

ex luto quis aspicere coegit ? Si non erat caro, in Lazari monumento quis flebat ? Et si non erat Deus, mortuum jam quatriduanum solo jussu quis ejecit ? Si non erat caro, super pullum quis sedebat ? Et si non erat Deus, cuinam cum gloria turbæ obviam procedebant ? Si non erat caro, Judæi quem vinctum tenuerunt ? Et si non erat Deus, terræ quis imperavit, illosque pronos humi dejecit ? Si non erat caro, alapis quis cædebatur ? Et si non erat Deus, auriculam a Petro abscissam quis curavit, et in suum locum restituit ? Si non erat caro, cujusnam facies sputis excepta est ? Et si non erat Deus, Spiritum sanctum in faciem apostolorum quis insufflavit ? Si non erat caro, quis coram Pilato in judicio astabat ? Et si non erat Deus, uxorem Pilati in somnis quis perterrefaciebat ? Si non erat caro, cujusnam vestimenta milites exuerunt et diviserunt ? Et si non erat Deus, sol quo pacto in cruce obscuratus fuit ? Si non erat caro, in cruce suspensus quis erat ? Et si non erat Deus, terram a fundamentis quis movit ? Si non erat caro, cujusnam manus et pedes clavis confixi sunt ? Et si non erat Deus, quomodo velum templi scissum est, petræ ruptæ, et sepulcra aperta sunt ?

Si non erat caro, quis clamavit, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* (*Matth.* XXVII, 46.) Et si non erat Deus, quisnam dixit : *Pater, ignosce illis?* (*Luc.* XXIII, 34.) Si non erat caro, in cruce cum latronibus quis pependit? Et si non erat Deus, quo pacto dixit latroni : *Hodie mecum eris in paradiso?* (*Ibid.*, 43.) Si non erat caro, acetum et fel cui obtulerunt ? Et si non erat Deus, infernus cujusnam audita voce contremuit? Si non erat caro, cujusnam latus lancea aperuit, et exivit sanguis et aqua ? Et si non erat Deus, inferni portas quis confregit, vinculaque dirupit? et cujusnam jussu mortui in monumentis conclusi, egressi sunt? Si non erat caro, quemnam apostoli in cœnaculo viderunt? Et si non erat Deus, januis clausis, quo pacto intravit? Si non erat caro, cujusnam in manibus plagas clavorum, et lanceæ in latere Thomas contrectavit? Et si non erat Deus, cuinam ipse clamavit, dicens : *Dominus meus, et Deus meus?* (*Joan.* XX, 28). Si non erat caro, in mari Tiberiadis quis manducavit? Et si non erat Deus, cujusnam jussu impletum fuit rete? Si non erat caro, apostoli et angeli quemnam conspexerunt in cœlum assumi? Et si non erat Deus, cuinam cœlum apertum fuit? Et virtutes quemnam cum tremore adorarunt? Et Pater cuinam dixit : *Sede a dextris meis?* (*Psal.* CX, 1) quemadmodum et David ait : *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*, et quæ sequuntur.

Si non erat Deus et homo, falsa de cætero est nostra salus, falsæ quoque prophetarum sunt voces. Sed vera locuti sunt prophetæ, et ab omni mendacio aliena sunt eorum testimonia. Ea enim quæ jussi fuerunt, Spiritus sanctus per ipsos loquebatur. Quapropter et castus Joannes qui super pectus flammæ recubuit, voces prophetarum confirmans, ac de divinitate in Evangeliis disserens, nos edocuit, dicens : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* (*Joan.* I, 14.)Qui est ex Deo Deus Verbum, et ex Patre Filius unigenitus, consubstantialis Patri; qui est ex Deo qui est: Verbum ante sæcula ; ex Patre genitus absque matre, ante omnia sæcula ineffabiliter: idem in novissimis diebus nascitur ex filia hominis, ex Maria Virgine absque Patre, Deus incarnatus, ex ipsa carnem gerens, et factus homo, quod quidem non erat, manens Deus, id quod erat, ut salvaret mundum. Et ipse est Christus Filius Dei, unigenitus ex Patre, et ex matre unigenitus.

Confiteor eumdem esse perfectum Deum, et perfectum hominem : qui in duabus naturis, in hypostasi seu persona unitis cognoscitur indivisibiliter, inconfuse et immutabiliter, carnem indutus animatam, et anima rationali atque intellectuali præditam, factus per omnia iisdem quibus nos passionibus obnoxius, præter solum peccatum. Idem terrenus et cœlestis, temporarius et æternus : qui incepit, et est absque principio : expers temporis, et tempori subjectus ; creatus et increatus ; passibilis, et impassibilis : Deus et homo : in utrisque perfectus, unus in duabus, et in duabus unus. Una persona Patris, et una persona Filii, et una persona Spiritus sancti. Una divinitas, una potentia, unum regnum in tribus personis sive hypostasibus. Sic glorificamus sanctam unitatem in Trinitate, et sanctam Trinitatem in unitate. In quo Pater e cœlo, clamavit : *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* (*Matth.* XVII, 24.) Hæc suscepit sancta Dei catholica Ecclesia. In hac sancta Trinitate baptizat in vitam æternam. Hanc sanctificat in honoris æqualitate, et hanc confitetur citra divisionem ac separationem, eamque adorat sine errore, profitetur et glorificat : Ipsi in tribus personis unitati convenit gloria, gratiarum actio, honor, potentia, atque majestas, Patri, et Filio et Spiritui sancto, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

Idem, *ibid.* — Assumptis coryphæis, *duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos ; et resplenduit facies ejus sicut sol. Et apparuerunt eis Moyses et Elias loquentes cum ipso.* (*Matth.* XVI, 1, 2, 3.) Cur hos accipit solos? Quia hi aliis præstantiores erant: Petrus quod admodum diligeret Christum, ideo præeminebat ; Joannes quod valde diligeretur; Jacobus ex sua cum fratre responsione, quando dixit : *Possumus bibere calicem* (*Matth.* XX, 22) ; neque hac responsione solum, sed etiam ex operibus, tum aliis, tum quod impleverit id quod dixerat : Judæis quippe ita acer et vehemens esse videbatur, ut Herodes munus maximum se præbiturum Judæis putaret, si illum occideret. Cur autem non statim illos secum adducit? Ne

Digitized by Google

reliqui discipuli aliquid humanum paterentur. Ideo nec nomina quidem eorum protulit qui ascensuri erant. Nam admodum desiderassent cæteri Christum sequi, tantam gloriam visuri, et tanquam neglecti doluissent. Etiamsi enim hoc corporaliter maxime ostensum fuerit, attamen multum desiderii id intulisset. Cur autem id prædixit? Ut paratiores et prænoniti circa visionem essent, ex prædictione, et ex dierum numero cupiditate videndi ardentes, sic vigili et sollicita mente accederent. Cur autem Moysen et Eliam in medium adducit? Multæ possent afferri causæ, quarum prima hæc est : Quia turbæ dicebant, alii Eliam, alii Jeremiam, alii unum veterum prophetarum Christum esse, ideo illos qui præcipui erant adducit, ut hinc videretur quantum discrimen esset servos inter et Dominum, ac recte Petrum fuisse laudatum, quod ipsum esse Dei Filium confessus esset. Aliud quoque addendum suppetit : quia frequenter ipsum arguebat, quod legem transgrederetur, et blasphemum ipsum putabant esse, quia gloriam Patris nihil ad se pertinentem sibi vindicaret, dicebantque : *Hic non est a Deo, quia sabbatum non servat* (*Joan.* IX, 16); ac rursum : *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia et quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum.* (*Joan.* X, 33.)

Ut ostendatur hanc utramque criminationem ex invidia proficisci, et se utraque in re insontem esse; neque se legem prævaricatum esse, nec se sibi non congruentem gloriam attribuisse, cum se diceret æqualem Patri; eos in medium adducit, qui in utraque re fulserant. Nam Moyses legem dederat; poterantque Judæi cogitare, Moysen non libenter passurum fuisse quod lex conculcaretur, ut illi putabant, nec colere potuisse hostem ejus qui legem dederat. Eliam vero, qui pro Dei gloria zelo plenus erat, si Deo adversarius ille fuisset, si se Deum et Patri æqualem falso dixisset, nequaquam adfuturum et illi obsecuturum fuisse.

S. Chrysost., hom. 57 *in Matth.*, t. VII — Cum supra dictis altera est adhuc dicenda causa. Quænam illa? Ut discerent eum et vitæ et mortis potestatem habere, ac cœlestibus pariter atque terrenis imperare. Quapropter et eum qui mortuus erat, et eum qui nondum obierat, in medium adducit. Quintam causam (nam certe quinta numero est), affert evangelista. Quænam illa est? Ut crucis gloriam ostenderet, Petrumque ac reliquos solaretur, qui passionem timebant, ipsorumque animos erigeret. Nam cum illo (cum) advenissent, non tacebant, sed loquebantur de gloria quam completurus erat in Jerusalem, id est de passione et cruce; sic enim ipsam semper vocant. Nec ideo tantum illos delegit, sed illorum virtute motus quam ipse in illis maxime quærebat. Quia enim dixerat : *Si quis vult post me venire, tollat crucem suam, et sequatur me* (*Matth.* XVI, 24), eos qui pro Dei placito, et pro sibi commisso populo mille mortes obierant, in medium adducit. Uterque enim animam perdidit, et invenit eam. Uterque contra tyrannum constanter ac libere stetit; ille contra ægyptium, hic contra Achabum, idque pro ingratis et inobsequentibus hominibus; et ab iis quorum saluti advigilabant, in extremum acti sunt periculum; atque uterque ut illos ab idololatria retraheret; et ambo privati homines esse videbantur : ille lingua tardus et exili voce erat; hic agrestis viri more agebat : ambo pauperes admodum erant; nam neque Moyses quidpiam possidebat, neque Elias : quid enim plus habuit quam meloten? Et hæc in veteri lege, cum nondum tantam signorum gratiam accepissent.

Etiamsi enim Moyses mare diviserit; at Petrus super aquas ambulavit, et montes transferre poterat, morbos omnis generis curabat, feroces dæmones fugabat, magnaque illa prodigia per umbram corporis sui edebat totumque orbem convertit. Si autem Elias mortuum suscitavit; at illi sexcentos suscitarunt, etiamsi nondum Spiritum sanctum accepissent. Illos itaque hac de causa in medium adduxit. Volebat enim discipulos eorum ad populum ducendum studium imitari, illorum constantiam, firmitatem; esseque mites ut Moyses erat, zelo plenos ut Elias, similiterque sollicitos. Alter enim triennalem famem tulit propter populum Judaicum; alter vero dicebat : *Si quidem dimittis ipsis peccatum, dimitte; sin minus, dele me de libro quem scripsisti.* (*Exod.* XXXII, 32.) Hæc omnia ipsis per hanc visionem in mentem revocabat; nam in gloriam illam adduxit ipsos, non ut in illis starent, sed ut scammata transilirent. Quando igitur dixerunt : *Dicamus ignem de cælo descendere* (*Luc.* IX, 54), et Eliæ recordati sunt, qui hoc fecerat, ait illis : *Nescitis cujus spiritus sitis* (*Ibid.*, 55), ad injuriarum oblivionem illos adhortans ob charismatum differentiam.

Ne putes nos Eliam ut imperfectum damnare : non enim hoc dicimus : etenim admodum perfectus erat. Verum temporibus suis, cum puerilior tunc mens hominum esset, hac opus erat institutione : nam Moyses quoque hac ratione perfectus erat; sed plus exigitur ab apostolis quam ab illo : *Nisi enim abundaverit justitia vestra plus quam scribarum et pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* (*Matth.* V, 20.) Non enim in Ægyptum ingressi sunt, sed in orbem totum gravius et pejus affectum quam Ægypti erant : non Pharaonem allocuturi, sed cum diabolo pugnaturi ipso nequitiæ tyranno. Nam certamen ipsis erat ut illum alligarent, et vasa ejus diriperent omnia; illud vero faciebant, non mare dividentes, sed per virgam Jesse profundum impietatis dissecantes, multo gravioribus agitatum fluctibus. Vide igitur quot quantaque essent quæ hominibus terrorem inculerent, mors, paupertas, infamia, mille mala. Magisque illa tunc timebant quam Judæi olim pelagus illud. Attamen suasit illis ut hæc omnia fidenter aggrederentur, et cum magna secu-

Digitized by Google

ritate quasi per siccum transirent. Ad hæc igitur omnia ipsos concitans, illos adduxit qui in veteri refulserant.

Quid igitur Petrus fervens ille? *Bonum est nos hic esse.* (*Matth.* xv, 4.) Quia enim audierat, ipsum Jerosolymam venturum et passurum esse, ea de causa adhuc timens et tremens, post increpationem illam non audet quidem accedere ac dicere : *Propitius tibi sis ;* sed timore adhuc captus, eadem ipsa, sed per alia verba subindicat. Quia enim montem videbat et vastam solitudinem, cogitabat magnam ibi securitatem a loco esse. Nec modo a loco, sed quod cuperet, ipsum non ultra Jerosolymam adire : vult enim eum ibi perpetuo manere ; ideo tabernacula memorat. Si enim hoc fiat, inquit, non ultra Jerosolymam ascendemus ; si non ascendamus, ille non morietur. Ibi namque dicebat scribas se aggressuros esse. Sed non ausus est ita loqui ; hæc autem perficere volens, secure dicebat : *Bonum est nos hic esse*, ubi et Moyses et Elías adsunt. Elias qui de cœlo ignem in montem descendere jussit : Moysesque qui in caliginem ingressus, cum Deo locutus est; et nemo sciet ubinam sumus.

Vidistin' ferventem Christi amatorem ? Ne quæras quam prudens et accuratus esset hortandi modus, sed quam fervens, quantumque ardebat amore Christi. Quod enim cum illud diceret, non pro seipso tantum tremeret hæc dicendo ; audi quid dicat cum Christus mortem suam et insidias sibi parari prænuntiavit : *Animam meam pro te ponam; si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* (*Marc.* xiv, 31.) Vide etiam quomodo in mediis periculis vitæ suæ parum consuleret. Tanto enim circumstante populo, non modo non aufugit, sed stricto gladio amputavit auriculam servi sacerdotis. Sic ille non quod suum erat respiciebat ; sed pro magistro suo tremebat. Deinde quia absolute locutus fuerat, ad mentem redit ; timensque ne rursus increparetur, ait : *Si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.* (*Matth.* xvii, 4.) Quid dicis, Petre ? Nonne paulo ante a servis eum separasti, cur cum servis modo connumeras ? Viden' quam imperfecti illi essent ante crucem ? Nam si Pater Petro revelavit, at non diu revelationem illam retinuit, sed pavore turbatus est, non solum eo quem dixi, sed etiam alio quem ex visione illa susceperat. Alii itaque evangelistæ hoc significantes, mentis confusionem qua afficiebatur cum hæc diceret, ex pavore illo susceptam declarant.

Marcus quidem dicit : *Non enim sciebat quid loqueretur : perterriti namque fuerunt.* (*Marc.* ix, 6.) Lucas vero postquam dixit, *Faciamus tria tabernacula*, statim subjungit, *nesciens quid diceret.* (*Ibid.*, 33.) Deinde significans et illum et alios timore correptos fuisse, ait : *Gravati somno erant.* (*Ibid.*) Cum evigilassent autem, viderunt gloriam ejus. Somnum vero hic vocat soporem illum qui ex tali visione accidit. Nam veluti oculi ex nimio fulgore obtenebrantur, sic et illis evenit. Neque enim nox erat, sed dies et radiorum splendor oculorum infirmitatem gravabat. Quid igitur ? Ipse quidem nihil loquitur, neque Moyses, neque Elias ; sed qui omnibus major et fide dignior est, Pater vocem emittit ex nube. Cur ex nube ? Sic semper apparet Deus ; Nam *nubes et caligo in circuitu ejus* (*Psal.* lxviii, 4), et rursus : *Qui ponit nubem ascensum suum.* (*Psal.* ciii, 3.) Iterumque : *Dominus sedet in nube levi.* (*Act.* i, 9.) Et : *Nubes suscepit eum ab oculis eorum ;* et *quasi Filius hominis veniens in nubibus.* (*Dan.* vii, 13.) Ut igitur credant ab ipso Deo vocem ferri ; inde venit, et nubes lucida erat : Nam, *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos ; et ecce vox de nube dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* (*Matth.* xvii, 5, 6.) Quando enim minatur, tenebrosam nubem ostendit, quemadmodum in Sina. *Intravit* enim, ait, *in nubem et in caliginem Moyses, et velut vapor, ita ferebatur fumus.* (*Exod.* xxiv, 18.) Et prophèta de minis ejus disserens : *Tenebrosa*, inquit, *aqua in nubibus aeris.* (*Psal.* xvii, 13.) Hic vero quia non terrere, sed docere volebat, nubes lucida est. Et Petrus quidem dicebat : *Faciamus tria tabernacula ;* ille vero tabernaculum ostendit non manufactum. Ideo ibi quidem fumus est, et vapor fornacis, hic vero lux ineffabilis et vox. Deinde ut ostendatur, non de uno trium simpliciter dici, sed de Christo tantum cum vox allata est, illi recesserant. Nam si de uno ex illis dictum fuisset, non ille mansisset solus, duobus aliis remotis.

Cur ergo nubes non Christum solum operuit, sed omnes simul ? Si Christum solum obumbrasset, putatum fuisset ipsum Christum emisisse vocem. Quapropter evangelista, ut hoc ipsum confirmaret, ait vocem ex nube venisse, id est ex Deo. Et quid ait vox illa ? *Hic est Filius meus dilectus.* Si dilectus, ne timeas, Petre, oportebat enim te et virtutem potentiamque ejus jam nosse, et de resurrectione esse certiorem. Quia vero illud ignoras, saltem ex voce Patris fidentior esto. Si namque potens est Deus, ut vere potens est, procul dubio et Filius similiter. Ne timeas ergo mala. Si autem hoc nondum admittis, illud saltem cogita, illum et Filium esse et diligi. *Hic est* enim, ait, *Filius meus dilectus.* Si vero diligitur, ne timeas. Nemo enim quem diligit, abjicit. Ne turberis ergo : quantumvis enim diligas, non diligis eum ut Pater ipsius diligit. *In quo mihi complacui.* (*Matth.* iii, 17.) Ac si diceret : In quo quiesco, quo oblector, qui omnino æqualis mihi est, et quod unam cum Patre voluntatem habeat, et quod filius manens, unum omnino sit cum genitore. *Ipsum*, inquit, *audite.* Quare si crucifigi voluerit, ne obsistas. *Et audientes ceciderunt in facies suas, et timuerunt valde. Et accedens Jesus, tetigit eos, et dixit : Surgite, et nolite timere. Levantes*

Digitized by Google

autem oculos suos, neminem viderunt nisi solum Jesum. (*Matth.* XVII, 6, 7.)

Quomodo hæc audientes perculsi sunt? Nam antehac fuit vox talis in Jordane; turbæ aderant, nemo quidpiam tale passus est. Et postea rursum, quando tonitru factum fuisse dicebant; sed nec tunc quid simile sunt passi : quomodo igitur in monte ceciderunt? Quia et solitudo, et altitudo montis, et quies magna erat, et transfiguratio horrore plena, et lux immensa, et nubes extensa quæ omnia illos in pavorem magnum conjecerunt. Undique terror oriebatur, et ceciderunt territi simul et adorantes. Ne porro timor ille, si diu mansisset, rerum memoriam deleret, statim illos a terrore liberavit, solus ipse conspicitur, mandatque ipsis ut nemini dicant, donec a mortuis resurgeret. *Descendentibus* enim *illis de monte, præcepit eis ut nemini dicerent, donec ipse a mortuis resurgeret.* (*Ibid.*, 9.) Nam quanto majora de illo narrabantur, tanto creditu difficiliora tunc multis erant. Scandalum autem crucis magis inde crescebat. Idcirco tacere jubet, neque simpliciter, sed rursus passionem commemorans, ac fere causam dicens cur tacere juberet. Neque enim jubet hæc cuipiam dicere; sed donec ipse a mortuis resurgeret. Atque hic quod durum erat tacens, quod jucundum erat tantum dixit.

S. CYRILLUS Alex., *Hom. divers.*, t. V, p. II. — Vide pulcherrima dispensatione nunc usum Dominum nostrum Jesum Christum, ad utilitatem et ædificationem sanctorum apostolorum. Nam eis quidem dixit : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me : qui enim vult animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* (*Matth.* VI, *Luc.* IX.) Et salutare quidem est præceptum, et decens sanctos, et quod supernam gloriam conciliat, et alacritatis animi et gaudii sortem comparat. Eligere enim pati propter Christum, minime caret mercede, imo vero efficit æternæ vitæ et gloriæ participes. Sed discipulos qui virtutem ex alto nondum acceperant, consentaneum erat utique in humanas incidere imbecillitates, et tale quid apud se cogitantes dicere. Quomodo negabit quis se ipsum? Aut quomodo qui suam perdiderit animam, eam rursus inveniet? Quod autem iis qui hoc passi fuerint, erit præmium quod ei respondeat? Aut etiam quorumnam erit donorum particeps? Ut tales ergo cogitationes et verba eis adimat, et eos velut transfundat, et transmutet ad animi magnitudinem ejus, quæ ipsis danda est, gloria ingenerans desiderium. *Dico vobis*, inquit, *sunt quidam ex iis qui hic stant, qui non gustabunt mortem, donec viderint regnum Dei.* (*Ibid.*)

Num eis eousque vitæ extendetur mensura, ut ad illa perveniat tempora, post quæ in consummatione sæculorum descendens de cœlis restituet sanctis paratum eis regnum? Sed ipse quidem hoc præstare poterat. Omnia enim potest; nec est aliquid quod non possint efficere ejus potentissimi nutus. Regnum autem dicit ipsum gloriæ spectaculum : in qua ipse quoque videbitur illo tempore, in quo resplendebit in terra. Veniet enim in gloria Dei Patris, et non in ea quæ est in nobis humilitate et abjectione. Quomodo ergo fecit miraculi spectatores eos qui promissum acceperant? Ascendit in montem habens ex eis tres electos : deinde transmutatur in quemdam excellentem et divinum splendorem, adeo ut ejus vestis videretur resplendere instar luminis. Deinde Moyses et Elias Jesum circumsistentes, de ejus excessu inter se loquebantur, quem erat adimpleturus in Jerusalem, hoc est ejus, quæ est cum carne œconomiæ mysterium, et salutarem passionem, quæ, inquam, futura erat in cruce. Verum enim est, quod lex Moysis et sermo sanctorum prophetarum Christi prius ostenderunt mysterium; illa quidem lex in figuris et umbris ipsum propemodum describens in tabula; hi autem multifariam multisque modis prædicentes, quod suo tempore videbitur in nostra forma, et quod pro salute et vita omnium non recusabit pati mortem in ligno.

Quod autem Moyses et Elias aderant, et simul loquebantur, id fiebat hoc consilio, ut ostenderetur legem et prophetas esse veluti satellites Domini nostri Jesu Christi, ut qui ab ipsis fuerit ostensus Dominus, per ea quæ significarunt, quæ erant inter se convenientia. Non enim dissident a lege ea quæ dicuntur per prophetas. Et hoc est, ut arbitror, quod inter se colloquebantur Moyses sanctissimus, et prophetarum optimus : is autem erat Elias. Potest autem aliud quoque considerari. Quoniam ex turbis alii quidem dicebant eum esse Eliam, alii Jeremiam, alii vero unum ex prophetis (*Matth.* XVI, 14), ducit eorum principes, ut vel ex hoc videant quid intersit inter Dominum et servum. Post hanc autem alia quoque potest dici consideratio. Quoniam enim assidue eum accusabant quod legem transgrederetur, et existimabant eum esse blasphemum, ut qui sibi vindicaret eam quæ ei non conveniebat, nempe gloriam Patris, et dicebant : *Hic homo non est ex Deo, quoniam Sabbatum non servat.* (*Joan.* IX, 16.) Et rursus : *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quod homo cum sis, facis teipsum Deum.* (*Joan.* X, 33.) Ut ostenderentur utraque crimina profecta esse ex invidentia, et eum neutri eorum esse affinem, et neque id quod a se fit, esse legis transgressionem, neque vindicationem gloriæ non sibi convenientis, quod dicat se esse æqualem Patri, eos qui in utroque eorum clari fuerunt, producit in medium.

Potest vero cum iis quæ dictæ sunt, alia quoque causa dici. Quænam autem ea est? Ut sciant eum vitæ et mortis habere potestatem, et superis et inferis dominari. Propterea in medium adducit eum qui vivebat, et eum qui erat mortuus. Apparentes enim non tacebant; sed loquebantur de gloria quam ipse

Digitized by Google

erat impleturus in Jerusalem, nempe passionem et crucem, in his autem etiam resurrectionem. Sed beati quidem discipuli parum dormitant, utpote quod Christus vacaret orationi. Certo enim consilio, et certa dispensatione humanis necessitatibus serviebant; deinde cum essent experrecti, fiunt spectatores tam venerandæ et tam admirabilis mutationis. Arbitratus autem fortasse beatus Petrus advenisse tempus regni Dei, in monte quidem versari diligit : dicit autem tria esse facienda tabernacula, nesciens quid diceret. Non erat enim tempus consummationis sæculi, neque in præsenti tempore sunt sancti futuri participes spei eis promissæ. Dicit enim Paulus : *Qui transformavit corpus humilitatis nostræ, ut sit ipsum conforme corpori gloriæ, Christi scilicet.* (*Philipp.* III, 21.) Cum ergo dispensatio adhuc esset in principio, et nondum esset finita, quomodo erat consentaneum, Christum qui venerat propter charitatem in mundum, desinere pro eo velle pati? Servavit enim eam naturam quæ est sub cœlo, cum subiisset mortem secundum carnem, et eam delevisset per suam a mortuis resurrectionem. Nesciebat ergo Petrus quid diceret.

Cæterum præter admirabile et arcanum Christi gloriæ spectaculum, aliquid quoque aliud factum est utile et necessarium ad confirmandam in se fidem, non solis discipulis, sed etiam nobis ipsis. Desuper enim ex alto exstitit vox Dei et Patris dicentis : *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui; ipsum audite.* (*Matth.* XVII, 5.) Et dum facta est, inquit, vox, inventus est solus Jesus. Quid ad hæc dicit duræ cervicis Judæus qui est contumax et repugnans, et cor habet quod nullam suscipit admonitionem? Ecce, præsente Moyse, Pater jubet sanctis apostolis ut eum audiant. Quod si eos voluisset sequi præcepta Moysis, dixisset : Quia Moysi creditis, servate legem. Nunc autem, ne hoc quidem dicit Deus, et Pater. Sed cum adesset Moyses, et ejus propheta Elias, jubet eis ipsum audire potius. Ne autem calumniarentur aliqui veritatem, dicentes quod Pater eos jusserit audire. Moysen, et non omnium nostrum Salvatorem Christum, necessario evangelista adnotavit, dicens, quod cum vox illa exstitit, inventus est Jesus solus. Quando ergo sanctis apostolis Deus Pater, tanquam ex nubibus desuper præcepit, dicens : *Ipsum audite;* aberat quidem Moyses, Elias autem non aderat, solus vero erat Christus. Jussit ergo ipsum audire. Ipse enim est finis legis et prophetarum. Propterea Judæorum populum allocutus est, dicens : *Si crederitis Moysi, credaretis utique mihi : ille enim de me scripsit.* (*Joan.* V, 46.) Quoniam autem et per sapientissimum Moysen datum præceptum contemnere, et quæ per sanctos prophetas dicta sunt nihili ducere perpetuo perseverarunt, jure sunt abalienati et exturbati a bonis quæ permissa sunt ipsis patribus. *Obedientia enim melior est quam sacrificium, et auscultatio quam adeps agnorum;* sicut scriptum est. (*I Reg.* XV, 22.) Et ita quidem se habent res Judæorum : nobis autem qui adventum ejus agnovimus, omnia omnino bona aderunt, per ipsum et in ipso Christo, per quem et cum quo Deo et Patri gloria et potentia, cum sancto Spiritu, in sæcula sæculorum, amen.

S. Leo Mag., serm. 98, t. I. — Evangelica lectio (*in illo tempore, assumpsit Jesus Petrum*, etc. [*Matth.* XVII, 1]), dilectissimi, quæ per aures corporis interiorem mentium nostrarum pulsavit auditum, ad magni sacramenti nos intelligentiam vocat; quam aspirante gratia Dei facilius assequemur, si considerationem nostram ad ea quæ paulo superius sunt narrata, referamus. Salvator enim humani generis Jesus Christus condens eam fidem qua et impios ad justitiam et mortuos revocat ad vitam, ad hoc discipulos suos doctrinæ monitis, et operum miraculis imbuebat, ut idem Christus et unigenitus Dei, et hominis Filius crederetur. Nam unum horum sine altero non proderat ad salutem, et æqualis erat periculi, Dominum Jesum Christum, aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo solum hominem credidisse, cum utrumque esset pariter confitendum : quia sicut Deo vera humanitas, ita homini inerat vera divinitas. Ad confirmandam ergo hujus fidei saluberrimam cognitionem interrogaverat discipulos suos Dominus, inter diversas aliorum opiniones quid ipsi de eo crederent, quidve sentirent : ubi Petrus apostolus per revelationem summi Patris corpore superans, et humana transcendens, vidit mentis oculis Filium Dei vivi, et confessus est gloriam deitatis : quia non ad solam respexit substantiam carnis et sanguinis. Tantumque in hac fidei sublimitate complacuit, ut beatitudinis felicitate donatus, sacram inviolabilis petræ acciperet firmitatem, super quam fundata Ecclesia, portis inferi et mortis legibus prævaleret, nec in solvendis atque ligandis quorumcunque causis, aliud ratum esset in cœlis, quam quod Petri cessisset arbitrio.

Hæc autem, dilectissimi, laudatæ intelligentiæ celsitudo instruenda erat de inferioris substantiæ sacramento, ne apostolica fides ad gloriam confitendæ in Christo deitatis evecta, infirmitatis nostræ receptionem indignam impassibili Deo atque congruam judicaret, et ita jam in Christo humanam crederet glorificatam esse naturam, ut nec supplicio posset affici, nec morte dissolvi. Et ideo, dicente Domino, quod oporteret eum ire in Jerosolymam, et multa pati a senioribus et scribis, ac principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere, cum beatus Petrus, qui superno illustratus lumine, de ardentissima Filii Dei confessione fervebat, contumelias illusionum et crudelissimæ mortis opprobrium religioso, ut putabat, et libero fastidio respuisset, benigno a Jesu increpatione correptus, ut ad cupiditatem participandæ cum eo passionis animatus est. Subsequens enim exhortatio Salvatoris hoc inspiravit, hoc docuit, ut volentes eum sequi, negaret

Digitized by Google

se sibi, et pro spe æternorum, levissimum ducerent temporalium detrimentum : quia is demum animam suam salvam faceret, qui eam pro Christo perdere non timeret.

Ut ergo istam felicis constantiæ fortitudinem toto apostoli corde conciperent, et nihil de suscipiendæ crucis asperitate trepidarent; ut de supplicio Christi non erubescerent, nec pudendam sibi eam patientiam crederent, quæ sic subitura erat sævitiam passionis, ut non amitteret gloriam potestatis. *Assumpsit Jesus Petrum et Jacobum, et fratrem ejus Joannem.* (*Matth.* XVII, 1.) Et conscenso cum eis seorsum monte præcelso, claritatem illis suæ gloriæ demonstravit : quia licet intellexissent in eo majestatem Dei, ipsius tamen corporis quo divinitas tegebatur potentiam nesciebant. Et ideo proprie signanterque promiserat quosdam de astantibus discipulis non prius gustare mortem, quam viderent Filium hominis venientem in regno suo, id est in regia claritate, quam spiritaliter ad naturam suscepti hominis pertinentem, his tribus viris voluit esse conspicuam. Nam illam ipsius deitatis ineffabilem et inaccessibilem, visionemque in æternam vitam mundis corde servatur, nullo modo mortali adhuc carne circumdati intueri poterant et videre.

Aperit ergo Dominus coram electis testibus gloriam suam, et communem illam cum cæteris corporis formam tanto splendore clarificat; ut et facies ejus solis fulgori similis, et vestitus candori nivium esset æqualis. In qua transfiguratione illud quidem principaliter agebatur, ut de cordibus discipulorum crucis scandalum tolleretur, nec conturbaret eorum fidem voluntariæ humilitas passionis, quibus revelata esset absconditæ excellentia dignitatis. Sed non minore providentia spes sanctæ Ecclesiæ fundabatur; ut totum corpus Christi agnosceret, quali esset commutatione donandum. Ut ejus sibi honoris consortium membra promitterent, qui in capite præfulsisset. De quo idem Dominus dixerat, cum de adventus sui majestate loqueretur : *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui.* (*Matth.* XIII, 43.) Protestante hoc ipsum beato Paulo apostolo, et dicente : *Existimo enim, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* (*Rom.* VIII, 18.) Et iterum : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.* (*Coloss.* III, 3.)

Confirmandis vero apostolis, et ad omnem scientiam provehendis, alia quoque in illo miraculo accessit instructio. Moyses enim et Elias, lex scilicet et prophetæ, apparuerunt cum Domino loquentes : ut verissime in illa quinque virorum præsentia compleretur quod dictum est : *In duobus vel tribus testibus stat omne verbum.* (*II Cor.* XIII, 1.) Quid hoc stabilius, quid firmius verbo, in cujus prædicatione Veteris et Novi Testamenti concinit tuba, et cum evangelica doctrina antiquarum protestationum instrumenta concurrunt? Astipulantur enim sibi invicem utriusque fœderis paginæ; et quem sub velamine mysteriorum præcedentia signa promiserant, manifestum atque perspicuum præsentis gloriæ splendor ostendit. Quia, sicut ait beatus Joannes : *Lex per Moysen data est, gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est.* (*Joan.* I, 17.) In quo et propheticarum promissio impleta est figurarum, et legalium ratio præceptorum, dum et veram docet prophetiam per sui præsentiam, et possibilia facit mandata per gratiam.

His ergo sacramentorum revelationibus Petrus apostolus incitatus, mundana spernens, et terrena fastidiens, in æternorum desiderium quodam mentis rapiebatur excessu; et gaudio totius visionis impletus, ibi cum Jesu optabat habitare, ubi manifestata ejus gloria lætabatur. Unde et ait : *Domine, bonum est nos hic esse : si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.* (*Matth.* XVII, 4.) Sed huic suggestioni Dominus non respondit, significans non quidem improbum, sed inordinatum esse quod cuperet, cum salvari mundus nisi Christi morte non posset, et exemplo Domini in hoc vocaretur credentium fides, ut licet non oporteret de beatitudinis promissionibus dubitari, intelligeremus tamen inter tentationes hujus vitæ prius nobis tolerantiam postulandam esse quam gloriam : quia tempora patiendi non potest felicitas prævenire regnandi.

Adhuc itaque eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos, et ecce vox de nube dicens : *Hic est Filius meus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* (*Ibid*, 6.) Præsens quidem erat in Filio Pater, et in illa Domini claritate, quam ad discipulorum temperarat aspectum, non separabatur ab unigenito genitoris essentia : sed ad commendandam proprietatem utriusque personæ, sicut visu significavit Filium splendor ex corpore, sic auditui Patrem vox nuntiavit ex nube. Qua voce accepta, discipuli in faciem ceciderunt, et timuerunt valde non de Patris tantum, sed et de Filii majestate tremuerunt : altiori enim sensu unam utriusque intellexerunt deitatem, et quia in fide non erat hæsitatio, non fuit in timore discretio. Latum ergo illud, et multiplex testimonium fuit, et plus in verborum virtute quam in sono vocis auditum est.

Dicente enim Patre : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite* (*Ibid.*, 5), nonne evidenter auditum est : *Hic est Filius meus*, qui ex me, et mecum esse sine tempore est? Quia nec genitor genito prior, nec genitus est genitore posterior. *Hic est Filius meus :* quem a me non separat deitas, non dividit potestas, non discernit æternitas. *Hic est Filius meus :* non adoptivus, sed proprius; non aliunde creatus, sed ex me genitus; nec de alia natura mihi factus comparabilis, sed de mea

Digitized by Google

essentia mihi natus æqualis. *Hic est Filius meus, per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil* (*Joan.* I, 3) : quia omnia quæ facio, similiter facit, et quidquid operor, inseparabiliter mecum atque indifferenter operatur. In Patre enim est Filius, et in Filio Pater (*Joan.* v, 19); nec unquam unitas nostra dividitur. Et cum alius ego sim qui genui, alius ille quem genui, non aliud tamen de illo vobis cogitare fas est, quam de me sentire possibile est. *Hic est Filius meus :* qui eam quam mecum habet æqualitatem, non rapina appetiit, nec usurpatione præsumpsit, sed manens in forma gloriæ meæ, ut ad reparandum genus humanum exsequeretur commune consilium, usque ad formam servilem inclinavit incommutabilem deitatem.

TRIBUTUM

[Ex SS. Patribus.]

B. Thom., *Sup. Epist. ad Rom.* XIII, lect. 1, fin. — Est tributum quod principi tribuitur pro generali regimine. Vectigal vero quod tribuitur pro reparatione et custodia de mercimoniis.

Philo Jud., *De septenario et festis.* — Illud subindicari mihi videtur, neminem decere omnino homines onere gravare et premere. Etenim si terræ partibus, quæ nec voluptatis nec doloris participes natura esse possunt, quies est concedenda ; quomodo non hominibus potius, quibus non sensus tantum communis cum brutis animantibus adest ; verum etiam rationis vis eximia, cui ea quæ laboribus et sudoribus dolorem gignunt, dilucidioribus visis effinguntur. Quocirca desinite, o vos qui heri appellamini, a vehementibus et vix tolerabilibus jussis indicendis servis, quæ et corpora violenti impetu frangunt, et animos vel ante corpora despondere cogunt. Invidia quippe nulla est injungendi, quæ moderata sunt : per quæ vos Domini congruenti ministerio fruemini, et famuli expedite et æquo animo imperata facient, ac ministeria non ad breve aliquod tempus, veluti labore ante suscepto fessi, ac (si verum proferre opus est), præ ærumna senio præventi, sustinebunt ; verum longissimo tempore, athletarum certantium more repubescentes, non eorum qui obesitate pinguescunt, sed eorum quibus mos est per aridos sudores, ad eorum quæ vitæ necessaria et conducibilia sunt acquisitionem se exercere.

Quin etiam civitatum rectores tributis et vectigalibus continuis et magnis urbes desinant pene subvertere, dum proprios loculos pecunia implent ; et illiberalia vitia quæ omnem ipsorum vitam contaminant, quasi thesaurum condunt et conservant. Etenimvero crudelissimos et inhumanitatis plenos tributorum exactores data opera eligunt, cum ansas ipsis ad inexplebilem avidiam porrigunt : at ii qui nativæ imperitiæ adjungunt etiam jussorum herilium securitatem ; et dum omnia statuunt ad obsequium illis præstandum, patrare nihil omnino e gravissimis et molestissimis prætermittunt æquitatis ac lenitatis ratione, ne in somnis quidem habita. Duntaxat pecuniis exigendis præfecti, confundunt et polluunt omnia : adeo ut non tantum e facultatibus exigant, sed etiam e corporibus, contumeliis, flagris, et excogitatis recenter tormentis ad immanitatem.

Origen., *Comment. in Matth.*—Sospitatoris temporibus cum tributum Romanis pendere jussi sunt Judæi, de eo inter Judæos disputatum, deliberatumque est, utrum consecratam Deo gentem, quæ ipsius esset portio, tributum principibus solvere consentaneum sit, an pro libertate certare, si vitam pro arbitrio ducere non liceat, et tributum minime pendere. Fertur autem docuisse Judas Galilæus, cujus in *apostolorum Actis* mentionem facit Lucas, ad defectionem impulsa ingenti Judæorum multitudine, Cæsari nequaquam pensitandum esse vectigal, neque dominum hunc appellandum. At qui nunc præerat tetrarcha populo persuadere conabatur præsenti rerum statui sese ut accommodaret, nec voluntarium contra potentiores bellum susciperet, et vectigalia solveret. Ac talia quidem præsenti hocce Evangelii loco non aperte declarantur ; at qui proposita contextus verba accurate explorare voluerit, hæc ita se habere facile inde comperiet. Cum enim Jesum in sermone illaqueare vellent pharisæi, missis ad eum discipulis suis cum herodianis, ut ab eo sciscitarentur, liceretne censum dare Cæsari, annon, illaqueandi ejus locum minime habuissent, si dandum eum esse in confesso fuisset, vel si dandum non esse omnes consensissent.

At vide annon vel ex eo historiæ hujusce veritas elucescat, quod cum Jesum illaqueare vellent pharisæi, non discipulos duntaxat suos de censu quæsitum miserint, sed cum herodianis. Veri quippe simile est qui tributum Cæsari in populo pendi vellent, herodianos ab iis fuisse appellatos qui id nequaquam faciendum esse statuebant. Qui autem libertatis specie ducti, quominus vectigal Cæsari pensitaretur impediebant, ii fuisse videntur pharisæi Judæorum disciplinas accuratius rimantes ac tuentes. Quod si quis hæc nequaquam ita se habere censet, id explicet ac conciliet, curnam illaqueare eum in sermone volentes, suos discipulos, necnon et herodianos, de censu quæsituros mittant pharisæi. Sive enim dandum esse tributum Cæsari sanxisset Servator, sive non, cujusmodi is fuisset

Digitized by Google

laqueus responsioni ejus prætensus; nisi, ita ut diximus, impediente eo quominus census Cæsari daretur, cum quasi defectionis auctorem ac impulsorem Romanis traditurus fuissent herodiani; permittente vero, accusaturi Jesum fuissent pharisæi, quasi personam hominis potius respiceret, quam viam Dei in veritate doceret?

Apud te autem id cogita, pharisæorum discipulos dicentes: ***Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces et non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum*** (*Matth.* XXII, 16), ejusmodi laude eum quasi dehortari ne herodianorum personam respiciat, eorumque qui a Cæsaris partibus stabant, ut juxta pharisæorum sententiam tributum Cæsari non esse solvendum affirmans, herodianis ab ipsis traderetur. Quin et illud attende: ***Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis, hypocritæ?*** (*Matth.* XXII, 18.) Se ergo a pharisæis callido ac vafro animo ad se accedentibus tentari sciebat, ut quidquid ipse respondisset, ex sua responsione insidias sibi instruerent. Hæc ergo in hunc præsentis Evangelii locum ad litteram dicta sunto, quibus consonant quæ a Marco et Luca super iisdem rebus allata sunt, quemadmodum ex Evangeliorum inter se collatione ac comparatione existimare potes; nec aliam enim ac istam super hoc loco Matthæus profert sententiam, nec Marcus quoque itidem ac Matthæus. Simul autem ad ea quæ jactantur a multis, propterea que honorifica videntur esse, minime sub pietatis in Deum specie attendere a sospitatore nostro docemur; sed ad ea quæ disquisitione et studio, necnon et rationis consequentia astruuntur ac probantur. Observa enim, quæstione hac proposita, an dandus esset Cæsari census, necne, opinionem suam simpliciter eum non protulisse, sed cum dixisset: ***Ostendite mihi numisma census*** (*Matth.*, XIX, 20), cujus esset imago ac superscriptio quæsivisse, et cum Cæsaris esse dicerent, Cæsari quæ sua fore poscenti reddenda esse, neque pietatis specie hunc iis esse fraudandum respondisse. Non autem quæ Cæsaris sunt, Cæsari reddere licet; quæ Dei autem sunt, Deo reddere fas non est; nec quæ Cæsaris sunt Cæsari reddens, quispiam, quæ Dei sunt, Deo reddere prohibetur.

Hunc autem locum tropologice sic interpretari potest aliquis. Ex corpore et anima conflati sumus; quod autem spiritu etiam constemus, id in præsentia dicere supersedeamus. Corporum autem principi, qui Cæsar dicitur, quoddam veluti tributum pendere debemus, corpori videlicet necessaria, quæ corpoream corporum principis imaginem continent; ea autem sunt alimenta, et vestes, et necessaria quies, ac somnus. Quoniam autem anima ad imaginem Dei a natura comparata est, alia animæ naturæ ad substantiæ convenientia, ac congrua ipsius regi, Deo scilicet debemus; ea autem sunt ad virtutem ducentes viæ, et gesta virtuti consona. Legis ergo Dei doctores de rebus ad corpus pertinentibus ipsique debitis eadem non sentiunt. Qui enim corpus quantum pote jejuniis et vigiliis macerant, rerumque omnium abstinentia, quas corpus et necessariæ ipsius functiones postulant, idem propemodum faciunt ac qui tributi Cæsari non solvendi auctores sunt. Alii vero sunt præterea qui res hoc loco propositas obscure interpretantur; corpori autem pendendum esse debitum sibi fingunt; at Sospitator noster qui Verbum Dei est, congrua corpori debita ab animæ debitis distinguens, ait: ***Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo.*** (*Matth.* XXII, 21.) Imaginem quippe Cæsaris, corporearumque rerum præfert tributum, quod solum, neque quidquam amplius corpori debemus.

Aliam autem etiam pervulgatam loci hujus interpretationem teneo. Princeps sæculi hujus tropologice nuncupatur Cæsar; at rex sæculorum nullo occultus symbolo, Deus ubique appellatur. Quandoquidem ergo quædam habemus quæ principis sunt sæculi hujus, hoc est quæ a nequitia profluunt, neque Deo reddere possumus quæ Dei sunt, nisi prius depositis quæcunque oriuntur ex nequitia, quæ Cæsaris sunt Cæsari reddiderimus; idcirco Servator, ostenso sibi numismate, ipsique impressa imagine, ait: ***Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo.*** Atque hæc quidem hoc loco consideremus, quia si quando ab iis tentati qui occasiones quærunt, et quæstiones proponunt, non discendi causa, sed ut nos pro virili coarguant, sermones nobis tentandis propositos audiamus, non penitus obmutescere, neque etiam temere, sed caute et considerate respondere debemus, ut omnem his ansam præcidamus qui occasiones quærunt, et quæ ad salutem conferunt eos inculpate doceamus, qui ideo audiunt ut salutem indipiscantur. Pharisæi porro docendis variis Judæorum traditionibus assumi possunt; herodiani autem ejus verbi causa, quod inter eos qui simpliciori modo appellantur Judæi, regiam obtinere potestatem a multis existimantur. Utrinque vero Sospitatorem de censu interrogant; is autem ipsis, ita ut a nobis supra dictum est, respondet: verum cum discendi causa ipsum non interrogent, sed ut eum in sermone illaqueent ac tentent, propterea accepta ipsius super sua quæstione sententia, nullamque sibi præbitam huic insidiandi occasionem demirati, non apud eum quidem, quemadmodum discipuli, manserunt; neque simpliciter abierunt, ut de aliis scriptum est, sed ***relicto eo, abierunt*** (*Matth.* XXII, 22); ac ejusmodi quidem sunt, qui relicto verbo, et fide ei non habita, postquam audierunt illud, recedunt. Et vere de iis qui postquam audierunt, ab ipsa auditione deficiunt; non aberraverit profecto qui dixerit eos, relicto Jesu, abiisse; nos autem illud sponsæ usurpabimus: ***Tenui eum, nec dimisi eum.*** (*Cant.* III, 4.)

S. Basil., *Reg. brev. tractat.*, t. II.—*Inter.* Si quis, relictis tributis ad fratres accedat,

Digitized by Google

cognati autem ipsius pro ipso divexentur ab exactoribus, utrum detur inde hæsitandi locus, aut afferatur detrimentum, tum huic, tum iis, qui illum receperunt?

Resp. Dominus noster Jesus Christus iis qui se percontabantur, liceretne censum Cæsari dare, an non, respondet: *Ostendite mihi denarium. Cujus habet imaginem et inscriptionem?* Cum autem dixissent, *Cæsaris*, respondit his verbis: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo.* (*Luc.* XX, 22, 24.) Cum igitur ex hoc perspicuum sit declarasse Dominum, eos subjectos esse mandatis Cæsaris, apud quos inveniantur quæ sunt Cæsaris, si is cum ad fratrum conventum accessit, tale aliquid ex iis quæ ad Cæsarem pertinebant, attulerit, tributa oxsolvere debet. Quod si cum discessit, sua omnia propinquis suis reliquit, nullus est hæsitandi locus, neque ipsi, neque iis, qui eum receperunt.

S. Greg. Naz., orat. 1, t. I.—Cum Christo describis, cum Christo tributum expendis, cum capite censuram facis, cum Verbo rationem subducis. Nunc Christus tibi nascitur, et Deus est, et homo efficitur, et cum hominibus conversatur. Quid autem sibi vult hic sermo? Sane, nisi me sententia fallit, eos, quibus hujusmodi munera commissa sunt, admonet Deum una semper maximis rerum administrationibus comitem interesse. Et quidem, ut descriptores pudore quodam afficiat, ac commoveat, eo tempore carnem assumit, et cum hominibus versatur: ut autem servituti nostræ solatium afferat, animique æquitatem veluti lege sanciat (nam ne id quidem contemptim prætereundum est), non modo suo, sed etiam Petri, discipulorum omnium charissimi, nomine, *didrachmum pendit.* (*Matth.* XVII, 26.) Nam *propter nos homo factus est, servique formam suscepit, et pro iniquitatibus nostris ad mortem ductus est.* (*Philip.* II, 7; *Isa.* LIII, 5.) Hæc Salvator fecit, idque cum voluntate sola nobis, utpote Deus, salutem afferre posset, quemadmodum et universam rerum machinam solo jussu atque imperio procreavit. Majus autem et ad inculiendum pudorem accommodatius nobis contulit, nempe pietatem ac misericordiam atque honoris æqualitatem.

Idem, *ibid.*—Ex cupiditate bella, ex bellis porro tributa, quibus in divina condemnatione nihil gravius est et acerbius. At nos saltem, ne multam augeamus, cum eidem pœnæ obnoxii simus, nec male cum aliis agamus. Mutuam erga nos ipsos benignitatem Deus a nobis exposcit; etiamsi ab ipso puniamur. Erit alia quoque descriptio, et descriptor alius: nisi forte de quodam viventium pereuntiumque libro nihil unquam audistis. Illic omnes inscribemur, vel ut rectius dicam, jam inscripti sumus, pro merito quo quisque hic vitam confecit. Illic non meliori conditione sunt divitiæ, nec deteriori paupertas, non gratia, non odium, non denique alia omnia, quibus judiciorum fides ac religio hic subripitur et labefactatur. Omnes Dei digito descripti sumus, nobisque in revelationis die liber aperietur. Illic parvus et magnus est, et servus una cum hero, ut est apud Salomonem, et rex una cum subdito, et descriptor una cum profitente, et splendor in propinquo; nam quod dictu ominosum est silentio præteribo. Cæterum quo modo alios descripserimus, eodem ipsi quoque describemur. Hanc inscriptionem si facilem et commodam experiri cupis, fac te commodum nobis et humanum præbeas.

S. Ambros., epist. 7, class. 1, t. II.—Dominus tentantibus se pharisæis subdola interrogatione utrum suaderet censum dari Cæsari respondit: *Quid me tentatis, hypocritæ? Ostendite mihi numisma census.* (*Matth.* XXII, 8.) At illi obtulerunt ei denarium, in quo erat imago Cæsaris. Ait illis: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo*, (*Ibid.*, 21.) Ostendens illos ita esse imperfectos qui sibi perfecti viderentur, ut prius Cæsari quam Deo solverent. Quibus enim prior esse cura mundi ab iis prius solvendum foret, quod erat mundi, unde et ait: *Reddite*, id est, vos reddite, *quæ sunt Cæsaris*, apud quos figura et imago invenitur Cæsaris. Illi ergo Hebræi pueri Ananias, Azarias, Misael, ille Daniel sapientior, qui non adoraverunt imaginem regis, qui non receperunt eam, qui nihil de illa mensa regis accipiebant, non tenebantur ad solutionem tributi. Nihil enim eorum quæ sub rege terreno erant, possidebant. (*Deut.* XVIII, 2.) Ergo eorum imitatores non solvunt tributum, quibus portio Deus est. Ideo Dominus ait: *Reddite*, id est, vos reddite, qui protulistis imaginem Cæsaris, apud quos invenitur: ego autem nihil debeo Cæsari, quia nihil hujus mundi habeo: *Venit enim hujus mundi princeps, et in me inveniet nihil.* (*Joan.* XIV, 30.) Nihil debet Petrus, nihil apostoli mei; quia non sunt de hoc mundo, etsi in hoc mundo sunt. Ego misi eos in hunc mundum; sed jam non sunt de hoc mundo, quia mecum sunt supra mundum.

Ergo quod divinæ legis est, solvi jubetur, non quod Cæsaris. Sed tamen et ipsum perfectus, id est, prædicator Evangelii jam non debebat, qui pius prædicabat. Non debebat Filius Dei, non debebat et Petrus in adoptionem a Patre ascitus per gratiam; sed *ne scandalizentur*, inquit, *vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: et aperto ore ejus, invenies ibi staterem, illum sumens da iis pro me et te.* (*Matth.* XVII, 26.) O magna mysteria! Dat dimidium didrachmi quod lex jubebat, et non negat quod legis est, quasi factus ex muliere, factus sub lege. Factum secundum incarnationem locutus sum, ex muliere secundum sexum: mulier sexus est, Virgo species: sexus generis, Virgo integritatis; In quo ergo venit sub lege, in eo factus est ex muliere, id est in corpore. Et ideo didrachmum solvi jubet pro se et Petro, quia uterque sub lege generati. Jubet ergo se-

Digitized by Google

cundum legem solvi, ut eos qui sub lege erant redimeret. (*Galat.* IV, 5.) Et tamen staterem dari jubet, quo vectes imponerent ori suo, ne ex multiloquio peccatum admitterent. Qui enim quod legis est exigebant, cur quod legis est nesciebant? Verbum enim Dei ignorare non debebant, quia scriptum est : *Prope est Verbum in ore tuo, et in corde tuo.* (*Deut.* XXX, 14.) Totum igitur didrachmum Deo solvit, qui sæculo nihil reservavit. Deo enim justitia solvitur, quæ est mentis sobrietas : *Corde enim creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem.* (*Rom.* X, 10.)

S. CHRYSOST., *De comparatione regis et monachi*, tom. I. — Rex tributa dum minus gravia esse jubet, divitibus magis, quam pauperibus usui est. Idem dum contra facit, paucarum facultatum dominos lædit : nam diviti tenuem admodum jacturam attulerit tributorum acerbitas : at eadem pauperum domos tanquam torrens distrahit, fletu complens pagos ; cum interim neque senectus iis miserabilis est qui tributa exigunt, neque mulierum viduitas, neque liberorum orbitas, quinimo proterve agendi finem nullum illi faciunt, communes quidam regionis hostes, quæ tellus nequaquam tulit, ea ab agricolis exigentes.

Idem, hom. 70, al. 71, *in Matth.*, t. VII. — *Tunc abeuntes pharisæi consilium inierunt ut eum in sermone caperent.* (*Matth.* XXII, 13.)

Tunc, quandonam? Quando maxime illos compungi oportuit, quando benignitatem ejus admirari, quando futura formidare par erat, quando ex præteritis de futuris credendum erat. Nam cum factis dicta clamabant, publicani et meretrices crediderant, prophetæ et justi interfecti fuerant : ab his vero instituti non debebant futuram suam perniciem negare, sed et credere et resipiscere. Attamen neque sic desinit illorum nequitia, sed crescit et ulterius progreditur. Verum quia turbas timentes, illum apprehendere non audebant, aliam iniere viam ut in periculum conjicerent, et publicarum iniquitatum reum constituerent. *Mittunt enim ei discipulos suos cum herodianis dicentes : Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, nec de aliquo tibi cura est ; non enim respicis ad personam hominum. Dic ergo nobis, quid tibi videtur? Licet censum dare Cæsari, an non?* (*Matth.* XXII, 16 seqq.) Tributum enim jam solvebant, cum res ipsorum in Romanorum imperium transissent. Quia igitur videbant Theudam et Judam hac de causa paulo ante periisse, ut qui rebellionem meditarentur, cupiebant ipsum quoque circa res easdem suspicioni obnoxium reddere. Ideoque discipulos suos cum Herodis militibus miserunt, duplex præcipitium parantes, ut putabant, et undique laqueum tendentes, ut quidquid diceret, caperetur ab eis, ac si pro Herodianis responderet, ipsi accusarent, sin pro ipsis, alii criminarentur. Atqui didrachma jam solverat ; sed hoc illi ignorabant, et utrumvis diceret, se capturos eum sperabant. Maluissent tamen eum contra herodianos aliquid dicere. Ideoque discipulos mittunt qui illum præsentia sua ad id inducerent, ut illum præsidi traderent ut tyrannum : hoc enim et Lucas subindicat dicens eos turbis præsentibus interrogasse, ut majus esset testimonium. Contrarium autem omnino evenit ; in majori quippe theatro stultitiæ suæ argumentum dederunt.

Ac vide adulationem eorum occultumque dolum : *Novimus*, inquiunt, *quia verax es.* Cur ergo dicebatis : Seductor est, et, seducit turbam, et, dæmonium habet, et, non est ex Deo? Cur paulo ante consultabatis quomodo illum occideretis? Sed omnia illa fiunt, quæ insidiæ suggerebant. Quia enim paulo ante cum arrogantia dixerant : *In qua potestate hæc facis?* (*Matth.* XXI, 23), nec responsionem extorquere potuerunt, sperant illum adulatione emolliendum esse, et inducendum ut quidpiam dicat contra leges quæ tunc vigebant, et dominanti potentiæ contrarium. Quapropter ipsum veracem dicunt, id quod erat confitentes ; verum non recta sententia, neque volentes id dicunt, et hoc adjiciunt : *Non est tibi cura de aliquo.* Vide quam liquidum sit velle eos in hujusmodi sermonem conjicere, quo Herodes offendatur, et in tyrannidis suspicionem veniat, ut qui contra legem insurrexerit, quo illum ut seditiosum et tyrannum supplicio traderent. Illud enim : *Non est tibi cura de aliquo, neque respicis ad personas hominum*, de Herode et Cæsare sub umbra quadam dicebatur : *Dic igitur nobis, quid tibi videtur?* Nunc honoratis et doctorem putatis, qui illum cum de salute vestra dissereret, contempsistis, sæpe et contumelia affecistis? Unde etiam hic concordi sententia fuerunt.

Ac vide illorum vafritiem : non dicunt : Dic nobis quid bonum, quid utile, quid legale ; sed quid tibi videtur. Ita hoc unum spectabant, ut traderent eum, et ut imperantis hostem declararent. Id significans Marcus, arrogantiamque ipsorum sanguinariumque animum ostendens, dixisse illos ait : *Demusne Cæsari censum, annon demus?* (*Marc.* XII, 14.) Ita furorem quidem spirabant et insidias parturiebant, dum cultum simularent. Quid igitur ille? *Quid me tentatis, hypocritæ?* Vidistin' quomodo majore cum acrimonia respondeat? Quia enim nequitia et perfecta et manifesta erat', acrius pungit illos, primo confundens illorumque ora obstruens, ut secreta illorum in medium adduceret, et palam omnibus redderet, quo ad illum animo accessissent. Id porro faciebat, ut eorum nequitiam reprimeret, ne talia iterum auderent ad nocendum. Quamvis verba honorifica admodum essent, nam et magistrum vocabant, et veracem, et personam non accipientem. Sed Deus cum esset, his decipi non poterat. Unde poterant illi suspicari ipsum non conjectando increpasse, sed id esse signum illum secreta nosse.

Nec satis illi fuit increpasse ; etiamsi suf-

Digitized by Google

ficeret illum, cum animorum eorum redarguisset, de tanta nequitia pudorem illis ingerere. Sed non hic stetit, verum alio etiam modo illorum ora consuit, cum ait : *Ostendite mihi numisma census.* (*Matth.* XXII, 19.) Ut autem ostenderunt, pro more suo eorum lingua sententiam effert, ipsosque decernere cogit, id licere : quæ erat splendida claraque victoria. Itaque cum interrogaret, non ignorans interrogabat, sed ut ex illorum responsione reos illos esse evinceret. Nam cum interrogati, *cujus est imago*, (*Ibid.*, 20), respondissent *Cæsaris*, ait ille : *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo.* (*Ibid.*, 21.) Hoc enim non est dare, sed reddere : id quod ex imagine et ex inscriptione ostendebatur. Deinde ne dicerent : *Hominibusne nos subjicis?* subjunxit, *et quæ sunt Dei, Deo.* Licet enim et hominibus sua reddere, et Deo dare, quæ ab hominibus ipsi debentur. Ideo dicit Paulus : *Reddite omnibus debita : cui vectigal, vectigal; cui tributum, tributum; cui honorem, honorem.* (*Rom.* XIII, 7.) Tu vero cum audis : « Redde quæ sunt Cæsaris Cæsari, » de iis id solum intellige, quæ nihil pietatem lædunt, ita ut si lædant, jam non Cæsaris, sed diaboli tributum et vectigal sint. *Hæc audientes obticuerunt inviti, et sapientiam ejus admirati sunt.* (*Matth.* XXII, 22.) Ergo credere, ergo stupere oportebat. Nam divinitatis suæ demonstrationem exhibebat, cum secreta revelasset, et leniter ipsorum ora obstruxit. Quid igitur? Num crediderunt? Minime; sed ait, *dimittentes eum abierunt.* (*Ibid.*)

S. AUGUST., *Enarr. in psal.* LVII, t. IV.— Qui legit diligenter Evangelium, invenit unde illi (Judæi) ambas aures obturabant. Intendat charitas vestra : Dominus quid fecit? *Contrivit dentes eorum in ore ipsorum.* (*Psal.* LVII, 7.) Quid est, *in ore ipsorum?* Ut ore suo contra se pronuntiarent : coegit illos ore suo in se sententiam dicere. Calumniari volebant ei propter tributum : non dixit ille : Licet reddere tributum, aut non licet reddere. Et volebat dentes eorum, quibus inhiabant ut morderent, conterere, sed in ore ipsorum volebat. Si diceret, solvatur Cæsari tributum; calumniarentur illi quod maledixisset genti Judæorum, eam tributariam faciendo. Ex peccato enim tributum reddebant humiliati, sicut illis in lege prædictum erat. Tenemus illum, aiunt, maledictorem gentis nostræ, si nos jusserit tributum persolvere; si autem dixerit : Nolite solvere, tenemus eum quod contradixerit nobis devotos esse Cæsari. Talem bicipitem laqueum, quasi capiendo, Domino posuerunt. Sed ad quem venerant? Qui noverat conterere dentes eorum in ore ipsorum : *Ostendite mihi nummum*, inquit. (*Matth.* XXII, 19.) *Quid me tentatis, hypocritæ?* De tributo solvendo cogitatis? Justitiam facere vultis? Consilium justitiæ quæritis? « Si vere justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum. » Nunc autem quia alia loquimini, alia judicatis, hypocritæ estis : quid me tentatis? Nunc conteram dentes vestros in ore vestro : ostendite mihi nummum. Et demonstraverunt ei. Et ille non dicit : Cæsaris est; sed interrogat, cujus est? Ut eorum dentes in ore ipsorum conterantur.

Quærente quippe illo cujus haberet imaginem et inscriptionem, illi Cæsaris dixerunt. Jam nunc Dominus conteret dentes eorum in ore ipsorum. Jam respondistis, jam contriti sunt dentes vestri in ore vestro. Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, et Deo quæ Dei sunt. (*Ibid*, 21.) Quærit Cæsar imaginem suam, reddite : quærit Deus imaginem suam, reddite. Non perdat ex vobis Cæsar nummum suum : non perdat Deus in vobis nummum suum. Et illi non invenerunt quid responderent. Missi enim erant ut calumniarentur ei; et redierunt dicentes, quod nemo possit ei respondere. Unde? Quia contriti erant dentes eorum in ore ipsorum.

ISID., lib. III *De sum. bon.*— Magnum scelus est rem pauperum præstare divitibus, et de sumptibus inopum acquirere favores potentum; arenti terræ aquam tollere, et flumina qui non indigent, irrigare.

TRINITAS

[Ex SS. Patribus.]

S. JUSTIN., apolog. 1. — Christo cum credamus, dæmones — non modo bonos esse non dicimus, sed etiam malos et nefandos dæmones, qui ne hominibus quidem virtutis cupidis similes actiones habeant. Inde ortum ut athei appellaremur. Atque atheos quidem nos esse confitemur, si de opinatis ejusmodi diis agatur; secus vero si de verissimo illo, et justitiæ ac temperantiæ, ac cæterarum virtutum Patre, nulla admixto vitiositate Deo. Sed eum et Filium qui ab eo venit, ac nos ista docuit, et cæterorum qui illum assectantur, eique assimilati sunt, bonorum angelorum exercitum, et Spiritum propheticum colimus et adoramus, ratione et veritate venerantes, et ut quisque discere voluerit, citra invidiam, ut edocti sumus, impertientes.

TERTULL., *Lib contra Praxeam*, cap. 2.— Custodiatur sacramentum quæ unitatem in Trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Tres autem non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie; unius autem substantiæ, et unius status, et unius potestatis : quia unus Deus ex quo et gra-

Digitized by Google

dus isti, et formæ, et species, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti deputantur.

S. Clemens Alex., *Stromat.*, lib. v, vol. II.— Plato palam ac perspicue in ea quam ad Erastum et Coriscum scribit epistola, Patrem ac Filium, nescio quo pacto, ex Hebraicis litteris palam ac manifeste aperit, ubi sic eos hortatur : « Dum juratis, inquit, studio non illiberali, ac studii sorore doctrina mutuo conjuncti, per Deum ipsum rerum omnium sive præsentium, sive futurarum præsidem, nec non præsidis etiam principiique parentem Dominum juretis, quem quidem, si modo recte philosophabimini cognoscetis. » Idem ea quam in *Timæo* habet concione, artificem illum Patrem appellat, his verbis : « Vos qui deorum satu orti estis, attendite. Quorum operum ego parens effectorque sum. » Quare cum idem ita loquitur, « circa universorum Regem omnia sunt, ac propter ipsum omnia : idem bonorum omnium principium est. Ac circa secundum ea quæ secundo, circa tertium ea quæ tertio ordine continentur, cuncta versantur : » equidem ista nonnisi de sancta Triade accipio, et tertii quidem nomine Spiritum sanctum, secundi vero Filium intelligo, per quem ex Patris voluntate facta sunt omnia.

Origen., *Comment. in Epist. ad Rom.*, lib. VIII, t. IV. — Solus est Filius qui noverit Patrem, et solus est *Spiritus* sanctus qui *scrutatur omnia, etiam altitudinem Dei.* (*I Cor.* II, 10.) Et ideo hanc altitudinem Dei, quam et inscrutabilem dicit et investigabilem, creaturæ omni inscrutabilem et investigabilem dicit. (*Rom.* XI, 33.) De Filio vero et Spiritu sancto dicere ista non poterat, quia Filius in Evangelio dicit ad Patrem : *Pater, omnia mea tua sunt, et tua mea* (*Joan.* XVII, 10) ; et de Spiritu sancto ipse Paulus pronuntiat dicens : *Nemo enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est : ita et quæ in Deo sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei.* (*I Cor.* II, 11.) Vides ergo quod Paulus in præsenti capitulo in his quæ dicit : *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis illi consiliarius fuit?* (*Rom.* XI, 34 ; *I Cor.* II, 16), de creaturis dicat, naturam vero Trinitatis excipiat : quippe cui nihil sit cum creatura commune, nisi beneficentiæ opus. Sed et quod ait : *Quis illi consiliarius fuit?* non quasi minus ipse sufficiens consilio indigeret alterius, sed consilii participem nullum quidem inter creaturas esse pronuntiat. Consilium vero sapienti necessario in sapientia sua est, qui est Christus, et in sanctitate, qui est Spiritus sanctus.

Simili autem modo et *Quis prior dedit ei et retribuetur ei?* intelligendum est. Nemo enim aliquid factori suo prior contulit : quippe cum etiam hoc ipsum quod est, unusquisque a conditore susceperit. *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia*, convenit illis dictis quæ idem Apostolus in aliis memorat locis, cum dicit : *Unus Deus Pater ex quo omnia, et unus Dominus noster Jesus Christus per quem omnia* (*I Cor.* VIII, 6) ; et item in Spiritu Dei dicit revelari omnia, et per hæc designat in omnibus esse providentiam Trinitatis : ita et cum dicit : *altitudo divitiarum* (*Rom.* XI, 33), Patrem, ex quo omnia dicit esse, significat ; et sapientiæ altitudinem, Christum, qui est sapientia ejus, ostendit : et scientiæ altitudinem, Spiritum sanctum, qui etiam alta Dei novit, declarat. Verumtamen quod dicit, *Ex ipso*, hoc ipsum quod sumus indicat : *Per ipsum* autem, quod per ejus providentiam dispensamur in vita : *In ipso* vero, quod perfectio omnium et finis in ipso erit tunc cum erit Deus omnia in omnibus : et tunc *ipsi gloria, in sæcula sæculorum : Amen.* (*Rom.* XI, 36.) *In sæcula*, propter hoc quod perfectio omnium non intra unum sæculum concluditur, sed in multa protenditur, et vix aliquando adimplenda speratur. Jungit autem et Amen, ut intelligamus per illum ad istam beatitudinem veniendum, de quo scriptum est in *Apocalypsi* (III, 14) : *Hæc dicit qui est : Amen.*

S. Gregor. Naz., orat. 20, t. I.—Jam de Deo paucis disseramus, ipsius Patris Filiique et sancti Spiritus, de quibus verba facturi sumus, auxilio freti atque subnixi. Optarim autem idem mihi contingere, quod Salomoni, hoc est ut de Deo nihil meum ac proprium vel cogitem, vel loquar. Nam cum his verbis utitur : *Stultissimus sum omnium hominum, et prudentia hominis non est in me.* (*Prov.* III, 22.) Haudquaquam scilicet hæc eo dicit, quod stoliditatis seipsum condemnet ; (qui enim istud, cum eam præ aliis omnibus rebus a Deo postulasset, ac sapientiam et contemplationem, et cordis latitudinem arena maris uberiorem, atque copiosiorem accepisset?) hoc vult nimirum, propriam se nullam prudentiam habere, sed divina et perfectiori sapientia afflari. Siquidem et Paulus cum aiebat : *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus.* (*Galat.* XI, 20.) Non utique de seipso, tanquam de mortuo, loquebatur, sed tanquam de eo qui præstantiorem quam vulgus mortalium soleat, vitam ageret, utpote qui veræ vitæ, nulloque mortis fine circumscriptæ, particeps esset.

Patrem igitur, et Filium, et Spiritum sanctum adoramus, proprietates quidem distinguentes, divinitatem autem copulantes : neque aut tria in unum contrahimus, ne Sabellii morbo laboremus ; aut rursus in tria diversa et aliena separamus, ne in Arii furorem incidamus. Quid enim necesse est ut, velut plantam in alteram partem propendentem, ad alteram partem per vim inflectamus, ac distortionem per distortionem corrigamus, non autem potius eam ad medium dirigentes, intra pietatis fideique orthodoxæ fines consistamus?

Porro cum medium dico, veritatem dico, quam recte solam præ oculis propositam habemus. Repudiamus itaque tum malam contractionem, tum hac absurdiorem divi-

Digitized by Google

sionem; ne, vel ob multitudinis deorum metum, in unam personam contracta oratio, nuda nobis et inania nomina relinquat, unum videlicet et eumdem Patrem ac Filium et Spiritum sanctum existimantibus, ac non magis hæc omnia unum, quam unumquodque nihil esse statuentibus (desierint enim id esse quod sunt, inter se mutuo transeuntia et migrantia); vel rursus in tres, aut peregrinas et dispares atque distractas naturas separata, juxta Arii recte nominatum furorem, aut principatus expertes et inordinatas, divinitatique, ut sic loquar, contrarias; partim in Judaicam quamdam parcitatem concludatur, si ingenito solo divinitatem circumscribamus, partim in oppositum quidem, non minus tamen perniciosum malum provolvatur, si tria principia tresque deos constituerimus, quod superiori etiam errore absurdius est. Nam profecto, nec quosdam ita Patris amantes esse oportet, ut illi quod Pater sit adimant; cujus enim Pater fuerit, si Filius ab eo natura diversus dicatur, atque una cum reliquis creaturis abalienetur? Nec rursus ita Christi amantes, ut ne Filii quidem nomen ei integrum servent; cujus enim, quæso, Filius fuerit, nisi ad Patrem tanquam ad principium, referatur? Nec denique Patri principii dignitatem imminuere, quam ut Pater et genitor habet; parvorum etenim certe, ipsoque indignorum principium fuerit, nisi deitatis ejus, quæ in Filio et Spiritu sancto consideratur, causa sit. Quandoquidem et unus Deus retinendus est, et tres hypostases, sive tres personæ confitendæ, et quidem unaquæque cum sua proprietate.

Sic enim, mea quidem sententia, Deus unus retinebitur, si Filium et Spiritum sanctum ad unam causam referamus, non autem componamus, nec commisceamus; et si unam atque eamdem divinitatis, ut ita loquar, motionem et voluntatem, essentiæque identitatem intelligamus. Tres autem personas ita tenebimus, si nulla commixtio, aut resolutio, aut confusio excogitetur, ne alioqui universum per eos evertatur, qui impensius, quam par sit, unitatem extollunt.

Postremo ita nobis proprietatum ratio constabit, si Patrem quidem, et principii expertem, et principium cogitemus ac prædicemus (principium, inquam, ut causam et ut fontem, lumenque sempiternum); Filium vero, minime quidem principii expertem, omnium autem rerum principium asseramus; principium porro cum dico, ne tempus interjicias, nec inter genitorem et genitum medium aliquid constituas, nec per id quod inter ea quæ eamdem æternitatem habent, et conjuncta sunt, male interponis, naturam dividas. Nam si tempus Filio est antiquius, illius proculdubio primum Pater causa fuerit necesse est.

Quod si ita est, quo tandem modo *temporum factor* erit (*Hebr.* I, 2), qui sub tempus cadit? Quo item modo *Dominus omnium*, (*Rom.* X, 12), si eum tempus præcesserit, eique dominetur? Principii igitur expers est Pater; nec enim aliunde, sed a se ipso esse habet.

Filius autem, siquidem Patrem ut causam accipias, nequaquam principio caret; principium enim Filii Pater est, ut causa: sin de tempore principium intellexeris, principii quoque omnis est expers. Neque enim temporum Dominus tempori subjectus est.

Quod si, quia corpora tempori subjacent, idcirco Filium quoque tempori subesse statuas, tunc rei incorporeæ corpus attribues; et si, quoniam ea quæ apud nos gignuntur, cum ante non essent, postea orta sunt, ideo Filium quoque necessario ex nihilo in rerum naturam prodiisse contendis, comparas ea quæ comparationem omnem respuunt, Deum nempe et hominem, corpus et id quod corpore vacat. Ergo et patietur, et dissolvetur atque interibit, quemadmodum et nostra corpora.

Tu quidem idcirco Deum ita generari censes, quod corpora ita generentur. Ego vero ob id non ita gigni affirmo, quod ea sit corporum gignendorum ratio (quorum enim natura diversa est, horum dispar quoque generandi modus) nisi eum in omnibus aliis quoque rebus corporeæ materiæ serviro contendas, hoc est, ut patiatur, et in mœrore versetur, et fame ac siti laboret, omnes denique eas affectiones, quibus, vel corporis, vel conjunctim utriusque partis natura subjecta est, experiatur. Hæc enim vero mens tua non admittit. De Deo quippe sermo est. Ne tu igitur generationem aliter quam ut divinam admitte.

Verum si generatus est, inquis, quomodo generatus est? Responde tu quoque mihi, o acute et invicte, sophista. Si creatus est, quomodo creatus est? Ac postea ex me sciscitare quomodo generatus sit? Passio est, inquies, circa generationem? Est et passio etiam, inquam ego, circa creationem. (An non enim passionis rationem habet informatio, et cura, et ejus rei quæ tota simul ac repente cogitata est, in partes extensio?) Tempus, addes, circa generationem? In tempore etiam sunt quæ creantur. Locus illic? Hic quoque locus. Spei frustratio circa generationem? Creatio quoque interdum spem frustratur. Hæc a vobis disserentibus audivi; etenim quæ mens delineavit, ea plerumque manus perficere non potuit. At dices: Verbo et voluntate omnia condidit: *Ipse* enim *dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt.* (*Psal.* CXLVIII, 5.) Atqui, cum ais omnia Dei verbo creata fuisse, non humanam scilicet creationem inducis; nec enim quisquam nostrum, ea quæ fiunt, verbo efficit. Nihil quippe nobis sublimius ac præstantius esset, minusque laboriosum, si sermone solo aliquid conficere possemus.

Quamobrem et si Deus ea quæ creantur verbo creat, non tamen humana est ejus creandi ratio. Aut enim hominem quoque

Digitized by Google

sermone aliquid efficientem ostende : aut mihi concede Deum non humano more creare. Quod si secus existimas, age, voluntate civitatem describe, et statim civitas repræsentetur. Opta tibi filium nasci, et protinus tibi puer existat. Velis aliud quidpiam eorum quæ manibus efficiuntur, et confestim voluntas in opus prodeat. Quod si quidem nihil horum voluntatem nostram sequatur, Dei vero voluntas actio sit ; perspicuum utique est, alio quidem modo hominem creare, alio autem rerum omnium creatorem Deum. Quæ igitur est hæc ratio, ut cum Deus alio quam humano more procreet, humano tamen more gignere cogatur? Tu quidem, cum prius non esses, deinde factus es, postea gignis ; ac proinde, cum qui non erat, in rerum naturam producis. Aut, ut profundius aliquid dicam, fortasse ne ipse quidem ex nihilo producis ; quandoquidem et *Levi*, ut ille ait, *adhuc in lumbis patris erat, antequam in lucem prodiret.* (*Hebr.* VII, 10.) Nec vero quisquam huic orationi calumniam conflet. Non enim Filium ita ex Patre existere dico, quasi in Patre prius quidem fuerit, postea autem in esse prodierit. Neque enim imperfectum prius, ac postea perfectum dico, quemadmodum fert lex nostræ generationis.

Hæc sunt eorum qui obtrectatione et calumniis gaudent : hæc eorum qui adversus omnia quæ dicuntur prompte insiliunt. Nos autem non ita sentimus, non ita censemus : verum hoc docemus et profitemur, quod simul atque Pater ingenito modo erat (semper autem erat, nec enim eum aliquando non fuisse concipit mens nostra, quantumvis se altissime efferat). Et Filius quoque per generationem erat ; ita ut Patris essentia concurrat cum unigeniti generatione, qui ex ipso quidem est, non autem post ipsum, aut saltem sola principii cogitatione. Principium vero hic pro causa accipio. Identidem enim eadem verba repeto, ut animi tui hebetudini et crassitiei occurram. Quod si curiosius non scruteris, Filii sive generationem dicere convenit, sive substantiam, sive quod aliud vocabulum magis proprium atque oppositum cuipiam in mentem venit (linguam enim meam superat id quod cogito ac dico), ne quoque Spiritus sancti processionem anxie inquire.

Mihi audire satis est : quod Filius est, et quod ex Patre ; tum quod ille Pater est, hic Filius : nihil præter ea investigo ac perscrutor ; ne mihi idem quod vocibus accidat, quæ immodica contentione franguntur, ac prorsus concidunt, aut idem quod oculis adversum solem intuentibus. Nam quo quis amplius et accuratius eum cernere cupit, eo magis sensum lædit, ac ideo etiam quoquo modo cernendi facultate privatur, quia nimirum id quod cernitur, oculorum aciem superat cum quispiam totum conspicere voluerit, ac non quantum tuto cernere licet.

Quocirca si quid mihi obtemperas, hoc est, theologo minime audaci, ut nonnulla jam percepisti, ita etiam ea quæ supersunt, ut percipias roga. Ea parte quæ in te manet, contentus esto : altera in supernis thesauris recondita maneat. Per vitæ probitatem ascende : per purgationem eum qui purus est adipiscere. Vis theologus aliquando fieri ac divinitate dignus? Serva mandata ; per Dei præcepta incede : actio enim gradus est ad contemplationem ; ex corpore operam animæ nava. An quisquam est mortalium, qui ad eam sublimitatem efferri possit, ut ad Pauli mensuram perveniat? At ille tamen *videre se per speculum et ænigma* dicit (*I Cor.* XIII, 12), tempusque affore, quo facie ad faciem visurus sit. Tu ne aliis quidem in disputando sublimior? At Deo haud dubie inferior es? Tu ne aliis fortasse acutior et perspicacior? At certe veritate tanto posterior es, quanto essentia Dei essentiam tuam antecellit.

Pollicitationem habemus fore ut aliquando *tantum cognoscamus*, quantum cogniti sumus. (*I Cor.* XIII, 12.) Si fieri non potest ut perfectam in hac vita rerum cognitionem assequamur, quid mihi reliquum est? Quid in spe positum? Regnum cœlorum, proculdubio inquies. Atqui illud nihil aliud esse existimo, quam ejus quod purissimum et perfectissimum est adoptionem. Perfectissima porro rerum omnium est Dei cognitio. Verum eam partim teneamus, partim, quandiu in terra versamur, percipere studeamus, partim in futurum ævum reservemus, ut hunc laboris industriæque nostræ fructum habeamus, nimirum totam sanctæ Trinitatis illuminationem, quæcunque tandem, et qualis et quanta illa sit, si ita loqui fas est, in ipso Christo Domino nostro.

S. GREG. Naz., orat. 40. — Ante omnia, *bonum depositum custodi* (*II Tim.* I, 14), cui vivo, et pro quo milito, et quod utinam me ex hac vita discedentem comitetur, cum quo et omnes vitæ molestias perfero, et jucunditates omnes contemno ac pro nihilo duco ; fidem, inquam, et confessionem in Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Hanc tibi hodierno die committo ; cum hac te et lustricis aquis immergam et in altum extraham. Hanc tibi do totius vitæ sociam et patronam, unam deitatem et potentiam, quæ in tribus conjunctim invenitur et tria divisim comprehendit, nec substantiis aut naturis inæqualis est, nec præstantiis aut submissionibus augetur, vel minuitur, sed undequaque æqualis est, undequaque eadem, non secus ac una cœli pulchritudo et magnitudo : trium infinitorum infinitam conjunctionem, Deum unumquemque, si separatim consideretur, ut Patrem sic Filium, ut Filium sic et Spiritum sanctum, servata sua cuique proprietate : Deum rursus tria hæc, si simul cogitentur ; illud, propter eamdem essentiam : hoc, propter unum principatum. Vix unum animo concepi, cum statim tribus circumfulgeo. Vix tria distinguere incipio, cum ad unum reducor. Si unum quodpiam trium appareat, id totum mihi

Digitized by Google

esse videtur, atque implentur oculi, majorque etiam pars oculorum aciem fugit. Hujus magnitudinem comprehendere nequeo, ut ei quod reliquum est, plus tribuam : quod si rursus tria hæc animi consideratione contraxero, unum splendorem cerno, utpote qui lumen unitum distinguere aut dimetiri nequeam.

S. Greg. Naz., orat. 31.—Solem, et radium, et lucem cogitavi ; verum hic metuendum est ; primum ne incompositæ naturæ compositio quædam excogitetur, quemadmodum solis, et eorum quæ soli insunt ; deinde, ne Patri quidem essentiam tribuamus, reliquos autem subsistere negemus, sed facultates quasdam Dei constituamus, quæ ipsi quidem insint, non autem per se subsistant. Neque enim radius, aut lux, alii soles sunt, sed solis velut rivi quidam, et substantiales qualitates. Ac præterea, ne simul et esse, et non esse, Deo in his demus (quantum ex hoc exemplo colligi potest), id quod superioribus etiam absurdius fuerit. Quin etiam aliquem audivi hujusmodi similitudinem adumbrantem. Fingebat splendorem quemdam solarem parieti affulgentem, atque ex aquarum motu tremiscentem, quem, cum radius per intermedium aerem susceperit, postea solido ac renitente corpore repressus, mirabilis quædam subsaltatio exsistit. Multis enim crebrisque agitationibus subsilit, ita ut non magis unum sit, quam multa, nec rursus magis multa, quam unum ; ac tanta celeritate coit vicissim et dissociatur, ut priusquam oculis teneatur, fuga se proripiat.

Sed ne hoc quidem ipse constituere possum : primum, quoniam quid splendori illi motum afferat, admodum perspicuum est : at Deo nihil antiquius est, quod ipsi motum dederit. Ipse quippe omnium causa est, nec antiquiorem causam habet. Deinde quod hic earumdem rerum suspicio occurrit, nimirum compositionis, diffusionis, incertæque et instabilis naturæ, quarum nihil de divinitate cogitandum est. In summa nihil est in quo mens mea gradum figere queat, dum quod imaginor, in exemplis considero ; ni forte quispiam ea animi æquitate sit, ut, cum unum aliquid ex proposita imagine acceperit, reliqua projiciat. Postremo itaque hoc mihi consultissimum visum est, ut missis factis imaginibus illis, atque umbris, ut fallacibus, plurimumque a veritate remotis, piam ipse cogitationem fidemque mordacius retineam, atque in paucis verbis insistens, duceque Spiritu sancto utens, quemque hic splendorem accepi, hunc ad extremum usque, tanquam fidum socium et congerronem, custodiens, ævum hoc trajiciam, aliosque pro viribus adducam, ut Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum adorent, unam divinitatem ac potentiam : quoniam ipsi omnis gloria, honor, imperium in sæcula sæculorum.

Idem, orat. 32.— Meditare tu quidem, atque animo versare in rebus divinis, cæterum intra fines te continens. Loquere tu quidem ea quæ sunt Spiritus, ac si fieri potest, ne aliud quidem quidquam loquere ; imo etiam crebrius loquere, quam respires (pulchrum enim ac divinum est per divinarum rerum commemorationem ad Dei amorem perpetuo exstimulari) ; sed ita, ut ea quæ tibi imperata sunt, cogites. Ne Patris naturam anxiæ inquiras, Unigeniti ortum, Spiritus sancti gloriam et potentiam ; unam, inquam, et eamdem in tribus personis deitatem et claritatem, individuam illam naturam, ac confessionem, et gloriam et credentium spem. Verba ea, quibus simul cum lacte imbutus es, mordicus retine : sermonis autem et disputationis curam eruditionibus manda. Satis superque tibi est fundamentum habere : superstruat architectus. Sufficit tibi cor pane fulcire : obsonia copiosis et locupletibus relinque. Nemo sanus ac prudens te accusabit, si splendide ac magnifice cœnam non instruxeris : verum si, vel Christi discipulo, vel cuipiam alii panem non apposueris, aut aquæ poculum non porrexeris, cum id tibi per facultates tuas liceat, tum demum jure ac merito condemnaberis. *Noli celer esse in verbis* (*Eccli.* v, 1), admonet Sapiens ; nec inopia laborans, te cum locuplete compara, nec sapientibus sapientior esse affecta. Sapientiæ quoque genus est se ipsum nosse, ac non immodice afferri, eodemque modo, quo voces, affici ; quæ, si vehementius contendantur, propter excessum omnino deficiunt. Præstat, cum doctus sis, ob mansuetudinem et animi æquitatem consulte cedere, quam cum eruditione careas, per insolentiam ac temeritatem altius efferri. Celeritas tua usque ad fidei confessionem progrediatur, si quando a te poscitur ; ultra eam autem timidiorem te esse velim. Nam ut illic tarditas, ita hic festinatio periculosa est.

Idem, orat. 23. — Ego unam vocem, eamque brevem et compendiosam, habeo. Trinitas vere Trinitas est, fratres. Trinitas porro non inæqualium rerum enumeratio est (quid enim alioqui prohibeat quin et decadem, et centuriam, ac myriadem nominemus, si cum tot numeris componatur ? Multa quippe, multoque his plura in numerum cadunt) ; sed æqualium et honore parium complexio, cum scilicet nomen ea quæ natura unita sunt, connectat, nec quæ solutionem nesciunt, defluente numero, dissipari sinat.

Sic sentimus, sic animo affecti sumus, ita tamen ut quam relationem atque ordinem hæc inter se habeant, Trinitati ipsi soli, ac purgata mente hominibus, quibus, vel in hac vita, vel in posterum Trinitas id patefecerit, noscendum relinquamus. Nos autem unam et eamdem deitatis naturam tenemus, quæ ex principii experte, et generatione, et processione agnoscitur, quemadmodum id quod nobis inest, mente, sermone ac spiritu intelligitur (quantum quidem ex sensibilibus, ea quæ animo et ratione intelliguntur, atque ex parvis maxima conjicere possumus, quandoquidem nulla imago veritatem assequi potest), ipsam secum concordem, semper eamdem, semper

Digitized by Google

perfectam, qualitatis, quantitatis, temporis expertem, increatam, atque ejusmodi, ut nec ei quidquam unquam defuerit, nec defuturum sit, incomprehensibilem, nunquam se deserentem, nec deserturam : vitas et vitam, lumina et lumen, bona et bonum, glorias et gloriam, verum et veritatem, ac spiritum veritatis, sancta et ipsammet sanctitatem : Deum unumquodque, si separatim consideretur, mente videlicet, ea quæ separari nequeunt, separante : Deum rursus hæc tria, si quidem simul intelligantur, ob eumdem motum et eamdem naturam ; eam rationem habentem, ut nec supra se quidquam reliquerit, aut aliud quidquam superarit ; nihil enim erat : nec rursus quidquam post se relictura aut superatura sit ; nihil enim futurum est : nec denique secum aliquid æquale admittat ; nihil enim est ex omnibus rebus creatis, et servis, et participantibus, ac circumscriptis, quod increatam illam, et dominatam, et participatam, atque infinitam naturam assequatur. Verum alia longo prorsus ab ea intervallo distant, alia propius quodammodo ad eam accedunt atque accessura sunt ; idque non vi naturæ, sed gratiæ, nempe cum servitus Trinitati recte præstita, supra servitutem assurrexerit : nisi tamen hoc quoque ipsum libertas et regnum est, dominationem probe agnoscere, nec ea, quæ inter se distincta sunt, per animi abjectionem confundere ac permiscere. Porro quibus tantum, tamque honorificum est serviisse, quanta tandem horum dominatio censenda est ? Et cum cognitio ipsa beatitudo sit, quantum, quæso, illud est, quod cognoscitur ?

Hoc nobis magnum illud mysterium vult ; hoc nostra in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, ac commune nomen, fides et regeneratio, atheiæ abjuratio et deitatis confessio. Nam hoc commune illud nomen est. Quocirca trium aliquid contemnere, aut separare, confessionem ipsam contemnere est, hoc est, regenerationem, divinitatem, deificationem, spem. Videte qualia Spiritus nobis, cum Deum ipsum prædicamus, largiatur ; et quibus rebus nos mulctet, cum spernitur ac rejicitur. Mitto enim dicere terrorem atque iram, cujus minæ non in cultores, sed in contemptores intenduntur. Atque hæc nobis ad vos breviter, non disputandi, sed docendi modo, non Aristotelico sed piscatorio ; non improbe ac veteratorie, sed spiritualiter ; non circumforaneo, sed concionatorie et ecclesiastice ; non ad ostentationem, sed utiliter dicta sint : ut qui adversum nos concionos habetis, et publicis conventibus vos ipsos jactatis, atque in hoc uno concordes estis, non idem sentire, eodem modo inspirari, idem spirare intelligatis ; nec, ut qui fame premuntur, exigua nostra, sive peccata, sive ludicra dicenda sunt, colligatis, atque in vulgus spargatis. Extremæ quippe miseriæ est, non propriis viribus, sed aliorum imbecillitate niti atque confidere.

En mutuas dextras, inspectantibus vobis, jungimus. En quid Trinitas quam nos æque celebramus et adoramus, effecerit. Hoc vos benigniores rectiusque de religione sentientes efficiet. Utinam sane exaudiamur, atque hic dies qui vocatur sanctus, fiat dies non contradictionis, sed latitudinis ; non tentationis monumentum, sed triumphale festum ; ut mutua nostra concordia, totiusque pene terrarum orbis, qui partim jam ante sanus erat, partim sanitatem nunc recepit, partim sanus esse incipit, vobis quoque salutis atque instaurationis causa sit ! O sancta et adoranda, et longanimis Trinitas ! Longanimis enim es, quæ eos, a quibus scinderis, tandiu toleras. O Trinitas, cujus ego, ut cultor ac sincerus præco essem, jampridem dignus habitus sum ! O Trinitas omnibus aliquando, vel per illuminationem, vel per pœnam agnoscenda ! Utinam hos quoque, qui nunc contumeliis te afficiunt, adoratores accipias, nec quemquam, ne ex minimis quidem amittamus, vel etiam si mihi propterea aliqua gratiæ jactura facienda sit : non enim tantum dicere audeo, quantum Apostolus. (*Rom.* IX, 3.)

S. Ambros., *Enarr. in psal.* XXXV, t. I.—*Quoniam apud te est fons vitæ ; et in lumine tuo videbimus lumen. Prætende misericordiam tuam scientibus et justitiam tuam iis qui recto sunt corde.* (*Psal.* XXXV, 10, 11.)—Idem est splendor gloriæ Dei Patris, et imago substantiæ ejus ; et ideo in lumine ejus vero quod illuminat omnem venientem in hunc mundum, videbimus, inquit, Patrem ; quia Deus lux est. Recte etiam dicitur : *In lumine tuo videbimus lumen*, secundum illud : *Qui me videt videt et Patrem meum.* (*Joan.* XIV, 6.) Apud te ergo, fons vitæ, præsentem videbimus Patrem. Sicut enim tu apud Patrem eras in principio Deus Verbum : ita apud te semper est Pater, qui in te est. Est enim apud ipsum in quo est. Prophetatur autem adventus Domini Salvatoris, qui venturus in terram diceret : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30), id est unum sumus lumen, sicut unum nomen. Per luminis et nominis unitatem ambo unum sumus, imo Trinitas unum in unitate substantiæ, sed distinctione uniuscujusque personæ. Trinitas distinctionem significat personarum, unitas potestatem. Potest et ad Patrem dici : Quoniam apud te est fons vitæ, id est in te ex quo vita processit, erat Verbum, et semper erat ; quia apud te erat. Omnia per ipsum et in ipso facta sunt : et ipse est vita universorum ; et ipse te nobis manifestavit, ut corda hominum ad cognitionem tuæ majestatis illuminentur.

S. August., *De Trinitate.* lib. XV, t. VIII. —Lecturus hæc quæ de Trinitate disserimus, prius oportet ut noverit stilum nostrum adversus eorum vigilare calumnias, qui fidei contemnentes initium, immaturo et perverso rationis amore falluntur. Quorum nonnulli ea quæ de corporalibus rebus, sive per sensus corporeos experta noverunt, sive quæ natura humani ingenii et diligentiæ vivacitate, vel artis adjutorio

Digitized by Google

percepierunt, ad res incorporeas et spiritales transferre conantur, ut ex his illas metiri atque opinari velint. Sunt item alii qui secundum humani animi naturam vel affectum de Deo sentiunt, si quid sentiunt, et ex hoc errore, cum de Deo disputant, sermoni suo distortas et fallaces regulas ligunt. Est item aliud hominum genus, eorum qui universam quidem creaturam, quæ profecto mutabilis est, nituntur transcendere, ut ad incommutabilem substantiam quæ Deus est, erigant intentionem; sed mortalitatis onere prægravati, cum et videri volunt scire quod nesciunt, et quod volunt scire non possunt, præsumptiones opinionum suarum audacius affirmando, intercludunt sibimet intelligentiæ vias, magis eligentes sententiam suam non corrigere perversam, quam mutare defensam.

Et hic quidem omnium morbus est trium generum quæ proposui; et eorum scilicet qui secundum corpus de Deo sapiunt: et eorum qui secundum spiritalem creaturam, sicuti est anima; et eorum qui neque secundum corpus, neque secundum spiritalem creaturam, et tamen de Deo falsa existimant, eo remotiores a vero, quo id quod sapiunt, nec in corpore repetitur, nec in facto et condito Spiritu, nec in ipso Creatore. Qui enim opinatur Deum, verbi gratia, candidum vel rutilum, fallitur; sed tamen hæc inveniunt in corpore. Rursus qui opinatur Deum nunc obliviscentem, nunc recordantem, vel si quid hujusmodi est, nihilominus in errore est; sed tamen hæc inveniuntur in animo. Qui autem putat ejus esse potentiæ Deum, ut se ipsum ipse genuerit, eo plus errat quod solum Deus ita non est, sed nec spiritalis nec corporalis creatur: nulla enim omnino res est quæ se ipsam gignat ut sit.

S. August., *De Trinitate* lib. xv, t. VIII, — Volentes in rebus ad cognoscendum eum a quo factæ sunt, exercere lectorem, jam pervenimus ad ejus imaginem, quod est homo, in eo quo cæteris animalibus antecellit; id est ratione vel intelligentia, et quidquid aliud de anima rationali vec intellectuali dici potest, quod pertineat ad eam rem quæ mens vocatur vel animus. Quo nomine nonnulli auctores linguæ Latinæ, id quod excellit in homine, et non est in pecore, ab anima quæ inest et pecori, suo quonam loquendi more distinguunt. Supra hanc ergo naturam si quærimus aliquid, et verum quærimus, Deus est natura scilicet non creata, sed creatrix. Quæ utrum sit Trinitas, non solum credentibus, divinæ Scripturæ auctoritate; verum etiam intelligentibus, aliqua, si possumus, ratione jam demonstrare debemus. Cur autem, si possumus, dixerim, res ipsa cum quæri disputando cœperit, melius indicabit.

Idem, *ibid.* — Deus quippe ipse quem quærimus adjuvabit, ut spero, ne sit infructuosus labor noster, et intelligamus quemadmodum dictum sit in psalmo sacro: *Lætetur cor quærentium Dominum; quærite Dominum, et confirmamini; quærite faciem ejus semper.* (*Psal.* cv, 3.) Videtur enim quod semper quæritur, nunquam inveniri, et quomodo jam lætabitur, et non potius constristabitur cor quærentium, si non potuerint invenire quod quærunt? Non enim ait: Lætetur cor invenientium, sed *quærentium Dominum*, et tamen Dominum Deum inveniri posse, dum quæritur, testatur Isaias propheta, dum dicit: *Quærite Dominum, et mox ut veneritis, invocate eum; et cum appropinquaverit vobis, derelinquat impius vias suas, et vir iniquus cogitationes suas.* (*Isa.* lv, 6.) Si ergo quæsitus inveniri potest, cur dictum est: *Quærite faciem ejus semper?* An et inventus forte quærendus est? Sic enim sunt incomprehensibilia requirenda ne se existimet nihil invenisse, qui quam sit incomprehensibile quod quærebat, potuerit invenire.

Cur ergo si quærit, si incomprehensibile comprehendit esse quod quærit, nisi quia cessandum non est, quandiu in ipsa incomprehensibilium rerum inquisitione proficitur et melior meliorque fit quærens tam magnum bonum, quod et inveniendum quæritur, et quærendum invenitur? Nam et quæritur ut inveniatur dulcius, et invenitur ut quæratur avidius. Secundum hoc accipi potest quod dictum est in libro Ecclesiastico dicere sapientiam: *Qui me manducant adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient.* (*Eccli.* xxiv, 29.) Manducant enim et bibunt, qui invenient; et quia esuriunt ac sitiunt, adhuc quærunt. Fides quærit, intellectus invenit: propter quod ait propheta: *Nisi credideritis, non intelligitis.* (*Isa.* vii, 9.) Et rursus intellectus eum quem invenit adhuc quærit. *Deus* enim *respexit super filios hominum*, sicut in psalmo sacro canitur, *ut videret si est intelligens aut requirens Deum.* (*Psal.* xiii, 2.) Ad hoc ergo debet homo esse intelligens, ut requirat Deum.

Idem, *ibid.*—Satis itaque remorati fuerimus in iis quæ Deus fecit, ut per ea cognosceretur ipse qui fecit: *Invisibilia* enim *ejus a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* (*Rom.* i, 20.) Unde arguuntur in libro *Sapientiæ, qui de iis quæ videntur bona, non potuerunt scire eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt artificem, sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut violentiam aquarum, aut luminaria cœli, rectores orbis terrarum deos putaverunt: quorum quidem si specie delectati hæc deos putaverunt, sciant quanto Dominator eorum melior est. Speciei enim generator ea creavit. Aut si virtutem et operationem eorum mirati sunt, intelligant ab his quanto qui hæc constituit fortior est. A magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterat horum Creator videri.* (*Sap.* xiii, 1 seq.) Hæc de libro Sapientiæ propterea posui, ne me fidelium quispiam frustra et inaniter existimet in creatura prius per quasdam sui generis Trinitates quodammodo gradatim, donec ad mentem hominis pervenirem, quæsiisse in-

Digitized by Google

dicia summæ illius Trinitatis quam quærimus, cum Deum quærimus.

Sed quoniam disserendi et ratiocinandi necessitas per quatuordecim libros multa nos dicere compulit, quæ cuncta simul aspicere non valemus, ut ad id quod apprehendere volumus, ea celeri cogitatione referamus : faciam quantum, Domino adjuvante, potuero, ut quidquid in singulis voluminibus ad cogitationem disputatione perduxi, remota disputatione breviter congeram, ut tanquam sub uno mentis aspectu, non quemadmodum res quæque persuasit, sed ipsa quæ persuasa sunt ponam : ne tam longe sint a præcedentibus consequentia, ut oblivionem præcedentium faciat inspectio consequentium ; aut certe, si fecerit, cito possit quod exciderit relegendo recolligi.

In primo libro, secundum Scripturas sacras unitas et æqualitas summæ illius Trinitatis ostenditur. In secundo, et tertio, et quarto eadem : sed de Filii missione et Spiritus sancti diligenter quæstio pertractata tres libros fecit ; demonstratumque est non ideo minorem mittente qui missus est, quia ille misit, hic missus est, cum Trinitas, quæ per omnia æqualis est, pariter quoque in sua natura immutabilis et invisibilis, et ubique præsens inseparabiliter operetur.

In quinto, propter eos quibus ideo videtur non eamdem Patris et Filii esse substantiam, quia omne quod de Deo dicitur, secundum substantiam dici putant, et propterea gignere et gigni, vel genitum esse et ingenitum, quoniam diversa sunt, contendunt substantias esse diversas, demonstratur non omne quod de Deo dicitur secundum substantiam dici, sicut secundum substantiam dicitur bonus et magnus, et si quid aliud ad se dicitur ; sed dici etiam relative, id est non ad se, sed ad aliquid quod ipse non est ; sicut Pater ad Filium dicitur, vel Dominus ad creaturam sibi servientem : ubi si quid relative, id est ad aliquid quod ipse non est, etiam ex tempore dicitur, sicuti est, *Domine, refugium factus es nobis* (*Psal.* LXXXIX, 1), nihil ei accidere quo mutetur, sed omnino ipsum in natura vel essentia sua immutabilem permanere.

In sexto, quomodo dictus sit Christus ore Apostolico, *Dei virtus et Dei sapientia* (*I Cor.* II, 24), sic disputatur eadem quæstio diligentius retractanda : utrum a quo est genitus Christus, non sit ipse sapientia, sed tantum sapientiæ suæ pater, an sapientia sapientiam genuerit. Sed quodlibet horum esset, etiam in hoc libro apparuit Trinitatis æqualitas, et non Deus triplex, sed Trinitas : nec quasi aliquid duplum esse Patrem et Filium ad simplum Spiritum sanctum ; ubi nec tria plus aliquid sunt quam unum horum. Disputatum est etiam quomodo possit intelligi, quod ait Hilarius episcopus : *Æternitas in Patre, species in imagine, usus in munere.*

In septimo, quæstio quæ dilata fuerat, explicatur, ita ut Deus qui genuit Filium, non solum sit Pater virtutis et sapientiæ suæ, sed etiam ipse virtus atque sapientia ; sic et Spiritus sanctus : nec tamen simul tres sint virtutes, aut tres sapientiæ, sed una virtus et una sapientia, sicut unus Deus et una essentia. Deinde quæsitum est quomodo dicantur una essentia, tres personæ, vel a quibusdam Græcis una essentia, tres substantiæ ; et inventum est elocutionis necessitate dici, ut aliquo uno nomine enuntiarentur, cum quæritur, quid tres sint, quos tres esse veraciter confitemur, Patrem scilicet, et Filium, et Spiritum sanctum.

In octavo, ratione etiam reddita intelligentibus, clarum est in substantia veritatis, non solum Patrem Filio non esse majorem, sed nec ambos simul aliquid majus esse quam solum Spiritum sanctum, aut quoslibet duos in eadem Trinitate majus esse aliquid quam unum, aut omnes simul tres, majus aliquid esse quam singulos. Deinde per veritatem quæ intellecta conspicitur, et per bonum summum a quo est omne bonum, et per justitiam propter quam diligitur animus justus ab animo etiam nondum justo, ut natura non solum incorporalis, verum etiam incommutabilis quod est Deus, quantum fieri potest, intelligeretur, admonui ; et per charitatem, quæ in Scripturis sanctis Deus dicta est (*I Joan.* IV, 16), per quam cœpit utcunque etiam Trinitas intelligentibus apparere, sicut sunt amans et quod amatur, et amor.

In nono, ad imaginem Dei, quod est homo secundum mentem pervenit disputatio : et in ea quædam Trinitas invenitur, id est mens, et notitia qua se novit, et amor quo se, notitiamque suam diligit ; et hæc tria æqualia inter se, et unius ostenduntur esse essentiæ.

In decimo, hoc idem diligentius subtiliusque tractatum est, atque ad id perductum ut invenirentur in mente evidentior Trinitas ejus, in memoria scilicet et intelligentia et voluntate. Sed quoniam et hoc compertum est, quod mens nunquam esse ita potuit ut non sui meminisset, non se intelligeret, et diligeret, quamvis non semper se cogitaret, cum autem cogitaret, non se a corporalibus rebus eadem cogitatione discerneret ; dilata est de Trinitate, cujus hæc imago est, disputatio, ut in ipsis etiam corporalibus visis inveniretur Trinitas, et distinctius in ea lectoris exerceretur intentio.

In undecimo ergo electus est sensus oculorum, in quo id quod inventum esset, etiam in cæteris quatuor sensibus corporis, et non dictum, posset agnosci ; atque ita exterioris hominis Trinitas, primo in iis quæ cernuntur extrinsecus, ex corpore scilicet quod videtur, et forma quæ inde in acie cernentis imprimitur, et utrumque copulantis intentione voluntatis, apparuit. Sed hæc tria non inter se æqualia, nec unius esse substantiæ clarueruntt.. Deinde in ipso animo ab iis quæ extrinsecus sensa sunt, velut introducta inventa est altera

Digitized by Google

Trinitas, ubi apparerent eadem tria unius esse substantiæ, imaginatio corporis quæ in memoria est, et inde infirmatio, cum ad eam convertitur acies cogitantis, et utrumque conjungens intentio voluntatis. Sed ideo ista Trinitas ad exteriorem hominem reperta est pertinere, quia de corporibus illata est quæ sentiuntur extrinsecus.

In duodecimo, discernenda visa est sapientia, et in ea quæ proprie scientia nuncupatur, quia inferior est, prius quædam sui generis Trinitas inquirenda : quæ licet ad interiorem hominem jam pertineat, nondum tamen imago Dei vel appellanda sit vel putanda. Et hoc igitur in tertio decimo libro, per commendationem fidei Christianæ. In quarto decimo autem de sapientia hominis vera, id est Dei munere in ejus ipsius Dei participatione donata, quæ ab scientia distincta est, disputatur : et eo pervenit disputatio, ut Trinitas appareat in imagine Dei, quod est homo secundum mentem, quæ renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit hominem ad imaginem suam; et sic percipit sapientiam ubi contemplatio est æternorum.

Jam ergo in ipsis rebus æternis, incorporalibus et incommutabilibus, in quarum perfecta contemplatione nobis beata, quæ nonnisi æterna est, vita promittitur, Trinitatem, quæ Deus est, inquiramus. Neque enim divinorum librorum tantummodo auctoritas esse Deum prædicat, sed omnis quæ nos circumstat, ad quam nos etiam pertinemus, universa ipsa rerum natura proclamat, habere se præstantissimum conditorem, qui nobis mentem rationemque naturalem dedit, qua viventia non viventibus, sensu prædita non sentientibus, intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, impotentibus potentia, injustis justa, speciosa deformibus, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, immutabilia mutabilibus, invisibilia visibilibus, incorporabilia corporalibus, beata miseris, præferenda videamus. Ac per hoc, quoniam rebus creatis Creatorem sine dubitatione præponimus, oportet ut eum et summe vivere, et cuncta sentire atque intelligere, ac mori, corrumpi, mutarique non posse, nec corpus esse, sed Spiritum omnium potentissimum, justissimum, speciosissimum, optimum, beatissimum fateamur.

S. Aug., *De Trin.*, l. XV c. 1, t. VIII. — Sed hæc omnia quæ dixi, et quæcunque alia simili more locutionis humanæ, digne de Deo dici videntur, et universæ Trinitati quæ est unus Deus, et personis singulis in eadem Trinitate conveniunt. Quis enim vel unum Deum, quod est ipsa Trinitas, vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum, audeat dicere, aut non viventem, aut nihil sentientem vel intelligentem, aut in ea natura qua inter se prædicantur æquales, quemquam esse eorum mortalem sive corruptibilem, sive mutabilem, sive corporeum; aut quisquam ibi neget aliquem potentissimum, justissimum, speciosissimum, optimum, beatissimum? Si ergo hæc atque hujusmodi omnia, et ipsa Trinitas, et in ea singuli dici possunt, ubi aut quomodo Trinitas apparebit? Redigamus itaque prius hæc plurima ad aliquam paucitatem. Quæ vita enim dicitur in Deo, ipsa est essentia ejus atque natura. Non itaque Deus vivit nisi vita quod ipse sibi est. Hæc autem vita non talis est qualis inest arbori, ubi nullus est intellectus, nullus est sensus. Nec talis qualis inest pecori. Habet enim vita pecoris sensum quinque partitum, sed intellectum habet nullum : at illa vita quæ Deus est, sentit atque intelligit omnia, et sentit mente, non corpore, quia Spiritus est Deus. Non autem sicut animalia quæ habent corpora, per corpus sentit Deus : non enim ex anima constat et corpore : ac per hoc simplex illa natura sicut intelligit, sentit; sicut sentit, intelligit, idemque sensus qui intellectus est illi. Nec ita ut aliquando esse desistat aut cœperit : immortalis est enim.

Nec frustra de illo dictum est quod solus habeat immortalitatem (*I Tim.* VI, 16) : nam immortalitas ejus vere immortalitas est, in cujus natura nulla est commutatio. Ipsa est etiam vera æternitas qua est immutabilis Deus, sine initio, sine fine; consequenter et incorruptibilis. Una ergo eademque res dicitur, sive dicatur æternus Deus, sive immortalis, sive incorruptibilis, sive immutabilis : itemque, cum dicitur vivens et diligens, quod est utique sapiens, hoc idem dicitur. Non enim percipit sapientiam qua esset sapiens, sed ipse sapientia est. Et hæc vita, eademque virtus sive potentia, eademque species qua potens atque speciosus dicitur. Quid enim potentius et speciosius sapientia, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter? Bonitas etiam atque justitia, nunquid inter se in natura Dei, sicut in ejus operibus distant, tanquam duæ diversæ sint qualitates Dei, una bonitas, alia justitia? Non utique; sed quæ justitia, ipsa bonitas; et quæ bonitas, ipsa beatitudo. Incorporalis autem vel incorporeus ideo dicitur Deus, ut spiritus credatur vel intelligatur esse, non corpus.

Proinde si dicamus, æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis, vivus, sapiens, potens, speciosus, justus, bonus, beatus, spiritus, horum omnium novissimum quod posui, quasi tantummodo videtur significare substantiam, cætera vero hujus substantiæ qualitates; sed non ita est in ulla ineffabili simplicique natura. Quidquid enim secundum qualitates illic dici videtur, secundum substantiam vel essentiam est intelligendum. Absit enim ut spiritus secundum substantiam dicatur Deus, et bonus secundum substantiam dicatur Deus, et bonus secundum qualitatem; sed utrumque secundum substantiam. Sic omnia cætera quæ commemoravimus, unde in superioribus libris multa jam diximus.

De quatuor igitur primis quæ modo a nobis enumerata atque digesta sunt, id est æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis unum aliquid eligamus; quia unum

Digitized by Google

quatuor ista significant, sicut jam disserui, ne per multa distendatur intentio, et illud potius quod positum est prius, id est æternus. Hoc faciamus et de quatuor secundis, quæ sunt vivus, sapiens, potens, speciosus. Et quoniam vita qualiscunque inest et pecori, cui sapientia non inest; duo vero ista, sapientia scilicet atque potentia, ita sunt inter se in homine comparata, ut sancta Scriptura diceret : *Melior est sapiens quam fortis* (*Sap.* VI, 1); speciosa porro etiam corpora dici solent : unum ex his quatuor (forte æqualibus) quod eligimus, sapiens eligatur : quamvis hæc quatuor in Deo non inæqualia dicenda sint; nomina enim quatuor, res autem una est. De tertiis vero ultimis quatuor, quamvis in Deo idem sit justum esse quod bonum, quod beatum, idemque spiritum esse quod justum, et bonum, et beatum esse : tamen quia in hominibus potest esse Spiritus non beatus, potest et justus et bonus nondum beatus; qui vero beatus est, profecto et justus et bonus et Spiritus est : hoc potius eligamus quod nec in hominibus esse sine illis tribus potest, quod est beatus.

Num igitur cum dicimus, æternus, sapiens, beatus, hæc tria sunt Trinitas quæ appellatur Deus? Redigimus quidem illa duodecim in istam paucitatem trium : sed eo modo forsitan possumus et hæc tria in unum aliquod horum. Nam si una eademque res in Dei natura potest esse sapientia et potentia, aut vita et sapientia; cur non una eademque res esse possit in Dei natura æternitas et sapientia, aut beatitudo et sapientia? Ac per hoc, sicut nihil intererat utrum illa duodecim, an ista tria dicamus, an illud unum in cujus singularitatem duo cætera similiter redigi posse monstravimus; quis itaque disputandi modus, quænam tandem vis intelligendi atque potentia, quæ vivacitas rationis, quæ acies cogitationis ostendet, ut alia jam taceam, hoc unum quod sapientia dicitur Deus, quomodo sit Trinitas? Neque enim sicut nos de illo percipimus sapientiam, ita Deus de aliquo : sed sua est ipse sapientia; quia non est aliud sapientia ejus, aliud essentia, cui hoc est esse quod sapientem esse. Dicitur quidem in Scripturis sanctis Christus Dei virtus, et Dei sapientia (*I Cor.* I, 24) : sed quemadmodum sit intelligendum, ne Patrem Filius videatur facere sapientem, in libro septimo (cap. 1-3) disputatum est; et ad hoc ratio pervenit, ut sic sit Filius sapientia de sapientia, quemadmodum lumen de lumine, Deus de Deo. Nec aliud potuimus invenire Spiritum sanctum, nisi et ipsum esse sapientiam, et simul omnes unam sapientiam, sicut unum Deum, unam essentiam. Hanc ergo sapientiam quod est Deus, quomodo intelligimus esse Trinitatem? Non dixi, quomodo credimus, nam hoc inter fideles non debet habere quæstionem : sed si aliquo modo per intelligentiam possumus videre quod credimus, quis iste erit modus?

Ibi (in cœlo) veritatem sine ulla difficultate videbimus, eaque clarissima et certissima perfruemur. Nec aliquid quæremus mente ratiocinante, sed contemplante cernemus, quare non sit Filius Spiritus sanctus, cum de Patre procedat. In illa luce nulla erit quæstio : hic vero ipsa experientia tam mihi apparuit esse difficilis, quod et illis qui hæc diligenter atque intelligenter legent, procul dubio similiter apparebit, ut, cum me in secundo hujus operis libro alio loco inde dicturum esse promiserim, quotiescunque in ea creatura quæ nos sumus, aliquid illi rei simile ostendere volui, qualemcunque intellectum meum sufficiens elocutio mea secuta non fuerit; quamvis et in ipso intellectu conatum me senserim magis habuisse quam effectum. Et in una quidem persona, quod est homo, invenisse imaginem summæ illius Trinitatis, et in re mutabili tria illa, ut facilius intelligi possint, etiam per temporalia intervalla, maxime in libro nono monstrare voluisse. Sed tria unius personæ, non sicut humana poscit intentio, tribus illis personis convenire potuerunt, sicut in hoc libro decimo quarto demonstravimus.

Deinde in illa summa Trinitate quæ Deus est, intervalla temporum nulla sunt, per quæ possit ostendi aut saltem requiri, utrum prius de Patre natus sit Filius, et postea de ambobus processerit Spiritus sanctus. Quoniam Scriptura sancta Spiritum eum dicit amborum. Ipse est enim de quo dicit Apostolus : *Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* (*Galat.* IV, 6.) Et ipse est de quo dicit idem Filius : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* (*Matth.* X, 20.) Et multis aliis divinorum eloquiorum testimoniis comprobatur Patris et Filii esse Spiritum, qui proprie dicitur in Trinitate Spiritus sanctus; de quo item dicit ipse Filius, quem ego mittam vobis a Patre (*Joan.* XV, 26); et alio loco, *quem mittet Pater in nomine meo.* (*Joan.* XIV, 26.) De utroque autem procedere sic docetur, quia ipse Filius ait : *De Patre procedit.* Et cum resurrexisset a mortuis et apparuisset discipulis suis, insufflavit et ait : *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XX, 22), ut eum etiam de se procedere ostenderet. Et ipsa est *virtus* quæ *de illo exibat*, sicut legitur in Evangelio, *et sanabat omnes.* (*Luc.* VI, 19.)

Idem, *ibid.* — Quid vero fuerit causæ ut post resurrectionem suam, et in terra prius daret, et de cœlo postea mitteret Spiritum sanctum, hoc ego existimo, quia per ipsum donum diffunditur charitas in cordibus nostris, qua diligimus Deum et proximum, secundum *duo illa præcepta in quibus tota lex pendet et prophetæ.* (*Matth.* XXII, 40.) Hoc significans Dominus Jesus, bis dedit Spiritum sanctum, semel in terra, propter dilectionem Dei. Et si forte alia ratio reddatur de Spiritu sancto bis dato, eumdem tamen Spiritum sanctum datum, cum insufflasset Jesus, de quo mox ait : *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19), ubi

Digitized by Google

maxime commendatur hæc Trinitas, ambigere non debemus. Ipse est igitur qui de cœlo etiam datus est die Pentecostes (*Act.* II, 4), id est post dies decem quam Dominus ascendit in cœlum.

Quomodo ergo Deus non est qui dat Spiritum sanctum? Imo quantus Deus est qui dat Deum? Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia. Denique et Simon magus offereris apostolis pecuniam, non ait : Date et mihi hanc potestatem, ut dem Spiritum sanctum : *sed cuicunque*, inquit, *imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.* (*Act.* VIII, 19.) Quia neque Scriptura superius dixerat, videns autem Simon quod apostoli darent Spiritum sanctum : sed dixerat : *Videns autem Simon quod per impositionem manuum apostolorum daretur Spiritus sanctus.* (*Ibid.*, 18.) Propter hoc et Dominus ipse Jesus Spiritum sanctum non solum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo, propterea dictus est plenus gratia et Spiritu sancto. (*Joan.* I, 14.) Et manifestius de illo scriptum est in Actibus apostolorum : *Quoniam unxit eum Deus Spiritu sancto.* (*Act.* X, 38.) Non utique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia.

Verum quia in illa coæterna, et æquali, et incorporali, et ineffabiliter immutabili, atque inseparabili Trinitate difficillimum est generationem a processione distinguere, sufficiat interim eis qui extendi non valent amplius, id quod de hac re in sermone quodam proferendo ad aures populi Christiani diximus, dictumque conscripsimus. (Tract. 99 *in Joan.*, tom. III.) Inter cætera enim cum per Scripturarum sanctarum testimonia docuissem de utroque procedere Spiritum sanctum : Si ergo, inquam, et de Patre et de Filio procedit Spiritus sanctus, cur Filius dixit : *De Patre procedit?* Cur putas, nisi quemadmodum solet ad eum referre et quod ipsius est, de quo et ipse est? Unde et illud est quod ait : *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit.* (*Joan.* VII, 16.) Si igitur hic intelligitur ejus doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris; quanto magis illic intelligendus est et de ipso procedere Spiritus sanctus, ubi sic ait : *De Patre procedit*, ut non diceret : De me non procedit? A quo autem habet Filius ut sit Deus (est enim de Deo Deus), ab illo habet utique ut de illo etiam procedat Spiritus sanctus; ac per hoc Spiritus sanctus, ut etiam de Filio procedat sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre.

Hic utcunque etiam illud intelligitur, quantum a talibus quales nos sumus intelligi potest, cur non dicatur natus esse, sed potius procedere Spiritus sanctus? quoniam si et ipse Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur : quod absurdissimum est. Filius quippe nullus est duorum, nisi patris et matris. Absit autem ut inter Deum Patrem et Deum Filium aliquid tale suspicemur! Quia nec filius hominum simul et ex patre et ex matre procedit : sed cum in matrem procedit ex Patre, non tunc procedit ex matre; et cum in hanc lucem procedit ex matre, non tunc procedit ex Patre. Spiritus autem sanctus non de Patre procedit in Filium; et de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de utroque procedit : quamvis hoc Pater Filio dederit, ut quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat. Neque enim possumus dicere quod non sit vita Spiritus sanctus, cum vita Pater, vita sit Filius : ac per hoc sicut Pater cum habeat vitam in semetipso, sic ei dedit vitam procedere de illo, sicut et procedit de ipso. Hæc de illo sermone in hunc librum transtuli, sed fidelibus, non infidelibus loquens.

Domine Deus noster, credimus in te Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Neque enim diceret Veritas : *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 20), nisi Trinitas esses. Nec baptizari nos juberes, Domine Deus, in ejus nomine qui non est Dominus Deus. Neque diceretur voce divina : *Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est* (*Deut.* VI, 4); nisi Trinitas ita esses, ut unus Dominus Deus esses. Et si tu Deus Pater ipse esses, et Filius verbum tuum Jesus Christus ipse esses, et donum vestrum Spiritus sanctus, non legeremus in litteris veritatis : *Misit Deus Filium suum.* (*Gal.* IV, 4.) Nec tu, o Unigenite, diceres de Spiritu sancto : Quem mittet Pater in nomine meo (*Joan.* III, 17), et *quem ego mittam vobis a Patre.* (*Joan.* IV, 26.) Ad hanc regulam fidei dirigens intentionem meam, quantum potui, quantum me posse fecisti, quæsivi te, et desideravi intellectu videre quod credidi, et multum disputavi, et laboravi. Domine, Deus meus, una spes mea, exaudi me, ne fatigatus nolim te quærere, sed *quæram faciem tuam semper ardenter.* (*Psal.* CIV, 4.) Tu da quærendi vires, qui invenire te fecisti, et magis magisque inveniendi te spem dedisti. Coram te est firmitas et infirmitas mea : illam serva, istam sana. Coram te est scientia et ignorantia mea : ubi mihi aperuisti, suscipe intrantem; ubi clausisti, aperi pulsanti. Meminerim tui, intelligam te, diligam te. Auge in me ista, donec me reformes ad integrum. Scio scriptum esse : *In multiloquio non effugies peccatum.* (*Prov.* X, 19.) Sed utinam prædicando verbum tuum, et laudando te tantummodo loquerer : non solum fugerem peccatum, sed meritum bonum acquirerem, quamlibet multum sic loquerer.

Neque enim homo de te beatus, peccatum præciperet germano in fide filio suo, cui scripsit dicens : *Prædica verbum, insta opportune, importune.* (*II Tim.* IV, 2.) Nunquid dicendum est istum non multum locutum, qui non solum opportune, verum etiam; importune verbum tuum, Domi-

Digitized by Google

ne, non tacebat? Sed ideo non erat multum, quia tantum erat necessarium. Libera me, Deus, a multiloquio, quod patior intus in anima mea misera in conspectu tuo, et confusione ad misericordiam tuam. Non enim cogitationibus taceo, etiam tacens vocibus. Et si quidem non cogitarem nisi quod placeret tibi, non utique rogarem ut me ab hoc multiloquio liberares. Sed multæ sunt cogitationes meæ, tales quales nosti; cogitationes hominum quoniam vanæ sunt. (*Psal.* XCIII, 11.) Dona mihi non eis consentire, et si quando me delectant, eas nihilominus improbare, nec in eis velut dormitando immorari. Nec in tantum valeat apud me, ut aliquid in opera mea procedat ex illis, sed ab eis mea saltem sit tuta sententia, tuta conscientia, te tuente. Sapiens quidam cum de te loqueretur in libro suo, qui Ecclesiasticus proprio nomine jam vocatur : *Multa*, inquit, *dicimus, et non pervenimus, et consummatio sermonum universa est ipse.* (*Eccli.* XLIII, 29.) Cum ergo pervenerimus ad te, cessabunt *multa* ista quæ *dicimus, et non pervenimus;* et manebis unus omnia in omnibus : et sine fine dicemus, unum laudantes te in unum, et in te facti etiam nos unum. (*I Cor.* XV, 28.) Domine Deus une, Deus Trinitas, quæcunque dixi in his libris de tuo, agnoscant et tui : si qua de meo, et tu ignosce, et tui. Amen.

B. CYRILL. Alex. *Comment. in Joann.* l. IV, t. IV. — Ait (Christus) incarnatum se esse a Patre, quamvis Salomon dicat : *Sapientia ædificavit sibi domum* (*Prov.* IX, 1) : et beatus Gabriel virtuti Spiritus corporis divini structuram tribuat, sanctam Virginem his verbis compellans : *Spiritus* enim *sanctus*, inquit, *superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* (*Luc.* I, 35.) Ut rursus intelligas quod cum una secundum naturam deitas et in Patre et in Filio intelligatur, ac sancto Spiritu, non operatur quisque seorsim, sed quod per unum esse dicitur, utque id totius naturæ divinæ est opus. Nam cum sancta Trinitas consubstantialitatis ratione una sit, una certe quoque in omnibus virtus erit. Omnia quippe sunt ex Patre per Filium in Spiritu.

B. THEODORET., serm. 2 *de principio*, t. IV. Judæorum extremam inscitiam deploro qui ab utero juxta prophetam gestati, divinisque in mysteriis a pueritia usque ad senectutem eruditi, theologiæ veritatem ignorent. Etenim cum in Ægypto diutissime versati essent, multorumque ibi deorum cultum ritu Ægyptiaco didicissent, sapientissimus Deus nequaquam illis manifeste omnia Trinitatis mysteria tradidit, ne multitudinis deorum occasionem sumerent, ad impietatem Judæorum propendentes : Trinitatis tamen dogmata ne tunc quidem venturis in posterum penitus occultavit, perfectioris theologiæ quasi semina quædam dispergens. Ideo singulariter quidem sub unius nomine legem sancit, obscure tamen Trinitatem indicat. Qui enim dicit : *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Dominus unus est!* (*Deut.* VI, 4), et unitatem docet, et Trinitatem significat. Semel enim Deum enuntians, bisque Dominum repetens, Trinitatis numerum ostendit. Addens vero unus est, et congruentem Judæis doctrinam attulit, et unam eamdemque divinam substantiam esse docuit. Una siquidem sanctæ Trinitatis et substantia, et potestas est, et voluntas. Eamque ob rem invisibilium potestatum chori, hymnum Deo concinentes, ter quidem Sanctus, semel autem Deus proferunt : ibi quidem numerum proprietatum declarantes, hic autem communem dominatum significantes. Atque hic quidem per ænigmata quæ Trinitatis erant ostensa sunt, aliis autem locis manifestius eadem sancti Patres docuerunt. Moyses enim vir divinus, mundi genituram conscribens, narransque hominis plasmationem, Deum omnium opificem sic locutum ait : *Faciamus hominem secundum imaginem nostram, et secundum similitudinem.* (*Gen.* I, 26.) Mox subjunxit : *Fecit Deus hominem, secundum imaginem Dei fecit ipsum.* (*Ibid.*) Et Deum appellavit tum opificem hominis, tum eum cujus ad imaginem formavit quem effinxit. Non quod alia hujus, alia illius sit species : una si quidem natura est Trinitatis, ideoque ait Deum dixisse : *Faciamus hominem secundum imaginem nostram et secundum similitudinem*, addiditque, *secundum imaginem fecit ipsum*, ut ostenderet differentiam personarum.

Sed et Noemo, cum de comedendis carnibus legem ferret, sanguinisque esum inhiberet, ita locutum ait universorum Deum : *Omnia tanquam olera feni comedite; carnem vero in sanguine animæ ne comedite : sanguinem enim vestrum requiram, ex omnibus bestiis requiram illum, et de manu hominis fratris ejus requiram illum. Qui effuderit sanguinem hominis pro sanguine, sanguis ipsius effundetur : quoniam in imagine Dei feci hominem.* (*Gen.* IX, 3 et seq.) Non dixit : In imagine mea fecit, sed *in imagine Dei*, differentiam rursus personarum ostendens. Cumque in unum congregati sunt qui contra factorem suum furentes, maximam illam turrim exstruxerunt, quæ nomen a linguarum confusione sortita est, sic locutum ait legislator : *Venite, et descendentes confundamus ipsorum linguas.* (*Gen.* XI, 7.) Quo sane loco : *Venite, et descendentes confundamus*, parem dignitatis gradum ostendit. Non enim dixit : Descende, aut descendat, quod subjectis personis et parere jussis congruit; sed *descendentes confundamus*, quod æqualitatem manifeste demonstrat. Illud autem *venite*, et Filium significat et Spiritum sanctum.

Post hæc vero Sodoma turbinibus igneis ac fulminibus consumpturus, et confines civitates impietatis ac flagitii participes, dominorum binarium nobis ostendit, dicitque Moyses qui ista descripsit : *Et pluit Dominus a Domino super Sodoma et Gomorrha, ignem et sulphur de cœlo.* (*Gen.* XIX, 24.) Ac ne quis existimet hunc solum prophetam

Digitized by Google

ea quæ sunt divinæ Trinitatis eloculum, audite, charissimi, divinum quoque David clamantem : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* (*Psal.* XXXII, 6.) Rursusque : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX, 1.) Paulo que mox Domini pater eumdem Dominum sic alloeutus inducitur : *Ex utero ante luciferum genui te.* (*Ibid.*, 3.) Et in alio psalmo : *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi. virga directionis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis.* (*Psal.* XLIV, 7, 8; *Hebr.* I, 8, 9.)

S. LEO MAG., serm. 77, t. I. — Si ergo, duce gratia, dilectissimi, fideliter sapienterque discamus quid Patri, quid Filio, quid Spiritui sancto in reparatione nostra proprium, quidve commune sit, ea quæ pro nobis humiliter et corporaliter gesta sunt, ita procul dubio suscipiemus, ut nihil indignum de una atque eadem Trinitatis gloria sentiamus. Quamvis enim nulla mens ad cogitandum de Deo, nulla ad loquendum lingua sufficiat, tamen quantumcunque illud est, quod humano intellectu de essentia Paternæ Deitatis attingitur, nisi unum atque idem esse, cum vel de Unigenito ejus, vel de Spiritu sancto cogitatur, non pie sapitur, sed nimis carnaliter caligatur, et ipsum quod de Patre congruenter sentiri videbatur, amittitur : quia a tota Trinitate receditur, si in ea unitas non tenetur. Nulla autem ratione vere est unum, quod aliqua est inæqualitate diversum.

Cum igitur ad confitendum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum aciem mentis intendimus, procul ab animo formas visibilium rerum, et ætates temporalium naturarum, procul corpora locorum et loca corporum repellamus. Discedat a corde, quod spatio extenditur, quod fine concluditur, et quidquid nec semper ubique, nec totum est. Cogitatio de deitate Trinitatis concepta, nihil per distantiam intelligat, nihil per gradus quærat. At si quid dignum de Deo senserit, nulli hoc ibi audeat negare personæ tanquam honorificentius Patri ascribat, quod Filio Spirituique non tribuat. Non est pietas Unigenito præferre Genitorem ; Filii contumelia Patris est injuria : quod uni demitur, utique subtrahitur. Nam cum illis et sempiternitas sit communis et deitas, nec omnipotens Pater, nec immutabilis æstimatur, si aut minorem se genuit, aut quem non habuit, habendo profecit.

Dicit quidem Dominus Jesus discipulis suis, sicut evangelica lectione recitatum est : *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ad Patrem vado, quia Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28), sed hoc illæ aures quæ sæpius audierunt : *Ego et Pater unum sumus; et qui me videt, videt et Patrem.* (*Joan.* X, 30; XIV, 9.) Sine deitatis accipiunt differentia, nec de illa hoc essentia intelligunt, quam sempiternam cum Patre et ejusdem noverunt esse firma ratione. Commendatur ergo etiam sanctis apostolis in incarnatione verbi Dominici humana provectio, et qui denuntiato sibi Dominici turbabantur abscessu, ad æterna gaudia honoris sui incitantur augmento : *Si diligeretis me*, inquit, *gauderetis utique, quia vado ad Patrem ;* hoc est, si perfecta scientia videretis quid vobis gloriæ confertur, per hoc quod ex Deo Patre genitus, etiam ex homine matre sum natus ; quod Dominus æternorum, unus volui esse mortalium ; quod visibilem me invisibilis præbui ; quod formam servi in formam Dei sempiternus accepi : *Gauderetis quia vado ad Patrem.*

Contemnatur igitur, dilectissimi, vana et cæca versutia hæreticæ impietatis, quæ sibi hujus sententiæ scæva interpretatione blanditur ; at dicente Domino : *Omnia quæ habet Pater, mea sunt* (*Joan.* XVI, 15), non intelligit se Patri demere, quidquid Filio audet negare. — *Quæ habet Pater, habet Filius, et quæ habet Pater, et Filius, habet et Spiritus sanctus : quia tota simul Trinitas est unus Deus.* (Verba Athanasii symboli.) Hanc autem fidem terrena sapientia non reperit, nec opinio humana persuasit, sed ipse unigenitus Filius docuit, ipse Spiritus sanctus instituit : de quo nihil est aliter, quam de Patre et Filio sentiendum. Quia licet non sit Pater, non sit Filius, non tamen est Patre, Filioque divisus ; et sicut propriam habet in Trinitate personam, ita unam habet in Patris et Filii deitate substantiam, omnia confitentem, et cum Patre et Filio omnia moderantem.

S. GREGOR. MAG., lib. II *in Ezech.*, hom. 4. — Ipsa fides atque ipsum meritum tenuit corda præcedentium, quæ replevit corda sequentium sub Testamento Novo positorum, sicut et per Paulum dicitur. (*II Cor.* IV, 13.) *Habentes autem eumdem Spiritum fidei, sicut scriptum est : Credidi propter quod locutus sum : et nos credimus, propter quod et loquimur.* (*Psal.* CXV, 1.) Spiritales quippe illi Patres omnipotentem Deum Trinitatem ita esse crediderunt, sicut eamdem Trinitatem novi Patres aperte locuti sunt. Isaias namque audivit angelica agmina in cœlo clamantia : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth.* (*Isa.* VI, 3.) Ut enim personarum Trinitatis monstraretur, tertio sanctus dicitur ; sed ut una esse substantia Trinitatis appareat, non Domini sabaoth, sed Dominus Deus sabaoth esse perhibetur. Quod David quoque similiter sentiens, ait : *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* (*Psal.* LXVI, 8.) Qui cum ipsum tertio dixisset, adjunxit : *Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.* (*Ibid.*) Qui enim non dixit, ipsis, sed ipsi, dicendo ter ipsum, distinxit personas, et subjungendo, *ipsi gloria*, non divisit substantiam. — Itaque una est veterum ac novorum Patrum fides.

S. BERNARD., *Tract. de gradibus humilitatis*, t. I. — *Beati mundo corde, quoniam ipsi*

Digitized by Google

Deum videbunt. (*Matth.* v, 8.) Cum sint tres gradus, seu status veritatis (primus, seipsum attendere; secundus, ex agnitione propriæ infirmitatis, compati miseriæ proximi; tertius, mundare oculum cordis ad contemplanda cœlestia et divina): ad primum ascendimus per laborem humilitatis, ad secundum per affectum compassionis, ad tertium per excessum contemplationis. In primo veritas reperitur severa, in secundo pia, in tertio pura. Ad primum ratio ducit, qua nos discutimus; ad secundum affectus perducit, quo aliis miseremur; ad tertium puritas rapit, qua ad invisibilia sublevamur.

Interlucet hic mihi mira quædam ac divisa individuæ Trinitatis operatio, si quo modo tamen ab homine sedente in tenebris ineffabilis illa possit capi cooperantium sibi personarum divisio. In primo siquidem gradu Filius, in secundo Spiritus sanctus, in tertio mihi Pater operari videtur. Vis audire Filii operationem? *Si ego*, inquit, *lavi vobis pedes Dominus et magister, quanto magis et vos debetis alter alterius lavare pedes.* (*Joan.* XIII, 14.) Tradebat discipulis humilitatis formam veritatis magister, qua in primo gradu primum eis veritas innotesceret. Attende et opus Spiritus sancti: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* (*Rom.* v, 3.) Charitas quippe donum est Spiritus sancti, qua fit ut qui sub disciplina Filii per humilitatem ad primum usque gradum veritatis jam profecerunt, ad secundum per compassionem proximi sub magisterio Spiritus sancti perveniant.

Audi et de Patre: *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.* (*Matth.* XVI, 17.) Et illud: *Pater filiis notam faciet veritatem tuam.* (*Isa.* XXXVIII, 19.) Et: *Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis.* (*Matth.* XI, 25.) Vides quia quos verbo et exemplo prius Filius humiliavit, super quos deinde Spiritus sanctus charitatem effudit, hos tandem in gloria Pater recepit? Filius facit discipulos, Paracletus consolatur amicos, Pater exaltat filios. Quia vero non solum Filius, sed et Pater et Spiritus sanctus veraciter Veritas appellantur; constat quod una eademque Veritas, servata proprietate personarum, tria hæc in tribus gradibus operatur. Primo scilicet instruit, ut magister; secundo consolatur, ut amicus vel frater; tertio astringit, ut filios Pater.

Dei quippe Filius, Verbum scilicet ac sapientia Patris, primum quidem illam animæ nostræ potentiam, quæ ratio dicitur, cum reperit carne depressam, peccato captivam, ignorantia cæcam, exterioribus deditam, clementer assumens, potenter erigens, prudenter instruens, introrsum trahens, ac mirabiliter utens tanquam pro se vicaria, ipsam sibi judicem statuit, ita ut pro reverentia Verbi cui conjungitur, ipsa sui accusatrix, testis et judex, contra se Veritatis fungatur officio. Ex qua prima conjunctione Verbi et rationis, humilitas nascitur.

Aliam deinde partem, quæ dicitur voluntas, veneno quidem carnis infectam, sed jam ratione discussam, Spiritus sanctus dignanter visitans, suaviter purgans, ardenter afficiens, misericordem facit; ita ut more pellis quæ uncta extenditur, ipsa quoque unctione perfusa cœlesti, usque ad inimicos per affectum dilatetur. Et sic ex hac secunda conjunctione Spiritus Dei et voluntatis humanæ, charitas efficitur.

Utramque vero partem, rationem scilicet et voluntatem, alteram verbo veritatis instructam, alteram Spiritu veritatis afflatam; illam hyssopo humilitatis aspersam, hanc igne charitatis succensam; tandem jam perfectam animam, propter humilitatem sine macula, propter charitatem sine ruga, cum nec voluntas rationi repugnat, nec ratio veritatem dissimulat, gloriosam sibi sponsam Pater conglutinat; ita ut nec ratio de se, nec voluntas de proximo cogitare sinatur, sed hoc solum beata illa anima dicere delectetur: *Introduxit me rex in cubiculum suum.* (*Cant.* I, 3.) Digna certe, quæ de schola humilitatis, in qua primum sub magistro Filio ad seipsam intrare dicit, juxta comminationem ad se factam: *Si ignoras te, egredere, et pasce hædos tuos.* (*Ibid.*) Digna ergo quæ de schola illa humilitatis, duce Spiritu sancto, in cellaria charitatis (quæ nimirum proximorum pectora intelligenda sunt) per affectionem introduceretur. Unde suffulta floribus, ac stipata malis, bonis scilicet moribus et virtutibus sanctis, ad regis demum cubiculum, cujus amore languet, admitteretur. Ibi modicum, hora videlicet quasi dimidia, silentio facto in cœlo, inter desideratos amplexus suaviter quiescens, ipsa quidem dormit, sed cor ejus vigilat, quo utique interim veritatis arcana rimatur; quorum postmodum memoria statim ad se reditura pascatur. Ibi videt invisibilia, audit ineffabilia quæ non licet homini loqui. Excedunt quippe omnem illam, quam nox nocti indicat, scientiam: dies tamen diei eructat Verbum, et inter sapientes sapientiam loqui, et spiritualibus spiritualia licet conferri.

[Ex concilliis.]

Vid. verb. CHRISTUS.

Digitized by Google

TRISTITIA

[Ex SS. Patribus.]

S. Hermas, *Pastor.*, lib. II, t. I. — Longe fac a te omnem tristitiam : etenim hæc soror est dubitationis et iracundiæ; quo modo, inquam, domine, soror est harum? Aliud mihi videtur tristitia, aliud iracundia, aliud dubitatio. Et ait : Sine sensu non intelligis. Tristitia enim omnium spirituum nequissimus est, et pessima servis Dei, et omnium Spiritus exterminat, et cruciat (contribulat) Spiritum sanctum, et iterum salvum facit. Ego, inquam, domine, insipiens sum, et non intelligo quæstiones istas; quomodo possit cruciare et iterum salvum facere, non intelligo. Audi, inquit, et intellige : hi qui nunquam exquisierunt veritatem, neque inquisierunt de majestate, sed tantum crediderunt, sunt involuti in negotiis hominum ethnicorum. Et alius mendax prophetes est, qui perdit sensus servorum Dei, dubiorum autem, non illorum qui fidunt in Domino plane. Illi ergo dubii quasi ad divinum Spiritum veniunt, et interrogant illum quid illis futurum sit. Et ille mendax prophetes, nullam habens in se virtutem Spiritus divini, loquitur illis secundum interrogationem illorum, et implet animas illorum promissis, sicut illi volunt. Ille autem prophetes inanis est, et inania respondet inanibus. Quidquid enim interrogatur a vanis hominibus, vana respondet illis. Quædam autem verba vera loquitur. Diabolus enim implet eum spiritu suo, ut dejiciat aliquem ex justis.

Quicunque ergo fortes sunt in fide Domini, induti sunt veritatem, talibus spiritibus non junguntur, sed discedunt ab illis. Quotquot autem dubii sunt, et subinde pœnitentiam agunt, consulunt tanquam ethnici et permagnum sibi peccatum congerunt idolis servientes. Quicunque ergo tales sunt, interrogant pro negotio quolibet, simulacra colunt, et stulti sunt, et inanes a veritate. Omnis enim spiritus a Deo datus, non interrogatur; sed habens virtutem divinitatis, a se omnia loquitur, quia desursum est a virtute divini Spiritus. Qui autem interrogatus, loquitur secundum desiderium, et aliis multis rebus hujus sæculi. Hujusmodi non intelligunt quæstiones divinitatis; obscurantur enim iis negotiis, et corrumpuntur, et confringuntur. Sicut vites bonæ quæ negliguntur, ab herbis et spinis premuntur et necantur : sic et homines qui talibus crediderunt, in negotiis et actionibus multis inciderunt, et evacuantur a sensu suo, et nihil omnino intelligunt, de divitiis cogitantes. Sed si quando audierint de Domino, sensus eorum in negotiis ipsorum est. Qui autem timorem Domini habent, et scrutantur de Deo veritatem, cogitationem omnem habent ad Dominum. Omnia quæ dicuntur eis percipiunt, et statim intelliguntur; quia habent timorem Domini in se. Ubi enim Spiritus Domini inhabitat, ibi et sensus multus adjungitur. Adjunge ergo te Domino; et omnia intelliges ac senties.

Audi nunc, insipiens; quemadmodum tristitia cruciat Spiritum sanctum, et quomodo salvum facit. Cum dubius inciderit in negotium aliquod, et non provenit illi propter dubitationem, tristitia hæc intrat in hominem, et tristem facit Spiritum sanctum, et vexat eum. Deinde iterum : iracundia cum accesserit homini pro negotio aliquo, vehementer irascitur, et hæc ira intrat in præcordia irascentis, et vexatur in negotio suo quod agit, et postea pœnitet quod male fecerit. Utræque ergo res lædunt Spiritum sanctum; dubitatio et tristitia. Dubitatio, quia non successit actus ejus; et tristitia, quia fecit iracundiam spiritui. Aufer ergo tristitiam a te, et noli offendere Spiritum sanctum, qui in te habitat; ne roget Dominum et recedat a te. Spiritus enim Dei qui datus est in carnem, tristitiam non sustinet. Indue te hilaritate, quæ semper habet gratiam apud Dominum, etc.

Philo Jud., *Lib. de Decalog.* — Quoties se offert rei cujuspiam expetendæ imaginatio, expergefacit excitatque quiescentem animam, arrectam velut oculis præstrictis fulgure; is ejus affectus voluptas dicitur. E diverso quod malum effugiendum est, quando socia animam, confestim eam replet mœstitia, qui affectus dolor nominatur. At quando malum, nondum præsens, premit, imminet tamen, pavorem præmittit abominandum nuntium quo territet, qui et timor dicitur. Quoties autem aliquis de absente bono cogitans, habere id cupit, in longum animam porrigit, extendens eam ut possit rem adamatam attingere, tanquam in orbiculari machina semper sequendo, nunquam assequendo : quod spectamus in cursoribus, quando præcurrentem tardior pervicaciter insequitur. Simile autem quiddam et circa sensus accidit.

Origen., *Commentar. in Matth.*, t. III. —Et vere existimare licet de illo qui thesaurum recondit in cœlo, ne unam quidem affectionum tineam, divitias illius spirituales et cœlestes posse attingere. Dixi tineam affectionum, occasionem sumens a Proverbiis in quibus scriptum est : *Sicut vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* (*Prov.* II, 5, 20.) Vermis enim et tinea tristitia est cor lædens, quod in spiritualibus et cœlestibus thesaurum non habet, in quibus si quis thesaurum recondat, quoniam *Ibi thesaurus, ibi et cor* (*Matth.* VI, 21), in cœlo cor habet, propterea que ait : *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* (*Psal.* XXVI, 3.)

S. Basil. Cappad., *Hom. in famem et siccit.*, t. II. — Redeas ad te, homo, et mentis esto compos, cave ne facias quæ insipientes pueri factitant, qui a præceptore objurgati, tabulas illius confringunt, ac vestem scindunt patris, cibum ad eorum utilitatem dif-

Digitized by Google

ferentis, aut matris faciem unguibus dilaniant. Nam nauclerum tempestas, athletam stadium, imperatorem acies, magnanimum virum calamitas, Christianum tentatio probat et examinat. Atque ut ignis aurum, ita res adversæ animam probant. Pauper es? cave ne animum abjicias. Nam nimia tristitia causa fit peccati, quod demergat mentem mœror, inducatque vertiginem desperatio, et vitium ingrati animi pariat consilii inopia. Sed spem habeto in Deum. Nunquid enim non videt angustiam? Habet cibum in manibus; sed differt largitionem, ut probet tuam constantiam, ut animum agnoscat, sit ne intemperantibus et ingratis consimilis. Hi enim dum in ore sunt cibi, benedicunt, adulantur, supra modum admirantur; paululum vero dilata mensa, blasphemiis velut lapidibus impetunt eos quos, aliquanto ante, æque ac Deum propter voluptatem colebant. Percurre Vetus ac Novum Testamentum, et multos in utroque reperies modis variis nutritos.

S. Basil., *Regul. brevius tractat.*, t. II. — Tristitia quidem secundum Deum est, cum quis ex neglecto mandato Dei afficitur dolore, sicut scriptum est: *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* (*Psalm.* cxviii, 53.) Mundi vero tristitia est, cum id quod ægritudinem creat, humanum est, et mundo dignum.

Idem, *Hom. de gratiarum actione.* — Apostolus jubet flere nos flentibus. (*Rom.* xii, 15.) Rursus ad Galatas scribens deflebat inimicos crucis Christi. Ecquid opus est commemorare Jeremiam flentem, Ezechielem Dei jussu principum lamentationes scribentem (*Ezech.* ii, 9; vii, 27), et multos alios sanctos lugentes? *Hei mihi! mater, quare me genuisti?* (*Jer.* xv, 10.) Et: *Hei mihi! quia periit pius e terra, et qui recte faciat in hominibus non est.* (*Mich.* vii, 1, 2.) Et: *Hei mihi! quia factus sum sicut qui congregat stipulam in messe.* Et, ut verbo dicam, perscrutare voces justorum, et sicubi reperias qui emittat vocem tristiorem, nullus dubitabis quin omnes mundum hunc, et miseram vitam quæ ideo agitur deplorent. *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est.* (*Psal.* cxix, 5.) Nimirum cupit *dissolvi et esse cum Christo.* (*Philip.* i, 23.) Itaque fert ægre hujus incolatus dilationem, tanquam quæ impedimento sit gaudio. Et David quoque reliquit nobis in canticis prolatam de amico suo Jonathan lamentationem, in qua simul et inimicum suum luxit. *Doleo super te, frater mi Joathan.* (*II Reg.* i, 26.) Et: *Filiæ Israel, super Saul flete.* (*Ibid.*, 24.) Hunc quidem luget, ut peccato immortuum: Jonathan vero ut hominem sibi per totam vitam conjunctissimum. Quid autem attinet cætera percensere? Enimvero Dominus ipse flevit etiam super Lazarum et super Jerusalem. Sed et lugentes ac flentes itidem prædicat beatos. (*Matth.* v, 5.)

Quod si Dominus lacrymas super Lazarum et super civitatem profudit, illud dicere habemus, ipsum et comedisse et bibisse, nihil alioquin horum indignum. Sed modos ac fines quibus necessarii animæ affectus contineantur, tibi reliquisse. Itaque sic etiam lacrymatus est, ut immodicam querulorum ac luctus amantium ad flendum propensionem, animique eorum demissionem sanaret. Nam si quid aliud, præsertim lacrymæ opus habent moderamine rationis, ut erumpant solum aliquibus in casibus, et quantum, et quando, et quomodo par fuerit. Quod enim citra ullam animi commotionem, sed ad erudiendos nos lacrymatus est Dominus, perspectum est ac manifestum ex illo: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado ut a somno excitem eum.* (*Joan.* ii, 11.) Quis nostrum deflet amicum dormientem, quem aliquanto post sperat exspergefactum iri? *Lazare, veni foras.* (*Ibid.*, 43.) Jam mortuus revocabatur ad vitam: jam alligatus ambulabat. Inest miraculum in miraculo. Pedes ligabantur institis, nec tamen a motu prohibebatur. Etenim aderat vis quædam obice major. Quomodo igitur Dominus qui erat talia facturus, casum illum lacrymis dignum judicasset? An non palam est ipsum infirmitatem nostram undique suffulcientem, eas affectiones quæ inevitabiles sunt et necessariæ, intra modos quosdam ac terminos continuisse?

Apathiam quidem vitavit tanquam quiddam ferinum: noluit tamen mœrori ac tristitiæ deditus esse, ac multum lacrymari, quod hoc illiberale esset et ignavum. Quamobrem amico deflendo ostendit communionem humanæ naturæ; simulque nos ab excessu in utramque partem liberavit, neque nos, mollius frangi adversis, neque inter molestias sensus esse expertes permittens. Quemadmodum igitur Dominus solidis cibis digestis famem sustinuit, sitimque admisit humore corporis consumpto, et defatigatus est ex itinere musculis ac nervis plus æquo distentis, non succumbente labori divinitate, sed corpore quæ ipsius naturam comitari solent suscipiente: hunc ad modum admisit quoque lacrymas, carni sinens accidere quod ei erat naturale.

Hoc autem contingit tum cum cerebri cava, excitatis a tristitia vaporibus referta, per oculorum meatus velut per quosdam canales humoris onus egerunt. Quamobrem cum res graves ac molestæ præter exspectationem audiuntur, fit tinnitus quidam, vertigoque, et oculorum caligo: siquidem ob vapores quos calor in interiora contractus sursum emittit, vacillat caput, et circumagitur. Deinde, mea quidem sententia, quemadmodum nubes in guttas, sic crassæ vaporum partes resolvuntur in lacrymas. Hinc etiam voluptas quædam inter lugendum accedit mœrentibus; quia quod ipsos aggravabat, id latenter per ploratum ejectatur. Horum autem verborum veritatem stabilit ipsa rerum experientia. Novimus namque multos in gravissimis adversitatibus sibi per vim a lacrymis temperasse, quorum alii posthac in immedicabiles morbos inciderunt, in apoplexiam, paralysimque; alii vero omnino supremum diem obierunt, quod

Digitized by Google

eorum vires, quasi debili quodam fulcro destitutæ, pondere tristitiæ frangerentur. Nam quod videre in flamma licet, quam fumus proprius, si non exeat sed circumvolvatur, suffocat, id etiam in facultate qua animal constituitur, fieri dicunt, nimirum extabescere illam et exstingui præ doloribus, si nullus sibi exitus ad exteriora aperiatur.

Qui igitur tristitiæ dediti sunt, ne in suæ infirmitatis patrocinium Domini lacrymas opponant. Ut enim cibus quo Dominus vescebatur, voluptatis nobis occasio non est, imo vero temperantiæ atque frugalitatis suprema regula est et forma, ita quoque lacrymæ non sunt nobis vice legis, qua lugere teneamur. Sed convenientissima quædam mensura normaque accurata in his nobis proposita est, juxta quam par fuerit intra naturæ terminos graviter et honeste permanere, et tristia perferre. Itaque neque mulieribus neque viris lacrymarum studium aut copia permissa sunt, sed tantum quantum fas est afflictari de adversis, et parum lacrymari; idque tacite sine fremitibus, sine ejulatibus, adeo ut vestem scindat nemo, nec cinerem inspergat; nec aliud quidquam eorum indecore agat, quæ facere solent rerum cœlestium imperiti. Oportet enim eum qui divina doctrina purgatus est, recta ratione velut firmo quodam muro obseptum esse, et talium affectionum assuetus viriliter ac strenue propulsare, non in humili ac molli anima quasi in loco declivi affluentem, ullam affectuum turbam suscipere. Etenim animi est ignavi, nullumque ex reposita in Deo spe robur habentis, frangi admodum, et adversis succumbere. Quemadmodum enim in lignis tenerioribus gignuntur vermes, sic tristitia in molliore hominum indole innascitur.

Numnam erat Job corde adamantino? Num compacta ei erant ex saxo viscera? Ceciderunt ei decem liberi in brevi temporis momento, una plaga obtriti, in domo jucunditatis, in tempore deliciarum, decutiente in eos domum diabolo. Vidit mensam sanguine immistam, vidit liberos diverso quidem tempore natos, sed unum communemque sortitos vitæ exitum. Non ejulavit, non comam evellit, non emisit vocem ullam degenerem, sed celebrem illam et ab omnibus decantatam gratiarum actionem protulit: ***Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita et factum est, sit nomen Domini benedictum.*** (*Job*, I, 21.) Num homo ille erat expers affectionum? At quomodo? cum ipse de se dicat: ***Ego fleri super omni afflicto.*** (*Job*, XXX, 25.) Estne his dicendis mentitus? Imo vero, præter cæteras virtutes, veracem eum quoque fuisse declarat his verbis: ***Homo inculpatus, justus, pius, verax.*** (*Job*, I, 1.)

Tu vero cantilenis quibusdam ad mœstitiam compositis ad flendum abuteris, studesque animam tuam modulis lugubribus absumere. Et, quemadmodum peculiaria sunt tragœdis fictio et apparatus, quocunque theatra conscendunt; ita existimas habitum etiam convenire lugenti, vestem atram, comam squalidam, tenebras in domo, sordes, pulverem, denique lugubrem cantum, quo mœroris vulnus semper recens in animo servetur. Sinas hæc faciant qui spem non habent. Tu vero de iis qui in Christo obdormierunt, edoctus es: ***Seminatur in corruptione, seminatur in infirmitate, surgit in virtute: seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale.*** (*I Cor.* XV, 24.) Quid igitur luges hominem, ad mutandum habitum abeuntem? Neque te ipse lugeas, quasi sis in hac vita aliquo patrono orbatus: ***Bonum est***, inquit, ***sperare in Domino, quam sperare in homine.*** (*Psal.* CXVII, 9.) Neque illum defleas uti male ac dure acceptum. Nam clangens e cœlo tuba hunc paulo post exspergefaciet, ac videbis ipsum Christi astantem tribunali. Mitte igitur humiles illas ac insulsas voces: Heu, mala inexspectata! rursus, quis hæc eventura fuisse putasset? Item, quandonam exspectassem charissimum mihi caput obtegendum humo fuisse? Etenim si alter, nobis audientibus, hæc proferat, par fuerit nos erubescere, qui tum ex memoria præteritorum, tum ex præsentium experientia has naturæ ærumnas inevitabiles esse didicimus.

Itaque neque intempestivæ mortes, neque aliæ ullæ calamitates inopinatæ nos unquam consternabunt, si pietatis doctrina imbuamur. Exempli gratia, filius mihi erat adolescens, bonorum meorum hæres unicus, solamen senectutis, generis ornamentum, flos æqualium, familiæ columen; ea erat ætate, quæ longe est gratissima, ille ipse interiit abreptus; terra et pulvis factus est, qui paulo ante jucunda auditu proferens, gratissimum genitoris sui oculis spectaculum erat. Quid igitur faciam? Scindam vestem? Lubens volutabor humi, et conquerar, et indignabor, et astantibus exhibebo me ipsum velut puerum, qui ob acceptas plagas clamitat ac subsilit? Imo eorum quæ accidunt necessitatem diligenter considerans, mortis scilicet legem vitari non posse, eam per omnes pariter ætates grassari, ac composita omnia suo quæque ordine dissolvi. Num casibus his tanquam novis perturbabor? Num de mente dejiciar velut plaga inexspectata perculsus, qui jam pridem dicerim mihi mortali mortalem filium esse, nec quidquam humanum reperiri, quod stabile sit, aut quod a possessoribus suis perpetuo servari soleat? Quin et urbes amplissimæ, eæque tum ædificiorum elegantia, tum civium potestate celebres, itemque reliqua et regionis et fori opulentia conspicuæ, nunc in solis ruderibus dignitatis antiquæ præferunt insignia. Atque navis plerumque e mari servata, post peractam sexcenties celerem navigationem, et post advectas negotiatoribus innumeras merces, uno venti impetu evanuit e conspectu. Exercitus quoque, qui in præliis sæpe hostes devicerant, mutata secunda fortuna, spectaculum miserabile facti sunt et fabula. — Et in summa, quodcunque maximorum et intolerabilium malorum possis in me-

Digitized by Google

dium proferre, nullius non exempla habet acta jam ætas. —

Ergo si quando tibi aliquid contigerit adversi, maxime cum mentem jam probe instructam habeas, ne turberis : deinde vero præsentia facias leviora spe futurorum. Ut enim ii, quibus oculi infirmi sunt, obtutus suos a rebus nimis fulgidis deflectunt, eosque florum et herbarum recreant conspectu; ita quoque non debet anima semper sibi res tristes ponere ob oculos, nec jugiter in præsentibus ærumnis deligi, sed bona vera speculari. Ita futurum est ut continuo gaudio afficiare, si semper vita tua referatur ad Deum, si spes remunerationis ærumnas vitæ leniat ac sublevet. Accepisti contumeliam? Sed ad gloriam quæ tibi per patientiam in cœlis servatur, respice. Fecisti damnum? At divitias cœlestes, et thesaurum quem tute tibi per bona opera reposuisti, intentis oculis contuere. Ejectus a patria es? At patriam habes cœlestem Jerusalem. Orbatus es filio? At habes angelos quibuscum circa Dei thronum tripudiabis, atque lætitia sempiterna fruere. Itaque, si hoc modo præsentibus ærumnis futura bona opposueris, hanc animi hilaritatem tranquillitatemque ad quam Apostoli præceptum nos hortatur, conciliabis tibimetipsi. Neque vero immodicum gaudium animæ tuæ pariant læti ac fausti rerum humanarum successus; neque ullæ res tristes et adversæ præ tristitia atque contractione eam de læto suo ac sublimi statu deturbent. Nisi enim ea quæ ad vitam spectant, sic prius fueris edoctus, nunquam acturus es placidam ac tranquillam vitam. Sed facile id assequere, si præceptum quo ad semper gaudendum invitaris, familiare habeas atque contubernale. Sic enim, amandatis carnis molestiis, colliges gaudia animi; sic rerum præsentium sensu superior factus, ad æternorum bonorum spem mentem tuam intendes, quorum vel sola cognitio potest animam gaudio complere, et lætitiam angelicam in corda nostra introducere.

S. Ambros., *Lib. de paradiso*, t. I. — *In tristitia manducabis.* (*Gen.* III, 17.) Bonum est mihi in tristitia magis terram manducare, quam in delectatione, hoc est, ut in actu quodam et sensu corporis contristari videar, quam delectari in peccato. Multi enim propter nimias iniquitates, non suscipiunt peccati conscientiam. At vero ille qui ait : *Castigo corpus meum, et servituti redigo* (*I Cor.* IX, 27), contristatur in nostrorum pœnitentia peccatorum; quia sua tanta delicta non habuit, ut in his contristari deberet. Denique et nobis suadet utilem istam esse tristitiam quæ secundum Deum, non secundum sæculum est. Oportet, inquit, vos contristari in pœnitentiam secundum Deum; nam secundum Deum tristitia salutem operatur, sæculi autem tristitia mortem operatur. (*II Cor.* VII, 9, 10.) Sed et de Veteri Testamento accipe illos ad gratiam pervenisse, qui contristabantur in operibus corporalibus; illos vero in supplicio remansisse, qui delectabantur hujus mundi operibus. Denique Hebræi qui ingemiscebant in laboribus Ægypti, justorum gratiam consecuti sunt. (*Exod.* II, 24.) Et quia panem in tristitia manducaverunt, esca donati sunt spiritali : Ægyptii vero qui talia opera cum exsultatione celebrabant, regi detestabili servientes, nullam veniam sunt adepti. (*Exod.* XVI, 13 et seq.)

S. Chrysost., hom. 18, *ad popul. Antioch.*, t. II. — Hoc est admirabile quod mundi non tristitia tantum, verum et lætitia damnum habet extremum : in spiritualibus vero contrarium totum; non lætitia tantum, verum et tristitia multum habet bonorum thesaurum. Verbi gratia gaudet quis in mundo sæpe inimicum laborantem videns, et per hanc lætitiam multam sibi attrahit pœnam : dolet rursum quis alius, fratrem lapsum videns, et per hanc tristitiam multam sibi apud Deum benevolentiam comparat. Cernis quomodo secundum Deum tristitia mundi lætitia melior sit et utilior. Sic et Paulus tristabatur propter eos qui peccarent, et Deo non crederent, et ex hac tristitia multam sibi repositam habebat mercedem. Ut autem manifestius quod dico faciam, et discatis, licet præter opinionem sit dictum, tamen verum esse, et luctum sæpe solere dolentes animas reparare, et conscientiam gravatam relevare : multæ sæpius mulieres, desideratissimis amissis filiis, si prohibeantur quidem lugere et conqueri, disrumpuntur et pereunt; si vero mœrentium omnia fecerint, relevantur et consolationem accipiunt. Et quid mirandum, si in mulieribus hoc, quippe cum et prophetam hoc patientem videre quis possit? Propterea frequenter dicebat : *Sinite me, amare lugebo, nolite contendere, ut consolemini super contritione filiæ generis mei.* (*Isa.* XXII, 4.) Itaque sæpe tristitia affert consolationem. Si autem in hoc mundo, multo magis in rebus spiritualibus. Propterea dicit : *Secundum Deum autem tristitia pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* (*I Cor.* VII, 10.) Et hoc quidem obscurum esse videtur : quod autem dicit, est hujusmodi : si de pecuniis tristatus fueris, nihil profecisti; si in ægritudine, nihil lucratus es, verum et magis ipsam exacerbasti.

S. Hieron., *Super Joannem.* — Nulla res ita inebriat ut animi perturbatio, id est tristitia quæ ducit hominem ad mortem, hæc abominanda ebrietas est.

S. August., *De civitate Dei*, lib. XIV, t. VII. — Quid est cupiditas et lætitia, nisi voluntas in eorum consensionem quæ volumus? Et quid est metus atque tristitia, nisi voluntas in dissensionem ab his quæ nolumus? Sed cum consentimus appetendo ea quæ volumus, cupiditas; cum autem consentimus fruendo his quæ volumus, lætitia vocatur. Itemque cum dissentimus ab eo quod accidere nolumus, talis voluntas metus est; cum autem dissentimus ab eo quod nolentibus accidit, talis voluntas tristitia est.

S. Bernard., serm. 1 *in cap. Jejunii.* — Memento sane adversus hypocritas hunc processisse sermonem : *Nolite*, inquit, *fieri sicut hypocritæ tristes.* (*Matth.* VI, 16.) Non

Digitized by Google

omnimodam nobis tristitiam interdicit, sed quæ in facie est coram hominibus. Alioquin *cor sapientis ubi tristitia* (*Eccle.* VII, 5), et Paulum discipulos quoque contristasse non piget, pro eo quod contristati sunt ad salutem. Non est talis tristitia hypocritarum, non in corde, sed in facie est. — *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam : exterminant enim facies suas ut appareant jejunantes.* (*Matth.* VI 5.) Vides quam brevi sermone hypocritas et singularitatis notatet arguit vanitatis. Vide etiam quam paucis et coram Deo suadeat bona, et coram hominibus providere. *Unge caput tuum, et faciem tuam lava.* (*Ibid.*) Hoc est, sic te irreprehensibilem foris exhibe, ut divinam tibi conciliare studeas gratiam, et ante oculos humanos non propriam quæras gloriam sed auctoris.

U

ULTIO

[Ex SS. Patribus.]

S. Clemens, hom. 13, t. I. — *Oportet ut veniant bona. Beatus autem*, inquit, *per quem veniunt. Similiter necesse est ut etiam veniant mala ; væ autem illi per quem veniunt.* (*Matth.* XVIII, 7 ; *Luc.* XVII, 1.)

Porro, si per malos veniunt mala, et per bonos bona inferuntur; proprium unicuique inesse debet, bonum esse vel malum, et ex iis quæ prius operatus est; quod veniant secunda bona vel mala ; quæ cum a propria hominis sint voluntate, ut exoriantur divina instituit providentia. Itaque hoc est Dei judicium, ut qui per omnem vexationem, velut in agone transierit, et inventus fuerit inculpatus, is donetur vita æterna. Nam qui in bonis propria voluntate profecerunt, ab iis qui sua voluntate in mala tractatione perseverant, tentantur, exagitantur : odia, convicia, insidias, verbera, fraudes, calumnias, vim patiuntur; afficiuntur contumeliis; cunctaque illa perferunt, per quæ jussa videtur esse ira et ultio.

Magister vero sciens, quod qui hæc injuste faciunt, ex prioribus peccatis rei sunt, quodque per sontes, spiritus malitiæ ista ellicit: hominum, quatenus homines sunt, et si propter peccata facti fuerint malitiæ instrumenta, misereri suasit suis, tanquam misericordiæ cultoribus ; utque, quantum in se est, injuria affecti injuriam facientes a damnatione absolvant ; quo velut sobrii ebriis succurrant, per orationes, jejunia, benedictiones; non resistendo, non vindicando, non eos cogant amplius peccare. Cum enim aliquis omnino ad patiendum condemnatus est, non est æquum ut illi irascatur per quem patitur; secum reputans quod, etsi ille non afflixisset eum, tamen quia omnino affligi debet, per alium pati sibi contingeret. Cur ergo indignor adversus auctorem, qui plane ad perpessionem sum destinatus? sed et adhuc; si eadem cum improbis prætextu ultionis faciamus; præterquam quod primi non sumus, secundi, idem faciamus ac mali, qui boni dicimur, et quemadmodum aiebam, indignari non oportet, cum scias a malis bonos per Dei providentiam castigari. Qui ergo ultores ægre ferunt, tanquam qui a Deo missos contumelia afficiant, delinquunt; qui vero in pretio habent, iisque contraria faciunt, ac injuriam inferre creditis in Deum qui ita statuit, pii sunt.

Et ego ad hæc dixi : Itaque qui faciunt injuriam, rei non sunt, quoniam Dei judicio injuria justos afficiunt. Respondit Petrus : Valde peccant ; quippe qui se ad peccandum dedant. Unde sciens Deus, ex omnibus eos punire deligit, qui de prioribus peccatis juste agunt pœnitentiam : ut justis quidem, per has pœnas dimittantur quæ ante pœnitentiam fecerunt mala : impiis vero qui castigant et vexare cupiunt, nec pœnitentiam volunt agere, ad implenda delicta permittitur justos castigare et affligere, nam absque Dei voluntate, neque passer in laqueum incidere potest. Sic justorum etiam capilli a Deo numerati sunt. (*Luc.* XII, 6, 7.)

Ille autem justus est, qui propter rectam rationem pugnat cum natura. Verbi gratia, cunctis a natura insitum est, diligentes diligere ; justus conatur etiam diligere inimicos, et conviciantibus benedicere; ac præterea orare pro hostibus, injuriam inferentes miserari. Quocirca abstinet a referenda injuria, item maledicentibus benedicit, verberantibus condonat, cedit persequentibus, salutat eos qui non salutant, cum non habentibus communicat quæ habet, irascentem flectit, inimicum conciliat, contumacem hortatur, incredulum instituit, lugentem consolatur; exagitatus sustinet, ingrate acceptus non indigne fert; propensus est ad diligendum proximum tanquam se : paupertatem non timet; verum sua non habentibus dividens, fit pauper. Sed nec peccantem ulciscitur. Qui enim proximum velut se diligit, quemadmodum ipse cum peccavit, scit nolle in se animadverti, ita nec peccantes castigat ; et sicut vult demulceri, benedici, honorari, omniumque delictorum veniam accipere ; hoc ipse proximo facit, quem velut se amat. (*Matth.* VII, 12.) Uno verbo, quod sibi cupit, cupit et proximo. Hæc enim est Dei ac prophetarum lex, hæc veritatis doctrina. Itaque charitas erga omnem hominem perfecta, pars est mascula humanitatis. At misericordia

Digitized by Google

pars est illius feminea, quæ est esurientem alere, potum sitienti dare, nudum vestire, visitare languentem, hospitem recipere, carcere conclusum, pro viribus invisere et juvare; omnino denique calamitosi misereri.

Ego vero, audito hoc, dixi : hæc quidem facere possumus; at inimicis benefacere, omnesque eorum injurias tolerare, ut insit in humana natura, impossibile puto. Tum Petrus respondit : Recte locutus es. Cum enim humanitas causa sit immortalitatis, multo constat. Dixi ego : Quomodo igitur mente potest concipi? Respondit Petrus : Humanitas, dilecte Clemens, acquiri potest, si quis plene sibi persuadeat, inimicos, dum quos oderunt vexant ad tempus, æterni supplicii liberationem illis producere; sicque ii etiam ut benefici admodum diligentur. Porro via humanitatem accipiendi, amice Clemens, unica est, nimirum timor Dei. Nam qui timet Deum, non quidem potest principio diligere proximum tanquam se : ad hoc jubenti non accedit animæ; at timore erga Deum amantium opera potest peragere; sicque postea, ubi opera dilectionis fecerit; charitas velut sponsa timori velut sponso adjungitur; atque ita humanitatis gignens cogitationes, immortalem reddit possessorem, velut imaginem Deo similem, cujusque natura nequeat a corruptione ludibrio haberi.

Tertull., *De patientia.* — Christum læsimus, cum evocatos quosque ab illo quasi miserandos, non æquanimiter accipimus. Cupio, inquit Apostolus, dissolvi jam et esse cum Christo. (*Philip.* I, 23.) Quanto melius ostendit votum Christianorum? Ergo votum si alios consecutos impatienter dolemus, ipsi consequi nolumus. Est et alius summus impatientiæ stimulus, ultionis libido, negotium curans aut gloriæ aut malitiæ. Sed et gloria utique vana, et malitia nunquam non Domino odiosa, hoc quidem loco maxime, cum alterius malitia provocata, superiorem se in exsequenda ultione constituit, et remunerans nequam duplicat quod semel factum est. Ultio penes errorem solatium videtur doloris; penes veritatem certe redarguitur malignitatis. Quid enim refert inter provocantem et provocatum, nisi quod ille prior in maleficio deprehenditur? At ille posterior? Tamen uterque læsi hominis Domino reus est : qui omne nequam et prohibet et damnat. Nulla in maleficio ordinis ratio est; nec locus secernit, quod similitudo conjungit. Absolute itaque præcipitur malum malo non rependendum. Par factum, par habet meritum. Quomodo id observabimus, si fastiditi ante in fastidio ultionis non erimus? Quem autem honorem litabimus Domino Deo, si nobis arbitrium defensionis arrogaverimus? Nos utres, vasa fictilia, servulis nostris assumentibus sibi de conservis ultionem, graviter offendimur; eosque qui nobis patientiam obtulerint suam, ut memores humilitatis, servitutis, jus Dominici honoris diligentes, non probamus modo, sed ampliorem quam ipsi sibi præsumpsissent, satisfactionem facimus : id nobis in Domino tam justo ad æstimandum, tam potenti ad perficiendum periclitatur?

Quid ergo credimus judicem illum, si non et ultorem? Hoc se nobis repromittit dicens : *Vindictam mihi, et ego vindicabo.* (*Hebr.* X, 30.) Id est, patientiam mihi, et ego patientiam remunerabo. Cum enim dicit : *Nolite judicare, ne judicemini* (*Matth.* VII, 1), nonne patientiam flagitat? Quis enim non judicabit alium, nisi qui patiens erit non defendendi? Quis idcirco judicat, ut ignoscat? Ac si ignoscet, tamen judicantis impatientiam cavit, et honorem unici judicis, id est Dei abstulit. Quantos vero casus ejusmodi impatientia incursare consuevit? Quoties pœnituit defensionem? Quoties instantia ejus deterior facta est causis suis? Quoniam nihil impatientia susceptum sine impetu transigi novit : nihil impetu actum, aut non offendit, aut corruit, aut præceps abiit. Jam si levius defendaris, insanies; si uberius, oneraberis. Quid mihi cum ultione, cujus modum regere non possum per impatientiam doloris? Quod si patientiæ incubabo, non dolebo; si non dolebo, ulcisci non desiderabo.

Origen., *Comment. in Epist. ad Rom.*, t. IV. — *Thesaurizas tibi ipsi iram in die iræ.* (*Rom.* II, 5.) Nunc jam videamus quæ est dies iræ, quam hic Apostolus nominat, quæ tamen facilius dignoscetur; si de ea quid etiam reliquæ Scripturæ indicent requiramus. Quæ ergo ad præsens exempla occurrere poterunt, aptabimus, et ex his quæ sit dies iræ monstrabitur. Scriptum est in Amos propheta : *Væ vobis quæ desideratis diem Domini! Ut quid vobis diem Domini? Et hæc est tenebræ, et non lux; quemadmodum si effugiat homo a facie leonis, et occurrat ei ursus, et intret in domum suam, et extendat manus suas ad parietem, et mordeat eum serpens. Nonne tenebræ sunt dies Domini, et non lux, et caligo quæ non resplendet?* (*Amos.* V, 18-20.)

Sed et Joel dicit ad sacerdotes, et eos qui altari deserviunt : *Clamate ad Dominum sine cessatione : Heu me! heu me in diem, quia prope est dies Domini, et sicut miseria ex miseria veniet.* (*Joel.* I, 14, 15.) Et post pauca : *Tuba canite in Sion, prædicate in monte sancto meo, et confundantur omnes qui habitant super terram, quia adest dies Domini, quia prope est dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et nebulæ. Sicut matutinum*, etc., etc. (*Joel.* II, 1-5.) Sed et omnia in consequentibus de eadem scribit, usque ad eum locum ubi dicit : *Et Dominus dabit vocem suam ante faciem virtutis suæ, quia ingens est valde multitudo castrorum ejus, et valida opera verborum ejus. Propter quod magna est dies Domini, magna et nobilis valde : et quis erit idoneus ei?* (*Ibid.*, 11.)

Sophonias vero ita dicit : *Revereamini a facie Domini Dei, quoniam prope est dies Domini, et præparavit Dominus victimam suam, sanctificavit vocatos suos.* (*Sophon.*

Digitized by Google

1, 7) Et post pauca : *Prope est dies Domini magna, prope est et velox valde. Vox diei Domini amara, et dura posita est, et valida dies iræ, dies illa, dies angustiæ et necessitatis, dies acerbitatis et perditionis, dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et nebulæ, dies tubæ et clangoris super civitates munitas, et super muros excelsos. Et afficiam homines*, etc., etc. (*Sophon.* I, 14-18.)

Isaias quoque similiter memorat : *Ecce enim dies Domini veniet insanabilis furoris et iræ, ponere orbem terræ desertum, et peccatores perdere ex eo.* (*Isa.* XIII, 9.) Et post pauca : *Cœlum enim furore accendetur, et terra movebitur a fundamentis suis propter furorem iræ Domini Sabaoth, in die qua supervenerit furor ejus.* (*Ibid.*, 13.) His tot et talibus de die iræ testimoniis congregatis, puto quod ultra locus hic expositione non egeat. Evidenter enim in his omnibus dies iræ, vindictæ, dies et judicii designatur.

Inde denique ad diem iræ addit Apostolus : *Et revelationis.* Sic enim dicit : *In die iræ revelationis justi judicii Dei.* (*Rom.* II, 5.) Revelanda namque esse omnia, etiam in Evangelio designatur, cum dicitur : *Nihil occultum, quod non manifestetur ; nec apertum, quod non reveletur.* (*Matth.* X, 26.) Sed et Apostolus in consequentibus hujus epistolæ dicit : *Cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum judicabit Deus occulta hominum.* (*Rom.* II, 15, 16.) In quo utique ostendit occulta hominum revelanda, non nisi in die qua judicaturus est Deus, sicut et ad Corinthios evidentius dicit : *Nolite ante tempus*, inquit, *judicare, usquequo veniat Dominus, qui et illuminabit occulta tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* (*I Cor.* IV, 5.) Quæ utique omnia de hac eadem die dici intelliguntur, in qua tenebræ, et mœror, et tristitia futura dicuntur, propter eos qui, multis peccatorum vulneribus confossi, ignis remediis indigebunt. Quo in tempore dicetur ad sanctos : *Perge, populus meus, intra in promptuaria tua, claude ostium tuum, occultare paulisper, donec transeat furor iræ meæ.* (*Isa.* XXVI, 20.) In quibus sermonibus quantæ divitiæ bonitatis Dei occultentur, propter eos qui patientiam ejus bonitatemque contemnunt, manifestare non opus est. Requiritur sane a quibusdam cur dies hic in fine mundi statutus sit, ut omnes qui ab initio sæculi usque ad finem ipsius defuncti sunt, ad hunc ultimum diem reserventur.

S. Cyprian., *Lib. de zelo et liv.* — *Tacui, nunquid semper tacebo?* (*Isa.* XLII, 14.) Quis est hic qui tacuisse se prius dicit, et non semper tacebit? Utique ille qui sicut ovis ad vindictam ductus est, et sicut agnus, coram tondente se, sine voce, non aperuit os suum. Utique ille qui non clamavit, neque in plateis vox ejus audita est. Utique ille qui non fuit contumax, neque contradixit, cum dorsum suum poneret ad flagella et maxillas ad palmas, faciem autem suam non avertit a fœditate sputorum. Utique ille qui cum accusaretur a sacerdotibus et senioribus, nihil respondit, et, admirante Pilato, patientissimum silentium tenuit. Hic est qui cum in passione tacuerit, in ultione postmodum non tacebit. Hic est Deus noster, id est non omnium, sed fidelium et credentium Deus qui, cum in secundo adventu manifestus venerit, non silebit. Nam cum in humilitate prius fuerit occultus, veniet in potestate manifestus. Hunc exspectemus, fratres dilectissimi, judicem et vindicem nostrum, Ecclesiæ suæ populum et ab initio mundi justorum omnium numerum secum pariter vindicaturum.

Qui ad vindictam suam nimium festinat et properat, consideret quia necdum vindicatus est ipse qui vindicat. Pater Deus præcipit Filium suum adorari, et apostolus Paulus, divini præcepti memor, ponit et dicit : *Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum.* (*Philip.* II, 9.) Et in Apocalysi angelus Joanni volenti adorare se resistit, et dicit : *Vide ne feceris, quia conservus tuus sum, et fratrum tuorum, Jesum Dominum adora.* (*Apoc.* XIX, 10.) Qualis Dominus Jesus et quanta patientia ejus, ut qui in cœlis adoratur, necdum vindicetur in terris. Hujus patientiam, fratres dilectissimi, in percussionibus et passionibus nostris cogitemus. Hujus adventui plenum exspectationis obsequium præbeamus. Nec defendi ante Dominum servi irreligiosa et inverecunda festinatione properemus. Insistamus potius et elaboremus, et toto corde vigilantes, atque ad omnem tolerantiam stabiles Dominica præcepta servemus ; ut cum ille iræ et vindictæ dies venerit, non cum impiis et peccatoribus puniamur, sed cum justis et Deum timentibus honoremur.

S. Athanas., *De passione et cruce Domini*, t. II. — *Benedicite persequentibus vos.* (*Matth.* V, 44.) Ne vero quibusdam impossibile videretur præceptum, ideo per sese omnia exhibuit Dominus ; atque ex iis quæ passus est, suasit omnibus qui contumelia afficerentur, ne vicissim inferrent contumeliam : verberatis, ne verberarent : illusis, ne irascerentur : neve ab eo qui nostra auferat, repetamus illa, et in summa ne mortem expavescamus : imo ipsam spe futurorum contemnamus. Eo enim modo, facilior est victoria de diabolo, deque omni peccato, quam si nos ipsi vindicemus. Vindicantes enim, et injuria injuriam, contumelia contumeliam propulsantes, augemus alimusque contra nosipsos malitiam, nec magis inimicos quam nos ipsos lædimus, ob condemnationem scilicet et judicium futurum de iis qui malitia utuntur. Cum autem læsi injuriam, ut Dominus, sustinemus, et convitiantibus patientiam opponimus, minitantibus fortitudinem, morti spem immortalitatis : in his prorsus cruciamus inimicum : ipseque ejusmodi panoplia decidit, qua nos instruens Paulus ait : *Induite igitur armaturam Dei ut possitis stare adversus insidias*

Digitized by Google

diaboli. (*Ephes.* VI, 11.) Hæc enim, patiente Salvatore, evenit illud : *Videbam Satanam quasi fulgur de cælo cadentem.* (*Luc.* X, 18.)

Quod ne de iis quidem, quæ corpori circumponuntur, litigare oportet, etiamsi ad id contegendum necessaria sint.

S. BASIL., *Moral.*, tom. II. — *Percutienti te in dextram maxillam, præbe et alteram, et ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. Omni autem petenti te, tribue : et ab eo qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.* (*Luc.* VI, 29, 30.) *Audet aliquis habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, et non apud sanctos?* (*I Cor.* VI, 1.) Et paulo post : *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis, et fraudatis : et hoc fratribus.* (*Ibid.*, 7, 8.)

Quod non oportet pugnare, aut seipsum ulcisci : sed erga omnes, si fieri potest, pacem servare juxta Domini mandatum.

Audistis quia dictum est : Oculum pro oculo, et dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo ; sed quisquis te percusserit in dexteram maxillam, obverte illi et alteram, et reliqua. (*Matth.* V, 38.) *Charitatem habete in vobis, sed et pacem habete inter vos.* (*Marc.* IX, 49.) *Nulli malum pro malo reddentes ; providentes bona coram omnibus hominibus ; si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes ; non vosmetipsos vindicantes, charissimi, sed date locum iræ.* (*Rom.* XII, 17.) *Servum autem Domini non oportet litigare ; sed mansuetum esse ad omnes.* (*II Tim.* II, 24.)

Idem, *Serm. De ira et odio*, t. III.—Maxima in Christianum accusatio est, expeditum esse et paratum ad vindictam, atque omnibus modis esse intentum, ut iis qui ipsi molestiam exhibuere, par pari referat. Quomodo enim alium edocebit ut nemini malum pro malo rependat, dum ipse nihil molitur ut vindictam sumat, ac sua vice lædentem afficiat molestia ? Haud imitans Davidis mansuetudinem, qui ait : *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.* (*Psal.* VII, 5.) Quapropter oportet compescere insanum ac vecordem animi motum, beatorum illius exemplorum memoria : quomodo ille petulantiam Semei mansuete pertulerit. Non enim tempus dabat commotioni iræ ; siquidem cogitationem suam transferebat in Deum. Ait nimirum : *Dominus dixit Semei, ut malediceret Davidi.* (*II Reg.* XVI, 10.) Quapropter, cum vocaretur vir sanguinum et vir iniquus, haudquaquam ei succensuit. Sed se ipse humiliabat, quasi jure ac merito maledictis contumeliisque lacessitus. Omnis enim reprehensio palam eum qui reprehenditur perstringens, ipsum vehementer torquet, cum peccati detegat turpitudinem ; ita ut eum qui nullo delictorum suorum sensu tangebatur, non mediocri afficiat beneficio ; quippe ad eorum conscientiam et ad veram pœnitentiam ipsum deducat. Quale enim corporis vulnus creat acrem dolorem ejusmodi, cujusmodi cruciatum animæ parit sermo objurgatorius, cum eorum qui turpitudine et opprobrio rerum male gestarum premuntur, conscientiam perstringit ?

Neque enim corporeus caracter ita propius cujusquam deputatus est, ut animi Deum amantis pax et mansuetudo. Tali igitur conveniat alias ad se trahere, ac omnibus ad se accedentibus præstare, ut veluti cujusdam unguenti fragrantia, morum suorum lenitate impleantur, ducem se aliis præbens ad optima, minime autem alium ad illicita sequens : ac contentionis quidem studium aliis relinquat, imo ex illorum etiam animis extrahat, si fieri potest ; ipse autem patientia molestias superet. Nam ulcisci se, cujusvis irati est ; sed ipsa etiam ira superiorem esse, hoc hujus est solius, et si quis illi virtute consimilis. Quale enim spectaculum ! Quam præclara res est, et admiratione digna, quæque propemodum naturam humanam superat, si homo qui multis impetitus est conviciis, aut forte etiam in maxilla plagam accepit, et innumera alia perpessus est, et dictis et factis ad extremam ignominiam tendentia, minime tamen præter modum ira effervescat, neque excitetur ad vindictam : sed mansuete et absque iracundia precetur pro conviciatore, ut ei præteritum ei peccatum condonetur, ac in posterum convenienti Dei cura dignus habeatur. Nunc vero nos inter cætera peccata, et illud maxime peccamus, persequimur nempe retributionem, neque pari mensura vices rependimus ; sed ultra modum nosipsos ulciscimur, nec indignamur solum si quapiam contumelia fuerimus vexati, sed si honore non afficimur : eos quoque qui nobis minus honoris tribuerint, quam quo nos ipsos dignos esse existimamus, pro inimicis habemus.

Contumelia te affecit iratus quispiam, siste silentio malum, neque iram illius velut quoddam fluentum in animum tuum suscipiens, ventos imiteris, qui quod illatum est, id reflatu repellunt. Maledixit ille ? Tu benedicas. Percussit ? Tu sustine. Despicit, teque facit nihili ? Tu tecum cogita ortum te esse ex terra, ac rursus in terram reversurum. Obscurum te dixit ingloriumque, et nihili hominem, qui infimo loco natus sit ? Tu teipsum terram ac cinerem dicito. Illustrior non es patre nostro Abraham, qui se ipse ita appellavit. Inductum et pauperem te dixit ? Tu te dicas vermem, teque ex stercore habere originem, Davidis verba usurpans. His etiam præclarum Moysis facinus adjice. Ille ab Aaron et Maria maledictis lacessitus, non Deum adversus eos interpellavit, sed pro eis oravit.

Ecquid stultius est ira ? Sin tranquillus et sine ira permanseris, incutis pudorem convitiatori, cum prudentiam reipsa ostenderis atque modestiam. Ut enim qui verberat sensu carentem sibi ipse irrogat pœnam (nam nec hostem ulciscitur, nec iram sedat) ; ita quisquis hominem qui injuriis non movetur probris ac maledictis lacessit, is cupiditatem suam solari ac mollire non potest. Quod si par pari referas, et ex æquo insurgas

Digitized by Google

adversus conviciatorem, quam tandem prætendes excusationem? Quod te prior ad iram provocavit? Sed hoc qua venia dignum? Neque enim scortator qui culpam in meretricem transfert, tanquam quæ ad peccatum impulerit, remissius condemnatur. Nonne malum contumelia? Cave imiteris. Nam incœpisse alium, non sufficit ad excusationem. Imo vero æquius est, ut mihi persuadeo, intendi etiam adversum te querelam, quod ille exemplum quo emendaretur nequaquam habuerit. Tu tamen videns iratum indecore se gerentem, non illius vitasti similitudinem: sed indignaris, acerbius objurgas, obluctaris; ideoque tua ipsius perturbatio aggredientis exordientisque defensio fit et excusatio. Etenim si malum ira est, cur malum non declinasti? Sin autem quidpiam est venia dignum, cur infensus es irascenti? Nam qui vaniloquio contradicit, is quodammodo illi assimilis effici videtur. Propterea sapientem arbitror Salomonem edixisse: *Ne quis stulto secundum ipsius insipientiam respondeat.* (*Prov.* XXVI, 4.) Quemadmodum enim qui imperatoris effigiem dedecore affecit, non aliter punitur, quam si in ipsum imperatorem peccasset: sic etiam peccato obnoxius is est, qui ei quem ad sui imaginem Deus creavit, injuriam intulerit.

Ne habites una, inquit, *cum viro iracundo.* (*Prov.* XXII, 24.) Mala enim res cum cane colligari, ac perpetuum latratum ferre. Fuge igitur congressum ejus atque consuetudinem, alioqui necesse tibi est aliquid viarum ipsius addiscere. Dixit rem contumeliosam, commovit et animum tuum. Quemadmodum canis latratus provocat canis alterius tumultum; ita quoque animum tuum prius sopitum ac quiescentem vox ejus ad iram concitavit, et alter alterum allatrastis, et ita demum alter alteri adversantes, ignominiosa verba velut fundas intorquetis. Dixit ille aliquid injuriosum: tu longe injuriosius respondisti, auspicantem atque aggredientem imitatus. Ille contumeliosi verbi receptis vicibus, commoveri non destitit; sed conversus peccatum suum adauxit. Superior evadere voluit verborum acerbitate. Tu rursus his auditis, supra modum attolleris, sicque malorum fit contentio. Qui autem in malorum certamine vincit, is magis miser est.

Ubi enim rationem semel exturbaverit iracundiæ vitium, atque dominium animæ usurpaverit, hominem prorsus convertit in belluam, et ne hominem quidem esse sinit. Quod enim venenatis venenum est, hoc idem ira est exasperatis. Fiunt rabidi canum in morem, insiliunt ut scorpii, mordent ut serpentes. Nam irati primum ignorant sese, deinde omnes similiter familiares atque necessarios. Per iram ensis acuitur, atque patratur homicidium humana manu: per hanc fratres alii alios ignoravere: parentes quoque et liberi naturæ obliti sunt. Et quemadmodum torrentes ad loca cava confluentes, quidquid obvium est transversum trahunt; ita violenti ac impotentes irascentium impetus cunctos similiter invadunt. Nam eorum quæ molesta ipsis fuerunt, recordatione quasi æstro exstimulati, effervescente in eis ira atque subsiliente, non prius cessant quam damnum aliquod inferant irritanti. Nam cum ira rebus irritantibus accensa est, ut ingenti lignorum congerie flamma, tum demum neque verbis explicabilia, neque factu tolerabilia spectacula videre licet: manus attolli adversus tribules, pedes temere insultantes, denique quidquid in conspectum venit, id furori ac insaniæ pro armis esse. Quod si ex adverso æquale malum renitens repererint, aliam videlicet iram et parem insaniam; ita demum inter se conserti, mutuo faciunt ac perpetiuntur quæ æquum est perpeti eos qui sub ejusmodi dæmone militant. Mutuæ siquidem illæ offensiones animique irritationes abjecti, primum quidem exiguæ sunt, et curatu perfaciles: temporis vero progressu per contentionem auctæ, immedicabiles prorsus evadere consueverunt. Quandiu enim quæ ex dissidio oboriuntur calumniæ, locum habuerint, tandiu suspiciones in pejus augeri necesse est.

Si igitur videris iratum dentes acuentem, cogita hominem ejusmodi similem esse apro, ut, qui iracundiam internam dentium affrictu indicet. Nam in malis pugnis miserior est qui vicit, quippe quia cum majori peccato abit. Contra serpentem illum duntaxat iracundiæ tuæ vim exere. Quid enim Phineen justificavit? Nonne justa ira adversus scortatores? Qui alioqui perquam mitis ac mansuetus, posteaquam Zambri cum scorto Madianitide palam et sine verecundia coeuntem vidisset, adeo ut ne contegerent quidem turpitudinis suæ infame spectaculum, hoc non perferens, ira opportune usus est, utroque hasta transfixo. (*Num.* XXV, 8.) Rursus zelotes ille Elias quadringentos quinquaginta viros confusionis sacerdotes lucorum mensam Jezabel comedentes, consultissima ac sapienti ira in totius Israelis commodum interfecit. (*III Reg.* XVIII, 22-40.) Sic ira plerumque actionum bonarum est ministra. Libentius sane viderit quis amicum irascentem, quam alium dolentem. Itaque hos imitari studeamus, neque contra nos, sed adversus diabolum tantum, iracundiam aremus, si cœleste regnum assequi velimus, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et potestas, cum æterno ejus Patre, ac sanctissimo vivificanteque Spiritu, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

S. Ambros., *De Abraham.*, l. I, c. I. — *Vindicandum in quos arbitraris, eorum propius scrutanda commissa. Descendam itaque, ut videam secundum clamorem illorum venientem ad me, si consummabuntur; sin autem ut sciam.* (*Gen.* XVIII, 21.) Non ignorabat Dominus peccata Sodomorum: sed propter te instruendum verba hujusmodi loquebatur, ut tu propius scruteris eorum commissa, in quos vindicandum arbitraris. *Descendam*, inquit, *ut videam*, hoc est: etiam tu descendere cura, descende indaginis studio; ne quid sit quod fallat, aut lateat absentem; ut oculis facinus deprehendas. Eminus po-

Digitized by Google

siti multa nescire possunt. Quem clamorem autem ait, nisi forte quia ei quem nihil latet, clamant omnia, clamare videntur singulorum crimina? Denique ad Caïn dicitur: *Sanguis fratris tui ad me clamat* (*Gen.* IV, 10), hoc est non latet, sed clamat parricidium tuum. Itaque velut excitatur Deus flagitiorum nostrorum clamoribus, ut aliquando vindicet, qui libenter ignoscit.

S. Ambros., *De interpellat. Job*, lib. III, t. I. — Job non carnis gemitus et corporis infirmitates, sed voces Spiritus loquebatur quibus urgeret, non quibus cederet. Et primo quidem lenius, ut illis pudorem incuteret; quia urgebant justum injuste dicentes quod minora peccatis suis supplicia sustineret, et non erubescebant ipsi peccatores falsis accusare innocentem. Esto, inquit, ego erraverim, et apud me devius ille inhabitet, qui mentibus hominum offundit errores, (*Job* XIX, 4 et seqq.) ut loquar sermones quos non oportet, sicut vos dicitis, et errent verba mea, nec opportune sermo meus promatur: cur vos in me insilitis et conviciamini, non considerantes quia a Domino mihi venit ista tentatio, qui me vallo quodam perturbationum arbitratus est sapiendum? Exerceor adversis, circumvallatus undique laboribus et periculis; et insultatis adhuc volentes opprimere quem deberetis juvare. Ecce rideo in opprobriis, et non loquar, nec respondebo conviciis vestris. Non enim vos estis qui judicatis: sed qui judicat me, Dominus est, et ipsius tamen judicii tempus nondum advenit. Quid opus clamare ante judicium? bonum est tacere, dum exspectatur qui judicat. Bonum est convicium convicio non referre, ne et nos inter detrahentes adnumeremur.

Imitemur ergo hunc virum qui silentio suo redarguebat conviciantes. Ostendebat enim virtutem animi sui quem contumeliæ non moverent, et conscientiæ innocentiam manifestabat qui objecta non recognosceret, sed quasi a se aliena rideret. At vero nos, quasi aliquid nobis objiciatur, dum purgare volumus, acerbamus: dum ulcisci cupimus, contitemur; cum dicat Scriptura ut avertas dedecoris sermonem, et auferas vestimentum tuum; prætierit enim injuriosus. Taceamus ergo ut prætereat, ne vestimentum nostrum provocatus exurat. Scriptum est enim: *Noli incendere carbones peccatoris, ne forte exuraris in igne flammæ ejus.* (*Eccli.* VIII, 13.) Propterea ergo sanctus tacet; et si servus protervit, et si pauper conviciatur, tacet justus, et si peccator opprobria jacit, justus ridet: et si infirmus maledicit, justus benedicit.

Tacebat David cum Semei filius Gera malediceret, Job ridebat, Paulus benedicebat, sicut ipse ait: *Maledicimur et benedicimus.* (*I Cor.* IV, 12.) Magisterio quippe divino processus humanæ virtutis excrevit; quia jam venerat qui ex infirmioribus faceret fortiores, et audierat dicentem: *Benedicite maledicentes vobis, et orate pro calumniantibus vos.* (*Luc.* VI, 28.) Quod verbo dixit, exemplo probavit. Denique et in cruce positus, de persecutoribus suis conviciantibus sibi dicebat: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciun* (*Luc.* XXIII 24); u oraret pro calumniantibus, quibus poterat ipse dimittere. Job ergo ridebat, quia nondum venerat Christus, cui soli servabatur magnarum prærogativa virtutum; quia ipse est virtutum principium, sicut dixit: *Dominus creavit me principium viarum suarum.* (*Prov.* VIII, 22.)

Idem, *Enarr. in psal.* XXXVII, t. I. — Ipse Dominus Jesus vere cum accusaretur, tacebat, et cum porculeretur, non repercutiebat. Denique percussus respondit: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si bene, quid me cædis?* (*Joan.* XII, 24.) Vide quemadmodum quasi vere infirmus, et quasi is qui se vindicare non posset, puerili quodam loquebatur affectu: ita ergo et tu si habeas quo redarguas arguentem, melius tacebis; ne redarguendi vicissitudine commotionem tuam prodas. Melius est enim dissimulare injuriam, quam cum redarguis, vindicare. Bonus mutus qui loqui male nescit, cujus ex ore crimen exire non novit. Hic est mutus vere beatus, qui cum tacet, intra se loquitur. Dominus dat mihi linguam eruditionis, ut sciam quando oporteat me dicere sermonem. Talia loquebatur intra se Zacharias cum obmutuisset; et vere quia loqui ei non profuerat, ne loqueretur, obmutuit: et ut loqueretur, exauditus a Christo est. Denique scripsit quod Christus exaudiret; et vocem recepit quam Christus indulsit; et gratiam adjunxit quam ante non habuit, ut prophetaret eum cujus mandatis ante non credidit. Quid de Domino omnium virtutum loquor, cum mulier Susanna nec sexus infirmitate turbata, cum se ad periculum mortis cognovit addictam, vocem emiserit? Accusabatur et tacebat; ducebatur ad mortem et silentio se tegebat, ne nudaret pudorem. Intra se tamen loquebatur Deo, qui eam magis audivit tacentem, quæ si voluisset loqui, forsitan non esset audita.

Idem, *De Joseph patriarcha*, lib. I, t. I. — Hinc argumentum totius historiæ processit; simul ut cognoscamus perfectum virum non moveri ulciscendi doloris injuria, nec malorum rependere vicem. Unde et David ait: *Si reddidi retribuentibus mihi mala.* (*Psal.* VII, 5.) Quid autem esset quo præferri Joseph mereretur cæteris, si aut lædentes læsisset, aut diligentes dilexisset? Hoc enim plerique faciunt. Sed illud mirabile, si diligas inimicum tuum, quod Salvator docet. (*Matth.* V, 44.) Juro ergo mirandus qui hoc fecit ante Evangelium, ut læsus parceret, appetitus ignosceret, venditus non referret injuriam, sed gratiam pro contumelia solveret; quod post Evangelium omnes didicimus, et servare non possumus.

Idem, epist. 63, classis 1, t. II. — Quæ melior forma quam justitiæ divinæ? Dicit enim Dei Filius: *Diligite inimicos vestros.* (*Matth.* V, 44.) Et iterum dicit: *Orate pro*

Digitized by Google

persequentibus et calumniantibus vos. Eo usque perfectis studium adimit ultionis, ut lædentium charitatem imperet. Et quoniam in veteri Scriptura dixerat : *Mihi vindicta, et ego retribuam* (*Deut.* XXXII, 35), in Evangelio ait orandum pro iis qui læserint; ne in eos vindicet, qui vindicandum promisit : vult enim ex tua dimittere voluntate, in quo ex sua convenitur promissione. Quod si vindictam requiris, habes quia injustus amplius suis punitur opinionibus, quam judiciariis severitatibus.

S. CHRYSOST., hom. 10 *in Epist. ad Rom.*, t. IX. — *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ipsius. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* (*Rom.* XII, 20, 21.) Quid dico, inquit, quod in pace sit vivendum? Nam inimico benefacere jubeo. Etenim ait, ciba illum et potum da illi. Deinde quia rem laboriosam et magnam, subjunxit : *Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ipsius.* Hæc porro dixit illum metu reprimens, et hunc spe retributionis alacriorem reddens. Nam qui injuste læsus est, cum infirmatus fuerit, non de propriis bonis ita afficitur, ut de supplicio ejus qui se læsit. Nihil enim ita jucundum est, ut ultio de inimico sumpta. Quod ergo desiderat, hoc illi primo dat; et postea cum venenum amisit, tunc ad sublimiora hortatur, dicens : *Noli vinci a malo.* Sciebat enim inimicum, etiamsi fera esset, inimicum tamen non mansurum, si cibum ab illo acceperit. Et si is qui læsus fuit, quantumcunque vindictæ cupidus sit, postquam inimico cibum et potum dederit, non ultra certe vindictam ejus operaturus est. Ideo de fine et exitu rei fiduciam habens, non simpliciter comminatur, sed supplicium vario modo depingit. Non enim dixit : Vindictam sumes; sed carbones ignis congeres super caput ejus.

Deinde sic prædicans illum alloquitur : *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Atque ita sensim subindicat non oportere tali animo facere. Nam injuriæ memoriam adhuc retinere, est vinci a malo. At primo quidem illud non dixit; neque enim tempus erat. Cum autem iram illius evacuavit, tunc subjunxit dicens : *Vince in bono malum.* Nam et hoc victoria est. Pugil enim magis vincit, non cum se subjicit ad plagas recipiendas, sed quando erigens seipsum, id egit ut adversarius in aerem vim suam effundat. Ita enim ipse plagas non accipiet, et ejus vires dissolvet. Id quod etiam in contumeliis evenit. Nam cum contumeliam contumelia repellis, superatus es non ab homine; sed quod turpius est, ab illiberali affectu. Si vero taceas, vicisti, ac sine labore tropæum erexisti, innumerosque habebis te corona donantes, et convitii falsitatem damnantes. Nam qui contradicit, quasi ex convitii morsu contradicere videtur : cum morsum vero sentiat, suspicionem præbet quod sit dictorum conscius. Si vero deriseris, ex risu calculum et judicium contra te latum solvisti. Si autem velis claram dictorum demonstrationem accipere, ipsum inimicum interroga, quando magis doleat, an cum ardens contumeliam vicissim profers, an cum convitiantem derides, atque hoc postremum magis audies. Neque enim tantum placet ipsi quod vicissim convitia non reponas, quantum moleretur quod non possit te commovere.

Non vides furore percitos homines, qui plagas acceptas non multum curantes, impetu magno irruunt, et plusquam sues agrestes proximi vulnera quærunt, atque ad hoc unum respiciunt, hocque magis curant, quam caveant ne sibi vulnus inferatur? Quando igitur illum ea re privas, quam ipse summopere cupit, omni jam optata re privasti, dejecisti contemptu dignum, ostendisti et puerulum magis quam virum : et tu philosophi calculum adeptus es, illi vero malæ bestiæ famam conciliasti. Illud et cum verberamur, faciamus si verberare velimus, ne vicissim verberemur. Sed si vis lethalem inferre plagam? Verte illi alteram maxillam, et mille illum vulneribus confodies. Nam qui plaudunt et mirantur, graviores sunt quam si illum lapidarent : ante illos etiam conscientia ipsum damnabit, et maximas repetet pœnas, et ac si extrema passus esset, si erubescens abscedet. Si vero gloriam apud multos quæris, hac quoque magis frueris. Alioquin autem erga illos qui male patiuntur aliqua movemur commiseratione. Quando autem videmus illos non sese ulciscentes, sed sese sponte exponentes, non modo commiseratione, sed etiam admiratione dignos habemus.

Idem, hom. 10, *in I Thess.* cap. V, t. II. — *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat.* (*I Thess.*, V, 15.) Si malum pro malo non est reddendum, multo minus malum pro bono; multo magis si nullum prius fuerit malum, non est malum reddendum. Sed iste, inquit, est improbus, et me multis affecit injuriis : vis illum ulcisci? ne ei par pari referas. Sine abeat impune. Satisne est hucusque? Nequaquam. *Sed semper quod bonum est sectamini invicem, et in omnes.* (*Ibid.*, 16.) Hæc major est philosophia, non solum mala malis non rependere, sed bona. Hæc enim revera est ultio, et illi damnum afferens, et tibi utilitatem; imo illi quoque magnam, si velit, utilitatem. Et ne existimes hoc dictum esse de fidelibus solum, propterea dicit et invicem, et in omnes.

Idem, hom. 16, *in Epist. ad Ephes.* c. IV, t. XI. — Qui condonat peccata, et suam juvat animam, et illius qui veniam est assecutus. Hoc enim modo non solum se ipsum, sed illum quoque facit mitiorem et modestiorem. Non enim ita eos qui injuriam fecerunt persequentes, ut eis condonantes, eorum mordemus animos, pudorem incutientes. Nam illo quidem modo neque nobis ipsis, neque illis prosumus, sed utriusque obsumus, ut qui non secus atque Judæorum principes, persequamur remunerationem, et in illis iram accendamus. Sin autem lenitate et clementia rependamus injuriam :

Digitized by Google

soluta omni ejus ira, apud ipsum sedere fecimus judicium, pro nobis ferens sententiam, et gravius ipsum quam nos contemnans. Seipsum enim condemnabit, et omnem quæret occasionem, per quam cum majori mensura reddet lenitatis et patientiæ partem quæ fuit sibi data fenori; ut qui sciat quod si par quidem reddiderit, eo tamen est inferior quod non ipse cœperit, sed eo quod exemplum a nobis acceperit, minus ferens. Studium ergo ponet ut semina superet mensura, ut detrimentum quod patitur ex eo quod secundus venerit ad remunerationem, tollat exsuperatione remunerationis, et quod ex tempore factum est detrimentum ejus qui prius male passus est, id commune faciat ex summa lenitate et clementia. Nam homines, quando sunt grati et memores beneficii, non tam ingemiscunt ob mala, quam ob bona quæ acceperunt ab iis qui sunt affecti injuria. Etenim illud nequitia, hoc opprobrio et risu plenum est, cum is qui beneficium accepit, non rependit. Nam hoc quidem habet laudem, plausum et commendationem ab omnibus, quod male passus par pari non reddiderit. Propter hoc maxime mordentur. Quamobrem, si velis ulcisci, hoc modo ulciscere. Mala rependo bonis, ut eum reddas debitorem, et admirabili vincas victoria. Male passus es? bene fac: ita inimicum ulciscere. Nam si illum quidem persequaris, omnes et te et illum similiter vituperant. Sin autem feras, aliter tibi quidem applaudent, et te admirabuntur; illum autem accusabunt.

Quid autem majus fieri potuerit inimico, quam videre inimicum esse in admiratione apud omnes, et ei applaudi? Quid inimico acerbius quam videre se probo et contumelia affici ab omnibus, videnteinimico? Si ipsum ulciscaris, et fortasse damnaris, et tu solus ulciscerís. Sin autem ei remittas, omnes pro te ipsum ulciscuntur. Si tu quoque os aperias, illi tacebunt. Sin autem tu taceas, non utique uno ore, sed aliorum feries innumerabilibus, et magis ulciscerís. Et te quidem probo et contumelia appetentem multi accusant; dicunt enim esse verba affectus. Quando autem qui nulla affectus est injuria, in eum probra ingerit et contumelias, tunc ultio est maxime libera ab omni suspicione. Quando enim qui nihil grave sunt passi, propter summam tuam lenitatem, tanquam injuria affecti simul dolent et commiserantur, ab omni suspicione pura hæc vindicta. Quid vero, inquit, si nullus ulciscatur? Fieri non potest ut homines sint lapidei, et non admirentur videntes tantam philosophiam. Et si tunc non ulciscantur, postea tamen id faciunt, re perpensa: illum irrident et maledictis appetunt. Quod si nullus alius te admiretur, ille ipse te omnino admirabitur, etiamsi non dicat. Ejus enim quod bonum et honestum est judicium, etiamsi venerimus in ipsum vitii profundum, manet incorruptum, nec potest perverti. Nam cur existimas Dominum nostrum Jesum Christum hæc dicere: *Si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe ei et alteram?* (*Matth.* v, 39.)

Nonne quoniam si quis fuerit lenis et patiens, eo majorem et sibi et illi attulerit utilitatem? Propterea et aliam jussit obvertere, ut ejus qui irascitur impleat cupiditatem. Quis enim est adeo ferus, ut jam pudore non suffundatur? Canes dicuntur hoc facere: si latrent et invadant, is autem cui allatrant, se supinum abjecerit, et nihil fecerit, totam iram exstinguit. Si ergo illi eum qui ab ipsis paratus est pati reverentur, multo magis genus humanum quod est magis particeps rationis.

Sed operæ pretium est non prætorire id quod nuper venit in mentem, et adductum est in testimonium. Quid hoc est? Dicebamus de Judæis et eorum principibus, quod arguerentur ut qui persequerentur similis pœnæ relationem et talionem; etsi lex eis permittebat, *oculum pro oculo, dentem pro dente.* (*Levit.* xxiv, 20.) Sed non ut alter alterius oculos effoderent, verum ut metu patiendi, cohibita faciendi audacia, neque aliquid mali facerent aliis, neque ipsi paterentur ab aliis. Propterea dixit: oculum pro oculo; ut illius ligaret manus, non ut tuas contra educeret; non ut solum arceret oculorum tuorum noxam, sed ut etiam illius oculos salvos conservaret. Sed quod quærebam, quanam de causa cum eis concessa esset ultio, arguebantur qui ea usi sunt? Quidnam hoc est? Hic dicit injuriæ acceptæ memoriam. Nam concedit quidem ut qui passus est statim agat, illum, ut dixi, retinens ac reprimens; non permittit autem injuriæ acceptæ esse memorem. Non est enim id amplius iræ, neque ferventis impetus, sed meditati scéleris. Deus autem iis ignoscit, quos arripuit insolentis contumeliæ insultus, et ad ultionem sunt incitati. Ideo dicit: *Oculum pro oculo.* Et rursus: Viæ eorum qui sunt injuriæ memores, sunt ad mortem. Si vero ubi licebat oculum eruere pro oculo, tantum proponitur supplicium iis qui acceptæ injuriæ sunt memores, quanto magis iis quibus jussum est se præbere paratos ad patiendum? Ne simus ergo injuriæ memores, sed iram exstinguamus, ut digni censeamur qui ejus consequamur misericordiam. Nam *qua*, inquit, *mensura metimini, ea vobis rependetur, et in quo judicio judicatis, judicamini.* (*Matth.* vii, 2) Simus erga conservos misericordes, ut et eos qui sunt in præsenti vita laqueos effugiamus, et in die futuro ab eo veniam assequamur, gratia et benignitate, etc.

S. August., lib. xix *contra Faustum*, t. VIII. — Jam vero illud quod antiquis dictum est: *Oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Exod.* xxi, 24), quomodo contrarium habet quod ait Dominus: *Ego autem dico vobis non resistere malo; sed si quis percusserit te in maxillam tuam dextram, præbe illi et alteram*, et cætera? (*Matth.* v, 39.) Quando quidem et illud antiquum ad reprimendas flammas odiorum, sævientumque immoderatos animos refrenandos, ita præceptum est. Quis enim, tantumdem facile contentus est reponere vindictæ, quantum accepit

Digitized by Google

injuriæ? (Nonne videmus homines leviter læsos moliri cædem, sitire sanguinem, vixque invenire in malis inimici unde satientur? Quis pugno percussus, non aut judicia concitat in damnationem ejus qui percusserit, aut si ipse repercutere velit, totum hominem, si non etiam telo aliquo arrepto, pugnis calcibusque contundit? Huic immoderatæ, ac per hoc injustæ ultioni, lex justum modum figens, pœnam talionis instituit, hoc est ut qualem quisque intulit injuriam, talo supplicium pendat. Proinde oculum pro oculo, dentem pro dente, non fomes, sed limes furoris est, non ut id quod sopitum erat, hinc accederetur, sed ne id quod ardebat ultra extenderetur, impositus. Est enim quædam justa vindicta, justeque debetur ei qui fuerit passus injuriam : unde utique cum ignoscimus, de nostro quodammodo jure largimur. Unde etiam debita dicuntur (*Matth.* VI, 12), quæ in oratione Dominica humanitus dimittere monemur, ut nobis et nostra divinitus dimittantur.

Quod autem debetur, etsi benigne dimittitur, non tamen inique repetitur : sed sicut in jurando, etiam qui verum jurat, propinquat perjurio, unde longe abest qui omnino non jurat; et quamvis non peccet qui verum jurat, remotior tamen a peccato est, qui non jurat; unde admonitio non jurandi, conservatio est a peccato perjurii; ita cum peccet qui per immoderationem injuste vult vindicari, remotior est a peccato injustæ vindictæ qui non vult omnino vindicari. Peccat enim qui exigit ultra debitum, non peccat autem qui exigit debitum; sed tutior longe est a peccato injusti exactoris, qui omnino non exigit debitum, præsertim ne cogatur et ipse reddere debitum ab eo qui nullum habet debitum. Possem ergo et ego sic ista ponere, dictum est antiquis : Non injuste vindicabis; ego autem dico : Ne vindicetis quidem; adimpletio est : sicut de jurando Faustus ait, dictum est : Non pejerabis; ego autem dico : Ne juretis quidem; æque adimpletio est.

Poteram ergo et ita dicere; si mihi per hæc adjecta verba, quod legi defuit, a Christo additum videretur; ac non potius id quod lex volebat efficere, ne quisquam pejerando peccaret, conservari tutius si non juraret. Nam si contrarium est : oculum pro oculo, et : qui te percusserit in maxillam, præbe illi et alteram; cur non sit contrarium : Reddes Domino jusjurandum tuum, et noli jurare omnino? Et tamen illam non destructionem, sed adimpletionem Faustus arbitratur : quod et hic debuit arbitrari. Nam si verum jura adimpletur dicendo : Ne jures; cur non et juste vindica, adimpletur dicendo : Ne vindices? Sic et ego in utroque conservationem esse arbitror a peccato, quo vel falsum juratur, vel injuste vindicatur : quanquam hoc de donanda omnino vindicta valeat etiam ad illud; ut dimittendo hujusmodi debita, etiam nobis dimitti mereamur. Sed duro populo modus prius adhibendus fuit, quo disceret non exigi debitum; ut edomita ira quæ ad immoderatam vindictam rapit, jam qui vellet, tranquillus attenderet quid ipse deberet, quod sibi relaxari a Domino cuperet, ut hac consideratione conservo debitum relaxaret.

S. August., *Contra Adimant.* t. VIII. — Nos neque illud quod de hostibus hominibus occidendis in veteribus libris illi populo dictum est, contrarium esse dicimus huic præcepto evangelico, quo nobis ut inimicos nostros diligamus Dominus jubet, quandoquidem illa inimicorum interfectio carnali adhuc populo congruebat, cui lex tanquam pædagogus data erat, sicut Apostolus dicit. (*Gal.* III, 24.) Hi vero qui tunc in populo sancti et spiritales homines erant paucissimi, sicut Moises, sicut prophetæ, quo animo facerent illam inimicorum interfectionem, et utrum eos quos interficiebant, diligerent, multum latet indoctos et impios qui diligunt cæcitatem suam, qui, quoniam non sunt idonei videre ista, mole potius auctoritatis urgentur. Quin enim est quod dicit Apostolus : *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi quasi præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis et meo spiritu, cum potentia Domini Jesu, tradere ejusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu.* (*II Cor.* V, 3, et seqq.) Quid enim habet illa interfectio, quam multum isti (Manichæi) exaggerant et invidiose ventilant, nisi interitum carnis? Sed quia exposuit Apostolus quo animo faceret, satis declaravit in aliquem inimicum vindictam cum charitate posse procedere. Et tamen hic etiam alio modo fortasse interitus carnis, qui fit per pœnitentiam, potest intelligi.

Ipsi autem legunt Scripturas apocryphas, quas etiam incorruptissimas esse dicunt, ubi scriptum est apostolum Thomam maledixisse homini a quo per imprudentiam palma percussus est, ignorante quis esset, maledictumque illud continuo venisse ad effectum. Nam cum ille homo, quoniam minister convivii erat, ut apportaret aquam exiisset ad fontem, a leone occisus et dilaniatus est. Quod ut manifestaretur ad aliorum terrorem, canis manum ejus intulit mensis, ubi convivabatur apostolus : atque ita cum causa quæretur a nescientibus, eisque panderetur, in magnum timorem et magnum honorem apostoli eos esse conversos; atque hinc Evangelii exordium commendandi exstitisse.

Si vellet aliquis dentes Manichæorum in ipsos convertere, quam mordaciter ista reprehenderet! Sed quia et ibi tacitum non est quo animo factum sit, videtur dilectio vindicantis. Sic etenim in illa scriptura legitur, quod deprecaturus fuerit apostolus pro illo in quem temporaliter vindicatum est, ut ei parceretur in futuro judicio. Si ergo tempore Novi Testamenti, quo maxime charitas commendatur, de pœnis visibilibus divinitus injectus est carnalibus timor, quanto magis tempore Veteris Testa-

Digitized by Google

menti hoc congruisse illi populo intelligendum est, quem timor legis tanquam pædagogi coercebat. Nam hæc est brevissima et apertissima differentia duorum Testamentorum, timor et amor. Illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet, utrumque tamen unius Dei misericordissima dispensatione prolatum atque conjunctum. Et in veteri Scriptura tacetur animus vindicantium, quia paucissimi spiritales divinis revelationibus quid facerent, noverant, u populus cui terror utilis erat, severissim imperio domaretur; ut quemadmodum videbant dari in manus suas interficiendos inimicos impios, cultoresque simulacrorum, sic ipsi formidarent in manus inimicorum suorum dari, si Dei veri jussa contemnerent, et ad cultum idolorum atque impietates gentium laberentur. Nam et ipsos similiter peccantes non dissimiliter vindicatum est. Sed omnis hæc temporalis vindicta infirmos animos terret, ut enutritos sub disciplina erudiat, et a sempiternis atque ineffabilibus suppliciis possit avertere : quia plus timent carnales homines quod in præsenti Deus vindicat, quam illud quod futurum minatur.

Potest ergo esse dilectio in vindicante. Quod unusquisque in filio suo probat, cum eum in mores pessimos defluentem, severissima coercitione constringit, et tanto magis, quanto magis eum diligit, atque hoc modo corrigi posse arbitratur. Non autem occidunt filios quos diligunt homines, quando eos corrigere volunt : quia multi hanc vitam pro magno bono habent, et totum, quare volunt educare filios suos, in hac vita sperant. Fideles autem atque sapientes homines, qui credunt esse aliam vitam meliorem, et quanta possunt ex parte noverunt; nec ipsi vindicant occidendo, cum filios suos volunt corrigere, quia in hac vita eos posse corrigi credunt : Deus autem qui novit quid cuique tribuat, vindicat occidendo in quos voluerit, sive per homines, sive occulto rerum ordine; non quia eos odit in quantum homines sunt, sed in quantum peccatores sunt. Nam in ipsis veteribus libris legimus dictum Deo : *Et nihil odisti eorum quæ fecisti.* (*Sap.* XI, 25.) Sed omnia, sive per pœnas sive per præmia, justitia moderante, disponit. Nonne apostolus Paulus christianis fidelibus loquebatur cum diceret : *Probet autem se homo, et sic de pane edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. Propterea in vobis multi infirmi et ægri, et dormiunt sufficientes. Si autem nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur. Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ne cum mundo damnemur.* (*1 Cor.* XI, 28.) Ecce manifestum est Deum cum dilectione corrigere, non solum infirmitatibus et ægritudinibus, sed etiam mortibus temporalibus, eos quos non vult damnare cum mundo.

Attendant hæc isti, et videant quomodo potuerint et impiæ gentes dari in manus populi, quamvis adhuc carnalis, tamen unum Deum colentis, ut ab eo interficerentur; cum in eo tamen populo si qui essent spiritales, sine alicujus odio intelligerent dispensationem Dei : et quomodo non sit contrarium quod Dominus nobis in Evangelio præcepit, ut diligamus inimicos nostros (*Luc.* VI, 27); de quibus promittit tamen ipse vindictam, cum de illo judice similitudinem inducit, qui quotidianas interpellationes viduæ mulieris petentis ut se vindicaret, quamvis esset justus, nec Deum timens, nec homines reverens, tamen sustinere non potuit, et audivit eam, ne ulterius tædium pateretur : ex cujus comparatione multo magis Deum, qui est benignissimus atque justissimus, dixit vindicare electos suos de inimicis eorum. Huic isti audeant objicere quæstionem, etsi dicant si possunt : Quid est, quod jussisti ut inimicos nostros diligamus, ut de illis nos vindicare disponis? An forte contra voluntatem suorum sanctorum facturus est, eos quos illi diligunt, puniendo atque damnando? Imo ipsi potius ab ista calumniosa cæcitate convertantur ad Deum, et in utroque Testamento intelligant ejus voluntatem, ne in sinistra parte inveniantur inter eos quibus dicturus est Dominus : *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolis et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare*, et cætera talia. (*Matth.* XXV, 41 et seq.) Displicet enim istis miseris, quod Deus populo suo interficiendos tradidit inimicos : et ipsi panem manducanti dari prohibent, non inimico sed supplici. Intelligant potius sine odio esse posse vindictam, quam pauci intelligunt; et tamen quandiu non intelligitur, tandiu necesse est ut lector in libris utriusque Testamenti magno labore aut errore jactetur, et putet contrarias sibi esse Scripturas.

Quam vindictam sine odio nondum apostoli animo ceperant, quando irati eis a quibus non recipiebantur hospitio, quæsiverunt de Domino utrum vellet eos petere ignem de cœlo (*Luc.* IX, 54, 55), sicut Elias fecerat, quo igne homines inhospitales consumerentur. Tunc respondit eis Dominus, dicens eos nescire cujus spiritus filii essent, et quod ipse liberare venisset, non perdere : quoniam illi animo inimico perdere cupiebant eos quos volebant igne consumi. Postea vero cum impleti essent Spiritu sancto, et perfecti facti essent, qui jam possent etiam inimicos diligere, acceperunt potestatem vindicandi, quia jam sine odio poterant vindicare. Qua potestate Petrus apostolus usus est in eo libro quem isti non accipiunt, quoniam manifeste continet Paracleti adventum, id est consolatoris sancti Spiritus, quem lugentibus misit, cum ab eorum oculis ipse ascendisset in cœlum.

S. Aug, serm. 3 *de fine.* — Vindicari vis, Christiane? Nondum vindicatus est Christus. An tu passus es improbum, et ille non passus est? Nonne prior pro te passus est, qui non habebat quare pateretur?

Idem, *Enarr. in psal.* LXXVII. — Si malum pro malo non est reddendum, non solum

Digitized by Google

factum malum pro facto malo, reddit autem malum votum, qui etiamsi non seipsum vindicat, tamen ut ejus inimicum Deus puniat, exspectat atque optat.

S. August., serm. 1 *Dom.* 19 *post Trinitatem.*—Propter te (Christus) pependit in ligno, et nondum est vindicatus. Quid vis vindicari? Vide pendentem, si vindicari vis. Vindicari vis? Vide pendentem, audi precantem : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* (*Luc.* xxiii, 34.)

Idem, serm. 3 *in Annivers. dedic. Ecclesiæ.* — Occurrit tibi qui te læsit, occurrit tibi qui te pressit, occurrit tibi qui te spoliavit, occurrit tibi qui te in carcerem misit : eia attende cor tuum, respice Dominum tuum. Ecce malus inimicus tuus, ecce bonus Dominus tuus.

S. Bernard., epist. 80, *ad Guidonem abbatem Molismensem*, t. I. — Quanto tibi, in hac quam audivi tua adversitate, affectu condoleam, novit affectuum Deus omnium cognitor, bonorum immissor. Sed rursus cum considero, non per quem, sed a quo immissa sit hæc tribulatio ; quantum tibi de præsenti molestia comparatior, tantum de prosperitate mox futura spero congratulari : si tamen et tu consilium in perturbatione non amittendo, idipsum mecum sapias, et de manu Domini mala, sicut et bona, cum sancto Job æquanimiter suscipias; imo exemplo sancti David, non tam his, etsi servis tuis, pro tantis malis indignari, quam sub potenti manu Dei (qui procul dubio illos misit ad malefaciendum tibi) humiliari te oportere scias. Verum quia et ad te constat pertinere correctionem illorum, utpote servorum Ecclesiæ tibi commissæ, dignum est ut pro tam nefaria præsumptione servi nequam corripiantur, ac de rebus eorum damnum monasterii aliqua ex parte recompensentur. Sed ne tuam magis in hoc ulcisci injuriam, quam illorum ferire culpam videaris ; rogo, rogansque consulo, ne tam quod illi digni sunt, penses, ut quod tibi dignum est non consideres : ut videlicet misericordia judicio superexaltetur, et in tua modestia Deus glorificetur. Porro illum filium tuum, mihi quoque propter te et propter seipsum satis charum, ore tuo et nostro spiritu commonemus, ut non eatenus sua, etsi justa, indignatione ebrietur, quatenus Dominici illius præcepti obliviscatur : quo percutienti unam maxillam, præbere jubemur et alteram.

UNCTIO, ET UNCTIO EXTREMA

[Ex SS. Patribus.]

Origen. hom. 2 *in Levit.*, t. I. — Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis stratum suum, et fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte, et cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum, et quærere medicinam, secundum eum qui ait: *Dixi, pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei.* (*Psal.* xxxi, 5.) In quo impletur et illud, quod Jacobus apostolus dicit : *Si quis autem infirmatur, vocet presbyteros Ecclesiæ, et imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et si in peccatis fuerit, remittentur ei.* (*Jac.* v, 14,15.) Et tu ergo cum venis ad gratiam baptismi, vitulum obtulisti, quia in mortem Christi baptizaris. Cum vero ad martyrium duceris, hircum obtulisti, quia auctorem peccati diabolum jugulasti. Cum vero eleemosynam feceris, et erga indigentes affectum misericordiæ sollicita pietate dependeris, altare sacrum hædis pinguibus onerasti. Nam si ex corde remiseris peccatum fratri tuo, et iracundiæ tumore deposito, mitem intra te et simplicem recollegeris animum, immolasse te arietem, vel agnum in sacrificium obtulisse confide.

Porro autem si divinis lectionibus instructus sis meditando sicut columba, et in lege Domini vigilando die ac nocte, ab errore suo converteris peccatorem, et abjecta nequitia ad simplicitatem eum columbæ revocaveris, atque adhærendo sanctis, feceris cum societatem turturis imitari, per turturum aut duos pullos columbarum Domino obtulisti. Quod si illa quæ spe et fide major est charitas, abundaverit in corde tuo, ita ut diligas proximum tuum non solum sicut te ipsum, sed sicut ostendit ille qui dicebat: *Majorem hanc charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis* (*Joan.* xv, 13), panes similaceos in charitatis oleo subactos, sine ullo fermento malitiæ et nequitiæ, in azymis sinceritatis et veritatis te obtulisse cognosce. Si autem in amaritudine fletus tui fueris luctu, lacrymis et lamentatione confectus, si carnem tuam maceraveris, et jejuniis ac multa abstinentia aridam feceris, et dixeris, quia sicut frixorium confrixa sunt ossa mea, tunc sacrificium simile a sartagine, vel a craticula obtulisse te noveris : et hoc modo inveniris tu verius, et perfectius secundum Evangelium offerre sacrificia, quæ secundum legem jam offerre non potest Israel.

S. Cyrill. Hierosol., catech. 20 mystag., 2. — Quemadmodum insufflationes sanctorum et invocatio nominis Dei, flammæ instar vehementissimæ dæmones urit et effugat; ita et exorcizatum istud oleum, per invocationem Dei et orationem tantam vim assumit, ut non modo urendo peccatorum vestigia depurget, verum etiam omnes invisibiles mali (spiritus) potestates in fugam agat.

S. Chrysost., l. III *De sacerdotio*, t. I. — Neque enim in puniendo solum, sed etiam in benefaciendo majorem sacerdotibus, quam parentibus potestatem dedit Deus : tanta, que est inter utrosque differentia, quanta inter præsentem et futuram vitam. Nam illi quidem in hanc vitam, hi in futuram gi-

Digitized by Google

gnunt. Atque illi ne corporalem quidem interitum a liberis amoliri possunt, non ingruentem morbum depellere; hi vero ægram, et mox interituram animam, sæpe servarunt; aliis remissionem pœnæ reddentes; alios prorsus labi non sinentes; idque non doctrinæ tantum atque monitionum; sed etiam orationum auxilio. Neque enim tantum cum nos regenerant, sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt. Nam *infirmatur*, inquit, *quis in vobis, advocet presbyteros Ecclesiæ, et orent super eo, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum : et excitabit eum Dominus; et si peccata fecerit, remittentur ei.* (*Jac.* v, 14 15.) Insuper naturales parentes, si viros quosdam principes et potentes eorum liberi offenderint, opem ipsis nullam afferre possunt. Sacerdotes vero non principes, non reges, sed ipsum Deum iratum illis sæpe reconciliarunt.

S. August., *in Epist. Joan.*, cap. II, tract. 4, t. III, part. II. — Unctionis sacramentum est, virtus ipsa invisibilis: unctio invisibilis, Spiritus sanctus; unctio invisibilis, charitas illa est, quæ in quocunque fuerit, tanquam radix illi erit, quamvis ardente sole, arescere non potest. Omne quod radicatum est, nutritur calore solis, non arescit.

Idem, *Enarr.* 2 *in psal.* XXVI, t. IV. — Ad omnes Christianos pertinet unctio: prioribus autem Veteris Testamenti temporibus, ad duas solas personas pertinebat. Inde autem apparet Christi corpus nos esse, quia omnes ungimur: et omnes in illo et Christi et Christus sumus, quia quodammodo totus Christus caput et corpus est. Unctio ista perficiet nos spiritaliter in illa vita, quæ nobis promittitur. Est autem hæc vox desiderantis illam vitam; est vox quædam desiderantis gratiam Dei, quæ in nobis in fine perficietur: ideo dictum est: *Prius quam liniretur.* (*Psal.* XXVI, 1) Ungimur enim modo in sacramento, et sacramento ipso præfiguratur quiddam quod futuri sumus. Et illud nescio quid futurum ineffabile desiderare debemus, et in sacramenti genere, ut in ea re gaudeamus quæ sacramento præmonstratur.

S. Gregor. Mag., lib. IV, *in I Reg.* V, t. III, part. II — Unctionis fructus est cultus divinæ hæreditatis. Ille ergo officium unctionis exsequitur, qui sola quærit lucra animarum. Super hæreditate quippe Domini in principem se unctum meminit, qui hoc solum de terrena dignitate quærit, quod per suum ministerium Christus quæsivit. Hoc igitur verbo negligentium rectorum intentio reprobatur.

S. Bernard., *Vita S. Malach. episc.*, t. I.— Habitabat vir nobilis in vicinia Benchorensis monasterii, cujus uxor cum infirmaretur ad mortem, rogatus Malachias ut descenderet, priusquam moreretur, infirmam uncturus oleo, descendit, et intravit ad eam. Quo viso, exsultat illa, spe animata salutis. Et cum pararet ungere eam, visum est omnibus differendum potius usque mane. Erat enim vespera. Acquievit Malachias, et data benedictione super ægram, exivit cum his qui secum erant. At vero post modicum subito clamor factus est, planctus et strepitus multus per totam domum; siquidem insonuit, quod mortua esset. Accurrit Malachias, tumultu audito, et secuti sunt eum discipuli ejus. Et accedens ad lectum, ut certo comperit exspirasse, consternatus est animo, sibi imputans quod fraudata gratia sacramenti obierit. Et elevatis in cœlum manibus: Obsecro, Domine, inquit, insipienter egi. Ego, ego peccavi, qui distuli; non ista, quæ voluit. Hæc dicens, contestatus est in audientia omnium, nullam se recepturum consolationem, nullam daturum requiem spiritui suo, nisi, quam tulerat, liceret restituere gratiam. Et stans super eam, tota nocte laborabat in gemitu suo; et pro oleo sancto, largo imbre lacrymarum perfundens mortuam; vicem illi unctionis, quam poterat exhibebat. Ipse quidem sic; ad suos autem : Vigilate, inquit, et orate. Itaque in psalmis illi, ille in lacrymis, noctem duxere pervigilem. Et mane facto, exaudivit Dominus sanctum suum, quia spiritus Domini erat postulans pro eo, qui postulat pro sanctis, gemitibus inenarrabilibus. Quid plura? Aperit oculos quæ fuerat mortua; et, ut solent qui de gravi somno evigilant, fricans sibi manibus frontem et tempora, super lectum se erigit, et agnito Malachia, inclinans devote salutat eum. Et verso luctu in gaudium, stupor apprehendit omnes, et qui viderunt, et qui audierunt. Sed et Malachias gratias agens, benedixit Dominum. Et unxit eam nihilominus, sciens in hoc sacramento remitti peccata, et quod oratio fidei salvet infirmum. Post hæc abiit ille, et illa convaluit; et vivens incolumis tempore aliquanto, ut gloria Domini manifestaretur in ea, peracta pœnitentia quam sibi Malachias injunxerat, in bona confessione iterum obdormivit, et migravit ad Dominum.

[Ex conciliis.]

Innocentii I decreta quædam. Ex epistola 25, *ad Decentium eugubinum*, c. 8. — Sane quoniam de hoc, sicut de cæteris consulere voluit dilectio tua, adjecit etiam filius meus Cœlestinus diaconus in epistola sua, esse a tua dilectione positum illud quod in beati apostoli Jacobi epistola conscriptum est : *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et suscitabit illum Dominus : et si in peccatis fuerit, remittentur ei.* (*Jac.* v. 14, 15.) Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab episcopo confecto non solum sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo. Cæterum illud superfluum videmus adjectum, ut de episcopo ambigatur, quod presbyteris dictum est, quia episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum si episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem a se

Digitized by Google

visitandum, et benedicere et tangere chrismate, sine cunctatione potest, cujus est ipsum chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti ; nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?

Professio fidei præscripta Waldensibus ad Ecclesiam reducibus ab Innocentio III. (1193-1216.) — Sacramenta quoque, quæ in ea celebrantur, inæstimabili atque invisibili virtute Spiritus sancti cooperante licet a peccatore sacerdote ministrentur, dum Ecclesia eum recipit, in nullo reprobamus, nec ecclesiasticis officiis vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, sed benevolo animo tanquam a justissimo amplectimur, quia non nocet malitia episcopi vel presbyteri neque ad baptismum infantis, neque ad eucharistiam conferendam, vel ad cætera ecclesiastica officia subditis celebrata. Approbamus ergo baptismum infantium; unctionem infirmorum cum oleo consecrato veneramur, etc.

Confessio fidei Michaelis Palæologi, ipsi a Clemente IV, an. 1267, *proposita et ab ipso in concilio œcumenico Lugdunensi* II 1274 *Gregorio X oblata.*—Tenet etiam et docet eadem sancta Romana Ecclesia, septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet baptisma, de quo dictum est supra; aliud est sacramentum confirmationis, quod per manuum impositionem episcopi conferunt, chrismando renatos ; aliud est pœnitentia, aliud eucharistia, aliud sacramentum ordinis, aliud est matrimonium, aliud extrema unctio quæ secundum doctrinam beati Jacobi infirmantibus adhibetur. Sacramentum eucharistiæ ex azimo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens et docens, quod in ipso sacramento panis vere transsubstantiatur in corpus et vinum in sanguinem Domini nostri Jesu Christi. De matrimonio vero tenet, quod nec unus vir plures uxores, simul, nec una mulier permittitur habere plures viros. Soluto vero legitimo matrimonio per mortem conjugum alterius, secundas, et tertias deinde nuptias successive licitas esse dicit, si impedimentum canonicum aliud ex causa aliqua non obsistat.

Concilii Florentini decreta. — Quintum sacramentum est extrema unctio, cujus materia est oleum olivæ per episcopum benedictum. Hoc sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet : qui in his locis ungendus est : in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma hujus sacramenti est hæc : Per istam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, etc. Et similiter in aliis membris. Minister hujus sacramenti est sacerdos. Effectus vero est mentis sanatio; et, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis. De hoc sacramento inquit beatus Jacobus apostolus : *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus : et si in peccatis sit, dimittentur ei?* (Jac. v, 14, 15.)

Decreta dogmatica concilii Tridentini. — *Cap.* 1. *De institutione sacramenti extremæ unctionis.* — Instituta est autem sacra hæc unctio infirmorum, tanquam vere et proprie sacramentum Novi Testamenti, a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem apostolum ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum : *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et, si in peccatis sit, dimittentur ei.* (Jac. v, 14, 15.) Quibus verbis, ut ex apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, et effectum hujus salutaris sacramenti. Intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum ab episcopo benedictum : nam unctio aptissime Spiritus sancti gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis insurgitur, repræsentat ; formam deinde esse illa verba : *Per istam unctionem*, etc.

Decreta dogmatica Concilii Tridentini. — *Cap.* 2. *De effectu hujus Sacramenti.* — Res porro et effectus hujus sacramenti illis verbis explicatur : *Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei.* (*Jac.* v, 14, 15.) Res etenim hæc gratia est Spiritus sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, et morti incommoda ac labores levius fert, et tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit ; et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.

Concilium Trident. de sacram. extrem. unctionis. — *Cap.* 3. *De ministro hujus sacramenti.* — Jam vero, quod attinet ad præscriptionem eorum, qui et suscipere et ministrare hoc sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis prædictis traditum : nam et ostenditur illic, proprios hujus sacramenti ministros esse Ecclesiæ presbyteros ; quo nomine, eo loco, non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut episcopi, aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii. Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur : unde et sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari poterunt,

Digitized by Google

cum in aliud simile vitæ discrimen incidcrint. Quare nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam et dilucidam apostoli Jacobi sententiam docent, hanc unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habentem : et qui illam jam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum duntaxat in primitiva Ecclesia referenda esset : et qui dicunt, ritum et usum, quem sancta Romana Ecclesia in hujus sacramenti administratione observat, Jacobi apostoli sententiæ repugnare, atque ideo in alium commutandum esse ; et denique, qui hanc extremam unctionem a fidelibus sine peccato contemni posse affirmant. Hæc enim omnia manifestissime pugnant cum perspicuis tanti apostoli verbis. Nec profecto Ecclesia Romana, aliarum omnium mater et magistra, aliud in hac administranda unctione, quantum ad ea, quæ hujus sacramenti substantiam perficiunt, observat, quam quod B. Jacobus præscripsit. Nec vero tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere, et ipsius Spiritus sancti injuria esse posset.

Hæc sunt, quæ de pœnitentiæ et extremæ unctionis sacramentis hæc sancta œcumenica synodus profitetur et docet, atque omnibus Christi fidelibus credenda et tenenda proponit. Sequentes autem canones inviolabiliter servandos esse tradit, et asserentes contrarium perpetuo damnat et anathematizat.

Decreta dogmatica concilii Tridentini de sanctissimo pœnitentiæ sacramento. — 3. Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* xx, 22), non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento pœnitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit ; detorserit autem, contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium, anathema sit.

Decreta dogmatica concilii Tridentini de sacramento extremæ unctionis. — 1. Si quis dixerit extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo apostolo promulgatum ; sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.

2. Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec allevare infirmos ; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit.

3. Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiæ, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos ; sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremæ unctionis ministrum non esse solum sacerdotem, anathema sit.

Decretum S. inquisitionis, approbatum a Gregorio XVI, de materia extremæ unctionis. — Sanctissimus D. N. D. Paulus V in congregatione generali coram se habita prævio maturo examine et censura propositionis sequentis : « quod nempe sacramentum extremæ unctionis oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari valide possit, » auditis DD. cardinalium suffragiis, declaravit, dictam propositionem esse temerariam et errori proximam.

Ibid., 14 *Sept.* 1842. — In congregatione generali habita in conventu S. Mariæ supra Minervam coram eminentissimis et reverendissimis DD. S. R. E. cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus inquisitoribus, proposito dubio, an in casu necessitatis parochus ad validitatem sacramenti extremæ unctionis uti possit oleo a se benedicto. Iidem eminentissimi decreverunt, negative ad formam decreti feriæ V coram S. S. diei 13 Jan. 1656.

Eadem die et feria SS. D. N. D. Gregorius div. prov. pp. XVI in audientia assessori sancti officii impertita resolutionem eminentissimorum approbavit.

USURA

[Ex SS. Patribus.]

S. Cyprian., lib. *De lapsis.* — Studebant augendo patrimonio singuli : et obliti quid credentes aut sub apostolis ante fecissent an semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. — Non jurare tantum temere, sed adhuc etiam pejerare, præpositos superbo tumore contemnere, venenato sibi ore maledicere, odiis pertinacibus invicem dissidere. Episcopi plurimi, quos et hortamento esse oportet cæteris et exemplo ; divina procuratione contempta, procuratores rerum sæcularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas provincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari esurientibus in Ecclesia fratribus, habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, usuris multiplicantibus fenus augere. Quid non perpeti tales pro peccatis ejusmodi mereremur, cum jam pridem præmonuerit ac dixerit censura divina : Si « dereliquerint legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint, si justificationes meas profanaverint, et præcepta mea non observaverint, visitabo in virga facinora eorum, et in flagellis eorum. » (*Psal.* lxxxviii, 31-33.) Prænuntiata sunt ista nobis et ante prædicta. Sed nos datæ legis et observationis immemores id egimus per nostra peccata, ut dum Domini mandata contemnimus, ad correctionem delicti et probationem fidei remediis severioribus venerimus.

Idem, *Testimon.*, lib. iii. — Non fenerendum. *In psal.* xiii, 4. *Qui pecuniam suam non dedit in fenore, et munera super innocentes non accepit. Qui ista fecerit, non commove-*

Digitized by Google

bitur in æternum. Item apud Ezechielem (XVIII, 5 et seq.) : *Homo autem qui erit justus, hominem non opprimet, et pignus debitoris reddet, et rapinam non faciet et panem suum esurienti dabit, et nudum operiet, et pecuniam suam in usuram non dabit.* Item in Deuteronomio (XXIII, 19) : *Non fenerabis fratri tuo usura pecuniæ et usura ciborum.*

S. HILAR., *Tract. in psal.* XIV, t. I, c. 76. — Tendit usque ad consummationem perfectam admonitio cœlestis. Nam cui vitium omne detersit, cupiditatem quoque ejus quæ nimium nos detinet, pecuniæ avertit dicens : *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* (*Psal.* XIV, 5.) Fallax hoc beneficium, et humanitas fraudulenta, damnosa hæc benevolentia docetur. Quid enim tam intolerabile, quam ut indigenti ita beneficium tribuas, ut magis egeat ; et miseriam inopis opem laturus accumules ? Si Christianus es, quid otiosam pecuniam tuam in reditum componis, et fratris tui inopiam pro quo Christus mortuus est, thesaurum tuum efficis ? Si Christianus es, non quæro ut largiaris, saltem debitum sic reposce, ne spolies ; et memento eum a quo usuram repetis, esse inopem et pauperem, propter quem Christus inops voluit esse et pauper. Itaque sive injuriam, sive beneficium cum pauperi præstas, Christo præstare te nosce ; quia propter eum, cum Deus esset, indigentiam ejus est dignatus et nomen.

S. BASIL., *Hom. in psal.* XIV, t. I. — Propheta perfectum virum, qui ad immutabilem vitam ascensurus erat, describens, inter præclara ejus facinora illud numeravit, quod pecuniam suam non dedit fenori. (*Psal.* XIV, 5.) Hoc peccatum in plurimis Scripturæ locis vituperatur. Nam Ezechiel id in maximis malis recenset, si fenus et quidpiam ultra sortem accipiatur. (*Ezech.* XXII, 12.) Quin et lex illud luculenter prohibet. *Non fenerabis fratri tuo.* (*Deut.* XXIII, 19.) Et rursus ait : *Dolus super dolum, et usura super usuram.* (*Jer.* IX, 6.) Et de civitate quæ bonis in malorum multitudine affluaret, quid Psalmus dicit ? *Non defecit de plateis ejus usura et dolus.* (*Psal.* LIV, 12.) Et nunc Propheta idipsum tanquam humanæ perfectionis caracterem ac signum usurpavit, dicens : *Pecuniam suam non dedit ad usuram.* (*Psal.* XIV, 5.) Nam reipsa perquam maxima est inhumanitas, illum quidem qui necessariorum indiget mutuum ad vitæ subsidium quærere, hunc vero sorte contentum non esse, sed sibi ex pauperis calamitatibus proventus excogitare, opesque colligere.

Idem, *ibid.* — Sane Dominus ipse nobis palam præcepit, dicens : *Et volenti mutuari a te, ne avertaris.* (*Matth.* V, 42.) Avarus autem cum hominem videt præ necessitate genibus provolutum ac supplicem, ecquid non facientem quod abjectum sit ac humile ? Quid non loquentem ? ejus qui præter meritum adversa fortuna utitur, nequaquam miseretur, nullo loco habet naturam, non precibus movetur, sed inflexibilis stat, et implacabilis : non cedit deprecationibus, lacrymis non frangitur, perseveranter negat. Jurat ac sibi male precans, affirmat carere se pecunia omnino, seseque circumspicere, nunquam ipse quoque feneratorem inveniat, ac fidem faciens mendacio per juramenta : perjurium ceu malum quemdam et adventitium inhumanitatis quæstum acquirit. Sed ubi qui mutuum quærit, meminit fenoris, et nomen pignoris protulit, tunc demisso supercilio, subridet, atque paternæ amicitiæ refricat memoriam, et familiarem et amicum appellat. Et videbimus, inquit, sicubi quidquam recondatur argenti apud nos. Depositum utique vir amicus nobis quæstus ergo concredidit. Verum ille graves usuras mutuæ pecuniæ exigit : sed nos profecto aliquid remittemus, et minori daturi sumus fenore. Talia contingens, verbisque ejusmodi blanditus misero ac lenocinatus, ubi illum syngraphis obstrinxit, atque, præter urgentem inopiam, libertatem etiam viro abstulit, abit. Etenim cum fenori, cui solvendo non est, obnoxium se præstitit, voluntariam, quoad vivet, recepit servitutem.

Idem, *ibid.* — Pecuniam, dic mihi, et quæstum exquiris ab inope ? Sed si ille te reddere potuisset ditiorem, quid ad tuas januas quæsivisset ? Venit subsidium inventurus ; sed hostem reperit. Remedium dum requireret, in venenum incidit. Officium tuum fuerat viri sublevare inopiam ; at tu illius adauges egestatem, hominis destituti facultates quærens exhaurire : veluti si quis medicus ægrotos invisens, cum eis deberet restituere sanitatem, e contrario eis vel exiguas virium reliquias adimeret. Sic et tu miserorum calamitates, quæstus occasionem facis. Et sicut coloni ad seminum multiplicationem imbres exoptant, ita et tu egestatem et inopiam hominum optas, tibi ut quæstuosæ sint pecuniæ. An ignoras facere te accessionem majorem peccatis, quam opum est incrementum de fenore exspectatum ? Et quidem argentum in fenus qui quærit, consilii inops hæret medius. Etenim cum respicit ad paupertatem, de solutione desperat : cum vero præsentem considerat egestatem, fenore pecuniam sumit. Deinde altero victo, ac necessitati cedente, alter abit, schedulis cautionibusque communitus.

Contra, argentum qui accepit, primum quidem splendidus ac hilaris est, et alieno flore oblectatus, mutatione vitæ inclarescit. Lauta enim mensa est, vestis pretiosior, famuli splendidiore habitu induti, adulatores, compotores, fuci domorum innumeri. Sed cum sensim diffluunt pecuniæ, tempusque progrediens secum fenus advehit, tum ei requiem non afferunt noctes, non dies hilaris est, non sol jucundus, sed eum vitæ tædet. Dies ad constitutum tempus festinantes habet odio, exstimescit menses tanquam fenoris parentes. Quod si dormiat, videt feneratorem in somnis, quod malum somnium est, capiti adstantem : si vero vigilet, cogitat ac sollicitus est de fenore. *Dum fenerator,* inquit, *et debitor inter se conveniunt, visitationem utriusque facit Dominus.*

Digitized by Google

(*Prov.* xxix, 13.) Ille quidem quasi canis in prædam irruit : hic vero sicut parata captura occursum exhorret. Adimit enim ei loquendi fiduciam paupertas. Utrisque inest calculus in digitis, illo fenoris accessione gaudente, hoc miseriarum incremento ingemente. *Bibe aquas de tuis vasis* (*Prov.* v, 15), hoc est proprias considera facultates, ad alienos fontes ne accede, sed ex propriis laticibus tibi ipse vitæ solatia compara. Habes vasa ærea, vestem, jumentum, diversi supellectilem? Hæc vende : præter libertatem amitti, omnia patiare.

Sed me pudet, inquit, isthæc voci præconis subjicere. Cur igitur paulo post alius ea exponet, tuorumque bonorum faciet auctionem, et vili pretio ob oculos tuos vendet? Ne gradiare ad fores alienas. Plane enim angustus est alienus puteus. (*Prov.* xxiii, 27.) Satius est, arte et industria paulatim necessitatem levare, quam alienis facultatibus subito elatum, deinceps omnibus simul bonis privari. Si igitur habes unde solvas, cur præsentem egestatem hisce auxiliis non depellis? Sin solvendo non es, malum malo curas. Feneratorem qui te obsessurus sit, ne admitte. Te velut aliam aliquam prædam exquiri ac vestigari ne sinas. Usura mendacii principium est, occasio ingrati animi, perfidiæque et perjurii. Alia sunt verba argentum fenore sumentis ; alia, cum fenus ab ipso exigitur. Utinam tunc tibi non occurrissem, utique jam subsidia quædam ad amovendam necessitatem invenissem! Nonne mihi invito pecuniam in manus dedisti? Porro aurum tuum erat subæratum; et numisma adulterium. Sive igitur fenerator sit amicus, ne ejus amittas amicitiam; sive inimicus, ne fias adversario ac malevolo subditus. Parumper in alienis gloriatus, postea patrimonio etiam everteris. Pauper es nunc, sed liber. Argentum si fenore sumpseris, non ditesces, sed libertate spoliabere.

Qui pecuniam sumpsit fenore, feneratoris servus est, imo servus stipendiarius qui inevitabile servitium subit. Canes accipiendo mansuescunt, fenerator vero recipiendo irritatur. Non enim allatrare desinit, sed plura exposcit. Si juraveris, non credit. Quæ in ædibus habes, perscrutatur : tua diligenter indagat commercia. E cubiculo si progrederis, trahit te ad se, et adducit ; si intus te absconderis, ante domum stat, et fores pulsat. Præsente uxore, afflicit te pudore, coram amicis imponit contumeliam; in foro fauces constringit; malus festi diei occursus; vitam tibi reddit injucundam et intolerabilem. At, magna, inquit, est necessitas, nec alia est parandæ pecuniæ ratio. Quæ, quæso, utilitas ex hodierna dilatione? Rursus enim veniet ad te paupertas tanquam bonus cursor. (*Prov.* xxiv, 34.) Et eadem necessitas cum auctuario aderit. Fenus enim non omnino liberat, sed consilii et mentis inopiam tantisper tardat. Patiamur hodie duritiem paupertatis, et ne eam in posterum diem protrahamus. Etenim si argentum fenore non sumis, hodie et postea simili modo eris pauper; si vero sumis, fenore paupertatem augente, acerbius vexabere. Nunc quidem nullus tibi vertit probro paupertatem; si quidem malum est haud voluntarium ; si vero fenori fueris obnoxius, nemo erit qui te stultitiæ non condemnet.

Itaque ne nostra stultitia, malis præter voluntatem contingentibus, etiam malum voluntarium accersamus. Stulti est animi, se pro opum ratione non componere, sed incertæ spei se committere, ac manifestum et evidens detrimentum experiri. Jam perpende unde sis soluturus. Num ex iis pecuniis quas accipis? Sed hæ et ad necessitatem cohibendam et ad solutionem non sufficiunt. — Paupertas ignominiam nullam affert. Quid ergo nobis ipsis opprobria ex ære alieno paramus? Vulnera vulnere curat nemo, neque malum malo sanat ; nec fenore sublevatur paupertas. Dives es? argentum ne sume fenore. Pauper es? Ne sume fenore argentum. Etenim si locuples es, nihil tibi fenore opus est : si vero nihil habes, non pendes usuras. Noli tuam ipsius vitam seræ pœnitentiæ objicere, nequando dies qui fenus præcesserunt, beatos existimes. Hoc uno divitibus pauperes non præstamus, curarum vacuitate. Illos tum vigilantes, tum curis semper distentos ac sollicitos deridemus nos, qui dormimus, quique sollicitudine caremus.

Debitor utique et pauper est, et curis multis conficitur : noctes ac dies ducit insomnes, omni tempore cogitatione defixus. Nunc quidem æstimat res suas, nunc vero domos sumptuosas, divitum agros, quorumlibet in conspectum venientium vestes, vasa et supellectilem eorum a quibus convivio excipitur : hæc si mea essent, inquit, tanti et tanti divenderem, atque liberarer fenore. Isthæc et noctu cordi ejus insident, et interdiu illius occupant mentem. Januam si pulsaveris, irrepit sub lectum debitor. Velociter accurrit quis, et illius cor palpitat. Canis latrat? Ille sudore diffluit, et anxietate corripitur; quaque via fugiat, conspicit. Ubi dies præscriptus instat, anxie secum reputat quodnam dicturus sit mendacium, et quo conficto prætextu depulsurus a se sit creditorem. Non autem cogita solum te accipere, sed fore ut etiam id quod acceperis a te exigatur. — Nondum accepisti, et tamen præsentis mentis lucrum quæstumve a te exposcunt. Et hæc pecunia rursus fenore occupata, malum alterum aluit, et illud alterum, atque sic malum in infinitum.

Quidquid crescit, ubi ad propriam magnitudinem pervenerit desinit augeri; avarorum vero argentum omni tempore augescit. Animalia ubi suæ soboli vim impertiverunt pariendi, supersedent prægnatione : at feneratorum pecuniæ et adnascentes pariunt, et veteres renovantur. Ne tu portentosæ hujus bestiæ periculum feceris. Libere vides solem. Quid tibi ipse libertatem vitæ invides? Pugil nullus æque adversari plagas subterfugit, ac debitor creditoris occur-

Digitized by Google

sum, occultato pone columnas ac muros capite. At, inquis, quomodo nutriar? Manus habes, habes artem, loca operam tuam lucri gratia, ministra : multa sunt parandi victus consilia, occasiones multæ. Idne facere non potes? Pete a possidentibus. An turpe est postulare? Turpius utique fuerit creditorem, datis fenori pecuniis, defraudare. Non hæc dico profecto, legem ut feram, sed ut ostendam omnia tibi tolerabiliora esse, quam argentum fenore sumere. Formica etsi neque mendicat, neque nummos fenore accipit, potest tamen nutriri : apis itidem regibus largitur alimenti sui reliquias; quibus tamen nec manus, nec artes concessit natura. Tu vero, industrium animal homo, inter artes omnes unam ad transigendam vitam non reperies? Quanquam videmus non necessariorum indigos ad fenus confugere : (neque enim sunt qui eis credant :) at fenore sumunt pecuniam homines qui se in laxiores impensas et in luxum inutilem effundunt, ii videlicet qui se muliebribus voluptatibus mancipant. « Indigeo, inquit illa, vestitu sumptuoso, et aureis vasis : egent filii decenti et sibi convenienti vestimentorum ornamento : quin etiam famuli floridis et vario colore distinctis vestibus sunt induendi : lauta mensa exstruenda est.» Qui talia mulieri ministrat, ad trapezitam venit, et priusquam accepta utatur pecunia, alium ex alio dominum mutat, atque feneratores alios aliis semper adjungens, continua illa mali successione egestatem tegit.

Et quemadmodum hydropici suspecti sunt de plurima obesitate; sic et iste videtur esse dives, semper accipiens, et semper dans, et ex posterioribus priora dissolvens, atque jugi mali successione requisitam ad accipiendum fidem sibi ipse comparans. Deinde, sicut ii qui cholera laborant, id semper quod ante sumptum est, ejiciunt, et quemadmodum si ante integram purgationem cibum alterum capiunt, hunc rursus cum dolore, et cum nervorum convulsione evomunt; ita et hi fenus fenore commutantes, et antequam priores usuræ purgentur, alteram adjicientes, parumper in alienis gloriati, tum demum rei etiam familiaris jacturam lugent. O quot homines perdiderunt aliena bona! Quot in somnis ditati, in ærumnas et calamitates maximas inciderunt! Atqui, inquis, multi etiam fenore facti sunt divites : at vero plures, arbitror, ad laqueos pervenerunt. Tu porro ditatos quidem respicis, strangulatos vero non numeras, qui exactionis dedecus minime ferentes, sibi mortem maluerunt laqueo asciscere, quam probrose vivere.

Audite, divites, quale pauperibus demus consilium ob vestram inhumanitatem, nempe ut gravissima quæque constanter ferant potius, quam calamitates ex fenore provenientes perpetiantur. Morem si Domino gereretis, quid his verbis esset opus? Quodnam autem Domini consilium est? Mutuum date iis a quibus non speratis recepturos vos esse. Et quale, inquit, hoc mutuum, cui redditionis spes conjuncta non est? Intellige sententiæ vim, et legislatoris mirabere humanitatem. Ubi pauperi, Domini gratia, dederis; idem et donum est et fenus. Donum quidem, quod recepturum te nihil esse speras : fenus vero, ob Domini pro inope persoluturi munificentiam, qui, paucis per pauperem acceptis, magna eorum loco redditurus est. Qui enim miseretur pauperis, fenerat Deo. (*Prov.* XIX, 17.) Non vis universorum dominum obnoxium tibi ipsi habere ad persolvendum? Si quis in civitate dives spondeat se tibi pro aliis soluturum, nonne fidejussionem illius accipis? At Deum seu sponsorem qui pro pauperibus soluturus sit, non admittis? Inutile tibi argentum da, non gravans illud accessionibus; et bene utrique consultum fuerit. Tibi enim certo servabitur : ei vero qui acceperit, lucrum ex usu accedet. Quod si additamentum etiam requiris; iis quæ pendenda sunt a Domino, contentus esto. Ipse persolvet pro pauperibus usuras. Ab eo qui vere benignus est, benignitatem exspecta. Quæ enim accipis a paupere, ea omnem inhumanitatis modum superant.

Facis quæstum ex calamitatibus, ex lacrymis colligis argentum; nudum strangulas, verberas famelicum : nusquam misericordia : cognationis ejus quæ cum divexato habetur, cogitatio nulla animum subit : imo quæ inde proveniunt lucra humana appellas. Væ, qui dicunt amarum dulce, et dulce amarum (*Isa.* v, 20), quique inhumanitatem humanitatem vocant. — Quod datur, id utrique male cedit, et danti et accipienti : huic quidem in pecunias, illi vero in ipsam animam damnum infert. Agricola, spica accepta, semen rursus sub radice non scrutatur : tu vero et fructus habes, et sortem non relinquis. Plantas sine terra, sine satione metis. Cui congeras, incertum est. Qui ob usuras lacrymatur, certo agnoscitur qui vero earum copia fruiturus est, non certo. Nam incertum est utrum non sit aliis divitiarum usum relicturus, et tamen tibi ipse malum iniquitate ascivisti. *Neque igitur volentem mutuum accipere, averseris* (*Matth.* v, 42), neque pecuniam tuam fenore occupaveris. Ex Veteri et ex Novo Testamento conducibilia edoctus, bona cum spe ad Dominum abeas, bonorum operum usuras illic recepturus.

S. Ambros., *De Tobia*, tom. I. — (Tobias) commendaverat proximo suo pecuniam quamdam quam toto suæ vitæ tempore in tanta indigentia non poposcit. Vix ubi se fessum vidit, et depositum senectute, insinuavit filio, non tam cupiens commendatum reposcere, quam sollicitus ne fraudaret hæredem. Quod igitur commendavit pecuniam, et non feneravit : justi servavit officium. Malum est enim fenus quo quæruntur usuræ : sed non illud fenus malum, de quo scriptum est : *Fenera proximo tuo in tempore necessitatis illius.* (*Eccli.* XXIX, 2.) Nam et David ait : *Justus miseretur et commodat.* (*Psal.* XXXVI, 21.) Aliud illud fenus est jure exsecrabile, dare in usuram pecuniam, quod lex prohibet. (*Deut.* XXIII, 19.)

Digitized by Google

Sed Tobias hoc refugiebat qui monebat filium, ne præceptum Domini præteriret, ut ex substantia sua eleemosynam faceret, non pecuniam feneraret, non averteret faciem suam ab ullo paupere. Hæc qui monet, condemnat usuras fenoris, ex quo multi quæstum fecerunt, et multis commodare pecunias negotiatio fuit. Et quidem eam prohibuerunt sancti. Quo gravius malum fenus est, eo laudabilior qui illud refugit. Da pecuniam si habes, prosit alii quæ tibi otiosa est. Da quasi non recepturus, ut lucro cedat, si reddita fuerit. Qui non reddit pecuniam, reddit gratiam : si fraudaris pecunia, acquiris justitiam; *justus* est enim qui *miseretur et commodat*. Si amittitur pecunia, comparatur misericordia. Scriptum est enim : *Qui facit misericordiam, feneral proximo.* (*Eccli.* XXIX, 1.)

S. Ambros. *De Tobia*, passim. — Multi stipendii metu non fenerant, dum fraudem verentur; et hoc est quod petentibus consueverunt referre. Horum unicuique dicitur : Perde pecuniam propter fratrem et amicum, et non abscondas illam sub lapide in perditionem. *Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi, et proderit tibi magis quam aurum.* (*Eccli.* XIII, 14.) Sed obsurduerunt aures hominum ad tam salutaria præcepta, et maxime divites ære illo suæ pecuniæ aures clausas habent. Cum pecuniæ numerant, responsa (hoc est, divinas Scripturas) non audiunt. Simul ut aliquis necessitate constrictus, aut pro suorum redemptione sollicitus, quos captivos barbarus vendit, rogare cœperit, statim dives vultum avertit, naturam non recognoscit, humilitatem suppliciis non miseretur, necessitatem non subleval, fragilitatem communem non considerat, stat inflexibilis, resupinus, non precibus inclinatur, non lacrymis movetur, non ejulatibus frangitur, jurans quod non habeat, imo et ipse feneratorem requirat, ut necessitatibus subveniat suis. Quid addis duritiæ et avaritiæ tuæ sacramentum? non absolveris perjurio, sed ligaris.

At ubi usurarum mentio facta fuerit, aut pignoris; tunc, dejecto supercilio fenerator arridet, et quem ante sibi cognitum denegabat, eumdem tanquam paternam amicitiam recordatus osculo excipit, hæreditariæ pignus charitatis appellat, tlere prohibet. Quæremus, inquit, domi si quid nobis pecuniæ est, frangam propter te argentum paternum, quod fabrefactum est plurimum damnerit : quæ usuræ compensabunt pretia emblematum (13)? Sed pro amico dispendium non reformidabo, cum reddideris, reficiam. Itaque antequam det, recipere festinat; et qui in summa subvenire se dicit, usuras exigit. Kalendis, inquit, usuras dabis : fenus interim, si non habueris unde restituas non requiro. Ita ut, semel det, frequenter exagitat, et semper sibi debere efficit. Hac arte tractat virum. Itaque prius eum chirographis ligat, et adstringit vocis suæ nexibus. Numeratur pecunia, addicitur libertas, absolvitur miser minore debito, majore ligatur.

Talia sunt vestra, divites, beneficia. — Minus datis et plus exigitis. Talis humanitas, ut spolietis etiam cum subvenitis. Fecundus vobis etiam pauper est ad quæstum. Usurarius est egenus, cogentibus vobis, habet quod reddat; quod impendat, non habet. Misericordes plane viri, quem alii absolvitis, vobis addicitis. Usuras solvit, qui victu indiget. An quidquam gravius? Ille medicamentum quærit, vos offertis venenum; panem implorat, gladium porrigitis; libertatem obsecrat, servitutem irrogatis; absolutionem precatur, informis laquei nodum stringitis.

Hanc præcipue injustitiam deplorat sanctus David, dicens : *Vidi iniquitatem et contradictionem in civitate; et non defecit de plateis ejus usura et dolus.* (*Psal.* LIV, 11, 12.) Itaque cum proditionem Judæ subjecerit (nimirum sequentibus ejusdem psalmi versibus) hoc præmisit, sive quod ultra sacrilegii invidiam, conjuratis Dominicæ necis fenoris crimen accideret, sive quod tantum sacrilegium satis abundeque usura fenoris ultum iret. Mali feneratores qui dederunt pecuniam ut interficerent auctorem salutis; mali et isti qui dant ut interficiant innocentem. Et iste quoque qui pecuniam acceperit, ut proditor Judas laqueo se et ipse suspendit. Ipsum quoque Judam hoc maledicto putavit esse damnandum, ut scrutaretur fenerator ejus substantiam; quia quod proscriptio tyrannorum, aut latronum manus operari solet, hoc sola feneratoris nequitia consuevit inferre. Doctores autem ipsum feneratori putant diabolum comparatum, qui res animæ, et pretiosæ mentis patrimonium fenore quodam usurariæ iniquitatis evertit, sic sumptu capit, sic auro illicit, sic reatu involvit, sic caput pro thesauro reposcit. Quid vobis iniquius; qui nec sic capitis solutione estis contenti? Quid vobis iniquius, qui pecuniam datis, et vitam obligatis et patrimonium? Accipitis aurum argentumque pro pignore, et adhuc illum debitorem dicitis, qui vobis plus credidit, quam accepit a vobis? Vos creditores, adscritis qui amplius debitis : vos, inquam, dicitis creditores qui non homini, sed pignori credidistis.

Grave vocabulum debitorum. Debita peccata dicuntur. Debitores quoque criminosi appellantur; sic enim et isti sicut et illi de capite decernunt. Culpæ tamen habent nominum suorum, ut factorum diversitatem. Debita quamvis diversæ quantitatis, unum habent nomen, unum onus, unum periculum. Nescit ergo quid poscat infelix, qui pecuniam petit mutuam; quid accipiat ignorat.

Accusamus debitorem quod imprudentius se gesserit; sed tamen nihil nequius feneratoribus, qui aliena damna lucra sua ar-

(13) Emblemata figuræ sunt atque ornamenta vasi cuipiam superaddita, quæ facile ex eodem eximi possint.

Digitized by Google

bitrantur, et dispendio suo deputant quidquid ab aliis possidetur. Aucupantur hæredes novos, adolescentulos divites explorant per suos, adjungunt se, simulantes paternam et avitam amicitiam, volunt domesticas eorum cognoscere necessitates. Si quam causam invenerint, accusant verecundiam, pudorem arguunt, quod non ante de se speratum fuerit atque præsumptum. Sin vero nullos laqueos alicujus necessitatis offenderint, intexunt tabulas, aiunt nobile prædium esse venale, amplam domum; accumulant proventus fructuum, annuos reditus exaggerant, hortantur ut coemant. Similiter faciunt pretiosas vestes, et monilia nobilia prædicantes. Neganti se habere pecuniam, ingerunt suam dicentes : Utere ut tua; de fructibus emptæ possessionis pretium multiplicabis, debitum reddes. Prætendunt alienos fundos adolescenti, ut eum suis exspolient; tendunt retia, simul ut indagine cincta spatia fuerit ingressus, cogunt eum in retia cautionum, laqueos usurarum; petunt obligari sibi avitum prætorium (domum ruri ad delicias ædificatam) paternum sepulcrum : præstituitur dies solutioni, dissimulatur conventio, quando potest solutio sustineri; ubi satis securum reddiderint, repente ingruunt, et instant vehementius, causanti incumbunt dicentes : Tu possides tua prædia, nos nostram pecuniam non habemus; aurum dedimus, lignum (14) tenemus; tibi fructuum emolumenta procedunt, nobis nihil accrescit pecuniæ. Otiosa causatio est, saltem renovetur chirographum.

Itaque dum primum adolescens nihil putat de vestibus suis, aut etiam possessionibus esse vendendum, ac hæc facienda poscit dilationem. Usuræ applicantur ad sortem, accumulatur centesima. Jam suspirare incipit, jam malum suum agnoscere. Die ac nocte usuram cogitat; quidquid occurrerit feneratorem putat; quidquid crepuerit, vocem sibi videtur feneratoris audire. Si habes, cur non solvis? si non habes, cur malum malo adjungis, et de vulnere remedium quæris? Cur quotidie obsidionem pateris feneratoris, expugnationem times? Vetus sententia est : *Feneratoris et debitoris sibi occurrentium, prospectum amborum facit Dominus.* (*Prov.* XXIX, 13.) Alter quasi canis prædam requirit, alter quasi fera prædonem declinat : ille quasi leo quærit quem devoret, iste quasi bos juvenculus prædonis impetum reformidat; ille quasi accipiter unguibus olorem quærit invadere; iste quasi anser aut fulica mavult se vel in prærupta dejicere, vel in profundo demergere, quam istum humani corporis accipitrem sustinere. Quid quotidie fugis? Et si non occurrat fenerator, occurrit tibi inopia tanquam bonus cursor. Ambos ergo videt Dominus, feneratorem et debitorem; occurrentes sibi spectat ambos, testis alterius iniquitatis alterius injuriæ; illius avaritiam condemnat hujus stultitiam. Ille gressus debitoris singulos numerat, aucupatur deflexus; iste continuo post columnas caput obumbrat : nullam enim habet debitor auctoritatem. Ambobus in digitis usurarum repetitur sæpius calculatio. Par cura, sed dispar affectus. Alter lætatur incremento fenoris, alter cumulo debitionis affligitur. Ille quæstus numerat, hic ærumnas.

Quid fugis hominem quem poteras et non timere? Quid fugis, aut quousque fugies? Si quis pulsaverit nocte, feneratorem putas, sub lectum illico; si quem subito intrare senseris, tu foras exsilis. Canis latrat, et cor tuum palpitat, sudor effunditur, anhelitus quatit artus : quæris quid mentiaris, ut feneratorem differas; et cum dilationem impetraveris, gaudes. Fenore tuo simulat fenerator gravari; sed libenter impertit, quasi venator qui feram cinxerit, securus est prædæ. Tu oscularis caput, amplecteris genua, et quasi cervus sagitta toxicata ictus paululum procedens, tandem victus veneno procumbis : aut quasi piscis qui fuscina fuerit infixus, quocunque fugerit, vulnus vehit. Et vere piscis ille in esca mortem devorat, ille hamum glutit, dum cibum quærit; sed tamen hamum non vidit quem tegit præda : tu hamum cernis, et glutis. Hamus tuus fenus est creditoris; hamum voras, sed vermis te semper obrodit. Ipsa est esca quæ decipit. Itaque et tibi fenoris nec cibus usui est, et hamus vulneri. An ignoras quia semel illaqueatus nodo, se magis, si fugiat, ipse constringit; et intra retia positus fugiendo magis dejicit super se retia? In plateas fugis, cum intra parietes tutus esse non possis. Inveniet te cum voluerit fenerator. Denique ubi tempus impleveris, sicut lupus nocte irruit, dormire non sinit, exspectato die ad publicum trahit, aut tabulis venditionis cogit subscribere. Ut fureris pudoris dispendium, subscribis illico, venditurus avitum sepulcrum: paternæ sane ut prætexatur aliquid verecundiæ : emitur jejunum solum, jactatur quod infecunda vendiderit, dispendiis oneraverit debitorem, et superioris temporis adscribuntur dispendiis damna præsentis. Mox et laudata venduntur, et inferuntur jam non instrumenta sed vincula.

Tamen adhuc quærendi fidejussores. Tribuuntur induciæ non ut prædam libertatis inveniat, sed ut consortem servitutis adjungat, qui se societ ærumnoso. Atquid juvare potest alienæ calamitatis accessio? Jam et amici fugiunt, conviviæ non recognoscunt; ipse quoque conspectus omnium refugit, et ut pugil ictus varios concertantium, ita iste honestorum vitat occursus, et sollicitus, ubi in aliquem offenderit, vigilanti exit obtutu. Redit paratus ad vincula, redit mortem optans, cogitans eam sibi, si moreretur, quietem inferre. Redit misere se ipse condemnans, quod alienam pecuniam non refugerit, et feneratoris se ære devinxerit.

O quantos miseros aliena fecerunt bona!

(14) Ligneas tabulas cera obductas in quibus fenoris cautio inscribebatur.

Digitized by Google

Quid, inquit, *tibi ut bibas aquam Geon!* (*Jer.* II, 18.) Quid, inquam, tibi, ut biberes calicem feneratoris? Multi, inquit, mutuati ad tempus, et necessitatibus consuluerunt suis, et pecuniam reddiderunt. Et quanti se propter fenus strangulaverunt? Illos consideras, hos non enumeras: reminisceris oppetisse. Nummos redditos imputas, laqueos appetitos non computas, quos deformitati tam dedecorosæ conventionis plerique verecundiores ad contumeliam, fragiliores ad injuriam, expetito interitu prætulerunt, opprobrium vitæ amplius quam mortis supplicium pertimescentes.

Quis iste peccati est fenerator, nisi diabolus, a quo Eva mutuata peccatum obnoxiæ successionis, usuris defeneravit omne genus humanum? Denique quasi malus fenerator chirographum tenuit, quod postea Dominus suo cruore delevit. Etenim quod mortis erat scriptum apicibus, debuit morte dissolvi. Fenerator ergo diabolus. Denique ostendebat Salvatori divitias suas, dicens: *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me.* (*Matth.* IV, 9.) At vero Dominus æris solutor alieni, nihil ipsi debebat, qui poterat dicere: *Ecce venit hujus mundi princeps, et in me suum non invenit nihil.* (*Joan.* XIV. 30.) Nihil debebat, sed solvebat pro omnibus, sicut ipse testatur, dicens: *Quæ non rapui tunc exsolvebam* (*Psal.* LXVIII, 6). Quid distat malitia hujus principis mundi? Fenerator pecuniæ caput obligat, manum tenet, sorte ducit. O nomen triste de dulci! Dominus ovem centesimam liberavit: illa centesima salutis, hæc mortis est; et terra bona centuplum fructum reddit. Væ iis qui dicunt quod amarum est, dulce; et quod dulce, amarum! Quid amarius usura, quid dulcius gratia? Nonne hoc ipso sermone quo centesimam appellant, revocare deberent in memoriam Redemptorem, qui venit centesimam ovem salvare, non perdere?

S. Ambros., *ibid.* — Non novum nec perfunctorium hoc malum est, quod veteris atque divinæ præscripto legis inhibetur. Populus qui despoliaverat Ægyptum, qui pede transierat mare, monetur a fenoris pecunia cavere naufragia. Et cum de aliis peccatis semel aut multum iterata admonitione præscripserit, de fenore sæpius intimavit. Habes in Exodo: *Quod si pecuniam feneraveris pupillo, orphano, pauperi, apud te non suffocabis eum, non impones illi usuram.* (*Exod.* XXII, 25.) Ostendit quid sit suffocare, id est usuram imponere; strangulat enim, et, quod pejus est, animam laqueus creditoris; quo sermone et prædonis violentiam et deformis nodum mortis expressit. *Quod si pignus acceperis vestimentum propinqui tui, ante solis occasum restitues illud; est enim hoc vestimentum turpitudinis ejus in quo dormiet. Quod si itaque proclamaverit ad me, exaudiam eum.* (*Ibid.*, 23.) Audistis, feneratores, quid lex dicat, de qua dixit Dominus: *Non veni legem solvere, sed adimplere?* (*Matth.* V, 17.) Quam Dominus non solvit, vos solvitis? Usuram, inquit, petere, suffocare est. Hoc quoque foris sero est dictum a quibusdam eorum prudentibus: Quid est fenerare? Hominem, inquit, occidere. Sed utique non Cato prior quam Moises, qui legem accepit. Multo ille posterior.

Si pignus acceperis vestimentum propinqui tui, ante solis occasum restitues illud, ne nudati appareat turpitudo. (*Exod.* XXII, 26, 27.) Vos vero exuitis atque nudatis, et non redditis. Videte ne sol occidat super avaritiam vestram, ne sol justitiæ vobis occidat; quia justitiam non tenetis, aut sol iniquitatis super flagitia vestra condatur. Dies quoque perit invito, nox irruit sicut Judæ, qui cum diabolus emisisset in cor ejus, surrexit ad proditionem, et facta est nox; sol enim justitiæ occiderat ei, et recubuerat super eum. Qui in cor ejus intravit, fecit illi tenebras, ut lucis non videret auctorem. Ibi miser periit in illo convivio in quo alii salvantur. Reddite igitur vestimentum debitori in quo dormiat, et quietus sit. *Si nolueritis reddere: exaudiam*, inquit, *eum, quia misericors sum.* (*Ibid.*) Si vos non exauditis, ego exaudiam, ego miserebor, ego non despiciam inopis precem.

In *Deuteronomio* quoque scriptum est: *Non exiges a fratre tuo usuram pecuniæ, et Usuram frugum, et escarum, et Usuram omnium rerum quascunque feneraveris fratri tuo. Si alienigenæ credideris, usuram exiges ab eo; a fratre autem tuo ne exigas.* (*Deut.* XXIII, 19, 20.) Vides quantum pondus in verbis sit. *Noli*, inquit, *exigere usuram a fratre tuo.* Hoc est cum quo habere debes omnia communia, ab eo tu usuram exigis? Frater tuus consors naturæ, et cohæres gratiæ, noli ab eo exigere amplius, a quo durum est repetere quod dederis, nisi cum habuerit, unde solvat. Et quia plerique refugientes præcepta legis, cum dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia usuras exigunt, sed de mercibus eorum tanquam usurarum emolumenta percipiunt; ideo audiant quid lex dicat: *Neque usuram*, inquit, *escarum accipies, neque omnium rerum quascunque feneraveris fratri tuo.* Fraus enim ista et circumscriptio legis est, non custodia. Et putas te pie facere, quia a negotiatore velut munus suscipis? Inde ille fraudem facit in mercium pretio, unde pretio, unde tibi solvit usuram. Fraudis illius tu auctor, tu particeps, tibi proficit quidquid ille fraudaverit. Et esca usura est, et vestis usura est, et quodcunque sorti accedit usura est. Si licitum est, cur vocabulum refugis, cur velamen obtexis? Si illicitum est, cur incrementum requiris?

Quod pejus est, hoc vitium plurimorum est, et maxime divitum, quibus hoc nomine struuntur cellaria. Si quis instaurandum convivium putat, ad negotiatorem mittit, ut absynthiati cupellam sibi gratis deferat; ad cauponem dirigit, ut picenum vinum, aut Tyriacum requirat: ad lanium, ut vulvam sibi procuret; ad alium, ut poma sibi adornet. Itaque humanitatem judicant quæ alieno periculo constant. Tu bibis, et alius diffluit lacrymis; tu epularis, et alios cibo tuo strangulas; tu symphonia delectaris, et

Digitized by Google

alius miserabili deplorat ululatu ; tu poma degustas, et alius spinam vorat. Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Spina usura est, spina centesima est, tribulus est fenus, male urit. Quomodo ergo potes fructum habere de spinis? Si iste fructus de spinis non nascitur, ille nascetur æternus. De ærumnis ditaris, de lacrymis lucrum quæris, de fame aliena pasceris, de exuviis despoliatorum hominum cudis argentum ; et judicas te divitem, qui stipem poscis à paupere? Sed audi quid dicat Salvator : *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram!* (*Luc.* VI, 24.)

Cæterum Dominus in Evangelio talibus magis existimat fenerandum, a quibus redhibitio non speretur. Sic enim ait : *Et si mutuum dederitis a quibus speratis recipere, quæ vobis est gratia? Nam peccatores peccatoribus fenerant, ut recipiant. Verumtamen amate inimicos vestros, et benefacite eis, et mutuum date nihil sperantes; et erit merces vestra multa in cœlo, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus super ingratos et malos. Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* (*Luc.* VI, 34 et seq.) Advertitis quod nomen a Domino fenerator acceperit, quod nomen etiam qui fenori vestro fuerit obligatus. Peccatores, inquit, peccatoribus fenerant ut recipiant, uterque peccator, et fenerator et debitor. Vos autem, inquit, amate inimicos vestros. Non discutiatis quid mereantur inimici, sed quid vos facere oporteat. Date mutuum iis a quibus non speratis vos, quod datum fuerit recepturos. Nullum hic damnum est, sed compendium. Minimum datis, multum recipiatis ; in terra datis, et id vobis solvetur in cœlo ; fenus amittitis, mercedem magnam habebitis, feneratores esse desinitis, filii eritis Altissimi, eritis misericordes, qui vos Patris æterni probetis hæredes.

Sed feneratorum vos delectat et usurarum vocabulum. Id quoque non invideo. Docebo quomodo boni feneratores esse possitis, quomodo bonas quæratis usuras. Dicit Salomon : *Fenerat Domino qui miseretur pauperi, secundum datum autem ejus retribuet ei* (*Prov.* XIX, 17.) Ecce bonum fenus de malo factum est, ecce irreprehensibilis fenerator, ecce usura laudabilis. Nolite ergo jam invidentem me vestris commodis æstimare. Putatis quod hominem subtraham vobis debitorem? Deum provideo, Christum subrogo, illum demonstro qui vos fraudare non possit. Fenerate ergo Domino pecuniam vestram in manu pauperis. Ille astringitur et tenetur, ille scribit quidquid egenus acceperit, Evangelium ejus cautio est, ille promittit pro omnibus indigentibus, ille dicit fidem ; quid dubitatis dare? Si quis vobis dives hujus sæculi offeratur, qui fide promittat sua pro aliquo debitore, statim numeratis pecuniam, pauper est vobis Dominus cœli, et conditor mundi hujus, et adhuc deliberatis quem ditiorem quæratis fidejussorem.

Sed allegatis, quia pauper est factus cum dives esset. Vidistis ergo quia fides ejus dives est, fides ejus idonea est : pauper est factus, cum pro nobis solveret, et adhuc paupertas ipsa non decipit, nos enim divites fecit, quos pauperes putabatis. Dicit enim Apostolus : *Pauper factus est cum dives esset, ut in illius inopia vos ditaremini.* (*II Cor.* VIII, 9.) Bona inopia quæ largitur divitias. Nolite ergo vos paupertatem timere, ut sitis divites. Date otiosam pecuniam, et recipietis fructuosam gratiam, et pauperum subvenietis necessitatibus, et vobis custodiæ sollicitudo minuetur. Non peribit quod pauper acceperit ; et vobis quod dederitis inopi sine custode servabitur. Quod si incrementum usurarum quæritis, in lege benedictio, in Evangelio cœlestis est merces : quid suavius benedictione? quid majus est cœlo? Si escarum desideratur usura, ea quoque præsto est, sicut legimus : *Is enim qui miseretur pauperis, ipse pascetur.* (*Prov.* XXII, 9.)

S. Ambros. *Enarr. in psal.* XXXVI, t. I. — Quid est quod fenerat justus? Non æs, non ferrum, non plumbum, sed argentum igni examinatum. Hoc defert ad mensam Domini, et dividit requirentibus : cuinam, cui duas, cui quinque mnas quotidie dividit, et nunquam deficit. Sed fenerationem audivimus in lege reprehensam, dicente Moyse : *Non fenerabis.* (*Deut.* XXIII, 19.) Duplex est feneratio : una pecuniæ, altera gratiæ. Divide utramque, quia scriptum est : *Si recte offeras, non recte dividas, peccasti : quiesce.* (*Gen.* IV, 7.) Et tu recte divide ne pecces. Ipse Moyses doceat te dividere, qui admonuit recte dividendum ; ut sequaris quod Abel egit, qui recte divisit ; fugias quod Caïn parricida fecit, qui recte dividere nesciebat. Dividit ergo Spiritus sanctus divisiones, qui operatur omnia dividens singulis prout vult : ille prout vult, tu prout potes, prout ingenio vales. Divide quando lex de pecunia dicat, quando de gratia. Dixit enim tibi : Fenerabis gentibus, cujus Dominus usuras exigit, pecunia fenoris æs habet, gratia fidem confert. Fenerato ergo fidem gentibus, ut tibi abundet gratia : tu autem noli mutuari quasi indigus ; sed quasi dives et locuples fenerato. Feneravit Petrus, feneravit Paulus, feneravit Joannes evangelista, vel uterque, (nimirum evangelista et Baptista), et non indiguit ; hoc est fenerarunt pecuniam Christi, non fenerarunt pecunias ad usuram. Fenera ergo et noli desistere feneraro. Audis quid dicat Scriptura : *Tota die miseretur et fenerat.* Justus per diem fenerat, avarus in nocte ; gratia enim lucis est, avaritia autem usura tenebrarum est. Et ideo semen fenerantis fidem in benedictione erit, habens utique præmium benedictionis.

Idem, *De Tobia*, t. I.—Alia est pecunia fenoris, alia doctrinæ cœlestis usura. Dominus, cum dicit : *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam?* (*Matth.* XXV, 23.) non nostræ, sed suæ pecuniæ quærit usuram.

Forte dices quia scriptum est : *Alienigenæ non fenerabis* (*Deut.* XXIII, 20) ; et non consideras quid Evangelium dicat, quod est plenius. Sed hoc interim sequestremus, legis ipsius verba considera : *Fratri tuo,*

Digitized by Google

inquit, *non fenerabis ad usuram ; sed alienigenam exiges*. Quis erat tunc alienigena, nisi Amalech, nisi Amorrhæus, nisi hostes? Ibi, inquit, usuram exige. Cui merito nocere desideras, cui jure inferuntur arma, huic legitime indicantur usuræ. Quem bello non potes facile vincere, de hoc cito potes centesima vindicare te. Ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere. Sine ferro dimicat, qui usuram flagitat ; sine gladio se de hoste ulciscitur, qui fuerit usurarius exactor inimici. Ergo ubi jus belli, ibi etiam jus usuræ. Frater autem tuus omnis, fidei primum, deinde romani juris est populus. *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.* (*Psal.* XXI, 23.)

Denique etiam in levitico præscribit lex usuram a fratre non esse poscendam. Sic enim habes : *Et vivet frater tuus tecum, pecuniam tuam non dabis illi in usuram, et in amplius recipiendum non dabis illi escas tuas.* (*Levit.* XXV, 36.) Generaliter hæc sententia Dei omne sortis exclusit augmentum. Unde et David et benedictum æstimavit, et dignum habitatione cœlesti qui pecuniam non dedit in usuram. Si ergo qui non dedit, benedictus ; sine dubio maledictus qui ad usuram dedit. Cur ergo maledictionem potius eligis, quam benedictionem? Potestis benedicti esse, si velitis, potestis justi esse. Homo enim justus secundum Ezechiel (XVIII, 7), qui pignus debitori reddet, et pecuniam suam in usuram non dabit, et superabundantiam non accipiet, et ab injustitia avertet manum suam : *Justus est iste;* inquit, *vita vivet, dicit Dominus.* (*Ibid.*, 9.) Qui autem pignus non reddidit, et in simulacra apposuit oculos suos, iniquitatem fecit, cum usura dedit, superabundantiam accepit, hic vita non vivet. Omnes iniquitates istas fecit, morte morietur : Sanguis ejus super ipsum erit. Vide quomodo feneratorem cum idololatra copulavit, quasi crimen æquaret. Elige ergo quod dulce est.

Cur semper tristes, cur semper amarissimi, cur semper solliciti? Procedat aliquando a vobis misericordia, procedat veritas : obligetur mendacium, fraus odio sit. Docuistis perjurium : feneratorium sacramentum dicitur, ubi paratur perjurium. Parastis frequenter cum reddita fuerit pecunia, quod synagrapha non appareat : pejeratis postea quod non receperitis pecuniam. Nolite ergo semper miseri esse, semper avari, semper mœsti. Leones sunt, et feritatem suam mutant : *De manducante*, inquit, *exivit esca, et de forte et tristi exivit dulce* (græcus *et tristi* habet). Sic invenimus. (*Judic.* XIV, 14.) Tamen de forti hoc intelligitur ; quia leo fortis est feritate ; et qui ferus, tristis. Et de vobis qui pecuniam et avaritiam devoratis, exeat misericordia ; hæc enim esca est egenorum ; et de tristi exeat dulce, ut dimittatis ei qui non habet unde dissolvat. Quid trahitis peccata ut fune longo, et jugi loro vitulæ? Quod fit utique, cum fenus producitis. Tenetis pauperem debitorem, vel (scilicet saltem) ibi sit aliqua gratia, ubi nulla spes commodi. Et hoc secundum avaritiam vestram loquor.

S. Chrysost., hom. 5 *in Matth.*, t. VII. — Ne tu negotieris, nescis quippe lucrari ; sed maximam totius partem fenori dato ei qui usuram tibi præbiturus est. Ibi fenus colloca, ubi nulla invidia, nulla accusatio, nullæ insidiæ, timor nullus. Fenori dato ei qui nullo indiget, et propter te tamen opus habet ; ei qui omnes alit et esurit, ne tu fame premaris ; ei qui pauper effectus est, ut tu ditescas. Fenus ibi colloces, unde non mortem, sed vitam pro morte in fructum percipies. Hæc fenerat regnum, illa gehennam pariunt : hæc enim ad avaritiam, illa ad philosophiam pertinent ; illa crudelitatem, hæc humanitatem arguunt. Quam defensionem habebimus, si cum possimus plura accipere, ac tuto inque tempore opportuno, cum libertate magna, tuti ab opprobriis, timoribus, periculis, hoc dimisso lucro, illa insequamur turpia, levia, fallacia, fluxa quæ nos in fornacem ingentem dejiciant? Nihil enim, nihil certe præsenti usura turpius ; nihil crudelius. Nam hujusmodi fenerator in aliorum calamitatem negotiatur, et proventum sibi parat ex aliorum infelicitate, mercedemque humanitatis exigit ; ac veluti metuens in immisericors appareat, benignitatis specie foveam profundiorem fodit, dumque fert opem, pauperem opprimit ; dum manum porrigit, dejicit, ac dum quasi in portum recipere videtur, in naufragium, in scopulum et in saxa latentia dejicit.

Sed quid quæris? inquies ; an ut collectam pecuniam mihi utilem, alteri in usum dem, nec ullam inde mercedem reposcam? Absit : non ita loquor ; imo cupio te hinc mercedem accipere, non vilem aut exiguam, sed multo majorem : pro auro te cœlum in usuram accipere volo. Cur ergo te in paupertatem redigis, dum in terra volutaris, et parva pro magnis exigis? Illud enim est quid sint divitiæ nescire. Cum Deus pro exiguis illis pecuniis bona tibi cœlestia promittit ; tu vero dicis : Ne mihi cœlum dederis, sed præ cœlo aurum illud perituram. Hoc est velle in pauperie manere. Ita qui veras divitias concupiscit, is manentia pro perituris, inexhausta pro fluxis, multa pro paucis, incorruptibilia pro corruptibilibus eliget ; et sic illa etiam sequentur. Nam qui terram ante cœlum quærit, ab illa prorsus excidet ; qui autem cœlum terræ prætulerit, utroque supra modum fruetur. Quod ut consequamur, præsentia omnia contemnentes, futura bona deligamus ; ita enim et his et illis fruemur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi.

Idem, hom. 57, al. 58, *in Matth.*, t. VII. — Misericordiam exercere facile est, ab omnique sollicitudine liberat. Ne igitur alienas calamitates negotiemur, ne in lucrum vertamus illa quæ ad misericordiam spectant. Scio quidem multos hæc non libenter audire. Sed quid ex silentio lucri accederet? Si taceam, et nemini molestiam verbis inferam, non potero per silentium vos a supplicio eruere ; imo hinc omnia con

Digitized by Google

traria eveniunt : supplicia augentur, atque hujusmodi silentii, non vos tantum, sed ego etiam pœnas darem. Ad quid igitur verborum adulatio, quando illa ad operandum nihil juvat, imo etiam nocet? Quod lucrum verbo lætitiam, re dolores afferre? Aures demulcere et animam supplicio addicere? Ideo necesse est hic dolere, ne illic pœnas demus. Nam gravis certe et omnino curandus morbus Ecclesiam invasit. Qui prohibentur vel ex justis laboribus pecunias accumulare, imo qui jubentur opes suas egenis aperire, ex aliorum paupertate ditescunt, speciosam rapinam excogitantes et bene coloratam avaritiam. Ne mihi externas leges objicias. Publicanus enim legem illam exteriorem servat, et tamen dat pœnas. Quod etiam nos patiemur, nisi desinamus pauperes atterere, et penuriæ egestatisque occasione sumpta impudente abuti usura. Ideo enim pecunias habes ut paupertatem solvas, non ut eam opprimas; tu vero quasi opem ferens, majorem infers calamitatem, et liberalitatem pecunia vendis : vende, non veto, sed pro regno cœlorum. Ne parvum accipias operis hujusce pretium, usuram centesimam, sed vitam immortalem.

Cur pauper et egenus es? Cur pusilli animi, ut magna parvo pretio vendas, et pro caducis pecuniis des, cum oporteret pro regno vendere semper manente? Cur, Deo relicto, humana lucraris? Cur divite relicto, pauperi molestiam infers, et largientem prætercurrens cum ingrato pacta inis? Ille reddere concupiscit, hic ægre reddit. Hic vix centesimum numerat, ille centuplum et regnum cœlorum. Hic cum conviciis et contumeliis, ille cum laudibus et enconiis. Hic tibi invidiam parit, ille tibi coronas nectit. Hic vix in hoc sæculo, ille et in hoc et in futuro. Annon ergo extremæ dementiæ est, ne scire quidem lucrari? Quot fenoris causa sortem etiam amiserunt? Quot propter usuras in pericula inciderunt? Quot se et alios in extremam paupertatem dejecerunt ob incredibilem avaritiam?

Ne mihi dixeris illum talem libenter accipere et de fenore gratiam habere. Illud enim per inhumanitatem tuam evenit. Nam et Abraham cum uxorem barbaris tradidit, insidias illas sibi gratas reddidit; non libenter, sed ob metum Pharaonis. (*Gen.* XII, 13.) Sic etiam pauper, quia re gratis oblata dignum illum non censes, de crudelitate gratias agere cogitur. Tu autem mihi videris si a periculo quempiam vindicares, mercedem te hac de causa ab illo flagitaturum esse. Absit, inquies, quid dicis? Cum a majori malo liberas, non vis pecunias exigere, dum pro re minore tantam exhibes inhumanitatem? Non vides quantum huic rei imminet supplicium? Non audis illud in Veteri etiam Testamento prohiberi? (*Deut.* XV.) Sed quid multi causificantur? Dum fenus accipio, do pauperi. Bona verba, mi homo, hujusmodi sacrificia non vult Deus. Ne legem ita callide eludas. Melius est pauperi non dare, quam inde sumptum dare. Quia pecuniam justis partam laboribus, sæpe reddis iniquam ab iniquos fetus, ac si quis fecundum uterum cogat scorpiones parere. Ecquid legem Dei memoro, annon, vos ipsi sordes illud esse dicitis? Si autem vos qui lucrum refertis, ita statuitis, cogita quam Deus de vobis feret sententiam. Quod si velis externos legislatores interrogare, audies illos id extremæ impudentiæ esse putare. Certe iis qui dignitates occupant, quique senatum magnum constituunt, non licet hujusmodi lucro dehonestari; sed lex apud illos est quæ id prohibet. Quomodo igitur non horrendum fuerit, si non parem cœlesti civitati honorem tribuas, qualem legislatores Romanorum senatui tribuunt, sed minorem cœlo referas quam terræ, neque te pudeat tantæ turpitudinis. Quid enim insanius fuerit, quam si quis sine terra, sine pluvia, sine aratro seminare voluerit? Hac de causa zizania, quæ igni tradenda sunt, metunt, qui magnam hujusmodi agriculturam excogitarunt.

Annon multæ sunt justæ negotiationes agrorum, gregum armentorum, manualium laborum, solersque rei familiaris cura? Quid insanis ut spinas frustra demetas? At fructus terræ, inquies, multis sunt casibus obnoxii, grandini, rubigini, imbribus nimiis. Sed non tot casibus quod fenus. Nam quidquid ibi acciderit, reditum solummodo lædit, sorte interim, sive agro manente illæso. Hic vero multi sæpe in ipsa sorte naufragium passi sunt; et antequam damnum accidat, in perpetua sollicitudine versantur. Nam fenerator nunquam re sua fruitur, sed etiam quando fenus affertur, non gaudet quod proventus accedat, sed dolet quod nondum sortem exæquet usura, ac priusquam hic fetus totus prodeat, illum totum parere nititur, fenora in sortem convertens, et vim inferens ut abortivos viperæ partus edat. Talia certe sunt fenora, quæ animas miserius rodunt et lacerant, quam viperæ. Hoc injustitiæ vinculum est; hæc obligatio violentarum pactionum. Do, inquit, non ut accipias, sed ut plura reddas. At Deus vetat id accipere, quod datur : *Date*, inquit, *illis a quibus nihil accipere speratis*. (*Luc.* VI, 35.) Tu vero plus quam dederis exigis : et quod non dedisti, ut debitum tibi cogis numerare cum qui non accipit. Et putas hinc tibi opes augeri, ac pro opibus ignem tibi accendis inextinguibilem. Quod ne fiat, hos fenorum partus malos et iniquos exscindamus, exsiccemus hunc perniciosum uterum, ac vera magnaque lucra tantum persequamur. Quænam hæc sunt? Audiamus Paulum dicentem : *Magnus est quæstus pietas cum sufficientia.* (*I Tim.*, VI, 6.) His igitur tantum ditemur divitiis, ut et hic tranquillitate fruamur, et futura consequamur bona gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi.

S. Chrysost, hom. 41, *in Gen.* XVII, t. IV. — *Serve nequam.* Terribilis indignatio, et minæ valentes per se percellere animum. *Sciebas*, inquit, *quod metam ubi non seminavi, et congregem ubi non dispersi : oportebat igitur te pecuniam meam dinumerare mensariis et ego*

Digitized by Google

cum venissem, cum fenore repetiissem illam. (*Matth.* XXV, 26.) Pecuniam vocat eloquia pretiosa, nummularios autem vos qui suscipitis. Tuum quidem fuerat, ait, tantum dinumerare, meum autem repetere ab illis, non solum dinumerata, sed et usuram. Videtis, dilecti, quantus in dictis terror. Quid ergo dicent, qui concredita servare negligunt, quando etiam usura ab eis requiritur? Et videte humanitatem Domini in his sensibilibus pecuniis prohibuit ne quis usuram acciperet. Quare, et ob quam causam? Quia uterque magno damno afficitur. Nam debitor quidem inopia atteritur, creditor autem augens divitias, peccatorum accumulat sibi multitudinem. Proinde ab initio olim Judæis crassioribus tale dedit præceptum dicens: *Non feneraberis fratri tuo et proximo tuo.* (*Deut.* XXIII, 19.) Qua igitur excusatione digni erunt qui Judæis sunt inhumaniores, et post gratiam et tantam a Domino benignitatem inveniuntur iis qui sub lege fuerunt inferiores, imo pejores? In spiritualibus enim repetiturum se promittit usuras. Quare? quia contrario prorsus malo se habent spiritualis usura et sensibilis. Illic enim is a quo requiritur severe, subito in extremam inopiam defertur: hic autem is quo exigitur, quando gratum animum præ se tulerit, quanto majorem usuram afferet, tanto largiori fruetur cœlesti remuneratione.

Quocirca, dilecti, cum vobis concredita dinumeraverimus, vobis necessarium erit duplicem afferre laborem, et vigilantiam, tum quod dinumerata custodienda sunt, ut fixa maneant; tum quod operandum ut et aliis communicentur, et multos in viam virtutis inducant: ut bifariam vobis lucrum accrescat, tum pro salute vestra, tum pro aliorum utilitate. Quod si hoc feceritis, et nos reddetis beatos. *Beatus enim*, inquit, *qui dicit in aures audientium.* (*Eccli.* XXV, 13.) Et facietis ut vobis largior hæc spiritualis apponatur mensa. Igitur fratres vestros nolite negligere, neque solum spectate quæ ad vos attinent; sed unicuique cura sit quomodo proximum suum e diaboli faucibus eripiat.

S. CHRYSOST. hom. 61, al. 62, *in Matth.*, t. VII. — Quot rapinæ, quot fraudes! *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* (*Matth.* V, 22.) Hi vero arrogantia utuntur adversus subditos sibi traditos, tremente et formidantes, quibus sunt ipsis feris acerbiores. — Opificum artificumque genus adeamus. Hi maxime videntur ex justis laboribus sudoribusque vitam sibi parare. Verum isti quoque, nisi sibi attendant, multa inde sibi mala congerunt: nam justis operibus iniquum vendendi et emendi modum adjiciunt, et sæpe avaritiæ juramenta, perjuria, mendacia superaddunt: hujus vitæ rebus addicti terræque affixi, nihil non agunt ut pecunias colligant, nec curant eas pauperibus erogare, semperque facultates augere student. Quis enarrarit convicia his de causis prolata, contumelias, fenora, usuras, pacta multam fraudem habentia, impudentes negotiationes?

Verum si placet, his omissis, ad alios veniamus, qui videntur justiores esse. Quinam illi sunt? Qui agros possident et ex terræ fructibus ditantur. Quid illis iniquius reperiatur? Si quis enim perquirat quo pacto cum miseris agricolis se gerant, illos barbaris immaniores deprehendet. Nam iis qui fame tabescentes per totam vitam laborant, vectigalia imponunt intolerabilia et perpetua, laboriosaque ministeria, quasi asinis et mulis; imo quasi lapidibus ipsorum corporibus utentes, neque vel tantillum respirare sinentes; sed sive agri feraces, sive steriles sint, pari modo torquent. Nec vel minimum veniæ ipsis concedunt; quo quid miserabilius fuerit, quando tota hieme in laboribus transacta, frigore, imbribus ac vigiliis attriti, vacuis manibus, adhuc debitores recedunt: procuratorum tormenta, raptationes, exactiones, abductiones, et inevitabilia ministeria magis timentes, quam tantam famem, tantumque naufragium. Quis narraverit negotiationes et commercia quæ per illos exercent? Ex ipsorum laboribus torcularia et subtorcularia replent, dum non sinunt ipsos vel parvam mensuram domum referre, sed totum fructum inique in doliis suis includunt, modicamque pecuniam pro hac re ipsis projiciunt. Nova quoque excogitant usuræ genera, quæ ne gentilium quidem legibus permittuntur, usurariaque acta rescribunt, quibus non centesimam sortis, sed dimidium exigunt; et hæc, cum is a quo exigunt et uxorem et liberos alat, pauperque sit, qui suis laboribus et aream et torcularia implet. Sed nihil horum cogitant. Quare opportune prophetam in medium abducamus dicentem: *Obstupesce cœlum, et horresce terra* (*Jer.* II, 12), in quantam feritatem genus humanum prorupit! Hæc porro dico, non quod agriculturam criminer, sed nos ipsos.

Idem, hom. 60, al. 61, *in Matth.*, t. VII. — Tu mihi perpende quomodo publicanum ubique in exemplum nequitiæ maximæ ponat (Christus). Nam dixit: *Nonne et publicani hoc faciunt?* (Vide *Matth.* V, 45) et progressus rursum, *Publicani et meretrices præcedent vos in regno cœlorum.* (*Matth.* XXI, 31.) Id est qui maxime improbantur et condemnantur. Audiant illi qui ad quæstus iniquos currunt, qui fenora fenoribus adjiciunt: eur porro cum publicanis istum locat? Ut læsum consoletur, et hunc terreat.

Idem, *Quod utilis sit lectio sacrarum Scripturarum*, tom. III. — *Ad tempus mulcet fauces tuas: postea vero amarius illud felle invenies et magis acutum, quam gladium ancipitem.* (*Prov.* V, 3.) Hoc et in iis accidit qui fenora accipiunt: siquidem cum pecunias accipit, qui eis indiget, exiguo quopiam solatio ad tempus fruitur: postea vero, ubi fenus accrevit, et majus viribus factum est onus, dulce illud quod fauces impinguaverat, felle amarius sentiet factum esse, atque acutius gladio ancipiti, statimque bonis omnibus paternis cedere cogetur.

Idem, hom. 7 *in Rom.*, t. IX. — Si quid mutuo dare velimus, diligenter ex-

Digitized by Google

ploramus eos qui multum dare parati, et grati animi sint. Hic vero secus facimus : Deo namque relicto liberalissimo, qui non centesimum, sed centuplum dat, eos requirimus, qui ne sortem quidem reddant. Quid enim nobis reddet venter qui maximam absumit partem ? Stercus ac corruptionem. Quid vana gloria ? Invidiam et livorem. Quid parcimonia ? Curam et sollicitudinem. Quid lascivia ? Gehennam et vermen venenatum. Hi sunt divitum debitores, qui de ipsa sorte hæc nobis fenora solvent, præsentia damna et futura mala. His-ne, quæso, fenori dabimus, tantum supplicium relaturis, et Christo non credemus qui cœlum offert et immortalem vitam, arcana illa bona ? Et quam habebimus defensionem ? Cur non das reddituro, et plurima reddituro ? Fortasse quia post multum temporis redditurus est ? Atqui et in hac quoque vita dat ; mentiri enim nequit ille qui dicit : *Quærite regnum cælorum, et hæc omnia adjicientur vobis.* (*Matth.* VI, 33.) Viden liberalitatem ingentem ? Illa, inquit, tibi asservantur, nec minuentur, hæc vero præsentia, quasi additamentum adjicio. Ad hæc diuturnitas exspectationis auget tibi divitias ; nam crescit fenus : apud feneratores enim id fieri videmus, qui libentius illis commodant, qui post diuturnum tempus soluturi sunt. Nam qui statim sortem reddit, fenoris cursum intercipit ; qui vero diuturnius retinet, quæstum majorem efficit. Ita-ne apud homines moram non ægre ferimus, sed majorem fieri curamus, et apud Deum ita pusillanimes erimus, ut ideo segnes simus et tergiversemur, etsi, ut dixi, et hic det ea qua dixi de causa, et aliud quiddam majus præparans in cœlo totum recondat ? Magnitudo quippe doni, et pulchritudo ejus, vitæ præsentis vilitatem longe superat. Non enim fieri potest ut in mortali et fluxo corpore, immarcessibiles illæ coronæ accipiantur, neque in hac præsenti et tumultu plena vita, mutationibusque plurimis obnoxia, immota illa stabilisque sors obtineri potest.

Jam vero si quis tibi in aliena terra degenti, ubi nullos haberes famulos, neque posses in patriam quid transferre, fenora dare polliceretur, obnixe precareris, ne id tibi in peregrina terra, sed domi reversum numeraret ; bona vero illa spiritualia et arcana hic vis recipere ? Et quanta isthæc amentia ? Nam si hic accipis, mortalia prorsus accipis ; si vero tempus illud exspectes, incorruptibilia et non fluxa dabit tibi. Si hic accipias, plumbum accepisti ; si illic, aurum probatum. Verum neque præsentibus bonis te privavit. Post illam enim promissionem, aliam addidit, sic dicens : Quisquis cœlestia amat, centuplum recipiet in hoc sæculo, et vitam æternam possidebit. (*Matth.* XIX, 29.) Si vero centuplum non accipimus, nos in causa sumus, qui non mutuo damus ei qui tantum dare potest : quotquot enim dederunt, tot tantaque receperunt, licet pauca dederint. Quid enim magni, quæso, dedit Petrus ? Nonne rete scissum, et calamum et hamum ? Sed tamen Deus ipsi universi orbis domos aperuit, terram et mare expandit, et omnes illum ad sua evocabant ; imo sua vendentes ad illius pedes afferebant, non ad manus conjicientes, neque enim audebant, tantum illi cum munificentia honorem tribuentes. Sed ille Petrus erat, inquies. Et quid hoc, o homo ! Neque enim Petro tantum hæc pollicitus est ; neque dixit : tu vero, Petre, centuplum recipies solus ; sed quicunque reliquerit domum, vel fratres, centuplum accipiet. Neque enim personarum differentiam ille novit, sed rerum merita.

S. August., serm. 3 *in psal.* XXXVI, tom. IV. — *Tota die miseretur et commodat.* (*Psal.* XXXVI, 26.) Justus ille tota die miseretur et feneral ; sed non gaudeant feneratores, invenimus enim quemdam feneratorem, sicut invenimus quemdam panem ; ut ubique aperto lecto per veniamus ad Christum. Nolo sitis feneratores ; et ideo nolo, quia Deus non vult. Nam si ego nolo, et Deus vult, agite : Si autem Deus non vult, etiam si ego vellem, malo suo ageret, qui ageret. Unde apparet Deum hoc nolle ? Dictum est alio loco : *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* (*Psal.* XIV, 5.) Et quam detestabile sit, quam odiosum, quam exsecrandum, puto quia et ipsi feneratores noverunt. Rursus autem ego ipse, imo Deus noster, qui te prohibet esse feneratorem, jubet te esse feneratorem ; et dicitur tibi : Fenera Deo. Si feneras homini, habes spem ; et si feneras Deo, spem non habebis ? Si feneraveris homini, id est, mutuam pecuniam tuam dederis, a quo aliquid plus quam dedisti exspectes accipere ; non pecuniam solam, sed aliquid plus quam dedisti ; sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud ; si plus quam dedisti exspectas accipere, feneratores es, et in hoc improbandus, non, laudandus.

Idem, *ibid.* — Quid ergo, inquis, facio, ut sim utiliter feneretor ? Attende quid facit fenerator. Minus vult dare certe, et plus accipere : hoc fac et tu ; da modica, accipe magna. Vide quam late crescat fenus tuum. Da temporalia, accipe æterna ; da terram, accipe cœlum. Et cui dabo forte dicis ? Ipse Dominus procedit quem feneres, qui tibi jubebat ne fenerares. Audi Scripturam, quomodo feneres Dominum : *Fenerat*, inquit, *Dominum, qui miseretur pauperis.* (*Prov.* XIX, 17.) Nom enim eget a te Dominus, sed habes alium qui a te egeat : illi porrigis, ille accipit. Non enim habet pauper quod tibi retribuat ; et tamen ipse vult retribuere, et non invenit quid : sola in illo remanet benevolentia orandi pro te. Cum autem pauper orat pro te, tanquam Deo dicit : Domine, mutuum accepi, fidedic me. Proinde etsi non tenes pauperem redditorem, sed idoneum tenes fidejussorem. Ecce Deus tibi de Scriptura sua dicit : Da securus, ego reddo. Quomodo solent dicere fidejussores ? Quid dicunt ? Ego reddo, ego accipio, mihi das. Putamusne, et hoc dicit Deus : ego accipio, mihi das ? Plane si Deus

Digitized by Google

Christus, quod non dubitatur, ipse dixit : *Esurivi, et dedistis mihi manducare.* (*Matth.* XXV, 35.) Et cum illi dicerent, *Quando te vidimus esurientem?* (*Ibid.*, 37.) Ut ostenderet se pauperum fidejussorem, omnium membrorum suorum sponsorem; quia ille caput, illi membra et cum accipiunt membra, caput accipit : *Cum uni*, inquit, *ex his minimis meis fecistis, mihi fecistis.* (*Ibid.*, 40.)

Eia, avare fenerator, vide quid dedisti, vide quid accepturus es. Si dedisses paucam pecuniam, et ille cui dederas, pro parva pecunia tua, daret tibi magnam villam, incomparabiliter amplius valentem quam dederas tu pecuniam; quantas gratias ageres, quanta lætitia tollereris? Audi quam possessionem det quem fenerasti : *Venite, benedicti Patris mei, percipite.* (*Ibid.*, 34.) Quid? quod dedistis? Absit. Terrena dedistis, quæ si non dedissetis, in terra putrescerent. Quid enim inde facturus esses, si non dedisses? Quod periturum erat in terra, servatum est in cœlo. Ergo quod servatum est, hoc accepturi sumus. Servatum est meritum; factus est thesaurus tuus meritum tuum. Nam vide quid sis accepturus : *Percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi.* (*Ibid*). Contra, illi qui fenerare luerunt, quid audient? *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* (*Ibid.*, 41.) Et quid vocatur regnum quod accipiunt? Attendite sequentia : *Isti ibunt in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam.* (*Ibid.*, 46.) Ad hoc ambite, hoc emite, ad hoc fenerate. Habetis Christum in cœlo sedentem, in terra petentem. Invenimus quomodo feneret justus : *Tota die miseretur et fenerat.* (*Psal.* XXXVI, 26.)

S. AUGUST., *Enarr. in psal.* LIV, t. IV. — *Non defecit de plateis ejus usura et dolus.* (*Psal.* LIV, 12.) Usura et dolus non absconduntur, saltem quia mala sunt, sed publice sæviunt. Etenim qui in domo aliquid mali facit, vel de malo suo erubescit, *in plateis ejus usura et dolus.* Fenus et professionem habet, fenus et ars vocatur; corpus quasi necessarium civitati, et de professione sua vectigal impendit, usque adeo in platea est quod saltem abscondendum erat. Est et alia usura pejor, quando non dimittis quod tibi debetur, et turbatur oculus in illo versu orationis : *Dimitte nobis debita nostra.* (*Matth.* VI, 12.) Quid enim ibi facturus es, quando oraturus es et ad ipsum versum venturus? Verbum contumeliosum audisti; vis exigere damnationis supplicium. Vel tantum exige, quantum dedisti, fenerator injuriarum. Pugno percussus es; interfectionem quæris : Usura mala. Qua fturus es in orationem? Si reliqueris orationem, qua circumiturus es ad Dominum?

Ecce dices : *Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum; fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra.* Dices, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Venies ad, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* (*Matth.* VI, 9, etc.) Vel in civitate illa mala abundent usuræ istæ, non intrent parietes istos ubi pectus tunditur. Quid facies? quia ibi tu et ille versus in medio estis? Preces tibi composuit jurisperitus : qui noverat quid ibi ageretur, ait tibi : aliter non impetrabis. Amen enim dico vobis, quia si dimiseritis peccata hominibus, dimittentur vobis; si autem non dimiseritis peccata hominibus, neque Pater vester dimittet vobis. Quis hoc dicit? qui scit quid ibi agatur, quo tu astans petis. Vide quod voluit esse ipse advocatus tuus; ipse jurisperitus tuus, ipse assessor Patris, ipse judex tuus dixit : Aliter non accipies. Quid facturus es? Non accepturus, si non dicturus; non accepturus, si falsum dicturus. Ergo aut facturus et dicturus, aut quod petis non promeriturus : quia qui hoc non faciunt, in usuris illis sunt malis. Sint ibi illi qui adhuc idola aut adorant, aut quærunt : noli tu plebs Dei, noli plebs Christi, noli corpus illius capitis. Attende vinculum pacis tuæ, attende promissum vitæ tuæ. Quid enim tibi prodest, quia exigis injurias quas pertulisti? Ultio te reficit? Ergo de malo alieno gaudebis? Passus es malum, ignosce; ne duo sitis. (*Subaud.* Mali.) *Et non defecit de plateis ejus usura et dolus.*

Idem, *Enarr. in psal.* LXXII, t. IV. — *Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum.* (*Psal.* LXXI, 24.) Quæ sunt istæ usuræ, nisi peccata, quæ etiam debita nominantur? (*Matth.* VI, 12.) Usuras autem appellatas puto, quia plus malis invenitur in suppliciis, quam commissum est in peccatis. Nam, verbi gratia, cum homicida corpus tantum hominis perimat, animæ autem nocere nihil possit; ipsius et anima et corpus perditur in gehenna. Propter hujusmodi contemptores præsentis præcepti et irrisores futuri supplicii dictum est : Ego veniens cum usuris exigerem. (*Matth.* XXV, 27.) Ab his usuris redimuntur animæ pauperum sanguine illo, qui fusus est in remissionem peccatorum. Redimet ergo ab usuris, remittendo peccata, quæ debebant ampliora supplicia : redimet autem ab iniquitate, adjuvando per gratiam etiam ad faciendam justitiam. Eadem itaque duo repetita sunt, quæ supra dicta erant, (nempe *parcet inopi et pauperi.* (*Psal.* LXXI, 13.) Quod enim supra est, *parcet inopi et pauperi*; hoc intelligitur *ex usuris* : Quod vero ibi dicit : *Et animas pauperum salvas faciet* (*Ibid*); hoc dictum videtur *Ex iniquitate* : Ut redimet, ad utrumque subaudiatur. Nam parcendo, redimet ab usuris; salvos autem faciendo, redimet ab iniquitate. Ita cum parcet pauperi et inopi, et animas pauperum salvas faciet; sic *ex usuris et iniquitate redimet animas eorum.*

Idem, *Enarr. in psal.* CXXVIII, t. IV. — *Noli fenerare.* Tu accusas Scripturam dicentem : *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* (*Psal.* XIV, 5.) Non ego illud scripsi, non de ore meo primo exiit : Deum audi. Et ille : *Clerici non fenerent.* Et forte qui tibi loquitur, non fenerat; sed si fenerat, fac quia et ipse fenerat; nunquid fenerat qui per ipsum loquitur? Si facit quod tibi

Digitized by Google

dicit, [et] non tu facis : tu in ignem, ille in regnum. Si non facit quod tibi dicit, et pariter facit mala quæ facis, et dicit bona quæ non facit ; pariter in ignem. *Fenum ardebit, verbum autem Domini manet in æternum.* (*Isa.* XL, 8.) Nunquid ardet sermo, qui tibi per illum locutus est? aut Moyses est qui tibi loquitur, id est, bonus et justus famulus Dei ; aut Pharisæus est super cathedram Moysi sedens. Audisti et de ipsis : *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite.* (*Matth.* XXXIII, 3.) Non habes tu unde te excuses, quando sermo Dei tibi loquitur. Quia non potes interficere sermonem Dei, criminaris eos per quos loquitur tibi sermo Dei. Quære quantum vis, dic quantum vis, blasphema quantum vis. *Sæpe expugnaverunt mea juventute mea : dicat* vero *Israel : sæpe expugnaverunt me a juventute mea.* (*Psal.* XXXIX, 2.) Audent etiam feneratores dicere, non habeo aliud unde vivam. Hoc mihi et latro diceret, deprehensus in fauce ; hoc et effractor diceret, deprehensus circa parietem alienum ; hoc mihi et leno diceret, emens puellas ad prostitutionem ; hoc et maleficus incantans mala, et vendens nequitiam suam: quidquid tale prohibere conaremur, responderent omnes, quia non haberent unde viverent, quia inde se pascerent ; quasi non hoc ipsum in illis maxime puniendum est, quia artem nequitiæ delegerunt, unde vitam transigant, et inde se volunt pascere, unde offendant eum a quo omnes pascuntur.

S. Aug., lib. IV *de Baptismo contra Donatistas*, tom. IX.— Aperte Scriptura clamat : *Neque avari, neque rapaces regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI, 10) ; et, *Qui pecuniam suam dedit in usuram* (*Psal.* XIV, 5) ; et, *Omnis fornicator et immundus et avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei.* (*Ephes.* V, 5.) Tales ergo avaros ille, ut non solum sua cupide thesaurisarent, sed et aliena fraudulenter eriperent, tales idololatras sicut et ipse intelligit atque convincit, non utique argueret, nisi nosset.

S. Leo Magn., serm. 16 *de Eleemosynis*, t. I.— Constans esto, Christiane largitor : da quod accipias, sere quod metas, sparge quod colligas. Noli metuere dispendium, noli de dubio suspirare proventu. Substantia tua cum bene erogatur, augetur ; et concupiscere justum misericordiæ lucrum, æterni quæstus est sectari commercium. Munerator tuus vult te esse munificum, et qui dat ut habeas, mandat ut tribuas, dicens : *Date et dabitur vobis.* (*Luc.* VI, 36.) Amplectenda est tibi promissionis istius gratulanda conditio. Quamvis enim non habeas nisi quod acceperis, non potes tamen non habere quod dederis. Qui ergo pecunias amat, et multiplicare opes suas immodicis optat augmentis, hoc potius sanctum fenus exerceat, et hac Usurarum arte ditescat, ut non hominum laborantium captet necessitates, ne per dolosa beneficia laqueos incidat insolubilium debitorum, sed illius sit creditor, illius fenerator qui dicit : *Date et dabitur vobis, et qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis.* (*Matth.* VII, 2.) Infidelis autem et iniquus est etiam sibi, qui quod æstimat diligendum, non vult habere perpetuum. Quantalibet adjiciat, quantalibet condat et congerat, inops de hoc mundo et egenus abscedet, dicente David propheta : *Quoniam cum interierit non accipiet omnia, neque descendet cum eo gloria domus ejus.* (*Psal* XLII, 18.) Qui si benignus esset animæ suæ, illi sua bona crederet, qui et idoneus fidejussor est pauperum, et largissimus redditor usurarum, sed injusta et imprudens avaritia, quæ beneficium se dicit præstare, cum decipit, non credit Deo veraciter promittenti, et credit homini trepide paciscenti : dumque certiora existimat præsentia quam futura, merito in hoc frequenter incurrit, ut ei cupiditas injusti lucri, non injusti causa sit damni.

Unde quilibet sequatur eventus, mala semper est ratio fenerantis, cui pecuniam et minuisse et auxisse peccatum est : ut aut miser sit amittendo quod dedit, aut miserior accipiendo quod non dedit. Fugienda prorsus est iniquitas fenoris et lucrum, quod omni caret humanitate vitandum est. Multiplicatur quidem facultas injustis et tristibus incrementis, sed mentis substantia contabescit : quoniam fenus pecuniæ, funus est animæ. Quid enim de hujusmodi hominibus sentiat Deus, sacratissimus Propheta David manifestat. Qui cum diceret : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* (*Psal.* XIV, 1.) Responso divinæ vocis instruitur, et cum ad æternam requiem pertinere cognoscit, qui inter alias piæ conversationis regulas, *pecuniam suam non dedit ad usuram* (*Psal.* XIV, 5) : et a tabernaculo Dei ostenditur alienus, et a sancto monte ejus extraneus, qui dolosum quæstum de pecuniæ suæ captat usuris : et dum per aliena cupit damna ditari, æterna dignus est egestate puniri.

Vos itaque, dilectissimi, qui ex toto corde promissionibus Domini credidistis, fugientes avaritiæ lepram immundissimam, donis Dei pie et sapienter utimini. Et quoniam de ipsius largitate gaudetis, date operam ut possitis gaudiorum vestrorum habere consortes : Multis enim, quæ vobis suppetunt, desunt, et in quorumdam indigentia, materia vobis data est divinæ bonitatis imitandæ : ut per vos etiam et in alios beneficia divina transirent, et bene dispensantes temporalia, acquireretis æterna.

S. Joan. Damascen., *Sacr. Parallel.*, t. II. —Revera extremæ cujusdam inhumanitatis est, illum quidem qui necessariarum rerum pecunia laboret, sublevandæ vitæ causa mutuam pecuniam postulare ; hunc autem sorte contentum non esse, verum ex pauperis calamitatibus proventus sibi et opes conflare. Etenim Dominus aperte nobis hoc edixit : *Volenti a te mutuari, non avertaris.* At avarus, cum hominem præinopia ad genua sua provolutum, supplicantem, nihil non humi-

Digitized by Google

liter facientem, nihil non effutientem cernit, nequaquam ipsius quam non meruit calamitate commovetur, non considerat naturam, non precibus cedit, non lacrymis frangitur, sed denegando perseverans, etc.

S. Greg. *Nyss.*, *Orat. contra usurarios*, t. II. — Non fieri potest ut quis in societate civili vitam ad recti et temperantiæ normam componat, nisi totis viribus improbitatem fugiat, virtutemque maximo studio persequatur. Coacti igitur hodie quoque in unum, ut divinis mandatis audiendis operam demus, audivimus quomodo propheta pestifera fenoris germina, usuras, inquam, succidat, et ex hominum consortio funditus evellat pecuniæ ad usuram elocationem. Nostrarum partium erit morem gerere prophetæ monitis, ne efficiamur illa petra supra quam cum semen cecidisset, exaruit, nullumque fructum protulit (*Luc.* VIII.) ne forte audiamus, quod olim ad præfractos et intractabiles Israelitas dictum est : *Auditu audietis, et non intelligetis, et videntes videbitis, nec tamen videbitis.* (*Isa.* VI.) Rogo autem omnes quicunque audituri sunt, ut me audaciæ et insipientiæ non condemnent, quod cum vir disertus, et in rebus ad divinam philosophiam spectantibus, magni nominis(15), et in omni dicendi genere admodum exercitatus, et in hac ipsa materia præclare versatus, orationem contra feneratores instruendæ vitæ reliquerit, ego in eamdem arenam descenderim, junctis boum aut asinorum paribus, quibus contendam cum equis victoriæ corona redimitis ; semper enim cum grandioribus visuntur nonnulla humiliora; nam sole splendente, splendet nonnihil et luna; et onerariam navem, quæ millenis mercibus referta, a ventis hinc inde impellitur, sequitur exigua quædam cymbula, idem secans æquor. Virisque athletico more et ritu depugnantibus, eamdem lancea digladiantur et pueri. Hæc igitur nostra sit petitio.

Tu vero quem alloquor, quisquis es, odio habeto mores cauponum, cum homo sis. Ama homines, non pecuniam, obsiste tantispor peccato. Insona aliquando gratissimis tibi usuris vocem illam Joannis Baptistæ : *Genimina viperarum*, abite a me. Pernicies estis iis qui vos retinent, et accipiunt. Paululum oblectationis affertis ; sed, temporis progressione, virus a vobis sparsum convertitur animæ in acerbum maleficium. Viam vitæ obsepitis : regni cœlestis fores clauditis ; modicum quidem oculos aspectu, tinnituque vestro aures recreatis, interim æterni doloris causa et origo estis : Hæc ubi dicta, valedic superfluæ rerum copiæ et usuris, pauperumque amorem in te excita, et illum qui mutuum petit, ne averseris ; ob inopiam tibi fit supplex, foribusque tuis assidet, cum egens sit, confugit ad tuas copias, ut ab eo egestatem depellas. Ac tu contrarium facis; opitulator verteris in hostem : non enim opem fers, ut ex illa qua premitur inopia, evadat, et ab usuris pendendis liberetur ; sed seris afflicto mala, nudum exuens, vulneratumque denuo vulnerans, curas curis accumulans, doloresque doloribus addens. Nam qui pecuniam cum fenore reddendam accipit, specie beneficii exitium domum reportans. Quemadmodum enim is, qui precibus victus febricitanti, et quem vehementissimus calor, sitisque nimia exagitat, meri poculum porrigit, exhilarat quidem ægrum perbrevi tempore, dum poculum exhaurit, sed non longe post acerbissimam et decuplo graviorem febrim misero parit ; sic et qui egeno pecuniam sub fenore commodat, necessitatem illius non sublevat, sed calamitatem potius auget.

Ne vixeris igitur specie humanitatis vitam inhumanam et efferatam, neque esto medicus qui perimat, nomen quidem et formam præ te ferens quasi serves ob divitias, sicut et ille propter artem : voluntate autem tua et animo ad alterius, qui se tibi committit, perniciem abutens. Segnis et insatiabilis est vita usurarii. Nescit laborem agrorum colendorum, mercaturam non exercet, sed uno in loco considens immanes domi suæ feras nutrit. Vult omnia sibi, sine satu, et inarata progigni, cui quidem aratrum est calamus ; ager, charta ; semen, atramentum ; pluvia, tempus ; quod illi pecuniæ fructus occultis incrementis adauget et educat. Fax illi est repetitio ; area, domus in qua miserorum fortunas ventilat, et quæ omnium sunt, propria sui ipsius videt. Imprecatur hominibus calamitates, ut coacti ad ipsum confugiant ; odit, quibus res suæ sufficiunt, et quos mutuum sub usura petere non conspicit, in hostium numero habet. Assidet curiæ et foro, ut inveniat quem sors adversa affligit. Exactores et procuratores suos semper sequitur, ut vultures castra et acies. Circumfert autem loculos, ut miseris escam ostendat : ut ei ob necessitatem inhiantes, devorent simul usuræ hamum. Quotidie numerat lucrum, suamque cupiditatem minime explet. Dolet ob argentum domi repositum, quod otiosum est et infructuosum. Imitatur colonos qui ex acervo frumenti semper semen petunt. Non relinquit miserandum aurum intactum, sed ex manu in manum transfert.

Aspicis igitur opibus divitiisque abundantem, sæpe domi suæ ne unum quidem nummum habere, sed omnes spes ejus in charta sitas, omnesque fortunas in pactis et conventis ; qui nihil habet, et omnia possidet : contrario modo apostolicis monitis vitam instituens, qui omnia largitur petentibus, non humanitatis, sed cupiditatis gratia. Eligit enim pauperiem ad nonnullum tempus, ut pecunia instar laboriosi servi operans, cum mercede ad ipsum revertatur. Vides ut spes futuri lucri exinaniat domum, efficiatque ut inops sit, cui alioquin multum auri suppetit. Hujus vero quænam causa? Scriptura in papyro consignata, et pactio seu promissio afflicti. « Red-

(15) Loquitur de S. Basilio magno, fratre suo qui contra usurarios habuit orationem quam 'ere. totam mox retulimus (*Nota Editoris.*)

Digitized by Google

dam cum fenore. Restituam cum lucro sortem. » Deinde insto et admoneo, ut ne fidem fallat. Et debitor quidem, licet inops, fidem facit ob syngraphum. Deus autem qui dives est, licet multa polliceatur clara et sonora voce, non tamen auditur : Da, et ego reddam, clamat in evangeliis, in publico totique terrarum orbi noto chirographo, quod quatuor loco et voce unius scripserunt, cujus testes omnes Christiani a temporibus partæ salutis exstiterunt. Habes paradisum pignus, pignus utique dignum, quo fidenter nitaris. Quod si et hic aliquid quæris, totus mundus probi debitoris possessio est.

Curiose circumspice copiam, qua abundat is, qui beneficium abs te petit, et invenies ipsius divitias. Nam omnes auri argentique fodinæ debitoris possessio sunt. Omne metallum argenti et æris, id genus aliorum dominio et imperio ipsius subjicitur. Respice in totum cœlum, qua patet. Mente concipe maris infinitatem. Cogita terræ latitudinem ; numera quas nutrit feras. Omnia subjecta sunt illius potentiæ, cujus tu paupertatem contemnis. Moderatus et æquus esto. Ne injuria afficeris Deum. Neque æstimes Deum inferiore et inhonoratiore loco esse, quam trapezitas, quibus si spondeant, absque dubio credis. Da sponsori immortali. Crede chirographo inaspectabili quidem, sed ejusmodi tamen quod perdi nequeat. Ne exigas lucrum, sed impende beneficium sine spe quæstus, videbisque Deum non sine additamento rependere gratiam.

Quod si hæc oratio tibi peregrina et præter opinionem accidit, in promptu habeo testimonium quo perspicuum fit, Deum pie sumptus et impensas facientibus, multis variisque modis reponere vicem. Petro enim interrogante et dicente : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* (*Matth.* XIX, 27.) *Amen dico vobis*, inquit, *omnis qui reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* (*Ibid.*) Vides liberalitatem? Vides bonitatem? Et valde quidem impudens fenerator laborat, ut sortem duplicet : at Deus sponte sua, ei qui fratrem suum non opprimit, centuplum reddit. Obtemperato igitur Deo consulenti, usurasque peccato non obnoxias referes. Cur te haud sine scelere curis conficis, dies numerans, menses computans, sortem animo revolvens, incrementum somnians, metuensque diem præstitutam, ne infructuosa veniat, instar illius æstatis, qua grando fruges contudit. Curiose et anxie inquirit fenerator in omnes debitoris actiones, in peregrinationes, in egressum, mercaturam, et si fama oriatur infaustior, quod scilicet quidam in latrones inciderit, vel eventu aliquo inops ex opulento evaserit, sed et junctis manibus, assidue gemit, sæpius plorat, volvit chirographum, lamentatur in litteris illis aurum, efferens contractus tabulas, non secus atque vestem filii mortui, acerbioremque adhuc illarum aspectu resuscitat dolorem : si autem mutuum fuerit nauticum, littoribus assidet, deflet ventorum procellas et tempestates, perpetuo examinat euntes et redeuntes, nunquid alicubi de naufragio sit inauditum, num qui alicubi periculum adierint, constringit et angit quotidiana sollicitudine animum.

Huic igitur dicendum est : Desiste, o homo! a periculosa cura. Abjice spem excruciantem, ne fenus quærens, amittas et sortem. A paupere exigis reditus et augmenta tuarum divitiarum : similiter facis ac si quis ex agro, calore ingenti exsiccato, vellet frumenti acervum, aut uvarum multitudinem ex vinea post immissam grandinem, vel liberorum proventum ab infecundo ventre, vel lactis nutrimentum, a feminis quæ non pepererunt. Nullus conatur ea quæ sunt præter naturam et impossibilia : nam præterquam quod nihil efficeret, aliis etiam risui et ludibrio esset. Solus Deus adeo est omnipotens, ut ex rebus desperatis et depositis elicere possit non parum emolumenti, quippe qui facit ea quæ præter omnium spem et exspectationem esse solent : modo quidem imperans, ut ex rupibus aqua profluat, rursus ex cœlo, quasi pluviam, dimittens panem insolitum et novum.

Salvator noster, omnisque honestatis magister, cum discipulis suis modum orandi nihil supervacanei continentem præscriberet, hunc etiam adjecit precandi formulæ articulum, quasi qui maxime valeat ad exorandum Deum : *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* (*Matth.* XII, 6.) Hoc quomodo a Deo postulabis, o fenerator? Qua conscientia voti tui a Deo particeps fieri cupis, qui omnia accipis, et nihil dare nosti? An nescis preces tuas nihil esse aliud quam inhumanitatis tuæ repetitionem? Quid renuisti, quod remissionem petis? Cujus misertus es, quod misericordiam imploras? Etsi des eleemosynam, inhumanitatis tuæ exactiones, annon plena est alienarum calamitatum, lacrymarum et gemituum? Quod si inops sciret undenam largiaris eleemosynam, utique non acceptaret, refugiens videlicet gustare fraternas carnes, et sanguinem suorum familiarium, teque sermone moderata quadam libertate pleno cohortaretur : « Ne me, o homo, alas fraternis lacrymis. » « Ne dederis panem pauperi, confectum ex gemitu egenorum meorum sodalium. Redde fratri tuo a quo injuste subripuisti, et grates agam. Quid utilitatis affers, dum multos efficis inopes, et unum consolaris? Si non esset tanta multitudo usurariorum, non esset tanta copia pauperum. Dissolve tribum et sodalitium tuum, omnibusque suppetent res necessariæ. » Omnes accusant feneratores, nec malo huic mederi queunt : Lex, prophetæ, evangelistæ. Qualia divinus Amos intonat? *Audite qui conteritis mane pauperem, et opprimitis egenos terræ, dicentes : Quando transibit mensis, et venundabimus merces?* (*Amos* VIII, 4.) Neque enim patres tantopere lætantur generatione filiorum, quantum feneratores fine mensium.

Quam multi ob usuras laqueo sese intere-

Digitized by Google

merunt, vel præcipites in fluvios dejecerunt, tolerabiliorem rati mortem, quam fœneratorem, relictis filiis orphanis, quibus paupertas noverca haud benigna et facilis esse cœpit. At vero præclari scilicet isti usurarii ne orbæ quidem domus miserentur; sed trahunt, rapiuntque hæredes, quibus forte præter laqueum hæreditatis nihil obtigit, aurumque poscunt eos qui victum sibi ex aliorum liberalitate comparant. Cum autem debitoris mors illis, ut par est, exprobratur, cumque nonnulli, ut erubescant, laquei mentionem faciunt, nullo penitus pudore ob hoc facinus afficiuntur, neque animo expavescunt, sed potius ex pectore exulcerato verba fundunt plena impudentiæ. Et num moribus nostris, aiunt, ascribetur, si miser ille et inops mentis, infelici sidere natus, necessitate fati compulsus, violentas manus sibi intulerit? Philosophantur enim usurarii quoque, et mathematicorum Ægyptiorum discipuli fiunt, cum opus est ut apologiam instituant, pro piaculis et exsecrandis facinoribus et homicidiis suis.

Talis igitur hoc sermone compellandus est : Tu ille infestus ortus es, et illa infelix siderum necessitas : si enim curam levasses, et partem quidem partis demisisses, partemque accepisses cum remissione, non utique odisset lucem tanquam odiosam, neque sui ipsius carnifex exstitisset, et quibusnam oculis tempore resurrectionis intueberis interfectum? Venietis enim ambo ad Christi tribunal, ubi non usuræ computabuntur, sed vitæ ratio acta judicabitur. Ecquid respondebis accusatus incorrupto judici, quando tibi dixerit : Habuisti legem, prophetas, evangelicas præceptiones, omnes audivisti simul ingeminantes una voce charitatem et humanitatem, his quidem monentibus : *Fratri tuo non feneraberis.* (*Deut.* XXIII, 17.) Aliis vero : *Pecuniam suam non dedit ad usuram;* aliis : *Si mutuum dederis fratri tuo, non urgebis illum.* At Matthæus in parabolis clamans, Dominique mandatum annuntians, ait : *Serve nequam, omne debitum tibi remisi, quia rogasti me, nonne oportebat et te misereri conservi tui, ut et ego tui misertus sum? Et iratus Dominus tradidit illum tortoribus, quoadusque persolverit omne debitum.* (*Matth.* XVIII.) Tunc sera et infructuosa pœnitentia duceris, luctusque gravissimus te incesset, et pœna inevitabili punieris. Nec tibi adjumento erit aurum, nec opem feret argentum. Amarior felle erit fenoris acceptio. Hæc non sunt nuda verborum terriculamenta, sed ipsa rei veritas, quæ judicium futurum prius testatur, quam experientia cognoscatur, quod proinde vir prudens, et cui cura futuri sedulo cavere studebit.

Vester amicus et socius, usurarii, digno moribus fine vitam conclusit, fenerator ventosus et levis, qui cum innumeris molestiis ipsaque fame conflictatus, sibi quidem æternas pœnas, quasi hæreditario jure comparavit, liberis autem suis inopiam reliquit. Nescitis, miseri, cui opes corradatis et congregetis. Eventus rerum varii sunt, impostores infiniti, insidiatores et prædones terram turbant et mare, videte ne, amisso auro, potissimum vestrum lucrum sit peccatum. Sed oratio hæc, aiunt, nobis odiosa est et gravis. Novi et ego vestrum murmur dentiumque fremitum, etsi vos ex hoc loco superiore sæpius in recta sententia firmare coner. Invidet, inquiunt, iis qui beneficiis afficiuntur, et egentibus. Ergo a mutuo dando supersedebimus. Et quam vitam agent inopes et afflicti? Digna profecto moribus istorum oratio, conveniensque objectio iis qui divitiarum tenebris obnubilati sunt. Neque enim mentis judicium satis firmatum habent, ut quæ dicuntur intelligere possint. Hinc monita recte suadentium in contrariam partem accipiunt; ut enim, me perorante, minantur se pauperibus non daturos mutuum, sic non sine murmure minantur egenis venientibus sese occlusuros januam. Ego quidem primum dandum et donandum esse prædico et annuntio. Deinde ad mutuum quoque exhortor. Altera enim donationis species est mutuum. Sed addo hoc dandum esse sine fenore et exactione usuraria, eoque modo quo id divina oracula præcipiunt. Æque enim obnoxius est pœnæ, qui non dat mutuum, et qui dat sub conditione usuræ. Illius namque inhumanitas, hujus vero cauponarius quæstus merito condemnatus est. At isti ultro ad alterum extremum sese conferunt, omnique modo a dando abstinere volunt; quod sane impudens est propositum, et contra jus fasque furiosa contentio, lisque et bellum contra Deum. Vel enim non dabo, inquit, vel mutuum dans, contractum faciam feneratitium.

Contra usurarios igitur satis hactenus dictum esto, et accusationis capita perspicue, tanquam in foro et coram judice, demonstrata sunt. Deus largiatur eis pœnitentiam malefactorum. Ad illos autem qui prompte dant mutuum, usurarumque hamis sese afflixerunt, nullum verbum faciam, sufficere ratus consilium, quod divinus dedit Basilius in propria de hoc argumento concione, pluribus cum illis agens qui inconsulte dant mutuum, quam qui avaritiæ causa id faciunt.

S. BERNARD., epist. 322, *ad Orient. Franc. Cler. et Pap.* — Pejus judaizare dolemus Christianos feneratores, si tamen Christianos et non magis baptisatos Judæos convenit appellari.

[Ex conciliis.]

Concil. Lateranensis II, *an.* 1139, *canones.* — Porro detestabilem et probrosam, divinis et humanis legibus per Scripturam in Veteri et in Novo Testamento abdicatam : illam, inquam, insatiabilem fœneratorum rapacitatem damnamus, et ab omni ecclesiastica consolatione sequestramus, præcipientes, ut nullus archiepiscopus, nullus episcopus vel cujuslibet ordinis abbas, seu quivis in ordine et clero, nisi cum summa cautela usurarios recipere præsumat, sed in tota vita infames habeantur et, nisi resipiscerint, christiana sepultura priventur.

Digitized by Google

Decreta quædam Alexandri III, an. 1160.— *L.* v *Decr., tit.* 19, *c.* 6. — In civitate tua illicis sæpe contingere, quod cum quidam piper, seu cinnamomum, seu alias merces comparant, quæ tunc ultra quinque libras non valent, et promittant, et promittunt se illis, a quibus illas merces accipiunt, sex libras statuto termino soluturos. Licet autem contractus hujusmodi ex tali forma non possit censeri nomine usurarum, nihilominus tamen venditores peccatum incurrunt, nisi dubium sit, merces illas plus minusve solutionis tempore valituras : et ideo cives tui saluti suæ bene consulerent, si a tali contractu cessarent, cum cogitationes hominum omnipotenti Deo nequeant occultare.

Urbani III decretum de usuris. 1185. — *L.* v *Decr., tit.* 19, *c.* 10. — Consuluit nos tua devotio, an ille in judicio animarum quasi usurarius debeat judicari, qui non alias mutuo traditurus, eo proposito mutuam pecuniam credit, ut licet omni conventione cessante, plus tamen sorte recipiat. Et utrum eodem reatu criminis involvatur, qui, ut vulgo dicitur, non aliter parabolam juramenti concedit, donec, quamvis sine exactione, emolumentum aliquod inde percipiat. Et an negotiator pœna consimili debeat condemnari, qui merces suas longe majori pretio distrahit, si ad solutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quam si ei incontinenti pretium persolvatur. Verum quia, quid in his casibus tenendum sit, ex Evangelio Lucæ manifeste cognoscitur, in quo dicitur : *Date mutuum nihil inde sperantes* (*Luc.* VI, 35): hujusmodi homines pro intentione lucri, quam habent, cum omnis usura et superabundantia prohibeatur in lege, judicandi sunt male agere, et ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda in animarum judicio efficaciter inducendi.

Clementis V, in conc. Viennensi Definitiones. — Clement., lib. V, *tit.* 5, *de usuris, c.* Ex gravi. — Si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum velut hæreticum puniendum.

Gregorii IX decreta quædam (1441) — *L.* V, *Decr., tit.* 19, c. 19. — Naviganti vel eunti ad nundinas certam mutuam pecuniæ quantitatem, et quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius [non] est censendus. Ille quoque, qui dat x solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini et olei mensuræ reddantur : quæ, licet tunc plus valeant, utrum plus vel minus solutionis tempore fuerint valituræ, verisimiliter dubitatur : non debet ex hoc usurarius reputari : ratione hujus dubii etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum vel alias merces vendit, ut amplius, quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem, si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.

Decreta Leonis X, in concilio Lateranensi V *œcumenico, ex bulla* Inter multiplices, *sess.* 5, 4 *Maii* 1515 *emissa.* — Ea propria est usurarum interpretatio, quando videlicet ex usu rei, quæ non germinat, nullo labore, nullo sumptu, nullove periculo lucrum fœtusque conquiri studetur.....

Benedicti XIV Encyclica Vix pervenit, *ad Italiæ episcopos, de usura,* 1 *Nov.* 1745.—Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem et locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo (quod suapte natura tantumdem duntaxat reddi postulat, quantum receptum est) plus sibi reddi velit, quam est receptum, ideoque ultra sortem lucrum aliquod, ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea hujusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum et usurarium est.

Ibid. — Quemadmodum vero, in tot ejusmodi diversis contractuum generibus, si sua cujusque non servatur æqualitas, quidquid plus justo recipitur, si minus ad usuram (eo quod omne mutuum, tam apertum quam pelliatum, absit), at certe ad aliam veram injustitiam, restituendi onus pariter afferentem, spectare compertum est; ita, si rite omnia peragantur et ad justitiæ libram exigantur, dubitandum non est, quin multiplex in iisdem contractibus licitus modus et ratio suppetat humana commercia et fructuosam ipsam negotiationem ad publicum commodum conservandi ac frequentandi. Absit enim a christianorum animis, ut per usuras aut similes alienas injurias florere posse lucrosa commercia existiment; cum contra ex ipso oraculo divino discamus, quod justitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum. (*Prov.* XIV, 34.)

Ibid.— Per hæc autem nequaquam negatur, posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut aiunt, titulos, eosdemque ipsimet universim naturæ mutui minime innatos et intrinsecos, forte concurrere, ex quibus justa omnino legitimaque causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios diversæ prorsus naturæ a mutui natura contractus, recte collocari et impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam et negotiationem exercendam, honestaque inde lucra percipienda.

Ibid.— Sed illud diligenter animadvertendum est, falso sibi quemquam et non nisi temere persuasurum, reperiri semper ac præsto ubique esse vel una cum mutuo titulos alios legitimos; vel, secluso etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titulorum vel contractuum præsidio, quotiescunque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicunque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum ultra sortem integram salvamque recipere. Ita si quis senserit, non modo divinis documentis et catholicæ Ecclesiæ de usura judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui ac naturali rationi procul dubio adversabitur. Neminem enim id saltem latere potest quod multis in casibus tenetur homo sim-

Digitized by Google

plici ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso præsertim Christo Domino docente: *Volenti mutuari a te ne avertaris* (*Matth.* v, 42): et quod similiter multis in circumstantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero justoque contractui locus esse possit. Quisquis igitur suæ conscientiæ consultum velit, inquirat prius diligenter oportet, verene eum mutuo justus alius titulus, verene justus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quærit lucrum, omni labe expers et immune reddatur.

Decreta quædam de usura. — Responsum Pii VIII ad dubia episcopi Rhedonensis. 1830. — Episcopus Rhedonensis in Gallia exponit sacræ congregationi Inquisitionis, non eamdem esse confessariorum suæ diœcesis sententiam de lucro percepto ex pecunia negotiatoribus mutuo data, ut ea ditescant.

De sensu epistolæ encyclicæ *Vix pervenit*, acriter disputatur. Ex utraque parte momenta afferuntur ad tuendam eam, quam quisque amplexus est, sententiam, tali lucro faventem, aut contrariam. Inde querelæ dissensiones, denegatio sacramentorum plerisque negotiatoribus isti ditescenti modo inhærentibus, et innumera damna animarum.

Ut animarum damnis occurrant, nonnulli confessarii mediam inter utramque sententiam viam se posse tenere arbitrantur. Si quis ipsos consulat de istiusmodi lucro illum ab eo deterrere conantur. Si pœnitens perseveret in consilio pecuniam mutuo dandi negotiatoribus, et objiciat sententiam tali mutuo faventem multos habere patronos, et insuper non fuisse damnatum a sancta Sede non semel ea de re consulta; tunc isti confessarii exigunt, ut pœnitens promittat se filiali obedientia obtemperaturum judicio summi Pontificis, si intercedat, qualecunque sit; nec, hac promissione obtenta, absolutionem denegant, quamvis probabiliorem credant opinionem contrariam tali mutuo. Si pœnitens non confiteatur de lucro ex pecunia sic mutuo data, et videatur in bona fide; isti confessarii etiamsi aliunde noverint ab eo perceptum esse, aut etiam nunc percipi istiusmodi lucrum, eum absolvunt, nulla ea de re interrogatione facta, quando timent, ne pœnitens admonitus restituere, aut a tali lucro abstinere recuset.

Inquirit ergo dictus episcopus Rhedonensis: 1. Utrum possit horum posteriorum confessariorum agendi rationem probare; 2. Utrum alios confessarios rigidiores ipsum adeuntes consulendi causa possit hortari, ut istorum agendi rationem sequantur, donec sancta Sedes expressum ea de quæstione judicium ferat.

Feria IV, die 18 Augusti 1830, sanctissimus dominus noster Pius divina providentia Papa VIII, in solita audientia R. P. D. Assessori Sancti Officii impertita, audita relatione superiorum dubiorum una cum voto eminentissimorum DD. cardinalium Inquisitorum generalium respondit: Ad 1, non esse inquietandos; ad 2, provisum in primo.

Decreta quædam de usura. — Responsum S. Romanæ et universalis Inquisitionis ad dubium episcopi Nicæensis die 17 jan. 1838. — Dubium proponebatur: An pœnitentes, qui moderatum lucrum solo legis titulo dubia vel mala fide perceperunt, absolvi sacramentaliter possint, nullo imposito restitutionis onere, dummodo de patrato ob dubiam vel malam fidem peccato sincere doleant, et filiali obedientia parati sint stare mandatis Sanctæ Sedis.—Responsum est: *Affirmative*, dummodo parati sint stare mandatis Sanctæ Sedis (16).

Propositiones damnatæ ab Alexandro VII. Die 18 Martii 1666. — Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

Propositiones damnatæ sub Innocentio XI. Decretum die 2 Martii 1679. — Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ; et cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.

Ibid. — Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.

VANITAS

[Ex SS. Patribus.]

Origen., lib. VII *contra Celsum*, t. I. — Prophetæ sapiens quid de rebus e generatione ortis indicantes, aiunt piacularem victimam etiam pro recens genitis offerri, utpote qui peccati non sint immunes. Dicunt etiam: *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* (*Psal.* L, 7.) Eorumdem est istud, *Alienati sunt peccatores a vulva.* (*Psal.* LVII, 4.) Et illud stupendum quod addunt: *Erraverunt ab utero, loquti sunt falsa.* (*Ibid.*) Ita vero omnem rerum sensibilium naturam deprimunt sapientes nostri, ut modo corpora vanitatem appellant his verbis: *Nam vanitati creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit in spe* (*Rom.* VIII, 20): modo vanitatem vanitatum dicant: *Vanitas vanitatum*, inquit Ecclesiastes, *omnia vanitas.* (*Eccle.* I, 2.) Quis æque præsentem humanæ animæ vitam insectatus est, ac ille qui dixit: *Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens?* (*Psal.* XXXVIII, 6.) Nec enim dubitat diversa-

(16) In eumdem sensum responsum est a sacra Pœnitentiaria, 16 Sept. 1830; 14 Aug. 1831; 11 Nov. 1831; 11 Febr. 1832; 23 Nov. 1832; et S. Offic. in resolutione 31 Aug. 1831 approbata a Gregorio XVI.

Digitized by Google

ne sit præsens vita animæ, a vita quam e rebus istis egressa victura est ; nec dixit :

> Quis novit, istud vivere an mori sciet,
> Morique vivere. . .
>
> (Euripe.)

Sed fidenter vera pronuntiat, cum ait : *Humiliata est in pulvere anima nostra* (*Psal.* XLIII, 26) ; et *In pulverem mortis deduxisti me.* (*Psal.* XXI, 16.) Quo redit et istud : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* (*Rom.* VII, 24.) Hoc etiam dictum est : *Qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ.* (*Philip.* III, 21.) Prophetæ est et istud : *Humiliasti nos in loco afflictionis* (*Psal.* XLIII, 20), ubi locum afflictionis vocat terrenum hunc locum, quo Adam seu homo e paradiso ejectus advenit. Vide etiam quam perspecta fuerit diversa animarum vita illi qui dixit : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (*1 Cor.* XIII, 12) ; et istud : *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, propterea bonam voluntatem habemus peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum.* (*II Cor.* V, 6, etc.)

S. Ephrem., t. II. — *Cuncta vanitas, et afflictio spiritus.* (*Eccle.* I, 2.) Propheta clamat : Homo vapori similis est, ejusque vitæ spatia velut umbra fluunt et elabuntur. Vos autem *Filii hominum, usquequo diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ?* (*Psal.* IV, 3.) *Præterit enim figura hujus mundi :* nos admonet Apostolus. (*1 Cor.* VII, 31.) Tempestas tempestatem trudit, ætas ætati succedit, et expirat. Anni, menses, et dies mundum, in transitu esse prædicant. Quisquis mundum intrat, quo inde egrediatur, intendit iter. Quisquis utero concipitur, sepulcrum petit, ibi mansurus. Alter dum nascitur, in mundo victurus, jam inde migravit alter. Dum ille divitias congregat, et recondit, iste reliquit, et discessit. Aspice, ut opes ab altera in alteram familiam transferantur ; atque subit egestas alteram ex altera domum. *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas*, sicut scriptum est. Mundus rotæ similis est, motibus rapit suis tempestates ac tempora. Illius mala vanitas, et bona nihil ; nec mala mala sunt, nec bona sunt bona. Cum obvenerit copia, illico succedit inopia ; cum intraverit, constiterit que tantisper voluptas, transit, et subeunt dolores. Qui hodie lætatur, plorabit cras et mœrebit. Qui modo nuptiali epulo assidet, gestitque præsentia uxoris adolescentiæ suæ, casu intervenit mors, et conjuges dividit, et major gaudio præsente sequens dolor superstitem obruit.

Splendidis ille nitet vestibus, et pretioso amictu superbit, sua hic quoque brevi exuet ornamenta, et ista somnium fuisse sepulcro exceptus discet, aranearum telis mox operiendus. Nec aliud cogitabit iste, qui superbam domum ædificat, et per ampla spatiatur atria, quando supremus illum opprimit dies, et ægrum prosternet, objicietque in lectulum, ac tandem exstinguet. Continuo funeris curatores manus ejus, pedesque constringunt ; obstruunt os, oculos obnubunt, suisque cogunt excedere ædibus, nec dilectæ mora in propria domo domino conceditur, sed inde confestim elatus, subit sepulcrum ibi relinquendus. Talis erit vitæ illius exitus, *Vanitas utique et afflictio spiritus*, velut somnium evolarunt dies ejus, fuitque quasi non fuisset. Alius quispiam præfecturam adeptus est, indeque altos spiritus ducit ac tumet ; cæteros opprimit, ac fraudibus dolisque captos spoliat, et iniqua præda proprias implet ædes. Sed cum venerit vitæ finis, hoc omne in cineres rediget ; fuerunt nempe divitiæ ejus, *Vanitas, et afflictio spiritus.*

Mundus noctis imago est, ejusque operationes somnia sunt, quibus demersus animus, deceptus erat. Ut nox per falsas imagines trahit dormientem ; sic vigilantem suis mundus promissis capit. Ut somnus spectris et vanis visionibus hominem ludificat ; sic mundus jucunda voluptatum et divitiarum specie fallit, somnia objiciens gratissima. Sic te tibi fingit divitem, præfectum, et in celsissimo gradu locatum, pulcherrimis ornatum vestibus, insuper promiscuam hominum turbam tuis advolutam pedibus, ac talibus illusum speciebus fastu inflat. Transacta nox abiit, discutitur sopor et cessat, expergisceris, et evigilas, objecta tibi somnia vanas imagines fuisse deprehendis. Mundus suis nos seducit opibus et divitiis, ut nocturna somnia sic avolabunt, et erunt quasi non fuissent. Fugiente spiritu, et sopito corpore, anima evigilat, mundique somnia recogitantem pudebit talia somniasse. Jam nunc in suis erubescit malis, stupet, angitur, pavet ac tremit, cernens in propatulo jam posita, quæ hactenus occultata latebant. Accidit illi nimirum, quod passim experiuntur quicunque, discusso sopore, objectas in somno imagines cum præsenti non ficta egestate, et mœstitia conferunt. Videt præteritum tempus velut somnium defluxisse, præsentemque statum considerans perturbatur, et stupens hæsitat ; circumspiciensque se undique suis septam criminibus, et omnibus quæ perpetravit malis, velut tetra caligine circumfusam, quo se vertat non habet, quovis enim abeat, et ubivis lateat, suæ illi ex adverso stabunt iniquitates.

Tum vero occurret ille malignus, et animam immitis exactor aggredietur, somnia a mundo objecta reposcet, continuo in oculis conspectuque exponenda. Exiget collectas divitias quæ illam a divinis laudibus avocare solebant, omnique spoliatam amictu nudam irridebit et subsannabit. Detestabile flagitium improperabit, gehennæ flammis piandum, tenebrisque puniendas rapinas objiciet, regeretque nequitiam et astutias dentium stridore luendas, et ad cruciatum cientes iracundiam et invidiam. Cuncta retexet scelera, suasque ipsi ante oculos explicabit noxas, nulla dissimulata. Ejusmodi declarationes utique acerbissimas præsens diabolus exiget ab anima quæ sua ante per somnia errabat. Somnia quæ fuerunt, ejusdem tormenta fiunt.

Cavendum ergo, ne mundi prætereuntis error nos abstrahat, neve illius illecebris

Digitized by Google

capiamur, quia ut somnium avolat, sic ille evanescet. Cogita quomodo dies decurrunt, et rapide fluunt horæ, festinant, nec ullas nectunt moras; similiter mundus præcipiti cursu ad finem properat. Præsens dies sequentem non moratur, nec hora horam exspectat, ut fluvius, objecta manu, non sidit, nec cohibet cursum, sic nec ullo vita impeditur obice ne transcurrat. Ex utero natis vitæ spatia certo limite et invariabili mensura definita sunt, nec talibus mundum ingredientibus modus aut potestas conceditur, quo liceat præscriptum vitæ terminum transcendere. Concessum homini vivendi tempus ad fixum limitem exegit Deus, istud metiuntur dies, et inter se dividunt, suam singuli partem suffurantur, etsi furtum ipse non sentias, horæ similiter attributam sibi sarcinulam abeuntes secum asportant: tuam dies labefactant vitam: horæ statumina ejus dissipant, dum tandem exstinguant: quasi vero vanitas non ipse sis, vita tua furibus et latronibus præda data est. Illam trahunt et devolvunt tempestates, donec per parva detrimenta paulatim consumptum, rumpatur stamen vitæ tuæ et dispereat.

Tuam dies sepelient vitam, et horæ cadaver afferent, quoniam per horas et dies illa traducitur ad inferos. Vitam quam in præsenti ducis, cadente die, simul occidet, et offert et transportat, unaquæque dies suam vitæ tuæ partem sepelit, et hora suam. Sic properato temporis cursu, transiet, dum unaquæque dies, ut dixi, particulam celerrime vita deteritur, transit et perit. Dies quod suum est, vindicant et efferunt, suum pariter horæ, et confestim abeunt, donec evolvantur vitæ tuæ tempora, et citatus finis adveniat. Deus modum statuit vitæ tuæ, et locum distinxit terram, et singuli dies dimensum suum inde hauriunt, donec istud vitæ tuæ exhauriatur flumen. Quo devolvuntur dies cursu eodem labitur vita tua, præcipitat et pertransit. Nec ullo, ut dixi, pacto fieri potest, ut maneas. Cum in cœlo substiterit sol, et luna suos continuerit meatus, tuæ etiam vitæ tempus stabit, et non effluet. Experire quæ audis in umbra, inde vitæ tuæ defluxum intelliges. Sicubi aversus a sole consisteris, lineam describito, inde contemplare tui corporis umbram, vides ut a loco semper recedit, nec unquam stat, simili fluxu tua etiam vita transcurrit, et præceps trahitur ad mortem: a mane usque ad vesperum corporis tui decurrit umbra, sic a matris tuæ ventre ad tumulum devolvitur tempus vitæ tuæ.

Tuo vitam tuam metire palmo, hac scilicet illa quanta est continetur, in quinis digitis totidem cerno ætates: a minimo incipit palma manus, et in pollicem desinit, hoc puta nascentis initium vitæ, et senescentis finem: a minimo inchoatur vita, hoc est infantiæ tempus: ad secundum progreditur, hæc pueritia est intelligentiæ judiciique expers: venit ad medium, hæc juventa est superba speque atque animo inflata: succedit quem quartum dicimus, est perfecta virilitas; atque hic metientes incipit spatium deserere: unus superest digitus pollex, senectus est, vitæ terminus. Hæc sunt humanæ vitæ spatia, si tamen homini conceditur ad ordinarium vitæ terminum pervenire; accidit enim ut hunc adproperata mors antevertat; palma quippe manus tuæ sua quavis in parte sectioni exposita est ad Dei nutum. Contrahitur autem quandoque vitæ tempus, ne diutius victuri malitia protrahatur. Sic in palma manus suæ cuivis homini vitæ mensura repræsentatur, quinisque in digitis videt expressos, quos scandit gradus.

Tu interim considera quem digitum teneas, quemve attigeris gradum, ignoras enim quonam in digito te cita mors occupatura sit, *dies* namque *Domini fur est.* (*II Petr.* III, 10) inopinum opprimet. Quamobrem in pace ducito vitam tuam, eique bonorum operum viaticum provide, siquidem cupis illam ad Deum pervadere, eamdemque, postquam te deseruerit, invenire; quod quidem tibi continget, si ordinate vixeris, nam si ab ordine deflexeris, tolletur vita et peribit, quæres et non invenies eam. Errantes aquas per agrum nunquam bibes; si autem in vase reponas, ad usus tuos reservas: cave ergo, ne vita tua diffluat luxuria, odio, ira, rapinis, aut pauperum oppressionibus. Hosce per calles errantem si quæsieris, nunquam reperies. Iterum cave vitæ tuæ ab impudicitia et turpi quovis quæstu, alioquin velut putridus humor, sub terram ibit, et ex oculis evanescet. Vide ne fraudibus et invidia, vel simultatibus et jurgiis, vel alio quovis vitio seducatur, et occidat; ne vera spoliatus vita, non falsa morte dispereas.

Bonis operibus instes oportet, indeque tibi canales provideas, qui post obitum tuum aquas tuas ducant, et in Deo adunent. Rivulus nempe tua vita est, hunc in Deum derivare stude, ut cum hinc defluxerit, tibi mare fiat. Rursus breve stillicidium est vita tua, ut caducus est mundus; hoc si Deo commiseris, abyssum evasisse reperies. Tua in dies vita tabescit, et contrahitur, hanc in Deum refundito, ut æviternam resumas, provide ne vitam tuam absumat ira, aut aliud simile prolliget vitium, totusque intereas omni orbandus vita. Animam si occupet ira, præsentem eripuit diem; satage, ne in sequentem diem invadat, ut totam non deperdat vitam. *Sufficit diei unicuique malitia sua*, Salvator noster ait. (*Matth.* VI, 34.) Unum ergo diem perdidisse sufficiat iræ, non illa sidat in anima, et noctem cum die conjungat, neque sol occidat quin ante lucis occasum illa discesserit.

Malus hospes ad tuam domum divertit, hunc statim dimittito, cunctantem etiam exigito. Cum cadente die cadat ira simul, nec ipsi longior concedatur mora, sicut te non moratur hora, sic nec tu iram. Totam massam semel immistum corrumpit fermentum, nec aliter ira; sed cum animam incesserit, propria statim amaritudine totam inficit; sævissimæ sunt pestes aspis et regulus, sævior illis ira est, animam infe-

Digitized by Google

stat et necat, atque a Deo separat. Monitus aliquando anguem in tuo se oculuisse conclavi, persequeris, et captum occidis : hæret infixa tuæ animæ ira, et exitium parat ; vides, nec tamen inde depellere satagis. Conspectum colubri quiescentis exspavescis, ictum formidas, pateris tamen iram animo insidere tuo, nec ignoras venenum in ea condi lethiferum. Statim ut senseris anguem in tuum repsisse sinum, artus pervadit horror ; cor tuum in aspidum cubile transiit, nec casum horres. Ut reguli halitu afflata caro inficitur, et extabescit, sic animum, quem semel contigerit ira, suo tabefacit veneno. Serpentis formidas morsum, et ictum scorpii ; ira tibi morsum impressit nec ullus inde metus sollicitat mentem ; pupugitque odium, nec tibi trepidat cor. Quis ita desipuit, ut petat aspidem suum sub lectum succedere ; aut secum morari anguem, si forte proserpat in sinum. Ista certe non petis, istis pejora petis, iram regulo pestilentiorem, et horribilius serpente odium.

Verbum inconsideratum pepulit aures, hoc diabolus nempe suggessit, illico animæ fores patefecisti iræ, insiliit illa, et adhuc tuo hæret animo. Incidit cum proximo tuo de re futili contentio, odium accersisti, venit, tuoque infusum cordi etiamnum incubat. Tibi latrat ira, et canum in morem spumam emittit ; tu contra silicem jacito pacem, ejusque latratum compescito, vultus hilaritate negotium ejus disturba, risum oppone, non tristitiam, iramque coercuisti, ne duas simul animas perdat.

Deus, qui summos et imos pacasti sanguine qui de tuo latere fluxit, iratis concede pacem ; qui ambas concordasti partes, et supremos cum intimis conciliasti, dissidentes mutua charitate conjunge, et pacem tuam insere cordibus eorum. Domine, qui es *pax nostra* (*Ephes.* II, 14), sicut scripsit discipulus tuus, pax tua custodiat animas tibi supplicantes : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV, 27), dixisti, Domine, apostolis tuis, et ad Patrem elevatus es. Quando venies in majestate magna, et tremor invadet orbem ; quando clanget tuba in cœlo, et solventur fundamenta terræ ; quando sepulta saxa scissa dissilient, et aperientur sepulcra, et in ictu oculi incorrupti resurgent mortui, et convertetur Adæ limus totus cum pulvisculo, et cum ingenti horrore surgent summi et infimi : pax tua, Domine egrediatur in occursum nostrum, et gratia tua succurrat nobis ; Domine, tibi sit gloria, et fiat misericordia tua super nos, o clemens et multum misericors. Amen.

S. Basil., *in psal.* XIV.— Rarus inventus est qui præsentibus non ut propriis vacet, divitiarum usum qui ad tempus esse sciat, corporis valetudinem prosperam brevi tempore duraturam, postremo humanæ gloriæ floridam felicitatem minime firmam ac stabilem esse cognoscat.

Idem, hom. 21.— Ego quidem, dilectissimi, putabam fore ut, dum frequenter sermonis stimulos vehementius admoveo, vobis viderer molestus esse et morosus, tanquam qui nimiam quamdam dicendi libertatem ostendam, quæ non deceat virum similibus vitiis obnoxium : vos tamen fuistis reprehensionibus ad benevolentiam provocati, et plagas a lingua nostra inflictas fomitem majoris studii fecistis. Nec mirum quidquam est et insolens. Estis enim in rebus Spiritus sapientes. *Argue* autem *sapientem, et diliget te*, (*Prov.* IX, 8.) inquit alicubi in suis scriptis Salomon. Quapropter, fratres, etiam nunc exhortatione eadem utor, volens vos, quod ejus facere potero, a diaboli retibus abducere.—Itaque si modo velimus substratam vitæ viam tuto percurrere, atque animam simul et corpus vulnerum turpitudine immunia offerre Christo, coronasque ob victoriam accipere, oportet nos animi oculos semper undecunque vigilantes circumagere, et res omnes jucundas habere suspectas, ac statim præterire, et ad nullam animum appellere, ne si aurum quidem videatur fuse sparsum, quod in cupientium manus venire paratum sit.

Divitiæ enim, inquit, *si affluant, nolite cor apponere* (*Psal.* LXI, 11), neque si proferat terra delicias omnes ac sumptuosa tabernacula (nam *nostra conversatio in cœlo est, unde etiam Salvatorem exspectamus Christum* (*Philip.* III, 20); neque si choreæ, et commessationes, et ebrietates, et mensæ tibiarum modulis resonantes proponantur (*Vanitas enim*, inquit, *vanitatum, omnia vanitas* (*Eccli.* I, 2); neque si offerantur corpora formosa, in quibus animæ pravæ inhabitent (*a facie* enim *mulieris, velut a facie serpentis fuge*, inquit Sapiens (*Eccle.* XXI, 2); neque si potentatus dominatusque, ac satellitum aut adulatorum turmas exspectare liceat, neque si promittatur altus thronus atque splendidus, gentes ac civitates voluntariæ servituti subjiciens : *omnis* enim *caro fenum, et omnis gloria hominis quasi flos feni, aruit fenum, et flos cecidit.* (*Isa.* XL, 6.) Etenim sub his omnibus adeo jucundis communis ille hostis latitat, exspectans num quando rebus conspecti illecti, via recta derelicta, nos ipsos in illius insidias conjiciamus. Quin etiam metuendum valde est, ne quando ad hæc incaute accurrentes, nihilque noxii in fruenda illa jucunditate inesse rati, doli hamum deglutiamus in primo gustu occultatum : deinde, ne ab hoc tracti, partim libentes, partim inviti his rebus alligemur, inscientesque a voluptatibus ad horrendum latronis hospitium trahamur, ad mortem scilicet.

S. Chrysost., hom. 76 *in Matth.*, t. VII.— Cur terræ thesaurum tradis : in manibus meis repone, inquit (Christus). Annon videtur tibi Dominus terræ tutior esse quam terra? Illa depositum reddit, neque reddit semper : ille vero etiam mercedem pro custodia ab se habita reddit. Valde quippe nos amat. Ideo si mutuo dare volueris, paratus est : si seminare, ipse semen excipit ; si ædificia excitare, te ad se pertrahit dicens, in meo fundo, inquit, ædes construe. Quid

Digitized by Google

curris ad pauperes, ad homines mendicantes? Curre ad Deum, qui pro modicis magna tibi daturus est. Attamen hæc ne auditu quidem ferimus; sed eo festinanter pergimus, ubi pugnæ sunt, bella, lites omnis generis, rixæ, sycophantiæ.

Annon igitur nos juste aversatur et ulciscitur, cum in omnibus se ipsum nobis offerat, nosque illum rejiciamus? Id certe nemo non fateatur. Nam sive velis, inquit, ornatu meo ornari, sive armis meis instrui, sive indui vestimentis meis, sive in mensa mea convivari, sive in via mea incedere, sive hæreditatem meam possidere, sive in patriam ingredi, vel in urbem cujus ego artifex sum et conditor, sive domum construere in tabernaculis meis; ego certe pro iis quæ dedero nullam a te mercedem requiram, imo vel ex eo ipso mercedem tibi debeo, si meis omnibus uti volueris. Quid huic liberalitati par est? Ego pater, ego frater, ego sponsus, ego domus, ego alimentum, ego vestis, ego radix, ego fundamentum, ego quidquid volueris, nulla ergo re egeas. Ego etiam tibi serviam, *Veni enim ministrare, non ministrari.* (*Matth.* xx, 28.) Ego amicus, membrum, caput, frater, soror, mater, omnia ego sum: solum mihi amicus esto. Ego pauper propter te, mendicus propter te, in crucem actus propter te, in sepulcro positus propter te, in cœlis propter te Patri supplico, in terra propter te orator adveni apud Patrem. Omnia mihi tu es, frater, cohæres, amicus, membrum. Quid amplius desideras? Cur eum qui tantum te amat aversaris? Quid mundo huic laboras? Cur in dolio pertuso hauris? Hoc enim est pro præsenti vita laborare. Cur ignem verberas? Cur aerem percutis? Cur frustra curris? Annon ars quæque finem suum habet? Id sane omnibus conspicuum.

Ostende mihi et tu sæcularis studii finem. Sed non potes: Nam *Vanitas vanitatum, omnia vanitas.* (*Eccli.* i, 1.) Proficiscamur ad sepulcra, ostende mihi patrem, ostende uxorem. Ubi est qui aureis vestibus induebatur? Qui in curru sedebat, qui exercitus habebat, qui balteum, qui præcones; qui alios occidebat, alios in carcerem conjiciebat, qui interficiebat quos vellet, liberabatque ad nutum? Nihil aliud video quam ossa, vermes, araneas. Omnia illa terra sunt, omnia fabula, omnia somnium, umbra, mera narratio et pictura; imo nec pictura. Picturam enim saltem in imagine videmus; hic vero ne quidem imaginem. Atque utinam hic mala terminarentur. Nunc vero honor deliciæ, gloria: umbra tantum et verba sunt; quæ vero illa sequuntur, non umbra, non verba sunt, sed manent, et nobiscum illico transibunt, omnibusque nota erunt; rapinæ, avaritia, fornicationes, adulteria, et mille mala hujusmodi, non in imagine, et in pulvere erunt, sed scripta in cœlis sunt, seu dicta, seu opera.

Quibus ergo oculis Christum videbimus? Nam si patrem non potest quis aspicere sibi conscius peccati in illum, eum qui patre longe mansuetior est, quomodo tunc respicere, quomodo ferre poterimus? Nam tribunali Christi astabimus, omniumque accuratum erit examen. Si quis vero futurum judicium non credit, respiciat illa quæ hic geruntur, videat eos qui in carcere, qui in metallis, qui in stercore; respiciat dæmoniacos, insanos, incurabilibus morbis laborantes, cum perpetua paupertate pugnantes, inedia vexatos, ingenti luctu obrutos, captivos. Neque enim illi hæc paterentur, nisi alios qui eadem peccavere, ultio et supplicium exspectaret. Si vero cæteri nihil hic passi sunt, hoc tibi signum esse debet aliquid aliud superesse, post profectionem ex hac vita. Neque enim ille, cum sit universorum Deus, alios ultus esset; alios vero qui eadem vel etiam graviora peccata admiserant, impune esse reliquisset, nisi quoddam ipsis supplicium ibi irrogaturus esset. Ex his igitur rationibus et exemplis nos ipsos humiliemus; et qui judicium non credebant, credant jam, et meliores efficiantur, ut cum dignam regno cœlorum vitam duxerimus, et futura supplicia vitemus, et æterna consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum.

S. Aug., epist. 203, *Largo*, t. II.—Id (opto) ut vana sæculi hujus si inexperta concupisti, experta contemnas. Fallax est enim in eis suavitas, et infructuosus labor, et perpetuus timor, et periculosa sublimitas. Initium sine providentia, et finis cum pœnitentia. Ita se habent omnia, quæ in ista mortalitatis ærumna cupidius quam prudentius appetuntur. Alia est autem spes piorum, alia laboris fructus, alia periculorum merces. Nam in hoc mundo non timere, non dolere, non laborare, non periclitari, impossibile est. Sed plurimum interest qua causa, qua exspectatione, quo termino ista quisque patiatur. Ego quidem cum amatores sæculi hujus intueor, nescio quando possit esse ad eorum animos sanandos opportuna sapientia; quando enim res velut prosperas habent, fastu respuunt, salubres monitus et quasi anilem reputant cantilenam: quando autem in adversis agunt, magis cogitant evadere unde ad præsens anguntur, quam capere unde curentur, et unde perveniant ubi angi omnino non possint. Aliquando tamen quidam cordis aures admovent, atque adhibent veritati, rarius inter prospera, crebrius inter adversa: sed tamen pauci sunt, ita enim prædi ti sunt; inter quos te esse cupio, quia veraciter diligo, Domine, insignis et præstantissime ac desideratissime Fili. Hæc admonitio tibi sit mea resalutatio, quia, etsi te deinceps talia perpeti, qualia pertulisti, nolo; plus tamen doleo hæc ipsa te sine aliqua in melius vitæ mutatione fuisse perpessum.

S. Gregor. Mag., *Moralium* lib. xxiii, cap. 4. — Necesse est ut cum res bona agitur, prius elatio in corde vincatur, ne si a radice miseræ intentionis prodeat, amaros nequitiæ fructus producat.

S. Bernard., epist. 18. — Quid vanius, quam diligere vanitatem?

Digitized by Google

S. Bernard. epist. 18.—Appetitus vanitatis est contemptus veritatis; contemptus veritatis, *causa* nostræ cæcitatis.

Idem, *in Epiphan.* serm. 1, vol. I.—O humilitas, virtus Christi! o humilitatis sublimitas! quantum confundis superbiam nostræ vanitatis! Parum aliquid scio, vel magis scire mihi videor, et jam silere non possum, impudenter me et imprudenter ingerens et ostentans, promptus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et Christus cum tanto tempore silebat, cum seipsum abscondebat, nunquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloria, qui est vera gloria Patris? Utique timebat, sed non sibi. Nobis ab illa quibus noverat esse timendum : nobis cavebat, nos instruebat. Tacebat ore, sed instruebat opere; et quod postea docuit verbo, jam clamabat exemplo : *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde.* (*Matth.* II, 29.)

Idem, serm. 3 *in Nativ. Domin.*, vol. I. — Nocte voluit nasci (Christus.) Ubi sunt qui tam impudenter ostentare gestiunt semetipsos? Christus eligit quod salubrius judicat, vos eligitis quod reprobat ille. Quis prudentior e duobus? cujus judicium justius? Cujus sententia sanior? Denique tacet Christus, non se extollit, non magnific t, non prædicat : Et ecce annuntiat eum angelus, multitudo cœlestis exercitus. Et tu ergo qui Christum sequeris, inventum absconde thesaurum. Ama nesciri, laudet te os alienum, sileat tuum : Adhuc autem in stabulo nascitur Christus, et in præsepio reclinatur. Et nonne ipse est qui dicit : *Meus est orbis terræ, et plenitudo ejus.* (*Psal.* XLIX, 12.) Quid ergo stabulum elegit? Plane ut reprobet gloriam mundi, damnet sæculi vanitatem. Necdum loquitur lingua, et quæcunque de ec sunt, clamant, prædicant, evangelizant, ipsa quoque infantilia membra non silent. In omnibus mundi judicium arguitur, subvertitur, confutatur. Quis enim hominum, si daretur optio, non magis eligeret robustum corpus, et ætatem intelligibilem, quam infantilem? O Sapientia, quæ de occultis traheris, o vere incarnata, et velata Sapientia! Et tamen, fratres, ipse est promissus olim per Isaiam parvulus, *sciens reprobare malum et eligere bonum.* (*Isa.* VII, 5.) Malum ergo voluptas corporis, bonum vero afflictio est : siquidem et hanc eligit, et illam reprobat Puer sapiens : Verbum infans. *Verbum enim caro factum est* (*Joan.*, I, 14), et caro infirma, caro infantilis, caro tenera, caro impotens, omnis operis, omnis laboris impatiens.

VERECUNDIA

[Ex SS. Patribus.]

Origen., hom. 5 *in Jerem.*, tom. III, pag. 152. Sunt qui peccent, et non confunduntur, neque verecundiam concipiunt, nec erubescunt de peccatis suis : istiusmodi sunt qui desperantes, semetipsos tradiderunt omni impudicitiæ, et omni immunditiæ. (*Ephes.* IV, 19.) Vides enim gentiles quo pacto, quasi egregia facinora, interdum narrent suas fornicationes et adulteria, neque pudeat confiteri se patrasse. Nec illa peccata vocant, nedum erubescant, neque consumuntur ipsorum labores, neque consumuntur eorum peccata. Principium bonorum est pudore affici ob ea quorum non pudebat. Quamobrem ego non maledictionem existimo id quod in prophetis habetur : *Confundantur et convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.* (*Psal.* XXXIX, 15.) Precatur enim ut qui pudendorum operum sensum nullum habent, ii sensum accipiant, ut confusi possint suos labores et peccata consumere.

S. Ambros., *De officiis minist.*, l. I, c. II. — Pulchra virtus est verecundiæ et suavis gratia, quæ non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus; ne modum progrediaris loquendi, ne quid indecorum sermo resonet tuus. Speculum enim mentis plerumque in verbis refulget. Ipsum vocis sonum librat modestia, ne cujusquam offendat autem vox fortior. Denique in ipso canendi genere prima disciplina verecundia est : imo etiam in omni usu loquendi; ut sensim quis aut psallere, aut canere, aut postremo loqui incipiat; ut verecunda principia commendent processum.

Silentium quoque ipsum, in quo est reliquarum virtutum otium, maximus actus verecundiæ est. Denique si aut infantiæ putatur aut superbiæ, probro datur; si verecundiæ, laudi dicitur. Tacebat in periculis Susanna (*Dan.* XIII, 35), et gravius verecundiæ, quam vitæ damnum putabat, nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam salutem. Deo soli loquebatur, qui poterat casta verecundia eloqui. Refugiebat ora intueri virorum; est enim et in oculis verecundia, ut nec videre viros femina, nec videri velit.

Idem, *ibid.* — Est in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior : aut contra gravior, et constantior, et purior, et maturior æstimatur. Itaque vox quædam est animi corporis motus.

Idem, *ibid.* — Est bonorum adolescentium timorem Dei habere, deferre parentibus, honorem habere senioribus, castitatem tueri, non aspernari humilitatem, diligere clementiam ac verecundiam quæ ornamento sunt minori ætati. Ut enim in senibus gravitas, in juvenibus alacritas : ita in adolescentibus verecundia, velut quadam dote commendatur naturæ.

Est verecundia pudicitiæ comes, cujus societate castitas ipsa tutior est. Bonus enim regendæ castitatis pudor est comes; qui si se prætendat ad ea quæ prima pericula sunt,

Digitized by Google

pudicitiam temerari non sinat. Hic primus in ipso cognitionis ingressu, Domini matrem commendat legentibus, et tanquam testis locuples, dignam quæ ad tale munus eligeretur astruit, quod in cubiculo, quod sola, quod salutata ab angelo tacet, et mota est in introitu ejus, quod ad virilis sexus speciem peregrinam turbatur aspectus Virginis. Itaque, quamvis esset humilis, præ verecundia tamen salutantem non resalutavit, nec ullum responsum retulit, ubi de suscipienda Domini generatione cognovit; ut qualitatem effectus disceret, non ut sermonem referret.

S. Ambros., *De officiis ministrorum*, lib. II, tom. II. — Habet sane suos scopulos verecundia, non quos ipsa invehit, sed quos sæpe incurrit, si intemperantium incidamus consortia, qui sub specie jucunditatis venenum infundunt bonis. Hi si assidui sunt, et maxime in convivio, ludo ac joco, enervant gravitatem illam virilem. Caveamus itaque ne, dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum; usus enim cito inflectit naturam.

S. Chrysost., *Ad Stagirium*, t. I. — Si omnia cum gratiarum actione toleras, atque ad orandum te statim convertis, quid est quod tibi verecundiam aut confusionem pariat? Sed fortassis dura et dolenda judicantur probra ab aliis in nos conjecta. Et quid ejusmodi hominibus dici vituperabilius possit, qui neque digna exprobratione rite possunt discernere? Isti enim revera insani sunt, ac dæmonio pleni, qui rerum naturam, ut sese habeat, intueri nunquam didicerunt; sed ea quæ sunt laudibus dignissima, vituperant: et quæ sunt exprobranda, in laudabilium transferunt ordinem. Plurimis et phrenetici præsentes maledictis insectantur; sed qui illa audiunt, nullas se pati contumelias existimant. Et tu igitur cum amentes illos ita loqui audis, noli contumeliam aut confusionem eam rem existimare; ne tunc maxime probris te dignum constituas, dum contra te Deum provocas. Cum enim ea quæ pro nostra emendatione et utilitate a Deo inferuntur, probro tibi arbitraris, vide quo hoc malum emerget.

Quod si vis qui sint revera confusione et exprobratione digni perspicere, paucos e multis tibi conabor ostendere. Eos inspice qui mulierum formæ omni studio addicti sunt, qui pecuniis usque ad insaniam inhiant, qui potentiæ ac gloriæ sunt cupidissimi, utque ista consequantur, agere omnia et pati sustinent, qui livore et invidia tabescunt, qui nihil se lædentibus insidiantur, qui atram bilem patiuntur, qui vitæ præsentis vanitatem summa rabie sectantur. Ista revera atque his similia vesaniæ sunt opera, supplicioque digna: ista probris atque irrisione insectanda.

S. Hieronym., *Ad Pammach.* — Ingenia liberaliter educata facilius verecundia quam metus superat, et quos tormenta non vincunt, interdum vincit pudor.

S. August., *Enarr. in psal.* LXVIII, serm. 2, t. IV. — *Tu cognoscis opprobrium meum, et confusionem meam, et verecundiam meum.* (*Psal.* LXVIII, 20.) Quid est opprobrium? Quid est confusio? Quid verecundia? Opprobrium est quod objicit inimicus, confusio est quæ mordet conscientiam. Verecundia est quæ facit ingenuam frontem etiam de falsi criminis objectione erubescere.

Idem, epist. 155 *ad Macedon.*, t. II. — Ad verum dicendum, illa mea verecundia, quam in tua epistola benigno sermone laudasti, me impedire non debet. Si quælibet, inquam, administratio tua, illis quas commemoravi instructa virtutibus, hoc intentionis fine determinatur, ut homines secundum carnem nullas iniquas molestias patiantur, nec ad te existimas pertinere, quo istam quietem, quam præstare niteris, referant, id est (ut verbis non ambiam), quomodo Deum verum, ubi est quietæ vitæ omnis fructus, colant, nihil tibi prodest ad vitam vere beatam tantus labor. Inverecundius hoc dicere videor, et oblitus quodammodo consuetudinem intercessionum mearum. Sed si nihil est verecundia nisi quidam displicendi metus, ego id hac causa metuendo non vereor. Metuo enim ne primum Deo, deinde ipsi amicitiæ quam mecum inire dignatus es, jure displiceam, si minus liber in admonendo fuero, quod me admonere saluberrime existimo. Sum certe verecundior, cum tibi pro aliis intercedo; cum vero pro teipso, tanto liberior quanto amicior; quia tanto amicior, quanto fidelior; quanquam hæc ipsa non dicerem, nisi verecundius agerem. Quæ si *maxima est*, ut ipse scripsisti, *difficilium inter bonos efficacia*; adjuvet me pro te apud te, ut in illo te fruar, qui mihi hanc ad te januam fiduciamque præstitit; præsertim quia id quod suggero, jam facile arbitror esse animo tuo tot divinis muneribus adminiculato et instructo.

S. Gregor., *Regul. pastoral.*, part. III, tom. II. — Aliter admonendi sunt impudentes, atque aliter verecundi. Illos namque ab impudentiæ vitio non nisi increpatio dura compescit: istos autem plerumque ad melius exhortatio modesta componit. Illi se delinquere nesciunt, nisi etiam a pluribus increpentur: istis plerumque ad conversionem sufficit, quod eis doctor mala sua saltem leniter ad memoriam reducat. Illos melius corrigit qui invehendo reprehendit: istis autem major profectus adducitur, si hoc quod in eis reprehenditur, quasi ex latere tangatur. Impudentem quippe Judæorum plebem Dominus aperte increpans, ait: *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* (*Jerem.* III, 3.) Et rursum verecundantem refovet, dicens: *Confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris, et opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis, quia dominabitur tui qui fecit te.* (*Isa.* LIV, 4.) Impudenter quoque delinquentes Galatas aperte Paulus increpat, dicens: *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit?* (*Galat.* III, 1.) Et rursum: *Sic stulti estis ut cum spiritu cœperetis, nunc carne consummemini?* (*Galat.* III,

Digitized by Google

3.) Culpas vero verecundantium quasi compatiens reprehendit, dicens : *Gavisus sum in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire sicut et sentiebatis : occupati enim eratis* (*Philip.* IV, 10), ut et illorum culpas increpatio dura detegeret, et horum negligentiam molliior sermo velaret.

S. BERNARD., serm. 86 *in Cantic.*, vol. I. — Adverte sponsæ verecundiam, qua nescio an quidquam gratius adverti in moribus hominum queat. Hanc primo omnium libet quodammodo in manibus sumere, et quasi speciosum quemdam florem decerpere loco, nostrisque apponere adolescentibus. Non quia non sit et in provectiori ætate omni studio retinenda, quæ est certe omnium ornatus ætatum, sed quod teneræ gratia verecundiæ in teneriori ætate amplius, pulchriusque eniteat. Quid amabilius verecundo adolescente? Quam pulchra hæc, et quam splendida gemma morum in vita et vultu adolescentis ! Quam vera et minime dubia bonæ nuntia spei, bonæ indolis index ! Virga disciplinæ est illi quæ pudendis affectibus imminens, lubricæ ætatis motus, actusque leves coerceat, comprimat insolentes. Quid ita turpiloquii, et omnis deinceps turpitudinis fugitans ? Soror continentiæ est. Nullum æque manifestum indicium columbinæ simplicitatis ; et ideo etiam testis innocentiæ. Lampas est pudicæ mentis jugiter lucens, ut nil in ea turpe vel indecorum residere attentet, quod non illa illico prodat. Ita expugnatrix malorum et propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ est, famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus et insigne totius honesti. Rubor ipse genarum, quem forte invexerit pudor, quantum et decoris suffuso afferre vultui solet.

Idem, *ad Eustachium*, epist. 185, vol. I. — *An ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* quandiu autem *tu secundum duritiam tuam et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ?* (*Rom.* II, 4, 5) An non secundum duritiam quidem, sed secundum verecundiam ? Quid refert secundum quid pereas ? O verecundia expers rationis, inimica salutis, totius ignara honoris et honestatis ! Hæc plane illa quam Sapiens loquitur, confusio adducens peccatum. Itane verecundum est homini vinci a Deo, et probro ducitur humiliari sub potenti manu Altissimi ? Non ita rex ille gloriosus David : *Tibi soli*, inquit, *peccavi, et malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis et vincas cum judicaris.* (*Psal.* L, 5.) Summum victoriæ genus, divinæ cedere majestati, et auctoritati matris Ecclesiæ non reluctari; summus honor et gloria. O perversitas ! non pudet inquinari, et ablui pudet ! *Est pudor*, juxta Sapientem, *adducens gloriam* (*Eccli.* IV, 25); si videlicet peccare pudeat, vel peccasse : et ita vel sera gloria non carebis, reducente nimirum pudore quam culpa fugaverat. Secundum tenent beatitudinis locum *quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* (*Psal.* XXXI, 1.) Honorabile tegumentum de quo legitur : *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus.* (*Psal.* XCV, 6.) Quis mihi tribuat videre te in vestitu deaurato, ut dicamus et tibi : *Confessionem et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento?* (*Psal.* CIII, 1.) *Revertere, Sunamitis, revertere, ut intueamur te.* (*Cant.* VI, 12.) *Consurge, consurge, induere fortitudine, induere vestimento salutis.* (*Isa.* LII, 8.) *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* (*Ephes.* II, 14) A mortuo, tanquam qui non est, perit confessio.

HUG., *De inst. novit.* — Hæc dicentibus erubescenda essent, si a facientibus præsumpta non fuissent : nunc autem sustineat in audiendo verecundiam, qui noluit in faciendo habere disciplinam.

VIGILANTIA CHRISTIANA.

[Ex SS. Patribus.]

S. BASIL., in *psal.* XXIX. — Dormientibus nobis, et pigre agentibus dormire dicitur Deus, suis nos, vigiliis et inspectione indignos judicans.

Idem. — Vigilare et auscultare, vereri omnia, et omnia observare timentis est : negligentia pigra dormitat.

Idem, serm. 5, *in psal.* XC, 1 : *Qui habitat*, etc. — Si tot tentationibus plena est vita nostra, ut non immerito tota ipsa tentatio debeat appellari, pervigili circumspectione opus est et oratione, ne inducamur in eam.

S. CHRYSOST., *Hom. in Genes.* — Magna nobis opus est vigilantia, quoniam continuum nobis est bellum, et induciæ multæ.

Idem, hom. 51, *in Matth.* XXIV. — Si vis esse securus, vigila, pone seram januæ tuæ, id est legem divini timoris ori tuo, ut dicas cum Propheta : *Dixi : Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* (*Psal.* XXXVIII, 2.)

Idem, hom. 1 *in Act. apost.* — Non enim, non, inquam, datur gratia nisi vigilanti.

Idem, *Homil. in I ad Corinth.* — Peccatum ea natura est ut facile hominem obsideat, atque undique stet, nempe a fronte et a tergo, ut sic nos dejiciat.

Idem, in *I Epist. ad Thess.*, c. I. — Nemo nostrum obdormiscat, nemo sit ad excolendam virtutem segnis; hoc plane est quod sacræ Litteræ vocant somnum.

Idem, *ibid.* — Nunquid non scitis quod quæ possidemus in tuto esse non possunt, nobis gravi sopore depressis, ut quæ pervia sunt et exposita insidiantibus.

Idem, *ibid.* — Si dormiamus, nihil nos magnopere juverit aliorum vigilantia.

S. AUGUST., *in psal.* LXII. — Somnus animæ est oblivisci Deum suum ; quæcunque anima oblita fuerit Deum suum, dormivit.

Idem, *ibid.* — Malus est somnus animæ.

Idem. — Hostis vigilat, et dormis tu?

S. GREGOR., l. V *Moral.*, cap. 21. —

Digitized by Google

Somno, torpor negligentiæ designatur, sicut a Paulo dicitur : *Hora est jam nos de somno surgere.* (*Rom.* XIII, 11.)

Idem, lib. XXIII *Moral.* — Male homo vigilat, quando eum sæcularium negotiorum æstus inquietat.

Idem, homil. 13 *in Evang.* — Vigilat, qui ad aspectum veri luminis, mentis oculos apertos tenet : vigilat, qui servat operando quod credit : vigilat, qui a se corporis et negligentiæ tenebras repellit.

Idem, *ibid.*—Qui in juventute ad vias vitæ non evigilat, saltem in senectute resipiscat.

Idem, l. VI *Epist.*, epist. 33. — Sit mens vigilans, sit undique suspecta, sit ubique sollicita, ut insidiantis laqueos possit præcavere.

Idem, *ibid.* — Qui super rem creditam vigilat, hostis insidias declinat.

Liber de Imitat., l. I, cap. 23. — Sic te in omni sancto cogitatu deberes tenere, quasi hodie esses moriturus.

VIRGINITAS

[Ex SS. Patribus.]

Constitutionum apostol., l. VIII, tom. I. — Ipse ego constituo de virginibus. Non ordinatur virgo; præceptum enim Domini non habemus. Siquidem voluntatis est, hæc certaminis gloria; non ad criminandum matrimonium, sed ad vacandum pietati.

S. Gregor. Nyss., *De virginit.*, cap. 1, t. III. — Augusta illa virginitatis quædam quasi facies quæ cum in pretio est apud omnes qui de bono sincere judicent, tum iis solis contingit, quibus ad præclarum hoc studium Dei gratia benigne opituletur, vel ex nomine quo compellatur, insignem laudem habet. Nam incorruptum, quæ vox in virginitate de multorum consuetudine dicitur, ejus integritatem significat. Itaque ex eo nomine quod tantumdem valeat, intelligere est hujus doni præstantiam. Siquidem, cum multa sint quæ cum virtute gerantur, solum hoc incorrupti appellatione ornatam est. Sin autem beneficium hoc Dei optimi maximi etiam prædicandum est, sufficiet ad ejus commendationem divinus Apostolus, qui paucis verbis omnem laudum amplificationem obscuret, sanctam atque inculpatam eam appellans, quæ hoc munere ornata sit. Quod si enim augustæ hujus virginitatis ea est perfunctio, ut inculpatus ac sanctus efficiare : eæ autem voces proprie ac primo ad incorrupti Dei gloriam usurpantur : ecquænam major esse potest laus virginitatis, quam ostendi eam iis rebus castorum suorum arcanorum participes quasi deos efficere, ut socii quidam sint gloriæ solius vere sancti atque inculpati Dei, necessitudine cum eo puritate atque integritate contrahenda.

Quicunque vero longius orationis digressionibus hujus rei latius explicant laudes, quasi ex hoc aliquid admirabili huic virginali studio sint addituri, hi profecto mihi seipsos ignorare videntur, cum suæ sententiæ magnopere ipsi repugnent. Quibus enim encomiis se rei magnitudinem amplificare arbitrantur, iisdem suspectam faciunt laudem Nam quæ natura excellunt, admirationem secum afferunt, neque orationum patrocinio indigent : qualia sunt cœlum, sol, cæteraque id generis, quæ in omni cœlo et terra aliquid admirabile habent : humilioribus autem studiis oratio pro fundamento proposita aliquam magnitudinis opinionem laudum artificio adjungit. Itaque sit plerumque ut admiratio quæ encomiis comparatur, veluti commentitia ab hominibus suspecta habeatur. Ergo hæc laus virginitatis egregia est, ut scilicet statuat quis virtutem ipsam omni esse laude præstantiorem : atque ex ipso potius vitæ genere, quam ex aliqua oratione castitatem suscipiat atque admiretur? Nam qui in hoc virginitatis laudandæ argumento, gloriæ cupiditate adductus, versatur, non ab eo plane dissimilis est, qui aliquam sudoris sui stillam quam is magnificiat, immenso mari putet fore additamentum, si modo hominum sermone crediderit tantum munus posse illustrari atque ornari. Aut enim is suarum virium ignarus est, aut id quod laudat non intelligit.

Idem, *ibid.* — Non simplex est perfectum virginitatis officium, neque in corpore solum consistit, sed opinione etiam ad omnia pervenit ac pertinet, quæcunque recta animi officia et sunt et habentur. Nam virginitatis præsidio animus cum vero sponso conjunctus non a corporeis modo sordibus se ipse removebit; sed inde etiam profectus ad mundiliem aggredietur, ad omniaque pari item securitate ibit : illud tamen perlimescendo ne aliquo modo ad rei pravæ societatem corde, plus quam par est, inclinato, affectionem aliquam ex ea parte adulterinam capiat.

S. Ephrem, *serm. de Virginit.*, t. III. — De virginitate et animæ sanctificatione a Paulo apostolo optimo consiliario omnes docemur : quippe qui virginitatis gradum et præstantiorem et superiorem mundo arbitratur. *Nam qui uxorem habet*, inquit Apostolus, *sollicitus est quomodo placeat uxori. At qui in virginitate permanet, semper cogitat quæ sunt Domini et quomodo placeat ei.* (*I Cor.* VII, 32.) Illa cura sæpe adducit ad pœnam, hæc vero in vitam ducit æternam. Beatus ille homo qui sollicitus est quomodo placeat Domino, suumque corpus integrum purumque servare curat, ut sit templum sanctum et immaculatum Christi regis. Sponte factus es templum Dei, o homo? Tibi igitur ipse die noctuque attende, ne templum corrumpatur quod pro tua voluntate formasti. Ipse tuapte voluntate, itaque sponte templum Dei factus es, non quidem

Digitized by Google

vi coactus, sed spontanea voluntate inductus. Nosti et ipse manifeste, qui factus es templum Dei altissimi, quod Spiritus Dei templum mundum inhabitet, sanctificetque illud, ut sit utile ac commodum suo Domino.

Audi, charissime frater, quæ tibi dico, et verba parvitatis meæ cordi tuo imprime : Præcingere sincera ac integra fide, spe et charitate ; et sta velut potens, templum Dei a cunctis sordidis immundisque cogitationibus custodiens. Esto autem ipse oculus totus, assidue observans prospectansque improbi illius prædones infestos, qui advigilant, irrepuntque semper, ut aliquem mollem ac desidem levemque inveniant, infelicisque illius templum, corporis scilicet, destruant, ne amplius sit utile Domino. Attende igitur tibi ipse, ne per negligentiam piratas illius maligni intromittas. Intelligis, o frater, qui sint illi piratæ maligni istius et homicidæ? Cogitationes sordidæ, concupiscentiæ pravæ, excandescentiæ et perturbationes, iræ et contentiones, passionum ac malarum affectionum obsecundationes. Hi sunt piratæ illi impudentissimi ac pessimi, qui nunquam cessant, nec ullius malitiæ saturitatem capiunt. Et quamvis vincantur, semper se tamen intrudunt atque ingerunt. Inverecunda est radix concupiscentiæ, quæ licet quotidie vellatur, horis tamen singulis pullulat. Fac eam radicitus e corde tuo exstirpes, mi frater, ne horis singulis pullulet germinetque. Et licet eam millies excideris, bis tanto excrescet atque germinabit, nisi penitus radicitusque illam evulseris.

Contende igitur assidue, ut templum fias Dei sanctum et immaculatum. Quod si templum tuum sic Deo præparaveris, ipse Deus sanctus pro mercedis retributione delicias ac jucunditatem paradisi tibi largietur, et pro passionibus ac perturbationibus cogitationibusque sordidis devictis, requiem sempiternam. Stude ergo templum sanctum tuum custodire, ut sit decens atque decorum acceptumque Deo. Quamobrem attende tibi ipse, ne loco sancti et immaculati Domini, inimicum atque scelestum introducas in templum ; corrumpaturque tuum templum per impudentiam hostis, honestatis inimici : quippe qui impudens est ac effrons : cum, licet sæpius increpando foras ejicias, ipse tamen usque impudenter introire tentabit. Et si illum in templum corporis tui admiseris, nulla in Deum immaculatum et sanctum erit culpa referenda. Non enim ille a te recessit, sed tu illum repulisti : introduxisti scelestum illum, et sanctum perdidisti. Regem ejisti, et tyrannum dilexisti. A fonte vitæ recessisti, et in cœno volutaris, orbatusque lumine, tenebris communicas. Atque sic propter mollitiem ac segnitiem tuam tradidisti teipsum in manus impurissimi hostis. Deo quidem sancto complacuisset semper templum tuum inhabitare, nisi ipse optimum Dominum, cujus nulla est satietas, cupientem tibi donare suum regnum contristasses. Deus siquidem in illorum habitat corpore, qui templum ipsi facti sunt sanctum et immaculatum. Quod si ergo optas semper Deum in templo corporis tui habitare, omnibus diebus tuis quibus vives super terram ; ipse Deus sanctus in suo paradiso, in luce incomparabili, et vita immortali in sæcula sæculorum, magno cum gaudio te ibi reficiet.

Audisti illud sane, vel etiam legisti, quod dies una in luce illa regni Dei sint mille anni sæculi hujus. Aperi cor tuum, frater ; et quæ dicuntur, attente ausculta : Deum desidera cunctis diebus vitæ tuæ. Dulcedo quippe et illuminatio, atque lætitia perpetua est desiderare Deum. Quod si semper eum desideres, semper eum inhabitatorem habebis. Deus zelator est, et immaculatus ac sanctus, semperque in anima timentium ipsum inhabitat, facitque voluntatem diligentium se. Cupis esse castum et immaculatum templum Dei ? Imaginem ejus in corde tuo semper habeto ; imaginem, inquam, non colorum varietate in ligno, aliave materia deformatam ; verum illam quæ per bona opera, uti jejunia, vigilias, honestas actiones, continentiam, et orationes, mirabili quodam modo pure jugiterque depingitur in anima. Colores vero imaginis illius cœlestis Domini recte facti sunt, et cogitationes mundæ, ac terrenarum rerum nuditas, cum lenitate ac vita sancta omni tempore. Absque certamine nemo coronatur in vita, et in vita potissimum monastica. Nemo absque luctamine coronam immarcessibilem, vitamque æternam potest assequi. Palæstræ enim sive arenæ simile est hoc sæculum, in qua perfecti athletæ quid alacritate, et mansuetudine sua possint, viribusque quantum valeant, intrepide demonstrant. Meticulosi contra, ac molles ob suam mollitiem atque ignaviam, certamini cedunt, fugientes ; legitimi porro atque perfecti pugiles continentissimique monasticæ vitæ cultores, amœnitatem sibi paradisi in suo certamine ante oculos statuunt, exspectantes semper in eo bonis illius omnibus perfrui, in luce æterna, et in vita immortali.

Vis in agone atque certamine tuo victor evadere ? Virtutibus sicut vestimentis semper induere, quibus indutus, eas cave exuas, sed iis munitus, assidue in certamen prodi ; timeto vinum, ne ebrietate vincaris, et virtutibus nuderis ; quemadmodum antiquus ille justus nudatus est vestibus. Nostine potentiam vini ? Si minus nosti, ego indicabo. Noe, vir justus, sanctus, atque perfectus in generatione illa, quæ sibi ipsi pernicies exstitit, qui et a Deo meruit de pietate sua commendari atque laudari, dum ad eum dixit : *Te solum vidi justum in generatione hac corrupta.* (*Gen.* VII, 1.) Justus igitur hic qui inundationes aquarum diluvii vicerat, a modico vilique vino victus est dormiens. Aquæ infinitæ non potuerunt vincere ipsum ; vinum autem vile, inter dormiendum justi viri corpus nudavit, qui postea pater ac caput gentium evasit. Sanctum quoque Lot vinum in somno conti-

Digitized by Google

nentiæ virtute spoliavit, cum ex eo præter naturam furtim filiæ conceperunt. Si ergo justis ac sanctis vinum non pepercit, te vilem atque abjectum quanto magis superabit? Semper tibi a vino time, o juvenis, quandoquidem vinum nunquam parcit corpori, ignemque malæ concupiscentiæ continuo in ipso accendit. Vide ne corpus tuum nimia mollitie laxatum, illius pateat incendiis, neve occupatus cogitationibus pravis, et meditatione pessima, licet etiam per conjunctionem corporum opus in actum non prodeat, reus tamen nefarii illius operis per umbram, et peccati ipsius imaginem reddaris. Sin vero ejusce imaginis vel umbræ peccati cogitatione præoccupatus fueris; quidquid dixeris, aut egeris, semper te pœnitebit, sicque semper ædificabis et destrues.

Peccati enim simulacra semper ante oculos mentis exhibet, semper contemplationem fingit, colloquia multiplicat, ac jucundam cogitationem efficit. Mollescit cogitatio, vincitur invisibiliter, et peccat latenter. Omnibus quidem spectantibus propalam apparet plenus pietate atque religione : ipse vero sibi male conscius torquetur interius semper pœnitens et assidue dolens; quandoquidem a propria redarguitur conscientia. Habet autem hoc sibi familiare concupiscentia mala, ut mox ubi peccatum suum consummaverit, iisdem vestigiis dolor subsequatur. Vultu quidem exterius religionis præsefert speciem, interius autem nullam prorsus fiduciam in Deum habet. Quis ergo non tristetur, et quis non deploret? In momento et ictu oculi mollescit cogitatio, et mox sponte Deum peccando offendit, cœlesteque a se donum, sanctificationem scilicet, ac virginitatem repellit. Quandiu enim templum corporis sui sanctum purumque fuerit, Deus excelsus in eo habitabit. Si vero corrumpatur, polluaturque templum, a vestigio sanctus et immaculatus Dominus illud relinquit, locoque sancti ac cœlestis luminis ingreditur commoraturque in eo Spiritus immundus, quocum subintrat concupiscentia maligna ac sordida, perpetuo furens atque insaniens.

Quis igitur hæc audiens, non illico in lacrymas solvatur, suoque ista omnia pectori non insculpat? Quandoquidem Deus sanctus a templo recessit, ac pro eo, a concupiscentia mala illud occupatum manet. Quod si hoc intelligat revolvatve mente, quisnam illud deseruerit, unde exciderit, et a quo separatus sit, nunquid unquam lacrymis atque gemitibus satiari poterit? Si quis nimia mollitia in certamine victus, conspexerit alium in eodem certamine colluctando, superiorem, victoremque coronis ac præmiis donatum, et omnium astantium laudibus celebratum; tunc illum, quod certamen subterfugerit, vehementer pœnitere incipiet, seipsumque talis præ magno dolore torquebit, et intra se dicet: Cur sic unico temporis momento, cogitatione victus, certamen fugi? Ecce alios video certaminis victores, qui magna cum gloria summisque laudibus certamen suum perfecerunt : ego vero confusus tanquam certaminis ejusdem desertor latebo? Sic quoque in die retributionis erit. Quando enim molles et peccatores aspexerint ibi justos ac sanctos magna lætitia perfusos; alios quidem in paradiso, alios in regno, alios in nubibus, volantes cum claritate; seipsos autem miseri illi viderint igni inexstinguibili ac tenebris exterioribus addictos; tunc dira eos pœnitentia incesset, et horror ac dolor inutilis.

Quamobrem hortor te, frater, ut semper imitari velis sanctos illos atque perfectos, et inculpatæ vitæ Patres qui sancta puraque immaculati Domini templa exstiterunt. Insiste vestigiis sanctorum Patrum qui in castitate virginali, et vita pudica ac religiosa, in orationibus et jejuniis emicuerunt. Ama exercitium divinarum rerum; desidera orationem, familiare cum Deo colloquium. Omnis enim oratio sancta et pura cum Deo familiariter agit. Oratio autem perfecte Deum desiderantium magna cum lætitia, fiduciaque multa, ipsum etiam cœlum jugiter penetrat. In ipsa angeli atque archangeli exsultant, et coram throno sancti et excelsi universorum Domini illam statuunt. Tunc enim maximum iis affulget gaudium, si quando coram Domino preces justorum diligentium Deum offerant.

Stude igitur, frater, vita atque virtutibus imitator fieri sanctorum Patrum. In semitis viæ ac vitæ illorum ambula, continentiæ virtutem excole, quemadmodum et illi : excole eam mente, excole spiritu, excole corpore, excole habitu, cibo item et lingua, aspectu, cogitatione, ac risu; ut per omnia velut perfectus athleta ostendaris. Attende igitur tibi ipsi, nequando in oratione hac illucque mens tua evagetur. Cum vero Deo adsistis, orans, cum timore ac tremore coram illo te compone. Cogitationes ac sollicitationes quascunque rerum terrenarum circumquaque ex corde tuo abscinde. Esto autem toto orationis tempore, velut cœlestis angelus; sicque contende, ut oratio tua sit sancta ac pura, immaculata et irreprehensibilis; ut, cum illam sursum ascendere viderint portæ cœlestes, gaudentes ultro confestim ei aperiantur. Ut ipsam cernentes angeli et archangeli, cuncti lætantes illi occurrant, et coram sancto atque excelso throno immaculati Domini ipsam offerant. Sic ergo semper orationis hora, esto Deo conjunctus, ut cherubim et seraphim. In verbis hisce meditare, frater, eaque cum timore et gaudio dulciter decanta, cibos spirituales præbebunt animæ, et dulcescere eam facient ab amaritudine vani hujus sæculi, alleviabuntque ipsam a sarcina ac pondere sollicitudinum rerum terrenarum. Cuncta quæ audisti, servare contende. Deum semper in anima tua quiescere facito : ut ibi inveniaris fiducia plenus in hora illa terribili atque tremenda, quando venerit Christus ad reddendum unicuique secundum opus suum. Cui sit gloria atque potentia in sæcula sæculorum. Amen.

S. Basil., *Serm. ascetic.*, t. II. — Qui in seipso, quoad ejus fieri potest, divinæ naturæ ab affectibus vacuitatem imitatus fue-

Digitized by Google

rit, is in sua ipsius anima Dei imaginem in integrum restituit. Qui autem effectus est Deo similis juxta eum quem diximus modum, omnino etiam divinæ vitæ adeptus est similitudinem, perpetuo in æterna illa beatitudine mansurus. Itaque si per affectuum vacuitatem rursus Dei imaginem recuperemus, vitæque perpetuitatem nobis impertiat Dei similitudo, cæteris omnibus neglectis, huc studium convertamus ut anima nostra nullius unquam vitii tyrannide opprimatur : sed mens nostra immota et insuperabilis permaneat in tentationum assultibus, ut divinæ beatitudinis fiamus participes. Huic autem studio adjumento est virginitas, iis qui, ratione duce, id donum coluerint. Non enim in sola a procreandis liberis abstinentia constituitur virginitatis donum : sed vita omnis, vitæque ratio ac mores virginitatem excolere debent, sic ut cælibis integritas in omni studio appareat. Fieri enim potest ut aliquis sermone etiam stuprum et oculis adulterium committat, audituque polluatur, ac inquinamentum recipiat in corde, perque cibi ac potus intemperantiam extra castimoniæ terminos egrediatur. Nam qui in his omnibus intra virginitatis limites seipsum per continentiam continet, revera ostendit in semetipso perfectum, et omnibus numeris absolutum, virginitatis donum.

Quamobrem si desideremus animæ nostræ caracterem per affectuum vacuitatem ad Dei similitudinem componi et exornari, ut hoc pacto etiam a nobis vita sempiterna comparetur, attendamus nobismetipsis, ne forte quidpiam promissione indignum perpetrantes, prolato adversum Ananiam judicio efficiamur obnoxii. (*Act.* v, 5.) Nam Ananiæ initio licebat possessionem suam Deo non polliceri ac vovere : sed postquam ad humanam gloriam respiciens, possessionem suam Deo per pollicitationem consecravit, ut hominibus ob munificentiam esset admirationi, parte pretii seposita, ejusmodi adversum se indignationem Domini commovit, cujus Petrus minister fuit, ut ne pœnitentiæ quidem spatium inveniret. Quapropter, ante vitæ religiosæ professionem, quilibet potest juxta id quod concessum ac legitimum est, vitæ commoda amplecti, ac nuptiarum societati se dedere ; sed ubi jam professus est, seipsum Deo custodire debet, velut sacrum quoddam donum, ne sacrilegii damnationem subeat, si corpus per professionem Deo dicatum rursus communis vitæ ministerio contaminet.

Atque hoc dico, non unum tantummodo vitii genus spectans, quemadmodum opinantur quidam, qui in sola corporis custodia virginitatis virtutem constituunt : sed respicio ad omnem vitiosæ affectionis speciem, sic ut nullo mundano vitio inquinetur, qui seipsum Deo custodire studet. Ira, invidia, injuriarum illatarum memoria, mendacium, superbia, mentis evagatio, intempestiva garrulitas, segnities in orando, eorum quæ non sunt cupiditas, in mandatis perficiendis negligentia, vestimentorum ornamentum, faciei cultus, congressiones, colloquia præter decorum et sine necessitate habita, hæc omnia quam diligentissime sunt cavenda ab eo qui per virginitatem Deo seipsum consecravit : si quidem propemodum æquale est periculum in unum aliquod horum delabi, et in vetito peccato versari. Omnia enim quæ ex vitio animi affectu fiunt, corrumpunt quodammodo animæ puritatem, suntque vitæ divinæ impedimento. Ad hæc igitur respiciat oportet, qui sæculo nuntium remisit, ut Dei vas, seipsum scilicet, nullo prorsus vitioso usu coinquinet. Illud autem maxime est considerandum, quod qui vitam angelorum elegit, transtulerit se ad incorpoream vitæ rationem, cum naturæ humanæ terminos transgressus sit. Hoc enim proprium est angelicæ naturæ, a nuptiali societate liberam esse, neque ad ullam aliam contemplandam pulchritudinem distrahi, sed oculos in divinam faciem assidue intentos habere. Quamobrem qui jam in angelicæ dignitatis ordinem transivit, si humanis vitiis inquinetur, similis est pantheræ pelli, cujus setæ neque prorsus albæ sunt, neque nigræ omnino, sed cum sint diversorum colorum mistura distinctæ et interpunctæ, neque in nigris numerantur, neque in albis. Hæc igitur communior quædam sit admonitio exhortatioque iis qui continentem ac castam vitam delegere.

S Greg. Naz., orat. 37, t. I. — Bonum est matrimonium : sed quod virginitate præstantius sit, dicere non possum. Neque enim magnum aliquid esset virginitas, nisi re aliqua bona melior et præclarior esset. Nolite hoc moleste ferre, quæ matrimonii jugo subjectæ estis : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* (*Act.* v, 29.) Cæterum facite ut inter vos quasi vinculo constringamini, et virgines et uxores, atque unum sitis in Domino, mutuumque aliæ aliarum ornamentum. Non esset cælebs, nisi matrimonium esset, unde enim in hanc vitam virgo prodiisset ? Non esset honorificum et venerandum matrimonium, nisi virginem proferret, tum Deo, tum vitæ. Honora tu quoque matrem tuam ex qua natus es. Honora etiam eam quæ ex matre est, et mater. Non quidem mater est, sed Christi sponsa. Pulchritudo quidem ea quæ in oculos cadit, non occultatur : quæ autem oculorum aciem fugit, a Deo perspicitur : *Omnis gloria filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumdata varietate* (*Psal.* XLIV, 14), sive actionibus, sive etiam contemplationibus. Quæ sub jugo est, aliqua ex parte Christi sit : quæ virginitatem amplexa est, tota Christi sit. Illa mundo non prorsus alligetur : hæc nullo modo animum mundo addicat. Quod enim conjugatæ est pars, id virgini totum est. Angelorum vitam elegisti ? In eorum ordinem te aggregasti, qui jugum nesciunt ? Ne in carnem prolabaris, ne in materiam dejiciaris, ne cum materia matrimonio jungaris, etiamsi alioqui in cælibatu perstes. Oculus lascivus et impudicus virginitatem minime servat : lin-

Digitized by Google

gua impudica diabolo miscetur : pedes vacillantes, aut morbum, aut imminentis morbi periculum produnt. Virginitatem animus quoque ipse colat : ne vagetur, ne oberret, ne meretriciarum rerum formas in seipso ferat (nam libidinis quoque pars, impressa in animo forma est), ne odio insectanda rerum simulacra in anima effingat.

At ille dixit eis : *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* (*Matth.* XIX, 11.) Videtis rei hujus sublimitatem ? Propemodum etiam talis reperitur, ut ne concipi quidem et comprehendi queat. An non enim præstantius est, quam pro carnis fragilitate, id quod ex carne creatum sit, in carnem non gignere ? An non plane angelicum, eam quæ carnis vinculis alligata sit, non secundum carnem vivere, sed natura ipsa excelsiorem esse ? Caro mundo devinxit, sed ratio ad Deum subvexit. Caro depressit, sed ratio extulit, eique velut pennas addidit. Caro vinculis astrinxit, sed amor solvit. Tota anima, o virgo, ad Deum intensa esto (hoc autem ipsum et viris et mulieribus præscribo) ; nec quidquam tibi ex omnibus aliis rebus pulchrum videatur, quæ vulgo videri solent : non generis splendor, non opes, non alta subsellia, non principatus et potentia, non pulchritudo ea quæ in coloris elegantia et apta membrorum compositione animo fingitur, temporis utique et morbi ludibrium. Si vim totam amoris in Deum effudisti, si tu non duplicis rei amore flagras, fluxæ nimirum et immotæ, visibilis, et oculorum obtutum fugientis, profecto usque adeo electa illo sagitta sanciata es, sponsique pulchritudinem cognovisti, ut illud quoque sponsalis dramatis et cantici dicere queas : *Dulcedo es, et totus desiderabilis.* (*Cant.* V, 16.)

Videtis ne aquarum profluvia plumbeis canalibus inclusa, quæ propterea nimium comprimuntur, atque ad unum feruntur, adeo plerumque aquæ naturam excedunt, ut quod retro impellitur, sursum semper tendat ? Consimili modo si amorem strinxeris, totaque Deo conjuncta fueris, sursum tendes, nunquam humi prolaberis, nec diffluues, tota Christi manebis, quousque Christum quoque sponsum tuum videas. Inaccessibilem teipsam custodi, et verbo, et opere, et vita, et cogitatione, et motu atque impulsione. Undequaque pravus ille te perscrutatur, atque explorat, ubi feriat, ubi vulneret, num nudum quid et apertum, plagæque obvium reperiat ? Quo puriorem cernit, eo enixius te commaculare atque inquinare contendit : splendidæ etiam vestis manifestiores sunt sordes. Ne oculus oculum t ahat, ne risus risum, ne familiaritas noctem, ne nox interitum et exitium. Nam quod paulatim attrahitur, ac tanquam subrigitur, tametsi eam rationem habeat, ut damnum in præsenti minime sentiatur, tamen in vitii summam occurrit.

Idem, orat. 43, t. II. — Magna res, virginitas et cælibatus, atque in angelorum naturæque singularis ordine censeri ; vereor enim dicere Christi, qui cum propter nos genitos nasci vellet, ex virgine gignitur, virginitatem velut lata lege sanciens, ut hinc abducentem ac mundum conscindentem ; vel potius, mundum ad mundum transmittentem, præsentem nimirum ad futurum.

S. Ambros., *Lib. exhort. ad virginit.*, t. II. — Sola est virginitas quæ suaderi potest, imperari non potest. Res magis voti est, quam præcepti. Quod enim gratiæ est, non jubetur, sed desideratur ; electionisque magis est, quam servitutis. Unde et Apostolus dicit : *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino.* (*I Cor.* VII, 25.)

S. Chrysost., *De virginit.*, t. I. — Si in matrimonio degentes diutius abjungere veretur, ne quem diabolus inveniat, quibus coronis dignæ sint, quæ neque ab initio eo solatio opus habuerunt, et ad extremum invictæ permanserunt ? Ut ne dicam nec diaboli machinas utrisque ex æquo admoveri. Nam illis, opinor, nec molestus est, qui quidem sciat perfugium iis proximum esse, statimque si quem vehementiorem impetum sentiunt, in portum se recipere licere : neque enim iis permittit beatus Paulus longius navigare, sed defessos redire jubet, sinens eodem rursum convenire. At virgo assidue navigare, et sine portu æquor permetiri cogitur ; atque etsi gravissima tempestas consurgat, ne sic quidem ei fas est navem subducere, acquiescere. gitur quasi qui mare infestant, ubi civitas, aut navale, aut portus sit, navigantes non invadunt ; id enim est temere periclitari : sin navigium in alto offendant, auxilii destitutionem audaciæ incitamentum nacti, omnia movent atque versant, neque prius desistunt, quam aut eos demergant, aut id ipsi patiantur : ita et acer hic pirata virgini graves fluctus, ingentem tempestatem, ac procellas intolerabiles, omnia susque deque miscens, ut vi atque impetu navem subvertat : audivit enim virgini non concedi *eodem convenire*, sed ei necesse esse perpetuo adversus spiritualia nequitiæ luctari ac confligere, donec tandem in tranquillum portum evadat.

Etenim Paulus virgini, tanquam forti militi muris excluso, portas aperiri non permittit, quamvis et valde effero hoste, et vel eo crudeliore, quod adversario induciarum potestas nulla sit. Nec vero diabolus solum, sed ipse etiam libidinis stimulus cælibes urget acrius, idque omnibus palam est. Nam quorum habemus usum, eorum cupiditate haud facile tangimur, securitate animo segni esse permittente. Atque idem nobis confirmat et proverbium populare, sed in primis verum : Quod in potestate, inquit, promptum sit, id ad cupiditatem haud sane efficax est. Sin ab iis prohibeamur, quæ pridem tenebamus, contra accidit, et quæ propter facultatem a nobis contemnuntur, ea nobis e manibus amissa, vehementius desiderium excitant. Itaque primum hac ratione major est apud conjuges tranquillitas ; deinde quod si flamma iis altius quandoque

Digitized by Google

eluctetur, eam protinus succedens congressus reprimit. At virgo non habens unde ignem exstinguat, eum sublimem atque alte grassantem cernens, cum exstinguere non possit, id unum agit, ne cum igne conflictans uratur.

An vero quidquam magis insolens est, quam solidum intus gestare rogum, nec aduri? Quam flamma in animi penetrali ultro citroque commeante, intactam mentem conservare? Nemo enim eam sinit carbones eos foras ejicere : sed quod Proverbiorum auctor in natura corporis desperatum dicit, id illa necesse habet in animo sustinere. Quid vero dicit? *Ambulabit quis super carbones, nec ejus pedes adurentur?* Ecce autem hæc ambulat, ac perfert cruciatum : *aut ignem in sinu ligabit, et non ejus urentur vestimenta?* (*Prov.* VI, 28.) At hæc non vestibus, sed intus ignem continens efferum atque resonantem, flammam sustinet ac tegit. Et adhuc quisquam sodes, matrimonium cum virginitate conferre, an vel obtueri ausit? At non permittit beatus Paulus, qui ingens utriusque rei discrimen ponit : nam illa quæ sunt Domini, hæc quæ sunt mundi curat. Collectis igitur in unum conjugibus, et virginis gratiam, audi quid illis exprobret. *Eodem* enim, inquit, *convenite, ne vos tentet Satanas.* (*I Cor.* VII, 5.) Ac volens ostendere totum ejus tentationi non deberi, sed nostræ etiam ignaviæ plurimum, principaliorem causam addit, inquiens, *propter vestram intemperantiam.* Quis non, id audiens, erubescat? Quis non intemperantiæ notam effugere moliatur? Neque enim cohortatio hæc ad omnes pertinet, sed ad valde demissos. Quod si, inquit, tam es servus voluptatum, si tam mollis, ut semper in venerem effusus atque inhians sis, congredere sane cum uxore. Non est igitur permissio hæc probantis ac commendantis, sed irridentis et improbantis. Nam ni voluptuosorum mentem egregie tangere voluisset, intemperantiæ vocem non adhibuisset, quæ et vehemens est, et ingens vituperium continet. Cur enim non dixit, propter vestram imbecillitatem? Quod ea vox magis ignoscentis esset, illa intemperantiæ summam ignaviam notantis. Igitur intemperantiæ est, non posse a fornicatione abstinere, nisi uxori semper hæreas, ac coitu fruare.

Quid mihi hic dicent qui virginitatem supervacaneam statuunt? Nam hæc quo continentior est, eo majorem habet laudem : at matrimonium, ubi eo plus satis utare, tum maxime laudis omnis expers est. *Id* enim, inquit, *dico, secundum indulgentiam, non secundum imperium* (*I Cor.* VII, 6) : jam ubi est indulgentia, laudi nullus est locus. At enim et de virginibus disserens ait, *Præceptum Domini non habeo.* Num igitur rem exæquat? Minime gentium : namde virgine sententiam dicit; hic consensum præbet. Ac neutrum præcipit, non eadem de causa : sed hic, ne qui ab intemperantia se sustollere vellet, prohiberetur, velut præcepti necessitate obstrictus; illic, ne qui ad virginitatem attingere nequivisset, damnaretur, ceu in præceptum contumax. Non præcipio, inquit, virginem esse : vereor enim rei difficultatem. Non præcipio congredi frequenter cum uxore, nolo enim incontinentiæ legislator esse. Dixi, *convenite*, ut vetem in præceps ferri, non ut sublimius studium impediam. Non ergo id præcipue vult, ut assidue uxore utamur, sed nimirum id segniorum intemperantia sanxit. Nam si Pauli voluntatem scire vis, audi quæ sit : *Volo*, inquit (*I Cor.* VII, 7), *omnes homines sic esse, ut ego sum*, continentes. Igitur qui velis omnes continentes esse, neminem vis esse conjugem. Non equidem; at non propterea volentes veto et insimulo, sed cum optem ac percupiam omnes sic esse, ut ego sum, tum illud propter fornicationem etiam concedo, ideoque in principio dicebam (*Ibid.* 1) : *Bonum est homini mulierem non tangere;* quia id præoptarem.

S. August., serm. 184, *in Nativ. Christi*, t. V.— Exsultent viri, exsultent feminæ : Christus vir est natus, ex femina est natus, et uterque sexus est honoratus. Jam ergo ad secundum hominem transeat, qui in primo fuerat ante damnatus. Mortem nobis persuaserat femina; vitam nobis peperit femina. Nata est similitudo carnis peccati, qua mundaretur caro peccati. Non itaque caro culpetur, sed ut natura vivat, culpa moriatur : quia sine culpa natus est, in quo is qui in culpa fuerat renascatur. Exsultate, pueri sancti, qui Christum præcipue sequendum elegistis, qui conjugia non quæsiistis. Non ad vos per conjugium venit, quem sequendum invenistis; ut donaret vobis contemnere per quod venistis. Vos enim venistis per carnales nuptias, sine quibus ille spiritales venit ad nuptias, et vobis dedit spernere nuptias, quos præcipue vocavit ad nuptias. Ergo unde nati estis, non quæsiistis; quia eum qui non ita natus est, plus quam cæteri dilexistis. Exsultate, virgines sanctæ; Virgo vobis peperit, cui sine corruptione nubatis; quæ nec concipiendo, nec pariendo potestis perdere quod amatis. Exsultate, justi; natalis est justificatoris. Exsultate, debiles et ægroti; natalis est Salvatoris. Exsultate, captivi; natalis est redemptoris. Exsultent servi; natalis est dominantis. Exsultent liberi; natalis est liberantis. Exsultent omnes Christiani; natalis est Christi.

S. Gregor. Mag., *Pastor.*, admon. 28.— Admonendi sunt peccata carnis ignorantes, ut et præeminere virginitatem conjugio sciant, et tamen se super conjuges non extollant, quatenus dum et virginitatem præferunt et se postponunt : et illud non deserant quod melius esse æstiment, et se custodiant quo se inaniter non exaltant. Admonendi sunt ut considerent quod plerumque actione sæcularium vita continentium confunditur, cum illi ultra habitum assumant opera, et non excitant corda.

S. Bern., epist. 113, *ad Soph. virg.*— Ille in medium veniat summo decore spectabilis, ipsis quoque angelis admirandus ornatus, et proferant si quid simile habent filiæ

Digitized by Google

Babylonis, quarum vere gloria in confusione. Induuntur purpura et bysso, et subinde conscientia pannosa jacet : fulgent monilibus; moribus sordent. E contra tu foris pannosa, intus speciosa resplendes, sed divinis aspectibus non humanis. Intus est quod delectat, quia intus est quem delectat, nisi forte tu dubitas habitare Christum per fidem in corde tuo. — Audis cui places, ama unde places. Ama confessionem ob quam amaris. Ama confessionem, si affectas decorem.

Idem, hom. 3 *De laudib. virgin.* — Solent virgines, quæ veræ virgines sunt, semper pavidæ et nunquam esse securæ, et ut caveant timenda, etiam tuta pertimescere, scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum, et nimis arduum esse vivere angelice inter homines, et in terris more cœlestium conversari, et in carne cælibem agere vitam.

[Ex conciliis.]

Ex conc. Eliberitano, sub Marcello I, an. 305. —13. Virgines quæ se Deo dicaverunt, si pactum perdiderint virginitatis, ac libidini servierint, placuit nec in fine dandam eis esse communionem ; quod si pœnituerint, et toto tempore vitæ suæ egerint pœnitentiam, in fine communionem accipere debent.

14. Virgines quæ virginitatem suam non custodierint, si eosdem qui eas violaverint, duxerint et tenuerint maritos, post annum sine pœnitentia reconciliari debebunt, vel si alios cognoverint viros, eo quod mœchatæ sint, placuit per quinquennium acta legitima pœnitentia admitti eas ad communionem oportere.

Ex conc. Ancyrano, sub Silv. I, an. 314 ; *et Epist. Adriani I, an.* 773. — 18. Quotquot virginitatem promittentes, irritam faciunt sponsionem, inter bigamos censeantur; virgines autem quæ conveniunt cum aliquibus, tanquam sorores habitare prohibemus.

Ex conc. Rom. II, *sub Silvestro I, an.* 324. — 18. Nullus episcoporum virginem sacratam maritali consortio expetierit benedicere, nisi eam probaverit 72 annorum esse constitutam, ibi probabitur judici a pudicitia vera aut in 70 annis requirens virum Christum, pudicitia custodita, uncta vertice introducatur ad nuptias Christi, velamen capitis ferens non cordis.

Ex conc. Gangrensi, sub Silvestro I, an. 325, *et Epist. Adriani I, an.* 773. — 9. Nullus pro virginitate exsecretur nuptias.

10. Nullus virginitatem custodiens adversus conjugatos superbiat.

Ex conc. Cæsaraugustano, sub Damaso I, an. 381. — 8. Lectum est non velandas esse virgines, quæ se Deo voverint, nisi 40 annorum probata ætate, quam sacerdos comprobaverit.

Ex conc. Arelatensi II, *sub Siricio, an.* 389. — 33. De puellis quæ se voverunt Deo, si post 25 annos ætatis, ad terrenas nuptias sponte transierint, cum his cum quibus se obligaverint communione priventur, ita ut eis postulantibus pœnitentia non negetur, cujus pœnitentiæ communio multo tempore differatur.

Ex conc. Carthaginensi III, *sub Siricio, an.* 397. — 4. Placuit ut ante 25 annos ætatis, nec diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur.

33. Ut virgines sacræ cum parentibus a quibus custodiebantur, privatæ fuerint, episcopi providentia vel presbyteri (ubi episcopus absens est) in monasterio virginum, vel gravioribus feminis commendentur, ut simul habitantes invicem se custodiant, ne passim vagantes Ecclesiæ lædant æstimationem.

Ex conc. Toletano I, *sub Anastasio, an.* 400. — 6. Puella Dei nec familiaritatem habeat cum confessore, aut cum quolibet laico sanguinis alieni, aut convivium sola audeat, nisi ubi sit seniorum aut honestorum aut viduarum honestarum frequentia, ut honeste confessor quilibet cum plurimorum testimonio testium, convivio interesse possit, cum lectoribus, aut in ipsorum domibus non admittendas penitus nec videndas, nisi forte consanguinea soror sit vel uterina.

Ex conc. Milevitano II, *sub Innocentio I, an.* 416. — 26. Placuit ut quicunque episcoporum necessitate periclitantes pudicitiæ virginalis (cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel si aliquo etiam mortis scrupulo periculoso compuncta fuerit ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet), velaverit virginem, seu velavit intra viginti quinque annos ætatis, non ei obsit concilium quod de ipso annorum numero constitutum est.

Ex conc. Venetico, sub Leone I, an. 453.— 4. Eas quæ virginitatem professæ, et benedictionem fuerint per manus impositionem sub contestatione hujus propositi consecutæ, si fuerint in adulterio deprehensæ, cum adulteris ipsarum arcendas a communione censemus.

Ex conc. Toletano III, *sub Pelagio II, an.* 589.—10. Virgines citra voluntatem parentum vel suam, maritos non cogantur accipere ; si quis vero propositum castitatis viduæ vel virginis impedierit, a sancta communione et a liminibus ecclesiæ habeatur extraneus.

Ex conc. Rom., sub Zacharia, an. 743. — 7. Si quis temerario ausu præsumpserit virginem aut viduam furari in uxorem, præter si desponsatam habuerit, anathema sit.

Ex conc. Forojuliensi, sub Adriano I, an. 791. — 11. Placuit de feminis cujuscunque conditionis, puellis scilicet vel viduis, quæ virginitatis, sive continentiæ propositum spontanee pollicentes Deo emancipatæ

Digitized by Google

fuerint, et ob continentiæ signum nigram vestem quasi religiosam indutæ fuerint, licet non sint a sacerdote sacratæ, in hoc tamen proposito eas perpetim perseverare mandamus; si vero postea sese sive clanculo corruperint, seu publice nupserint, segregentur ab invicem et agant cunctis diebus vitæ suæ pœnitentiam, et a communione corporis et sanguinis Christi priventur, in extremo tamen vitæ suæ viatico non defraudentur, nulli liceat prædictis personis habitum, id est vestem mutare absque episcopi sui conscientia.

Ex conc. Parisiensi, sub Gregorio IV, an. 829. — 41. Quidam presbyteri in tantam audaciam proruperunt, ut sacrarum virginum consecratores existerent, et hoc ad negligentiam episcoporum pertinere dubium non est, quod quia canonicæ auctoritati minime concordat, ne ulterius quispiam presbyterorum id facere præsumat, prorsus inhibemus.

VIRTUS

Virtus in genere.

[Ex SS. Patribus.]

S. Hermas, *Pastor*, l. I, t. II. — Ait : Vis aliud videre? Cumque cupidus essem ad videndum, hilaris factus sum vultu. Respiciens me subrisit, et ait mihi : Vides septem mulieres circa turrim? Video, inquam, domina. Turris hæc, inquit, ab iis supportatur secundum præceptum Domini : Audi nunc effectus earum : Prima quidem earum quæ continet manu, Fides vocatur : per hanc salvi fient electi Dei. Alia vero, quæ succincta est, et viriliter agit, abstinentia vocatur : hæc filia est fidei. Quisquis ergo secutus fuerit illam, felix fiet in vita sua, quoniam ab omnibus operibus malis abstinebit; credens quod si se continuerit ab omni concupiscentia, hæres erit vitæ æternæ. Cæteræ autem, inquam, domina, quinque, quæ sunt? Filiæ, inquit, invicem sunt. Vocatur autem quædam simplicitas, alia innocentia, alia modestia, alia disciplina, alia autem charitas. Cum ergo servaveris opera matris earum, omnia poteris custodire. Volebam scire, Domina, quam quæque earum habeat virtutem. Audi, inquit : Virtutes æquales habent; connexæ autem ad invicem sunt virtutes earum, et sequuntur se invicem sicut natæ sunt. Ex fide nascitur abstinentia; de abstinentia simplicitas; de simplicitate innocentia; de innocentia modestia; de modestia disciplina et charitas. Harum ergo opera sancta, et pudica, et recta sunt. Quicunque ergo servierit his, et voluerit tenere opera earum, in turri habebit habitaculum cum sanctis Dei.

Origen., *Comment. in Matth.*, tom. III. — In omnibus qui didicerunt verbum Dei, regnum cœlorum assimilatur virginibus decem. (*Matth.* xxv, 1, 2). Et si quidem in eis sunt qui recte et credunt, et vivunt, et ideo juste assimilantur quinque prudentibus : qui autem profitentur quidem fidem in Jesu, non autem præparant se bonis operibus ad salutem, reliquis quinque assimilantur virginibus fatuis. Non irrationabiliter dicimus sensus omnium qui didicerunt divina, quomodocunque verbum Domini receperunt, sive occasione, sive veritate, quod virgines sunt virginitatis per verbum Dei cui crediderunt, aut credere volunt. Tale est enim verbum Dei, ut de sua munditia accommodet omnibus qui per suam doctrinam recesserunt quidem ab idolorum cultura, vel cultura elementorum creationis Dei : accesserunt autem per Jesum Christum ad Dei culturam quamvis non fuerint subsecuta opera pietatis, neque ad beatitudinem præparaverint semetipsos. Sicut autem, secundum Verbum veritatis, sequuntur seipsas alterutrum virtutes quæ sunt substantia Christus, ita ut qui unam habuerit, omnes habeat; et qui unam minus habuerit, nec unam habeat. Christus enim a seipso irrecessibilis est : sic et sensus omnes alterutrum se subsequuntur; et ubicunque minus fuerit unus de sensibus secundum rectam Verbi doctrinam, ibi omnino et omnes sensus quasi fraudati a Verbo sapientiæ infatuantur.

Iterum quoniam verbum Dei causa est ut rectus fiat sensuum usus, et non est possibile eum, cum sit in sensibus, ut in quibusdam quidem sensibus operetur, et diligenter tribuat quæ prudentiæ suæ sunt, in aliis autem negligat; ideo si unum de sensibus fecerit sapientem, ut virgo constituatur, necesse est ut in aliis sensibus sapientiam suam effundat. Propterea non est videre de quinque sensibus in aliquo, quosdam quidem fatuos, quosdam autem prudentes; sed necesse est ut aut omnes quinque sint prudentes, aut omnes fatui : omnes isti sensus lampades suas accipiunt, id est organa sua naturalia, sive secundum verbum Dei, uti volentes, sive contra voluntatem Dei, tamen accipiunt eas quando recipiunt sponsum esse Ecclesiæ verbum Dei, et Filium Dei; et egrediuntur de mundo, et de erroribus deorum multorum, et veniunt in obviam Salvatori, qui semper paratus est venire ad virgines eas, ut simul ingrediantur cum dignis eorum ab beatam sponsam Ecclesiam.

S. Ephrem., *Ad novitium monach.*, t. I. — Dominus ad salutem hominum profectus in mundum, mandatum de invicem diligendo dedit nobis. (*Joan.* xiii, 15.) Charitatis autem opus est, etiam adhortari ac consolari invicem in timore Dei. Quoniam igitur a parvitate mea sermonem audire expetivit tua pietas, meipsum propter obedientiam, gratia Christi cooperante, obtuli ac tradidi. — Si quid ergo utile inveneris, menti tuæ inserito, ut te fructum ferente Domino, ego quoque consilii mercedem recipiam. A nobis autem qui inter fratres versamur, non requires verborum artificium quod non didicimus; neque ornatum dictionum quas

Digitized by Google

non novimus : verum quæ in simplicitate, sinceritate et charitate sine ullo verborum apparatu tibi sunt conscripta, cum charitate accipito, eaque apud teipsum augeto : quippe qui sis nobis magis idoneus : et quasi semina quædam atque occasiones a nobis capiens, in tuæ mentis latitudine plurimum fructificare facias. Et quæ modice ac tenuiter a nobis denuntiata sunt, efficaciter exhibe his qui tecum sunt, o studiosissime discendi, illosque ad observandas nostræ profundæ stultitiæ inscitiæque admonitiones hortare, qui neque sumus assueti in scribendo ad eloquentiæ ostentationem; neque in orationis arte exercitati. Cæterum, charitate nos commonente, ut tibi et omnibus qui tecum sunt, significemus; sicut jam pridem nos ipsos magno studio atque conatu, dum de virtute addiscere expeteret, tradidimus, divinæ gratiæ præsidio, verorum sermonum exercitiis; ita et tu cæteris studiose secundum gratiam tibi a Domino concessam inservies, ut ne amplius fratres in fraudem impellantur et seducantur.

S. Ephrem, *Ad novitium monach.*, t. I. — Dixit quidam sanctorum : Meditare bona, ut ne mediteris mala : siquidem mens non patitur otium. Demus igitur mentem nostram meditationi divinorum eloquiorum, orationibus bonisque cogitationibus. Nam meditatio vana vanitatis opera suscitat : at bona meditatio fructum bonum reddit. Revolvemus et hoc mente, quod multi tyranni regiones atque munitiones varias occuparunt, quorum jam fama exstincta jacet, et perierunt, quasi non fuissent. Quam multi reges imperium multarum habentes gentium, erexerunt sibi imagines atque columnas, arbitrantes per similia se nomen post exitum ex hoc sæculo comparaturos! Et supervenerunt alii qui, illorum eversis simulacris contritisque statuis, proprias imagines substituerunt. Verum et illorum quoque opera ab aliis evertentur. Alii porro præclara sibi exstruxerunt sepulcra, opinantes se his sibi nomen æternum firmaturos, sua in epitaphio insignia formamque describentes. Successit alia ætas; datus est alteri potestati dominatus et ager : hi vero tumulum expiare cum vellent, ossa eorum instar lapidem transtulerunt. Et quid iis adeo præclaræ ac sumptuosæ sepulturæ, pyramidesque profuerunt? Cuncta igitur vanitatis opera in nihilum desinunt.

Qui vero in Deo ditati, in ipso celebrari malunt, non sic : nam vitam sibi æternam gloriamque indissolubilem parant. Quemadmodum enim lumen solis, ac lunæ, choriique astrorum, ad hoc usque tempus non est obscuratum, neque inveteratum, a creatione eorum hucusque : et omnis quidem carnis generatio ac sanguinis, instar frumenti maturi, quod suo tempore metitur, contrahitur; lumen autem solis, ac lunæ, atque stellarum, eodem modo novum ac recens permanet, viget et enitescit juxta determinationem Creatoris, qua iis definivit, ut diei ac nocti præessent : sic et diligentibus ipsum constituit regnum cœlorum, gaudiumque sine fine duraturum. Et sicut in hoc verus, ita et in illo verissimus. Atque ista quidem præteribunt, quando voluerit Creator; gloriæ autem sanctorum non erit finis. Studeamus ergo fructus facere pœnitentiæ, ne a gaudio illo exclusi, emittamur in terram tenebrosam ac caliginosam, in terram tenebrarum æternarum. Ingredere, si videtur, in cubiculum tuum, et occlude ostium cum fenestris; oppila autem, et quæcunque pellucentia; et sede intus, aspicies quantum habeant dolorem tenebræ, ubi sine labore et tormento versaris, atque arbitratu tuo potes, cum volueris, aperire atque exire. Qualem igitur habere tibi dolorem videntur tenebræ illæ exteriores, ubi fletus ac stridor dentium! (*Matth.* VIII, 12.) Considera intus caminos tui ipsius foci, et attolle oculos versus ortum solis, ac cerne differentiam, tenebrarumque opera fuge. Vitium tenebræ, virtus vero lumen est. Vitium dum investigatur, suos denigrat operarios; at virtus dum exercetur, suos cultores illustrat.

Ne existimes, charissime, te solum præ cunctis hominibus affligi : nam omne caput in labore, et omne cor in mœrore. Et quemadmodum fieri nequit, ut aliquis super terram effugiat hunc aerem; ita impossibile est homini, quandiu in hoc sæculo est, tribulationibus atque molestiis non tentari. Et ii quidem, qui terrenis rebus distrahuntur, per hujusmodi quoque affligentur : qui vero spiritualia consectantes, in spiritualibus laborant, hi beati erunt : fructus enim ipsorum multus in Domino. Patientia perfecta tibi sit, in quo vocatus es opere. Firma anchoras ac funes, ne in pelagus paulatim navis tua impellatur; et tunc docebit te experientia, quali pace in portu constitutus fruereris. Mundus assimilatur pelago; portus vero est vita religiosa. Noli esse amator evagationis, sed potius per patientiam ex aliorum scandalis, dum peregrinantur, lucrum cape. Atque ut hoc quoque dicam, quando universum obierimus mundum, nonne tandem nos cella manebit, si salutem assequi voluerimus? Si porro in cœnobio non perseveramus, et dum soli sumus, non quiescimus : ubi igitur nostrum diversorium erit? Simile hoc illi est, qui dicit se neque solis calorem ferre posse, neque etiam umbram. Et ubi tandem consistemus? Vereor equidem, ne caminus ille nos excipiat. Quare caveamus nobis ab acedia, neve laboris tædium consectemur. Si vincti Salvatoris nostri Dei sumus, ne vincula tribulationum erubescamus, sed cum gaudio illa sustineamus, adventum ejus e cœlo exspectantes, ut nos choro sanctorum ascribat. Qui enim passionum ipsius socii fuerint, etiam consolationis participes erunt.

Si quis porro opus laboris ægre ferat; quot sunt secundum mundum manibus ac pedibus laborantes, homines divites, multisque stipati qui neque noctu, neque interdiu quiescunt, necessitate laborum oppressi, et velut catena quadam ac vinculo constricti. Possideamus igitur laborem vo-

Digitized by Google

luntarium, et patientiam spontaneam propter timorem Dei : et non negligamus tolerantiam, humilitatem, continentiam, compassionem : compassionem autem dico, non ut in malitia proximo consentias, verum ut fratri in rebus spiritualibus coopereris ad compunctionem excitandam ac lacrymas. Et si non appareat lacryma, contritio tamen cordis perseveret : nam et in lacrymis differentia reperitur. Beatus autem qui Dominum propriæ animæ suæ speculo contemplatur, effundens laudem ejus cum gemitu coram bonitate ipsius; quoniam exaudietur deprecatio ejus.

In medium tibi affero aliud depositum in Domino, tanquam homini Dei, et salvari cupienti. A refectione surgens, noli vagari per cellas, sed in tua cella quiesce : multos enim diabolus per vinum decipit. Quare post refectionem in alia cella versari, signum est audaciæ et perversitatis. Nam ex consessionibus hujusmodi proveniunt ruinæ animarum, et potissimum cessante præfecti baculo, nam qui divino nolunt timore suam refrenare mentem, humano terrore indigent, ut saltem per hunc ab inutilibus abstineant, quemadmodum servus temperate modesteque se gerit ob severitatem Domini. Attende igitur tibi ipsi, et negligere noli : nam si in vino sapiens et prudens tibi videaris, nec tibi nec aliis proderis. Si universam sacram edidicisti Scripturam, vide ne forte animo efferaris ; omnis quippe Scriptura divinitus inspirata humilitatem animi edocet. Qui autem contraria iis quæ didicit, sentit aut agit, prævaricatorem sese eo ipso constituit. Si spiritus superbiæ aut ambitionis divitiarumve te conturbet, ne abripiaris; quin potius strenue, maligni ac fraudulenti spiritus impugnatione, ex adverso resiste. Considera vetera ædificia, inveteratasque imagines, ac ærugine consumptas columnas; tecumque cogita atque aspice, ubi jam sint prædictorum possessores atque artifices; et stude placere Domino, ut regno cœlorum reddaris dignus : *Quia omnis caro ut fenum, et omnis gloria hominis tanquam flos feni.* (*Isa.* XL ; *I Petr.* I.) Quid majus honorificentiusve regno? Cujus appetitores, propter varios in eo casus atque infortunia, illud spreverunt et sibi ipsis insidias pararunt, mortem vitæ præferentes : quoniam Deum non exquisierunt, neque speraverunt in salutare ipsius. Qui autem cœlesti regno reperiuntur digni, nullo istorum tentabuntur, in pace atque exsultatione in cœlo cum angelis degentes; et citra dolorem, mœrorem, gemitumque, cum gaudio atque lætitia collaudantes, ac superexaltantes, magnificantesque Regem cœlorum, et Dominum universæ terræ. Cui convenit laus, gloria et magnificentia in sæcula sæculorum. Amen.

Idem, *De directione virtutis*, t. III. — Omnes habitus, omnesque partes Christianorum indigent directione virtutum, ut conatus, studiumque illorum sit in nulla re deficere : quemadmodum si de aratro sermo sit, nisi rectam viam teneat, inæquale opus invenitur; ita Christianus omnibus opus habet, ut curet in omnibus bonum opus efficere : vel quemadmodum si quis triginta passuum millia conficere debeat, ut ad urbem perveniat, ipse laxetur, ac socordiæ se dedat, extra remanet; ita si cui desint justitiæ perfectiones, veluti negligens judicatur. Omnia igitur bona opera procuranda sunt, ut Spiritus sanctus requiescens in fructibus bonis, inserat in regnum cœlorum. Verus temperantiæ cultor est, non ut solum corpus a scortatione custodiat, verum etiam unumquodque corporis membrum : exempli gratia, quando oculus, et lingua juxta proprium officium moderate se gerunt, ac juxta interiorem hominem, animæ cogitationes cum nequitiæ deliberationibus non conspirant.

Sicut inter venenosas feras magna differentia est, veluti aspis, scorpius, draco, singula lethale venenum possident, contra quæcunque corpora accedant; ita etiam discrimen ingens est inter homines propter malitiam, quæ unicuique propriam nequitiæ operationem definit, atque infundit in animam, quæ cum peccati fraudibus communicat, ac conspirati, velut vanam gloriam, vel iram, vel nequitiam, aut dolum, aut odium fraternum, aut pecuniæ amorem, aut scortationem. Simili ratione perit quis aut gulæ, aut fornicationis veneno. Sic videns oculus omnia pure, et sicut sunt, in vero judicio videt, sanusque stomachus omnes cibos jucunde accipere potest; sic etiam anima pura omnia inculpate ac sincere videt : quæ vero in inquinamentis permanet, neque bona conspicere potest ut bona, in omnibus offendens, oculum habens in tenebris peccati. Oratio ac jejunium, atque eleemosyna, abominationes apud Deum fiunt

LACTANT., *Divin. instit.* — Qui sic virtutes colunt, ut umbram et imagines virtutum consectentur, ea ipsa quæ vera sunt, tenere non possunt.

S. AMBROS., *sup. Lucam.* — Non virtus est non posse peccare, sed nolle, atque ita tenere perseverantiam voluntatis, ut voluntas infantiam, usus imitetur naturam.

S. CHRYSOST., *in Matthæum.* — Ethicam scripserunt gentium philosophi, in qua quasi membra quædam virtutum de corpore bonitatis truncata pinxerunt; sed membra viva esse non possunt sine corpore charitatis Dei.

S. HIERONYM., *Epist.* — Omnes virtutes sibi ita cohærent, ut qui una caruerit, omnibus careat; qui ergo unam habet, omnes habet.

S. BERNARD., serm. 85 *in Cant.*, vol. I. — Non sine causa Sapiens expugnatori præstulit urbium, virum qui animo dominatur. Multum hoc ad te : opus virtute habes, et non quacunque, sed qua induaris ex alto. Ipsa enim si perfecta sit facile facit animum victorem sui, et sic invictum reddit ad omnia. Est quippe vigor animi cedere nescius pro tuenda ratione. Aut si magis probas, vigor animi immobiliter stantis cum ratio-

Digitized by Google

ne, vel pro ratione. Vel sic : Vigor animi quod in se est, omnia ad rationem cogens vel dirigens.

Si quis indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter, et non improperat ; et dabitur ei. (*Jac.* I, 5.) Fidelis sermo. Ego vero haud secus de virtute senserim. Cognata virtus sapientiæ est. Donum Dei virtus est, deputanda in donis optimis, descendens et ipsa desursum a Patre Verbi. Et si quis existimet id per omnia, eam quod sapientiam esse, non inficior, sed in verbo, non in anima. Quæ enim in Verbo pro ejus singulari divinæ naturæ simplicitate unum sunt, unum tamen effectum in anima non habent, sed ad illius varias et diversas necessitates, veluti diversa, sese participanda accommodant. Juxta quam rationem perfecto aliud est animo virtute agi, et aliud sapientia regi : aliud dominari in virtute, aliud in suavitate deliciari. Licet namque et sapientia potens, et virtus suavis existat ; ut tamen proprias quibusque reddamus vocabulis significantias, vigor virtutem, sapientiam placiditas animi cum spirituali quadam suavitate demonstrat. Hanc puto ab Apostolo designatam, ubi post multa hortamenta pertinentia ad virtutem, adjecit quod sapientiæ est : *In suavitate, in Spiritu sancto.* (*I Cor.* VI, 6.) Igitur stare, resistere, vim vi repellere, quæ utique in partibus virtutis deputantur, honor quidem, sed labor est. Non est enim idipsum honorem tuum laboriose defendere, et quiete possidere. Non est idem virtute agi, et virtute frui. Quidquid virtus elaborat, sapientia fruitur : et quod sapientia ordinat, deliberat, moderatur, virtus exsequitur.

S. BERN., epist. 126. — Virtus in pace acquiritur, in pressura probatur, approbatur in victoria.

Idem, *serm.* 4 *de adventu Domini*, vol. I.— Videmus pauperes aliquos qui, si veram haberent paupertatem, non adeo pusillanimes invenirentur et tristes, utpote reges, et reges cœli. Sed hi sunt qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto ut nihil eis desit : et sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur. Sunt et alii mites, sed quandiu nihil dicitur, vel agitur nisi pro eorum arbitrio : patebit autem quam longe sint a vera mansuetudine, si levis oriatur occasio. Hæc mansuetudo quomodo hæreditabit, quæ ante hæreditatem deficit ? Alios quoque lugentes video ; sed si de corde procederent illæ lacrymæ, non tam facile illico solverentur in risum. Nunc autem cum abundantius otiosa verba et scurrilia profluant, quam prius lacrymæ : lacrymas hujusmodi de his esse non arbitror quibus consolatio divina promittitur, quandoquidem post illas tam facile consolatio vilis admittitur. Alii tam vehementer contra aliorum delicta zelantur, ut videri possent esurire et sitire justitiam, si esset apud eos de suis quoque peccatis idem judicium : sed nunc *pondus et pondus, utrumque abominatio est apud Deum.* (*Prov.* XX, 23.) Nam contra alios tam impudenter, quam inaniter æstuant ; seipsos tam insipienter, quam inutiliter palpant.

Sunt alii misericordes de his quæ ad ipsos non pertinent ; qui scandalizantur, si non datur omnibus abundanter, sic tamen, ut ipsi ne in modico quidem graventur : qui si misericordes essent, de suo facere deberent misericordiam ; si non possent de terrena substantia, de voluntate bona darent his qui forte contra eos peccare viderentur, indulgentiam ; darent dulce signum, verbum bonum, quod est super datum optimum, ut eorum mentes ad pœnitentiam provocarent. Denique et his, et omnibus quos in peccato esse cognoscerent, compassionem impenderent et orationem. Alioquin misericordia eorum nulla est, et misericordiam consequuntur nullam. Item sunt qui peccata sua sic confitentur, ut videri possent ex desiderio mundandi cordis id agere (omnia enim in confessione lavantur), nisi quod ea, quæ ipsi sponte dicunt aliis, patienter audire non possunt ; qui si vere mundari desiderarent, ut videntur, non irritarentur, sed haberent eis gratiam, qui suas illis maculas demonstrarent. Sunt et alii, qui si viderent quempiam vel leviter scandalizatum, valde solliciti sunt quomodo eum in pacem reducere possint ; et viderentur pacifici, nisi quod eorum commotio, si forte quidquam contra eos factum dictumve videbitur, tardius universis poterit difficiliusque sedari : qui nimirum, si vere pacem diligerent, haud dubium quin eam quærerent sibi ipsis.

Imitemur, quoad possumus, eum qui sic dilexit paupertatem, ut, quamvis in ejus manu essent fines terræ, tamen non habuit ubi caput reclinaret (*Luc.* IX, 58) ; ita ut discipulos adhærentes ei legamus fame compulsos spicas manibus confricasse, cum per sata transirent : quique tanquam ovis ad occisionem ductus est, et *sicut agnus coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum.* (*Isa.* LII, 7.) Quem et super Lazarum et super civitatem flevisse, et in orationibus pernoctasse legimus : risisse vero aut jocasse nusquam ; qui sic esurivit justitiam, ut, cum propria non haberet, tantam pro peccatis nostris a se ipso exegit satisfactionem. Unde in cruce nihil aliud quam justitiam sitiebat ; qui pro inimicis mori non dubitavit, et oravit pro crucifixoribus suis ; qui peccatum non fecit, et imposita sibi ab aliis patienter audivit ; qui pro reconciliandis sibi peccatoribus tanta sustinuit.

Idem, *in psal.* XC : *Qui habitat*, serm. 14, vol. I. — Considera an forte virtutes quatuor quatuor tentationibus opponere valeamus. Leo rugiet, quis non timebit ? Si quis ille fuerit, fortis erit. Sed frustrato leone, draco absconditur in arena, ut virulentis flatibus attrahat animam, insufflans ei quodammodo concupiscentiam terrenorum. Quis, putas, illius prætervitabit insidias ? Nemo utique nisi prudens. At forte dum ad ista descendere caves, urget quis molestia ; et ecce protinus aspis adest. Nam

Digitized by Google

opportunum tempus sibi invenisse videtur. Quis non exasperabitur ab aspide ista? Nempe vir temperans et modestus, qui sciat abundare, et penuriam pati. Puto ex hac occasione fascinare te volet male blandiens oculus nequam. Quis avertet faciem suam? Profecto justus, qui non modo non ipse sibi accipere gloriam quæ Dei est, sed ne ab alio quidem recipere velit oblatam. Si tamen ille sit justus, qui juste quod justum est exsequatur, qui justitiam suam non faciat coram hominibus, qui denique, etsi justus fuerit, caput non levet. Illæc enim virtus specialiter in humilitate consistit, hæc intentionem purgat, hæc quoque meritum omne eo veracius et efficacius obtinet, quo minus arrogat sibi.

Hug., de S. Vict. serm. 5.—Non est ad virtutem ulla talis exhortatio, qualis est peccatorum recordatio.

Virtutes cardinales.

[Ex SS. Patribus.]

Ambros., *in Luc.* vi. — Quatuor tantum beatitudines sanctus Lucas Dominicas posuit, octo vero sanctus Matthæus, sed in istis octo illæ quatuor sunt, et in quatuor istis illæ octo. Hic enim quatuor velut virtutes amplexus est cardinales, ille in illis octo mysticum numerum reseravit. Pro octava enim multi scribuntur psalmi, et mandatum accipis, octo illis partem dare fortasse benedictionibus. Sicut enim spei nostræ octava perfectio est, ita octava summa virtutum est. Et post multa: Nunc dicamus, quemadmodum in quatuor benedictionibus sanctus Lucas benedictiones octo sit complexus. Et quidem scimus virtutes esse quatuor cardinales: Temperantiam, justitiam, prudentiam, fortitudinem. Qui pauper est spiritu, avarus non est. Qui flet, non superbit, sed mitis est et pacatus. Qui luget, humiliatur. Qui justus est, non negat, quod sit omnibus ad usum communiter datum. Qui misereturi, largitur de suo. Qui suum donat, non quærit alienum, nec dolum proximo suo struit. Connexæ igitur sibi sunt concatenatæque virtutes, ut qui unam habet, plures habere videatur, et sanctis una competit virtus, sed ejus, quæ fuerit uberior, uberius est præmium. Quanta hospitalitas in Abraham, quanta humilitas, quanta sanctitas, ut fratris filium ab hoste servaret? et quanta abstinentia, ut nihil de præda quæreret? Sed quia fide præstitit, fidei præ cæteris meruit principatum. Ergo unicuique plura præmia, quia plura incentiva virtutum. Sed quod in aliquo merito copiosius, hoc etiam in præmio redundantius. *Beati igitur pauperes spiritu.* (*Matth.* v, 3.) Habes temperantiam, quæ a peccato abstinet, sæculum calcat, illecebrosa non quærit. *Beati, qui esuriunt et sitiunt.* (*Ibid.*, 6.) Qui enim esurit, esurienti compatitur, compatiendo largitur, largiendo fit justus, quia justitia ejus manet in æternum. Unde et in Matthæo sitim et famem intelligimus spiritalem, qua cibus justitiæ desideratur aut potus, quæ virtus quasi materia quædam virtutum est, ut justus æqualem se inferioribus præstet, dolum excludat, veritatem requirat. *Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis.* (*Luc.* vi, 21.) Habes prudentiam, cujus est flere occidua, et ea, quæ æterna sunt, quærere, lugere sæcularia, quæ seipsa compugnent, Deum pacis inquirere, qui stulta mundi elegit, ut confundat sapientes (*I Cor.* i, 27), et qui ea, quæ non sunt, destruat, ut, quæ sunt, possit adipisci. *Beati eritis, cum vos oderint homines.* (*Luc.* vi, 22.) Habes fortitudinem, sed eam, quæ non odium mereatur ex crimine, sed persecutionem patiatur ex fide. Sic enim ad passionis pervenitur coronam, si gratiam hominum negligas, divinam sequaris. Denique, ut scias consummationem esse fortitudinis passionem. *Secundum hæc*, inquit, *faciebant prophetis patres eorum* (*Ibid.*, 23), quia prophetas Judæi usque ad mortem corporis persecuti sunt. Est etiam fortitudinis, iram vincere, indignationemque cohibere, ac per hoc fortitudo animum juxta corpusque confirmat. Nec perturbari sinit timore aliquo vel dolore, quibus velut pravis interpretibus plerumque percellimur. Ergo temperantia cordis habet, animique munditiam, justitia misericordiam, pacem prudentia, mansuetudinem fortitudo.

Idem, l. iii *De virgin.* — In omni sapiente viro prudentes Græciæ esse memoraverunt λογιστικὸν, θυμικὸν, ἐπιθυμητικὸν, διαρατικὸν, Latini vero prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atque justitiam. Prudentia enim rationis humanæ est. Fortitudo vim quamdam ferocientis virtutis habet, mortisque contemptum. Temperantia sacratæ vinculo charitatis, mysteriorumque contemplatione cœlestium negligit corporis voluptates. Justitia in alto quodam suggestu locata videt exploratque omnia, quæ aliis potius nata quam sibi, non tam suas utilitates, quam publica emolumenta rimatur.

Idem, lib. i *Offic.*, c. 24. — Quod his viris (Abraham, Jacob, Joseph, David) principalium virtutum officium defuit? Quarum primo loco constituerunt prudentiam, quæ in veri investigatione versatur, et scientiæ plenioris infundit cupiditatem. Secundo justitiam, quæ suum cuique tribuit, alienum non vindicat, utilitatem propriam negligit, ut communem æquitatem custodiat. Tertio fortitudinem, quæ et in rebus bellicis excelsi animi magnitudine et domi eminet, corporisque præstat viribus. Quarto temperantiam, quæ modum ordinemque servat omnium, quæ vel agenda, vel dicenda arbitramur.

Idem, *ibid.*, c. 25. — Ab his quatuor virtutibus nascuntur officiorum genera.

Idem, l. ii *Offic.*, c. 9. — Est ergo individuum sapientiæ atque justitiæ contubernium, sed vulgi usu dividitur una quædam forma virtutum, ut temperantia sit in despiciendis voluptatibus, fortitudo spectetur in laboribus et periculis, prudentia in delectu bonorum, sciens commoda et adversa distinguere; justitia, quæ sit bona

Digitized by Google

custos juris alieni, et virtutes proprietatis, suum cuique conservans. Sit igitur nobis communis opinionis gratia, quadripartita hæc facta divisio.

S. Augustin., l. I *Retract.*, c. 7. — Codices veriores habent : *Sobrietatem enim et sapientiam docet, et justitiam et virtutem.* (*Sap.* VIII, 7.) His enim nominibus Latinus interpres quatuor illas virtutes, quæ maxime in ore philosophorum esse assolent, nominavit, sobrietatem appellans temperantiam, et prudentiæ imponens nomen sapientiam, fortitudinem vero virtutis vocabulo enuntians, solam justitiam suo nomine interpretatus est. Has autem quatuor virtutes in eodem libro Sapientiæ suis nominibus appellatas, sicut a Græcis vocantur, longe postea reperimus in codicibus Græcis.

Idem., l. I *De libero arbitrio*, c. 13. — Considera nunc, utrum tibi videatur esse prudentia appetendarum et vitandarum rerum scientia. Evod. Videtur. Aug. Quid fortitudo? Nonne illa est animæ affectio, qua omnia incommoda et damna rerum non in nostra potestate constitutarum contemnimus? Evod. Ita existimo. Aug. Porro temperantia est affectio coercens et cohibens appetitum ab iis rebus quæ turpiter appetuntur. An tu aliter putas? Evod. Imo ita, ut dicis, sentio. Aug. Jam justitiam, quid dicamus esse, nisi virtutem, qua sua cuique tribuuntur? Evod. Nulla mihi alia justitiæ notio est.

Idem, *Lib. de moribus Eccles. catholic.* c. 15. — Quod si vir us ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei. Namque illud, quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum utinam ita sit in mentibus vis, ut nomina in ore sunt omnium, sic etiam definire non dubitem, ut temperantia sit amor, integrum se præbens ei, quod amatur; fortitudo amor, facile tolerans omnia, propter quod amatur; justitia amor soli amato serviens, et propterea recte dominans; prudentia amor, ea quibus adjuvatur, ab eis, a quibus impeditur, sagaciter seligens; Sed hunc amorem non cujuslibet, sed Dei esse diximus, id est summi boni, summæ sapientiæ, summæque concordiæ. Quare definire etiam sic licet, ut temperantiam dicamus esse amorem, Deo sese integrum incorruptumque servantem; fortitudinem, amorem omnia propter Deum facile perferentem; justitiam, amorem Deo tantum servientem, et ob hoc bene imperantem cæteris, quæ homini subjecta sunt; prudentiam, amorem bene discernentem ea, quibus adjuvetur, in Deum, ab iis, quibus impediri potest.

S. Prosper., l. III *De vita contemplativa*, c. 18. — Videamus nunc, an vera sit philosophorum illa sententia, qua quatuor virtutes, velut quosdam virtutum omnium fontes, vitia quoque quatuor, velut quasdam origines omnium malorum definiunt. Principales quatuor esse virtutes, non solum philosophi sentiunt, sed etiam nostri consentiunt. Sed quare quatuor, vel quæ sint operæ singularum, hoc Domino illuminante debemus breviter demonstrare : Quaternarium numerum perfectioni sacratum, pene nullus ignorat. Siquidem totus orbis Oriente et Occidente, Aquilone et Meridie, quatuor determinari partibus sive angulis invenitur, et ipse Adam, qui est humani generis pater, vel generale nomen, quod dicitur homo, quatuor litteris explicatur. Corpus quoque quatuor elementis exstructum, quaternarii numeri in se continet sacramentum. Ipsius etiam animæ quatuor esse affectiones, quibus vel ad bona utimur, vel ad mala, et antiqui subtiliter invenerunt, et eorum inventa probantes posteri susceperunt. Sed et quatuor flumina, quæ de paradisi fonte procedunt (*Gen.* II, 10), vel quatuor Evangelia, divini currus rotæ quatuor et animalia (*Ezech.* I, 5), alæ eorum quatuor ac facies, dignitatem muneris hujus abunde commendant, et ideo virtutes istæ, quæ tantum continent perfectionis in numero, sollicite considerare debemus, quantam sanctitatem conferant animo Christiano, et quam nihil perfectius usquam sit, quod in istis virtutibus non sit. Nam si temperantia facit temperantem, prudentia prudentem, justitia justum, fortitudo fortem, eo qui temperanter, et juste, et prudenter agit ac fortiter, nescio quid possit esse perfectius. Itaque difficile quidem est nobis, nomina virtutum, quæ ex illis quatuor, quas principales diximus, oriuntur, ostendere; sed cum proprietates et actus earum cœperint aperiri, ex ipsis affectionibus singularum, quæ virtutes, ex quibus existant, forsitan apparebit. Verumtamen hoc in primis posse et tenere debemus, quod istæ quatuor virtutes, vel omnes, quæ ex illis existunt, dona sunt Dei, et quod nullus eas habet, habuit et habebit, nisi cui Deus, qui est omnium virtutum proprietas et origo, contulerit, quoniam quicunque, quocunque tempore, in quacunque gente in Deum credentes ex fide vixerunt, illius dono temperantes ac prudentes, justi ac fortes fieri utique potuerunt. Qui autem nescientes Deum, vel etiam blasphemantes, sine fide vixerunt, nihil earum virtutum a Deo accipere, vel habere potuisse credendi sunt.

S. Gregor. Mag., l. II *Moral. in Job* XXXVI. — De tranquillitate conscientiæ loquens : In quatuor vero angulis domus ista consistit, quia nimirum solidæ mentis nostræ ædificium, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia sustinet. In quatuor ergo angulis domus ista subsistit, quia in his quatuor virtutibus tota boni operis structura consurgit. Unde et quatuor paradisi flumina terram irrigant, quia, dum his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni desideriorum carnalium æstu temperatur. Sed nonnunquam, dum menti ignavia subrepit, prudentia frigescit; nam cum fessa torpet, ventura non providet. Nonnunquam dum nonnulla menti delectatio subrepit, temperantia nu-

Digitized by Google

tra marcessit. In quantum enim ad delectationem præsentium ducimur, in tantum minus ab illicitis temperamus. Nonnunquam se timor cordi insinuat, et vires nostræ fortitudinis turbat, et eo minores contra adversa existimus, quo quædam perdere immoderatius dilecta formidamus. Nonnunquam vero amor sui se menti ingerit, eamque latenti motu a rectitudine justitiæ divertit, et quo se totam auctori reddere negligit, eo in se justitiæ juri contradicit. Ventus ergo vehemens quatuor angulos domus concutit, dum fortis tentatio occultis motibus quatuor virtutes quatit, et quasi quassatis angulis domus obruitur, dum pulsatis virtutibus conscientia turbatur. Intra hos autem quatuor domus angulos filii convivantur, quia intra arcana mentis, quæ principaliter his quatuor virtutibus ad summæ rectitudinis culmen erigitur, virtutes cæteræ quasi quædam cordis soboles se invicem pascunt; donum quippe spiritus, quod in subjecta mente, ante alia prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam formal, eamdem mentem, ut contra singula quæque tentamenta erudiat, in septem mox virtutibus temperat, ut contra stultitiam, sapientiam, contra hebetudinem, intellectum, contra præcipitationem, consilium, contra timorem, fortitudinem, contra ignorantiam, scientiam, contra duritiam, pietatem, contra superbiam det timorem.

S. Bernard., in parvis sermonibus, serm. 35. — Ad consilium impiorum (dæmonis scilicet suggerentis, carnis sese oblectantis, et spiritus consentientis) itur quatuor modis. Quidam enim trahuntur inviti, alii attrahuntur illecti, alii seducuntur ignari, alii sequuntur spontanei. Istis necessariæ sunt quatuor virtutes, per quas armati resistant, ne in consilio eant. Invitis necessaria est fortitudo, qua resistant usque ad mortem minis, cruciatibus et damnis. Illi, qui attrahuntur illecti, indigent temperantia, quæ reprimit illicita desideria, nec cedit promissionibus, nec emollitur blanditiis. Illis, qui seducuntur ignari, est opus prudentia, quæ ab utilibus inutilia discernit, et docet quid tenendum, quidve rejiciendum sit. Justitia indigent illi, qui sequuntur spontanei. Justitia est rectitudo voluntatis, quæ nec amat peccare, nec peccato consentire. Justitia et fortitudo sedem habent voluntatem, quia voluntas justa debet esse et fortis. Est autem justitia ordinata hoc modo, scilicet mala respuens, bonis meliora præponens. Hanc non habuisse videtur Adam, qui malo consentiens, quod utile erat, deseruit. Prudentia et temperantia sedem habent in ratione, quia ratio prudens debet esse et temperata. Est quippe prudentia, ratio docta, scilicet a gratia, vitare contagia injustitiæ propter justitiam. Vitat quidem non solum injustitiam apertam, sed etiam illa, quæ sunt aliquo modo contra justitiam, attendens non quod licet, sed magis quod expedit, vitans divitias et quædam alia, non quia illicita, sed quia justitiæ solent esse impedimenta. Sed propter quosdam, qui ex hypocrisi hoc faciunt, additur, propter justitiam. Justitia est perfectio animæ rationalis. Aliæ virtutes sunt ad ejus acquisitionem vel conservationem, fortitudo, temperantia, prudentia, quæ justitiam conservant, ne amittatur aut minuatur. Postquam vero perfecta est justitia, et transit in affectum cordis, idem est, quod illa tria, quia fortis est, prudens, temperata.

Idem, serm. 22 *in Cant.* — Frustra hujus sæculi sapientes de quatuor virtutibus tam multa disputaverunt, quas tamen apprehendere omnino nequiverunt, cum illum nescierint, qui factus est nobis a Deo sapientia (*I Cor.* I, 30), docens prudentiam, et justitia, delicta donans, et sanctificatio, in exemplum temperantiæ continenter vivens, et redemptio, in exemplum patientiæ fortiter moriens. Forsitan dicit aliquis : Cætera bene conveniunt, sed sanctificatio ad temperantiam minus proprie referri videtur. Ad quod respondetur primum, id esse continentiam quod temperantiam. Deinde, usitatum in Scripturis, sanctificationem pro continentia seu munditia poni. Denique quid illæ apud Moysen tam crebræ sanctificationes aliud erant, quam quædam purificationes hominum temperantium se a cibo, a potu, a concubitu, hisque similibus? Sed audi ipsum præcipue Apostolum, quam familiare habeat vel uti, vel usurpare sanctificationem in hoc sensu : *Hæc est*, inquit, *voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut sciat unusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione, et non in passione desiderii.* (*I Thess.* IV, 3.) Item : *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.* (*Ibid.*, 7.) Liquet quod sanctificationem pro temperantia ponit. Educto itaque in lucem quod subobscurum videbatur, redeo ad id unde digressus eram. Quid vobis cum virtutibus, qui Dei virtutem Christum ignoratis? Ubinam, quæso, vera prudentia, nisi in Christi doctrina? Unde vera justitia, nisi de Christi misericordia? Ubi vera temperantia, nisi in Christi vita? Ubi vera fortitudo, nisi in Christi passione? Soli ergo qui ejus doctrina imbuti sunt, prudentes dicendi sunt; soli justi, qui de ejus misericordia veniam peccatorum consecuti sunt; soli temperantes, qui ejus vitam imitari student; soli fortes, qui ejus patientiæ documenta fortiter in adversis tenent. Incassum proinde quis laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas putat quam a Domino virtutum, cujus doctrina seminarium prudentiæ, cujus misericordia opus justitiæ, cujus vita speculum temperantiæ, cujus mors insigne est fortitudinis.

Vide verb. Prudentia, Justitia.

Virtutes theologicæ.

[Ex conciliis.]

Propositiones damnatæ ab Alexandro VII, 24 *Sept.* 1665. — Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

Propos. damnatæ sub Innocentio XI, *Decr.* 2 *Martii* 1679. — Fides non censetur cadere.

Digitized by Google

sub præceptum speciale et secundum se.

Propos. damnatæ sub Innocentio XI, Decr. 2 Mart. 1679. — Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.

Ibid. — Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.

Ibid.—An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

Ibid. — Sufficit illa mysteria semel credidisse.

Ibid. — Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare : præceptum charitatis erga Deum tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

Ibid. — Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum, consulo ; tacere, ut peccaminosum per se, non damno.

Propositiones damnatæ ab Alexandro VIII, decreto 24 Aug. 1690. — Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali ; formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative : hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis.

VISITATIO B. MARIÆ

[Ex SS. Patribus.]

S. Ambros., *in Luc.* — Continuendum est, quia superior venit ad inferiorem, ut inferior adjuvetur, Maria ad Elisabeth, Christus ad Joannem.

Idem, *ibid.*—Simul autem *ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exsultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu sancto* (*Luc.* I, 41.) Vide distinctionem, singulorumque verborum proprietatem : vocem prior Elisabeth audivit, sed Joannes priorgratiam sensit ; illa naturali ordine audivit, iste audivit ratione mysterii.

Idem, *ibid.*—Exsultavit infans, et repleta est mater : non prius repleta est mater quam filius, sed cum filius esset repletus, replevit et matrem.

Idem, *ibid.*—Venit propinqua ad proximam, junior ad seniorem. Nec solum venit, sed etiam prior salutavit : decet enim ut quanto castior virgo, tanto humilior sit.

Idem, *ibid.* — *Et unde hoc mihi !* hoc est, quo tantum bonum mihi accidit, *ut mater Domini mei veniat ad me?* (*Ibid.*, 43.) Miraculum sentio, cognosco mysterium : mater Domini, Verbo læta, Deo plena est.

Idem, *ibid.*—*Mansit autem Maria cum illa quasi tribus mensibus* (*Ibid.*, 56)... non enim familiaritatis causa est, quod diu mansit, sed etiam tanti vatis profectus.

Idem, *ibid.*—Quo venerat propter officia, inhabitat officiosa.

Idem, *ibid.* — Non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo ; sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina progaudio, in montana perrexit.

Idem, *ibid.* — Elisabeth non hoc sui meriti, sed muneris fatetur esse divini (nempe quod a Maria visitetur).

Idem, *ibid.* — Vide humilitatem ; qua Dei mater eligitur, nullam sibi prærogativam tanta gloria vindicavit.

Idem, *ibid.* — In montana perrexit : hoc est iter eorum qui Deo pleni sunt, ad superna cum festinatione ascendere, imo deserere terrestria et spernere, cœlestia ambire.

Idem, *ibid.* — Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.

S. Hieronym., *Epist. ad Lætam.* — Ad introitum Mariæ, exsultavit infans ; audiebat enim Verbum Domini per os Virginis personantis, et de utero matris in occursum ejus gestiebat erumpere

S. Chrysolog., serm. 97.— Merito Joannes in utero exsultat, qui originis suæ libertatem ante nosse, quam nasci meruit, sentire quam vivere.

Idem. — Nondum nascitur et saltibus loquitur ; nondum paritur, et properat (Joannes) præcurrere.

S. Ildephons., serm. 5, *de Assumpt. Virginis.* — Per iter devium, et abrupta montium veniens Maria, ut deferret amicis actualis vitæ laboriosum officium, Zacharia ingreditur domum.

S. Leo, serm. 4 *in Epiph.*— Nondum natus Joannes prophetica exsultatione commotus est, quasi etiam intra matris viscera jam exclamaret : *Ecce Agnus Dei.* (*Joan.* I, 29.)

S. Bernard., serm. *de Privil. Joannis Bapt.* — Illud certum est, quod non parum contulit puero nascituro intemeratæ Virginis consortium.

VITA

[Ex SS. Patribus.]

S. Clemens., *Recogn.*, lib. II, tom. I. — Si exiguum hoc vitæ tempus per inanes occupemus et inutiles quæstiones ; inanes sine dubio et vacui ab operibus bonis pergemus ad Deum ; ubi judicium operum nostrorum fiet. Unaquæque etenim res suum tempus habet et locum. Operum hic locus, hoc tempus est : meritorum sæculum futurum. Ne ergo impediamur, ordinem locorum ac temporum permutantes : primo quæ sit Dei justitia requiramus ; ut tanquam iter acturi abun-

Digitized by Google

danti viatico bonis operibus repleamur, quo possimus ad regnum Dei, tanquam ad urbem maximam pervenire. Deus enim his qui recte sentiunt, per ipsa opera mundi quæ fecit, manifestus est, ipsius creaturæ suæ utens testimonio; et ideo cum de Deo dubitatio esse non debeat, de sola nunc ejus justitia requiramus et regno. Quod si aliquid nobis de secretis et reconditis inquirendum suggerit mens nostra, antequam de operibus justitiæ requiramus, rationem reddere nobismetipsis debemus; quia si bene agentes salutem consequi meruerimus, tanquam casti et mundi euntes ad Deum, Spiritu sancto replebimur, et omnia quæ sunt secreta et occulta, sine ulla quæstionum cavillatione noscemus : quæ nunc, etiam si totum quis vitæ suæ tempus inquirendo consumat, non solum poterit invenire, sed et majoribus se erroribus inseret; quia non per viam prius justitiæ incedens, ad portum vitæ pervenire contendit.

Philo Jud., *Lib. de Joseph.* — Ne quid mentior, somnium est vita hominum. Nam sicut in somniorum visionibus videntes, non videmus; audientes, non audimus; gustantes aut tangentes, nec gustamus, nec tangimus; loquentes non loquimur, deambulantes non deambulamus, sed cum videamur uti motibus et habitibus, nullo prorsus utimur, mente inaniter sine ullis veris objectis pingente sibi simulacra rerum non existentium tanquam existentium : eodem modo etiam vigilantium imaginationes somniis sunt similimæ. Veniunt, abeunt, occurrunt, refugiunt; priusquam comprehendantur, avolant. Disquirat quisque apud se, et domi testimonium inveniet ut ipse, taceam, præsertim si quis est ætate provectior. Is fuit aliquando infans, mox puer, deinde adolescens, postea juvenis, postea vir, postremo senex, sed non simul omnia. Nonne infans puero cedit, puer pubenti, pubens adolescenti, adolescens juveni, juvenis viro, vir seni, senectus morti? Et fortasse singulæ ætates decedendo præmoriuntur, natura nos paulatim docente non timere mortem extremam omnium, quando priores facile tulimus, infantiæ, pueritiæ, pubertatis, adolescentiæ, juventutis, virilitatis, quæ omnes ætates ante senectutem evanuerunt.

Quid aliæ res corporis, nonne somnia sunt? Nonne pulchritudo momentanea pene prius marcescit quam floreat? Sanitas incerta infirmitatibus obnoxia? Robur morbis expugnabile per occasiones plurimas? Sensuum integritas humoribus vitiosis facile corrumpitur? Jam quanta sit in rebus externis obscuritas, quis nescit? Ingentes opes sæpe una dies abstulit. Multi honoratissimi antea, versis rerum vicibus, in contemptum venerunt cum ignominia. Imperia regum maxima brevi temporis momento subversa sunt. Ubi est illa Ptolemæorum familia, cujus splendor per singulos successores ad extremos terræ marisque terminos emicuit? Ubi sunt gentes civitatesque sui juris et liberæ? Rursum ubi subditorum servitutes? Nonne Persæ Parthis imperaverunt? Nunc subduntur eis versa rerum humanarum alia. Quidam fingunt sibi prolixas felicitates, at hæ sunt magnorum malorum initia. Itaque dum ad magnorum commodorum possessionem properant, graves miserias inveniunt; et e diverso malum exspectando, in bona fortuita incurrunt. Athletæ robore freti ac bona corporis habitudine, dum certam sibi pollicentur victoriam, vel exclusi sunt e certamine, vel victi ab adversariis. Alii ne secundam quidem palmam sperantes, primam coronam reportaverunt præmium. Quidam æstate solventes tempore opportunissimo, fecerunt naufragium; alii hibernis tempestatibus pene obruti, portum attigerunt incolumes.

Interea qui vigilant, quantum ad incertam perceptionem attinet, nihil a dormientibus differunt, seipsos fallendo, dum se putant rerum naturas certo perspicere, quamvis interturbantibus scientiam sensibus per spectaculorum, saporum, vaporumque illecebras, quibus inescatur animus, non sinitur recte inoffenseque per viam publicam progredi. Itaque, confusis celsis cum humilibus, magnis cum parvis, exoritur inæqualitas inducens caliginem atque vertiginem. Cum igitur tanta perturbatione obscuritateque vita referta sit, oportet dijudicare : hoc honestum, illud turpe; hoc bonum, malum illud; hoc justum, injustum illud, et cætera similiter. Hoc prudenter factum, illud fortiter, hoc pie, hoc sancte, hoc utiliter; et e diverso hoc factum inutiliter, hoc imprudenter, hoc timide, hoc impie, hoc profane, hoc noxie, hoc ambitiose. Item : hoc alienum est, ne concupiscas; hoc tuum, utere, non abutere. Affluunt opes? Impartire; nam divitiarum pulchritudo est non in crumenis, sed in egenorum auxilio. Pauca possides? Cave invideas divitibus. Pauperem invidum nemo miserebitur. Honoratus es? Cave insolentiam. Humilis conditionis es? Noli despondere animum. Succedunt tibi omnia ex sententia? Mutationem time. Offendis sæpius? Bene sperato, nam res humanæ mutantur in contrarium.

S. Ephrem., *Orat. in vanam vitam*, t. III. — Quotquot vitæ vanitatem, et perituras res reliquistis, contendite ne rursus cor vestrum ad ea convertatis. Divitiæ transeunt, et gloria perit, pulchritudo marcescit, et omnia commutantur, et tanquam fumus evanescunt, et tanquam umbra abeunt, et tanquam somnium delentur. Ideo dicebat Salomon : *Vanitas, vanitatum, omnia vanitas.* (*Eccle.* II, 1.) Ideo David psallebat dicens : *In imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur.* (*Psal.* XXXVIII, 7.) Vere enim frustra conturbantur, qui præsentis vitæ res diligunt. Vere frustra conturbantur, frustra jactantur, qui coacervant et cumulant quæ brevi tempore pereunt, quæ deportare secum nequeunt; sed omnia relinquentes, nudi sicut nati sumus, ad terribilem judicem proficiscimur. Et omnes thesauros quos collegimus derelinquentes, nudi, miserabiles, tristes, obscuri, contriti, abjecti, obtorto collo, timidi, trementes, demissa

Digitized by Google

facie, dolentes, in terram vultu converso, eumque cum ignominia abscondentes, sic proficiscimur, sic consistimus ad illud magnum, ad illud horribile tribunal, quod non personam, non munera accipit, quod nostram cogitationem excedit. Ubi angeli contremiscunt, ubi throni terribiles ponuntur, ubi libri rerum actarum leguntur, ubi fluvius ignis inexstinguibilis, ubi immitis vermis, ubi sine luce tenebræ, ubi frigidus tartarus, ubi stridulus fremitus, et dolor dentium; ubi irrequietæ lacrymæ, ubi querula suspiria, ubi inconsolabilis luctus, ubi non est risus, sed lamentatio, ubi non est vox sed tremor, ubi non est lætitia, sed suspiria; ubi deliciæ non sunt, sed judicium : terribile quidem auditu, terribile vero visu, omnem creaturam repente excitatam, in unum coactam, suppliciis affectam, rationemque reddentem verborum, atque operum, cogitationumque, quibus sive noctu sive interdiu deliquit.

Magnus pavor tunc, fratres, magnus tremor, magna necessitas quæ tunc imminet, qualis nunquam exstitit, neque futura est ante illam diem : quando angeli præcurrent, et tubæ resonabunt, cadent astra, et sol obscurabitur, cœli volventur, atque universus orbis concutietur. Potestates præcurrent, seraphim clamabunt, cherubim agitabuntur : quæ supra, quæque infra sunt, quæ in terra et quæ sub terra sunt, turbabuntur, atque quatientur. Monumenta aperientur, et corpora congregabuntur : judicia instruentur. Multus timor, inexplicabilis terror, inenarrabilis necessitas quæ tunc futura est. Ingens illa tempestas, ingens procella, gravis vicissitudo; incomprehensibilis tumultus, immanis ululatio.

Ubi erunt illa hora, qui supplicia non credunt, et tanquam immortales se gerunt? Ubi erunt qui dicunt : *Edamus et bibamus, cras enim moriemur?* (*Isa.* XXII, 13.) Ubi erunt qui dicunt : Da mihi hodie et accipe die crastino? Ubi sunt qui aiunt : Fruamur his quæ hic sunt, et de iisquæ ibi sunt posthac videbimus. Ubi sunt qui inquiunt : Benignus est Deus, et peccatores non punit? O quanta pœnitentia capientur qui hæc dicunt! Quam plangent, et non erit qui eorum misereatur! Quanta fundent suspiria, et nemo erit qui redimat! Quam se ipsos contundent, et dicent : Væ nobis, nos ipsos illusimus : edocebamur, et minime attendemus; admonebamur, et minime pendebamus! Nos obtestabantur, et non credebamus : scripta sacra audientes nos ipsos fallebamus. Justum judicium Dei : profecto jure meritoque punimur. Vere eorum quæ fecimus, fructum recipimus. Væ nobis quia propter pauxillam, atque impuram voluptatem discruciamur : per breve tempus inertiæ dediti, ad æternum ignem condemnati sumus! Ob gloriam inanem, atque inhumanam, a vera gloria excidimus. Ob breves delicias, paradisi deliciis orbati sumus. Propter pereuntes divitias, regni divitias amisimus. In hoc sæculo vano nos delectati sumus; sed in eo qui non fruiti sunt, nunc lætantur : qui jejuniis indulserunt, oblectantur; qui se puros servarunt, in cœlesti thalamo choreas ducunt; qui paululum plorarunt, in æternum exsultant; qui terrena despexerunt, cœlestia receperunt. Soli nos infelices suppliciis merito traditi sumus; et modo clamamus, et non est qui misereatur; ingemiscimus, et non est qui liberet.

Ne igitur etiam nos cum illis insipientibus ejusmodi voces in futuro sæculo effundamus, venite : anticipemus finem nostrum, prævertamus furem animarum nostrarum, curramus, dum tempus habemus. Ingemiscamus, pœnitentiam agamus, expergiscamus, obsecro, a somno socordiæ nostræ, ex onere negligentiæ extollamus manus ad eum qui potest salvos facere, dicamusque : Jesu Christe, *salva, perimus.* (*Matth.* VIII, 25.) Festinemus solum antequam sol occidat, antequam januaclaudatur : postquam janua clausa fuerit, nemo operatur; postquam conventus dissolutus fuerit, nemo negotiis operam dat; postquam spectaculum finem habuit, nemo coronatur, nemo certat, nemo pugnis contendit. Ideo, obsecro, curramus : cursu enim opus est, et cursu veloci, ut perveniamus, ne et nos pulsantes, audiamus : *Nescio vos* (*Matth.* XXV, 12) : celeriter pedem moveamus, erubescamus : quoties Dominum contempsimus, quoties beneficum irritavimus! Ipse miseretur, et nos aspernamur : ipse nutrit, defendit, præcavet, et nos in dies singulos ipsius mandata transgredientes, non confundimur. Erubescamus in posterum : tempus enim appropinquavit, et dies advenit, et oportet nos rationem reddere ei totius vitæ nostræ. Abstineamus deinceps ab immoderatis voluptatibus, a turpi risu, ne amare lugeamus. Desinamus tandem conviciis fratres afficere, injuriis persequi, odio prosequi. Desinamus pecunias congerere, delicate vivere, scortationibus indulgere. Demus operam precibus, obsecrationibus, jejuniis, pœnitentiis, et novæ vitæ commutatæ argumenta præbeamus.

Confiteamur, convertamur, fratres. Conversionis enim tempus : pœniteat nos, pœnitentiæ enim tempus est, et lacrymarum multarum. Demonstremus Deo pœnitentiam sollicitam, et judicii diem in mente habitam, peccatumque tandem nobis exsecratum, sententiam vero correctam. Laboremus, quæso, hic breviter, ne ibi longis suppliciis castigemur; breve certamen ineamus, ne subdamur pœnis æternis. Tempus prope est, at vero judicium longum, et finis propinquus. Timor multus, et nullus liberator. Quæret enim unusquisque tempus quod male perdidit, et minime inveniet. Væ negligenti, quia requiret aquæ guttam adustus, et minime reperiet. Væ ei qui non credit, quia in æternum punietur. Væ ei qui pœnitentiam non agit; quia ad severissimum judicem ibit. Væ ei qui non currit, quia immitibus angelis tradetur. Qui aurum perdit, invenit alium; qui tempus perdit, fratres mei, aliud pro illo non reperit. De reliquo, ne pareamus nostris corporibus, sed illa affligamus, quia, *Beati qui lugent, qui esuriunt et si-*

Digitized by Google

tiunt. (*Matth.* v, 6.) Etenim corpus lutum est, et veniet hora, diesque terribilis, et mala, et improvisa; et terra in terram ibit, et pulvis iterum pulvis fiet. Vigilemus, obsecro, itineri insistamus, ad sobrietatem redeamus. Veniet enim hora, et omnino veniet. Ne nos ipsos fallamus.

Jam vero genio indulgeamus, tandem aggeremus divitias quinquaginta annis, aut centum, et post hæc senectus, et post hæc quid? Impotentia, et post hanc terribilis illa hora, quæ ab omnibus exspectatur, et horretur, et negligitur. Magnum est videre animam separatam a corpore, magna hora necessitatis illius, quando vox occupabitur, quando lingua verbum clarum proferre non potest. Deinde vertimus oculos indesinenter huc, atque illuc, et adstantes nobis amicos, vel fratres non internoscimus. Et si forte cognoverimus, ipsos alloqui non possumus. Filios lamentantes ac lugentes videmus, atque hoc affecti dolore proficiscimur. In illa hora actionum sollicitudo non est, neque amicorum, neque ulla alia cura tenet nos, nisi nostrorum delictorum. Et quo pacto judicis in conspectum ibimus? Et quam defensionem afferemus? Et quam indulgentiam obtinebimus? Et qualis tandem locus nos recipiet? Tandem dum hæc cogitamus, repente imminent nobis angeli truces a Deo missi. Tunc nos illos aspicientes, adventumque eorum horrentes, si forte imparati inveniemur, quanta perturbatione capiemur, et a cubili fugere cupientes, vires deficient! Tunc aspicietnus ipsos oculis miserabilibus, et tristi vultu; orantes, deprecantes, supplicantes, obtestantes, clamantes: Miseremini nostri, angeli sancti, benigni; dicentes: Miseremini nostri: ne me sterilem et impurum ad Creatorem abducatis, ne me peccatorem a corpore separetis, ne, quæso, atque obtestor. Sinite me, ut parvo tempore pœnitentiam agam, suspirem, lugeam, misericordiæ operibus vacem, exoro, placamini, quoniam male meam vitam impendi atque consumpsi.

Hæc a nobis audientes, angeli respondent nobis: O misera anima, o anima vilis, omnes dies tuos negligenter duxisti, et modo pœnitentiam agere vis? O anima, denique sol occubuit, denique tuum tempus finitum est; excisio advenit, Deus jussit, infelix anima, te exire in portis æternis secundum opera tua. Non est tibi jam salus, sed æternum supplicium. Hæc audientes et vera credentes, non fabulosa, contendamus ante illud tempus bene esse parati; et quamvis in consuetudine, in peccatis simus, sed abscindamus illa pœnitentiis. Ne decipiamur, fratres; judicium est, atque æternum supplicium, et ignis inexstinguibilis, et vermis qui non moritur, et tenebræ exteriores, et tartarus, et stridor dentium, et ejulatus, sicut Dominus in Evangeliis horum omnium mentionem facit, et non mentitur: *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* (*Matth.* XXIV, 35.) Idcirco formidemus, atque horreamus, omnes qui in peccatis viximus, et curemus et cum angelis numeremur per pœnitentiam. Ne dicas mihi: Furatus sum, occidi, neque me suscipit Deus; scortatus sum, neque me audit Deus; nil tale dicas. Suscipit omnes, sicut latronem, sicut adulteram, sicut publicanum. Solum ne obdormiscamus, oro; ne simus negligentes pulsando per pœnitentiam, et dicendo: *Domine, aperi nobis, aperi nobis* (*Luc.* XIII, 25) indignis, vilibus, et peccatoribus propter nomen sanctum tuum. Ne claudas, te deprecamur, no orbes nos misericordia tua, regno tuo: tu enim es Deus nostri pauperum, et omni alia spe carentium; et tuum est regnum, et potestas, et gloria Patris, et Filii et Spiritus sancti, nunc et semper et in sæcula sæculorum, Amen.

S. EPHREM, *De recta vivendi ratione, capp.* 90. — 1. Rectam vivendi rationem expetis? Te in humilitate exerce, sine qua recta vitæ ratio consistere nequit.

2. Viator ab initio deflectens viæ, in peregrina regione errabundus divagatur. Et qui ab humilium declinat semita, in castris justorum suum non figet tabernaculum.

3. Omnia tua cum humilitate in nomine Salvatoris nostri Jesu Christi operare, et in hoc fructus tuus in cœlum extolletur. Superbia enim arbori excelsissimæ, sed putridæ, similis est, cujus undique facile confringuntur rami: in quam si quis ascenderit, celeriter in profundum corruet.

4. Initium desertionis hominis est recessus ab humilitate. Qui autem a Deo deseritur, ab improbo spiritu præfocabitur sicut Saul.

5. Gravem puta suffocationem, peccatorum premi consuetudine, neque ab eorum inundatione ad mortis usque horam emergere.

6. Si diligenter attenderis, inimici aqueos tanquam mellis dulcedine circumlitos deprehendes: ut si quis mollis gustare dulcedinem velit, laqueo capiatur.

7. Cave mel ejusmodi appetas, ne illius laqueo constringaris: dulcedo enim ejus ad extremum felle et amaritudine suos amatores replet.

8. Humilitatem dilige, et nunquam diaboli laqueis capieris: velocissimis enim alis semper sublevatus, sublimior eris, quam ut inimici retibus capi possis.

9. Si quem videris superbia elatum, aspectu luculento, habituque splendido, ac magna comitantium caterva stipatum, noli invidere aut turbari; verum mente atque cogitatione temperans esto, et paulo post exstinctum eum videbis. Soli enim florent atque resplendent, qui ad nutum et voluntatem Dei vitæ suæ rationem instituunt.

10. Qui ob pietatis virtutisque studium Domino grati sunt, nequaquam his quæ in hac vita sunt jucunda, attendunt, clare scientes illa, non secus quam flores agri, velociter exarere. Nos vero pigri ac desides, si quem corpulentum genibusque rubicundum adspexerimus, hunc judicamus beatum, quamvis in extrema is impietate versetur. Unde fit, ut procul a nobis laboriosam vitam

Digitized by Google

repellamus, ignorantes quantam in se dignitatem habeat ascetarum vita : quapropter etiam temperantiam ac sanctitatem aversamur detestamurque.

11. Ne puerilibus ludis attendamus, fratres, sed perfectam vitæ rationem amplectamur semper, ne ascetarum privati gaudio, æternis suppliciis deputemur.

12. Beatus qui spe bona plenus est, et bonis cogitationibus illuminatur. Ejus enim gloria magna erit et nunquam desinens.

13. Quiete atque silentio delectemur, ut ex inspectione nostrorum peccatorum semper humiliemur : non ut arrogantiæ et malitiæ cogitationes, tanquam pestiferas quasdam belluas foveamus.

14. Silentium et quietem diligamus, ut cor mundum possideamus, templumque nobis concreditum a peccatorum corruptione immaculatum purumque servemus.

15. Pulchra est oratio quæ cum gemitu et lacrymis tacite peragitur. Quæ enim cum clamore fit, ut audiatur ab aliis, humanæ laudis studium designat. Qui autem cum scientia et fide orat, Dominum in conspectu suo prospicit, nos scilicet in illo vivere et moveri et esse. (*Act.* XVII.)

16. Si cor obduratum habeas, plora coram Deo, ut cognitionis tibi lucem infundat ; illosque, qui in cordis fervore clamores in cœlum emittunt, cave ne irrideas.

17. Qui honestis occupatos laboribus irridet, diaboli servum se facit; scelestæque ejus voluntati obsequens, gaudium Domini quod servis præparatum est, non inveniet.

18. Tu autem, asceta, actiones tuas cum judicio semper exsequere, ne occasionem judicio semper exsequere, ne occasionem præbeamus quærentibus occasionem.

19. Væ homini immisericordi, væ doloso, et væ deliciis dedito : quoniam acerba eos inferni manent tormenta. Ventris enim cum seipsos servos exhibeant, Deum aspernantur, ut principatus ac dignitates in vana vita consequantur. Verum enim mors repente superveniens, eorum guttur exsiccat, quo assidue lautas epulas excipiebant : principatum destruit, quo ipsi suum Creatorem spernebant : denique infelicium cadavera, velut stercora, in terram projiciuntur, animæ vero ad loca propria abducuntur.

20. Cum ea quæ sensui jucunda sunt in vita conspicis, vide ne capiaris iisdem : nam in illis laqueus mortis latitat. Neque enim nudum piscator hamum in aquam demittit.

21. Concupiscentiæ retia, velut escam in hamo, tendit adversarius, ut animas omnes sibi obnoxias reddat improbas.

22. Quæ primum capta fuerit anima, ad alias decipiendas fit quasi laqueus, ut voluntati inimici obsequantur ; inescatque animas illas, quæ nondum draconis acerbitatem sunt expertæ. Nam et perdix comprehensa pro esca illis proponitur, quæ nondum laqueo captæ sunt. Circa illam enim auceps laqueos figit, ut reliquas circumvolitantes capiat.

23. Ab excolenda virtute non te deterreat labor : absque labore enim virtus cognosci non potest.

24. Inter labores sursum animi aspectum attolle, contemplansque gaudia illa, nullos recusabis labores.

25. Honestos labores laboriose ac studiose suscipito, ut labores inanium laborum effugias. Justorum enim labores fructum vitæ proferunt. At labores peccatorum, laqueis et ærumnis pleni sunt.

26. Secundum Deum, tribulationes atque angustias vitæ præsentis patienter sustineto, et nequaquam sanctorum spe frustraberis. Jugum enim inimici mortiferam in se tristitiam continet.

27. Qui vanam vitam sequuntur, bene sapienterque operantes supplantare studeat, ne illorum ipsi præsentia coarguantur. Eorum autem ruina, pietatis athletas coronam promereri ostendit.

28. Humilitatem cole, ne fructu honestorum tuorum laborum destruaris : hac enim rejecta, inter eos qui in vanum laborant, ipse quoque refeceris.

29. Rectene vis animum instituere? Teipsum prudenter contra voluptatum cogitationes undique munias, ne ab iis absorbearis naufragiumque patiaris in portu.

30. Vis portum securum tenere? Firma tibi præsidia compara, ne voluptatum libidinumque procellis ac fluctibus facile obruaris, et pro portu ipse tibi naufragium fias.

31. Noli anchoram alligare anchoræ, ne, si quid adhuc leve in te sit reliquum, facile a passionibus cupiditatibusque detraharis. Nam qui extrahere cupit illum qui in fossam incidit, virili animo apprehendere debet, ne eodem in gurgite ab illius anchora ipse quoque demergatur. Mali enim sermones, ubi locum repererint, quasi uncis quibusdam animam figunt attrahuntque.

32. Pravorum commercia semper fugito, et in maxima tranquillitate erit animus tuus.

33. Risui atque ludibrio fit monachus qui in prudentia atque intelligentia spiritali cunctas suas actiones non dirigit. Sinceros enim et sapientes nos omnes esse ratio postulat.

34. Nisi ardore sancti Spiritus valde inflammatus fueris, ab aliorum cogitationibus audiendis abstineto. Duplici enim ab iis bello impugnaberis, ac primum quidem quod eorum quæ audiuntur recordatione, anima luxu diffluere atque lascivire incipiat : tum etiam quod rebellio paretur animæ ab iis qui se illi subjecerant, nisi ea per virtutem crucifixi strenue vitiis obstiterit. Cum enim quis per negligentiam in eadem peccata reciderit, tunc eum quem correctorem sibi delegerat, ut hostem intuetur. Ille autem si prudens sit, cunctos errores illius qui sibi subjectus est, oblivioni tradit.

35. Quemadmodum si quis columbam domi foveat, eademque fenestram apertam reperiat, et ex domo avolet, non virga vel lapide illam revocare conatur, sed sparsis leguminum granis prudenter studet allicere atque recipere : sic quoque multa indiget

Digitized by Google

prudentia atque experientia qui cogitationum maculas purgare cupit.

36. Si lectioni incumbas, cave, ea quæ ad fastum et elegantiam tantum pertinent sermonis, persequaris, et eousque duntaxat tuum extendatur studium, ne arrogantiæ spiritus cor tuum feriat : verum instar sapientis apis mel ex floribus colligentis, fructum ex iis quæ legis, pro animi medela desumito.

37. Quemadmodum si pauper quispiam inanis gloriæ cupidus, regis sibi nomen usurpet, ob id tamen non est rex ; sic quoque monachus occulte comedens, et ad mensam fratrum abstinentiam ac temperantiam simulans, non est asceta, sed araneæ potius telam se texere ostendit ; non enim per rectam viam ambulat sanctorum, sed illorum qui humanas laudes affectant.

38. Si mundo renuntiasti, munere tuo fungere, ut desideratam margaritam consequaris. Quidam enim post mundi renuntiationem e sæculi vita recesserunt, alii quidem militia relicta, alii vero divitiis distributis : ad extremum vero propria voluntate ducti ceciderunt; cum nihil sit infelicius quam a propria superari voluntate, et non ex divinæ voluntatis præscripto vitæ suæ rationes dirigere. Atque bi cum se putent quam longissime ab hujus vitæ rebus abscessisse, in ipso adhuc vestibulo hærent.

39. Quemadmodum filii Israel cum e fornace ferrea liberati, incolumes mare Rubrum transissent, donisque ejusmodi ac commodis perfruerentur, in continenti naufragium passi sunt, quod propriæ voluntatis imperio nimium se subderent ; adeo ut ex tanta eorum multitudine duo duntaxat salvati fuerint, qui divina oracula nequaquam spreverant, sed Altissimi consilium ac voluntatem pie sancteque observarant.

40. Qui mundo renuntiarunt, nihil amplius cum mundo habent commune : atque hi sive primo loco constituantur, cum non sint principes, sive in posterum locum detrudantur, iidem semper sunt animo. Qui autem a recta pietatis sapientia se avelli sinunt, facile ad mundi voluptates declinant, neque deinceps virtutis causa certamen ullum suscipiunt, sed abjecto jugo, diligentius reficiunt quæ olim honeste dissolverant. Haud secus quam si virgo aliqua castissima, quæ sensus suos in thalamo atque conclave suo diligenter curare solebat, deposita verecundia corrumpatur, impudenterque nec Deum, nec homines verita, quodcunque flagitium committat. Sed ob id nequaquam talis effugiet manus Dei : dies enim supremus cujusque opus ostendet, quoniam in igne probabitur.

41. Beatus qui virtutem operibus prædicat ; verbis enim proprietates virtutis enarrare, et factis contraria agere, ad salutem non proficit. Quemadmodum nec qui de temperantia disserit, et interim turpia peragit, præmia ulla consequetur.

42. Cave animo perturberis, dum homines voluptatibus deditos cernis absque ullo timore quæ sensibus placent perficere : flos enim eorum plane fœtet. Illorum autem qui virtutes colunt, studia in luce resplendent, suavissimisque odoribus fragrant. Quapropter virtutum studiis insiste, ut et apud illos qui fluxas atque fugaces voluptates sequuntur, in admiratione sis. Licet enim manifeste id declarare nolint, secum tamen tacite virtutum cultores beatos prædicant.

43. Quando videris hominum corpora studiose compta atque ornata ad turpem amorem excitandum, cave ea admireris, neque pellis paulo post in cinerem dissolvendæ color te decipiat ; sed tecum ipse ingemiscendo, psalle : *Memento, Domine, quoniam pulvis sumus : homo sicut fenum dies ejus : tanquam flos agri sic efflorebit. Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet, et non cognoscet amplius locum suum. Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum.* (*Psal.* CIII.) Quæ si præstiteris, divina adjuvante gratia, ab hoste maligno nequaquam capieris.

44. Dominum ardenter invoca, ut perfectæ tibi continentiæ spiritum tribuat, quo in nocturnis etiam phantasmatibus hostiles maligni incursiones effugere possis : velut si quis se a fera oppugnari conspiciat, aut ab aliquo ardenti petatur face, et ex una in aliam domum inde confugiat, ne comburatur ab igne.

45. Quemadmodum absque labore ac studio non licet, etiam mediante pecunia, litteras vel artem aliquam adipisci ; sic neque monachus citra diligentiam ac patientiam fieri poterit.

46. Quemadmodum inter omnia corporis tui membra nullum tibi præstantius est capite ; et sive lapide, sive clava, sive etiam gladio petaris, reliqua corporis membra objicis, ut ictum a capite repellas, certo sciens te absque illo non posse vivere : ita rebus tibi anteponenda est omnibus fides sanctæ et consubstantialis Trinitatis, quod sine ea vitam, quæ vere vita sit, vivere nemo queat.

47. Ex toto corde tuo spem tuam in Domino defixam habe, et facile astutorum insidias evitabis : neque enim servos suos unquam despiciet Dominus.

48. Dei amantissimum Joseph decipere gestiebat Ægyptia, magnoque impetu ad suum perversum scopum contendebat (*Gen.* XXXIX.) Cæterum adolescens ille mentem suam velut rore quodam recordationis Dei perfundebat, ne impii amoris igne ureretur. Sensus autem suos muniebat, ne alienis cogitationibus ullum locum præberet, et in laqueos impudicæ mulieris conjiceretur: illam enim semper ut mortis laqueum intuebatur. Ideoque, tentatione illa superata, corona donatus est, et rex Ægypti factus.

49. Statuerunt homines impii in Babylone adversus sanctam animam insurgere, ut fœde eam contaminarent. Verum illa cum Deum altissimum sibi haberet adjutorem, eos facillime prostravit. Cumque in suo consilio sententiam mortis in eam decrevissent, ea ipsa re imprudentes in mortis senten-

Digitized by Google

tiam inciderunt : nec intelligebant stulti, se ob idipsum morte esse damnandos. Non enim potest oculus Dei semper vigilans illudi ac decipi.

50. Incedamus, fratres, per angustam et strictam viam ; ut cum honore ac laude Deum custodem habeamus.

51. Margaritæ semper in intimis conservantur locis : at quisquiliæ, et alia quæque vilia, velut stercora, in plateas projiciuntur.

52. Si quis in te maledicta conjiciens, scelera abs te commissa exprobraverit, te ipsum potius, quam alterum argues. Tuis enim te factis dedecorasti, ea committens quæ ab alio tibi objici non toleras. Noli ergo, per minas et iracundiam, silentium illi imponere ; sed te ipsum, non patrando amplius mala, emenda. Operum enim tuorum fœtor te animæ tuæ insidiatorem ac proditorem esse, manifeste designat.

53. Te ipsum per pœnitentiam a sceleribus impiisque operibus purga, et nulla te maledici vituperatio perterrefaciet.

54. Resiste peccato, o vitæ sempiterne cultor, et tentationis impetum ne timueris ; nulla enim tentatio strenuum athletam offendet.

55. Decet nos itaque divinum ignem flammæ libidinum opponere. Quemadmodum lateres adhuc crudi, fragiles sunt et imbecilles : ubi autem igne concocti fuerint, igni simul et aquæ resistunt, et sicut in vase fictili aqua, ita in fornace flamma accensa continetur ; fornax vero ex lateribus emicat.

56. In tentationibus et tribulationibus tu quoque validum ac strenuum te præbe, voluptatumque ardoribus resiste ; ne crudi lateris instar, pluviæ guttis dissolvaris, et quam habere videris soliditatem dependas.

57. Non quæ tibi videris bona agere, recte facta putes ; sed illa quæ ab hominibus piis comprobantur.

58. Ausculta vocem Domini, ut te adjuvet, ac manus suas in affligentes te immittat, humilietque inimicos tuos, ne, si auscultare neglexeris, audias illud : *Dimisit eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* (*Psal.* LXXX, 13.)

59. Contende ne propriæ te voluntati servum facias ; sed timentibus Dominum morem gerito, et divina adjuvante misericordia, caput draconis conteres. Donec autem propriæ voluntati obsecutus fueris, a perfectione te abesse scito quam longissime, et quantum abes a perfectione, tantum doctrina et disciplina indiges.

60. Tribulationem atque afflictionem in Domino sustine, ut gaudio et lætitia perfruaris. Labores perfer, ut mercedis fructum referas. Lapicida incidendis lapidibus, et faber ferrarius tundendo producendoque ferro, mercedem percipient.

61. Qui fugit bellum non accipiet spolia ; et qui recusat disciplinam, inter prudentes non connumerabitur.

62. Quæ sursum sunt contemplare ; et terrena quæcunque ut humana atque abjecta despicies. Quod si ab alto descenderis, quamcunque etiam domunculam dealbatam admiraberis.

63. O tu qui pietatem colis, prudentiam exerce quæ te quasi vehiculum gestabit, et ex mentis offendiculis eripiet conservabitque. Non enim sinet sui studiosos atque amantes quidquam ad subversionem audientium dicere, aut facere.

64. Odor prudentiæ in viro est se ipsum semper accusare ; se ipsum autem accusantis est, alterum in eosdem errores incidentem non judicare.

65. Ex duobus servis delinquentibus, qui idem ob crimen carcerum custodia detinentur, ingratitudinis damnatur ille, qui in conservum suum se contumeliosum exhibuit.

66. Illum qui in tentationem incidit, irridendo cave contemnas ; sed assidue Deum ora, ne te inducat in tentationem. Cujus enim animus cogitationum turbine atque procella obscuratus est, et a superstitionibus superatus, is nec homines veretur, nec Deum timet. Et siquidem potens est ac dives, intrepide mala committit. Sin imbecillis ac pauper, morum perversitate fretus, imprudenter in scelera atque flagitia fertur.

67. Cave voluptatum studiosus sis, et contemptor ; sed sacrum Psalmistam clamantem audi : *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus. Sicut deficit fumus, deficiant. Sicut liquescit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei, et justi exsultent.* (*Psal.* LXVII, 2 4.)

68. In cellula quam tibi, o monache, delegisti, in cordis humilitate Deum assidue ora, sicut tres illi pueri in camino ignis (*Dan.* III) ; et ne te speluncam latronum facias, illicita atque scelesta committens, ut non confundaris in die judicii, quando revelabuntur occulta hominum.

69. Qui messis tempore ignavus est, non abundabit domus ejus ; et qui nunc contemnit, laboresque negligit, in tempore retributionis consolatione justorum destituetur.

70. Tempus nobis adveniet, fratres, timore ac tremore plenum, cum ea quæ in occulto atque obscuro gessimus manifesta fient. Væ autem animæ illi quæ Deum sibi adjutorem non habuerit.

71. Adeste, fratres Christo dilecti, de fine et consummatione cujusque nostrum cogitemus, quo pacto in vanitatibus vitam hanc nostram transegerimus. Stultus enim est, qui inter stultos versatur, et in rebus vanis suam vitam transigit. Beati autem qui, quandiu in hac vita sunt, pulchram negotiationem obeunt.

72. Quemadmodum dives secundo vento navigans, in strato desidet, superbo intuitu oblectamenta capiens : adstant coqui, qui cibos ei præparent ; sequitur satellitum militumque turba. Ex inopinato autem suboritur tempestas quæ mare turbat, et navem confringit, ipseque solus a fluctibus et undis

Digitized by Google

in insulas desertas ferisque plenas abripitur, ubi vociferatur et ploral, nec est qui exaudiat : verberat faciem, toto exagitatur corpore, et in horas mortem exspectat. Qui paulo ante insolens ac superbus erat, fame atque timore tabescit, et siti perit, nullusque adest qui ipsum consoletur. Idem nobis quoque negligentibus in terra contingit. Dum enim in vana hac vita deliciis ac voluptatibus indulgemus, repente nos ignavos mors invadit, et in loca horrore plena abripit atque detrudit, ubi cuncti cruciabuntur peccatores qui semper Dominum suum contempserunt.

73. Perpendamus dum in tuto sumus, in quo timore versetur is qui a fluctibus in desertos conjicitur fines, nec habet a quo solatium accipiat. Hinc quoque cogitemus, in quanto erit metu peccator, in suppliciorum locum conjectus.

74. Cor meum suspirat, oculique mei lacrymas desiderant; sed peccatum mentem meam captivam detinet, ne cum cordis compunctione deprecer Dominum cum amaris lacrymis ne me projiciat in tenebras exteriores.

75. Qui e manu Pharaonis et ex camino ferreo populum tuum liberasti, eumque per mare Rubrum eduxisti salvum, nos quoque ab iniquitatibus nostris libera, ut in conspectu tuo gratiam inveniamus, quando judicaturus es vivos et mortuos.

76. Donec vires nobis suppetunt, Domino in rectitudine cordis serviamus : ut in tempore tribulationis nos adjuvet, et ex ingentibus periculis liberet.

77. Qui tibi in cordis puritate serviunt, eos incomparabilis ornat gloria : nullus enim sanctorum gloriæ invenitur finis.

78. Divino jussu Jonam prophetam cetus deglutivit, ac veluti in quodam specu illum in ventre suo servavit. Caput ejus ad montium scissuras descendit, et extrema abyssus illum vallavit; in terram descendit, cujus vectes æterni eum constrinxerunt; ibique orans, clamabat dicens : Resurgant e corruptione vota mea, Domine, Deus meus. Oratio ejus profundum divisit, aerem scidit, in cœlum ascendit, et in aures Domini introivit. Aut potius ipse qui universa replet Dominus, a vero servo suo non longe abfuit.

79. Mandavit Dominus ceto, et prophetam evomuit, qui quasi e navi descendens ad prædicationem se convertit.

80. Dentibus adversus justos stridentpeccatores. Ingruunt tentationes, coronantur sancti, impii autem qui mala in sanctos Dei cogitabant, confunduntur.

81. Elias Thesbytes persecutionem olim ab improba passus est femina. (*III Reg.* XVII, 18.) Sed corvi ministerio prophetam pascebat Dominus; peccatores vero gravissima fames invasit.

82. In curru sublatus est igneo Elias propheta. Impia autem Jezabel e fastigio domus suæ præceps deturbata est, et in plateis civitatis devorata. (*IV Reg.* II.)

83. Jeremiam prophetam quod pios ejus sufferre nequirent sermones, in cœni lacum conjecerunt impii. (*Jer.* XXXVII, 38.) Quorum temeritate audita Abimelech, corpore quidem Æthiops ac niger, sed animo candidus et fide coruscans, iniquitatem regis coarguit, acceptaque potestate prophetam eduxit, et benedictionem obtinuit.

84. Insurrexerunt hostes in eos qui semper prophetas Dei oppugnabant, datusque est populus Hebræorum in hostium manus. Viderunt inimici prophetam Dei, et vincula e pedibus ejus solverunt, ac munera obtulerunt, magna enim illum pietate conspicuum aspexerunt; nam sicut qui lucernam defert, præsentibus lumen præbet, ita et virtus semper gloriæ splendorem secum defert.

85. Danielem prophetam in lacum leonum propter ejus pietatem conjecerunt impii, ut ab illis devoraretur (*Dan.* VI), ignorantibus sceleratis, se in propriam id machinari confusionem. Deus autem per manum Habacuc et per sanctum angelum, fideli servo suo misit prandium. (*Dan.* XIV.) Immanes autem feræ in medio sui videntes prophetam, inclinantes se adorabant illum. Virtus enim cœlestis ora leonum obturaverat, ne virum justum læderent.

86. Propheta e medio ferarum educto, reprehensione se dignos cognoverunt homines illi impii, cernentes eum, tanquam sponsum e thalamo, facie splendida gloriaque illustri progredientem.

87. Merito dubitabant Babylonii utrum ex morbo aliquo immanes feræ non attigissent hominum corpora. Ad sextum quippe diem in medio septem leonum electus Dei fuerat, nec ulla in eo inventa est corruptio. Venit autem rex die septimo, ut lugeret justum : et inclinans se in lacum, aspexit illum inter leones sedentem, velut pastorem in medio suarum oviurn. Qua de causa merito de ejus salute infideles illi dubitabant.Cum autem in lacum leonum missi sunt, qui perditionis justi causa fuerunt, membratim discerpti sunt, illorumque ossa comminuta. Unde præ admiratione vehementer exclamarunt : Magnus es, Domine, Deus Danielis.

88. Tres pueri de domo Azariæ, quod imaginem auream non adorassent, fortiter ligati, missi sunt in fornacem ignis ardentis, quorum tamen ne capillum quidem ausus est absumere ignis, at contra erumpens flamma eos qui ipsam incenderant combussit.

89. Hæc igitur considerantes, fratres dilectissimi, solliciti simus ne tentationum tempore inveniamur reprobi, nam propter tolerantiam tentationum, semper magnificantur amici Dei.

90. Donec vires nobis suppetunt, Domino in timore et recto corde, bonoque proposito serviamus, et tentationis tempore infirmitatem nostram adjuvet, nosque coronis ornatos exhibeat, et in suum regnum introducat. Amen.

S. Ephrem, t. III. — Nescitis, fratres mei, qualem timorem et necessitatem sustinere

Digitized by Google

debemus in hora exitus nostri ex hac vita, quando anima a corpore separatur. Magnus timor, ac magnum mysterium ibi consummatur. Aderunt enim in ipsa angeli boni, et multitudo cœlestis exercitus, et omnes adversariæ potestates, et principes tenebrarum, utrique cupidi sumendi animam, ac constituendi ibi locum. Si igitur anima ex hoc tempore possedit virtutes bonas, vixitque vitam honestam, ac virtute prædita fuit, die exitus sui, ipsæ virtutes quas possedit in hoc statu, fiunt angeli boni, eamque circumdant, neque sinunt illam ex contrariis potestatibus ipsam tangere ; sed cum gaudio atque exsultatione cum angelis sanctis illam suscipiunt, cantantes hymnos victoriæ Deo, illamque offerunt Christo Domino, et Regi gloriæ ; eumque adorant cum ipsa, universoque cœlesti exercitu ; et ducitur deinde ad locum quietis, ad inexplicabile gaudium, ad lumen æternum, ubi non est dolor, neque gemitus, neque lacrymæ, neque sollicitudo, sed vita immortalis, atque æterna lætitia cum omnibus aliis qui Domino placuerunt in regno cœlorum.

Si vero in hac vita turpiter vixit, versata in passionibus ignominiæ, voluptatibus carnis abstracta, et mundi hujus vanitate, in die exitus ejus ex hac vita, ipsæ affectiones et voluptates, quas habuit in vita hac, fiunt dæmones mali, et circumdant animam miseram, nec sinunt ut angeli Dei accedant, sed assumunt eam, cum contrariis potestatibus, dominis tenebrarum, et abducunt ipsam misere lugentem, demisso vultu incedentem, ac lamentantem, in loca tenebrosa, et obscura, et infesta, ubi peccatores omnes servantur in diem judicii, suppliciique æterni, quo diabolus ejectus est cum angelis ipsius. Oportet igitur nos ex hoc tempore omnem curam ac sollicitudinem habere de exitu nostro, et præparare virtutes quæ debent nobiscum ex hac vita proficisci, ac nos suscipere in hora necessitatis.

Quæ autem sunt virtutes quas diximus angelos fieri, et obsistere dæmonibus, hoc est, passionibus nostris? Hæ sunt dilectio, humilitas, longanimitas, continentia, patientia, discretio, subjectio, tranquillitas, fortitudo, justitia, atque his similia. Hæ virtutes suscipiunt nos illa hora, et nemo est qui iis repugnet. Passiones vero, quas diximus dæmones fieri, sunt hæ : Odium, animi elatio, asperitas, acedia, otiosi sermones, acerbitas, contentio, æmulatio, invidia, superbia, vana gloria, injuriarum memoria, socordia, negligentia, ignorantia, mœror, iracundia, ira, pigritia, contemptus, nequitia, cupiditas, tumor, mollities, gulæ intemperantia, et præter hæc omnia, avaritia, omnisque prorsus satanica astutia. Hæ igitur passiones in dæmones mutatæ, die exitus nostri accipient animam; et merito. Quas enim hinc assumpsimus et præparavimus, his conceditur potestatem in nobis exercere ; hæ etiam post mortem simul nobiscum veniunt, atque ibi in nobis dominantur, et non est qui ab ipsis eripiat.

Cogitemus igitur, atque intelligamus, dum tempus habemus, qui sunt (*sic*) super nos, et curramus ex toto corde, et eos ipsos urgeamus, ut præcurrentes in hora auditionis nostræ nobis opitulentur, ac nos liberent ab adversariis : oppositos autem nobis, quicunque sint, et qualiumcunque malorum suasores sint nobis, fugiamus, ut a serpente et igne. Si vero nos etiam a virtute abstrahunt atque impedimento nobis sunt, dum tempus habemus, et dum sumus in vita, curemus illos propulsare, ac per pœnitentiam exercitationesque virtutum, propitium reddere Deum, et præparare nos ad exitum, ne forte, veniente et pulsante, imparati inveniamur ad ejus occursum; quia qua hora non exspectatur, Dominus noster venit. Ut veniente et pulsante, inveniamur parati ad eundum ei obviam; quia ipsum decet gloria, cum Patre et sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Vita Christi abscondita.

[Ex SS. Patribus.]

S. Athanas., orat. 4 *contra Arian.* — Augescente magnitudine corporis, una crescebat in eo Divinitatis manifestatio.

S. Cyrill., *in Joan.* I, c. 17. — Non ut Deus profecisse intelligitur Christus ; verum quia magis eum homines admirabantur, illorum potius Jesu opinio, quam illius perfecta crescebat gratia.

Idem, *Thesaur.*, lib. X, c. 7. — Cum audis Christum profecisse in sapientia et gratia, noli putare quidquam ei additum esse, sed quia videntibus et audientibus eum esse sapientiorem gratioremque in dies se præbebat.

S. Basil., hom. 12. — Innocentem te ostendet morum simplicitas et candor.

Idem. — Subditus parentibus, omnem laborem corporalem mansuete et obedienter sustinuit.

Idem, *Constit. monach.*, c. 5. — Porro Jesus, cum parentibus esset subjectus, sine dubio in perferendis, una cum ipsis laboribus, morigeram declarabat suam obedientiam.

S. Ephrem, *Orat. de transfug.* — Vestimenta sua ostendit alba instar lucis, quia ex toto corpore ejus, gloria suæ divinitatis scaturiebat.

S. Gregor. Narianz., orat. 20, *de laudibus Basil.* — Proficiebat Christus, ut ætate, sic sapientia, non quod hæc in illo incrementum caperent, sed quod hæc paulatim detegerentur et elucerent.

S. Ambros., lib. VIII *in Luc.* — Non pueritia, sed æmula puerilis simplicitatis bonitas designatur, non enim virtutis est non posse peccare, sed nolle.

Idem, serm. 53. — Habet et Christiana simplicitas infantiam suam : illa per infirmitatem innoxia est, ista est innocens per virtutem.

Idem, l. I *De officiis.* — Verecundia cum sit omnibus ætatibus, personis, temporibus, locis apta, tamen adolescentes, juvenilesque animos maxime decet.

Idem, *de Salom.*, c. 5. — Christus est

Digitized by Google

vir cujus viæ in juventute cognosci non possunt. Quis enim æstimare possit aut capere quanta ille opera exercuit?

S. Ambros., *Lib. de incarnat. Domini*, c. 7. — Si proficiebat ætate hominis Christus, proficiebat sapientia hominis.

S. Hieron., lib. III *in Matth.* — Non præcipitur apostolis ut ætatem habeant parvulorum, sed ut innocentiam. Et quod illi per annos possident, hi possident per industriam, ut malitia non sapientia parvuli sint.

Idem, *ibid.* — Agebat semper Christus Deo beneplacita.

Idem, epist. 2 *ad Eustoch.* — Usque ad triginta annos parentum paupertate contentus est.

S. Chrysost., *in Epist. ad Rom.* — Nihil adeo vicinum Deo, conformemque reddet, quemadmodum mansuetudo.

Idem, *Hom. de Pass. Domini.* — Quoniam multa de morte et passione sua et de cæde discipulorum, locutus est Christus et aspera quam plurima illis injunxit, gloriam suam, in præsenti vita, quantum capere possunt, illis vult ostendere ne posthac doleant.

S. August., lib. I *Confess.*, c. 19. — Humilitatis signum in statura pueri commendasti, Rex noster, cum aisti: *Talium enim est regnum cœlorum*. (*Matth.* XIX, 14). Infantiam Christus animo sumpsit et corpore.

Idem, serm. 63. — Discant pueri subditi esse parentibus, quia Christo mundus subditur, et Christus tamen parentibus subditus fuit.

Idem., serm. 5 *de verbis Apostoli.* — Semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id quod nondum es: nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti.

Beda, *Hom. in octav. Epiph.* — Quantum proficiente ætate sapientiæ et gratiæ dona patefaciebat, tantum homines ad laudem Dei Patris excitare curabat.

Idem, *ibid.* — Proficiebat Christus, non per accessum temporis accipiendo quod non habebat, sed pandendo donum gratiæ quod habebat.

Idem. — In disciplina humilitatis totum principatum possedit.

Idem, *in Cantic.* I, 16: *Dilectus meus mihi*, etc. — Usquequo siles, Domine Jesu! quandiu Dei virtus, sapientia, quasi infimus aliquis lates in populo? Quandiu nobis, Rex cœli, fabri filium tu pateris appellari et putari.

S. Joan. Damasc., lib III, c. 22. — Proficere sapientia et ætate et gratia idcirco dicitur Christus, quod ætate quidem cresceret; per ætatis autem incrementum sapientiam eam qua prædituς erat in lucem proferret.

S. Bernardus. *Hom. in Domin. infra octav. Epiphan.* — Stupent senes, admirantur juvenes, et suæ ætatis pueri deterrentur morum ejus gravitate et sermonum pondere.

Idem, *Hom. infra octav. S. Steph.* — Sicut Dominus Jesus in nobis nascitur et concipitur, ita profecto crescit et nutritur in nobis, donec occurramus in virum perfectum, et mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Idem, *ibid.* — Cum nomino Jesum, hominem mihi propono mitem, humilem, corde benignum, sobrium, castum, misericordem, omni denique sanctitate et honestate conspicuum

Idem, *ibid.* — Ipse Christus se parvulum exhibuit, ut se ipsum faceret gratum.

Idem, *infr. oct. Epiphan.* — Credo in illo speciosissimo vultu tantam cœlestis gratiæ elegantiam refulsisse, ut omnium in se converteret affectum, auditum erigeret, excitaret amorem.

Idem, serm. 1 super *Missus est.* — *Erat subditus eis.* (*Luc.* II, 51.) Quis? Quibus? Deus hominibus, nec tantum Mariæ, sed et Joseph.

Idem, *ibid.* — Utrimque stupor, utrimque miraculum, quod Deus feminæ obtemperet, humilitas sine exemplo, et quod femina principetur, sublimitas sine socio.

Idem, epist. 341. — Discipulus proficiens gloria est magistri; quisquis in schola Christi non proficit indignus est ejus magisterio.

Idem, epist. 253.—Ibi tu, Christiane, fige tui cursus, profectusque metam, ubi Christus posuit suam: *Factus est obediens usque ad mortem.* (*Philip.* II, 8.) Quantumlibet ergo cucurreris, si ad metam non perveneris, bravium non apprehendes.

VOCATIO

[Ex SS. Patribus.]

Tertull. — Tota ratio damnationis est perversa administratio conditionis.

Orig., *in Luc.*, t. III.— Tribus modis quidam excidunt vocatione: nimirum phantasia dogmatum meliorum, sectatione sensibilium, et voluptatis amore. Qui enim agrum emerunt, illi sunt qui et prandium recusant, receptis dogmatibus a divinitate alienis, nec non probabilitate et sermonis varietate ornatis; qui etiam contemnunt agrum qui habet in se thesaurum et virtutes. Qui igitur non vidit nec probavit quem acquisivit sermonem, eo quod præoccupatus sit necessitate et non libere, exit a prandio, et a vocante fortassis, et a se ipso. Alius, *Obsecro te*, inquit (*Luc.* XIV, 19), tanquam verbo solo reveritus eum qui vocaverat. Qui autem juga boum quinque emit, hic est qui spiritalem intelligibilem contemnit naturam: qui vero in rebus sensibilibus libenter versatus, neque hic ab initio probavit quæ emit. Si igitur numerus duo de materia et de specie prædicatur, hic materialia multi faciebat: quamobrem et hic intellectuale prandium recusavit: unde et in quibusdam exemplaribus, pro his verbis: *Rogo te*, ponitur: *Et propterea non possum venire.* (*Ibid.*, 20.) Qui enim sensibilia vident, aiunt se non posse quod incorporeum est comprehendere.

Digitized by Google

Alter autem qui dixit : *Uxorem duxi* (*Luc.* XIV, 20), is est qui videtur invenisse sapientiam, et illius particeps esse factus, at veram sapientiam recusat : vel qui carni unitur, et voluptatis magis quam Dei amator est. Parabolæ ergo summa hæc est. Explicari poterit etiam aliter : quatenus homines sumus, nec divitias bonitatis Dei nobis conducit cognoscere, vere Deus homini assimilatur, ut tanquam homo loquatur hominibus qui possunt gubernari a Deo, omnino remanente Deo. Et tunc desinet assimilari homini, quando cessantes a contentione, zelo et reliquis malis, atque secundum hominem ambulare desinentes, digni facti fuerimus audire : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes.* (*Psal.* LXXXI, 6.)

S. CYPRIAN., *Tract. de duodecim abus.* — Qui dicta et legum scita contemnit, per diversas errorum vias eumdem perditionis laqueum disponit.

Idem. — Multa utique perditionis via, cum una regularis via, lex Dei videlicet, deseritur.

S. EPHREM, in illud : *Attende tibi.* (*Tob.* IV, 13.) — Ad negotiandum vocatus es? ne perdas margaritam, ut thesaurum tuum deprædetur inimicus, ne navis demergatur una cum onere, et vacans revertoris ad propria.

S. BASIL., *De Spiritu sancto*, cap. 1, tom. III. — Æquum est profecto ut eum (auscultatorem) approbatione omni complectamur, ac longius provehamus, manum illius studio simul admoventes, et in omnibus cum eo ad perfectionem contendente laborantes. Nam aut perfunctorie voces theologicas audire, sed conari, quid in quaque dictione, quid in quaque syllaba reconditi sensus lateat perscrutari, non est eorum qui segnes sunt ad pietatem, sed qui vocationis nostræ scopum intelligunt, quandoquidem nobis propositum est, ut similes efficiamur Deo, quatenus humanæ naturæ fas est. Porro similitudo non est absque cognitione; cognitio vero sine documentis non paratur. Doctrinæ autem initium est oratio, orationis partes syllabæ ac dictiones. Proinde syllabas excutere, non est aberrare a scopo. Nec vero quoniam minutæ, ut alicui forte videbuntur, quæstiones; idcirco et negligendæ sunt; imo quoniam difficilis est inventu veritas, undique nobis est vestiganda.

Idem, hom. 13 *De bapt.* — Homo, si gehennam metuis, si regnum affectas, ne vocationem spernas.

S. HIERON., epist. 13.— Non hierosolymis fuisse, sed hierosolymis bene vixisse laudabile est; singuli credentium non locorum diversitatibus sed fidei merito ponderantur. *Spiritus ubi vult spirat.*

S. AMBROS., *De Offic.*, c. 44. — Unusquisque suum ingenium noverit, et ad id applicet, quod sibi aptum delegerit; itaque quid sequatur prius consideret, non solum noverit bona sua, sed etiam vitia cognoscat æqualemque sui judicem se præbeat.

...nem, epist. 44. — Commendant mores statum, non status mores.

Idem, *ibid.*— Quanto status inferior, tanto virtus eminentior.

Idem, serm. 7, *De milit.* — Omnis ad recte agendum provocatur ætas et dignitas, nemo igitur publicis se excuset actibus.

Idem, *ibid.* — Quod ipsi gerunt, officiis suis adscribunt.

S. CHRYSOST., hom. 69, al. 70, *in Matth.*, t. VII. — Christus sæpe dicebat : Meretrices et publicani cœlum hæreditabunt; et : *Erunt novissimi primi, et primi novissimi.* (*Matth.* XXI, 31, XIX, 30.) Ostendit hæc sic juste dispensari, quod potissimum Judæos mordebat, et multo magis quam urbis excidium affligebat, quod viderent gentiles priores introduci. Deinde ne hi in sola fide spem haberent, de judicio et pœna pravorum operum edisserit, hortaturque nondum credentes ad amplectandam fidem, credentes vero ad vitam recte instituendam. Indumentum enim sunt vita et opera. Atqui vocatio gratiæ erat; cur ergo tam accurate loquitur et hortatur? Quia vocatio quidem et purgatio ex gratia sunt, vocatum autem et puris indutum vestibus manere, et hæc servare, id ex vocatorum cura et studio proficiscitur. Vocamur autem non ex merito, sed ex gratia.

Idem, serm. 9 *contra Jud.* — Nequaquam frigida verba illa proferas : Mundanus sum, uxorem habeo, filiorum curam gero.

Idem, serm. 1 *de verb. Apost.* — Tametsi Deus nos vocet, exspectat tamen, ut sponte accedamus, ac tum nobis suum orabet auxilium.

Idem, l. III *Advers. vituper. monast.* — Non una salutis via, nec unus modus est, verum permulti ac differentes.

S. AUGUST., ad articul. sibi falso impositos. — Qui spreverunt voluntatem Dei invitantem, voluntatem Dei sentient vindicantem.

S. BERNARD., *Epist. ad Leonium, abbat. S. Bertini*, t. I. — Litteras dilectionis vestræ, dilectissimi fratres, suscepimus, indicium voluntatis et petitionis vestræ. Beneficiorum, quæ nobis et nostris plena manu, hilari mente, vultu sereno exhibetis, in æternum non obliviscar. Sed quid, si non sum oblitus, et ingratus invenior? Nunquid sola memoria habebit me excusatum? Imo acerbius accusabit. Nec immemorem, nec ingratum amicis meis me exhibere novi. Si tamen non habeo quod retribuam pro omnibus quæ accepi a vobis; ut minus sapiens loquor, Dominus retribuet pro me. De alieno liberalis sum, quoniam *inops et pauper sum ego.* (*Psal.* LXXXV, 1.) Honorem Ecclesiæ vestræ et decorem domus Domini, qui in vobis est, quantum diligam, ipse novit, qui plus profunditatem humani cordis ingreditur. Sed nec ego vereor verum dicere in hac parte : Ego diligentes me diligo, sed non in hoc justificatus sum; nam et ethnici hoc faciunt. Non multum laudis habet, si amantes me amavero; sed si non amavero,

Digitized by Google

sceleratus pro scelere ju icabor. Dilexi vos, et ante meritum; quare etiam post meritum non diligerem? Quos enim, etiamsi nulla merita præcessissent, honorari oportuit; post beneficia non honorare, plusquam injuria est. Diligam vos semper, fratres charissimi in Domino, et cum omni amore serviam vobis in eo cujus servi estis; imo Christum, cujus membra estis, semper in vobis honorabo.

Verumtamen ut rationabile sit obsequium nostrum, et honor irreprehensibibilis, quem vobis exhibere debemus: prudenter et caute id fieri oportet, quia *honor regis judicium diligit.* (*Psal.* XCVIII, 4.) Super his igitur quæ mihi rescribitis, respondeo charitati vestræ, quia nec ego audeo, nec vos debetis prohibere eum qui bene facere potest. Quid enim habemus respondere Apostolo dicenti: *Spiritum nolite exstinguere?* (*I Thess.* v, 19.) Neque enim securum est exstinguere, quod exstinctum accendere non sit tuæ potestatis. Et ubi est illud: *Unusquisque in ea vocatione qua vocatus est, in ea permaneat?* (*I Cor.* VII, 24.) Vocatus est, inquam, Thomas, non a me, sed ab eo qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Quid ad nos respicitis? Quid nos intuemini in hoc facto, tanquam opus hominis sit, et non Dei? Non ab homine, neque per hominem, sed a Domino factum est istud. Non enim homo, sed Deus est, qui operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit. A Domino, inquam, factum est istud; et ideo non solum mirabile, sed immutabile esse debet in oculis nostris. Quis enim, vel quid est homo, ut adjuvet sensum Domini, vel spiritum ejus? Novit ille qui quærit ovem perditam, et quid quærat, et ubi quærat; et quomodo, et unde revocet; et ubi collocet, sic ut eam ulterius non perdat. Quem ergo Dominus vocavit, vide ne revoces; quem Deus erexit, tu inclinare noli; nec ponas ei offendiculum, cui Deus manum porrigit ascendenti.

Sed jam videndum est quid ponderis habeat illud quod dicitis, eum oblatum a parentibus. Videat prudentia tua, quid habeat plus vigoris et rationis, utrum illud quod factum est de ipso per alium, ipso nesciente, an illud quod sciens et prudens de se ipso fecit: non autem ipse, sed gratia Dei, quæ nolentem prævenit ut velit, quæ volentem subsequitur ne frustra velit. Ego autem dico, quod votum parentum integrum manet; et oblatio eorum non est exinanita, sed cumulata. Nam et idem offertur quod prius oblatum est; et eidem offertur cui prius oblatum est; et quod prius a solis parentibus oblatum fuerat, nunc offertur a filio. Præterea super hoc verbo præcipere vobis nihil habeo: consilium autem do. A Domino egressus est sermo: nolite impedire cursum gratiæ Dei, nolite reprimere primitias bonæ voluntatis. Quod enim in eo cœptum est, de Spiritu sancto est. Vos autem nolite dissimulare injuriam quam nobis infertis, cum nunquam vos læserimus in hac parte, ut fratres, quos Deus misit ad vos, vellemus subtrahere vobis. Noverit autem ipse Thomas, si irritum fecit votum suum, cujus me testem adhibuit: noverit alius, quicunque sit ille, qui eum ad hoc impulerit, quod ascendam ex adverso, et stabo, contra eos in die Domini. Sed interim melius est et vobis et nobis, servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Vale.

S. BERN., serm. 57 *in Cant.*, t. I.—Ad vineas excolendas ducitur; quæ ut possint uberioribus fructibus respondere colonis, ante omnia necesse est sarmenta sterilia projici, succidi noxia, amputari superflua hæc juxta litteram. Nunc jam videamus, quid istiusmodi quasi historico schemate spiritualiter nobis innuatur intelligendum. Et vineas quidem animas esse vel ecclesias, simulque hujus rei rationem quænam sit, audistis, nec opus habetis iterato audire. Ad has itaque revisendas, corrigendas, instruendas, salvandas, anima perfectior invitatur, quæ tamen id ministerii sortita sit, non sua ambitione, sed vocata a Deo tanquam Aaron. Porro invitatio ipsa quid est, nisi intima quædam stimulatio charitatis pie nos sollicitantis æmulari fraternam salutem, æmulari decorem domus Domini, incrementa lucrorum ejus, incrementa frugum justitiæ ejus, laudem et gloriam nominis ejus? Istiusmodi itaque circa Deum religiosis affectibus quoties is qui animas regere, aut studio prædicationis ex officio intendere habet, hominem suum interiorem senserit permoveri; toties pro certo sponsum adesse intelligat, toties se ab illo ad vineas invitari. Ad quid, nisi ut evellat et destruat, et ædificet et plantet.

Filioli, quis demonstrabit vobis fugere a ventura ira? Nemo enim magis iram meretur, quam amicum simulans inimicus. Juda, osculo tradis Filium hominis, homo unanimis, qui simul mecum dulces capiebas cibos, qui in paropside manum pariter intinxisti! Non est tibi pars in oratione, qua orat ad Patrem et dicit: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 35.) Væ vobis qui clavem tollitis non scientiæ solum, sed et auctoritatis! Nec ipsi introitis, et multipliciter impeditis quos introducere debuistis. Tollitis enim, et non accipitis claves. De quibus Dominus queritur per prophetam: *Ipsi regnaverunt et non ex me: principes exstiterunt, et ego non vocavi eos.* (*Osee* VIII, 4.) Unde tantus prælationis ardor, unde ambitionis impudentia tanta, unde vesania tanta præsumptionis humanæ? Audetne aliquis vestrum terreni cujuslibet reguli, non præcipiente eo, occupare ministeria, præcipere beneficia, negotia dispensare?

Nec tu Deum putes, quæ in magna domo sua *a* vasis iræ aptis in interitum sustinet, approbare. Multi quidem veniunt, sed considera quis vocetur. Ordinem ipsum Dominici sermonis attende. *Beati*, inquit, *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ac deinde: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* (*Matth.* v, 8, 9.) Mundicordes utique vocat Pater cœlestis, qui non quærunt quæ

Digitized by Google

sua sunt, seu quæ Jesu Christi : nec quod sibi utile, sed quod multis. *Petre*, inquit, *amas me? Domine, tu scis quia amo te Pasce, ait, oves meas.* (*Joan.* XXI, 17.) Quando enim sic amatas oves committeret non amanti? Nimirum hoc quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Væ ministris infidelibus, qui necdum reconciliati, reconciliationis alienæ negotia, quasi homines qui justitiam fecerint, apprehendunt. Væ filiis iræ, qui se ministros gratiæ profitentur. Væ filiis iræ, qui pacificorum sibi usurpare gradus et nomina non verentur. Væ filiis iræ, qui fideles sese mediatores pacis, ut peccata populi comedant, mentiuntur. Væ qui ambulantes in carne, Deo placere non possunt, et placare velle præsumunt.

S. BERN., *De conversione ad cleric*, t. I. — Non miramur, fratres, quicunque præsentem statum Ecclesiæ miseramur; non miramur de radice colubri, regulum orientem non miramur, si vindemiat vineam Domini, qui institutam a Domino prætergreditur viam. Impudenter enim pacifici gradum et filii Dei vices occupat homo, qui nec primam quidem adhuc vocem Domini ad cor revocantis audivit : aut si quando forsitan cœperit audire, resiliens fugit ad folia, ut absconderetur in eis. Propterea necdum peccare quievit, sed longam adhuc trahit restem : necdum factus est vir videns paupertatem suam, sed dicit, quia dives sum, et nullius egeo, cum sit pauper, et nudus, et miser, et miserabilis. Nihil illi de spiritu mansuetudinis, quo præoccupatos in delicto possit instruere, considerans se ipsum, ne et ipse tentetur. Compunctionis lacrymas nesciens, lætatur magis cum male fecerit, et in rebus pessimis exsultat. Nimirum unus eorum est quibus Dominus ait : *Væ vobis qui ridetis nunc, quoniam flebitis.* (*Luc.* VI, 25.) Pecuniam, non justitiam concupiscit; oculi ejus omne sublime vident. Insatiabiliter esurit dignitates, gloriam sitit humanam. Procul ab eo misericordiæ viscera : sævire potius et tyrannum exhibere lætatur; quæstum æstimat pietatem. Quid de munditia cordis loquar? Utinam non illud oblivioni dedisset, tanquam mortuus a corde! Utinam non esset columba seducta, non habens cor! Utinam esset quod vel de foris est mundum, nec ea quæ corporalis est maculata tunica inveniretur, ut obediret vel in hac parte dicenti : *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* (*Isa.* LII, 11.)

X

XENODOCHIUM

Ex SS. Patribus.]

Vid. vero. PAUPERES CHARITAS, ELEEMOSYNA.

[Ex conciliis.]

Ex conc. Nicæno gener. I, *sub Silvestro I, an.* 325, *editionis Arabicæ.* — 70. Ut sit in omnibus civitatibus locus separatus peregrinis infirmis et pauperibus qui vocetur Xenodochium, id est hospitium peregrinorum, et eligat episcopus aliquem ex fratribus, qui habitant in deserto, qui sit peregrinus et procul distet a patria, qui sit etiam vir probus, et hunc præficiat xenodochio qui in eo faciat lectos, et quæcunque infirmis et pauperibus opus sunt, et si bona xenodochii non sufficiant, debet colligere, et omni tempore, ex omnibus Christianis provisionem secundum uniuscujusque vires, etc. In hoc opere est remissio peccatorum, solutio iniquitatis, et appropinquatio ad Deum.

80. Eligatur in omni civitate aliquis sæcularis et religiosus qui est eloquens et patiens, et quem manifestum sit via recta et orthodoxa incedere, habitetque prope ecclesiam, aut in hospitali, et habeat apud se bona hospitalis, et visitet hospitalia et ægrotos, visitet etiam eos qui in carcere sunt; quod si inter eos aliquem Christianum reperiat qui sit dignus ut liberetur, debet adjuvare eum ut e carcere liberetur, etc. Et si quis fuit alicujus criminis gravis reus, et non sit dignus liberatione, debet saltem adjuvare eum, ne ei victus et vestitus desint, etc. Et si quis ex fidelibus bona sua epulando et potando et scortando consumpserit, non est deserendus, sed debet unusquisque fidelium dare secundum vires suas, et colligatur hoc ut ille a creditoribus et afflictione liberetur.

Ex conc. Aurelianensi V, *sub Vigilio, an.* 552. — 15. Si quis quolibet tempore, cujuslibet potestatis vel ordinis, aliquid de consuetudine vel facultate xenodochii Lugdunensis a rege Childerico conditi abstulerit, ut xenodochium esse desinat, ut necator pauperum irrevocabili anathemate feriatur.

Ex conc. Matisconensi II, *sub Pelagio II, an.* 588. — 11. Sectatores nos hospitalitatis esse non solum Dominus Jesus admonet, sed etiam Apostolus, etc. Propterea unumquemque nostrum oportet non solum semetipsum ad hoc opus hortari, sed etiam omnium fidelium mentes ut possint apud Deum misericordiæ operibus pro nostris peccatis intercedere, et non ei per puram hospitalitatem reconciliari.

Ex conc. Aquisgranensi, sub Stephano V, an. 816. — 141. Prælati Ecclesiæ aliquod præparent receptaculum ubi pauperes colligantur, et de rebus Ecclesiæ, tantum ibidem deputent, unde sumptus necessarios juxta possibilitatem rerum habere valeant, exceptis decimis quæ de Ecclesiæ villis

Digitized by Google

ibidem conferuntur, sed et canonici tam de fructibus quam omnibus eleemosynarum oblationibus in usus pauperum decimas libentissime ad ipsum conferant hospitale, et boni testimonii frater constituatur, qui hospites et peregrinos adventantes suscipiat, eisque necessaria libenter pro viribus administret. Clerici si aliis temporibus queunt, saltem Quadragesimæ tempore pedes pauperum in competenti lavent hospitali, etc.

Ex conc. Meldensi, sub Sergio II, an. 845. — 40. Admonenda est regia magnitudo de hospitalibus, quæ tempore prædecessorum suorum et ordinata et exculta fuerunt, et modo ad nihilum sunt redacta, sed et hospitalia Scotorum quæ sancti homines gentis illius in hoc regno construxerunt, et rebus pro sanctitate sua acquisitis ampliaverunt, ab eodem hospitalitatis officio funditus sunt alienata, et non solum supervenientes in eadem hospitalia non recipiuntur, verum etiam ipsi qui ab infantia in eisdem locis sub religione Domino militaverunt, et exinde ejiciuntur et ostiatim mendicare coguntur, unde pertimescenda est canonica sententia, quia ut necator pauperum et Christi traditor Judas, idem qui hujus sceleris auctor et perpetrator esse dignoscitur, præsenti et perpetuo anathemate feriendus.

Ex conc. Ticinensi, sub Leone IV, an. 850. — 15. De xenodochiis statuimus, ut quæque in episcoporum sunt potestate, secundum dispositionem eorum qui instituerunt, gubernentur; quæ autem sub defensione quidem sunt Ecclesiæ, sed juxta institutorum decreta per hæredes vel pertinentes, qui religiosam vitam duxerint regi debent, procuret episcopus, ut ab eis non negligantur, et si in aliquo malæ tractationis obnoxii reperiuntur, ecclesiasticæ subjaceant disciplinæ.

Ex conc. Lateran. univ. XI, *sub Alex. III, an.* 1179. — 23. Ubicunque tot leprosi, qui cum sanis habitare non possunt, simul sub communi vita fuerint congregati, quod ecclesiam sibi cum cœmeterio constituere, et proprio gaudere valeant presbytero, sine contradictione aliqua permittantur habere, caveant tamen, ut injuriosi veteribus ecclesiis, de jure parochiali, nequaquam existant, etc. De hortis vero et nutrimentis animalium suorum, decimas tribuere non cogantur.

Ex conc. Ravennatensi II, *sub Clemente V, an.* 1311. — 25. Hospitalia alicui non concedantur, nec aliqui instituantur in eis, nec ea qui habent, valeant detinere, nisi sint religiosi et sine uxore, et tales quod profiteantur perpetuo ibidem pauperibus deservire, et tonsuram et hospitalitatem teneant, et residentiam faciant eisdem, et qui contra fecerit, reddatur inhabilis ad ordines suscipiendos, et beneficia quæcunque ecclesiast. obtinenda, et ea amittat, etc.

Ex conc. Sabinen. in Hispan., sub Joanne XXII, an. 1322. — 13. Parochialium ecclesiarum rectores et curati, secundum facultatem bonorum suorum, religiosos, pauperes et peregrinos transeuntes charitative recipiant, et pertractent in locis, nisi ubi ad hoc sit domus aliqua specialiter deputata; rectores et curati prædicti diligenter invigilent, ut domus hujusmodi sic convenienter paratæ sint, quod hospitalitas ipsa ad quam deputatæ fuerint, in eis debite observetur, et ad hoc rectores ipsi per ordinarios compellantur.

Ex conc. Senonensi, sub Clemente VII, an. 1528. *De moribus.* — 29. Præcipimus juxta conc. Viennens. xenodochia, leprosarias, eleemosynarias, et alia hospitalia quocunque nomine censeantur, visitari et reformari per eos ad quos de jure statutove in locorum fundatione apposito, vel ex consuetudine præscripta, aut privilegio sedis Apostolicæ spectat et pertinet, gubernatio vero viris providis et discretis, ac boni testimonii committat, qui instar tutorum et curatorum præstare juramenta, ac de locorum ipsorum bonis inventarium conficere, et ordinariis seu locis illis quibus subsunt loca hujusmodi vel deputandis ab eis, annis singulis de administratione sua teneantur reddere rationem.

Ex conc. Coloniensi I, *sub Paulo II., an.* 1536. — 2. In hospitalibus, quæ ad salutem animarum pertinent minime negligantur; sed ante omnia de sacramentorum administratione pauperibus, debilibus et ægrotis provideatur, ac ubi corporis infirmitas medicum postulat, ibi prius animæ, deinde corporis medicus accersatur.

3. In ejuscemodi hospitalia miserabiles tantum personæ quæ aut morbo, aut debilitate, aut ætate impeditæ suis manibus laborare, victumque, ac vestitum sibi comparare non possunt, recipiantur.

4. Inprimis recipiantur in hæc hospitalia personæ miserabiles ejus loci ubi hospitalia constituta sunt.

5. Sint mendicantibus validis non solum hospitalia clausa, sed et publice ac ostiatim mendicare penitus interdictum.

Ex conc. Trid. gen. XVIII, *sub Paulo III, an.* 1545, *sess.* VII, *de Reformat.* — 15. Curent ordinarii ut hospitalia quæcunque a suis administratoribus, quocunque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter et diligenter gubernentur.

Ex conc. Augustensi, sub Paulo III, an. 1548. — 27. Hospitalia conservari, redditus ad ea destinatos in nullos alios usus converti, atque sicubi alienati, aut in pravos usus conversi fuerint, revocari jubemus, etc. Viduæ, orphani, et qui ad quærendum victum sibi non sufficiunt, ex eo loco ubi hospitalia constituta sunt oriundi, in ea recipiantur, peregrinis autem hospitalia pro refectione tantum, non autem in fraudem indigenarum pauperum, et pro inhabitatione patere concedimus, etc. Hospitalium administratores saltem semel in anno provisoribus rationem reddant.

Digitized by Google

Ex eod. conc., sub Pio IV, an. 1562, *sess.* XXV, *de Reformat.* — 8. Illis qui hospitalia seu alia pia loca ad peregrinorum, infirmorum, senum, pauperumve usum præcipue instituta in commendam, administrationem, aut quemcunque titulum, aut etiam ecclesiis suis unita obtinent, vel si ecclesiæ parochiales hospitalibus forte unitæ, aut in hospitalia erectæ, earumque patronis in administrationem concessæ sint, præcipit sancta synodus ut impositum illis onus officiumve administrent, atque hospitalitatem quam debent ex fructibus ad id deputatis actu exerceant, etc. Quod si hospitalia hæc ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta, nec in loco ubi sunt dicta hospitalia, similes personæ, aut perpaucæ reperiantur, mandat adhuc ut fructus illorum in alium pium usum qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco et tempore utilior sit, convertantur prout ordinario cum duobus de capitulo per ipsum deligendis, magis expedire visum fuerit.

Ex conc. Mediolan. I, *sub Pio IV, an.* 1565. *Part.* III. — 1. Qui hospitalia, seu alia pia loca ad peregrinorum, infirmorum, senum, pauperumve usum præcipue instituta in commendam, administrationem, aut quemcunque titulum, aut ecclesiis suis unita obtinent, domos et ædificia horum locorum ruinosa, vel disjecta sarciant, et restituant, hospitalitatem ex fructibus illi muneri attributis reipsa exerceant, etc. Qui pecuniam ecclesiis, confraternitatibus, aut quibuscunque piis locis debent, illorum procuratores, syndici, ministri esse, aut ullam denique eis officii aut negotii partem administrare non possint, etc. Administratores ecclesiastici vel laici, piorum locorum qui nunc sunt, intra tres menses qui deinceps deligentur, antequam ad administrationem accedant, jurent se fideliter et accurate munus suum exsecuturos.

Ex conc. Aquensi, sub Gregorio XIII, an. 1585. — 2. Curet episcopus ut in hospitalibus, et aliis piis locis ubi plures vel mares vel feminæ, præcipue vero infantes expositi aluntur, doctrinæ Christianæ tradendæ tam necessarium institutum introducatur.

Ex conc. Avenionensi, sub Clemente VIII, an. 1594. — 51. Administratores hospitalium ac piorum locorum quorumcunque, juxta concilii Tridentini. decreta, rationes reddant ordinariis singulis annis, nisi secus forte in institutione et ordinatione talis ecclesiæ seu fabricæ expresse cautum esset, etc. Nullus administrator hospitalium cæterorumque locorum religiosorum electus antea administret, quam in manibus episcopi vel vicarii juramentum præstiterit, se fideliter diligenterque munus suum exsecuturum, etc.

Ex conc. Narbonensi, sub Paulo V, an. 1609. — 38. Episcopi hospitalia sæpius visitabunt, inquirent in quo consistant reditus, qui eorum sint rectores Ecclesiarum, in quorum Parochia sita sint, præcentibus aliis qui ad hoc interesse consueverunt, an nis singulis videbunt, nec tamen alicui ultra triennium administratio concedatur.

Z

ZELUS

[Ex SS. Patribus.]

S. Gregor. Naz., orat. 22. — Zelus res laudabilis, modo intra fines suos consistat.

Idem, orat. 24. — Neque zelus moram patitur; totiusque vitæ instar est unius diculæ spatium desiderio laborantibus.

Idem, orat. 23. — Animi fervor, cum ad pietatem accesserit, zelum parit; zelus autem fidei præsidium est.

Idem, orat. 22, tom. I. — Zelus est fervidus, spiritus lenis, charitas benigna, vel potius ipsamet benignitas, spes longanimis. Zelus accendit, spiritus mitigat, spes exspectat, charitas constringit, nec bonum quod in nobis est, dissipari ac diffluere sinit, quamvis alioqui fluxæ fragilisque naturæ simus: atque tribus unum, aut cum est, manet, aut cum mota et convulsa est, in integrum restituitur, aut cum abscessit, revertitur; non secus ac plantæ, quæ manibus per vim in diversum tractæ, simul atque dimittuntur, statim ad sese, primamque suam naturam recurrunt, idque sibi proprium esse ostendunt, ut invitæ quidem inflectantur, non invitæ autem erigantur.

S. Ephrem., t. II. — Gloria tibi, Deus, gloria tibi; iterumque dicam: Gloria tibi, Deus superlaudatus, et superexaltatus in sæcula. Omni tempore, charissimi, gratias agere debemus Deo, qui dignatus est nos suavi jugo suo, et liberavit nos a caducis et corruptilibus mundi rebus. Statutum est mihi sermones subministrare; quales lumine gratiæ occurrunt menti meæ. Loqui autem volo, non in doctis sapientiæ verbis (*I Cor.* II, 4): nam et ego homo sum idiota, ac vilissimus. Verumtamen quia argute dicta non omnibus sunt perspicua, et iis potissimum qui non degustarunt sapientiam mundanam, idcirco claram oportet proferre orationem quam assequi possint qui legunt, secundum beatum Apostolum: *Si enim*, ait, *nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquor barbarus, et qui loquitur mecum mihi barba-*

Digitized by Google

rus. Potens est autem sermo spiritalis persuadere obtemperantibus fidei (*I Cor.* XIV, 11, 12), etiam absque grammatica et rhetorica. Benedictus autem Deus qui cunctis cuncta præbet, et unumquemque, quantum expedit, illuminat. Id vero captum meum excedere, non sum nescius. Sed scriptum est : *Tempus tacendi, et tempus loquendi.* (*Eccle.* III.)

Quam ergo excusationem in die judicii habituri sumus, non succurrentes pro viribus imperitia laborantibus, et maxime tempore isto, quo fluctibus perversæ doctrinæ pravique consilii agitantur? Leo enim cruentus et veritatis inimicus non cessat eos qui non valde attendunt decipere : non quidem humanas carnes devorare volens, verum animas secum in gehennam trahere gestiens. Quot putatis post abdicationem rerum terrenarum, iterum perturbationibus ac passionibus ignominiosis per eum subigi? Quot post prima religionis elementa tradita, effecit apostatas, et habitu ipso spoliavit? Quare a via non est aberrandum ; sed frater adjutus a fratre, laqueis diaboli capi nequit. Nos autem cum Apostolo dicimus : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis ; sed sufficientia nostra ex Deo est ; qui et idoneos nos fecit sibi ministros, licet indignos.* (*II Cor.* III, 5, 6.) Vobis autem concedat Dominus suscipere verbum instar terræ bonæ, ut perfectum multiplicemque fructum in justitia referatis Christo, Salvatori nostro.

S. AUGUST., *in psal.* LXXXVIII, t. IV. — Quidam notantur ab Apostolo quod zelum Dei habeant, sed non secundum scientiam ; ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere, et non in lumine tuo exsultantes, justitiæ Dei non sunt subjecti. Sed unde? Quia zelum Dei habent, sed non secundum scientiam ; populus autem sciens jubilationem (illi enim non secundum scientiam ; beatus autem populus non nesciens, sed sciens jubilationem :) unde debet jubilare, unde debet exsultare, nisi in nomine tuo, ambulans in lumine vultus tui? Et exaltari quidem merebitur, sed in tua justitia. Auferas de medio justitiam suam, et humilietur : veniet Dei justitia, et exaltabitur.

S. GREGOR. MAG., *Moral.*, lib. V, cap. 30. — Necesse est ut hoc ante omnia qui zelo rectitudinis movetur, attendat ne ira extra mentis dominium transeat, sed in ultione peccati tempus mundumque considerans, surgentem animi perturbationem subtilius retractando restringat, animositatem deprimat, et motus fervidos sub æquitate disponat, ut eo fiat justior ultor alienus, quo prius exstitit victor suus ; quatenus sic culpas delinquentium corrigat, ut ante ipse qui corrigit, per patientiam crescat, ut ferverem suum transcendendo dijudicet, ne intemperanter excitatus ipso zelo rectitudinis, longe a rectitudine aberret.

Idem, lib. IX, cap. 13. — Quasi latruncultus est appetitus laudis humanæ, qui recto itinere gradientibus ex latere jungitur, ut ex occultis educto gladio gradientium vita trucidetur. Cumque propositæ utilitatis intentio ad studia privata deducitur, horrendo modo unum idemque opus, culpa peragit, quod virtus inchoavit. Nam plerumque nonnulli terrena præmia appetunt, et justitiam defendunt, seque innocentes æstimant, et esse defensores rectitudinis exsultant. Quibus si spes nummi subtrahitur, a defensione protinus justitiæ cessatur : et tamen defensores justitiæ se cogitant, sibique se rectos asserunt, qui nequaquam rectitudinem, sed nummos quærunt.

Idem, *ibid.*, lib. X, cap. 5. — Unde et eorum audaciam Veritas juste redarguit, sed benigne ad gratiam reducit : quia apud misericordem judicem nequaquam sine venia culpa relinquitur, cum per fervorem zeli ex ejus amore peccatur. Sæpe namque magnis hoc doctoribus mirandisque contingit, ut quo alta charitate fervent, eo modum correptionis exaggerent, et lingua aliquid quod non debet dicat, quia mentem dilectio quantum debet inflammat.

S. PAULIN. NOL., epist. 22, *ad Admandum.* — Moyses ille divini eloquii particeps, non salutis suæ negligens, nec insolens Domino, profundi arte consilii ausus est dicere, ut Domino justo debitum peccatori populo interitum, oblationem suæ potius abolitionis opponeret, divinæ videlicet pietatis justitiæque securus, ut parceret et injustis misericordia Domini, dum justum non potest delere justitia.

S. BERNARD., serm. 2, t. I. — Quid agimus, quod nonnulli dura cervice et attrita sunt fronte, ut quo magis eis compatimur, tanto magis nostra et compassione, et patientia abutantur? Nonne sicut compatiebamur fratri, ita ipsi justitiæ compatiendum est, quam videmus tam impudenter abjici, tam impudenter provocari? Scio quia, si qua in nobis est charitas, contemptum hunc Dei ferre æquanimiter non possumus. Hic est zelus justitiæ, quo adversus delinquentes accendimur, tanquam pietate ducti erga eam, quam contemni videmus, justitiam Dei. Verumtamen oportet ut priora sibi vindicet compassionis affectus. Alioquin in spiritu vehementi conterimus naves Tharsis, conterimus quassatum calamum, exstinguimus linum fumigans.

Sed cum uterque aderit, videlicet et compassionis affectus, et zelus justitiæ, necesse est ut adsit spiritus discretionis, ne forte cum oporteat hunc exhiberi, ille procedat, et indiscretio ipsa confundat universa. Habeat itaque mens nostra tertium, scilicet spiritum discretionis ; ut miscens apte temporibus tempora, opportune æmulari, et nihilominus ignoscere sciat. Samaritanus sit, custodiens et observans, quando oleum misericordiæ, quando vinum fervoris exhibeat. Et ne forte meum putetis inventum, Prophetam audite in Psalmo, hæc eadem et eodem ordine postulantem : *Bonitatem*, inquit, *et disciplinam, et scientiam doce me.* (*Psal.* CXVIII, 66.)

Digitized by Google

Sed unde hæc nobis? Neque enim talia profert virtutum germina terra cordis nostri, sed magis spinas et tribulos germinat nobis. Emere ergo oportet. A quo autem emenda sunt? Ab eo utique qui ait : *Venite, emite absque ulla commutatione vinum et lac.* (*Isai.* LV, 1.) Non ignoratis, quid lactis dulcedo, quid vini designet austeritas. Quid est autem emere sine argento et sine commutatione? Non talis est emptio apud amatores hujus sæculi; sed apud auctorem sæculi alia esse non potest. Propheta enim dixit Domino : *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* (*Psal.* XV, 2.) Quam igitur commutationem ei dabit homo pro gratia sua, qui nullius eget, et cujus sunt universa? Gratia gratis datur; etiam sum emitur, gratis emitur; quia quod datur pro ea, nobis melius retinetur.

S. Bern., lib. II *De consideratione*, t. I, cap. 2. — Oportet innotescat tibi zelus tuus, clementia tua, discretio quoque moderatrix earumdem virtutum; qualis videlicet in dandis injuriis, qualis sis in ulciscendis, quam in utroque providus modi, loci, temporis observator. Prorsus consideranda tria hæc in usu virtutum horum, ne non sint virtutes, si præter hæc reperiantur : nempe hujusmodi non natura virtutes, sed usus facit. Nam ex se indifferentes esse noscuntur. Tuum est, aut abutendo, et confundendo facere vitia, aut bene ordinateque utendo, virtutes. Solent discretionis oculo caligante alterutrum sibi præripere loca, terminos occupare. Porro caliginis duæ sunt causæ, ira et mollior affectus. Is judicii censuram enervat, illa præcipitat. Quomodo ab altero non periclitetur, aut pietas clementiæ, aut zeli rectitudo? Turbatus præ ira oculus clementer nil intuetur; suffusus fluxa quadam et muliebri mollitie animi rectum non videt. Non eris innocens, si aut punias eum cui forte parcendum esset, aut parcas ei qui fuerat puniendus.

Idem, serm. 49 *in Cant.*, t. I. — Ubi vehemens æmulatio, ibi maxime discretio est necessaria, quæ est ordinatio charitatis. Semper quidem zelus absque scientia minus efficax, minusque utilis invenitur; plerumque autem et perniciosus valde sentitur. Quo igitur zelus fervidior, ac vehementior spiritus, profusiorque charitas; eo vigilantiori opus scientia est, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem. Proinde sane ne tanquam nimia et importabilis pro impetu spiritus, quem in cella videtur vinaria reportasse, præsertim ab adolescentulis sponsa timeatur; jungit quod discretionis est etiam se pariter accepisse, id est ordinem charitatis (*Cant.* II, 4). Discretio quippe omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit et decorem, etiam et perpetuitatem. Denique ait : *Ordinatione tua perseverat dies* (*Psal.* CXVIII, 91), diem virtutem appellans. Est ergo discretio non tam virtus, quam quædam moderatrix et auriga virtutum; ordinatrixque affectuum, et morum doctrix. Tolle hanc, et virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumque naturæ.

Idem, serm. 20 *in Cantic.* — Facillime zelatus spiritus illudet erroris, si scientiam negligas.

« Magnanimi, zelo, fideque magna et sublimia audent et obtinent. »

TABLE DES MATIÈRES.

TOME PREMIER.

Monitum ad lectorem. 9
Abnegatio. 9
Absolutio. 19
Abstemii. 19
Abstinentia. 21
Abusus vestium. 25
Acceptio personarum. 31
Accusatio. 35
Acedia. 39
Acquisitio injusta. 45
Actus humani. 49
Adæ status. 49
Adjutor. 49
Adjutorium. 53
Admonitio. 53
Adolescentia. 63
Adoptio. 63
Adoratio. 63
Adulatio. 67
Adulterium. 77
Adventus Domini. 85
Adversitas. 105
Ædificatio. 127
Ægrotatio. 127
Æquitas. 127
Æmulatio. 127
Æternitas. 131
Affabilitas. 135
Affectus. 137
Afflictio. 143
Altare. 143
Altaris sacrificium. 155
Ambitio. 155
Amicitia. 167
Amor Dei. 173
Amor inimicorum. 173
Amor patriæ. 177
Amor proprius. 179
Angeli boni et custodes. 183
Angeli mali. 199
Anima. 209
Annuntiatio B. Mariæ Virginis. 229
Antichristus. 231
Apostasia. 257
Apostoli. 259
Apostolica sedes. 251
Apostolorum symbolum. 251
Apparitiones. 253
Aqua benedicta. 257
Arbitrium liberum. 259
Arioli. 269
Arma. 269
Arrogantia. 269
Artifex. 269
Ascensio Christi. 273
Assumptio B. Mariæ Virg. 275
Astrologia. 277
Astutia. 277
Atheismus. 277
Auctoritas. 279
Augurium. 279
Aula, Aulici. 279
Aurum. 283
Auxilium. 283
Avaritia. 283
Aversio. 299
Aviditas. 299
Baptismus. 299
Beatitudo 331
Beatitudines. 343
Bellum 347
Benedictio. 359
Beneficentia. 363
Blasphemia. 369
Cæcitas mentis. 377
Cæremoniæ. 381
Calamitas. 381
Calumnia et maledicentia. 381
Castitas et continentia. 387
Census. 397
Charitas. 397
Chrisma. 401
Christus. 405
Christianus. 521
Circumcisio. 525
Cœlibatus. 525
Cognitio Dei et su.. 547
Communio. 555
Compassio B. Mariæ V. 565
Conceptio B. Mariæ V. 567
Concilia. 571
Concupiscentia. 571
Confessio. 571
Confessiones fidei. 585
Confirmatio. 585
Conformitas Deo. 591
Conscientia. 593
Consilia evangelica. 605

Digitized by Google

Consortia. 615
Consuetudines. 615
Contemplatio et Meditatio. 761
Continentia. 625
Contritio. 627
Conversio. 631
Cooperatio. 635
Cor Jesu et Mariæ. 639
Corpus. 653
Correctio fraterna. 655
Creator. 657
Crux. 657
Cultus. 663
Cupiditas. 685
Cura salutis. 685
Curiositas. 686
Dæmon. 691
Decalogus. 691
Dedicatio, Consecratio. 691
Descensus ad inferos. 699
Desperatio. 701
Detractio. 705
Deus. 705
Devotio. 787
Devotio erga B. Mariam Virginem. 787
Dextera Dei. 791
Diabolus, Dæmon, Satanas. 791
Dignitates, Honores. 801
Dies Dominica. 803
Dilectio Dei et proximi. 807
Dilectio sui. 807
Director animarum. 807
Discipulus. 813
Discordia. 817
Divitiæ. 819
Dolor. 823
Dona Spiritus sancti. 825
Dominica. 831
Duellum. 831
Dux. 831
Ebrietas. 831
Ecclesia. 835
Ecclesia, Templum sacrum. 879
Ecclesiasticorum seu clericorum mores. 893
Ecclesiasticorum seu clericorum officia. 919
Educatio filiorum. 943
Eleemosyna. 945
Epiphania. 957
Eucharistiæ sacramentum. 959
Eucharistiæ sacrificium. 991
Evangelia. 1009
Evangelizantium dotes. 1021
Excommunicatio. 1023
Exemplum bonum et malum. 1043
Extrema unctio. 1047
Fama bona. 1047
Familiaritas cum Deo. 1051
Felicitas. 1053
Fervor animæ. 1053
Festorum, Dominicæ, observatio. 1055
Fidelis. 1071
Fidelitas in minimis. 1071
Fides. 1071
Fiducia in Deum. 1097
Filii 1105
Fortitudo, Robur, Magnanimitas. 1115
Fructus Spiritus sancti. 1125
Furtum. 1125
Gaudium spirituale. 1125
Gloria vana. 1133
Gratia et Libertas. 1137
Gratiarum actio. 1169
Gula et Ebrietas. 1177
Habitudines mentis. 1189
Hæreses, Hæretici. 1191
Homicidium, Parricidium, Suicidium. 1203
Homo. 1211
Honestas. 1231
Honor. 1251
Honores. 1255
Hospitalitas. 1233
Hostis. 1239
Humana verecundia. 1239
Humilitas. 1241
Hypocrisis. 1249

TOME SECOND.

Idololatria. 9
Ignorantia. 9
Imagines sacræ. 11
Imitatio Christi. 15
Immodestia vestium. 15
Impietas. 17
Impœnitentia. 17
Imprecatio. 23
Impudicitia. 25
Incantationes, Divinatio, Sortes, Sortilegium, Magia. 25
Incarnatio. 27
Incredulitas. 27
Indoles. 27
Indulgentiæ. 27
Infamia. 31
Infernus. 31
Ingratitudo. 47
Inimicitiæ, Odium. 49
Injuria. 55
Injustitia. 59
Intemperantia. 65
Intentio bona. 67
Invidia. 69
Ira, Furor. 77
Jactantia. 85
Jejunium. 85
Jesus. 101
Joci. 101
Judicium extremum. 101
Judicium temerarium. 107
Juramentum, Blasphemia. 109
Jurisdictio ecclesiastica. 115
Justificatio. 119
Justitia, Judicium humanum, Judex. 173
Juventus. 183
Labor. 187
Laudatio Dei. 187
Lex. 189
Liberalitas. 197
Libertas 197
Libri, Lectiones bonæ et pravæ. 201
Libri canonici. 203
Ludus, Alea, Spectacula. 205
Luxuria, Luxus. 219
Magistratus. 229
Maledicentia. 235
Maledictio. 235
Malum. 235
Mandata Dei. 235
Martyrium. 247
Matrimonium. 261
Meditatio, Contemplatio. 315
Mendacium. 323
Mens. 333
Miracula. 333
Misericordia. 351
Missæ sacrificium. 361
Modestia, Moderatio. 379
Morbus seu Ægrotatio, et Morbus animi. 383
Morbus linguæ, seu Maledicentia. 397
Mors, Mortui. 409
Nativitas Domini. 423
Nativitas Mariæ. 433
Nativitas S. Joannis Baptistæ. 443
Natura. 447
Negligentia 457
Nomen Mariæ. 459
Obedientia. 461
Opera misericordiæ. 469
Oratio. 503
Ordo, Sacerdotium. 551
Originale peccatum 619
Paradisus. 639
Parasceve. 663
Parentes. 667
Pascha. 675
Passio Salvatoris 681
Passiones animi. 685
Patientia. 691
Patria. 705
Paupertas, Pauperes. 709
Pax, Concordia. 739
Peccatum. 751
Pentecostes. 773
Perfectio Christiana. 785
Pietas. 789
Pœnitentia. 799
Pontificis Romani primatus. 837
Prædicatio. 843
Prædestinatio et Præscientia. 853
Præsentatio B. Mariæ. 871
Providentia et Fatum. 881
Prudentia. 901
Purgatorium. 907
Purificatio B. Mariæ. 915
Querimonia, Murmuratio. 919
Recreatio. 925
Regula vitæ. 929
Religio. 931
Religiosa vita. 969
Religiosi, Monachi, Monasterium, Moniales. 971
Resurrectio mortuorum. 1009
Reus in regem, Rex, Potestas regia. 1033
Revelatio in genere. 1085
Ritus, Cæremoniæ, Cultus. 1073
Rixæ. 1095
Sacerdotium, Presbyteri officia, etc. 1103
Sacramenta 1117
Sacramentalia. 1167
Sacrificium novæ legis. 1171
Saltatio. 1177
Salus. 1185
Sancti et Reliquiæ, Sanctificatio. 1219
Sapientia, Philosophia. 1215
Scandalum. 1265
Schismatici. 1285
Sæculum. 1287
Servitium Dei. 1295
Servitus, Famulatus. 1297
Silentium. 1309
Simonia. 1321
Solitudo mentis. 1335
Somnium. 1335
Somnus. 1341
Spectacula. 1345
Spes. 1349
Spiritualitas animæ. 1361
Spiritus sanctus. 1369
Superbia. 1389
Superstitio. 1399
Synodi, Concilia. 1407
Temperantia 1425
Tentatio, Tribulatio. 1429
Timor. 1459
Traditio. 1467
Transfiguratio. 1475
Tributum. 1491
Trinitas. 1499
Tristitia. 1527
Ultio. 1535
Unctio, et Unctio extrema 1553
Usura. 1561
Vanitas. 1597
Verecundia. 1607
Virginitas. 1615
Virtus. 1627
Visitatio B. Mariæ. 1641
Vita. 1641
Vocatio. 1659
Xenodochium. 1665
Zelus 1669

FIN.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google

Digitized by Google

BR
95
M63
V.115

Migne
Nouvelle Cyclopedie
Theologique
72125

THIS BOOK DOES
NOT CIRCULATE

Digitized by Google

Digitized by Google